UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library



X. XI
19

Th. 5936.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


M XI
19
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

41. pro poëtica.

NICOLAI

CAVSSINI

TRECENSIS, E
SOCIETATE IESV,

DE ELOQVENTIA

SACRA ET HVMANA,

LIBRI XVI.

EDITIO TERTIA, NON
ignobili acceßione locupletata.

CVM ACCVRATIS INDICIBVS, TAM EORVM
quæ vnoquoque Capite continentur, quàm Rerum &
Verborum.

Collegij Societatis IESV Paderborn



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus BERNARDI GVALTERI.

ANNO M. DC. XXXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LVDOVICO XIII.
FRANCORVM ET NAVARRORVM REGI
CHRISTIANISSIMO.

ELOQVENTIAM tibi Rex CHRISTIANISSIME, apparatissimis Græcorum Latinorumque munditijs excultam, ad sacrarium tuæ Maiestatis sisto, Reginam *Flexanimam* REGI potentissimo; prædicationem beneficij DOMINO munificentissimo; PARENTI verò optimo æternum obseruantiæ monumentum.

Si spectatur operis argumentum, satis habet commendationis: si ratio offerendi, multum habet officiosæ necessitatis. Conceptum est enim in ipsis Flexiensis Academiæ spatijs, in proprio tui PARENTIS FELICIS solo, & Regiæ illius pueritiæ cunabulis, vbi eloquentiam per annos aliquot sum professus. Nunc autem, emergit Lutetiæ in tuorum arce regnorum, in quam vrbem, ad eadem rei literariæ curricula, iam quasi διαυλοδρόμος euocor. Inchoatus est, vt vides, hic liber in tuo, de tuo creuit, nascitur in tuo: vbique occurrit tibi, nec minus Maiestatem tuam latere potest quàm Solem.

Verùm etsi me verecundiæ leges, aut occultari iuberent, aut silere; Tamen faciliùs in ore flammam opprimi posse crederem, quàm in grato animo recordationem beneficij. Tua sunt, REX OPTIME, in hanc Societatem promerita, vt infantes etiam facere possint Oratores. Tu enim perinde ac si hæreditarium illud munus haberes ab augustissimo PARENTE tuo, vt nos diligeres, statim regali animo hanc Societatem complexus es, vt idem penè tibi videatur fuisse exordium nascendi, quod fuit principium de nobis benè merendi.

Nunc verò & postquam illud nostrum Parisiense Collegium,

tot annis iam quasi virgultis intercluſum & derelictum, ad quod fruſtra tot bonorum vota adhæreſcebant, repentè aperiri iuſſiſti, eodem profectò tempore huic orbi Chriſtiano declaraſti, quid ſumma beneuolentia in ſumma auctoritate poſſet. De nobis verò ſapientiſſimi illius tui conſiſtorij ea fuêre iudicia, quæ venerari magis licèt, tanquam leges perpetui in publicum officij nobis impoſitas, quàm intemperantiùs prædicare.

Quid mirum igitur; ô Rex, ſi tibi noſtrorum omnium voluntates & opera liberiùs affluunt, & velut in ipſum fontem gratiſſimè refunduntur, cùm tu nos iſta amoris teſtificatione iam tuos nexu & mancipio feceris? Tu certè quidquid eſt hoc operæ, non aſpernabere. Nam & tua Maieſtas ex hoc faſtigio ſe ad noſtram tenuitatem benignis oculis ſpectandam plerumque demittit, &, quod à ſapientibus dictum audio, quaſi *magnitudinis ſeruitutem exiſtimet non poſſe fieri minorem*, verſatur cum minoribus ſumma affabilitate ſermonis; quorum ego minimus has hodie lucubrationes ſub tui nominis luce profero, nec meæ iam me pudet tenuitatis. Auiculas ſi quidem aiunt, cum nihil poſſent opulentius, plumas ad magnificentiſſimum Delphici Apollinis templum, ſicut & apes ceras vltrò detuliſſe: ſic & nos ad hæc tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alij partim tibi dedicârunt, partim etiam dedicaturi ſunt, hanc opellam noſtram adiungimus. Poterunt illi magnificentiùs, nos certè nihil poſſumus amantiùs.

Maieſtatis tuæ Deuotiſſimus

Nicolaus Caußinus, Sacerdos
è Societate IESV.

LECTORI.

QVOD *plerisque animantibus aiunt inesse tam mites, tamq; efficaces oculos, vt eorum aspectu, quasi mollissimo incubatu pulli excludantur; Hoc ipsum in isto ingenij fœtu (Lector) experti sumus. Tu illi adhuc penè in ouo, & in partus vinculis, tam blandis, tam potẽtibus oculorum radijs, es obstetricatus: Tu natum tanta beneuolentia complexus es, vt meritò se totum tuis vtilitatibus debeat impendere. Qui tibi placuit in primis (vt aiunt) incunabulis, auctior vt spero non displicebit: Nihil est (mi Lector) in hoc literarum puluere cultura eloquentia aut nobilius, aut operosius. Jam enim à prudẽtibus non quæritur indigesta rerum farrago, in quam se intemperantis prurigo sæculi ardentius quàm cautiùs effuderat; Sed solers & neruosa, & acuta dicendi ratio, quâ se & vegeta produnt ingenia, & accurati lima iudicij. Hanc in isto opere* Flexanimam *non meis quidem coloribus, sed Græca Latinaque antiquitatis opibus excultam, quasi in eminenti arce posui. Tu Lector fruere, & quidquid inde hauseris, in Deum scientiarum omnium fontem & Dominum reuolue, memor illius dicti, quod ex sacrario prodijt sapientiæ:* Oportet priùs animas, posteà linguas fieri eruditas.

NOn fuit hoc meum consilium, post tot Rhetoricas præceptiones, tot locis, & manibus sparsas, malè recoctam (quod aiunt) *cramben* fastidioso præsertim huius seculi palato obijcere. Quinimò, huius operis institutum est, quicquid in sacra humanaque Eloquentia spectabile, illustri loco ponere, & variorum ingeniorum sæculorumque virtutes, in vnum veluti perfectionis corpus includere.

Quod autem attinet ad præcepta, non minutias quasdam puerilis eruditionis sum consectatus, sed grauiorem eloquentiæ speciem ex præstantissimorum Rhetorum, maximè Græcorum, qui modò rariores sunt, iudicijs & sensibus exprimere conatus sum: Deinde apparatissimam ex Græcis Latinisque fontibus exemplorum copiam Παραλληλίζων attuli, & vbi res postulabat, nostra interpretatione, notisque illustraui.

Aspersi quoque mediocriter, prout argumentorum conditio ferebat, veterum eruditionem; & rationem eam dicendi tenui, quæ neque nimis spissa esset, aut producta: neque tenuis & inornata; vt interdum præceptorum austeritas eloquentiæ veluti succo perfusa mitesceret.

Præterea pigmenta quædam eloquentiæ, qualia sunt Hieroglyphica, symbola, parabolæ historicæ, emblemata, seperato libro edidi, qui iam *feliciori alite* prodijt in lucem.

Hæc ego, Deo auspice, iuuentutis studijs consulens, ne ἀτόμβολος ex hac literaria prouincia, quam iam per multos annos obtineo, discederem, quę tu, Lector, pro tuo candore, beneuolo animo accipies: si qui autem fuerint (quod non est desperandum) liuidorum oculi, meminerint, ῥᾶον μωμεῖσθαι, ἢ μιμεῖσθαι tum, pueriliter infelicis, & male feriati ingenij esse, famam alienam cum obscurare honestè non possit, per inuidiam allatrare.

APPROBATIO.

STEPHANVS CHARLETVS, *Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Franciæ, potestate adidmihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali* MVTIO VITELLESCO, *Facultatem concedo, vt* P. NICOLAI CAVSSINI *è Societate IESV Sacerdotis, de* Sacræ & humanæ Eloquentiæ Parallelis *libri, eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio, typis excudantur.*

STEPHANVS CHARLETVS.

Datum Flexiæ 19. *Nouembris*, 1617.

OPERIS SYNOPSIS.

Totum volumen in tres partes diuisum est.

Prima, veræ Eloquentiæ ideam & adminicula continet.

Secunda, de ipsius eloquentiæ partibus agit: Inuentione, Dispositione, Elocutione, Figuris, Affectibus, Pronuntiatione.

Tertia, de triplici Eloquentiæ genere, Epidictica, Ciuili, Sacra, speciatim disserit.

ORDO LIBRORVM.

I. De Veteri Eloquentia:
II. De optimo charactere Eloquentiæ.
III. De adminiculis ad comparandā eloquentiam, ingenio, doctrina, imitatione
IV. De Inuentione & locis.
V. De Amplificatione.
VI. De Dispositione & partibus Orationis
VII. De Elocutione & Figuris.
VIII. De Affectibus.
IX. De Pronuntiatione.
X. De Epidictica siue demonstratiua eloquentia.
XI. Characteres epidictici in quibus descriptionum liber.
XII. De Eloquentia Ciuili.
XIII. Characteres Ciuilis Eloquentiæ.
XIV. Theoretor, siue de Maiestate sacræ Eloquentiæ.
XV. De forma sacræ Eloquentiæ.
XVI. Chrysostomus siue Idea.

AVCTORES QVI LAVDANTVR ET EXPENDVNTVR:

Rhetores & Rhetoricorum scriptores.

GRÆCI.	LATINI.	
Aristoteles.	M. Tullius Cicero.	Emporius
Demetrius Phalereus.	Fabius Quintilianus.	Aurelius Augustinus.
Aristides.	Martianus Mineus Capella.	
Dionysius Halicarnassensis.	Rutilius Lupus	Iulius Seuerianus.
Hermogenes.	Aquila Romanus.	Ruffinus.
Aphthonius.	Iulius Rufinianus.	Priscianus.
Cassius Longinus.	Curius Fortunatius.	Beda
Theon.	Marius Victorinus.	Cassiodorus.
Menander.	Sulpitius Victor.	Alcuinus.
Apsinus.		
Sopater.		
Cyrus.		
Licymnius.		

Sophistæ & Philologi.

GRÆCI.	LATINI.	
Gorgias Leontinus.	Latro Porcius.	Triarius.
Lucianus.	Arelius Fuscus.	Cornelius Hispanus.
Libanius.	Cestus Pius.	Licinius Nepos.
Aristides.	Asprenas.	Spiridion.
Philostratus.	Fuscus.	Coruus.
Himerius.	Iulius Sparsus.	Murrhedius.
Dion Prusæus.	Sillius.	Petronius.
Ælianus.	Gauius.	Apuleius.
Theophylactus.	Iulius Bassus.	Latinus Pacatus.
Callistratus.	Clodius Turrinus.	Eumenes.

Oratores.

GRÆCI.	LATINI.
Antyphon Rhamnusius.	L. Iunius Brutus

Andoci,

NOMINA AVCTORVM.

Andocides Cydathenienſis.
Lyſias Syracuſanus aut. Athen.
Iſocrates Athenienſis.
Iſæus Chalcidenſis.
Æſchines Cothocides.
Lycurgus Butades Athen.
Demoſthenes Pæanienſis.
Hyperides Collitenſis.
Dinarchus Corinthius aut. Athen.

Menenius Agrippa.
Appius Clodius.
Cornelius Cethegus.
M. Cato Senior.
Q. Fabius Pictor.
C. Lælius.
P. Africanus Galba.
Seruius Galba.
Curio.
Tiberius Gracchus.
C. Gracchus.
Quintus Catulus.
M. Antonius.
M. Craſſus.
Seruius Sulpitius.
C. Iulius Cæſar.
M. Tullius Cicero.
Plinius Iunior.

Philoſophi.

Plato.
Theophraſtus.
Maximus Tyrius.

Seneca.

Ariſtoteles.
Xenophon.
Themiſtius.

Hiſtorici.

GRÆCI.

Thucydides.
Herodotus.
Plutarchus.
Polybius.
Diodorus Siculus.
Dion.
Dionyſius Halicarnaſſenſis.
Herodianus.
Joſephus.
Nicetas.

LATINI.

C. Iulius Cæſar.
Saluſtius.
T. Liuius.
Cornelius Tacitus.
Plinius.
Q. Curtius.
Ammianus.

Patres & Scriptores Sacri.

GRÆCI.

Dionyſius Areopagita.
Iuſtinus Martyr.
Origenes.
Clemens Alexandrinus.
Baſilius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Chryſoſtomus.
Baſilius Seleuciæ.
Gregorius Nyſſenus.
Ephrem Syrus.
Theodoretus.
Syneſius.
Euſebius.
Nicephorus.

LATINI.

Cyprianus.
Ambroſius.
Auguſtinus.
Hieronymus.
Leo.
Paulinus.
Tertullianus.
Saluianus.
Arnobius.
Lactantius.
Sidonius Apollinaris.

INDEX

CAPITVM, ET TITVLORVM AD SINGVLA CAPITA, HIS SEDECIM LIBRIS PRAEFIXORVM:

Lectori, vltra alterum, qui in calce Operis, necessarius.

Numerus primus, Caput notat: alter, Paginam.

TITVLVS LIBRI PRIMI.

DE veteri Eloquentia. pag. 1.
De optimo genere Eloquentiæ & huius operis instituto. ib.
CAP. I. De Eloquentiæ dignitate: Dei, Animi & Eloquentiæ similitudo. 3
2. De Eloquentiæ pulchritudine. Comparatio cum pantarba lapide. ibid.
3. De vtilitate Eloquentiæ. ibid.
4. De vi Eloquentiæ. ibid.
5. De ortu & progressu Eloquentiæ. 5
6. De nomine Rhetorum. 6
7. De honoribus Rhetorum. 8
8. Contra eos qui dicunt Demosthenem ab Aristotele præcepta Eloquentiæ didicisse. 9
9. Illustrium Oratorum Elogia: Pitheus. 10
10. Homerus. ibid.
11. Solon. ibid.
12. Pisistratus. 12
13. Themistocles. ibid.
14. Herodotus. ibid.
15. Pericles. 13
16. Thucydides. ibid.
17. Gorgias Leontinus. 14
18. ὑπὲρ παλαμήδους ἀπολογία. ibid.
19. Critias. 15
20. Theopompus. ibid.
21. Philistus. ibid.
22. Plato. ibid.
23. Aristoteles. 16
24. Antiphon. ibid.
25. Andocides. 17.
26. Lysias. ibid.
27. Isocrates. 18
28. Isæus. 19
29. Æschines. ibid.
30. Lycurgus. ibid.

31. Demosthenes. 20
32. Hyperides. ibid.
33. Dinarchus. 21
34. Demades. ibid.
35. Xenophon. ibid.
36. Theophrastus. 22
37. Demetrius Phalereus. ibid.
38. Latini Oratores, Ciceronis fermè omnes penicillo expressi.
L. Iunius Brutus. 23
39. Menenius Agrippa. ibid.
Oratio Menenij Agrippæ. ibid.
40. Appius Claudius. ibid.
Oratio Appij Claudij ad senatum. ibid.
Eadem ex Græco expressa. 24
41. Cornel. Cethegus. ibid.
42. M. Cato senior. ibid.
43. Q. Fabius Pictor. 25
44. C. Lælius & P. Africanus. ibid.
45. Seruius Galba. 26
46. Curio. ibid.
47. Tiberius Gracchus & Caius Carbo. ibid.
48. Caius Graechus. 27
49. Quintus Catulus. ibid.
50. Marcus Antonius. ibid.
51. Marcus Crassus. 28
52. Seruius Sulpitius. ibid.
53. Cotta & Sulpitius. 29
54. Hortensius. ibid.
55. M. Crassus Iunior. ibid.
56. Pompeius. 30
57. M. Callidius. ibid.
58. Piso Tullij gener. ibid
59. C. Licinius Caluus. 31
60. C. Iulius Cæsar. ibid.
61. Crispus Sallustius. ibid.
62. M. Tullius Cicero, pro quo Apologia, contra κικερωνομάστιγα, qui ferream Ciceronis eloquentiam, auream Demosthenis nominarat. ibid.
Iudicium Longini de Cicerone & Demosthene. 32
Iudicium Fabij Quintiliani. 33
Iudicium Cornelij Taciti. ibid.
63. Comparantur Cicero & Demosthenes in genere comparatiuo. 34
Ab adolescentia honeste acta. 36
A prudentia. ibid.
A fortitudine. ibid.
plura. 37
64. Comparantur in genere deliberatiuo. 41
65. Comparantur in genere iudiciali. 46
66. Comparantur, in Inuentione, Dispositione, Elocutione. 49
67. Comparantur in actione & successu eloquentiæ. 50
68. Comparatur cum Thucydide. 51
69. Comparatur cum Platone. 53
70. Comparatur cum Lysia. 55
71. Comparatur cum Isocrate. 56
72. Comparatur cum Sallustio. 58
73. Comparatur cum Seneca. ibid.

Ex Libro II.

Cap. I. De optimo charactere Eloquentiæ. 60
De varietate. ibid.
2. De stylo inflato. 61
3. De cacozelo. 65
4. De stylo frigido. 66
5. De stylo puerili. 67
6. De Parenthyrsi. 69
7. De stylo scholastico. 70
8. De stylo poëtico & cantico. 71
9. De stylo allegorico & periphrastico. 73
10. De stylo Miscellaneo & Antiquario. 74
11. De stylo humili & rudi. 76
12. De stylo fluctuanti & dissoluto. 78
13. De stylo sicco & exangui. ibid.
14. De acuta styli breuitate, sententijsque abruptis & suspiciosis. 80
15. Acutorum acuminum subiecta exempla. 81
16. De Erroribus abrupti styli & frigide acuti. 84
17. Anticicerones.
Ludus seu dissertatio de optimo genere dicendi.
Eloquentia apud Dicen contra suos corruptores agit. 86
18. Lucius Apuleius. 87
19. Cacozelus, doctus Antiquarius. 89
20. Buteonis pro siccis. 91
21. Pædatiodis pro puerilibus. 92
22. M. Tullij Ciceronis Apologia. ibid.
23. Malus Orator: totus ex Luciano fermè expressus. 98
Censura Antigoni Regis. 99
Censura Augusti Cæsaris. ibid.
Censura Apollonij. ibid.
Censura Dionysij Longini. ibid.
24. Condemnatio μικρακιώδους. 100
Censura Plutarchi. ibid.
25. Condemnatio siccorum. 101
Cornelij Taciti censura. ibid.

26. De vera germanaque eloquentia. ibid.
27. De Generibus dicendi quæ in laude versantur. 102
28. De virtutibus & formis dicendi : ac primùm de Perspicuitate. ibid.
29. De grauitate Orationis. 104
30. De asperitate. 105
31. De vehementia. 106
32. De splendore. 107
33. De Vigore. 108
34. De Ambitu siue Amplificatione. ibid.
35. De methodo Grauitatis. 109
36. De pulchritudine & grauitate Styli. ibid.
37. De mixtura Celeritatis cum suauitate. 111
38. De Acrimonia & Acuto. ibid.
39. De methodo suauitatis. ibid.
40. De optima figura dicendi. & de Decoro. 112.

Ex Libro III.

De adminiculis Eloquentiæ, Ingenio, Doctrina & imitatione.
Cap. I. De Animi præstantia. 114
2. De varietate ingeniorum & excellentia in Mechanicis. 115
3. De caussis huius varietatis. 116
4. Tria ingeniorum genera quæ literis apta, & vnde sumendum culturæ exordium. 117
5. Aduersus eos qui Christiano cultu emolliri & langueſcere dicunt ingenia. ibid.
6. De ingeniorum delectu ad Eloquentiam specialius dictum. 119
7. De studio & Exercitatione Eloquentiæ. 121.
8. De causis corruptæ Eloquentiæ: vbi celebres Taciti & Senecæ loci comparantur. 122.
9. De imitatione. 124
10. De praua imitatione seu Cacozelia. 125
11. De vitijs imitationis. ibid.
12. An multi sunt imitandi. 127
13. Nonne an veteres imitandi. 128
14. Qui maximè inter veteres imitandi, obiter notati. 129
15. Quomodo imitandum. 134
16. Quomodo Demosthenem Cicero fuerit imitatus. 136

Ex Libro IV.

De Inuentione & Locis.
Cap. I. De scribenda oratione. De cognitione quæstionis, & de prolixitate fugienda. 140
2. De Inuentione. Nutrix inuentionis, eruditio : & eruditæ debent esse Orationes. 141.
3. Primus pons Inuentionis, Historia. 142
4. Secundus fons Inuentionis. Apologi & Parabolæ. 144
5. Tertius fons Inuentionis, Adagia. 145
6. Quartus fons Inuentionis, Hieroglyphica. 146
7. Quintus fons Inuentionis, Emblemata. 147.
8. Sextus fons Inuentionis, Testimonia Veterum. ibid.
9. Septimus fons Inuentionis, γνῶμαι. 148
10. Octauus fons Inuentionis, Leges. 150
11. Nonus fons Inuentionis, sacræ literæ. 151.
12. Decimus fons Inuentionis, Ratio & solertia in Locis. 152
13. De locis in genere. 153
Definitio per synonymiam. 154
Per descriptionem. ibid.
Notatio. ibid.
Partium enumeratio. ibid.
Coniugata. ibid.
Genus. ibid.
Species, seu Forma. ibid.
Similitudo. ibid.
Differentia. 155
Contraria. ibid.
Adiuncta. ibid.
Antecedentia, Consequentia. ibid.
Repugnantia. ibid.
Caussæ. ibid.
Effecta. 201
Comparatio Minorum & Parium. ibid.
14. De locorum delectu. ibid.
15. Definitionis dignitas & variæ appellationes. 156
16. de Definitione Simplici & Logica. ibid.
17. de Definitione per partes. 158
18. de Definitione per caussas. ibid.
19. de Definitione per Effecta. 159
20. de Definitione per Accidentia. 160
21. de Definitione per similitudinem. ibid.
22. de Definitione per Negationem. 161
23. de Modo amplificandæ Definitionis. Ac primùm de Amplificatione per synonymiam. 162
24. de Amplificatione per Definitionem Mixtam. 163

25. de Amplificatione per Contentionem ironicam, ibid.
26. de Confirmatione Definitionis. 164.
27. de partium enumeratione, Loci dignitas & definitio, ibid.
28. Diuisio huius Loci secundùm rem, & varia genera Enumerationis, 165.
29. Diuisio secundùm Modum, & varia Argumentationum ab enumeratione partium genera, ibid.
30. De vi & veritate huius loci. 167.
31. De vsu & amplificatione huius loci, ibid.
32. De mixtura Figurarum, cum loco enumerationis, & quibus ornamentis amet vestiri. 168.
33. De notatione Nominum. An Nomina sint Naturæ Cœlestis. Confutatur Zoar & & Rabbini, 170.
34. Confutatus Rucelinus & cæteri Nominales. 171.
35. De nominum ambitione & religione. ibid.
36. Curiosa nominum obseruatio, & antiquus ritus illustratus. 172.
37. Notatio literarum Nominalium, & eius Ominis vanitas, 173.
38. De anagrammatismis, ibid.
39. De Origine & Etymologijs Nominum, 174.
40. De vsu Notationis & Coniugatorum, 176.
41. De genere & specie, 177.
42. De vsu huius Loci. 178.
43. De Causarum dignitate & numero. 179.
44. Materia, & eius vsus apud Oratores. 180.
45. de Causa efficiente, 181.
46. de Forma, 183.
47. de Fine. 184.
48. de Vsu & amplificatione Caussarum, 185.
49. Effecta, 186.
50. Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, 188.
51. Contraria repugnantia, 190.
52. De similitudine. Similitudinis locum esse non modò detestabilem, sed vtilem: contra Euclidem, 192.
53. Definitio Similitudinis, & diuisio in Simplicem & Compositam. 193
54. Alia Similitudinis diuisio, in Parabolam, Exemplum, Inductionem: Ac primùm de Parabola. 195.
55. De Exemplo & Probationibus à Comparatis, 196
56. de Inductione, 197
57. De recto vsu Similitudinis & varia eius tractatione. 198.

Ex Libro V.

De Amplificatione.

Cap. I. Ac primùm de vitio malæ Amplificationis, 201.
2. Quid sit Amplificatio & quotuplex: Et de optimo charactere Amplificationis, 202.
3. Exemplum fusæ & ambitiosæ illius Amplificationis: Ex Cic. 7. in Verrem, n. &c. 204.
4. Quænam sit melior Amplificatio, 205.
5. De materia & formis seu methodo Amplificationis. 206.
6. De forma & methodo Amplificationis: Ex Græcis sophistis, 207.
7. Quam Methodum Amplificandi Cicero præceptis consignarit. 208
8. Quòd istæ Præceptiones de Amplificatione minùs accuratè traditæ videantur: & de Cassij Longini sententia. 209.
9. De Amplificationis duodecim modis crebrò vsurpatis: primus Amplificandi modus, & Enumerationum. 210.
10. Secundus, per Antecedentia. 211.
11. Tertius, per Caussas, ibid.
12. Quartus, per Adiuncta, ibid.
13. Quintus, per Euidentiam, Descriptiones, Hypotyposes, 212.
14. Sextus, per Digressionem, 213.
15. Septimus, per Gradationem, ibid.
16. Octauus, per Comparationem, ibid.
17. Nonus, per eleuationem Grauium, 214.
18. Decimus, per Congeriem, ibid.
19. Vndecimus, per Correctionem, ibid.
20. Duodecimus, per conglobatas Definitiones, ibid.
21. De delectu Locorum & figurarum ad amplificationem obiter monitum, ibid.
22. De delectu Verborum ad amplificandum. 215.
23. De mixtura Locorum & Figurarum. ibid.
24. Amplificationes Ciceronianæ discutiuntur: Ac primùm Auaritiæ & ambitio P. Rulli exaggeratur per congeriem partium atq; effectorum, & per anaphoram tractatur, 216
25. Amplificatio, Sassiæ libido, num. 12. pro Cluentio. 217.

26. Amplificatio Beneficij accepti; per Comparatá; Adiuncta & Partes, ad Quirites, post reditum, n. 5. 218
27. Alia pars amplificationis per μερισμὸν, Post reditum ad Quirites. ibid.
28. Amplificatio Rei calamitosi, per gradationem & hypotypoſin, &c. pro Quinctio, n. 95. ibid.
29. Amplificatio ab Effectis: Deſcribitur vir bonus: pro Cæcinna, n. 78. 219
30. Amplificatio luxus per Adiuncta: pro Roſcio, n. 133. ibid.
31. Amplificatio Capacitatis. 1. Philipp. n. 65. per Partium enumerationem & Comparata. 220
32. Amplificatio luctuoſi ſpectaculi de bonis Cn. Pompeij haſtæ ſubiectis: Per hypotypoſin, ſuſtentationem, Epiplexin, &c. 2. Philipp. n. 64. ibid.
33. Amplificatio belli crudelis: Philipp. 4. n. 8. Per cauſas efficientes, Effecta, Comparata. ibid.
34. Amplificatio criminis inuſitati. 6. Verr. n. 67. 68. 69. Per adiuncta & figura. 221
35. Amplicatio miſeriarum, per antitheta, acutaſq; & vellicantes ſententias, ſtylo picto & declamatorio: Senex reuerſus è captiuitate, deplorat filium inſepultum, & cæcam vxorem. 222
36. Amplificatio calamitoſi ſtatus, per Antitheta & Hypotypoſin: Deſcribitur miſeria pauperum, cum luxu diuitum comparata, ex D. Gregorio. ib.
37. Amplificatio atrocis ſupplicij, per hypotypoſin. 224
38. Amplificatur definitio Virtutis, per Inductionem. 225
39. Amplificatio breuis miſeriarum vitæ, per Synathroiſmum: D. Chryſoſt. tractatu, Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo. (pa. 577.) 226
40. Amplificatio Auaritiæ, per Effecta & Imagines: D. Chryſoſtomus eodem tractatu. (p. 578.) ibid.
41. Amplificatio Gulæ & Ebrietatis, per Congeriem: D. Chryſoſtomus eodem tractatu. (p. 580.) 227
42. Amplificatio Virtutum. ibid.
43. de Diminutione, 228
Varia locorum communium ex Cicerone ſupellex, ad vberiora amplificationum exempla. 230

Ex Libro VI.

De Diſpoſitione & Partibus Orationis.
Cap. I. Eius dignitas. 235
2. De prudentia Diſpoſitionis & iudicio. ib.
3 De triplici Diſpoſitione in genere. 236
4. De triplici Diſpoſitione artificiali. ib.
5. De Diſpoſitione oratoria. 237
6. De Exordio in Genere:
An exordium ſit pars orationis neceſſaria. 238
7. De varijs Exordiorum generibus. 239
Quid ἐπίφωσις ſeu impreſſio in Exordijs. ib.
Quid ἀπροπλάνησις. 240
Quid Rami ſeu Ramoſum. ibid.
Quid ἐνδοίμον. ibid.
Quid Carceres. ibid.
Alia diuiſio Exordiorum. ibid.
Quid Exordium ex Opinione. ibid.
Quid Exordium ἀπὸ καιροῦ. ibid.
Quid Exordium ex Abundantia: Contra incidentibus, Acolutho, &c. ibid.
Quid exordium ex ſubdiuiſione ibid.
Sex Exordiorum fontes. 242
8. De modo Exordij.
An debeat eſſe argumentoſum & floridum. ibid.
9 De Exordiorũ communibus præceptis. 243
10. De Exordijs in demonſtratiuo genere, & hiſtorijs, fabulis & exemplis. 245
Adiunctum perſonæ Oratoris. ibid.
Ab adiunctis item Oratoris. ibid.
11. De Deliberatiuo. 247
Adiunctum rei. 248
12. De Iudiciali. 250
13. Exordia ex abrupto & conciſa. 251
13. De Narratione:
Narrationis diuiſio & vſus. 252
14. Narrationis vitia octo. 253
15. Narrationis virtutes. ibid.
16. Narrationis probabilitas ex quindecim rebus petita. ib.
17. Quarta virtus Narrationis, ſuauitas, in decem partes diuiſa. 255
18 Typus narrationis poeticæ.
Ex Libanio aliæ. 256
19. Typus narrationis ciuilis in tenui Charactere. 257
20. Typus narrationis hiſtoricæ, ſuauis, & Philologicæ:

Narratio de Leonibus & Vrsa. ibid.
22. Narratio de Elephanto, qui pro nutritio pugnauit. 258
22. Typus narrationis politicæ, stylo sublimi & magnifico. 259
23. Narratio & Hypotyposis pulchra, de pauperis filio qui pro diuite amico pugnauit vsque ad necem in certamine gladiatorio. 260
24. Narratio de C. Canio. 262
25. Narratio de morte Socratis. ibid.
26. De Confutatione & Confirmatione. 263
27. De Ratiocinatione & Inductione. 265
28. De Enthymemate. 266
29. De Epicheremate. ibid.
30. De Dilemmate. ibid.
31. De Sorite. 267
32. De Cornibus, Crocodilo & Electra. ibid.
33. Exempla Confutationis:
Exemplum ex Gorgia Leontino, acutum & velox, antea libatum, nunc expressiùs notatum:
Palamedes crimen proditionis diluit. ibid.
34. Expenduntur varia Exempla Confutationum:
Ex Cicerone: cuius mirifica cum pugnacitate notatur suauitas:
Modus confutationis per conglobatas rationes, magna vi & celeritate vibratas, ad persuasionem & motum efficax. 268
35. Modus Confutationis per Expeditionem. 269
36. Modus Confutationis mixtus serijs rationibus & ironijs aculeatis. 270
37. Modus Confutationis per interrogationem:
Cicero pro Quinctio, n. 36. 272
38. Modus per subiectionem frequentissimus & optimus. Cic. pro Quinctio, nu. 41. 273
39. Modus per Coacernationem exemplorum; in quo diligenter notandi sunt nexus. 274
40. Confutatio: Pro cæco rei parricidij, per ἀνακόλουθον, & ἀπίθανον. 275
41. De Peroratione. ibid.
42. Peroratio miserabilis pro filio, qui cùm sua captiuitate & morte patrem redemisset, mortuus in vinculis, à matre sepeliri prohibetur. 277
Peroratio flebilis per apostrophen ad animam mortui. ibid.

Ex Libro VII.

De Elocutione.

Cap. I. De Elocutione. 278
2. Elocutionis diuisio: & eius prima pars Elegantia. 279
3. de Compositione, secunda parte Elocutionis:
Eius definitio, officium, gratia. 280
4. De Præstantia numerosæ Orationis, & eius Ortu. 281
5. De Nomine & definitione Periodi. 282
6. De Diuisione Periodi, Pneumate, Clausi: Chiasmo, &c. 283
7. De Partibus Periodi. ibid.
8. De Pedibus Periodi:
Ex Halicarnassensi. 284
9. De Numero & mixtura Pedum:
Ex Cicerone:
In Principijs qui fermè probantur pedes: In Medio: In fine. 285
10. Quid de istis Numerorum obseruationibus & tota compositione, sit tenendum, & de cauendis vitijs. 286
11. De vsu Periodi. 287
12. De mensura Periodi. 288
13. De artificio implendæ Periodi. 289
14. De delectu & compositione Nominum, ad venustandam Periodum. 291
15. Obseruationes in Cicerone. 292
16. De dignitate Elocutionis & definitione Figuræ. 293
17. Nomenclatura figurarum ordine Alphabetico:
Ex antiquis Rhetoribus expressa: 294
Acyron. ibid.
Ætiologia. ibid.
Aganactesis. ibid.
Allœosis. ibid.
Amphidiortosis. ibid.
Anaclasis. ibid.
Anacœnosis, ibid.
Anadiplosis. 295
Anæresis, ibid.

Analepsis. ibid.
Ananceon. ibid.
Anasceue. ibid.
Anastrophe. ibid.
Antimetabole. ibid.
Antisagoge. ibid.
Antiphrasis. ibid.
Antistasis. 296
Antistœchon. ibid.
Antistrophe. ibid.
Antitheton. ibid.
Antizeugmenon. ibid.
Antonomasia. ibid.
Aparethmesis. ibid.
Aphorismus, siue Diorismus. 297
Ἀπὸ κοινοῦ. ibid.
Apodoxis, siue, Apoplanesis. ibid.
Apophasis, siue, Ætiologia. ibid.
Apoplanesis. ibid.
Aporia. ibid.
Aposiopesis. ibid.
Apostasis. 298
Apostrophe. ibid.
Ara. ibid.
Asteismus. ibid.
Asyntacton. ibid.
Asynthetum. ibid.
Auxesis. 299

Brachyopoeia. ibid.

Characterismus. ibid.
Catachresis. ibid.
Catara. ibid.
Charientismus. ibid.
χιασὸν. ibid.
Chleuasmus. ibid.
Cleticon. ibid.
Climax. 300
Cœnotes. ibid.

Deesis. ibid.
Diabole. ibid.
Diacope. ibid.
Diæresis. ibid.
Diallage. 301
Diallelon. ibid.
Dialogismus. ibid.
Dialysis. ibid.
Dianœa. ibid.
Diaphora. ibid.
Diaporesis. ibid.
Diasceue. ibid.
Diasyrmus. ibid.
Diatyposis. ibid.
Dicæologia. 302
Diazeugmenon. ibid.
Dilemmaton. ibid.
Distributio. ibid.

Ecbasis. ibid.
Ellipsis. ibid.
Enthymema. 303
Epagoge. ibid.
Epanadiplosis. ibid.
Epanalepsis. ibid.
Epanastrophe. ibid.
Enanaphora. ibid.
Epanodus. 304
Epanorthosis. ibid.
Epembole. ibid.
Epenthymesis. ibid.
Epexegesis. ibid.
Epexergasia. ibid.
Epibole. ibid.
Epicrisis. ibid.
Epidiorthosis. 305
Epimone. ibid.
Epiphonema. ibid.
Epiphora. ibid.
Epiplexis. ibid.
Epiploce. ibid.
Epistrophe. ibid.
Epitheton. ibid.
Epitrochasmus. ibid.
Epitimesis. 306
Epitrechon. ibid.
Epitrope. ibid.
Epizeuxis. ibid.
Erotema. ibid.
Erroris inductio. ibid.
Ethologia. ibid.
Ethopœia. ibid.
Euche. ibid.
Exartesis. 307
Excitatio. ibid.
Expeditio. ibid.
Exuthenismus. ibid.

Figura per casum Genitiuum. ibid.
Figura per Datiuum. ibid.

Figura

Figura per Accusatiuum. ibid.
Figura per Ablatiuum. ibid.
Figura Græca, aut casuum varietas. ibid.
Figura per personas. 308
Figura per Numeros. ibid.
Figura per Præpositionem Ad. ibid.
Figura per præpositionem In. ibid.
Figura per verborum qualitatem. ibid.
Figura per modos Temporum. ibid.
Figura per aduerbiorum qualitatem. ibid.
Figura per pleonasmum. ibid.
Figura per Eclogam verborum. ibid.
Figura per Eclogam Aduerbiorum. ibid.
Figura per Pronomina. ibid.
Figura per Eclogam nominum. ibid.

Gradatio. 309

Heterogenes. ibid.
Homœon. ibid.
Homœoptoton. ibid.
Homœosis. ibid.
Homœoteleuton. ibid.
Horismus. ibid.
Hyperbaton. ibid.
Hyperbole. ibid.
Hypexæresis. ibid.
Hypobole. ibid.
Hypocrisis. 310
Hypomone. ibid.
Hypozeuxis. ibid.
Hysterologia, seu, ὑστερολογία.

Icon. ibid.
Ironia. ibid.
Isocolon. 311

Leoptologia. ibid.
Liptote. ibid.
Lyton. ibid.

Merismos. ibid.
Meiosis. ibid.
Metabasis. ibid.
Metanœa. ibid.
Metaphora. 312
Metastasis. ibid.
Metathesis. ibid.
Metonymia. ibid.
Mesozeugma. ibid.
Mimesis. ibid.
Mysterismus. ibid.
Necessitas. ibid.
Noëma, siue, νόημα. ibid.
Occupatio in Paralepsi. ibid.
Omoticon. ibid.
Nomatopœia, ibid.
Oxymoron. ibid.
Palindromia. 313
Palilogia. ibid.
Paradiastole. ibid.
Paradigma. ibid.
Paradoxon. ibid.
Paralepsis. 314
Paraphora, ibid.
Parathesis. ibid.
Parembole. ibid.
Paregmenon. ibid.
Parenthesis. ibid.
Parisos. ibid.
Parodia. 315
Paromœon. ibid.
Paromologia. ibid.
Paronomasia. ibid.
Paronymia. ibid.
Parrhesia. ibid.
Pathopœia. 316
Periphrasis. ibid.
Permissio in Epitrope. ibid.
Perissologia. ibid.
Plecton. ibid.
Pleonasmus. 407
Plethynticum. ibid.
Ploce. ibid.
Polyptoton. 317
Polysyntheton. ibid.
Procatalepsis. ibid.
Procatasceue. ibid.
Prodiasapheſis. ibid.
Prodiorthosis. ibid.
Prolepsis. ibid.
Prosapodosis. 318
Prosynapantheſis. ibid.
Prosopopœia. ibid.
Prosopon. ibid.
Protimesis. ibid.
Prostaxis. ibid.
Protome. ibid.
Protozeugma, 319
Protrope. Pro-

Prupergasia. ibid.
Pysma. ibid.

Ratiocinatio in Apophasi. ibid.

Sarcasmus. ibid.
Schesis. ibid.
Solutum. ibid.
Streptolyton. ibid.
Subiectio in Prolepsi & Procatalepsi. ibid.
Syscevasis. ibid.
Sustentatio in Parodoxo. 320
Syllepsis. ibid.
Symploce. ibid.
Synathroismus. ibid.
Synchoresis. ibid.
Syncrisis. ibid.
Synchysis. ibid.
Synecdoche. ibid.
Synœceiosis. ibid.
Synonymia. ibid.
Systrophe. ibid.

Tapeinosis. ibid.
Tautologia. 321
Traductio. ibid.

Zeugma. ibid.
18. De vsu & varijs Ordinibus Figurarum. ibid.
19. De primo Ordine Figurarum:
Quæ imagines vno vel paucis verbis exprimunt. ibid.
Antonomasia & eius vsus. 322
Epithetum. ibid.
Synonymia. 323
20. De secunda serie Figurarum in illustri & & suaui genere dicendi, quibus Icones rerum efformantur. ibid.
Vani hominis descriptio, in Theophrasto. 324. plura. ibid.
Demonstratio. ibid.
Distributio. 325
Antithesis. ibid.
Oxymorum. 326
Antisagoge. ibid.
De tertia Figurarum serie, quæ sunt in Repetitione. 327
Anadiplosis, Epistrophe, Epanalepsis, Traductio, Allusio, Commutatio. ibid.
22. De quarta serie Figurarum:
Ad suaue genus dicendi pertinentium: maximè in structura periodorum. ibid.
23. De altero Ordine figurarum, quæ ad grauitatem faciunt. 328
24. De figuris in Velitatione & Certamine. 330
Sustentatio, Licentia, Communicatio, Concessio, Ironia, Epiplexis, Aposiopesis, Allegoria, Correctio. ib. & seqq.
25. De tertia parte Figurarum in Affectibus. 332
Exclamatio. ibid.
Deploratio Apum transfugarum. 333
1. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac. 336
Loci communes præcipuarum Ciceronis figurarum indicati. 338
Apostrophe, Allegoriæ, Concessiones, Climaces, Correctiones sententiæ, Cõparationes, Conuitia seu Epiplexes, Deprecationes, Distributiones, Dubitationes, Exemplorum vsus, Epiphonemata & exclamationes, Execrationes, Fictiones, Hypotyposes, Ironiæ, occupationes, seu Prolepses, Prætermissiones, & Præteritiones, Prosopopœiæ, Subiectiones, Transitiones. ibid. & seqq.
26. De Demosthenica Figurarum tractatione. 344
Interrogatio. ibid.
Synathroismus. ibid.
Prolepsis. 345
Aliud exemplum Prolepseos. ibid.
Meiosis. ibid.
Subiectio. 346
Exaggeratio cladis bellicæ. ibid.
Epiplexis. ibid.
Item Epiplexis breuis & mordax. 347
Item obiurgatio. 348
Item obiurgatio grauis & seria. 349
Item nobilissima Obiurgatio morum recentium. 350
Sustentatio. 351
Exemplum Orationis Ciuilis & Figuratæ per dialogismos & sermocinationes:
Quæ est valde practica & efficax ad sensus feriendos:
Magna in hoc genere figurarum Demosthenis felicitas. ibid.

Item Oratio plena γοργότητος, habens Epiplexin, Ironiam, Prolepsin. 352
Sermocinatio & Oratio valde Morata. 353
Παρρησία. ibid.
Deprecatio. ibid.
27. De Exarteſi Figurarum, & Figuris declamatoriis. ibid.
Epanodos, Subiectio, Subiectio cum Epiphonemate, Apoſtrophe ad rem inanimem, & Anaphora, Exclamatio, ibid. Aporia, Anaphora mixta, cum Aſyntheſi, cum Anæreſi & Antitheſi, Anaphora mixta, Diſtributio, Diſtributio cum Anaphora, Epiplexis, Aſyntheton, Homœoptoton, Conceſſio. 354
Hypotypoſis, Deſcriptio Mutilorum. 355
Gradatio mixta, cum Epanodo. 356
Interrogatio. ibid.
Ad ſignificandum fraternum odium Emphaſis. ibid. Figura conſtans obſcuris ſententijs, per Mœoſin. ibid. Epiſtrophe nobilis cum Antitheſi. ibid. Antitheſis Paralepſis cum Deſcriptione & Apoſiopeſi. ibid.
Proſopopœia cum Hypotypoſi & Riticentia. ibid.
Proſopopœia per inciſa in Affectibus. 357

Ex Libro VIII.

De Affectibus. 358
CAP. I. Affectuum vis & præſtantia. ibid.
2. Affectuum definitio, cauſa, diuiſio. ibid.
3. Affectuum ſedes, inſtrumenta ſeu vehicula. 359
Et qui ſint dæmoniaci affectus. ibid.
4. Quid ſpectandum in ijs qui mouent affectus. 360
5. Quid ſpectandum in perſonis quæ mouendæ ſunt ad Affectus. 362
6. De duabus Affectuum radicibus, voluptate & dolore, & ratione mouendi. 363
7. De Dolore, & Miſeratione in genere. Et quibus moueantur rebus: Sintne externæ ſpecies præter orationem adhibendæ. 364
8. Quæ res ad Motum adhibendæ. 366
9. De qualitate Affectuum leuium & violentorum:
Et quomodo ijs vtendum. 368
10. De immoderatis & nugatoriis Affectibus:
Deque Ariſtidis & Libanij in hoc genere erroribus. 371
11. De languidis Affectibus & ijs qui vocantur ἀπάλοις οἱ. 373
12. De mixtura Affectuum. ibid.
12. De modo & ratione mouendi. 376
13. De Remiſſione Affectuum. 377
14. De Amore:
Amoris nomen. 378
15. Amoris definitio: & de triplici Animæ motu:
Ex S. Dionyſio præclarè. ibid.
16. De quinque Amorum generibus. 380
17. De Erote & Anterote: 381
Deque turpis Amoris veſania. ibid.
18. De cauſſis Amoris in genere. 382
19. Quindecim Amoris cauſſæ in ſpecie: ex Ariſtotele. 383
De Effectu & vſu huiuſce Affectus. 384
20. Affectus Amoris exempla. 385
21. De Affectibus lætitiæ & ſpei. 386
22. De Metu. 391
23. De Odio:
Eius definitio. 393
24. De quatuor Odij generibus. ibid.
25. Cauſſæ Odij & fomenta. 394
26. De Odij concitatione & remiſſione. 395
27. De Motibus Iracundiæ & doloris. 396
28. De natura Iræ. 397
29. De Cauſis iræ: & qui ad iracundiam procliues. 398
30. De concitando Odio & Iracundia. 399
31. Quomodo à Perſonis, Rebus & Signis conciterur Iracundia.
Ex Gregorij Nazianzeni Orat. 21. in Athanaſium. 400
Ex Iuliani orat. IV. 401
32. De varietate Motuum iracundiæ, & eorum vſu:
Ac de vitioſis motibus in hoc genere. 403

33. De

33. De generosis iracundiæ motibus. 404.
Motus Irascibilis. 405
Ex Gregorij Nazianzeni aduersus Iulianum Orat. 3. ib.
34. De vastis motibus Iracundiæ: deque lenibus & moderatis. 411
35. De mixtura motuum Iracundiæ. 412
36. De odio concitando in vitia: & fictione imaginis:
Ex D. Chrysostomo Exemplum. 414
37. De Indignatione. ibid.
38. De remissione Iræ seu delinitione:
Ac de eius industriis. 416
39. Homeri Litas ad insigne delinitionis exemplum compositas. 418
Item ex Plutarcho, Liuio, Dionysio Halicarnassensi exempla. ibid.
40. De Miserationibus & lacrymis:
De varijs generibus lachrymarum. 421.
41. De industriis Miserationum: Ac primùm quid circa Personas & Res considerandum. 422
42. De concitatione miserationis per Characterismum. 423
Item de sanctis Machabæis:
Ex D. Chrysostom. homil. pag. (625.) 425.
43. De Miseratione: Per contentionem Fortunarum. 426
44. De miseratione per repræsentationem Imaginis:
Præclara in eo Sophoclis dexteritas. 428
45. De miseratione per sermocinationem. 429
Oratio Iacobi Patriarchæ, in ficta morte Iosephi:
Ex Philone, lib. de Ioseph. 430
46. De serijs motibus miserationis, &c. 430.

Ex Libro IX.

De Pronunciatione. 434
Cap. I. Actione molli & curata. ib.
2. De Actione rudi & vasta. 435
3. De Actuosa & Frigida. ibid.
4. De cantu & monotonia. 437
5. De alijs Pronuntiationis vitijs:
De Coccysmo, Brancho, Suspiritis, blæsa Nare. 438
6. De Vocis naturalibus vitijs & virtutibus. 439
7. De quatuor virtutibus Pronuntiationis. 440
8. De gestu & ritibus antiquorum in numerando & eloquendo per gestus:
Et de hoc curiosæ Astabasdæ obseruationes. 441
Ratio antiquorum putidiuscula, numerandi & loquendi per gestus. ib.
9. Variæ gestuum Naturalium significationes, ex sacris & profanis. 444
10. De gestu Oratorio. 448

Ex Libro X.

De Epidictica Oratione. 452
Cap. I. Eius ortus & character. ibid.
2. De Declamatione contra Montanum. 452
3. De genere Demonstratiuo. 454
Præcepta generis Demonstratiui. ib.
4. Laudatio Dei. ib.
Ex Maximo Tyrio orat. de Deo. 455
Expressa ex D. Gregorij, Philonis, & aliorum sensibus. 456
Ex Philone, libro, Quòd Deus sit immutabilis. 457
Ex D. Gregorio Nazianzeno Orat. 1.
Bernardi in quo genere subtilitas. ibid.
Arnobius, grandis sensibus, dictione rudis. ibid.
Ex Seneca Nat. Quæst. Procem. 458
Ex eodem 3. Natur. quæst. ca. (45.) ibid.
Philo lib. de Cherub. ibid.
Deus sedens in Cherubin:
Apud Ezech. ex figura Villalpandi, stylo oratorio reddita. ibid.
5. De laude personæ in genere:
Prudentia in laudationibus adhibenda. ibid.
6. De Argumentis & tractatione demonstratiui generis, in laude personæ. 460
7. De laude Personæ in specie. 462

Exemplum laudationis mixtæ. ibid.
Laus generis siue nobilitatis. 463
Laus corporis: Pulchritudo. ibid.
Laus agilitatis. 464
Laus agilitatis in venando. ibid.
Laus agilitatis siue strenuitatis, in re militari & campestri exercitatione. ibid.
Laus à variis artibus & scientijs:
In qua delineantur primis veluti apicibus capita quibus scientiæ & virtutes commendari solent:
Grammaticus. 465
Laus Rhetoris, siue Oratoris. ibid.
Laus Poëtæ. 466
Laus Philosophi. ibid.
Laus Medici. 467
Laus Mathematici. ibid.
Laus Musici. ibid.
Laus Theologi. ibid.
Laus Pietatis. 468
Laus prudentiæ. ibid.
Laus actionum & laboris in tuenda republ. 469
Laus Iustitiæ. ibid.
Laus Fortitudinis. ibid.
Laus Temperantiæ. 470
Laus Clementiæ. ibid.
Laus Liberalitatis. 471
Ars Panegyricorum, Nuptialium, & Natalitiarum orationum:
Ex Dionysio Halicarnassensi de Panegyri. ibid.
Oeconomia & Distributio. ibid.
De Panegyri verba Antimachi. 472
9. Præcepta de Oratione nuptiali:
Ex Dionysio Halicarnassensi: &c.
Oeconomia. 474
10. Præcepta de Oratione Natalitia:
Partes & Capita Genethliacæ orationis. 476
11. Præcepta de Epithalamijs: &c.
Oeconomia. 477
12. De laudatione Funebri. 478
13. De Gratiarum actione, &c. 479
14. De salutationibus Principum. 480
15. De laude Puerorum. 481
16. Laus Animalium. 482
17. Laus Apum. ibid.
18. Encomium Formicæ:
Ex Basilio, Hieronymo, & cæterorum imitatione expressum nostro stylo. 483
19. De laude rerum inanimarum. 485
20. Laudatio & descriptio Mundi:
Ex Theodoreto & D. Cypriano. 486
21. Laus Imperij, Regionis, Vrbis. ibid.
Copiæ, Opulentia, Opera, Situs, Munitio, Ædificia, Templa, Theatra, Balnea, Aquæductus.
Pontes, Priuata ædificia.
Villæ, Fontes, Flumina, Montes, Ager. 487. & seqq.
22. Laus Virtutum & scientiarum. 490
23. De veterum in Epidicticis orationibus artificio. 491
Laus Eteonei ex Aristide. 493
Gregorius Nyssenus in funere Pulcheriæ. 495
Laudatio mixta & concisa per frequentationem:
Ex D. Greg. Nazianzeno, orat. in D. Athanasium. ibid.
Laus Eruditionis mixta per Synathroismon:
Ex D. Greg. Nazianzeno, oratione in magnum Basilium. 496
24. Artificium & suauitas Aristidis in laude Smyrnæ. 497
25. De singulari eiusdem authoris artificio, in laude Putei. 500

Ex Libro XI.

Characteres Epidictici:
Variæ hypotyposes: ex antiquis autoribus Græcis & Latinis.
Descriptiones Hominis. 504
1. Descriptio I. ibid.
2. Corpus humanum in genere. 505
3. Caput. ibid.
Cerebrum. ibid.
4. Oculi. 506
5. Aures. 507
6. Cor. ibid.
7. Manus & digiti. 508
8. Coma. ibid.
9. Corpus humanum in specie: seu
Variæ descriptiones hominum:
Apollo:
Ex Apuleio, lib. 2.
Descriptiones Apuleij si quæ occurrent, cum summo delectu eruntimitandæ: nam hic

hic autor, quod præmonui, sæpe durus est, insolens, & supra modum putidus, &c. 509.
In quo genere descriptionum picti & florentes Græci sophistæ, & Philostratus, & Callistratus, &c.
Ex Callistrato:
10. Cupido Praxitelis. 510
11. Gentilium deorum picturæ, ex Apuleio. 511.
12. Diana:
Ex Apuleio. 2. Metam. 513
13. Dionysij statua:
Ex Callistrato in signum Dionysij. 514
14. Cærus, siue Occasio:
Ex Callistrato in Occasionis imag. 515
15. Nilus:
Ex Philostrato in Nilo. ibid.
16. Orpheus,
Ex Philostrato in Orpheo. 516
17. Citharœdus:
Ex Apul. lib. 2. Florid. 518
18. Marsyas:
Ex eodem Apuleio. ibid.
19. Memnon:
Ex Philostrato in Memnone. ibid.
20. Meleager venator:
Ex Philostrato, in Meleagro. ibid.
21. Narcissus:
Ex Callistrato in Narcisso. 519
22. Calumnia Luciani. 520
23. Melancholia. ibid.
24. Tritones, ex Pausania. 521
25. Dignitas virilis seu Theagenes. ibid.
Ex Heliod. in Æthiop.
26. Theodoricus:
Ex Sidonio Apollin. ep. 11. lib. 1. 522
27. Venustas Muliebris:
Ex Aristæneto Epist. 2. ibid.
Item ex Petronio Arbitro. 524
Aliud ex Heliod. in Æthiop. l. 3. ibid.
28. Ornatus muliebris: ex D. Greg. Nazianz. orat. 11. 525
29. De Formis:
Ex Sidonio Apollinari, epist. 13. libr. 3. Qui autor sensibus ingeniosus, stylo præfractior. ibid.
30. Virtus & voluptas:
Ex Philostrato in Apollonio. 526
31. Adulator:
Expressus ex Athenæo lib. 6. & alijs historicorum sensibus: nostro verò stylo donatus. ibid.
32. Ambitiosus:
Ex D. Cypriano: Epist. 2. lib. 1. 527
33. Superbus:
Expressus ex Suetonij Caligula, & cæteris. ibid.
34. Auarus dives:
Ex D. Cypriano, Epist. 2. l. 1. 528
35. Auarus & tenax:
Expressus ex Theophrasto, Plauto, & cæteris. ibid.
36. Elegans & blandus:
Expressus ex Theophrasto, Iuuenale & cæteris. 529
Ex Seneca.
7. Nat. 1. 530
Item lib. de Breuitate vitæ. 12. ibid.
Item ex Tertull. de vultu fœminarum. ibid.
Alia, ex Arbitro. ibid.
37. Rusticus:
Expressus ex Theophrasto, Cicerone, & cæteris. 531
38. Rumorum confictor:
Expressus ex Theophrasto & alijs. ibid.
39. Simulator: Expressus ex Theophrasto, Cornelio Tacito, & Poëtis Comicis. 532
40. Impostor:
Expressus ex Luciano, in Pseudom. 533
41. Garrulus:
Expressus ex Horatio & Theophrasto. 534.
42. Ineptus:
Expressus ex Theophrasto. 535
43. Stupidus:
Ex Theophrasto & cæteris: ibid.
44. Calumniator:
Ex Ammiano, & cæteris. 536
45. Ostentator:
Ex Cicer. 4. ad Herennium. ibid.
46. Idem:
Ex Petronio in Satyr. 537
47. Dines:
Ex Cicerone, pro Roscio. ibid.
48. Mollis & delicatus:
Ex Cic. 5. in Verr. ibid.
Molles:
Ex Catil. 2. 538
49. Mollium habitus. ibid.
Item: ex Synesio ad fratrem. ibid.
Item: Ex Arnobio contra Gentes libr. 2. de

de luxu Regis Indici : vide & Q. Curtium l. 8. ibid.
50. Improbus & Potens:
Ex Ammiano: in cuius stylo quæ obseruanda. 539
51. Rabulæ:
Ex Ammiano lib. 30. qui Rabulas describit. ibid.
52. Senatus populique Romani suo tempore flagitiosos mores describens Ammianus. 542
53. Hunni:
Ex Ammiano l. 31. 544
54. Helluo:
Ex Cic. in Verr. 545
55. Affectus: Amor:
Ex Græco Oppiani. ibid.
56. Ira:
Ex Arnobio. l. 1. 546
Auaritia: ex Chrysost. ibid.
57. Corporum amor. ibid.
58. Rabies & phrenesis:
Ex Philostrato in Hercule furent. 548
59. Inuidia:
Ex D. Basilio. ibid
Descriptiones aliquot præcipuorum Animalium: ex laudatis auctoribus: ad quarum exempla cæteræ in eodem genere conformari possint:
60. Aues:
Ex D. Greg. Naz. 549
61. Phœnix:
Ex Plin. l. 10. c. 2. ibid.
62. Aquila:
Ex Apul. lib. 1. Florid. ibid.
63. Psittacus.
Ex eodem Florid. lib. 2. 550
64. Pauo, ex Luciano. ibid.
Item ex Tertull. 551
65. Luscinia:
Ex Gesnero in Luscinia. ibid.
66. Columbæ collum:
Ex Philone, de Temulentia. ibid.
67. Hirundo:
Ex D. Ambrosio: hexam. libr. 5. cap. 17. 552.
68. Grues:
Ex eodem: l. hexam. cap. 15. ibid.
69. Apes:
Ex D. Greg. Nazianz. ibid.
70. Culex:
Ex Plin. l. 11. cap. 2.
71. Scorpio:
Tertull. in Scorpiaco: 553
72. Araneæ:
Ex Philostrato: Item ex Plinio. ibid.
73. Culex & Pulex:
Ex D. Augustino. Enarratione in ps. 148. 554.
74. Vermis Indicus: Ex D. Ambrosio: Hexam. l. 5. c. 23. ibid.
Bombyx in Ænigmate. ibid.
75. Leo: Expressus è Græco Phile Oppiani. 556.
76. Elephantus:
Ex C. Iulio, stylo historico. 557
77. Tigris:
Ex Solino. ibid.
78. Panthera:
Ex eodem Solino. ibid.
79. Chamæleon:
Ex eodem Solino. 558
Idem ex Tertull. l de Pallio. ibid.
80. Camelus:
Expressus ex Oppiano. ibid.
81. Aper:
Ex Philostrato in venatione suum. 559
82. Ceruus:
Ex Græco Oppiani. ibid.
83. Martichora:
Expressa è Phile, Æliano, & alijs. ibid.
84. Monoceros:
Expressus è Plinio, Æliano, & alijs. 560
85. Draco Indicus: Expressus ex Philostrato. ibid.
86. Canis:
Expressus ex sensibus Oppiani de Venatione, lib. 55 v. 401, Μηκεδανὸν, &c. 561
87. Prælium inter Canem, Leonem, & Elephantum, ibid.
88. Taurus:
Ex Plinio, ibid.
89. Equus:
Ex Synesio. ibid.
Item.
Ex Philostrato. 562
90. Lepus:
Ex Æliani libr. 13. de Animalibus: cap. 14. 563.
91. Vulpes piscans:
Expressa ex Olao. 564
92. Bos vnicornis:
Ex Cæsaris. l. 6. de bello Gallico. ibid.
93. Alces. ibid.

94. Vri. ibid
95. Pisces:
Cotus:
Maffæus stylo historico. ibid.
96. Balæna Tinemuthana. 565
97. Balænarum & Orcarum pugnæ:
Ex Plinij l. 9. c. 5. ibid.
97. Delphin, & puer:
Ex Plinio Iuniore. 566
98. Delphinorum & Mugilum pugna:
Ex Plin. l. 9. c. 8. 567
99. Concha:
Ex Plinio. 568
100. Concha Carinata nauigera:
Ex eodem. ibid.
101. Polypus: Ex D. Ambrosio: ibid.
Ex Plinio. l. 9. c 30. ibid.
102. Echinus: Ex Ambr. l. 5. hex. 569
103. Pompilus natans:
Ex Plin. l. 9. c. 31. ibid.
104. Descriptiones Inanimorum:
Insulæ Fortunatæ. ibid.
105. Mundus:
Ex Minutio Felice: in Octauio. 570
106. Paradisus Terrestris:
Ex imaginibus P. Richeomij. 571
107. Regiones:
India:
Ex Q. Curtio, stylo historico. 572
108. Brasilia:
Maffæus in Indica historia. ibid.
109. Taprobana:
Ex Maffæo, lib. 3. 573
110. Plaga frigidæ
Ex Curtio: ibid.
111. Plaga torrida:
Ex eodem. ibid.
112. Hortus:
Ex Philostrato in Amoribus. ibid.
Item ex Aristæneto epist. 3. 574
113. Mons:
Ex Maffæo l. 5. 575
114. Fluuius exundans:
Ex Plin. l. 8. Epist. 17. ibid.
115. Flumen Alduabis:
Ex Cæsare, lib. 1. de bello Gallico. ibid.
116. Pons in Rheno:
Ex eodem, l. 4. de bello Gallico. ibid. & seq.
117. Fons:
Ex Apuleio, in Metam. 576
118. Clitumnus fons:
Plin. l. 8. Epist. 8. ibid.
119. Fons æstuosus:
Ex Plin. Epist. 30. l. 4. 577
120. Fons Ammonis:
Ex Curtio, lib. 4. 578
121. Tempe:
Ex Æliano, variæ hist. l. 3. c. 1. ibid.
122. Elysij campi.
Ex Luciano: in vera historia, l. 2. 579. & seq.
123. Villa Iuliani:
Expressa ex Iuliano Imp. 580
124. Solitudo Torrida.
Ex Curtio. 581
125. Spelunca:
Ex Apuleio. l. 4. Metam. ibid.
126. Corycius specus:
Ex Pomponio Mela l. 1. c. 13. ibid.
127. Rupes:
Ex Curtio: 582
128. Vitis:
Ex D. Ambrosio: Hexam. l. 3. c. 20. ibid.
129. Seges:
Ex eodem D. Ambrosio, l. 3. Hexam. c. 8. ibid.
130. Palma Indica:
Ex Maffæo, l. 7. ibid.
131. Viola Martia:
Ex hist. Plantarum, Rouill. 583
132. Ocellus:
Ex Damasceno Loiolet l. 7. ibid.
133. Lilium:
Ex D. Ambrosio, c. 8. l. 3. Hexam. 584
Idem expressum ex Plinio, &c. ibid.
Lilium Persicum: Ex P. Rouillio: l. 15. ibid.
134. Rosa:
Ex D. Ambrosio. ibid.
135. Ver:
Ex Theophylacto: ibid.
136. Rus:
Ex eodem Theophylacto. 585
137. Hyems:
Ex eodem Theophylacto. ibid.
138. Tempestas: lege Curtium & alios. 586.
139. Terræ motus:
Ex Ammiano, l. 17. c. 7. ibid.
140. Diluuium:
Ex Basilio Seleuciæ oratione in Noemum. 587.
141. Paruulus in aquis suffocatus:
Ex eo-

Ex eodem autore in Moyſe. 588
142. Templum. 589
143. Domus:
Ex Apuleio. ibid.
144. Nauis:
Ex Luciano. 190
145. Scyphus:
Ex Turſellino. ib.
146. Sclopus:
Ex Mapphæo, 591
147. Venatio:
Ex Philoſtrato in Amoribus. ibid.
148. Prælium:
Ex variis autoribus. 592
149. Naumachia Bruti cum Maſſilienſibus:
Ex Cæſare, l.1. de bello Ciuili. ibid.
150. Danidis & Goliath monomachia:
Ex Baſilio Seleuciæ. 593
151. Direptio vrbis: Ex Ammiano. l. 31. 595.
152. Scenici ludi:
Ex D. Cypriano: ep.2.l.2. 596
153. Saltatores:
Ex Maffæo, l.1. ibid.
154. Conuiuia & luxus:
Ex Apuleio, l.6. Metam. ibid.
Expreſſum ex variis Græcorum & Latinorum ſenſibus, 597
155. Pancarpia venatio:
Ex Calphurnij verſibus. ibid.
156. Lucta:
Ex Philoſtrato in Amoribus. 598
157. Triumphus:
Ex Curtio, l.9. ibid.

Ex Libro XII.

De Eloquentia Ciuili:
Quæ Deliberatiuum & Iudiciale genus complectitur: 599
Cap. I. Deliberatiuum genus. 600
2. Præcepta generis deliberatiui;
Ex Veteribus ἐν τύπῳ expreſſa. 601
3. Mores iuuenum, virorum & ſenum. 602
4. Mores ſecundum Conditionem. 603
Mores plebis. ibid.
De honeſto. 604
5. De Vtili. ibid.
6. De Neceſſario, Facili, Iucundo. ibid.
7. De Argumentis & Affectibus generis deliberatiui. 605
8. De Artificio Suaſionum & Diſſuaſionum. ibid.
9. De Exhortatione & Cohortatione. 607
10. De Concitatione & Conciliatione. 609
11. De Conſolatione. 611
12. De Forma & charactere Elocutionis:
In genere Deliberatiuo. 612
13. Secunda pars Ciuilis Eloquentiæ, Genus Iudiciale. 613
14. Quæ Antiquorum circa Forum & iudicia, & cura & dignitas fuerit:
Et de ijs, Perſarum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum denique inſtituta breuiter comparata:
Iudices Perſarum. 614
16. Regum Ægyptiorum Labyrinthus & Diæteterium: ibid.
Aſſeſſores. ibid.
Iudiciorum ratio apud Ægyptios. 615
Sacerdotes Iudices:
Et de Sapphiro Veritatis. ibid.
Athenienſium Fora varia:
Et eorum ratio. ibid.
17. Romani Iudices, 617
18. De Iudice:
Ex Philone Iudæo. ibid.
19. De Aduocatis. 618
20. De ſcientia Patroni. 620
Ordo Iuriſprudentiæ addiſcendæ, ibid.
21. Corporis Ciuilis vniuerſalis partitio. ibid
22. Ratio Ediſcendi. 621
23. De forma Ciuilis Eloquentiæ. 623
24. Genus Iudiciale: de ſtatu & tractatione Cauſſarum. 627
25. De ſtatu inueſtigando:
Et de Cauſis Aſyſtatis. ibid.
26. De cauſis Cacoſyſtatis. 628
27. De ductu. ibid.
28. Diuiſio Cauſſarum: Ad imaginem ſtatuum cognoſcendam. 629
29. Alia diuiſio Cauſarum:
Petita à Genere characteris ſiue Elocutionis. 630
30. De Statu, & eius diuiſione. ibid.
Coniecturalis ſtatus & eius variæ ſpecies. ibid.
Finitiuus Status. 631
Status qualitatis, & eius duplex ſpecies abſoluta, & aſſumptiua quot modis fiat. ibid.
31. De Tractatione ſtatuum, in ſpecie; deque ſingu-

singulorum exemplis:
Ac primùm de Coniecturali. 632
Status Finitiuus & de eius tractatione. 635
Status qualitatis. ibid.
32. De Accusatione. 636
33. De Apologia & Purgatione. 638
34. De Inuectiua. 640
35. De Obiurgatione. ibid.
36. De Expostulatione & Exprobratione. 642
37. De Deprecatione. 643

Ex Libro XIII.

Characteres Ciuilis Eloquentiæ:
Generis Deliberatiui & Iudicialis Exempla:
Ex antiquis Auctoribus Græcis & Latinis: cum Notis:
Libri Institutum.
Oratio Xerxis de bello Græcis inferendo:
Inuentio tota continetur duobus argumentis: de vindicanda iniuria, & gloria amplificanda:
Dispositio nonnihil fluctuat interciſa repetitionibus: Elocutio simplex & candida, non tamen sine verbis byssinis. 645
Oratio Mardonij suasoria:
Inuentio tota pendet ab adiunctis Personarum: Dispositio naturalis:
Elocutio blanda, adulatoria, elata. 647
Artabani Oratio dissuasoria:
Inuentio ab argumentis remotis: à recentibus videlicet exemplis infelicium expeditionum:
Dispositio prudens & artificiosa: &c. 649
Oratio Sandanidis: dissuadentis Cræso bellum aduersus Cappadoces:
Character Orationis miti candore & simplicitate ornatus. 652
Oratio Philippi in senatu:
Continens suasionem belli aduersus M. Æmilium, & Lepidum: in quos atroci stylo inuehitur:
Character Philippicis Demosthenis similimus. 655
Suasio belli contra Romanos grauissima:
Oratio Galgaci.
Inuentio argumentorum à Necessario, Facili, Adiunctis Personarum: &c.
Oratio inter optimas & grauissimas: 655
Dissuasio:
Oratio Marci Valerij Coruini Dictatoris, ad coniuratos & seditiosos milites: qua dehortatur à pugna contra patriam:
Inuentio argumentorum ab adiunctis, &c. 656
Oratio M. Catonis Consulis, pro lege Oppia, contra mulierum luxuriam, 657
Oratio Lucij Valerij Tribun. plebis pro Mulieribus contra legem Oppiam:
Inuentio, &c. 660
Genus deliberatiuum: Dissuasiones:
Oratio Scythæ legati: Dissuadet Alexandro Imperij propagandi cupiditatem:
Oratio parua mole, magna sensibus, &c. 663
Oratio Nabarzanis ad Darium:
De prælio differendo, & abdicatione Imperij: vafra & callida. 665
Oratio M. Furij Camilli ad pop. Rom. de non transmigrando Veios: Vna ex T. Liuij grauissimis concionibus: Inuentio argumentorum, &c. 666
Oratio Marij ad Quirites, de se & de ea quam parabat in Africam expeditione:
Ex Sallustio:
Mirificè composita ad C. Marij ingenium oratio: Laconica, grandis, &c. 669
Oratio P. Valerij Publicolæ Consulis ad Tribunos omnemque plebem:
Argumentum.
Exules seruique, &c.
Ex T. Liuio. 672
Oratio Xerxis: Antiquum candorem minimè elaborati sermonis sapiens:
Ex Herodoto. 673

Oratio Archidami, Argumentum: ibid.
Ex Thucydide. 674
Oratio Xenophontis:
Breuis oratio, &c.
Ex Xenophonte. 675
Oratio Agricolæ: diserta in primis, &c. 676
Oratio Darij ad Milites:
Ex Quinto Curtio: ibid.
Oratio Alexandri ad trecentos milites: 678
Oratio Germanici: Conquestio & hortatio ad vindictam sceleris:
Ex Tacito: 679
Oratio Alexandri: Hortatoria ad Expeditionem. ib.
Consultationes: Consultatio de propagando imperio:
Oratio Alexandri ad Milites. 681
Oratio Pœni, ad Alexandrum, priori respondens. 682
Consultatio de Imperatore eligendo:
Oratio Perdiccæ ad Milites. 683
Argumentum: ibid.
Oratio Ptolemæi. 684
Oratio Meleagri: & qualis: ibid.
Consultatio Persarum de statu Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ.
Otanis Oratio pro imperio populari Ex Herodoto: Argumentum: ib.
Oratio Megabysi: Ex eodem Herodoto: Argumentum. 686
De Aristocratia. ib.
Oratio Darij: Ex eodem. 687
Pro Regno: ibid.
Marci Antonini oratio ad Proceres: qua filium Imperatorem renuntiat: & commendat:
Ex Herodiano:
Argumentum. 688
Commodi Oratio: in ingressu ad Imperium: Argumentum. 690
Actio parricidij nobilissima.
Ex Tito Liuio:
Argumentum. 691
Philippi Macedonis de sua liberorumque infelici conditione pronuntiatio.
Quæ oratiuncula veluti apparatus ad causam. 692
Persei accusatoris actio, in Demetrium fratrem, parricidij reum:
Status duo complectitur: &c. 695
Demetrij, parricidij rei, defensio. 695
Crateri oratio de Philotæ supplicio:
Ex Curtio: 698
Oratio Philotæ ad Milites:
Argumentum:
Ex eodem Curtio. ibid.
Oratio Iudæorum ad Petronium Præsidem, ne Caligulæ statua templo inferretur, deprecantium:
Ex Philone, libr. de legatione ad Caium. 701
Hermenigildi Apologia. 702

Ex Libro XIV.

Theoretor, sive, De sacræ Eloquentiæ Maiestate:
Præfatio. 706
Cap. I. Sacræ Eloquentiæ dignitas ex materiæ nobilitate: ac primùm quam graues sint in ea de Deo sermones. 707
2. In Angelis quoque locupletem esse dicendi materiam: 709
3. Incarnationis Christi Maiestas. 710
4. Natiuitas ipsa in tanta rerum spoliatione atque humilitate, plena dignitatis. 711
5. Persona Christi pleniſſimum maiestatis theatrum. 712
6. Passio ipsa plena Maiestatis, & magnorum argumentorum seminarium. ibid.
7. Resurrectio tota sapit dignitatem, & fœcundam habet argumentorum materiam. 713
8. Ascensio, Typus est gloriæ, & nostræ pignus fidei. 714
9. Panegyricorum sacrorum magnam & uberem esse materiam in sanctissima Virgine Maria Dei matre. ib.
10. Ecclesia, opus Christi magnificentissimum. 716
11. Quanta & quàm præclara laudationis materia in sanctorum Martyrum certaminibus, & religiosa sanctorum vitæ.

vitæ. ibid.
12. Sacramentorum Maiestas & Ordinis præcipua quædam Excellentia. 718
13. Eucharistia, Miraculum plenum magnificentiæ, & magnus Argumentorum campus. 719
14. Forum quòque esse in Eloquentia sacra omnium augustissimum. 720
16. Tantam argumentorum in sacra eloquentia maiestatem meliùs à Christianis Oratoribus sustineri qui liquidiorem hauriunt spiritum de cœlo. 721
17. Effectus sacræ Eloquentiæ planè admirabiles. 722
18. Quòd sacri Oratores sint etiam maximè Eloquentes. 725
19. Quòd Patres Ecclesiæ nonnulla etiam picto & florenti stylo scripserint. ibid.
20. Arguta breuitas D. Gregorij Nazianz. in descriptione Pauonis, Cicadæ, Aranearum:
Eodem stylo cum ijs quæ de Pauone, orat. 34. 726
21. S. Basilij in natura Formicæ disquirenda, egregia: Elegantia, & subtilitas in Descriptione. ibid.
22. S. Chrysostomi in quibus etiam orationis pigmentis delectatio. 727
23. Patrum Latinorum stylus. ibid.
24. Sermocinatio matris, filium à monastico instituto reuocantis.
Eiusdem auctoris: 728
25. In genere Iudiciali, eiusdem Authoris præclarissima oratio pro Antiochenis, de statuis, ad Theodosium. 729
26. De Mirifica Saluiani acrimonia & vi dicendi:
Ex Saluiano lecta; & hic subiectæ
De impuritate & luxuria Theatri. 732
De Carthagine luxuriante in Circo, inter armorum terrores. 734
De luxuria Troiuirorum impendente bello. ibid.
De ijs qui in summa calamitate petebant Circenses. 735
Insectatio Magistratuum. ibid.

Ex Libro XV.

De forma & Charactere sacræ Eloquentiæ. 736

Ex Libro XVI.

Chrysostomus, siue Idea:
Præfatio: 764
Cap. I. Character grauis Concionatoris. ibid.
2. Exempla istius grauitatis allata & expensa. 765
3. De alia specie Grauitatis quæ Maiestas dicitur. 767
4. De vitijs contrarijs grauitati: ac primùm de leuitate Orationis. 768
5. De siccis, 770
6. De Vehementibus qui in laudato charactere versantur. 771
7. De Lentis & deformibus quæ vehementiæ aduersantur. 773
8. De austeris quorum character non illaudatus. 774
9. De Excessu Austeritatis & agresti Charactere. 776
10. De Delicatis & Assentatorijs: & quàm periculosa sit hæc dicendi forma: ibid.
11. De Facetis: & an Facetiæ Christianos Oratores deceant. 777
12. De Suauibus & Cultis, 778
13. De affectatis. ibid.
14. De Pijs & Simplicibus Oratoribus. 779.
[14. De Pijs grauibus. ibid.
15. De Doctis. ibid.
16. De semi-doctis. 780
17. De Curiosis. 781
18. De Scholastico genere Oratorum. ibidem.
19. De Popularibus. 782
20. Chrysostomi magna mens, magnæ eloquentiæ seminarium. 785
21. Chrysostomi Pietas & consociatio cum Deo. ibid.
22. Chrysostomi Temperantia & Frugalitas. 784
23. Chrysostomi prudentia & de Concionatoribus iudicia. ibid.
24. Chrysostomi humilitas. 785
25. Eiusdem constantia & grauitas. ibidem.
26. Eiusdem zelus. 786
27. Eius ingenium & facundia. 787

28. Chrysostomi grauitas in dicendo. 788
29. Maiestas Eloquentiæ in Chrysostomo. 789.
30. Vehementia Chrysostomi. 791
31. Austeritas. 792
32. Suauitas Chrysostomi. 793
33. Chrysostomi Pietas. 794
34. Chrysostomi Doctrina. 795
35. Chrysostomi Popularitas. 796
36. Chrysostomi sacrum os post mortem loquutum, & eius mortis gloria. 798

FINIS.



DE VETERI

DE VETERI ELOQVENTIA LIBER PRIMVS.

DE OPTIMO GENERE ELOQVENTIAE, ET huius Operis instituto.

PRÆFATIO.

INOLEVIT nonnullorum mentibus nimis iniqua fortasse, sed quæ à viris nō vulgariter eruditis defensa est perpugnaciter opinio, eloquentiā naturæ, atque ingenij viribus totam potius effervescere, quàm vllis artium præceptionibus contineri. Enimuerò fateri oportet multùm in cæteris, in eloquentia verò plurimùm valere præstantis ingenij felicitatem, assidua præsertim exercitatione corroboratam, sed eam sine artis, & disciplinæ perpolitione, necesse est impingere in frequentissimos errores temeritatis: Neque enim existimandum est artium vel minimarum præcepta quædam extare eloquentiæ, quæ vna cæterarum Regina est disciplinarum, tanta temporum diuturnitate, clarissimorumque ingeniorum luce celebrata, obseruationes nullas esse, quibus in dicēdo vis, ordo, & facilitas recta quadam ratione comparari, tenerique possit: Nisi fortè inepto s fuisse iudicemus, prudentis omnino iudicij, atque acerrimi ingenij viros Aristotelem, Demettium, Fabium, qui de tota eloquentiæ ratione tam luculenter disseruerunt, quod profecto nunquam fecissent, si eam nullis præceptis contineri existimassent.

Eloquentiā non sola natura confert.

Multū obest eloquentiæ minus-

Quanquam, vt liberè fatear, multùm huic instituto nocuit imperitorum scriptorum, qui se Rhetoricos Doctores appellari voluerunt, multitudo, postquam enim grandis eloquentiæ destituti viribus, minutias quasque putidiusculè discutere cœperunt, omnia libris, & puerilibus nugis refersere.

culorū præceptorum incondita multitudo.

Longè mihi alia mens est, in huius operis molitione, statui enim omissis veteribus scholarum cantilenis, accurata illustrium authorū de optimo genere dicendi iudicia, totamq; eloquentiæ rationem clarissimis Græcorum, Latinorumque exemplorum monumentis locupletatam ob oculos ponere, quo ex omnibus ingenijs, sæculisque collecta perfectio, atque in vnum quoddam corpus transfusa, gratior manaret in publicum.

Operis institutum.

Atque in vniuersum, dicam quæ posthac explicatius à me, nitidiusque tradenda sunt, mihi in tria fermè genera, tota primum eloquentia diuidenda est, quo sit huius instituti magis declarata ratio:

Triplex eloquentia.

Prima igitur eloquentia diuina est, non illa quidem quæsita è schola, sed Dei præpotentis incitata spiritu, qui solus vel infantissimos quosque facit oratores.

Diuina eloquētia manifestat.

Hæc est verè sublimis eloquentiæ facultas, cuius vt origo cœlestis est, ita omninò admirabiles, & planè aurei fœtus extiterunt: hęc non verborū flosculis, delicatis auribus lenocinata, sed intimis sensibus cœlesti quodā ardore succensis, homines sibi subiecit, hæc Reges domuit, hæc

ciuitates, prouincias, orbem denique vniuersum, repudiatis erroribus ad Christi iugum pellexit, hæc effecit longè aliter, quàm sub fabuloso Orpheo, vt agni lupis accubarent, cùm efferatos antea Ethnicorum animos ad amorem Religionis, continentiæ, manſuetudinisque traduxit.

Origen. in Exod. 4.

Hæc eloquentia Moyses in ſacris mirificè claruit, qui ſecundum Origenis, & Diui Gregorij ſententiam, diſertus cenſebatur in primis ea quâ florent homines eloquentia, vtpotè à pueritiæ rudimentis in aula regia liberaliter inſtitutus, & nobilioris ingenij cultura perpolitus: ſed poſtquam cum Deo ſermones miſcere cœpit, iuxta diuinam eloquentiam & ſapientiam ſibi viſus eſt omnium propè infantiſſimus.

Dionyſius Longinus l. περὶ ὕψους.

Tandem in cœleſti ſchola, vel potius ſacrario diuinitus eruditus, ea literis mandauit, quæ Ethnicis, iiſque conſummatis Rhetoribus exiterunt admirationi. Dionyſius enim Longinus, qui librum de ſublimi eloquentia ſcripſit, Moyſen legens miratur in eo, non quidem inane locutionum choragium, ſed notionum (vt ipſe ait) mentis præpotentem & exaggeratam ſapientiam, *τό κράλεσον, καὶ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπήβολον*, hæc inquit excellentia præſtabat ὁ Ἑβδαίων θεσμοθέτης οὐκ ὁ τυχὼν ἀνὴρ ἐπειδὴ τῶν τοῦ θείου δύναμιν καλῶς τοῦ ἄξιον ἐγνώρισε καὶ ἐφρύνεν, *Iudæorum ille Legislator non fuit vir de triuio, qui numinis virtutem pro dignitate cognouit, & verbis explicauit.*

Longini Rhetoris de Moyſis eloquentia iudicium.

Nicetas in Andren.

Hæc eadem eloquentia vigebat Dei fulmen Eſaias, & D. Paulus, quem Διερμήνευτον Nicetas appellat; nimiſque humili nomine Mercurium Lyſtrenſes dixerunt. hic non blandis, & pictis locutionibus, ſed Dei virtute, & ſcientia, ea geſſit, & dixit, quæ ſcimus, ac legimus, in quibus plus eloquentiæ ſubeſſe arbitror, vel in vna ſententia, quàm in toto græcularum periodorum apparatu. Hæc eſt enim lingua Angelorum, quam ita appellatam ab Apoſtolo conſtat, non quod Angeli linguas habeant, vt annotat Theodoretus, ſed vt quoddam, quod humanis linguis excellentius eſſet, indicaret, & hanc de eloquentia ſententiam imbiberat Homerus Il. ξ. hoc verſiculo,

χαλκέα κικλήσκουσι θεοὶ, ἄνδρες δ᾽ Κόμιδιν.

vbi alia Deorum, alia etiam hominum verba innuit. Hæc infundentis Dei donum eſt, minimè ad artis præceptiones reuocanda.

Secunda eloquentia heroica eſt, ſiquidem ſupra commune dicendi genus eloquentes ἥρωας nominat Longinus. Atque vt heros dicebatur ex homine, & Deo conflatus: Ita hæc eloquentia non infuſa quidem, ſed ſimul humanis adiuta præſidijs, ſimul meliori quodam cœli vbere irrigata, ad ſummam pulchritudinem efloruit. Talis eſt eloquentia Patrum, vt DD. Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Chryſoſtomi, Cypriani, & cæterorum, qui cùm à puero animum ad eloquentiam adieciſſent, poſtea cœleſtibus auctiriuis, quaſi magni torrentes, in mirificam Eccleſiæ vbertatem, fœcunditatemque exundarunt.

Eloquentia heroica.

ἥρωας in dicendo qui ſunt eloquentia humana auguſtiore præditi.

Tertia, humana quidem illa, ſed virilis, ſapiens, excelſa, plena virium, ſucci, ſanguinis, & venuſtatis, qualis Demoſthenis fuit, aut Ciceronis, & ſuperiorum Oratorum, qui caſtius, accuratiuſque dicendi genus conſectati ſunt.

Huius ego grauitati puerilem, quæ nunc eſt in multis, loquacitatem non annumero, plenam vanitatis, & futilium propè deliramentorum. Euenit enim, vt qui propter pectoris anguſtias hoc ſublime dicendi genus generoſæ mentis fœtum non ſatis capiebant, leues homines, & græculi, toti ſe ad literarum aucupia, phraſes, & periodos conferrent, Non ſecus ac pueri, qui cum auri, & margaritarum pretia neſciant, pictos in littore calculos legunt, iiſque mirificè delectantur. Non eſt iſta, non eſt quæ à multis putatur eloquentia, textus phraſeon, & ſcitè tornatus periodorum circulus. Magnæ flumen eſt mentis eloquentia, quæ rebus & ſenſibus magis conſtat, quàm verbulis: ſed vt horti, qui vocantur Adonij in teſtulis pendentes è feneſtris, eos, qui liberiorem aëris copiam non habent, humiliter oblectant: ſic iſtis veluti puerilibus delinimentis innutriti, veræ eloquentiæ magnitudinem, nec mente quidem attingere potuerunt. Omiſſis igitur his nugis grandem eloquentiam, tum heroicam, tum humanam exequemur, atque vt in foro, in ſcholis, in ſacris denique concionibus potiſſimum elucet, de ciuili, declamatorio, concionatorioque genere, poſtquam vniuerſè de eloquentia dixerimus, ſatis copioſè diſſeremus.

Eloquentia puerilis eloquentiæ ſimia.

Iulianus in Ceſaribus vocat Adonidis hortos.

ἐν ὀστρακίοις γὴν λαχανίαν.

Ordo librorum.

De

De Eloquentiæ dignitate.

Dei, animi, & eloquentiæ similitudo.

CAPVT I.

Eloquens Deus quidam inter homines, apud Cic. 3. de orat. num. 50. quod Plato dixit Θεὸν ἐξ ἀνθρώπων.

EST verè eloquentia semen cœli, & ex æterni luminis fonte delibatus radius, quo qui cœteris excellunt, propiùs ad cœlestes accedere, & cum ijs mai us quoddam videntur habere commercium.

Dicam clariùs & illustriùs: Quam habet cum Deo affinitatem mens humana, hanc ipsam cum mente sibi vendicat Regina terrarum eloquentia.

Animus simulachrum Dei est, Deus animus est, eloquentia diuina est. Quod est Deus in mundo, animus in corpore, hoc eloquentia in vita ciuili. Ille segregatus est ab omni concretione mortali, hic totus spiritus est, eloquentia eximiæ mentis soboles non obscura. Ille videt omnia, nec videtur, hic cernit omnia, nec cernitur, eloquentia capit omnia, nec satis capitur. Ille quasi ventorum cursibus, hic amoris pennis influit; at Suadæ tota vis affectu tanquam vehiculo rapitur, & permeat in pectora. Ille per omnes Vniuersi plagas diffusus est, hic per omnia corporis membra distributus, omnes verò artes, & disciplinas communi quodam vinculo complexa perlabitur eloquentia; ille regiam habet in cœlo, hic in corde, isthæc in mente: illum superi colunt, manes obseruant, voluit orbem, illuminat solem, regit mundum, calcat inferos; huic supremæ corporis partes obtemperant, famulantur infimæ, caput neruis, quasi fidibus intentum mouet, oculorum lumen accendit, flectit corpus, in membris omnibus dominatur; eloquentiam verò timent Reges, reuerentur subditi, frænat hominum voluntates, illustrat ingenia, administrat ciuitates, atque inferiora se despicit omnia.

Multas quidem artes, aut à brutis animantibus effingimus, aut eas cum ipsis habemus communes (nihil de figulis, cæmentarijs, clinopegis, architectis loquor) etiam voce & fidibus canere, lanas inficere, telas texere, medicinam facere, bella gerere, imperia administrare, belluarum exemplo edocemur: At vero dicere (quod est copiosè, ornatè, & sapienter loqui) totum illud, quod per se magnum est, totum nostrum est; in huius laudis societatem non mutæ pecudes sese offerunt; Angeli ipsi nostrum palmarium confitentur, qui si humani corporis compagibus essent inclusi, credo, hac de re nobiscum certarent.

Quapropter Deorum inuentum eloquentiã antiqui crediderunt; & Græci quidem Mercurio, quem λόγου προφήτην, Orpheus nominat; Galli suo Herculi Ogmio adscripserunt; melius, qui Deo scientiarum fonti acceptum referunt.

Orpheus in hymno Mercurii τὸν Ἡρακλέα οἱ κελτοὶ ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ ἐπιχωρίῳ. Lucianus.

De Eloquentiæ Pulchritudine.

Comparatur cum Pantarba lapide.

CAPVT II.

Vide Cic. l. 2. de Orat. n. 34. Philost. in vita Apoll. l. 3. c. 14. Pantarbæ descriptio.

ATque cùm tanta sit eloquentiæ dignitas, certè non minor est pulchritudo, & suauitas, quæ barbarorum sensus incredibili quadam voluptate titillat. Occurrit hic mihi, quod de Pantarba narrat Hiarchas, apud Philostratum.

Lapillus est vt pulchritudine insignis, sic virtute admirabilis; ardet enim suaui quodam fulgore, & radijs perstringens oculos, diem vel media nocte accendit: at, quod mireris, idipsum lumen spiritus est, adeò efficax, vt longius disiunctos inter se lapides conciliet: & quantum illa vis (quæ satis oratione explicari non potest) diffunditur, tantum obtinet imperij, aceruosque lapidum non secus, ac apum examina pertrahit. Verùm natura, ne tam preciosum munus vilesceret, non modò occultis terræ visceribus abdidit, sed & facultatem indidit, qua ex captantium manibus effiueret, nisi prouida ratione teneretur.

Quæ omnia mirificè eloquentiæ conueniunt: si lux quæritur, quid illustrius? si vis, quid potentius? si latebræ, quid occultius? Ipsa enim non modo lucida est, sed eos in quibus dominatur, scientiæ claritate perfusos, magni quoque nominis celebritate nobiles facit: tantùm autem habet virium, vt miti quodam dominatu sese insinuet in pectora, quæ nullæ aliæ machinæ potuissent expugnare, (sed hoc grande, neruosum, magnisque affectibus incitatum orationis genus, non est omnibus in promptu:) tantis eius, vt cæterorum omnium, eximiam pulchritudinem difficultatibus, non secus ac rosam spinis, natura vallauit.

De vtilitate Eloquentiæ.

CAPVT III.

QVÆ duæ res in ciuili vita plurimum possunt, Ars militaris, & Doctrina, eloquen-

quentiæ operâ non mediocriter indigent. Et quod ad militiam quidem attinet, quantùm ab eloquentia subsidij capiat, testis est Onesander, qui inter vndecim boni Imperatoris conditiones, eloquentiam vel præcipuam numerat: Hinc enim (inquit) maxima, præcipuaque in exercitum commoda deriuantur; siquidem Imperatoris vehementi concione, erecti, excitatique milites, ardua quoque, & formidolosa excipiunt, ac propositam in laudem, victoriamque acriter decertando conspirant; nec ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, & irritant, vt hortatur ad virtutem & gloriam oratio, vigorem mentis ad obiecta pericula erigit, imò & metu conterritos, peneque iacentes constanti roborat hortatione. Quamobrem perspicax ille cæcus, vatum parens, eloquentiam in ducibus tantoperè commendat, cum Menelai suauitatem, Nestoris flumen melleum, Vlyssis vim & grauitatem celebrat: nec dubium; quin heroicis temporibus Imperatori plurimum splendoris attulerit ratio quædam, & industria dicendi, quod in dies apud Græcos, & Romanos, maioribus vsque adeò manauit incrementis, vt rari essent Imperatoris eloquentiæ ciuilis imperiti: Eloquentiam ciuilem dico; neque enim Imperatorem velim affectare genus dicendi politum, ex schola, & Rhetorum flosculis illigatum, sed magnum, vehemens, excelsum, quod optimi ingenij viribus incitatum, nonnihil ab arte, summorumque virorum limato iudicio, vsuque Reip. & quotidiana disertorum consuetudine capiat expolitionis.

Onesf. l. 2. de Imper. Eloquentia arti militari perquam necessaria. οὐκ οὕτως ἀνηχαῖς ἐνηχοῦσα σάλπηξ ἐγείρει ψυχὰς εἰς ἅμιλλαν μάχης ὡς προτροπὴν ἀρετῆς.

De concionatoribus & iurisperitis, quorum splendor inter literatos est maximus, nihil attinet dicere, norunt omnes quantum in eloquentia præsidij situm, atque collocatum habeant. Non ita genus igneum tranans omnia, cæteras vniuersi partes arcanis viribus incitat, vt omnes artes, & disciplinas accendit vis dicendi, sine qua eas non modò languescere, sed & penitus contabescere necesse est.

Accedat ad hæc Cornelij Taciti præclara authoritas, qui in dialogo de claris Orat. sic loquitur: Eloquentia parat simul, & tuetur amicitias, asciscit nationes, complectitur prouincias; qua non aliud in ciuitate nostra ad vtilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad vrbis famam pulchrius, vel ad totius imperij, atque omnium gentium notitiam illustrius excogitati potest: nam si ad vtilitatem vitæ omnia consilia, factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius, quàm eam eligere artem, qua semper armatus, præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, inuidis verò & inimicis metum, & terrorem vltrò feras, ipse secus, & velut perpetua quadam potentia, ac potestate munitus, cuius vis & vtilitas rebus propè fluentibus aliorum præsidio intelligitur: sin proprium periculum increpuit, non (hercule) lorica, aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo & periclitãti præsidiũ, & telum, quo propugnare pariter, & lacessere vel in iudicio, siue in Senatu, siue apud principem possis.

Alij Quintiliano tribuũt.

De vi Eloquentiæ.

CAPVT IV.

Conciliatricula res, & efficax capiendis illigandisque animis eloquentia, vbi præsertim ad sapientiam, vitæque integritatem comes accesserit; huius enim velut subnixa pennis Oratoris anima in ipsa auditorum pectora influit, & gratissima omnium seruitute sibi mancipat, quæ simul atque ingressa est, quid non efficit? Inflammandi sunt animi? In ignem accenditur; pungendi? in stimulos acuitur; illustrandi? funditur in lucem; consolandi? spargitur in Nepenthes; compescendi? frænum est; sanandi? Panacea est deliniendi? fit Sirenula: dici non potest quot sunt lenocinantis facundiæ mites præstigiæ: quot & quam admirabiles effectus.

Haud errarit quisquis, qui cum Philone Iudæo, eloquentiam ἑλέπολιν τῆς ψυχῆς dixerit.

Philo in libro quod vir bonus idem sit & liber.

Certè Iulianus Imperator illam cum Mercurij virga non inscitè comparat. Hæc

Increpuit? tacet omne pecus, volucresque, feræque.
Et simulant fessos curuata cacumina somnos,
Nec trucibus fluuijs idem sonus occidit horror
Æquoris, & terris maria acclinata quiescunt.

Iulianus ep. 2. ad Iãblicum, pa. 158. epist. Græc.

Vis suauis eloquentiæ potentiam? agnosce in Aristide: Smyrna Ioniæ ciuitatum pulcherrima, sub M. Antonino, terræ motu miserandum in modum collapsa, prostrataque iacebat: Aristides verò monodiam ad Imperatorem scripsit, vt ad miseræ ciuitatis ruinas refarciendas inuitaret: vbi post descriptã vrbis antea florentis pulchritudinem, locum illum pertexuit νῦν δὲ ζέφυροι ἐρήμην αὐτὴν καταπνέουσιν

Stat. in Sylua, ad somnum, l. 5. syluar. Philost. in Sophistis. Arist. in ora ad Antoninum.

nunc

nunc autem desolatam perflant zephyri, Antoninus ad hãc vocem suspirijs, & lachrymis suum testatus dolorem, continuò Theodosio Asiæ præfecto mandauit, vt Smyrnam repararet.

Vis callidam, & heroum expugnatricem Suadam ingenioso ipsius Oratoris stratagemate gliscentem? Lampsacenos statuerat Alexander, quod Persis studerent. funditus euertere, iamq; erat in procinctu ferro. & furore incitatissimus, cum ad eum à suis municipibus missus est Anaximenes (magni illius Alexandri præceptor,) vt culpam deprecaretur, quo cognito Rex in iracundia persistens, iurauit se Anaximenis precibus omnia contraria facturum; At egregius orator furentem iuuenis animum subdolè mitigans. Non veni, inquit, Alexander vt putas, deprecator culpæ, sed auctor rustitiæ; iniquè egerunt Lampsaceni, rei sunt Maiestatis: hoc igitur à te postulo, vt eorum vxores, & liberos sub corona vendas, templa incendas, vrbem in plana submittas. Alexander, qui se præceptoris petitioni aduersaturum per omnia dixerat, sensit se captum, & subridens omnia condonauit.

Eunapius in Aedesio. Sapores vt Eustathij eloquentia delinitus.

Vis Præstigiatricem? Eustathium intuere, cuius meminit Sardianus in vita Ædesij, vbi de Eustathij legatione ad Saporem, copiosius agit. Sapores homo imperiosus, & aditu difficilis erat, & fama ferebatur; postquam tamen de more legationis, Eustathio ad regem patuit accessus, vultus modestiam, suauemque oculorum serenitatem Sapores demiratus, varijs artibus hominem timore percellere conatus est: verùm vbi placidis auribus viri dicta pariter & argumenta modestè, atque expeditè percursa concepit, foribus excedere illum paulisper iussit, mox per cubicularios ad communem mensam rex illum introuocat, paret Eustathius, vt erat natura factus ad obsequij momenta, & omnem rationem humanitatis, ad epulas regales accedit, vbi cùm de honorum contemptu inter pocula disseruisset, tantum regiæ fortunæ, & ornamentorum Sapori fastidium iniecit, vt parum abfuerit, quin Rex riaram rectam abiecerit, & cum purpureo paludamento, gemmata monilia deposita cum Eustathij penula commutarit: at fieri illud prohibuerunt affinitate coniuncti, qui Philosophum merum præstigiatorem dictitabant.

Hac eadem eloquentia C. Gracchus lacrymas inimicis excussit, bella indixit Demosthenes, Catilinam fregit Tullius, Sicariorum enses in suum iugulum districtos hebetauit Antonius, vrbes cepit Cyneas,

Per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa,
Potentius ictu fulmineo,

De ortu & progressu Eloquentiæ.
CAPVT V.

ORIGO Eloquentiæ antiquissima est, siquidem cum oppidis hominumque cœtibus iure congregatis habuit initium: Cum constet duabus potissimum rebus vinciri ciuitates, iustitia, & sermone. Narrat Aristides magnam inter ipsius mundi nascentis cunabula rerum perturbationem extitisse. Cum hominem nudum, & inermem vniuersa penè animalia multis partibus anteirent, varijsque molestijs, atque angoribus, quibus ipse præ consilij inopia cedere cogebatur, excruciarent, ipsi denique homines inter se, belluarum more, fœdissimè tumultuarentur.

Aristid. orat 2. pro Rhet. Apologus Lepidus.

Hanc conditionem miseratus Prometheus ille fabulosus, cœlum conscendit, vt subsidia salutis, & ornamenta referret dignitatis. Quapropter eius gratia partim delinitus Iupiter, partim etiam hominum miserijs (vt qui quotidie dilabebantur) grauiter commotus, Rhetoricam sub comitatu Mercurij misit in terras, iussitque vt eius ipsius copiam faceret mortalibus, ne tamen instar theatralis pecuniæ promiscue largiretur omnibus, sed lectissima quæque, & generosissima ingenia deligeret, quæ tam præstantis doctrinæ opibus ad suam, multorumque locupletaret vtilitatem. Hinc primi hominum cœtus, industriæ, consilia, machinationes, artes, opesque floruerunt.

Hanc ille lepidissimam fabellam citat, vt Rhetoricę antiquitatem, necessitatemque commendet. Constat certè Rhetorum nomen antiquissimum esse, & longè ante Philosophorum appellationem: quippe Homerus eius ipsius meminit Iliadis primo, vbi Phœnicem Achilli à Peleo patre admotum, quasi doctorem eloquentiæ, morumq; moderatorem innuit, & expresse, ῥητηρα μυθων, πρηκτηρα τε ἐργων nominauit Quin eius temporibus, iam caluisse in concionibus eloquentiæ studium ostendit, cum heroes illos antiquos ob linguæ facultatem efferat laudibus. Nam Menelao argutam breuitatem, Nestori melleam suauitatem tribuit, Vlysi vero copiam niuibus hibernis simillimam, ἔπεα scilicet νιφάδεσσιν ἐοικότα χει-

Homerus ιλ. α. Rhetorum nomen antiquissimũ.

Phœnix ab Homero dicitur.

Paris Rhetor.

χαμερίησιν, sed & ipsum Paridem volunt, vtpote ingenio satis elegantem in Amandro, Patris iussu Græcis artibus, & eloquentiæ disciplinis institutum, disertum imprimis supra gentis suæ ingenium euasisse, atque in hominem Veneris, Cestoń, cæteraque id genus (si Athenæo credimus) scripsisse, vnde postea de iudicio Dearum, & Veneris victoria, manauit rumor. Pithæum quoque ipsum maternum Thesei auum Trœzeniorum regem, non modo ius, vt eius dignitatem decebat, constanter dixisse, sed & artem dicendi docuisse, & librum Rhetoricum posteris reliquisse refert Pausanias in Corinthiacis, ex quo, & eius monumentum cernebatur, Tribunal ex albo marmore, tribus sellis iudiciarijs insigne, cui proximum adhærebat templum Musarum, vt iuris, & humaniorum artium singulare ostenderet commercium ὄπισθεν δὲ τοῦ ναοῦ πισθέως μνῆμά ἐστι τρεῖς δίφρα· αὐτῷ θρόνοι κεῖνται λίθου λευκοῦ οὐ πόῤῥω δὲ ἱερῶν Μουσῶν ἐστι, addit ἐνταῦθα πιτθέα διδάξαι λόγων τέχνην φασὶ καί τι βιβλίον πιτθέως δὴ οὐ γράμμα ὑπ' ἀνδρὸς ἐκδοθὲν ἐπικυρίου, καὶ αὐτὸς ἐπελεξάμην. Hæc ille, ex quibus colligas ante Herculis tempora iam sparsos de Rhetorica libros extitisse.

Pithæus Rex idem & Rhetor. Paus. in Corinth. p. 113.

Pithæi egregium monumentum. Tribunal Iudicis annorũ templo Musarũ, hoc est, Schola Rhetoricos.

Sed quia hæc artis elementa, vt credibile est, erant crassiora, vix inter ipsius Rhetoricæ cunabula numerantur. Quamobrem Cicero in Bruto eloquentiæ ortum facit ab Athenarum adolescentia. Eloquentia, inquit, non apud quosuis Græcorum cœpit, sed apud Athenienses non nascentibus, sed iam adultis Athenis: Ante Periclem, & Thucididem litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris esse videatur; Periclem Xantippi filium Anaxagoras Philosophus erudit, cuius suauitate hilaratæ sunt Athenæ, eius vbertatem, & copiam admiratæ, eiusdem dicendi vim, terroremque timuerunt.

Cic. in Bruto.

Hæc igitur ætas prima oratorem propè perfectum tulit. His ducibus eloquentia excoli cœpit, & magistri dicendi multi subitò extiterunt.

Gorgias Leontinus, Trasymachus Calcidonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hittias, Elæus, Isocrates tamen omnes vicit, & Lysias, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere: Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum desit Demosthenem facilè dixeris, huic Hyperides proximus, & Æschines fuit, & Lycurgus, & Dinarchus, & cuius nulla scripta extant Demades. Hæc enim ætas effudit hanc copiam: & succus, & sanguis incorruptus vsque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis esset non fucatus nitor. Hæc Cicero, quæ si cum Pausaniæ, & Athenæi testimonijs compares, facilè colligas eum non ipsius eloquentiæ primordia, sed expolitionem, perfectionemque assignare. Verùm cum de rerum initijs sermo est, ab ipsis cunis sunt repetenda, nec considerandum, an tunc ornatum habuerint. Nihil enim politum est, & natum, sed rudioribus principijs omnia natura ipsa rerum opifex pertexuit.

De Nomine Rhetorum.

CAPVT VI.

PRimum Rhetores dicti sunt omnes, qui qualicunque demum dicendi facultate pollebant: quo sensu Phœnicem ab Homero Rhetorem nominatum constat; & ῥητορικὴ ipsa est ars dicendi, ac eloquẽtia nuncupata, ἀπὸ τοῦ ἐρεῖν, quod est dicere, aut ῥύδην λέγειν, fusa oratione loqui, quod annotat magnum etymologicum, vel etiam ἀπὸ τῆς ῥήτρας (ita legem Dotes appellant) quod Rhetores olim leges proponerent, & conderent: verum quod contracta videretur ad forenses orationes Rhetoricæ nomẽclatura, vt testatur Suidas, qui ῥητορικὴν, vocat γραφὴν ἣν ἠγωνίζοντο ῥήτορες, Sæpius eloquentes in genere δεινὸς ἐν λόγοις, & eloquentiã ipsam λόγους potius, quam ῥητορικὴν magni authores nuncupant; ita Diuus Gregorius, λόγων ἱδρῶτας, dixit labores in eloquentiæ studijs positos, & Iulianus ad Libanium Sophistam λόγους, φρένας, σύνεσιν, coniungit, eloquentiam significans prudentiæ sale conditam. Hæc prima Rhetoris appellatio.

1. appellatio Rhetores omnes diserti.

Magnum etymol. in voce ῥήτωρ, ῥήτορας.

Suid. in voce ῥήτωρ.

Gregor. Naz. epist. ad Basil. Iulianus ad Liban.

Mox, cum diserti illi, & facundi homines Athenis maximè, què vrbs eloquentiæ fuit domicilium, omnia regerent, & pro arbitrio concionum fluctus moderarentur, bella conficerent, exercitus, naues, commeatus, vectigalia, leges denique, & iura omnia administrarent: speciosissimum fuit nomen Rhetorum. Nam ῥήτορες, vt testatur Suidas, ijdẽ erant, ac δήμου σομβουλεύοντες, & δημαγωγοὶ,

2. Rhetorũ appellatio. Rhetores duces populi.

Suid. in voce ῥήτωρ.

Prin-

Rhetores duces populi.

Principes, Consiliarij, duces populi. Is erat Rhetorici nominis splendor, hæc potestas: cum cæteri literati, & Philosophi, inter schokæ parietes delitescerent. Itaque cum illi honore, & opibus florerent, nobilissimi quique iuuenes dicendi studium ardētissimè capessebant, quod ad Reipublicæ gubernacula moderanda, hanc sibi ansam potentissimam esse cernerent. Inde nati sunt Rhetores, vmbratilis scilicet eloquentiæ doctores, qui cum ipsi à foro, & negotijs ciuilibus abstinerent, cæteros tamen ad id exercitationis genus instituendo, eam inter scholæ priuatos parietes gloriam plerique aluerunt, quam in hac forensi luce, & concionum honoribus rari postea sunt consecuti, quod de Isocrate, & Demetrio Phalereo testatum accepimus. Qui inter eorum cœtum ceperunt artificiosæ orationis, sermonumque illecebras quasdam, & veluti sirenulas, (vt Græci vocant) affectare (quarum famosissimus architectus fuit Gorgias Leontinus (illi ῥήτορες σοφισταὶ) sunt nominati, vnde Lucianus dixit in Mactobijs, Gorgiam Rhetorem fuisse, ex ijs quos sophistas appellāt, ῥητόρων ὃ Γοργίας ὃν τινες σοφιστὴν καλοῦσι. Qui quidem initio apud sobrias adhuc aures malè audiebant, propter hæc noua delectationis aucupia. Itaque Plato in Symposio τὰ ῥήτορα φαρμακέα, καὶ σοφιστὴν confundit.

3. Doctores eloquentiæ & Sophistæ.

Lucianus in Macrob.

Plato in Symposio, Sophistas cum veneficis confundit.

Postea verò, cùm sub Imperatoribus illi popularium concionum torrentes exaruissent, & omnes omnium ad aurium delicias sermones essent conuersi; magno in honore Sophistæ, hoc est, illecebrosæ illius eloquentiæ doctores fuerunt. Hinc illa Herodum Atticorum, Proæresiorum, Aristidum, Philostratorum, Libaniorū, infinitorum denique natio pullulauit, quos fœcundo lasciuientis eloquentiæ partu hæc tempora effuderunt. Plerique autem ita scholastici illius regni amantes extiterunt, vt præ docendi munere prouincias, & principatus recusarint, inter quos fuit Libanius, qui locum Prætorij præfecturæ à Iuliano oblatum, pæne vehementi otij literarij dulcedine respuit. Audiebantur enim & præmijs decorabantur ab Imperatoribus, qui malebant homines ingeniosos inter hos eloquentiæ ludos alere, quam obstructam ad publicas conciones, & populares fluctus viam aperire.

Extincta igitur libertate, illi, qui prius erant ciuitatis principes magni nominis Rhetores, aut causarum illustrium disceptatores, in causularum litigiosos actores degenerarunt, & ea est acceptio ῥήτορος apud D. Lucam cū productum memorat Tertullum ῥήτορα, qui aduersus diuum Paulum coram Felice præside causam ageret (is quippe causidicus erat.) In hac apparet actione quàm ieiuna sit, & macilenta humana eloquentia, cum diuina comparata, & quo spiritus fulmine Rhetoris illius machinationes Paulus στοιχήτωρ demoliatur.

Luc. Act. 24. Rhetores Causidici.

Ad summum, vt omnia paulatim deflectunt in peius, illa Doctorum eloquentiæ gloria, quæ prius florentissima extiterat, in viles Rhetorculos defluxit, qui se *Rhetores Latinos* appellabant; quales illi fuerunt, quos decreto Senatus constat esse damnatos, homines ineptè fallaces, vt qui frigidas quasdam Græcularum tabularum versutias, & stolidam facundiam iuuentutem docerent. Itaque Fannio Strabone, & M. Valerio Messala Consulibus, M. Pompeius Prætor Senatum consuluit. Quod verba facta sunt de Philosophis, & Rhetoribus, S. C. de ea re ita censuerunt, vt M. Pomponius Prætor animaduerteret, curaretque, vti ei è Repub. fideque sua videretur, vti Romæ ne essent. De ijsdem interiecto tempore Cn. Domitius Ænobarbus, & Licinius Crassus Censores ita censuerunt. Renunciatum nobis est, esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat, eos sibi nomen imposuisse, Latinos Rhetores, ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Maiores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc noua, quę prętер consuetudinem, ac mores maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & ijs, qui eos ludos habent, & ijs qui eò venire consueuerunt, visum est faciendum, vt ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.

Pseudorhetores damnati.

Sueto. in lib. de claris Orat.

Hæc in pseudorhetores, qui pro vera eloquentia Dialecticorum argutias, fallaciasque venditabant. Rhetoris tamen appellatio, ex eo tantum fuligine contraxit, vt Latini se Oratores, & Patronos, non Rhetores appellari voluerint. Addo in honorem nominis, in Ecclesia Græca dictos quoque fuisse Rhetores, sacrarum literarum interpretes, quod illustrat Cotinus de officijs, ὁ ῥήτωρ εἰς τὸ ἑρμηνεύειν τὰς γραφάς.

Rhetores dicti sacrarum scripturarum interpretes.

DE

De honoribus Rhetorum.

CAPVT VII.

INgeniosè, vt cætera Lucianus, in eo quem de Rhetorum doctore inscripsit dialogo, Rhetoricam suis depingit coloribus. Sedet illa in eminenti solio, formosa aspectu, & planè elegans, Amaltheæ cornu gestans, varijs fructibus refertum, & ex vna quidem parte astantem ostendit Plutum, adolescentem penitus aureum, ac per quam amabilem, quem Gloria, & Potentia, cæteræque id genus Diuæ frequenti stipant comitatu: ex altera vero parte *laudes* permultæ pusillis amoribus similes, ac vndique confertæ circumuolitant instar. Nili, si quandoque illum depictum vidisti, crocodilo alicui, vel equo fluuiatili, quales multi sunt in eo, insidentem: paruulos autem puellos (Peches illos Ægyptij vocant) circa illum lusitantes: Tales & circa Rhetoricam *laudes*. Hæc ille: ex quibus ostendit totius penè honoris domicilium in Rhetoricæ, siue agentis, siue etiam docentis gremio fuisse constitutum.

Rhetorica pictura. Defensio Rhetoric. apud Photium ex Aristide p. 675.

Primùm, sicut Imperatorum honoribus laureæ sunt peculiari quadam ratione consecratæ, vt canit Ouidius in persona Apollinis, ad Daphnem:

Tu Ducibus latis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

Rhetorum palma. Ouid. 1. Metam. Et Rhetorum quoque τρίζουσι φοινικοῖ, φασὶ δὲ τῶν φιλοσόφων, vt est in Cyrilli lexico. Lucianus in Rheto. doctore.

Sic etiam palmæ Oratoribus destinatæ, quarum meminit Martialis epig. 27. libr. 7. ad Fuscum.

Sic fora mirentur, sic te palliata laudent,
Excolat & gemmas plurima palma feres.

Et Lucianus in Rhetorum Doctore εἰ φοίνικος ὃ ἐπὶ τῶν θύρα χλωρὸς ἐστεφανωμένος. Hæc autem ratio honoris fuit, quod palmæ olim chartarum vicem præstiterant, ex quo Oratoribus deberi credebantur, qui literaturæ omnis auctores, & principes haberentur: siue etiam quod palma victoriæ semper insigne extitit, ideoque victricem, & dominam, perquam opportunè decebat eloquentiam: an etiam quod palmæ trecentæ, & sexaginta quinque ab Ægyptijs numerentur virtutes, ideoque fuit symbolum eloquentiæ, cuius infinita vis, innumeræque vtilitates in hanc vitæ ciuilis culturam emanarunt.

Sphinges.

Alterum eloquētum symbolum fuere Sphinges. Neque enim sine ratione aliqua credibile est, datam Hortensio oratori à Verre Sphingem eburneam, nisi quod conueniens munus oratori credebat. Meminit Plutarchus in Ciceronе, Καὶ λαβὼν ἐλεφαντίνην σφίγγα μικρὸν εἶπεν ὁ Κικέρων πρὸς αὐτὸν τὸ φάσκειν, ἀνιγμάτων λύσεων ἀπείρως ἔχειν: καὶ μὲν ἐπὶ τῆς οἰκίας τὴν σφίγγα ἔχεις. Ratio est, quod σοφὴ παρθένος per antonomasiam sphinx appellatur ab Euripide in Phœnissis, & in mysterijs Ægyptiorum inferioris sapientiæ fuit symbolum, ex quo pro templorum fermè omnium limine cernebantur sphinges, quæ diuinæ sapientiæ vim reconditam, eamque multis difficultatibus implicitam significarent. Meminere Strabo geograph. & Plutarch. in Iside, & Osiride.

Strabo geog. l. 17.

Tertio attributæ etiam oratoribus Sirenes, quod ea, quæ in Isocratis tumulo est collocata, satis indicat; idque ob melleam orationis suauitatem. Nam Syrenes λιγυρὸν, ὅπα γηρύσασι, apud Orpheum; vnde à Lycophrone in Cassandra ἀρχεγόνοι ἀηδόνες, nominantur, & ab Alciphrone dicuntur habere Sirenulas in labellis, qui suauem, & argutam Orationis copiam fundunt. Sic etiam Menecles de Bacchide εἶον ἐφθέγγετο, εἷον ἔβλεπεν. ὅπαι τοῖς ὁμιλίαις αὐτῆς σειρῆνες ἐνῆσαν, *qualis eius erat oratio, qualis aspectus, quæ in eius coll. quijs sessitabant Sirenulæ?*

Sirenes Rhetoribus attributæ. Orpheus in Argonauticis. Lycophron in Cassandra, Menecles in epist. de Bacchide.

Quartò, honor statuarum penè vulgaris apud ipsos oratores fuit: siquidem vni Demetrio Phalereo trecentas & sexaginta statuas Athenis erectas legimus; Gorgiæ Leontino, qui primus subitæ, & fortuitæ orationis aperuit fontem, non inaurata, vt cæteris, sed aurea posita est, Populus Romanus Proæresio imaginem cum nobilissima inscriptione dedicauit, (*Regina rerum Roma Proæresio Regi eloquentiæ.*) Ipsi quoque Cæsares eloquentiæ nomine statuas affectarunt: tradit enim Vopiscus, Numeriano adolescenti, Cari Imperatoris filio, à Senatu Romano dedicatam fuisse statuam hoc titulo insignitam, *Numeriano Oratori potentissimo.*

Statuarum honor. Diogenes Laert. Cicero in orator. Eunapius in Proæresio.

Quintò legationes, vt Cyneæ Demosthenis auditori, apud P.R. Anaximeni apud Alexandrum, Scopeliano apud Domitianū, Eusthatio Cappadoci apud Saporem Persarum Regem. Magistratus denique, & Præfecturæ persæpe Rhetoribus sunt demandatę, vt ex Eunapij Sardiani; & Philostrati Lemnij Sophistis nimis liquidè constat, vnus Libanius ἐπαρχίαν ἀυλῆς,

Legationes & Magistratus rhetoribus mandati.

λῆ, quæ erat prima dignitas, recusauit. Ausonius de Rhetore factus est Consul à Gratiano, haud immemore Præceptoris discipulo. Bis consulatum gessit Herodes Sophista, tãtasque opes contraxit, vt stadia, & theatra suis sumptibus populo ædificaret.

Vrbes, & Prouinciæ, Eunapius in Proæresio.

Sextò, Vrbes, & prouinciæ: Nam cùm Proæresio precarij muneris petendi copiam fecisset Constans Imperator, postulauit insulas nõ paucas numero, nec exiguas, tributarias, & vectigales Athenarum ciuitati, in pendendo frumento. Donauit istas Imperator, & Primariam dignitatem adiecit, vt præfectus castrorum vocaretur.

Philostratus in Dione.

Septimò, quod ingentis honoris fuit, & solis penè Cæsaribus, Imperijque consortibus concessum, ipsi Rhetores ad consensum Imperatorij vehiculi sunt admissi. Nam de Dione memorat Philostratus, τραϊανὸς γὲν αὐτοκράτωρ ἀναβέμενος αὐτὸν ἐπὶ τὸ ῥέμμα ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶ πολέμων πομπεύουσιν, ἔλεγε θαμὰ ὅτι τρεφόμενος ἐπὶ τῶ Δίωνα, ἀπ' ὧ λέγεις οὐκ εἶ, φιλῶ δέ σε ὡς ἐμαυτόν. Sane Traianus Imperator Romæ illum in aureum currum assumens, in quo Imperatores confectis bellis triumphorum pompas ducere solent, sæpissimè ad Dionem conuersus, quidnam aiebat, dicas, nescio. Te verò non minus, quam meipsum diligo. Hi sunt, & alij innumeri eloquentiæ triumphi, quos nihil opus est diffusiùs recensere.

Contra eos qui dicunt Demosthenem ab Aristotele præcepta Eloquentiæ didicisse.

CAPVT VIII.

VIndicanda est Rhetoricæ antiquitas, à calumnia, qua nonnulli Philosophos ante Oratores claruisse, ipsumque Demosthenem Aristotelis præceptis institutum, ad tantum eloquentiæ decus effloruisse constanter asseuerant: Hoc ipsum iam suis iactatum temporibus disertissimè confutat Dionysius Halicarnassæus, & firmissimæ rationes euincunt. Siquidem Demosthenes annum vigesimũ quintum agens, rempublicam capessere, & conciones habere cœpit: Aristoteles verò ijsdem tẽporibus cum Platone vixit, vsque ad annos septem & triginta, neque scholæ rector, neque vllius sectæ peculiaris auctor, nec libros Rhetoricos, nisi longo post tempore, elucubrauit: Nam Platone mortuo abijt ad Hermiam Atarnei tyrannum, ac triennium cum eo moratus, Eubulo Prætore Mitylenas secessit, inde sub Pythodochi prætura ad Philippum venit, apud quem in instituendo Alexandro octo annos exegit: post Philippi obitum, Euæneto Prætore, profectus Athenas, duodecim annos in Lycæo scholas habuit: quo tempore testatur se iam natu grandiorem, editis ante præstantissimis operibus artes, Rhetoricas, quibus adiutum aiunt Demosthenem, composuisse. At verò Demosthenes, etiam cum adhuc sub præceptore esset Aristoteles, Callistrato Prætore, anno ætatis, vt dixi, vigesimoquinto, primam causam egit cõtra Androtionẽ. Successit ea, quæ est de immunitatibus, venustissimè scripta: hãc excepit cõcio de classibus, quã Timocratea sequuta est. Exinde cõtra Philippũ Regẽ in arenã descendit: mox Rhodiensẽ, & tres Olynthiacas, & Midianã confecit. Hũc orbem exegerat, cum nulla Aristotelis de eloquentia scripta litera extaret: nã quod post Olynthiacũ bellũ Rhetoricas artes scripserit Aristoteles, indicat his verbis, vbi agit de tropis: τῶν δὲ μεταφορῶν τετάρτον οὐτῶν, ἐυδοκιμεῖ μάλιστα τῶ κατ' ἀναλογίαν, ὡς Περικλῆς ἐφη τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην εἶναι τῷ πολέμῳ οὕτως ἠρανίσθη ἐξ αὐτῆς πόλεως ὥσπερ εἴτις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι. καὶ Λιπτίνης περὶ λακεδαιμονίων, οὐκ ἐᾶν περιδεῖν τὴν ἑλλάδα ἑτερόφθαλμον γενομένην. Καὶ Κηφισόδοτος ὁ σπουδάζων χάριτος ἐυδύνας δέοντο περὶ τὸν ὀλυνθιακὸν πόλεμον, ἠγανάκτει φάσκων, εἰς πύγμα τὸ δῆμον ἀγαγόντα, τὰς ἐυδύνας περιᾶσθαι τόνων. Cum quatuor, inquit, translationum genera sint, ea maximè probantur, quæ proportione constant: sicut Pericles dixit, adolescentiam, quæ in bello perierat, ita sublatam esse ex vrbe, vt si quis ver ex anno tolleret, & Leptines de Lacedæmonijs, non esse committendum, vt lucem fiat Græcia. & Cephisodotus, cùm Chares rationem redderet Olynthia bello studeret, indignatus dixit, illum, qui populum in furnum duxisset, rationes referre conari. At dicet aliquis, orationem de Corona, ea rerum Reginam, post lectas Aristotelis artes Rhetoricas, scripsit Demosthenes, vt quam habuit octo annis post Philippi obitum: sed is præclarè ipsius Aristotelis testimonio refelletur, qui in locis vtitur testimoniis ex oratione περὶ στεφάνου, quã

περὶ Δημοσθένους δίκην nominat. Ex ijs luce ipsa clarius est, perfectionem eloquentiæ, quæ in Demosthene excitatius viguit, ex Aristotelis præceptis haustam non fuisse. Nolim tamen hic asserere, non esse vtilem perfectis oratoribus Philosophiam; quinimo, nutrix est eloquentiæ sapientia, & summam affert in dicendo perspicuitatem, vim, copiam, maiestatem: verùm, licet diserti Oratores, qui ante Philosophos, procul dubio emerserunt, à Philosophis postea fuerint adiuti, non ideò præstantior est Philosophia Oratoria facultate, cuius munus est, reconditas opes sapientiæ proferre in lucem, & flore orationis vestire, sine quo ornatu neglectæ in tenebris, & squalore semper iacuissent. Cote quidem acuuntur gladij, sed non ideo eos gladijs præstantior; A Philosophis institui possunt Oratores, non ideo sunt Philosophis inferiores.

Eius imago exstat apud Fuluium Vrsinum in numismate. Vide illustrium imagines 125.

Pythei siue Pitthei meminit Pausan. in Corinthiacis. Cicer. in Bruto. Hermogen. περὶ ἰδ. Longin. περὶ ὕψους. Demet. Phaler. de Elocut. Aelian. de var. hist. li. 13. cap. 22. τὰ ἐμημεσμεῖνα ἀρυομένους. Plin. l. 17. c. 5. Id. l. 7. cap. 19.

Illustrium Oratorum Elogia.

PYTHEVS.

CAPVT IX.

HIc primus in templo Musarum fertur Rhetoricam docuisse, & posteris librum de arte dicendi conscriptum reliquisse.

HOMERVS.

CAPVT X.

ORigo plenioris Eloquentiæ si quis rectè repetat, est ab Homero, nempe hic Orator, & plane orator à Marco Tullio, ab Hermogene Rhetorum præstantissimus, à cæteris vno omnium consensu magister Eloquentiæ agnoscitur. Sapiebat profectò Galaton ille pictor quisquis fuit, qui Homerum, quanquam haud satis verecunda specie, prudenti tamen, & arguta depinxit, quippe vomentem expressit, non esculenta credo vinum redolentia, sed aurea flumina, circumstantes verò poëtas, ea quæ ipse euomuisset, summo studio colligentes vellem oratores addidisset, quando & ex eodem fonte hauriunt ab eo qui fons ingeniorum à Plinio nominatur, qui & de eorundem præstantia disserens addit ingeniorum gloriæ, quis possit agere delectum, per tot disciplinarum genera, & tantam rerum operumque varietatem, nisi fortè Homero vate Græco nullum fœlicius extitisse conuenit, siue operis fortuna, siue materia æstimetur. Ex quo disertè, vt cætera Dionysius Longinus Homerum modo Soli Orienti, modo Oceano comparat, & rectè, vt enim Sol fons lucis, Oceanus ortus puteorum, & aquarum omnium parens: Sic Homerus omnis doctrinæ, addo cum Iustiniano Imperatore, omnis virtutis pater. Atque vt Solis radijs vestiuntur, calore animātur, Oceani venis resperguntur & aluntur omnia: sic ex diuinis Homeri carminibus, lumen, Spiritum, alimentum, nectare, & ambrosia suauius literæ perceperunt. Accedit quod vt in sole Oriente, & Occidente gratissimi colores ad oculorum miraculum cernuntur: In Oceano tot rerum opulentia, tot littorum decor, tot insularum amœnitas delectationem conciliat; sic in Homeri Poësi tot margaritę, tot lumina, tot faces, tam varia, tam recondita, tam prompta rerum omnium copia, decus, voluptas sine satietate delectet. Quanquam non est publici saporis Poëta, nec eos capere potest, qui Græcarum literarum imperiti eundem Latinè legunt, aut pueriles amplificationes sententiarum ponderi, & eloquentiæ grauitati præferunt. Quos nihil mirum est de Homero pro sui ingenij modulo sentire, longè aliter ille Antipater Sidonius, qui non modo Poëtam, sed Oratorem; non oratorem tantum, sed Suadæ medullam, nec Suadę medullam modo, sed Suadam ipsam mundi, & magnum os nuncupat τὰν Μερόπων πειθὼ κ, μέγαστόμα, ex quo ad eius statuam æream Apis, in ore vatis mellificans cernitur, in Græcorum carminum florilegio. Procedat igitur faustis auspicijs, in albis quadrigis Homerus Rhetorum pater, & longam sub se Oratorum vatumque seriem prospectet.

Dion. Long. περὶ ὕψ. Homeri cū Sole, & Oceano comparatio. Synesio πυρὸς ἄσβεστος πηγά, Homero Ὠκεανὸς Θεῶν γένεσις.

Antipater Sidonius in Anthologia.

Solon.

CAPVT XI.

ANte Solonis ætatem de nullo vt diserto, memoriæ proditum est (inquit Tullius in Bruto) hic igitur Homero succedat, vir sine dubio magnus, cuius eloquentia, quasi veteris illius Myronis spirans manus horrori simul est, & Religioni.

Apparet in eo ingenium acre, velox, excelsum quod eloquentiæ grauioris sedes est mens syncera, & victor animus: contra quem hoc calamitates possunt, quod aduersus solem nebulæ. His subsidijs paratur non fucata, & potentiorum libidini seruiliter ancillans; sed

Grandioris eloquentiæ sedes grande ingenium.

recti

ἐλεῖ cultrix oratio magna vocis libertate semper incitata. Qualis ea fuit cum armatus est concionatus contra Pisistratum, iam Tyrannidis satellitio, & assentatoris Senatus fauore terribilem ijs qui timere poterant, cuius cõcionis hoc est exordiũ Ἀνδρες Ἀθηναῖοι τ̃ μὲν ἐμὶ σοφώτερος, τ̃ δ' ἀνδρειότερος τοφώτερ Θ. μ. τῶν μὴ συνιέντων τὸ πρατλόμδμον, ἀνδρειότερος δ' τ̃ συνιέντων μ̃ ὀναγκεῦζ δ' τυραννίδι φοβδμένων. Viri Athenienses alijs quidem sapientior, alijs sum fortior. Sapiẽtior enim illis sum, qui Pisistrati conatus non animaduerunt, fortior autem ijs, qui sciunt illum quidem: sed metu silent. Ex vngue leonem agnosco. Quid cum de Salamine ipsius patria inter Athenienses, & Megarenses fermè vsque ad internecionem armis dimicatum esset, multisque cladibus acceptis capitale apud Athenienses esse cœpisset, si quis legem de vindicanda Insula ferret: sollicitus Solon, ne vel tacendo, Reipublicæ, vel consulendo, sibi noceret, subitam dementiam simulat, cuius prætextu, non dicturus modò prohibita, sed & facturus erat: Deformis igitur habitu, more vecordium in publicum euolat, confictisque ad rem versibus, quasi diuino furore incitatus, per Præconem quod vetabatur suadet, omnium quæ animos ita permouet, vt aduectus Megarenses bellum extemplo decernerent, Insulaque deuictis hostibus Athenienſium fieret.

Diogenes Laertius in Solone. Plutarch. Graec. hist. 1174.

Extant versus apud Laertium.

Εἶμι δὴ πατ' ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης,
Ἀντὶ δ' Ἀθηναίης πατρίδ' ἀμειψάμδνος.
Λῖδα γὰρ ἂν φάτις ἥδε μετ' ἀνθρώποισι γένοιτ'.
Ἀτλικὸς οὗτος ἀνὴρ τ̃ Σαλαμῖν' ἀφέντα μ,
Ὁμδρ ἐς Σαλαμῖνα μαχησόμδνοι περὶ νήσου
Ἱμερτῆς, χαλαπόντ' αἶτχος ἀπωσάμδνοι.

Olim vtinam fuerim Pholegandrius, aut Sicinites,
Ac mutata foret Attica terra mihi.
Nam subito fama hac hominum volitabit ad aures,
Atticus vnus adest, qui Salamina fugit.
Quin Salamina igitur sarturi dedecus, imus,
Subdita quod nobis insula restituet.

Hæc incitatæ mentis, & vehementis ingenij iudicia: neque verò Philosophiæ perpolitus condimentis humanitatis caruit, quibus plerunque sententiosa eius dicta aspergunturs. Quid hoc grauius & illustrius?

Ἐκ νεφέλης φέρεται χιόνος βία ἠ δὲ χαλάζης,
Βροντὴ δ' ἐκ λαμπρῆς γίνεται ἀστεροπῆς:
Ἀνδρῶν δ' ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται.

Egregia similitudo.

Ex nube vis nivis, grandinisque decidit:
Ex lucenti fulgure ruunt tonitrua.
Sic ex spectabili magnorum virorum fortuna pernicies creatur Reipub.

At illud etiam Philo Iudæus purpuris suis insetuit.

Ἐξ ἀνέμων δ' θάλασσα ταράσσεται, ἐδέτις αὐτῶ

Μὴ χινῆ, πάντων ἐσὶ δικαιοτάτη.

Ventis asperatur mare, sua alioqui natura lenissimum.

Sic animus, licèt per se tranquillus, alienis motibus percellitur. Iam verò eius cum Cræso congressus, & Regina illa mens, neruosæ eloquentiæ viribus incitata, quid non habet admirationis: Hæc sapiens, & suauis eius ad Regem oratio.

Ὦ βασιλεῦ Λυδῶν πρός τ' ἄλλα μεζόως ἐ- *Plut. in Solone.*
χειν ὁ θεὸς ἔδοκε, δ σοφίας τινὸς εὐθαρσὲς, ὡς
ἐοικεν, καὶ δημοτικῆς οὐ βασιλικῆς οὐδὲ λαμπρᾶς ὑπὸ μεζεοτητος ἡμῖν μέτεσιν, ἢ τύχαις
ὁρῶσα παντοδαπᾶις χρώμδνον ἀεὶ τ̃ βίον,
οὐκ ἐᾶ τοῖς παρδσιν ἀγαθοῖς μέγα φρονεῖν, οὐδ̃
θαυμάζειν ἀνδρὸς εὐτυχίαν, μεταβολῆς χρόνον
ἔχδσαν ἕνεσι γὰρ ἑκάστῳ ποικίλον ἐξ ἀδήλου τὸ
μέλλον. ᾧ δ' εἰς τέλος ὁ δαίμων ἔδωκε τὴν εὐπραξίαν, τοῦτον εὐδαίμονα νομίζομδν. ὁ δ' ζῶν ἔτι
δ κινδυνεύτος ὢν τῶ βίω μακαρισμὸς, ὥσπερ
ἀγωνιζομένῳ κήρυγμα. δ σέφανός ἐστιν ἀξέθλος
δ ἄκυρος; quæ sic latinè reddo. *Gratis quidem hominibus ô Rex Lydorum, vt in cæteris, mediocritatem, sic sapientiam moderatam, popularem, & liberam, si non Regiam illam splendidamq; fortunam, concessit Deus. Qua cum varijs fortuna ventis ad Cræsi hanc mortalium conditionem videat obnoxiam, neq; sum, suaui præsentium bonorum affluentia nos arroganter efferri, neque hominis vllius fluxam felicitatem mirari sinit. Quandoquidem vnicuique nostrum futurum varium est & ignotum. Itaque cui prospera & aquabilis fortuna ad extremum vsque diem obtigit, hunc beatum prædicamus. Eius verò, qui etiam cum huius vita conflictatur periculis, felicitas, non secus ac dimicantis Athletæ victoria, fallax est, & incerta.*

Egregia similitudo.

Solonis oratio ad Cræsi & moderatam charakterem.

Pisistratus.

CAPVT XII.

Solonis cũ Pisistrato cõparatio.

SOlonis æmulus extitit Pisistratus, vario tamen eloquentiæ genere: illius grauis, austera, & plerumque horribilis oratio: huius suauis, & amœna dictio: ille frangere studebat animos, hic mollire: ille vasto impetu irrumpens in animos rumpebatur, hic sensim, & leniter irrepens penetrabat: ille vase fictili panaceæ succum, hic poculo aureo melleis fauis oblito propinabat venenum: ille secare se, & vrere profitebatur, vt sanaret: hic soporabat, vt iugularet; ille veluti fuscina armatus irruebat: hic aureo reti piscabatur Ad summum, tantùm dicendo valuisse fertur, vt Athenienses illi Regium Imperium, oratione capti permitterent: cùm præsertim amantissimus patriæ Solon cõtrà niteretur: sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores: quo euenit, vt alioqui prudentissima ciuitas, libertati seruitutem præferret.

Themistocles.

CAPVT XIII.

THemistoclis victricibus laureis afflorescũt eloquentiæ palmæ: Magnum siquidem viri, & ad oratoria decora natum ingenium, quem prima, veluti surgentis lux eloquentiæ mirificum spondebat oratorem. Nam & puer, eo tempore, quo alij inter prolectantis ætatulæ blanditias lasciuiunt, iam tota mente forum, & accusationes, defensionesque sociorum cogitabat. Verùm, (vt in Iulio Cæsare contigit) æstus militaris gloriæ longè ab ijs oratorũ curis hominem abripuit, vbi Miltiadis trophæa cogitare cæpit, ingentisque honoris stimulis noctes, diesque configi. Nec sane fatuè respõdit, cùm iã blandiente eloquentiæ gloriâ interrogatus ab aliquo, vtrum mallet Homerus, an Achilles fieri? Tu verò quem te malles (inquit) Olympicum victorẽ, an victoris præconem? Ex quo animum ad studia bellica totum adiecit, & ea gessit, quæ orbi terrarum stupori fuerunt. Apparent in eius dictis splẽdidissimi ingenij lumina. Quid hoc exordio grauius, quo apud Andrios legatus vsus est? *Vestram hodie in vrbem, Andrienses, appuli, duorum numinũ comitatu stipatus, suada, & violentia.* Quid eo acutius, cũ Eretrienses irridens, aiebat: *gladium quidem habere sicut Teuthidas; Cor autem non habere.* Iam verò sublime quod dixit apud Persarum Regem, orationem varijs, pictisque stragulis esse simillimã, vt enim illa, sic hanc explicatam ostentare imagines, & figuras, contractam verò occultare, atq; delere. Constat ex ijs, Themistoclem eloquentia, sed ipsa etiam eloquentiæ animâ (prudentiã intelligo) præstitisse, qui meritò à Cicerone inter veteres oratores recensetur.

ὥσπερ τευθίδας μάχαιραν μὲν ἔχειν, καρδίαν δὲ μὴ ἔχειν.

Herodotus.

CAPVT XIV.

DIspliceant huic rosæ, & balsama, cui non placet Herodotus. Hortus est eius historia, varijs arboribus consitus, innumerisque florum distinctus areolis, ex quo æterni spirant odores. De rerum veritate nihil hic attinet dicere, quando ab eruditis hominibus eius caussam susceptam, defensamque video. Stylus certè is est, qui non nisi ab imperitis, aut maleuolis reprehẽdi possit. Totus est dulcis, candidus, fusus, sine vllis salebris, quasi sedatus amnis fluens. Verba lecta, sonantia, leuia, non secus, ac micantibus illusa flosculis asarota, inter se, quam venustissimo nexu cohærent, quibus amœna figurarũ varietas, magna orationis temperie aspergitur & ipsa dialecti mollities multùm affundit suauitatis. At quod summam habet in Herodoto iucũditatis illecebram, Poëticus quidã decor ex Homeri sacrario petitus in eius scriptis afflorescit, sic enim arbitror, poëtica in oratione verba, aut numeros palam consectari vitiũ esse, vel maximum: at poëseos quasdam veneres latentes, arcanas, subtiles, immiscere, magnæ est industriæ, & plurimùm habet voluptatis. Vt enim vino assitus mandragoras illi suauitatẽ quandam leniter instillat, qua fit, vt, qui bibunt, & si minimè caussam sentiant, delectationem tamen hauriant. Pari profectò ratione Poëtarum flosculis illigata subtiliter oratio, latens habet quoddam aucupium iucunditatis. Quod in Herodoto facilè animaduertas, cuius historia, vt ait Dionysius Halicarnassensis, propter suadelam illam, & venustatem optimæ poësi similis potest videri. Accedit ipsa dictionis minimè morosa simplicitas, maiestatis lepos, & quædam ex elocutionis facilitate volubilitas, quæ Plutarchus, etsi Herodoto iniquior

Dionys. Halic. in τέχνῃ.

quor diffiteri non potest. Mirum profecto est, cur post tot sæcula Cheronæus ille, vir alioqui moderatus, hominis, gloria circumfluentis, cui tot Theatra plausérant, sepultos cineres ausus sit insectari, fuit in eo præter modum φιλοπατρις, qui affectus in splendidis ingenijs est, plerumque non obscurus.

Pericles.

CAPVT XV.

Γεννάδην ἐβόησε τὸν πάνυ Ὀλύμπιον. *appellat Iulianus in Encomio Eusebiæ*

χιτωνίσκος *à Cratino in Δραπέτισι appellatur, quod caput vt cepe plenum haberet, & rotundū Cic in Bruto*

Δεινὸν στρογγύλον ἐν γλώσσῃ φέρων.

SIleant hic ranæ, tonat Olympius. Is est Pericles, is ipse est, cui Cœlestis cognomen admirabilis eloquentia fecit.

Ingens huic caput, magnæmentis officina, ingenium velox, & planè igneum, mixta affabilitate prudentia, dignum imperio virum spondent. Hic primus in foro adhibuit doctrinam, namque ab Anaxagora Physico eruditus, exercitationem mentis à reconditis & abstrusisque rebus ad causas forenses, popularesque traduxit. Huius suauitate maxime hilaratæ sunt Athenæ huius libertatem, & copiam admiratæ, eiusdem vim dicendi, terroremque timuerunt: fulmen enim ferre dicebatur in lingua, & certè in concionibus tonabat, fulminabat, permiscebat omnia. Quin & Thucydidem nobilissimum suę ętatis oratorem in omnes partes versabat, vt ipse miraretur palmam sibi in manibus infringi. Quare cùm rogaretur ab Archidamo Lacedæmoniorum Rege, ipse, an Pericles melior luctator esset? Ego (inquit) illum luctando prosterno, sed nescio, quo pacto resiliens, persuadet se non cecidisse, atq; in eam sententiam traducit multitudinem. Ex eo dominantis eloquentiæ imperium licet agnoscere Extat nobilis ingenij monumentū apud Thucididem, l. 11. oratio funebris, in laudem eorum, qui pro patria occubuerunt, quam licet historicus suo finxerit stylo, credibile est tamen eum Periclis sensus delibasse.

Thucydides.

CAPVT XVI.

THucydides, de bellicis rebus canit quodammodo classicum (inquit M. Tullius) vir ingentis spiritus, & regiæ planè eloquētiæ. Quippe Regum soboles erat, nō minus genere sublimis, quam dictione. Eluxit in puero indoles, vt in speculo; Nam cū tenera adhuc ętate Herodotum pleno Theatri consessu historiam audiret recitantem, subitò prorupit in lacrymas, quasi quodam mentis furore incitatus. Tum patrem eius intuens Herodotus,

μακαρίζωσε τ' εὐτυχίας ὅλορε, ὁ γὰρ σὸς *Suidas. Marcell. de vita Thucid*

ὑὸς τὴν ψυχὴν ὀρεγῶσαν ἔχει πρὸς τὰ μαθήματα. Nec sanè fefellit omen, ita varia quasi literarum supellectili, & admirabili eloquentia floruit, acutus, concitatus, neruosus, densus, solidus, sapientiæ plenus, & iudicij. Quanti eum fecerit posteritas, grauissimorum virorum iudicia declarant: Demosthenes certè suā manu octies dicitur eius historiam descripsisse: Cicero libr. 2 de oratore hoc illustri elogio eundem honestauit. Post Herodotum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facilè vincit; qui ita est creber rerum frequentia, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur, ita porrò verbis est aptus, & pressus, vt nescias vtrum res oratione, an verba sententijs illustrentur. Marcellinus adeò sublimem esse dicit, vt ne in miserationibus quidem ab hac grandiloquentia discedat. Verum vt veterum artificum statuas, propter sacrum quendam antiquitatis horrorem, miramur magis, quam probamus in omnibus. Sic Thucydides, licet ob dicendi maiestatem, ætatisque fauorem, maxima commendatione dignus posteris visus fuerit, iusta tamen reprehensione nullo modo caruit. Nam (vt ea, quæ ad historiam pertinent, omittam) in stylo sæpe durus est, acerbus, densus, austerus, vehemens, terribilis perplex, tortuosus: & verba quidem vsitata respuit, plerumque etiam affectat aliena, quò per obscuritatem doctrinæ captet opinionem, hyperbatis & traiectionibus orationem implicat, figuras nominum morosiùs consectatus, vt vel peritorum sensus fugiat. Ad hæc in compositione, & iunctura de industria tam rudis est, vt videatur torrens ad saxa allisus strepere. Quod ad eius orationes attinet, eas Cratippus molestas, & odiosas vocat: Cicero easdem nec posse imitari, si velit, nec velle, si possit, profitetur. Est enim potiùs grandis, & syncerus rerum pronunciator, quam Orator; cui, vt Philisto, amatores semper defuerunt. Hæc, & cætera vitia, quæ prosecutus est Dionysius Halicarnasseus, Thucydidem infuscant: vno tamen antiquitatis, & grauitatis nomine semper laudatus est.

Qualia sūt αὐτοσχεδιάζοντα, προλεμπτέον τὰ, παγχάλεπον, ἀμαθῆ τὰδία, ὕλης ῥαιδίους, ἀνοίκειωσις, κωλύμη. *quæ notantur à Marcell.* προσκρούοντι ἔπεσιν. *Cicero in Brut. 449. Vide Diony. Halic. ad Q Aelium Tuberonem.*

Gorgias Leontinus.

CAPVT XVII.

Cicero in Brut 391.

De his Philost. in sophistis lib. 1.

POstquam intellectum est quantam vim haberet accurata, & quodammodo facta oratio, tum etiã magistri dicendi subitò extiterũt, Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus. Chius, Hippias Elæus, in honore magno fuerũt, alijq; multi, temporibus ijsdem docere se profitebatur, arrogantibus sanè verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) fieri superior posset: sed inter cæteros præstitit Gorgias, cui tantus honos habitus est à tota Græcia, soli vt ex omnibus, Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Primus ausus est in conuentu poscere quæstionem, id est liberè dicere, qua de re, quis vellet audire. Tum consurgens inter medios, longè aliter, quam Homericus Vlysses effundebat ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα γαμερίῃσιν. Et numerus quidem erat liberiore fluens, licentia, & genus orationis insigne, fluens pictum, expolitum, omni lepore affluens, & (quod mireris) in hac amœnitate neruosum. Ego illustrissimi ingenij fragmentum hic subijciam, & latinitate donabo.

ΥΠΕΡ ΠΑΛΑΜΗΔΟΥΣ

ἀπολογία.

CAPVT XVIII.

Ἡ μὲν κατηγορία, καὶ ἡ ἀπολογία κρίσις οὐ περὶ θανάτου γίγνεται. θάνατον μὲν γὰρ ἡ φύσις φανερᾷ τῇ ψήφῳ πάντων κατεψηφίσατο τῶν θνητῶν ἧπερ ἡμέρα ἐγένετο· περὶ δὲ τῆς ἀτιμίας, καὶ τῆς ἀμῆς ὁ κίνδυνός ἐστι, πότερά με χρὴ δικαίως ἀποθανεῖν, ἢ μετ' ὀνειδῶν μεγίστων καὶ τῆς αἰσχίστης αἰτίας βιαίως ἀποθανεῖν.

Et cætera, quæ quia longiora sunt, lubens omitto, sensus tamen latinitate complectar.

Non est quidẽ in hoc iudicio de morte tantum ferenda sententia, mortem enim omnibus natura proposuit, & nascentes suo calculo dãnauit. Verum quod longè grauius est, de honore vel dedecore periclitor, vtrum scilicet innocens moriar, an grauissimo dedecore, ob turpissimam causam affectus, violẽta morte properantem spiritum excutiam. Quę duę res, cùm in causa sint, vnam vos, alterã ego in manibus habeo: *Innocentiæ meæ scilicet sum Dominus, vos violentiæ: præstare possum, vt sim innocens, vt fraude circonuentus non perimar, facere non possum:* si meus igitur accusator Vlysses, cũ certò sciret Græciam à me barbaris proditam, huius accusationis consilium suscepit: Næ vir optimus est qui patriam, parentes, & totam Græciã, vnius nocentis supplicio liberare contendit: si verò inuidia, fraude, maleficio, hanc in me conflauit accusationem, omninò deterrimus est. Vnde igitur primùm ordiar, vnde defensionis meæ sumam initium? Caussa enim ita prouisa, stupore mentem confundit; stupor verò, quod necesse est, inopiam afferret orationis, nisi in veritate, & necessitate perfugiũ haberem doctoribus periculosis magis, quàm copiosis. Quod igitur non certa de causa accusator me deferat, certò scio; nullius enim mihi conscius sum sceleris, & vnde quis, quod minimè factum, ne cogitatum quidem est resciat non video. Quod si ita rẽ se habere existimans, accusationem aggressus est, primùm ego duabus eum validissimis rationibus conuincam: neq; enim, si voluissem, rẽ patrare potuissem, neque si potuissem, voluissem. Primum enim, proditionis initium aliquod fieri oportuit, & id per colloquium: futurarum enim actionum index est oratio, quo pacto autem colloquium esset inter nos sine congressu? qui verò cõgressus esse potuit, cùm nec ego ad illum venerim, nec ipse quenquam ad me miserit, nec literæ sine tabellario vllo à nobis vltrò, citroq; mitti potuerint. Sed finge congressum, finge etiã inter nos mutuum colloquium: quid deinde collocutus est Græcus cum barbaro? quomodo dicens, & audiens, an solus cum solo? sed nullũ est nobis linguæ commercium: atqui factum est per interpretem? iam tertium nobis statuis indicem, eorum, quæ maximè occulta esse oportebat: sed esto, factum fuerit, quod tamẽ est infectum, fidem dare, & accipere vicissim nos oportuit: & quænam ista fides? iusiurandum dices? quis mihi proditori, vel iurato credidisset? at obsides dati, qui? fratrem vnum habeo, præterea neminem, &c. Genium habet hæc oratio: spirat enim cum neruis aliquid gratiarum, & tota est acris, florida, volubilis, vt vt non modo persuadere, sed cum aucupio delectationis mouere possit.

Gor-

Critias.

CAPVT XIX.

NOn obscuri quoque nominis inter veteres sophistas a Critias, qui in graui genere dicendi exercitatissimus fuit. Nec tamen grauitatem verbis poëticis, aut dithyrambis metiebatur, sed vocabulis maximè proprijs, vt natura postulat, concinnabat orationem. Insigni b præterea breuitate, & magna Atticismi temperie loquutus, nihil habet insolēs, aut ineptū. Huic Theopompum, licet Platonis, atq; etiam Isocratis ætate inferiorem, tamen, quia ita cōmisceri solent, subiungemus.

N. N.

a *Meminit huius Critiæ multis in locis Dion. Halicarn. maximè verò in Isæo, vbi numerat eum inter* ἐναγώνιον ἀσκοῦντας ῥητορικὴν, *p.* 111. *edit. Francofurt.* b *Ab Hermogene iudicatur* σεμνὸς καὶ διηρμένος πρὸς ὄγκον.

Theopompus.

CAPVT XX.

Theopompus hic habet, vt notat Dionys. πολύμορφον τῆς γραφῆς, *& variæ eruditionis supellectilē, in epist. ad Pompeium. Theopompus contra Longini censuram defensus.*

HErodoto, & Thucididi proximus Theopompus, Isocratis discipulus, qui, vt in historia prædictis, minor, ita Oratori magis similis. Dictionem habet liquidam, communem, perspicuam, Isocrati haud dissimilem, &, vt ait Cicero in Bruto, Philisti, & Thucididis concisis sententijs, interdum etiam non satis apertis, cum breuitate, tum nimio acumine officit Theopompus, elatione, atq; altitudine orationis suæ. Dionys. Longinus mordax Criticus eum irridet, quod vbi dona regi Persarum, ab Asiaticis oblata commemorat, post stragulam vestem, purpuram, tabernacula aurea, peristromata, emblemata, carnes etiam victimarum falsas, regi oblatas, ad alendum exercitum commemoret. Debebat, inquit ista minuta, aut omittere, aut initio collocare, vt à minoribus ad maiora ascenderet: sed in eo frigidus est, & frustra mordax Longinus. Erat enim fidelis historici, & prudentis, post opulenta principum dona, tenuiorum quoque in colendo rege studia commemorare, & rem, vt gesta est, describere; quod si tantoperè petasonem auersatur, quin Homerum suum numen reprehendit, qui tam simpliciter rem coquinariam à principibus obitam describit, & quid hoc est, nisi μαγείρου, quod insectatur in Theopompo φαντασία est.

Philistus.

CAPVT XXI.

THucididem quoque consecutus est Syracusius Philistus, doctus homo & diligens, qui cum Dion. tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda. Cui vt Thucididi amatores desunt, Halic. in eo ἀταξίαν τῆς οἰκονομίας, καὶ δυσπαρακολούθητον reprehendit.

a *Habet hic characterem* στρογγύλον, καὶ πυκνὸν, καὶ εὔτονον, καὶ ἐναγώνιον.

Plato.

CAPVT XXII.

COnsurge altius, eloquentia, Platonem video, qui dicendi maiestate, assurrexit supra id omne, quod humanum est. Is est, in cuius ore mellificarunt apes, cecinerunt Lusciniæ, Suada sessitauit. Parum est quod dico, Iupiter si græcè loqui voluisset, Platonis ore loquutus fuisset.

Atque, vt ille in cœli sedens vertice, Deos, Deasque omnes è catena aurea pendentes, ad se nullo negotio, vel reluctantes pertrahit: ita hic profectò quotquot fuerunt oratores, quotquot sentiendi, dicendiq; magistri, sapientia, grauitate, prudentia, & suauitate superauit. Genus dicendi sublime, excelsum, admirabile; aquilam diceres, quæ supra niues, pluuias, & grandines, supra nubes, & tonitrua, & supra id omne, quod mortale est, pennarum remigijs erecta, in illo puriori æthere suspensa conquiescit, & nunc solem defixis intuetur oculis, nunc ad Iouis alludit fulmina. Ratio dicendi facunda, dulcis, amœna, veneribus depluens, flumen lacteum diceres labi sine murmure, & in tuas aures, in ora, in intima pectora suauiter inundare. Salue igitur Heros, quem vulgari ore laudare penè piaculum est; in te, quod in Deorum simulacris, facit eloquentia; quorum vbi capita floribus redimiri non possunt, corona statuitur ad pedes: Tu cum tuarum virtutum maiestate omne fastigium humanum excesseris, patere tibi, corollas istas, & flosculos ad pedes fundi, vel potius nos iube impresso ori digito silere, & mirari, modò tui Aristotelis monumentum hoc habeas.

Βωμὸν Αριστοτέλης ἱδρύσατο τῶ δὲ Πλάτωνος,
Ανδρὸς ὃν οὔτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Hæc de Platonis elogio obiter dicta sint: Qui plura voluerit, veterum testimonia in eius laudes, magna vbertate diffusa videat. Hunc M. Tullius, Plutarchus, Galenus, Proclus, Longinus, Demetrius, & omnes quotquot sunt Ethnicorum auctorum principes, plena laudant manu: Diui ipsi, Augustinus, Hieronymus, Iustinus, Basilius, Gregorius, Clemens, Theodoretus, honorificè appellant. Omnis denique Græca, & Latina vetustas, Philosophorum Coriphæum Homerum, Oceanum, sapientissimum, optimum, vtilissimũ, sanctissimum, augustissimum nominat; ad summum διωσῆν ἀτλικίζοντα, diuinum Philosophum, Philosophorum Deum. Ego certè eius eloquentiam tutiùs laudarem, quam philosophiam: illam, vt plurimum, nemo sapiens reprehendit; hæc, vt apud omnes constat, non secus, ac Ægyptus Homericus, & multa bona habet, & mala non pauca.

Aristoteles.

CAPVT XXIII.

INgrati postuletur eloquentia, si de Aristotele tacuerit, à quo & multa præsidia stabilitatis accepit, & ornamenta dignitatis. Hic vir singularis, & propè diuino præditus ingenio, cùm in disquirenda rerum omnium natura, mentis subtilitate cœlum, terramque penetrasset, quiescere non potuit. Stimulabatur quippe in dies Isocratis fama, quem in ludo oratorio summa gloria circumfluentem, ferre non poterat, eius nomini perinde, ac stylo perinfensus. Itaque ad eloquentiam serio animũ appulit, & dicendi rationem, cum disserendi philosophãdique subtilitate coniunxit. In eo, quid præstiterit, Rhetorici libri felicis ingenij monumenta declarant, & plenè eius laudibus velificatur M. Tull. dum *flumen aureum orationis* effundentem inducit. Et certe in ethicis, politicis, œconomicis, auream habet sapientiæ opulentiam, manans vbique leniter sine salebris, quanquam ad istas dicendi, quæ sunt in Demosthene faces, aut Platonis amplitudinem, non assurgit, cum sibi aliud dicendi genus assumpserit. Fuit inter ætatis suæ philosophos, elegantissimus, vt qui tonsori operam daret, digitosque micantibus annulis ornaret: quod videtur notasse Comicus Aristophanes, qui sui temporis Sophistas σφραγιδονυχοκαργοκομήτας appellat. Ex ijs delicijs in vesanos amores prolapsus, solum vertere, & præ vlceratæ mentis dolore ac tædio, venenum bibere coactus, mortuus est, ne moreretur. Contra tamen sentire videtur D. Nazianz. qui Euripi vndis absorptum scribit orat. 3. in Iulianum.

Eius character maximè proprius est, elocutionis dexteritas, perspicuitas & mixta cum multiplici eruditione suauitas.

δεινότης περὶ τὴν ἑρμηνείαν καὶ σαφηνεία, καὶ ἡδύ, καὶ πολυμαθές.

Diogenes Laert. in Aristot.

Nunc decẽ Rhetores videamus, qui secundum temporum ordinem ita enumerantur, Antiphon, Andocides, Lysias, Isocrates, Isęus, Æschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides, Dinarchus.

Antiphon.

CAPVT XXIV.

ANtiphon Orator Gorgiæ Leontini temporibus floruit, decem qui numerantur, Oratorum antiquissimus; Tanta porrò facundia creditur extitisse, vt vulgò Nestor vocaretur, & illam quidem eloquentiæ suauitatem ad leniendas vitæ acerbitates contulit: Nam τέχνην ἀλυπίας artem medicandi doloris animi excogitauit, & Corinthi in foro constructis ædibus, inscripsit in vestibulo, (*se doloris, & mæstitiæ medicum esse*) eos, qui animi ægritudine laborarent, ad se palam inuitans: Hippocratem quoque medicorum principem, non est veritus, scripta inuectiua lacessere; suã artem iactantius exquisitis omniũ medicorũ inuentis anteponens. Verùm, cùm ea res parum succederet, ad forum se contulit, in quo non sine gloria viguit. Plutarchi de eo tale iudicium est: ἐστι δὲ ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβὴς, καὶ πιθανὸς, καὶ δεινὸς περὶ τὴν εὕρεσιν, καὶ ἐν τοῖς ἀπόροις τεχνικὸς, καὶ ἐπιτρεπῶν ἐξ ἀδήλου, καὶ ἐπὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰ πάθη τρέπων τοὺς λόγους τοῦ εὐπρεποῦς μάλιστα στοχαζόμενος. In dicendo accuratus est, & ad persuasionem efficax, in inuentionibus sagax, in rebus dubijs solers, occulte se insinuans, ad mores & affectus orationem inflectens, decori obseruantissimus. Qu à Plutarcho, vt cætera, quã præclarè dicta sint, id cuiuis patebit, qui vel primam eius orationem legerit, quæ Nouercæ veneficæ, & in cineres mariti, quem noxio poculo sustulerat, iniuriæ continet accusationem. Cæterum à triginta tyrannis occisus fertur, & sine honore sepulchri abiectus, si Lysiæ, & Theopompo credimus; vel, si alijs fidem habere placet, Dionysij iunioris iussu interfectus

Alius Antiphon dictus ὀνειροκρίτης καὶ τερατοσκόπος. *cuius meminit Didym. Gram. & Hermogenes.*

Ars medicandi doloris animi ab Antiph. inuenta.

Photius in Bibliot.

ctus in Sicilia, cum rogatus quodnam æs æstimaret optimum? respondisset, illud ipsum esse, ex quo Harmodij, & Aristogitonis statuę, (qui tyrannũ Hipparchum de rerum humanarum culmine sustulerant,) essent confectę. Extant eius orationes in Græcorũ oratorũ volumine.

a *Ab Hermogene agnoscitur inuentor, & princeps politici characteris*, εὑρετὴς καὶ ἀρχηγὸς τοῦ τύπου πολιτικοῦ, *de ideis.*

b *Ab aliis eidem ipsi ῥητορικῶν λόγων inuentum tribuitur.* διὰ τοῦτο λακεδαιμόνιον, καὶ τὸν Νέστορα.

Andocides.

CAPVT XXV.

NAtus est Andocides Olympiade septuagesima octaua, principe in rep. Atheniensiũ Theogenide, centũ annis Lysia antiquior, homo (vt apparet ex Plutarcho) factiosus, varijsque ob improbitatem periculis, & laboribus exercitus. De eius stylo ita cẽset idem auctor, ἐστὶ δὲ ἁπλοῦς, καὶ ἀκατάσκευος ὀνόματοις λόγοις, ἀφελὴς, καὶ ἀσχημάτιστος. Simplex est, sine apparatu, inornatus, & minimè figuratus: quicquid tamẽ dicat Plutarchus: grauis est, affectus habet, lacertos quoque, & figuras, sentẽtiæ satis vehementes. Nam, vt cætera omittã, ea nobilissima C. Gracchi aporia, qua dicitur, vel inimicis lachrymas elicuisse, fluxit ab Andocide. Sic enim ille in oratione de mysterijs. Μὴ τοίνυν εἰ αὐτοὶ πεδιᾶται, καὶ τὰ πεπραγμένων αὐτοῖς ἐπιλάθησθε· ἀλλ' ἀναμνησθέντες τὰ ἔργων νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὑμᾶς ἂν ἀπολέσασθαι δεηθέντος ὑπὲρ ἐμαυτοῦ τὰ πατέρα, ἀλλὰ τεθνηκεν. τοὺς ἀδελφούς; ἀλλ' οὐκ εἰσίν. ἀλλὰ τοὺς παῖδας; ἀλλ' οὔπω γεγένηνται. ὑμεῖς τοίνυν καὶ ἀντὶ πατρὸς ἐμοὶ καὶ ἀντὶ ἀδελφῶν, καὶ ἀντὶ παίδων γίνεσθε· εἰς ὑμᾶς καταφεύγω, καὶ ἀντιβολῶ, καὶ ἱκετεύω καὶ ὑμεῖς με παρ' ὑμῶν αὐτῶν αἰτησάμενον σώσατε, καὶ μὴ βούλεσθε Θετταλοὺς, καὶ Ἀνδρίους πολίτας ποιεῖσθαι δι' ἀπορίαν ἀνδρῶν, τοὺς μὲν ὄντας πολίτας ὁμολογουμένως, οἷς προσήκει ἀνδράσιν ἀγαθοῖς εἶναι, καὶ βουλόμενοι διωικῆσονται, τούτους δὲ ἀπόλυτε μὴ ὄντα. mouet à suis maioribus grauiter: Quare nolite, etiamsi mortui sint, rerum gestarum oblinisci, sed illustriũ facinorum recordati, existimate eos viuos, & præsentes adesse pro mea salute deprecatores. Ad quem enim confugiam? quẽ mihi supplicem adhibebo? Patrem? at mortuus est; fratres? nullos habeo; liberos? nondum mihi nati sunt. Vos igitur mihi estote pro patre, pro fratribus, pro liberis, ad vos confugio, oro & obsecro: seruate me, & nolite virorum penuria Thessalos, & Andrios in ciuitatem vestram ascisce re, vestros verò ciues, qui boni viri, ac fortes esse maximè possunt, & erunt, perimere. Quid in perorationibus Demosthenis huic simile? Eius quatuor orationes extant in volumine Græcorum oratorum.

Andocides in or. de mysterijs. p. 9, n. 15.

Lysias.

CAPVT XXVI.

LYsiam, si Musis placet, ad cælũ vsque Græci homines sibi, suisque plaudentes similibus, efferunt. Ego nihil in eo sublime, aut admirabile video? Venustus est scriptor, ac politus, quis negat? nihil habet insolens, nihil ineptũ, concedatur: sed tenuis est, inornatus, & toto genere strigosior. Nec mirum, priuatas illas pleraſq; & eas ipsas alijs, & partiarum rerum causulas scripsit, ex quo necessario fit ieiunior, quoniam se ipse consultò ad minutarum generum causarum limauit. Appositè, & loco de eodem dixit Fab. Quintil. quũ de Demosthene, Æschine, & Hyperide verba fecisset: His (inquit) Lysias ætate maior, subtilis, atque elegãs, & quo nihil, si oratori satis sit docere, quęras perfectius: nihil enim in eo est inane, nihil accersitum; puto tamen fontiquam magno flumini propiorẽ. Sit igitur fons, vel fonticulus, & caueat se cum magnis fluminibus comparare. At verò Dionysius Halicarn. in eius laudes se effundens, iustã orationẽ scribit, non modò eius proprietatem, perspicuitatẽ, rotunditatẽ, gratiam, puritatem commendat, sed etiam audet dicere cum περιττὰ, καὶ σεμνὰ, καὶ μεγάλα φαίνεσθαι πράγματα ποιεῖν. quod nemo veterum in Lysia propriũ agnoscit, vel eorũ, qui plenius huic indulgent oratori: etiam cum Isocrate comparat, rosam cum anemone. Quantòmelius Plato in Phędro, qui rẽ indignam putat, Isocratis opera, cum orationibus Lysię cõparare? quod ille maior esset & indole, & virtute, etiamsi tum esset adolescens, cũm iã Lysias venisset ad summũ gloriæ? Quod verò χάριν ἐκείνου κρατίστην ἄγειν, καὶ χαριεντισμάτων ἐκείνου μεστὸν εἶναι dicis, quasi solius sit Lysiæ, καὶ χαριεντίζεσθαι. *Photius propriam eius virtutem indicat* τῶν κώλων ἰσόρροπον καὶ τῆς περιόδου ἰσοσκελεῖς *membrorum cõcinnitatem, & florem puritatis. Cic. de optimo gen. orat.* *In oratione tamen contra Mnesiptolemum.*

grandiorem solito fuisse notat Photius.

μένως, καὶ ἐπαρφροδίτως λέγειν, in eo Isocrati, & Demetrio Phalareo iniquior, quibus hæc virtus maximè conuenit, & si quis periculum facere velit, legat orationē Lysiæ contra Theomnestum, & cæteros similes, in quibus, quod satiet abundè, quod delectet, nihil multum inueniet. Vnam eius orationem valdè pro bo, ἐπιτάφιον τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς: reliquæ mediocres sunt, multæ, & luce, & eius nominei [illegible]gnæ viris doctis meritò videntur

---

Isocrates.

CAPVT XXVII.

Sirenula, quæ Isocratis insidet tumulo, me tacente laudes eius prædicat, & suauitatem commendat eloquentiæ. Hic certè tibiarū fabri filius didicit canere maioribus fistulis, ad eloquētiæ natus decora. Quid mirum? Gorgiam illum Leontinum audiuerat, aureum plane oratorem, sub quo procusa Isocratis lingua, dicendi consecuta est admirabilitatē. Volitabat imprimis gloria, forum & actiones cogitabat, sed vocis gracilitas, frontisq; mollities hominem à forensi strepitu, in priuatos scholæ parietes compulit, inter quos eam gloriam aluit, quā nemo post ea est consequutus: quippe eius ludus toti Græciæ dicendi officia, vel certè, vt acutè dictū est à Tullio, equus Troianus fuit, è quo principes nauiter instituti ad eloquentiā, prodierūt: primus enim cępit mollioribus numeris explere sententias, & aurea philosophiæ documenta delicatissimæ orationis intexere floribus, è quibus eam apud summos viros adeptus est gloriam, quā nemo adæquauit. Præsenserat primas, veluti orientis ingenij faces diuinus Plato, cum eum tam illustri commendat elogio.

Plato in Phædro. Platonis iudicium de Isocr.

Δοκεῖ μοι ἀμείνων, ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους, τὰ τῆς φύσεως, ἔτι δὲ ἤθει γενικωτέρῳ κεκραᾶσθαι, ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν, προϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτοὺς τε τοὺς λόγους οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τὴν πώποτε ἁψαμένων λόγων· ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω δὲ αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα: videtur mihi præstantiore ingenij indole, quam Lysias, quantum quidem ex illius scriptis iudicare possumus, & moribus etiam commodioribus temperatior, & copiosior: itaque nihil mirum, si ab adolescentia in arte dicendi viris antecellat, vt puer pueros ijsdem studijs deditos superauit, atque etiam ijs studijs minimè contentus, ad maiora, diuino quodam impetu impellatur. Hæc Socrates in Phædro Platonis, de Isocrate admodum adolescente. Ex quo cōijcere licet, qualis vir fuerit, qui tam fœcunda initia, ad centesimum vsque annum, quem propè expleuit viuendo, in continua eloquentiæ exercitatione perduxit. Cicero certè eum eloquentiæ patrē non veretur appellare: nec immeritò, insunt enim in eo summæ virtutes, quæ à Dion. Halicarn. colliguntur; inuentio mirabilis, heroica magnificentia, illustris argumentorum splendor, dispositio prudens, epicherematum elaborata collocatio, magna vbique styli perspicuitas, atque in exprimendis moribus industria, dictio pura, facilis, vsitata, verborum summa, quæ potest esse, concinnitas. Cæterū, vt nihil ex omni parte beatum est, à summis viris, in eo morosa ad satietatem vsque affectatio reprehenditur. Primum enim concursus vocalium, quæ hiulcam faciunt orationem, tā religiosè vitat, vt nihil supra: licet de eius oratione Lucilianum illud dicere:

Isocratis virtutes.

Isocratis vitia.

Quam lepidè lexes, compasta vt Tesserulæ omnes.

Arte pauimento, atque emblemate vermiculato.

Deinde figuras, non quidem sententiæ, sed dictionis, vt leuiculas antitheses, isocola, homœoptota, homœoteleuta, non minus frequenter, quàm illi Iouem Corinthium inculcat: ad summum, numeros, & circumscriptos verborum ambitus perpetuò consectatur, vt nunquā videatur acquiescere, nisi periodos impensiore cura tornatas laxius effūdat, & mollius. Quod qui nimis pueriliter faciunt, tibicines multos inferciunt orationi. Hæc in Isocrate Dionysius animaduertit: Philenicus eundem cum pictore comparat, qui vbique easdem vestes, & gestus, & ornamēta imaginibus appingit. Hieronymus Philosophus lectori puero similem dicit, quod nulla vnquam acrimonia, nulla vocis contentione vtatur. Verùm facilè potest Isocrates excusari, si præsertim eius consilium spectetur. Hoc genus dicendi si vsurpasset in foro, iusta reprehensione non caruisset, at verò scribit ad pompam, delectationemque legentium: in quo genere quid potest esse nimis elaboratum? Non est hic ars occultanda, quam profitemur, & quam à nobis solùm auditores expectant, quanquam in eo non est ineptus, aut nimius Isocrates, quod nimis intēperanter obijcit

Philenici & Hieronymi philosoph. de Isocrat. iudicium.

Defenditur Isocr.

obijcit Philenicus: sed suaui magnitudine, & verecunda grauitate totum orationis corpus dispensat, nec vbique eodē modo colorat. Qui animiam lenitatem obijcit, Hieronymus, videre debuerat, ea esse Isocratis argumenta, quæ sedatam requirant orationem; quod si aliter faceret, insaniret, & ad περίβυρσον, illud, quod tantopere exagitatur à Longino, accederet.

Isæus.

CAPVT XVIII.

Dionysius tribuit illi dictionem puram, accuratam, perspicuam, propriam, euidentem & cōcisam. καθαρὰν, ἀκριβῆ, σαφῆ, κυρίαν, ἐναργῆ, αὐτοτομον.

ISæus genere Chalcidiensis, Athenas profectus, Lysiæ operam dedit, & ex eius schola politus in forum venit, verborum cōcinnitate, & vi dicendi præceptori non dissimilis: quo fit, vt non facilè discernantur vtriusq; orationes, nisi, quod ait Dionysius Halicarnasseus, Lysiæ concionibus gratia quædam sparsa afflorescat. Orationes reliquit sexaginta quatuor, ex quibus extant adhuc decem. In nulla re mihi videtur illustrior, quàm quod Demosthenem instituit.

Æschines.

CAPVT XIX.

QVis Mirmilloni componitur æquimanus? Thrax (inquit Horatius) quis Demostheni? Æschines: hos enim, quasi par gladiatorum comparat M. Tullius: A me (inquit) vt maximis minima conferam, gladiatorum par nobilissimum inducitur Æschines, tanquam Esernius, vt ait Lucilius:

Æschines cum Esernino gladiatore comparatur.

——— Non spureus homo, sed declue, & acer,
Cum Placidiano componitur, optimo longè
Post homines natos. vel, vt Afranius habet:
——— optimus multò,
Post homines natos, gladiator qui fuit vnus.

Nihil enim illo oratore cogitari posse diuinius, quæ verba male Henricus Stephanus, vir alioqui eruditus, tribuit Æschini: nunquam eum diuinum oratorem dixit Cicero, sed Demosthenem: ideo cum Esernino Æschinem comparat, qui Placidiano longe erat inferior; nam (vt ex Lucilij verbis apparet) Esernius spurcus homo nominatur, Placidianus longè optimus post homines natos. Eadem similitudine vsus est M. Tullius, cum in causa Gabinij, Pompeium violentum, &, vt ait ipse, scaturientem cum Esernino, se verò illi oppositū, cū Placidiano confert: Non putasset (inquit) sibi Pompeius, de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen in vrbem introisset, ad inimicitias res venisset, cum Esernino Samnite Placidianus comparatus videret: auiculā fortasse mordicus abstulisset. Perperam quoque Erasmus, in adagio, ait fuisse gladiatores per omnia pares: In dissimili enim genere, licet simul cōpositos fuisse, & Luciliana, & Ciceroniana declarāt: Sit igitur Esernius Æschines, qui, vt ait Dion. Halicarn. ἀτυφότερος μὲν ἦν Δημοσθένους, οὐ μὴν τῆ λέξεων ἐκλογῆ πομπικὸς ἅμα καὶ δεινὸς, καὶ σὺν πάνυ μὲν ἐντεχνος, τῇ δὲ παρὰ τὴν φύσεως εὐχερείᾳ κεχορηγημένος, καὶ σφόδρα ὀναρτὴς, καὶ βαρὺς, καὶ αὐξητικὸς, καὶ πικρός. Et, vt censet Fabius Quintil. plenior Æschines, & magis fusus & grādiori similis, quò minus strictus, carnis tamē plus habet, minus lacertorum. Certè Cicero, vt vim Demosthenis, suauitatem Isocrati, Lysiæ subtilitatem, acumen Hyperidi, sonitum Æschini tribuit, & rectè: Ego si liceat, quod sentio, dicere hominem arbitror ex histrionia profectū, & naturæ viribus satis incitatum, canorum fuisse leguleium, magnum oratorem non puto. Anonymus aliquis author Græcus Demosthenem cum Aeschine perpetua antithesi conferens, hunc cruentè lacerat, illum profusè laudat. Vide in elogio ad Demosth.

Iudicium Dion. de Æschine.

Idem ab Hermogene l. 1. de Ideis dicitur σοφιστικὸς, καὶ γαῦρος.

Anonymi iudicium Æschine

Lycurgus.

CAPVT XXX.

LYcurgus orator non ex Rhetorum officina, sed ex Platonis schola processit ad Reipub. gubernacula, quam & bonis legibus informauit, & varijs locupletauit ornamentis. Vir fuit grauis, opulentus, prudens, æquitatis laude supra cæteros omnes præstantissimus. Quippe Lycurgum apud populum nominasse, magnum subsidium patrono videbatur, & hanc iustitiæ famam tam constanter seruauit, vt appetente iam morte, se in senatum deferri curaret, quò rerum suarum gestarum rationem redderet: quod cum grauiter, & sanctè fecisset, vnus Menesæchmus inuentus est, qui redargueret, cuius criminationes cū refutasset, domum reductus excessit è vita. Athenienſi populo periucundus, Alexandro perinfensus fuit; cius ἀπεθέωσιν cum audisset, Deum irridebat, *è cuius templo egredient. bue, aqua lustrali opus esset.* In stylo: Ἐστι διὰ παντὸς αὐξητικὸς, καὶ ὀγκηρὸς, καὶ σεμνὸς, καὶ ὅλως καλλιφορικὸς,

Plutar. in 10. orat.

Dionys.

ρικὸς, καὶ φιλαλήθης, καὶ παῤῥησιαστικὸς, οὐ μὴν ἀστεῖος οὐδὲ ἡδὺς, ἀλλ' ἀναγκαῖος, τούτου χρὴ ζηλοῦν μάλιστα τὰς δεινώσεις. Est vbiq; fusus, elatus, grauis, & totus accusatorius, veritatis amãs, & in dicendo magna libertate, nõ est vrbanus, aut suauis, sed serius, & ad grauitatis exemplar, omnibus propositus.

Demosthenes.

CAPVT XXXI.

Val. Max. l. 8. c. 6.

Quint. l. 12. c. 10.

MAnibus date lilia plenis; hic est Demosthenes: dixi omnia; quid requiris? Ignorat an sole collustretur mundus, qui Demosthenẽ ignorat: huius commemorato nomine, statim maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur, nec immeritò; cunctos enim illos Atticos tenues, & circumspectos, vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superauit; nihil Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutijs, & acumine Hyperidi, nihil lenitate Æschini, & splendore verborum; nihil acutè inueniri potuit in eis causis, quas scripsit; nihil (vt ita dicam) subdolè, nihil versutè, quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil pressè, enucleatè, quo fieri possit aliquid limatius: Omnes, vt in Iride colores, sic in Demosthene virtutes, λαμπρός ἐστι μὲν τῷ μεγέθει, σφοδρὸς δὲ τῷ πνεύματι, σωφρονέστατος δὲ τὴν τῶν ὀνομάτων ἐγκράτειαν, ποικιλώτατος ἐν ἀλλαγαῖς τῶν σχημάτων· μόνος δὲ τῶν ῥητόρων ἔμψυχον οὐ σφυρήλατον παρεῖχε τὸν λόγον. solus Oratorum habuit animatam, non malleo fabricatam orationem. Ad summum cum Clemente Alexandrino concludamus: si quis Isomacho studuerit, agricola fiet: si Lampridi, nauclerus: si Charidemo, Imperator: si Simoni, eques: si Crobylo, coquus: si Perdici, caupo: si Archelao, saltator: si Homero, poeta: si Pyrrhoni, vitilitigator: si Demostheni, orator: si Chrysippo, dialecticus: si Aristoteli, physicus: & philosophus, si Platoni: si Christo, τελέως ἐκτελεῖται τὴν εἰκόνα τοῦ διδασκάλου ἐν σαρκὶ περὶ πολῶν θεός, ad imaginem magistri perficietur in carne circumiens Deus. Hæc summi authores de Demosthene, sed nos plenius eius vitia, & virtutes in Cicerone examinabimus.

Cicero in Orat. & Bruto.

Leosthenes apud Lucian. in encom. Demosth.

Hyperides.

CAPVT XXXII.

CVm Lycurgo floruit Hyperides Orator non ignobilis, qui Rempub. eo tempore administrabat, quo Antipater rerum potitus est, quem cùm eius legati apud Athenienses miris efferrent laudibus, & Optimum identidem appellarent. *Nouimus* (inquit) *Antipatrum optimum, sed domino optimo nihil nobis opus est.* Tandem cùm in eius venisset potestatem, tortus sibi linguam dentibus concidit, ne consilia Reipub. proderet, & hostis libidini vitam tradidit. Fertur tanta fuisse dicendi copia, & venustate, vt à multis Demostheni antepone retur, à Dionysio Halicarnasseo iudicatur, χάριτος μεστὸς, καὶ δοκῶν ἁπλοῦς, οὐκ ἀπήλλακται δεινότητος, Veneribus affluens, qui cũ simplex videatur, vi, & grauitate non caret: à Quintiliano dulcis imprimis, & acutus memoratur, sed minoribus caussis vtilior, aut certè magis par. Quòd si numero, nõ veritate (inquit Longinus,) perfectiones Oratoris ponderentur, rebus omnibus Demosthenem superabit: est enim eo vocalior, & plures virtutes habet, penè summus in omnibus, instar quinquertionis: Nam præterquam, quod omnes, compositione tamen excepta, imitatur Demosthenis virtutes, etiam Lysiacas Veneres eximias habet; quippe molles facit orationis commissuras, neque omnia eodem ordine, tenoreque, vt Demosthenes dicit, sed mores exprimit cum suauitate tenuiter condita. Incredibiles sunt in eo vrbanitates, excelsa generositas, Ironiæ aptæ, sales non infaceti, nec secundum Atticos illos, remoti, multum comici lepôris, & cum sagaci ioco stimulus, & inimitabilis in omnibus venustas. In mouenda verò miseratione acer est, & sibi instans, in fabulis exponendis fusus, in narrationibus fluens, in pompis summus, ad summum in omnem partem flexibilis. Hæc de Hyperide Longinus. Hermogenes tamẽ in eo arguit, μὴ σφόδρα εὖ τῷ καθαρῷ τε καὶ ἠθικῷ καὶ λέξεσιν ἀμελέστερον χρῆσθαι. Quod morum non habeat adeò puram temperiem, & in verborum delectu sit negligentior.

Hyperidis acumen.

Vis eius, & venustas.

Hyperidis ornamenta ex Longino.

Vitia ex Hermog.

Dinar-

Dinarchus.

CAPVT XXXIII.

SVperioribus ætate iunior Dinarchus characterem habet orationis ciuilem, perspicuum, probabilem, & in eo quidem spiritus vehemens, & asper in sensibus, atque methodo: in dictione minus habet vehementiæ, & grauitatis. Videtur tamen se ad Demosthenis dictionem informare: quanquã inflatus est, & magis fusus, ex quo illũ non inurbanè nonnulli κριθινον Δημοσθένη, *Hordearium Demosthenem* nominarunt. Extant eius tres orationes in Aristogitonẽ, Philoclem & Demosthenem, quẽ ἰωρολοκίας vehementer accusat, sed vt alius Antipater, est κραυμοζόας, clamans ex calamo, neq; enim ista pronuntiauit, sed scripsit, cùm vnam tantum causulam egisse reperiatur. In peroratione κατὰ Δημοσθένους exemplum affert Arthemij Zelitæ, qui publica infamia notatus fuerit, quod aurum à Medis accepisset, hoc ipsum habet Demosthenes. Vterque pro virili amplificat, sed quam Demosthenes in eo sit grauior, cuiuis licet agnoscere.

Hermog. περὶ ἰδεῶν. Alter Dionys. Halicarnassæus in Dinarcho. διὰ αὐτὸ γὰρ τοῦτο, καὶ ἀκρώνιχον ἕνεκα Δημοσθένους ἔφησαν εἶναι καὶ τὸ ἐλλαμπὲς τῆς οἰκονομίας.

Demades.

CAPVT XXXIV.

INter veteres quoque, & Atticos oratores numeratur Demades, qui primus, vt arbitror, ex natura factus est orator, ex quo & nauticos sales in forum transtulit, vt notat Cicero in Oratore. Ex Atticis nõ omnes faceti, Lysias satis, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur. A Suida πανέργῳ, & ὀψωνὴς dicitur, quod Athenienſium rempub. Philippo magna mercede proderet. At in oratione περὶ δωδεκαετίας satis grauiter se excusans, ait, τὸ περιμάχητον καὶ θαυμαζόμενον ὑπὸ πάντων ἄσυ, βοῶν καὶ προβάτων ὥσπερ ἔπαυλις, καὶ τετραποδισμάτων ἐπλήρου, ἐξ οὗ δὲ ἐγὼ δημόσιος ἦν ἐλπίς. ἔγραψα τοίνυν εἰρήνην, ὁμολογῶ καὶ φημὶ, καλῶς καὶ συμφερόντως πεπραχέναι τοῦτο. Κρεῖττον γὰρ ἐπερχόμενον ἐκκλῖναι τὸ νέφος, ἢ φερόμενον σωπᾶν ἐγχαθῆναι τῷ ῥεύματι. Quod vltimum etiam acutum. Satius esse imminentem declinare nubem, quam rapido torrente abripi.

Xenophon.

CAPVT XXXV.

XEnophontem verò, quis satis laudarit, nisi Xenophontis musam in ore habuerit? Fuit hic corpore speciosus, mente sublimis, animo generosus, magnus bellator, præstans historicus, suauis orator, non ignaua opera Philosophus. De quo præclarè Eunapius: ξενοφῶν ὁ φιλόσοφος ἀνὴρ μόνῳ κομίσας τὰ μὲν ἐν λόγοις, ἔστι τε ἃ ἐν γράμμασι καὶ ἀδικλεῖ ἀρετῇ γράφῃ. τὰ δὲ ἐν πράξεσί τε ἦν ἄριστος, ἀλλὰ καὶ ἐγένετο στρατηγοὺς τοῖς ὑπομνήμασιν. Xenophon philosophus, qui vir solus ex omni philosophorum numero, cum scriptis, tum factis sapientiæ studium expressit, moralem virtutem libris, commentarijsque consignauit. Idem in rebus gerendis facilè præstantissimus dux, præeundo exemplis Duces, & Imperatores genuit. Talis igitur in rebus. In stylo melle dulcior est, à forensi strepitu remotissimus, vt qui minus vehemens sit, & illum impetum oratoris non habeat. A Diony. Halicarnass. iudicatur καθαρὸς τοῖς ὀνόμασι, σαφὴς καὶ ἐναργὴς, καὶ τὴν σύνθεσιν ἡδὺς, καὶ εὔχαρις purus in delectu verborum, idemque clarus, & perspicuus, in compositione gratiosus, & suauis supra ipsum Herodotum: itaque vulgo eius ore loqui musæ dicebantur, quin & ipse musa Attica nominatus est. Certè eius iucunditas est inaffectata, sed quam nulla affectatio consequi possit, vt ipsæ sermonem gratiæ finxisse videantur. Vnum reprehenditur à Dionysio, quod aliquando decori oblitus, barbaris philosophicos sermones tribuat, sed hoc ex fastu Græco dixit Criticus, quasi solos Græcos philosophia deceat, & non apud Quintũ Curtium melius aliquando philosophentur Scythæ, quam Græcorum quilibet, aut apud Plutarchum in Apopht. Persarum Reges magna oratorum dignitate, & sapientia non sint excelsi. Deest illi in historia splendor, maiestas, & suauis conformatio Herodoti, quam, & si aliquando excitare contendit, elocutionem paululum inspirans, de repentè quasi altanus ventus languescit, & extinguitur.

Eunap in Sophistu initio lib.

Xenophontis dotes.

ὥσπερ ἀπὸ αὔρας τινὸς ἰσχνὸν ἐπνεύσας. *Hæc idem Halicarnass. in epistola ad Cn. Pompeium.*

Theophrastus.

CAPVT XXXVI.

Theoph. dictus antea Tyrtamus.

THeophrasto nomen dedit loquendi diuinitas, cum antea Tyrtamus vocaretur. Hic in Aristotelis sinu educatus ingenio acri, veloci, & planè igneo, ad eam gloriam effloruit, vt non sine causa à Cicerone Philosophorum eruditissimus, & elegantissimus fuerit appellatus. Quippe cum magno præceptori successisset, magnus, & extra omnem ingenij aleam discipulus, ad duo auditorum millia habuit, totius Græciæ frequentissimo concursu celebratus. Atque inter has eloquentiæ laureas: vir facundissimi oris consenuit, & cum annum octogesimum excessisset, moriens tamen accusasse naturam dicitur, quod Ceruis, & Cornicibus diuturnam vitam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam dedisset. Tum conuersus ad discipulos, *in vita plus esse dixit vanitatis, quàm vtilitatis, amore autem gloriæ nihil esse inanius*, atque inter hæc verba animam exhalauit, pulcherrimè, si quando alias, philosophatus. Character eius politus est, amœnus, elegans, totus affluens veneribus: tum præcipuè in exprimendis, effingendisque hominum moribus, pollet dexteritate quadam singulari, ex quo Theophrasto tantopere delectatus est Cicero, vt eum amicum suum, & delicias nominaret. Cumque oris adeò rotũdi esset, & planè Attici, sapuit tamen pronuntiatio aliquid peregrinum, & Eresium, inde enim erat oriundus. Itaque cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, & respondisset illa, atque addidisset, hospes, nõ posse minoris, tulit molestè se non posse effugere hospitis speciem, cùm ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.

Ad duo millia auditorum habuit.

Morientis extrema verba. Vide Laertium.

Demetrius Phalereus.

CAPVT XXXVII.

THeophrasti fœtus Demetrius Phalereus vir politissimi ingenij, qui rempub. Athenienſem magna imprimis gloria administrauit. Nam illi, quot anni currunt dies, tot sunt erectæ statuæ, lenocinante principijs fortuna. Sed mox rotæ turbine excussus, inconstantiæ rerum humanarum fidem fecit: nam trecentæ, & sexaginta statuæ, quæ eius nomini erant positæ, partim contritæ sunt, partim etiam in matulas conflatæ.

Ipse extorris in Ægypto aspide ad corpus admota, vita priuatus est. De eius stylo nihil clarius dici potest, quàm quod à Cicerone pronuntiatum est.

Successit, inquit, senibus adolescens Demetrius Phalereus, auditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palestræ: itaque delectabat magis Athenienses, quam mouebat: processerat enim in solem, & puluerem, non vt è militari tabernaculo, sed vt è Theophrasti doctissimi hominis vmbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramq; reddidit, & suauis, sicut fuit, videri maluit, quàm grauis. Addit, eius sermonem, quasi stellis verborum illuminari, quo testimonio nihil potest esse grauius. Vtinam præclari ingenij monumenta extarent pleniora: nam qui circumfertur liber de elocutione, non est meo quidem iudicio Demetrij Phal. sed alius ex his XIII. quos commemorat Diogenes Laert. hoc vel illud vnum arguit, quod initium libri sit satis politum, finis confusus, & ineptus. Deinde is author quisquis fuit, Demetrij Phal. testimonio vtitur in hoc libello (quicquid dicat Victorius) prudentis scriptoris modestiam non saperet, si Demetrio tribueretur.

Deinde sui in tertia persona sine vlla declaratione non meminisset. Ab eo tempore peregrinatam dicunt eloquentiam varias insulas peragrasse, & externis se moribus obleuisse. Verum postquam Græcia sub Imperatoribus suppresso armorum studio, tota in literis consenuit, Nusquam maior vis eloquentiæ, nusquam vehementiores ingeniorum emissiones extiterunt. Floruit illis temporibus Amaltheæ cornu Dion. Prusæus. Floruit Herodes Atticus, cuius omnes sophistæ particulæ quædam videbantur: floruit præcox naturæ miraculum Hermogenes, & Eustathius Cappadox, Saporis triumphator, & Proæresius, viua quædam, & spiritus Mercurij imago, magnus denique eloquentiæ artifex Libanius, & ipse Apostatæ nomine notior Iulianus, qui omnes magni in dicendo extiterunt, cum alijs innumeris, quos apud Philostratum, & Eunapium licet legere. Absit tamen vt istos cum nostris Basilijs, Gregorijs, Chrysostomis, Ambrosijs, Hieronymis, Augustinis, audeam commiscere, quibus peculiaris in sacra eloquentia locus debetur.

Nunc

Nunc Latinæ eloquentiæ cunas videamus.

Cicero in Bruto. Eius tẽporibus floruisse eloquentiã. vel illud indicat quod funebri laudatione fuerit decoratus, orationes aũt exornatui generis, iam inter facundia delicias numerãtur, author Halicar. l. 5. antiquit. Ro. vbi de Valerio habet, καὶ προελθὼν ἐπὶ τὸ σῆμα, τὸν ἐπιτάφιον ἔλεξεν ἐπ' αὐτῷ λόγον. Extat eius oratio ex Halicar. li. 4. p. 143.

Latini Oratores Ciceronis fermè omnes penicillo expressi.

L. Iunius Brutus.

L. Iunius Brutus Latinorum Oratorum principium tenebit, si non principatum. Quis enim illi putet, aut celeritatem ingenij, aut vim dicendi defuisse, qui de matre ex oraculo Apollinis, tam acutè, arguteque coniecerit? qui summam prudentiam simulatione stultitiæ texerit? qui potentissimum regem, clarissimi regis filium expulerit? ciuitatemque perpetuo dominatu liberatam, magistratibus annuis, legibus, iudicijsque deuinxerit? qui collegæ suo imperium abrogauerit, vt è ciuitate regalis nominis memoriam tolleret, quod certè effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum, Cicero in Bruto p. 396.

Liuius l. 2. ab vrbe cõdita.

Menenius Agrippa.

CAPVT XXXIX.

PRissa quidem, & horrida, sed ipso horrore veneranda extitit Menenij Agrippæ facundia, qui paucos annos post reges exactos, cum plebs propè ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque montem, qui sacer appellatur, occupasset, dicendo sanauit discordias. Extat eius oratio sic à Tito Liuio expressa.

Oratio Menenij Agrippæ.

TEmpore quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerit, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri; ventrem in medio quietum nihil aliud, quã datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem domare vellent, ipsa vnà membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse, inde apparuisse ventris quoque, non segne ministerium esse: nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemusque; diuisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis, in Patres flexit hominum voluntates.

Appius Claudius.

CAPVT XL.

APpius Claudius, C. F. App. N. Cæcus ille, ingenij tamen vt apparet lumine præstitit, iuris æquè, ac eloquentiæ consultus. Hic est, qui rerum gestarum gloria circumfluens, cum de Pyrrhi pace ageretur, lectica in Senatum delatus turpes pacis conditiones grauissima oratione discussit, quæ extat apud Plutarchum his verbis.

ORATIO APPII CLAVDII AD Senatum.

Πρότερον μὲν ἔφη τὴν περὶ τὰ ὄμματα τύχην ἀνιαρῶς ἔφερον, ὦ Ῥωμαῖοι νῦν δ' ἄχθομαι, πρὸς τῷ τυφλὸς εἶναι, μὴ καὶ κωφὸς ὢν ἀλλ' ἀκούων αἰσχρὰ βουλεύματα καὶ δόγματα ὑμῶν, ἀναζέποντα τῆς Ῥώμης τὸ κλέος. πῶς γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρωπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος, ὡς εἰ παρῆν ἐκεῖνος εἰς Ιταλίαν ὁ μέγας Αλέξανδρος, καὶ συνηνέχθη νέοις ἡμῖν καὶ τοῖς παζάσιν ἡμῶν ἀκμάζουσιν, οὐκ ἂν ὑμνεῖτο νῦν ἀνίκητος, ἀλλ' ἢ φυγὼν ἂν ἢ πῶς πεσὼν ἐνταῦθα τὴν Ῥώμην ἐνδοξτέραν ἀπέλιπε. Ταῦτα μέν τοι κενὴν ἀλαζονείαν καὶ κόμπον ἀποδείκνυτο Χάονας καὶ Μολοσσοὺς τὴν ἀεὶ Μακεδόνων λεῖαν δεδιότες, καὶ τρέμοντες Πύῤῥον ὃς τοῦ Αλεξάνδρου δορυφόρων ἑνα τῶν ἀεὶ περιέπων καὶ θεραπεύων διατετέλεκε, καὶ νῦν οὐ βοηθῶν τοῖς ἐνταῦθα μᾶλλον Ελλησιν, ἢ φοῦγων τοὺς ἐκεῖ πολεμίους, πλανᾶται περὶ τὴν Ιταλίαν, ἐπαγγελλόμενος ἡμῖν τὴν ἡγεμονίαν ἀπὸ ταύτης τῆς δυνάμεως, ἢ μέρος μικρὸν αὐτῷ Μακεδονίας οὐκ ἤρκεσε διαφυλάξαι. μὴ τοῦτον οὖν ἀπαλλάξειν νομίζετε ποιησάμενοι φίλον ἀλλὰ ἐκείνους ἐπάξεσθαι, καταφρονήσαντας ὑμῶν, ὡς πᾶσιν εὐκατεργάστων, εἰ Πύῤῥος ἄπεισι μὴ δοὺς δίκην ὧν ὕβρισεν ἀλλὰ καὶ προσλαβὼν μισθὸν τοῦ ἐπεγγελάσαι Ῥωμαίοις ταραντίνους καὶ Σαμνήτας. Quæ Latinè sic reddo:

Eadem

Eadem ex Græco expressa.

ANtea quidem cæcitatem meam molestè ferebam, nunc autem doleo ad hoc oculorum incommodum non accessisse surditatem. Neque enim consiliorum, sententiarumque ignauiam, atque turpitudinem audirem, quibus Pop. Romani gloria breui est interitura. Vbi vester ille omnium quotquot sunt mortalium aures peruagatus sermo, quo iactabatis, illum Alexandrum Magnum, si in Italiam venisset, cum & vos ætatis flore, & vestri parentes consiliorum vigore florerent, inuictũ (vt prædicabatur) haud quaquam futurũ, sed aut sua fuga, aut certè, quod grauius est, cruore vestri imperii nomen sanciturum fuisse. Phalerata (vt apparet) verba fuêre, inania veritatis, plenissima iactationis. Chaonas quippe, & Molossos perpetuam Macedonum prædam timetis, Pyrrhum exhorrescitis, qui vnum aliquem ex istis Alexandri satellitibus semper affectatus, nunc non tam Græcis suppetias ferens, quam ipse domesticos hostes fugiens, circa Italiam diffusus vagatur. Scilicet isto vobis copiarum robore pollicetur orbis imperium, quibus particulam Macedoniæ seruare non valuit?

Nolite existimare hominem, si semel placaueritis, à vobis recessurum, quin potius hac lenitate innumeros alios estis excitaturi, qui vobis tanquam mortalium contemptissimis insultent, cum præsertim Pyrrhus non modò post tot illatas iniurias impunè abeat, sed etiam mercedem à P. R. ferat, quod vos Tarentinorum, & Samnitium fecerit ludibrium.

His addit Cicero C. Fabricium, qui est ad Pyrrhũ de captiuis recuperandis missus Orator: Titum Coruncanum, quôd ex Pontificum commentarijs longè ingenio valuisse videtur: M. Curium, quòd is Tribunus plebis interrege Appio Claud. Cæco, diserto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe consulem non accipiebat, Patres ante autores fieri coegerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Menia lata. Licet aliquid de Marci Popilij ingenio suspicari, cui cùm Cos. esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione, & seditione nuntiata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque, tum authoritate, tum oratione sedauit.

M Corn Cethegus.

CAPVT XLI.

M. Cornelius Cethegus amplissimis honoribus functus, vt qui adolescens, pontifex factus est, & Consulatum gessit bello Punico II. anno ab vrbe condita D.C. cum P. Sempronio Tuditano eloquentiæ laudibus floruit, de quo notissimi versus Ennij.

Additur orator Cornelius suauiloquenti
Ore Cethegus Veturio cellega Philoni
Filius, u dictus olim popularibus olim
Qui tum viuebant homines, atq; auum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadaque medulla.

Vbi Cicero cum animaduertit dici oratorẽ, & suauiloquentem, quod suis temporibus in plerisque nõ tamẽ fuisse asserit, qui latrare potius, quam loqui videbantur. Nec satis, vt hominis decus ingenium, sic ingenij ipsius lumen eloquentia, qua virum excellentem præclarè tum illi homines florem populi esse dixerunt, & quam Deam in Periclis labris scripsit Eupolis sesitanisse, huius medullam Ennius Cethegum oratorem esse dixit.

M. Cato Senior.

CAPVT XLII.

QVem virum ex Cicerone: Dij boni! mitto ciuem, aut senatorem, aut Imperatorem? oratorem enim hoc loco quærimus. Quis illo grauior in laudando? acerbior in vituperando? in sententijs argutior? in docendo, edisserendoque subtilior? Refertæ sunt eius orationes amplius centum, & quinquaginta, & verbis & rebus illustribus. Licet ex ijs eligant ea, quæ notatione, & laude digna sunt: omnes oratoriq; virtutes in eis reperientur. Iam a verò origines eius, quem florem, aut quod lumen eloquẽtiæ non habẽt? Amatores huic desunt, sicuti multis iam antè sæculis, & Philisto Syracusio, & ipsi Thucydidi. Antiquior quidem est eius sermo, & quædam horridiora verba habet, ita enim tum loquebantur. Id muta, quid tum ille non potuit, & adde numeros, & aptior sit oratio: ipsa verba compone, & quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitauerunt, iam neminem antepones Catoni. b Ornati orationẽ Græci putant, si verborum immutationibus vtantur, quos appellant τρόπους & sententiarum,

rum, orationisque formis, quas vocant σχήματα. Non verisimile est quam sit in vtroque genere creber. & distinctus Cato: & id quidem licet ex ijs, quæ supersunt fragmentis agnoscere. Quæ grauitas in eius oratione apud Liuiũ? (quam nos suo loco reddemus) quis spiritus in Apophthegmatis? cum inuectus in Pop. Ro. prodigalitatem, & ignauiam dixit? (Quam difficile est, verba facere ventri aures non habenti.) (Et illud) (omnes viri vxoribus imperant, nos omnibus viris, nobis vxores.) Quid cum censuram petens inter blandientes populo competitores vnum verbum effatus, (Quirites eligite me, vobis opus est seuero medico, & magna purgatione.) Non poterat hic animus non esse aptum eloquentię solum. Cum Catone fuerunt grandiores natu (C. Flaminius. C. Varro. Q. Maximus, Quintus Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, &c.

N. N.

a *Accuratissimum hoc opus fuisse testatur Dion. Halicarnass. Criticus.* Πόρκιός τε Κάτων ὅταν γενεαλογίας τῶν ἐν Ιταλίᾳ πόλεων, ἐπιμελέστατα συναγαγών, *sed hoc ad laudem potius historiæ, quàm eloquentiæ.* b. *Ideo dictus à plerisque Demosthenes* τῷ δὲ Κάτωνι πολλὴ μὲν ἀπὸ τοῦ λόγου δύναμις ἠΰξετο· καὶ Ῥωμαίων αὐτὸν οἱ πολλοὶ Δημοσθένη προσηγόρευον.

Q. Fabius Pictor.

CAPVT XLIII.

QVintus Fabius Pictor inter eloquentes à Cicerone numeratur in Bruto. fuit & iuris, & literarum, & antiquitatis bene peritus. a Hic ipse est Historicus, siue Annalium scriptor Romanorum, omnium historiæ conditorũ antiquissimus, quem Cinæus, Calphurnius, Dionysius, Liuius, cæterique alij in multis sequuti sunt, eoque etiam subinde illum in suis operibus citant.

a *Huius testimoniis sæpè vtitur Dionys. Halicarnassensis, & antiquissimum, atque accuratiss. scriptorem nominat.*

C *Lælius, & P. Africanus.*

CAPVT XLIV.

CAius Lælius, & P. Africanus fuerunt imprimis eloquentes, quorum extabant Ciceronis temporibus orationes, ex quibus existimari de ingenijs oratorum potest. Et quanquam ea fuit opinio, vt plurimum tribueretur ambobus, dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At oratio Lælij de collegis non est melior, quàm de multis, quam voles Scipionis: non quod illa Lælij quicquam sit dulcius, aut quod de religione dici possit augustius, sed tamen multo horridior, & vetustior ille, quàm Scipio: & cum sint in dicendo variæ voluntates, delectare magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam vti paulò magis priscis Lælius, (Sed est mos hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere.) Nam vt ex bellica laude aspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriati bello reperimus fuisse Lælium, sic ingenij, literarum, eloquentiæ, sapientiæ denique, etsi vtrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. Hæc Cicero. Cæterum P. Scipionis, quo eminentior fortuna, & excelsior animus, sic etiam illustrior eloquentia visa est: Accedebat maiestas ad miraculum vsque magna, vt cuius aspectum sæui latrones in villa Linternina cum offendissent, tanquam Deum coluerunt. Nam postes Ianuæ, velut religiosissimam aram, sanctumque templum venerati, cupidè Scipionis dextram apprehenderunt, ac diu osculati positis ante vestibulum donis, quæ Deorum immortalium numini consecrari solent, læti quia Scipionem vidisse contigisset, ad lares proprios reuerterunt. Quid hoc fructu maiestatis excelsius? quid etiam iucundius? hostis iram admiratione sui placauit: spectaculo præsentiæ suæ latronum gestientes oculos obstupefecit. Delapsa cœlo sydera hominibus, si se offerant, venerationis amplius non recipient. Quid cum M. Nænius Tribunus plebis accusaret eum ad populum, qua oratione respondit. Memoria (inquit) Quirites repeto diem esse hodiernum, quo Annibalem Pœnum, imperio nostro inimicissimum, magno imperio vici in terra Africa, pacemque & victoriam vobis peperi insperabilem. Non igitur simus aduersus Deos ingrati, & censeo relinquamus nebulonem hunc, eamusque nunc protinus Ioui optimo max. gratulatum.) Id cum dixisset, auertit, & ire in Capitolium cœpit, tum concio vniuersa, quæ ad sententiam de Scipione ferendam venerat, relicto Tribuno Scipionem in Capitolium comitata: atque inde ad ædes eius cum læri-

Ciceronis de eloquentia Scipionis, & Lælii iudicium.

Scipionis propria in vultu, & oratione maiestas.

Valer. Maxim. l. 2.

Gell. noctiũ Atticar. l. 5. cap. 18.

tia, & gratulatione solemni prosequuta est. Quid hac eloquentia magnificentius?

Seruius Galba.

CAPVT XLV.

Galbæ oratoris ingenium ἐνθουσιαστικὸς, & oratorius furor,

VT in Lælio elegantia, maiestas in Scipione, sic vis in Seruio Galba mirabilis extitit. Testis illa nobilissima causa, quam pro socijs grauissimè, vehementissimeque egit, in qua vnum quasi comperendinatus, medium diem, totum in consideranda caussa componendaque posuit: & cum cognitionis dies esset, & Rutilius rogatu sociorum, domum ad Galbam manè venisset, vt eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret, vsque ille quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, omnibus exclusis commentatus est in quadam testudine cum seruis literatis, quibus aliud dictare eodem tempore solitus erat. Interim cum ei nuntiatum esset tempus esse, exijsse in ædes ferunt eo colore, & ijs oculis, vt egisse caussam non commentatum putares. Addebant scriptores illos malè mulctatos exijsse cum Galba, ex quo significabatur, illum, non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem, atque incensum fuisse. Itaque eum fortasse vis, non ingenij solum, sed etiam animi naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, vt incitata, & grauis, & vehemens esset oratio. Dein cum otiosus stylum prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio. Cicero in Bruto.

Signum φύσεως διοργώσης, vt Herodoti, & Marcellini verbo vtar.

Curio.

CAPVT XLVI.

Ciceronis iam viri de maiore Curione iudicium.

CVrio fuit eiusdem ætatis ferè, sanè illustris orator, cuius de ingenio, ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim, & aliæ, & pro Seruio Fuluio de incestu nobilis oratio, nobis quidem pueris, hæc omnium optimæ putabantur, quæ vix iam comparent in hac turba a nouorum voluminum: (addit) atqui hæc de incestu oratio, puerilis est locis multis, de amore, de tormentis, de rumore, loci sanè inanes, veruntamen nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita ciuitate tolerabiles.

N. N.

a. *Ita pleraque admirationi fuerunt apud veteres, quæ hominibus, ad elegantiora certatim defluentibus fiunt contemptui: Nescio quid maius nascitur Iliade.*

Tiberius Gracchus, & Caius Carbo.

CAPVT XLVII.

VTinam in Tiberio Graccho, Caioque Carbone, talis mens ad remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad benè dicendum fuit. Profecto nemo his viris gloria præstitisset, sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum (ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus accesserat) ab ipsa rep. est interfectus. Alter propter perpetuam in populari ratione lenitatem morte voluntaria, se à seueritate iudicum vindicauit. Sed fuit vterque summus orator, atque hoc memoriâ patrũ testè dicimus: a Nam & Carbonis, & Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiaque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos ex Græcia magistros, inter eos iam adolescens Diophantem Mitylenæum Græciæ temporibus illis disertissimum: sed & breue tempus ingenij augendi, & declarandi fuit.

N. N.

a. *Notat Plutarchus in Gracchis eum fuisse κατασκηματικὸν, ἐπαγωγὸν οἴκτου, ἡδὺν τῇ λέξει, καθαρὸν, καὶ διαπεπονημένον ἀκριβῶς. Sedatum, & mitem, in miseratione excitanda summum artificem, dictione suauem, purum, & exquisitè elaboratum.*

Caius

Caius Gracchus.

CAPVT XLVIII.

SEd ecce in manibus vir, a & præstantissimo ingenio, & flagranti studio, & doctus à puero C. Gracchus: Noli enim putare quenquam pleniorem, & vberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, Sic prorsus, inquit, sic existimo, atque iustum penè de superioribus solum lego. Imo planè, inquam, Brute legas censeo: Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ, Latinæque fecerunt. Vtinam non tam fratri pietatem, quàm patriæ præstare voluisset. Quam ille facilè, tali ingenio diutius si vixisset, vel paternam esset, vel auitam gloriam consequutus. Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententijs, genere toto grauis. Manus extrema non accessit operibus eius: præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Legendus est hic orator, si quisquam alius iuuentuti, non enim solùm acuere, sed etiam alere ingenium potest. Hæc Cicero. Plutarchus etiam eum iuuenèm vocalissimum, b & firmis lateribus ad dicendum fuisse memorat, qui cum Vestij causam defenderet populo, præ gaudio lymphato, & bacchante cum eum audiret, ostendit cæteros oratores nihilo pueris præstare.

Ciceronis & Bruti de Caio Gracchо honorificum iudicium.

Eius virtutes.

Valer. Max. l. 8. c. 10.

Quoties apud populum concionatus est, seruum Erycinum post se musicæ artis peritum habuit, qui occulte eburnea fistula pronunciationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos reuocando, quod ipsum calor, atque impetus actionis, attentum huiusce temperamenti æstimatorem non patiebatur. Extat nobilissimi ingenij fragmentum in ea aporia, & querela, quam habuit ad populum. Quò me miser conferam? In Capitolium ne, at fratris sanguine redundat? An domum, matrem ne vt videam lamentantem, & abiectam? &c. Hæc inclinata voce pronuntians ipsis inimicis lachrymas excussit.

N N.

a *Hic est, vt ait Plutarc. in Gracchis, quo dicente P. R. præ gaudio videbatur* ἀωτινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς *iuxta quem cæteri oratores,* παιδίων μηδὲν διαφέροντες videbantur.

b *Primus inter dicendum in Rostris de ambulauit, & togam ex humero diduxit, iuxta Cleonis illius Atheniensis exemplum, qui soluto pallio nudatum femur percutiebat. Vide Plutarch. in Gracchis.*

Quintus Catulus.

CAPVT XLIX.

IAm Quintus Catulus, non antiquo illo more, sed nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus, multæ literæ, summa vitæ, non solum naturæ, comitas, incorrupta quædam latini sermonis integritas, quæ perspici, cùm ex eius orationibus potest, tum facillimè ex eo libro, quem de consulatu, & de rebus gestis suis conscriptum molli, & Xenophonteio genere sermonis, misit ad Aulum Furium Poetam familiarem suum. Hæc Cicero in Bruto, qui multa sanè huic vbique tribuit, sed præcipue laudem incorrupti sermonis, quæ virtus non est in oratorijs ornamentis subobscura. Nam & in Oratore ait, quid iucundius auribus nostris vnquam accidit huius oratione Catuli? quæ est pura sic, vt latinè loqui, penè solus videatur: sic autem grauis, vt in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas, ac lepos. Quid multa? istum audiens sic iudicare soleo, quicquid aut addideris, aut mutaueris, aut detraxeris, vitiosius, & deterius futurum.

Laus Catuli insignis.

Marcus Antonius.

CAPVT L.

QVam multi oratores commemorati sunt, & quandiu in eorum enumeratione versamur, cùm tamen spissè, atque vix, vt dudum ad Demosthenem, & Hyperidem, sic nunc ad Antonium, Crassumque peruenimus. Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, & in his primum cum Græcorum gloria latinè dicendi copiam æquatam. Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque suo quæque loco, vbi plurimum proficere, & valere possent, vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura, sic ab illo maximè opportunis orationis partibus collocabatur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Imperatus semper aggredi ad dicendum videbatur, sed ita erat paratus, vt Iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non satis parati ad cauendū, fuisse verba ipsa, non illa quidem elegantissimo ser-

Iudicium Ciceronis de Antonio, & Crasso.

In Antonio, & Crasso Romana eloquentia, cum Græca æquata.

Antonij dotes. Prudentia & œconomia dicendi.

Memoria.

Elocutio minimo elegans.

mone. Itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen est admodum inquinatè locutus, sed illa, quæ propria laus oratoris est in verbis. Nam ipsum latinè loqui, est illud quidem (vt paulò ante dixi) in magna laude ponendum: sed non tam sua sponte, quam quod est à plerisque neglectum. Non enim tam præclarum est, scire latinè, quam turpe nescire: (neque tam id mihi oratoris boni, quàm ciuis Romani proprium videtur.) Sed tamen Antonius in verbis, & eligendis (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis) & collocandis, & comprehensione deuinciendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat: verùm multò magis hoc idem in sententiarum ornamentis, & conformationibus. Quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, idcirco à doctis oratorum est princeps iudicatus, χρήματα enim, quæ vocant Græci, ea maximè ornant oratorem: eaque non ita in verbis pingendis habent pondus, quàm in illuminandis sententijs. Sed cùm hæc magna in Antonio, tum actio singularis: quæ si partienda est in gestum, atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententijs congruens: manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis, a sententijsque consentiens, vox permanens, verum subrauca natura: sed hoc vitium huic vni in bonum conuertebat. Habebat enim flebile quiddam in quæstionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commouendam: vt verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt, ei qui quęsiuisset, quid primum esset in dicendo, in actionem; quid secundum, idem: & idem tertium respondisse. Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit: talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt; huic alij parem esse dicebant, alij anteponebant L. Crassum. Illud quidem certè omnes ita iudicabant, neminem esse, qui horum alterutro patrono, cuiusquam ingenium requireret.

Elocutio nõ est propria virtus oratoris.

Antonij stylus excelsè figuratus.

Actio singularis.

N. N.

a *Plutarchus tribuit illi λόγων Σειρῆνα, καὶ χάριν Sirenem, & gratiam verborum, quæ globum etiam circunstantium militum, qui ad eum interficiendum venerant, velut præstigijs attonitum detinuit.*

Marcus Crassus.

CAPVT LI.

EQuidem quanquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius: Erat summa grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum, & vrbanitatis oratorius, non scurrilis lepos: Latinè loquendi accurata & sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio; cum de iure ciuili, cum de æquo, & bono disputaretur, argumentorum, & similitudinũ copia. Nam vt Antonins coniectura mouenda, incredibilem vim habebat, sic in interpretando, in diffiniendo, in explicanda æquitate nihil erat Crasso copiosius, idque cum sæpè aliàs, tum apud centumuiros in M. Curij causa cognitum est. Ita enim multa, tum contra scriptum pro æquo, & bono dixit, vt hominem acutissimum Qu. Scæuolam, & in iure, in quo illa causa vertebatur, peritissimum, obrueret argumentorum, exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum vterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt eloquentium Iurisperitissimus Crassus, Iurisperitorum eloquentissimus Scæuola putaretur.

Crassi, & Antonij cõparatio, & de vtroq; Ciceronis iudicium.

Crassi virtutes.

Grauitas, comitas, elegantia sermonis, in explicanda æquitate copia.

Seruius Sulpitius.

CAPVT LII.

NOn facilè quem dixerim plus studij, quam Seruium; & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse: nam & in ijsdem exercitationibus ineunte ætate, fuimus, & postea vna Rhodũ ille etiam profectus est, quo melior esset, & doctior: a & inde vt redijt, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset, sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longè omnium, non eiusdem modò ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure ciuili esse princeps.

N. N.

a *Seruius Sulpitius maluit Iurisperitorum esse primus, quam Oratorum secundus. Eius eximia laudatio extat Philip. 9.*

Cotta,

Cotta & Sulpitius.

CAPVT LIII.

INueniebat acutè Cotta, dicebat purè, ac solutè, & vt ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicẽdi accommodabat genus, nihil erat in eius oratione nisi syncerũ, nihil nisi siccum, atque sanum, illudq; maximum, quod cum contẽtione orationis flectere animos iudicum vix posset, nec omninò eo genere diceret, tractando tamen impellebat, vt idem facerent à se commoti, quod à Sulpitio concitati

Fuit enim Sulpitius, vel maximè omnium, quos quidem ego audiuerim, grandis, & vt ita dicam, *a* tragicus orator: vox cum magna, tum suauis, & splendida: gestus, & motus corporis ita venustus, vt tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur. Incitata, & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Crassum volebat hic imitari. Cotta malebat Antonium: sed ab hoc vis abetat Antonij, Crassi ab illo lepos.

N. N.

a *Tragica vastitas lepore, & vrbanitate temperanda. Non benè audiunt oratores tragici, & ea fortè de caussa Aeschinem* τραγικὸν πίθηκον *Demosthenes appellat.* ὡς παρὰ τὴν ὑπόκρισιν ἀτυχοῦντα, καὶ μιμούμενον μᾶλλον τραγῳδοὺς ἢ τραγῳδῶν δυνάμενον. *Harpocration.*

Hortensius.

CAPVT LIIII.

HOrtensij ingenium, vt *a* Phidiæ signum simul aspectum, & probatum est. Nam cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi cœptus est: *b* quanquam inciderat in Cottæ, & Sulpitij ætatem, qui annis decem maiores, excellente tum Crasso, & Antonio, deinde Philippo, post Iulio, cum ijs ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in vllo cognouisse me arbitror, vt quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus excogitauisset. Hoc adiumento ille tanto sic vtebatur, vt sua commentata, & scripta, &, nullo referente, omnia aduersariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, vt in nullo vnquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum, sæpissimè autem eodem die vtrumque faciebat. Attuleratque minimè vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus esset, & collectiones; memor, & quæ essent dicta contrà, quæque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosior: eaque erat cũ summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus Rem complectebatur memoriter, diuidebat acutè: nec prætermittebat ferè quicquam quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora, & suauis; motus, & gestus etiam plus artis habebat, quàm erat Oratori satis.

N. N

a *Apparet in eo oratore fuisse magna ingenij vis, & felicitas, quæ sanctiori cultura caruit. Melius dicebat, quam scripsit, & eius scripta, vt ait Quintilianus, intra famam sunt, placebat aliquid eo dicente, quod legentes non inueniebant Fab. l. 11. Memoria verò fuit adeò felici, vt cum in auctione persideret diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores ordine suo argentarijs recognescentibus, ita vt nullo falleretur, recenseret. Senec. Controuers. l. 1.*

b *Plus impendebat corpori quam dictioni. Nescires vtrum cupidius ad audiendum eum, an ad spectandum concurreretur Val. lib 8 c. 10. de quo multa Gell noctium Attic l. 1 Collega de iniurijs diem dixit, quod sibi in angustijs obuius ostensu fortuito structuram togæ destruxerat, & capitale putauit, quod humero suo locum ruga mutasset. Itaque iam Dionysia saltatricula appellabatur, quod malebat audire. quam* ἄμουσος, & ἀγροδίαιτος. *Vide Macrob. Satur. l 3. c. 13.*

Marcus Crassus Iunior.

CAPVT LV.

IS mediocriter à doctrina instructus, augustius etiam à natura, labore, *a* & industria, & quod adhibebat ad obtinendas causas curã etiam, & gratiã, in principibus & patronis aliquot annis fuit. In huius oratione sermo latinus erat, verba non abiecta, res compositæ diligenter, nullus flos tamen, neque lumen vllũ: animi magna, vocis parua contentio, omnia ferè vt similiter, atque vno modo dicerentur.

N. N.

a *M. Crassus Orator submedictis melius artem parandæ pecuniæ nouerat quam eloquentiæ.*

Pompeius.

CAPVT LVI.

CNneus Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriæ cupiditas, ad bellicas laudes abstraxillet. Erat orationis satis amplus, rem prudenter videbat: actio verò eius habebat, & in voce magnum splendorem, & in motu summam dignitatem. *a* Pompeij meminit etiam Dionysius Halicarnasseus, & quasdam eius epistolas Græcas citat, quibus de eloquentia, & optimo genere dicendi, non imperitam tulit sententiam, sed & Græcam orationem, quam apud Ptolomæum Regem haberet, commentatum fuisse Plutarchus memorat.

a *Cn. Pompeij apud Dionys. Halicarnass. mentio.* Πομπήϊος ἔχων ἐν Σικελίᾳ μικρῷ γεγραμμένον ὑπ' αὐτοῦ λόγον Ἑλληνικόν, ᾧ παρεσκευάσθαι χρῆσθαι πρὸς τὸν Πτολεμαῖον.

M. Callidius.

CAPVT LVII.

SEd de M. Callidio dicamus aliquid, qui non fuit orator vnus è multis; potius inter multos propè singularis fuit: *a* ita reconditas, exquisitasque sententias, mollis, & perlucens vestiebat oratio: *b* nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, vt nullius oratoris æquè in potestate fuerit: quæ primùm ita pura erat, vt nihil liquidius: ita liberè fluebat, vt nusquam adhæresceret: nullum nisi loco positum, & tanquam in vermiculato emblemate, vt ait Lucilius, structũ verbum videres: nec verò vllum, aut durũ, aut insolens, aut humile, aut in longius ductũ: ac non propria verba rerum, sed pleraq; translata, sic tamen, vt ea nõ irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres; nec verò hæc soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non apertè, nec eodem modo semper, sed variè, dissimulanterque conclusis. Erãt autem, & verborum, & sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tamen insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autẽ, illud quod multis in locis sufficiebat totũ includitur formulis, & vbi esset, videbat. Accedebat ordo rerũ, plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum, & sanum genus. Quod si est optimũ suauiter dicere, nihil est quod melius hoc quærendum putes. Sed cum à nobis paulo antè dictum sit, tria videri esse, quæ orator efficere deberet, vt doceret, vt delectaret, vt moueret; duo summè tenuit, vt & rem illustraret disserendo, & animos eorum, qui audirent, deuinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoueret, atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus: nec erat vlla vis, atque contentio, sine consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque esset ardentior, furere, & bacchari arbitraretur: siue quod natura non esset ita factus, siue quod non consuesset, siue quod non posset. Hoc vnum illi, si nihil vtilitatis habebat, abfuit: si opus erat, defuit.

Optimus metaphorarum vsus.

Perfectio eloquentiæ non est sola suauitas.

Piso, Tullij gener.

CAPVT LVIII.

STudio autem neminem, nec industria maiorem cognoui: quanquam ne ingenio quidem, qui præstiterit: facile dixerim, *a* C. Pisoni genero meo: nullum tempus illi vnquam vacabat, aut à forensi dictione, aut à commentatione domestica, aut à scribendo, aut à cogitãdo, itaque tãtos processus efficiebat, vt euolare, non excurrere videretur. Eratque verborum, & delectus elegans, & apta, & quasi rotunda constructio: cumque argumenta excogitabantur ab eo multa, & firma ad probandũ, tum concinnæ, acutæque sententiæ, gestusque natura ita venustus, vt ars etiam, quæ non erat, & è disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor ne amore videar plura, quam in illo fuerint dicere: quod non ita est (alia enim de illo maiora dici possunt) nam nec continentia, nec pietate, nec vllo genere virtutis, quenquam eiusdem ætatis, cum illo conferendum puto.

N. N.

a *Laus Pisonis, qua data potius videtur à M. Tullio cognationi, quam scriptionu necessitati: non est enim alioqui inter oratores nominatus.*

C. LI-

C. Licinius Caluus.

CAPVT LIX.

Morosa, & meticulosa eloquentia plus habet operæ, minus felicitatis.

CAius Licinius Caluus accuratius quoddam dicendi, & exquisitius afferebat genus: quod quanquam scienter, eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese obseruans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis, & attentè audientibus erat illustris, à multitudine autem, & à foro, cui nata est eloquentia, deuorabatur. Atticum se Caluus dici oratorem volebat, inde ista exilitas, quam de industria consequebatur.

C. Iulius Cæsar.

CAPVT LX.

MEus magna C. Iulij Cæsaris, &, vt ait Plinius, quodam igne volucris bellorum laureis eloquentiæ palmas adtexuit, de quo summi oratoris extat iudicium honorificentissimum. Cæsar, inquit, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam, & corruptam pura, & incorrupta consuetudine emendat, itaque cum ad hanc elegantiam verborum latinorũ, quæ etiam, si orator non sis, & sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tanquam tabulas benè pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat præcipuam laudem in communibus non video, cui debeat cedere, splendidam quandam, minimeque veteratoriam dicendi rationem tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generosa quodammodo, orationes eius mihi vehementer probantur. a Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valdè quidem (inquam) probandos, Nudi enim sunt, recti, & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, vnde sumerent, qui velle scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui voluut ista calamistris inurere, sanos quidem homines à scribendo deterruit. Nihil enim in historia pura, & illustri, breuitate dulcius. At lib. 3. de Oratore, tribuit illi singularem dexteritatem, quod res tragicas penè comicè, tristes remissè, seueras hilarè, forenses, scenica propè venustate tractaret. Atque ita, vt neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minueretur Plutarch. ait eum φῦναι πρὸς λόγους ἄριστα, καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμώτατα. Splendorem orationis illi tribuit Cornel. Tacitus, sicut alij indolem Cœlio, subtilitatem Calidio, grauitatem Bruto, acumen Sulpitio, acerbitatem Cassio, diligentiam Pollioni, dignitatem Messalæ, sanctitatem Caluo. Sed omnium optimè collegisse videtur Quintilianus, vbi ait Cæsarem dixisse eodem animo, quo bellauit.

N. N.

a *Extant eorum fragmenta à Fulvio Vrsino collecta. Vt orationum in Funere Iuliæ, pro Bithynis, pro lege Plantia ad Milites, pro Sextilio, de Coniuratione. in funere Corneliæ. Item ex libris Anticatonis de auspicijs, & analogia.*

Crispus Sallustius.

CAPVT LXI.

CRispus Sallustius, quod præclarè dictum est à Lipsio, mirandus magis, quam iudicandus. Acre, & sublime viri ingenium, dicendi vis magna, crebræ sententiæ, neruosa breuitas. Atque vt in minoribus cõchis, quòd aiunt, illustriores sunt margaritæ, sic in Sallustij orationibus, breuibus ijs quidem, sed in breuitate conspicuis generosiores sensus latent, & maiora eloquentiæ ornamenta. Quippe narrat presse, irrepit subtiliter, pugnat robustè, verbis vix vnquam temerarijs, sed acri castigatione delectis, sententijs veris, concionibus cultis. Quamquam suis næuijs non caruit, de quibus in comparatione Ciceronis, & Sallustij plenius dicturus sum.

M. TVLLIVS CICERO, PRO quo Apologia.

Contra Κικερωνομάστιγα, *qui ferream Ciceronis eloquentiam, auream Demosthenis nominarat.*

CAPVT LXII.

Quicquid Romana eloquentia habet, quod insolitũ Græcia, aut op-

ATtigimus humanæ culmen eloquentiæ, iam quo progrediatur stylus non habet. Hic ille est Marcus Tullius, dono quodã prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, par Imperio Romano ingenium,

ponat, aut praferat, circa Ciceronem efloruit. Senec. contr. l. 1. Fab. l. 10. lib. 7. de Cardan. subtilit.

genium, os magnum, sapiēs, beatum, nectare & ambrosia diffluens, ex omnium seculorum, ingeniorumque virtutibus collecta in vnum perfectio. Vir de quo dubites, an ipse totus ex eloquentia, an ex ipso tota eloquentia sit confecta. Certè nihil est facundius: tot sunt in eo virtutes, quot genera eloquentiæ, quot dicta, tot purpuræ, quot verba, tot flores. Achates est profecto eius stylus, qui lapillus, tā varij fertur generis, vt vnum lapidem esse minimè credas. Cādidus quippe est, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, varius, cœruleus. quid moror? Huic vni nec omnium aliarum gemmarum colores sufficiunt, ille lucos, prata, animalia, flumina, flores, & arbores refert mirabili naturæ lasciuientis ludo. Haud dissimiliter in Tullio amœna orationis varietate, omnes Rhetorum colores, omnes ingeniorum virtutes, omnes elegantiarum deliciæ, ad certamen vsque luxuriant. Grandis est, temperatus, laxus, acutus, pressus, effluens, volubilis, lentus, velox, remissus, suauis, acer, insignis, florens, pictus. Vnus omnia diffusa per tot oratores ornamenta complexus est.

Oratio Ciceronis comparatur cū Achate.

Proteus Aegyptius miraculum Homericū typus perfectæ eloquentiæ. Hanc post Philostratum. σύγκρισιν attigit Ennodius ep. 3 l. 1.

Dicam excelsius, Proteus Ægyptius est miraculum Homericum: multæ quidem eius diuersæque formæ, in aquam funditur, in ignem accenditur, in leonem excandescit, in suem rutit, serpit in draconem, assilit in pantheram, assurgit in arborem. Quomodo? labitur sine salebris grandis oratio? amnis est, incalescit, ardet, inflammatur? fit incendium: init prælia? nunc leonem rugientem, nunc irruentem aprum videre te credas. Animos auditorum subit per cuniculos? non serpens callidius se insinuat. Apertè in hostes exilit? nō panthera velocius emicat. Mox ablegato hoc forensi genere ad philosophiā conuertit stylum? arbor est Xerxis aurea, læta, sublimis, collustrata, partim florū amœnitate, partim fructuum copia luxurians.

Eruditus est, multæ in eo literæ, summa nō vitæ solùm, atq; naturæ (quod ipse de Quinto Catulo dixit) sed orationis etiam comitas, & incorrupta quędam latini sermonis integritas. Prœmiatur aptè narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, humilia subtiliter, magna grauiter, mediocria tēperatè dicit; postremo docet, delectat, afficit, nihil nō præstat. Miramur, in vnum maiestatem Platonis, suauitatem Isocratis, vim Demosthenis, subtilitatem Lysiæ, Hyperidis venustatem, Theophrasti elegantias, Demetrij myrothecia coaluisse. Ecquis deinde ei cōparatus non sordeat?

Ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit. Quint. lib. 10.

Demosthenem cum Cicerone multi comparant, hunc alij extollunt, alij illum minuunt. Ego primùm, quod grauissimi authores censuerunt, deinde etiam, quid sentiam hoc loco exponā. Primus opinor Cæcilius Calentianus, Siculus, teste Suida, Demosthenis, & Tullij cōparationem descripsit, quod opusculum quale fuerit nescimus, neque enim extat, sed idipsum Plutarchus, & author em condemnat temeritatis. Plutarchus homo Græcus, nec satis literatū latinarum peritus modestè stylī comparationem defugit in parallelis. Dionysius Longinus grauissimus censor, hæc de vtroque scribit.

IVDICIVM LONGINI DE CIcerone & Demosthene.

Longinus lib. περὶ ὕψους. pa. 23. c. 24.

Πλησιάζουσι, καθάπερ τὸ πέλαγος, εἰς ἀναπεπλάσμενον κέχυται πολλαχῆ μέγεθος. δεῖ οἶμαι καὶ λόγον ὁ μὲν ῥήτωρ ἅτε παθητικώτερος, πολὺ τὸ διάπυρον ἔχει καὶ θυμικῶς ἐκφλεγόμενον· ὁ δὲ κατεσὰς σὲ ὄγκῳ, καὶ μεγαλοπρεπεῖ σεμνότητι, οὐκ ἔψυκται μὲν ἀλλ' οὐκ ἴσως ἐπέσραπται. (Hæc ex abrupto quodam sermone, cadunt tamen in hanc comparationem.) Οὐκ ἀλλὰ δέ τινα ταῦτα ἐμοὶ δοκεῖ, φίλτατε Τερεντιανὲ, λέγω δ' εἰ καὶ ἡμῖν ὡς Ἕλλησιν ἐφικτόν τι γινώσκειν, καὶ ὁ Κικέρων τὸ Δημοσθένειες σὲ τοῖς μεγέθεσι παραλάβοι, ὁ μὲν γὰρ σὲ ὕψει τὸ πλέον ἀποτέμνεται, ὁ δὲ Κικέρων σὲ χύσει. καὶ ὁ μὲν ἡμέτερος, διὰ τὸ μὴ βίας ἔχασα, ἔτι δ' τάχεις, ῥέμμες. δεινότητι, οἷον κινεῖντε ἅμα καὶ διαφλέγει, σκηπτῷ τινι παρφλέγοις· ἂν ἡ κεραυνῷ· ὁ δὲ Κικέρων ὡς ἀμφιλαφὴς ἐμπρησμός, ἅμα, πάντη νέμεται, καὶ ἀνελίττει, πολὺ ἔχων καὶ ἐπιμόνον ἀεὶ τὸ καῖον διακληρονομούμενον ἄλλοτ' ἄλλῃ σὲ αὐτῷ καὶ καθ' διαδοχὰς ἀναζεφόμενον. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὑμεῖς ἂν ἄμεινον διακρίνειτε. Καιρὸς δ' τῷ Δημοσθενικῷ μὲν ὕψει, καὶ ὑπερτεταμένου σὲ τοῖς δεινώσεσι, καὶ τοῖς σφοδροῖς πάθεσι, καὶ ἐνθαδεῖ τ' ἀπροσὰν τὸ σύνολον ἐκπλῆξαι, καὶ τ' χύσεως ὅπῃ χρὴ καταντλῆσαι. τοπηγορίαις τε γὰρ, καὶ ὁπλόοις, καθ' τὸ πλέον, καὶ παραβάσεσι καὶ τοῖς φρασικοῖς ἅπασι, καὶ ὁπιδεικτικοῖς, ἱσορίαις τε, καὶ φυσιολογίαις, καὶ οὐκ ὀλίγοις μέρεσιν κρμόδιος.

Inter-

Interpretatio Latina.

Opulentissimè quidem non secus, ac pelagus in laxam plerumque diffunditur magnitudinem: ex quo (opinor) in sermone Orator, vt qui longè est in affectibus vehementior, magnam habet ignis copiam, aeri quodam animi ardore deflagrantem. Hic verò consistens in grauitate, & amplissima quadam maiestate nõ friget quidẽ, sed non ita coruscat fulgoribus. Nec alia ratione, mea quidem sententia, quantum Græcis hominibus dijudicare licet, Ciceronis, & Demosthenis dissimilis est magnitudo: Hic enim in sublimitate prærupta viget, vt plurimum; ille in diffusa. Et nostrum quidem, cum singula quæque cum acrimonia, celeritate, robore, vehementia, velut adurat, atque diripiat, turbini quispiam, aut fulmini, iure simillimum dicat. At Cicero, quasi vastissimum (opinor) incendium, vndique depascitur, & conuoluitur, inflammatione multa, & pertinaci, æquè viciſſim sibi, quasi ex sorte succedẽtibus nouis ignium alimentis innutrita: Sed vos hæc melius dijudicaueritis. Demosthenicæ porrò sublimitatis, & vehementissimæ illius contentionis, vsus est in exaggerationibus, violentisque affectibus, & vbi auditor totus est stupore percellendus. At diffusio maximè valet, vbi animus quasi immisso flumine perluendus occurrit. Est enim locorum frequentationibus, & epilogis, vt plurimùm, & digressionibus, & huic adipali dicendi genere, atque epidictico, historijs præterea, phyſicisque narrationibus, atque alijs haud perpaucis congruens partibus hæc amplificatio.

Iudicium Fabij Quintiliani.

Quint l.10. c.1.

CIceronis, & Demosthenis virtutes, pleraſque arbitror similes, consilium, ordinem diuidendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique, quæ sunt inuentionis: in eloquendo est aliqua diuersitas, densior ille: hic copiosior; ille concludit strictius, ille latius pugnat; ille acumine semper, hic frequenter pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adijci; curæ plus in illo, in hoc naturæ: salibus sanè, & commiseratione, qui duo affectus plurimùm valent, vincimus.

Cicero Demosthenem vincit miseratione, & salibus.

Iudicium Cornelij Taciti.

SEd quomodo inter Atticos Oratores primæ Demosthenis tribuuntur: proximum autem locum Æschines, & Hyperides & Lysias, & Lycurgus: omnium autem consensu, hæc oratorum ætas maximè probatur: sic apud nos a Cicero quidem cæteros eorundem temporum diſertos anteceſsit: Caluus autem, & Asinius, & Cæsar, & Cœlius, & Brutus, sic iure, & prioribus, & sequẽtibus anteponuntur. Nec refert, quod inter se specie differant, cùm genere consentiant. At strictior Caluus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero.

Ex ijs apparet, Ciceronem, ne ab ipsis quidẽ Græcis Demosthenj postponi, imò præferri. Longinus, inquam, b Ciceronem feruere dicit, Demosthenem autem non frigere: vtrum vehementius? Demosthenem, amplum quidem, & maiestate grauem: Ciceronem non amplum modò, neque amplitudinem ipsam, sed pelagus in immensam magnitudinem diffusum nominat: vtrum maius? Ad summum, Demosthenem cum turbine, & fulmine: Ciceronem, cum ingenti incendio omnia depascẽte comparat: vtrum efficacius? Quintil. Ciceroni Demosthenem parem in multis, in affectionibus miserationis apertè inferiorem pronuntiat.

At quid est Orator sine hoc affectu? hoc quod apis sine aculeo. Tacitus vtrumque primum in sua gente facit, & rectè. Hæc fuit D. Hieronymi sententia, cum libro de vita Clericorum, de Cicerone sic scribit. (Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus Orator, tu illi ne solus esset.) Vtrumque oratorem perfectum fuisse significat: sed Demosthenem ætate priorem. Ex quo, non facilè patior eos, qui vix à limine Græcas literas salutarunt, Latinas haud satis intelligunt, & tamen de summis ingenijs temerariam audent ferre sententiam, quasi ter-tij è cœlo Catones ceciderint. Ciceronem cum Demosthene comparatũ, mirum in modũ deterunt; à quibus, si rationem postules, hanc vnã afferunt: quod hic sit neruosus, ille totus Asiaticus: & vnde colligunt? ex vna fortasse, aut altera Oratione, quam vix delibarint, continuò de toto corpore proclamant, & non vident Ciceronis ingenium splendidum, solers, acutum, ad omnia maxima natum, pro ratione rerum, locorum, & temporum flectere orationem. Si causſa popularis, delectatur ille fuso, æquabilique genere dicendi, quod tum multitudo deuorabat: at cùm in senatu agit, vt in deliberatione negotiosa, nihil illo neruosius, quod qui non agnoscunt, Philippicas eius

Demosthenes, cùm primus diceretur, tamen intelligendum, quod prior fuit tempore.

sumant in manus, & neruos (si modò ipsi, quid neruosum sit iudicio magis, quàm opinione ponderare velint) inuenient.

Ego nihil deterendi Demosthenis caussa dicam, cuius laudibus, nulla par inueniri potest oratio, sed multa habuit, tum naturæ, ac conditionis impedimenta, tum vitia, quæ in Cicerone non fuisse, imò contraria planè ornamenta floruisse agnoscimus.

Ac primùm, quod ad rem maximè attinere censeo: ille a fabri filius, hic splendidissimi equitis Romani soboles: ille inter malleorum strepitus educatus, hic in parentis literati hominis sinu, inter rusticanas amœnissimæ villæ delicias: ille nihil præter forensium vsum arripuit, hic omnis eruditionis vbertate pectus compleuit suum: ille sordidioris fuit ingenij, hic animi liberalissimi: ille pro eloquentiæ theatro particulam Græciæ nactus est, hic Romam, terrarum lumen, caput imperij, & aream omnium gentium: ille est, vt ait Longinus, ἀνεπαΐστοτερος rudis in effingendis moribus, & affectibus, quę summa virtus est oratoris, huius, in eo maxima est, quæ potest esse dexteritas: ille strictus est, & siccus; hic fusus, & mollis: ille demostratiui generis imperitus: hôc in laudationibus nullus floridior est, aut copiosior ille, dum cupit iocari: non tã ridet, quam se deridendum præbet: huius salibus, & amœnitate ingenij nihil vrbanius; ille, cùm venustatẽ affectat, ab ea recedit longius: hic lepore, & veneribus totus diffluit. Quę omnia, si bene pendantur, non dubito, quin in Ciceronis partes quilibet æquus iudex futurus sit propensior.

Cicero patris, & villæ meminit 2. de leg.

De infamia Demosthenis in repecuniaria. Plutarch. in Demosthene. Longinus lib. περὶ ὕψους ita iudicat de Demosth. σύγιλωτα ποιᾶ μᾶλλον ἢ κατα-γελᾶται.

Atque, ne illud gratis assumere videamur, vtrumque plenius, compositis etiam ex varijs orationibus locis, comparabo: quamquam scio, me lubricum iter, & periculosæ (quod ait ille) plenum aleæ, insistere.

Sed primum illud à lectore postulo, ne me putet hic Censoris, aut Iudicis partes sustinere, nihil enim decernendi caussa dicam, quasi velim ipse tantam, & tam grauem controuersiam mea auctoritate definire. Deinde, ne cum leuiora quædam vitia ab antiquis, & ipsis quidem fermè Græcis, notata in Demosthene proferentur, existimet obtrectandi caussa dici: absit enim, vt tantum eloquentiæ sydus nõ admirer, cuius tam illustrem esse constat gloriam, vt nec crescere possit laudibus, nec vllis næuis infuscari. Hæc tãtum animi caussa, &, vt liberè fatear, declamatorio potius stylo, quàm censorio, placuit in κιμωνομάχους effundere; cæteroqui suum cuique sensum, & stomachũ relinquo.

Euellenda est autem imprimis, antequam longius progrediamur, opinio, qua Demosthenem multi Ciceroni præferunt, quod eum neruosiorem arbitrentur. Primùm igitur quæro, num eloquentiam solis neruis, an etiam instar eximij corporis succo, sanguine, & ea, quæ inde efflorescit pulchritudinis gratia, constare velint? Sit (inquiunt) ex omni parte perfecta: bellè. Quid cum Ciceroni pulchritudinem, & speciem tribuemus, neruos verò omnes Demosthenis? absit. Quid enim (quæso) sunt in oratione nerui? Robur (opinor) orationis, (sic enim omnes sentiunt) & hoc caret Tullius? O Suada, & Mercuri meliora! Quorsum verò, tam perfecto corpori nerui denegabuntur? Quorsum? Quia amplificator est Tullius, & fusum habet dicendi genus. At in eo ipso vis est, & neruus orationis; si enim verbis tantum farciret amplificationes, non pluris facerem, quàm arenam sine calce, nunc autem, cum rota eius amplificatio generosis sensibus decurrat, quis illi vires deneget? vtrum validior ad comburendum igniculus quispiam raptim exiliens, qualia sunt vestra neruosa acumina, an flamma crebris alimentis crescens in immensum, qualis est Ciceronis oratio? Hoc imprimis considerandum puto. Deinde magnam habendam rationem idiomatis, temporum, ætatis, aurium, quibus Cicero placere voluit; Nec omnia contiuuò in exemplum, & comparationem trahenda, sed ea, quæ argumentis, rebus, & personis aliquo modo congruunt.

Longinus περὶ ὕψους p. 22. excellam amplificationem non tantùm neruum, sed animam vocat orationis.

N. N.

c *Genus, & educatio multum valent ad oratorem conformandũ, iuxta illud:* Ἐκ τοῦ γένους γίνεται καὶ ἐκ τροφῆς. d *De Demosthene dixit Sidonius: (Fabro progenitus spreto, & Iuuen. satyr.* 10. 130.

(*Dys ille aduersis genitus, fatoque siniſtro,*
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus,
A carbone, & forcipibus, gladioque parante
Incudi, & luteo Vulcano ad Rhetora misit.)
Quanquam non vilis quispiam faber, sed honestus & locuples extitit.

Comparantur in genere demonstratiuo.

CAPVT LXIII.

QVò igitur res tota fiat clarior, paribꝰ armis, & æquo Marte, faciã in singulis concurre-

Ex com. Demost. &

re.

Cicer. Dio. Halic. lib. περὶ Δημοσθένοις. δαλότητος.

re. Extant Ciceronis exornatiuæ, & funebres orationes nonnullæ, qualis est Philippica nona, & decimaquarta. Extant item Demosthenis ἐπιτάφιος λόγος. Rectè, opinor, ista conferentur: Atque, vt in genere dicam, non quod ego sentio, sed quod Dionysius Rhetor, homo in iudicando, & Demosthenis, si quispiam alius supra modum laudator, & defensor pugnacissimus iudicauit; ista *a* Demosthenis exornatiua oratio in eos, qui pro patria occubuerant, videtur satis languida, & otiosa, nec oratoris dignitati, nec mortuorum laudibus, nec tantæ hominum expectationi, in ea præsertim occasione, respondere. Expendamus singula, & cōparemus cum ea laudatione, quam habuit M. Tullius, qui in acie contra Antonium, diē clauserant extremum; vel etiam in Seruium Sulpitium, qui Legatus ad Antonium missus, ægrum, quem iam trahebat spiritum, vrgente vi morbi, in reipubl. caussa profudit.

Primùm, Demosthenis exordium, etsi verborum delectu, ornatisque periodis, satis videbatur excelsum, tamen sensibus commune est: Ait enim, postquàm illi hæc prouincia imposita est à ciuibus, vt funebrem laudationem haberet in eos, qui pro patria occubuerant, diu quæsisse, quo pacto tam generosos milites debitis laudibus afficeret, ad summum nihil inuenisse dignum eorum honoribus, quòd, qui præ salute patriæ, insitum omnium medullis, & visceribus, vitæ amorem neglexerint omnem humanarum laudum terminum excesserint. Sic igitur ille Demosthenes:

b Επειδὴ τοὺς ἐν τῷ τάφῳ κειμένους ἄνδρας ἀγαθοὺς, ἐν τῷ δὴ τῷ πολέμῳ γεγενημένους ἔδοξε τῇ πόλει δημοσίᾳ θάπτειν· καὶ προσέταξεν ἐμοὶ τὸν νομιζόμενον λόγον εἰπεῖν ἐπ' αὐτοῖς, ἐσκόπουν μὲν εὐθὺς ὅπως τοῦ προσήκοντος ἐπαίνου τεύξωνται. ἐξετάζων δὴ καὶ σκοπῶν ἀξίως εἰπεῖν τῶν τετελευτηκότων, ἐν τι τῶν ἀδυνάτων εὕρισκον ὄν. οἱ γὰρ τὴν ὑπάρχουσαν πᾶσιν ἔμφυτον τοῦ ζῆν ὑπερεῖδον ἐπιθυμίαν, καὶ τελευτῆται καλῶς μᾶλλον ἠβουλόθησαν, ἢ ζῶντες τὴν Ελλάδα ἰδεῖν ἀτυχοῦσαν, πῶς οὐκ ἀνυπέρβλητον παντὶ λόγῳ τὴν αὐτῶν ἀρετὴν καταλελοίπασιν;

Hæc quidem pulchra, sed tamen vnicuique declamatorum est obuium, in istis exordijs à rerum pondere, & grauitate, qua se obrui dicunt, excusationem capere, virium imbecillitatem obtendere, obsequium, non eloquentiam profiteri.

Quantò disertius, & rotundiùs Cicero.

Vtinam Dij immortales fecissent, P. C. vt viuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus &c.

Hoc exordium, nec commune est, nec comparatum, sed graue, suauique affectu temperatum: antithesis præterea addit aliquid gratiæ, & iucunditatis *Viuo, mortuo: gratias agere, honores quærere.* Accedit, quòd pro orationis mensura breue est: At Demosthenes, cùm satis traxisset proœmium, iterum in media oratione nouum facit exordium, & priori quidem simile; quippe se à rei magnitudine semper excusat, num. 22. ἀπορῶ τι πρῶτον εἴπω· προϊστάμενα γάρ μοι πάντα εἰς ἕνα καιρὸν δύσκριτον καθίστησί μοι τὴν αἵρεσιν αὐτῶν. Et in hoc secundo exordio nimis humiliter beneuolentiam aucupatur, vt videatur sibi ex hac oratione gratiam, & gloriam, non mortuis honorem quærere: nam, si beneuolentiam ciuium habuerit, orationem suam, licet mediocrem, χάριν, καὶ δόξαν reportaturam insinuat. Hæc non multum faciunt ad orationis, in hoc præsertim genere, grauitatem.

Iam in oratione, & laudatione qualis vterque sit, considera.

Frigidus laudationis character in Demosth.

Demosthenes tritam scholæ orbitam sequutus, nihil de hostibus, de belli genere, de ratione mortis, de ducibus, de victoria, & cæteris id genus loquutus, laudare incipit mortuos à patria, & parentibus in communi. Ἄρξομαι δὴ ἀπὸ τοῦ τῆς γένους αὐτῶν ἀρχῆς· ἡ γὰρ εὐγένεια τῶν δὴ τῶν ἀνδρῶν ἐκ πλείστου χρόνου παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀνωμολόγηται. Tum veteres, & communes fabulas longo orationis tractu narrare pergit, quod mortui Athenienses sint, & eorum *c* patres expulerint Amazones, Herculis ab Eurystei crudelitate eripuerint, septē ducibus, ad Thebas, honores extremos mortuorum procurarint: deinde ad Xerxem, & Persica bella delabitur; quæ sanè, apud prudens quodque iudicium, nimis frigida sunt, & otiosa. Quorsū enim hic apparatus? quid opus erat Theseum, Herculem, Amazonas, Medos commemorare? an hæc magis ad mortuos, quā ad alios quosque Athenienses attinebant? Quis non ineptum putasset Ciceronem, si aduersus Antonium fortes laudaturus, initium sumpsisset à Romulo, & Remo, Tatio, & Sabinis;

deinde Senonas, & Cymbros; mox Hannibalem, & Pyrrum protulisset? Quantò grauius, atque prudentius mittens omnia parerga, Seruium Sulpitium proprijs afficit laudibus?

(Nam reliqua Seruij Sulpitij vita, multis erit, præclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata; semper illius grauitatem, fidem, præstantē in republica tuenda curam, atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit: Nec verò silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & penè diuina eius in legibus interpretandis, æquitateque explicāda scientia. Omnes ex omni ætate, qui in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerūt, si vnū in locum conferantur, cum Seruio Sulpitio nō sunt comparendi, &c. Hæc hominis sunt propria, non ad trahendam moram, diludia.

Dexterita Ciceronis in laudando.

In laudatione verò militum, non quærit, quæ ad Carthaginem trecentis antè annis, ab eorum maioribus gesta sunt, cùm propriarum laudum satis amplam segetem nactus esset. Laudat in ducibus imperium, consilium, grauitatem, constantiam, magnitudinem animi, felicitatem. In Pansa, initium confligendi; in Hirtio, succurrendi alacritatem; in Cæsare, castrorum strenuam defensionē; in legione Martia incredibilem virtutem: mox ad hostes conuertitur, Antonium exhibet, tanquam latronē ex graui naufragio lacerum, cum paucis fugientem, solem ipsum eius infortunio lætantem, fortissimorum verò Imperatorum victoriæ gratulantem. Hæc planè rei propria, & prudēti distributione composita, præclarisque motibus animata, vt in decursu videbimus.

Demosthenes tandem, post commemoratas Amazones, Eurysteos, Hercules, ad mediam ferè orationis partem denuò exorditur, & de proprijs mortuorum virtutibus dicit: commēdat eos, quippe à prima ætate honestè acta, cum cognatis, & affinibus; à prudentia, quòd pericula Græciæ longè antè præuiderint; à fortitudine, quòd pro salute patriæ, neque fortunis, neque vitæ pepercerint.

Ab adolescentia honeste acta. Demosth.

Οἱ δὲ ἀρχῆς ἐν πᾶσι τοῖς παιδεύμασιν ἦσαν ἐπιφανεῖς, τὰ πρέποντα κατ' ἡλικίαν ἀσκοῦντες ἑκάστην, καὶ πᾶσιν ἀρέσκοντες οἷς χρὴ γονεῦσι, φίλοις, οἰκείοις. Hæc Cicero tanquam humiliora, omittit.

A Prudentia.

Καὶ γὰρ εἴ τις ἐφύετο κοινὸς πᾶσι κίνδυνος τοῖς Ἕλλησιν, οὗτοι πρῶτοι προείδοντο. Hæc præuisio periculorum, & belli suscipiendi consilium, potiùs attinet ad duces. Benè in Pansa Consule collocat M. Tullius Cicero.

(Princeps enim omnium Pansa prælij faciendi, & cum Antonio confligendi, fuit. Dignus Imperator Legione Martia, digna Legio Imperatore: cuius si acerrimum impetum cohibere potuisset, vno prælio confecta res esset: sed cùm libertatis auida Legio, effrænatiùs in aciem hostium irrupisset, ipseque imprimis Pāsa pugnaret: duobus periculosis vulneribus acceptis, sublatus è prælio, Reipublicæ vitam reseruauit.) Quam prudēter dicta omnia: prouidentia, & animi magnitudo in Imperatore, volitans ardore belli alacritas in militibus exprimitur: deinde, quam bellè illud insinuat, *Vitam Reipublicæ reseruauit*: mox, *Ego verò hunc, non solùm Imperatorem, sed etiam clarissimum Imperatorem iudico*: qui cum, aut morte, aut victoria, se satisfacturum reipublicæ spopondisset, alterum fecit; alterius, Dij immortales omen auertant. Hæc grauiter, & prudenter pronuntiata.

A fortitudine. Demosth.

Ἀλλὰ προστάντες καὶ παρασχόντες ἅπαντα προθύμως, καὶ σώματα, καὶ χρήματα, καὶ συμμάχοις, εἰς πεῖραν ἦλθον ἀγῶνος, εἰς ὃν οὐδὲ τῆς ψυχῆς ἐφείσαντο. Bene quidem, quod tradentes omnia patriæ, prompto, & hilari animo, corpora, fortunas, socios, ad summum neque propriæ vitæ pepercerūt. Sed hæc etiam magis animata Cicero.

Sanguinem pro vita, libertate, fortunisque populi Rom. pro Vrbe, templisque Deorum immortalium profuderunt, & cæt. similia Sanguinem profundere ἐμφατικώτερον dictum, quàm corpora, & fortunas tradere, aut vitæ non parcere.

Græcus Orator vnum habet insigne, vbi defunctorum virtutem animam Græciæ nominat Demosthenes.

Δοκεῖ δέ μοι τις ἂν εἰπὼν ὡς ἡ τῶν δὲ τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ, τῆς Ἑλλάδος ἦν ψυχὴ, τ' ἀλληθὲς εἰπεῖν. ἅμα γὰρ τά τε τούτων πνεύματα ἀπηλλάγη τῶν οἰκείων σωμάτων, καὶ τὸ τῆς Ἑλλάδος ἀξίωμα ἀνήρηται. Scio quia

quia si quispiam alius hoc dixisset, continuò frigidum, & Gorgianum Græculi dixissent: sed esto, valeat, quanquam audax dictu est, in istis totam vim, & animam fuisse Græciæ. Qui igitur fuerunt maiores? qui posteri futuri sunt? si anima Græciæ in istis extincta est? Modestius Cicero.

(Quamobrem, maximum quidem solarium erit propinquorum, eorum monumento declarari, & virtutem suorum, & pietatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli: in quo nisi tanta militum virtus extitisset, parricidio M. Antonij nomen populi Ro. occidisset.) Non dicit, eorum virtutem animam fuisse Reipublicæ: sed eorum virtute liberatum ab interitu populi Romani nomen: quod satis per se magnificum est.

Demosthenes postremo, per singulas Atheniensium tribus excurrens, ostendit milites domesticis laudibus, ab auctore quippe, & fūdatore suæ cuiusque tribus, fuisse incitatos ad decus, quod, vt ostendat, veteres, & aniles fabulas commemorat, quas & frigidè rebus suis accommodare plerumque cogitur: vt, cum dicit Pandionidas, hoc est, Pandionidis tribus milites, à Procne, & Philomela fuisse stimulatos ad gloriam, quòd noluerint inferiores mulieribus videri. Primū, parua laus est, quòd conferantur cum mulierculis. Deinde quanta disparitas inter mulieres priuatas, rixas exercentes cum adultero, & stupratore, atque vteri sui fœtum membratim discerptum, coctum, elixum, execrandæ mensæ apponentes, & inter generosos milites, cum legitimis hostibus cōfligentes, pro patriæ salute, & gloria? Verba eius sunt.

Græci milites Pandionidis tribus, cum Procne, & Philomela parū aptè à Demosth. comparati.

Παρελήφεσαν Πανδιονίδας, Πρόκνην, καὶ Φιλομήλαν, τὰς Πανδίωνος θυγατέρας, ὡς ἐτιμωρήσαντο Τηρέα, διὰ τὴν εἰς αὐτὰς ὕβριν. οὐ βιωτέον δὴ ἐνόμιζον αὐτοῖς, εἰ μὴ συγγενῆ φανήσονται, τὸν θυμὸν ἔχοντες ἐκείναις, ἐφ' οἷς τὴν Ἑλλάδα ἑώρουν ὑβριζομένην.

Nec grauiora, quæ de Oeneo, Hippothoōte, Aiace immiscet, fabulosa omnia, etiam pleraque probrosa.

Quantò prudentius Latinus Orator in istis non λεπτολογεῖ, per singulas legiones discurrēs, sed vnam duntaxat Martiam, quæ se fortissimè gesserat, lectissimis verbis commendat.

CICERO.

Dignus Imperator Legione Martia, digna Legio Imperatore: (&) quæ mihi videtur diuinitùs ab eo Deo traxisse nomen, à quo populum Romanum generatum accepimus. Hęc sobriè, & prudenter insinuata.

Iam, quæ de ratione belli, & hostibus, & defensa libertate dicenda erant, nullatenus, vel parcè attingit.

DEMOSTHENES.

Νομίζω τοίνυν καὶ τοῦ τῆς χώρας ἡμῶν οὐκ ἐπιβήναι τοὺς πολεμίους, πρὸς τῇ τῶν ἐναντίων ἀγνωμοσύνῃ, τὴν τούτων ἀρετὴν αἰτίαν γεγενῆσθαι. Parum hoc est dicere, quòd eorum virtute repressi hostes, in Atheniensium fines non insiluerint. Qui tandem illi hostes? At Latinus Orator, vt gloriam mortuorum illustriorem faciat, rectè hostium immanitatem, & pericula reip. exaggerat.

CICERO

d Bellum inexpiabile infert quatuor consulibus, vnus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum senatu, populoque Romano: omnibus, quanquam ruit ipse cum suis, gladios, pestem, vastitatem, cruciatū, tormēta denuntiat: Dolabella ferū, & immane facinus, quod nulla barbaries possit agnoscere, id suo consilio factum esse testatur. Deinde, & prodigium illud, & portentum L. Antonius, insigne odium omnium hominum (vel etiam, si Dij oderint, quos oportet) omnium Deorum. Refugit animus P. C. eaque dicere reformidat, &c. de hostibus, & periculis. Quæ omnia faciunt ad clarissimam laudem eorum, qui illos fuderunt, & victoriam suo cruore Reipublicæ pepererunt: à quibus, non tantum fines, sed vitā, libertatem, fortunas, vrbem, templa, & cætera seruata ostendit.

Vterque perorat παθητικῶς.

DEMOSTHENES.

Οἱ μὲν δὴ ζῶντες οἰκεῖοι τούτων ἐλεεινοὶ, τοιούτων ἀνδρῶν ἐστερημένοι, καὶ συνηθείας πολλῆς καὶ φιλανθρώπου διεζευγμένοι, καὶ τὰ τῆς πατρίδος πράγματ' ἔρημα, καὶ δακρύων καὶ πένθους πλήρη.

Pathos Demosthenis suaue.

Hæc tamen subtristia, cùm præsertim pacē, & otium, fortes viri sua morte peperissent. Itaque addit:

Οἱ δὲ εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ, πρῶτον μὲν ἀντὶ μικροῦ πολὺν, καὶ τὸν ἅπαντα εὔκλειαν ἀγήρω καταλείπουσιν.

CICERO.

Ciceronis affectus longè præstãtiores.

Carere dicit affines ijs viris, quos laudare, quàm lugere præstat: mox erumpit in illam præclaram vocem. *O fortunata mors, quæ natura debita, pro patria est potissimùm reddita.* (&)

(In fuga fœda mors, & victoria gloriosa. Deinde, Actum igitur præclarè vobiscum, fortissimi, dum vixistis: Nunc verò etiam, sanctissimi milites, quod vestra virtus, nec obliuione, qui nunc sunt, nec reticentiâ posterorum insepulta esse poterit, cùm vobis immortale monumentum, suis penè manibus Senatus, populusque Romanus extruxerit,) &c. quæ persequar fusius in tractatu de imitatione. Planè Tullius Demosthenem obruit: Neq; tantum habet motus miserationis, sed etiam lætos, grandes, heroicos, qualis est ille:

Motus Ciceronis Heroicus.

O solem ipsum beatissimum, qui antequàm se abderet, stratis cadaueribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium. Omninò, qui vtriusque ἐπιτάφιους λόγους consideratè voluerit inter se conferre, inueniet Ciceronem multis partibus grauiorem, quanquam laudationes in istis orationibus, ex parte tãtùm attingit, alia enim tradenda susceperat Quid igitur, si in id omnẽ styli aciem conuertisset?

Chabriæ florentissimi ducis apud Demosth. parum cumulata.

Iam verò, quæ de Chabria dicuntur, aduersus Leptinẽ, qui tot bella gesserat, tot trophæa erexerat, tot Reipublicæ decora pepererat; quomodo possint, cum minima Ciceroniani stili laudatione comparari. Sunt enim ista satis simplicia, & narratiua.

DEMOSTHENES.

Orat. aduersus Leptin. n. 121

Ἴστε μὲν οὖν ἴσως, καὶ ἄνευ τοῦ παρ' ἐμοῦ λόγου, ὅτι σπουδαῖος Χαβρίας ἦν ἀνὴρ, οὐ μὴν κωλύει γε οὐδὲν καὶ μὲ διὰ βραχέων ἐπιμνησθῆναι τῶν πεπραγμένων αὐτῷ. ὃν μὲν οὖν τρόπον ὑμᾶς ἔχων πρὸς ἅπαντας Πελοποννησίους παρετάξατο ἐν Θήβαις, καὶ ὡς Γοργόπαν ἀπέκτεινε ἐν Αἰγίνῃ, καὶ ὅσα ἐν Κύπρῳ τρόπαια ἔστησε, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ὅτι πᾶσαν ἐπελθὼν ὀλίγου δέον χώραν, οὐδαμοῦ τὸ τῆς πόλεως ὄνομα οὔτ' αὐτὸν κατῄσχυνεν. &c. quæ historico penè stylo pertexuntur, sine aculeis oratorijs. Quod si istis Pompeius Ciceronis opponatur!

CICERO.

Pro lege Manil.

Quis igitur hoc nomine scientior vnquam, aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo, atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est, qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris, ineunte adolescentia, maximi ipse exercitus Imperator? qui sæpius cum hoste conflixit, quam quispiam cum inimico concertauit? plura bella gessit, quàm cæteri legerunt? plures prouincias confecit, quam alij concupierunt: cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperijs? non ostensionibus belli, sed victorijs: non stipendijs, sed triumphis est traducta? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuit fortuna reipub. Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, &c.

At dices, Chabrias non erat Pompeius, fateor: habuit tamen in Chabria satis nobile argumentum, quod parum cumulatè tractauit: Nam, si quæ ad Thebas, quæ in Aegina, contra Gorgopan, quæ in Cypro, quæ in Aegypto, vel minimo splendore orationis percensuisset, eximium habuissent decus. Nunc autem virum tot trophæis clarum laudans σπουδαῖος, inquit, χαβρίας ἦν ἀνήρ.

Quantò amplius, vel vnum Cæsaris adhuc pueri factum persequitur Cicero?

[Laudo, laudo vos (Quirites) cùm gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potiùs: sunt enim facta eius immortalitatis, nomen ætatis, multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omni sæculorum memoria tale cognoui, &c.

Qualis vterque in suis laudibus.

In suis porrò laudibus persæpè nimius est Cicero; quanquam, & speciosum habet argumentum, & aliqua temperat verecundia.

At Demosthenes, satis inuerecundè se laudat, cum dicit, multos quidem superioribus temporibus extitisse oratores celeberrimos, puta, Callistratos, Aristophontes, Thrasybulos; neminem autem ex omni sæculorum fama compertum, qui se totum Reipublicæ traderet, præter se vnum; quod ita persuasum haberet, se, & omnibus melius edicta scribere, negotia administrare, legationes obire. Verba eius sunt:

Καί τοι πολλοὶ παρ' ἡμῖν ἄνδρες Ἀθηναῖοι γεγόνασι ῥήτορες ἔνδοξοι καὶ μεγάλοι πρὸ ἐμοῦ,

ἐμοῦ, Καλλίστρατος ἐκεῖνος, Ἀριστοφῶν, Κεφαλὸς, Θρασύβουλος, ἕτεροι μύριοι. Ἀλλ' ὅμως οὐδεὶς τούτων πώποτε διὰ παντὸς ἔδωκεν ἑαυτὸν εἰς οὐδὲν τῇ πόλει, &c.

In orat. de coron. n. 381. Tandem addit: Ἐπεπείσμην δ' ὅπερ ἐμαυτοῦ, τυχὸν μὲν ἀναισθητῶν, ὅμως δὲ ἐπεπείσμην, μήτε γράφοντα γράψαι ἂν ἐμοῦ βέλτιον οὐδένα, μήτε πράττοντά τι πρᾶξαι, μή τε πρεσβεύοντα πρεσβεῦσαι προθυμότερον, μήτε δικαιότερον· διὰ ταῦτα ἐν ἅπασιν ἐμαυτὸν ἔταττον. Hoc est planè arrogans dictum.

Quid, si Catilinam fregisset, aut Parthos ex Amano expulisset, & triumphos Romanos fuisset meritus, quæ omnia Ciceroni contigerunt?

In vituperando mordax est, atque amarulẽtus Demosthenes, & quauis vespa acerbior. Extat omnium nobilissima eius oratio pro Corona, in qua tamen multa, plena tædij legẽtibus occurrunt. Illud vnum, quod est omniũ consensu illustrissimum, non præteribo. Confert suam fortunam cum Æschinis conditione, per antithesin, & postquam de sua pueritia, institutione, diuitijs, rebus gestis dixit quæ poterat, inuehitur in Æschinem, eique obijcit, quod in magna egestate fuerit educatus, vna cum patre, ad ludum literarium sessitans, atramentum terens, & subsellia spongijs detergens, & pædagogium verrens, famuli vicẽ obiens, non ingenui.

DEMOSTHENES.

Παῖς μὲν οὖν μετὰ πολλῆς ἐν δείας ἐτράφης ἅπαμα τῷ πατρὶ, πρὸς τῷ διδασκαλείῳ προσεδρεύων, τὸ μέλαν τρίβων, καὶ τὰ βάθρα σπογγίζων, καὶ τὸ παιδαγωγεῖον κορῶν, οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς, ἔχων.

Hæc mordacia quidem, sed maledicta de triuio Non est enim, inquit Seneca, in paupertate vitium, multò minus in ea humili opera, quàm filius patri nauabat.

Prudentius, & grauius Cicero, cum Antonio obijcere potuisset, non quidem istas Æschinis sordes, sed familiæ paupertatem: hanc contumeliam non dicit, sed vitia obijcit, & ita filium perstringit, vt patris innocentiæ parcat.

CICERO.

Visne igitur te inspiciamus à puero? sic opinor, à principio ordiamur. Tenésne memoria prætextatum te decoxisse, patris, inquit, ista culpa est, concedo: etenim est pietatis plena defensio Illud tamen audaciæ tuæ, quod sedisti in quatuordecim ordinibus cùm esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus; quamuis, qui fortunæ vitio non suo, decoxisset.

Prudentia Cicer. in vituperando.

Hæc generosa, & neruosa: excusat paupertatem, accusat hominem.

Quid verò vbi priuatas familiæ sordes in Pisone insectatur, quantà illud ipsum generositate, quantà gratia facit?

Festiuitas & gratia Ciceronis in vituperationibus quæ virtus Demostheni fuit.

Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam præter libidines sumptuosum: toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos videatur, Placentini: extructa mensa, non conchilijs, & piscibus, sed multa carne subrancida, serui sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idẽ atriensis, pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum à propola, atque de cupa, Græci stipati, quini in lectulis, sæpè plures, ipse solus; bibitur vsque eo, dum de solio ministretur, vbi galli cantum audiunt, auum suum reuixisse putat, mensam tolli iubet.

DEMOSTHENES.

Demosth. mordacissimè Aeschinem insectatur, sed triuialibus maledictis.

Demosthenes post hæc obijcit Æschini vlle seruitium inter Mystas Cereris, quod matri initianti libros lectitaret, hinnulorum pellibus, & aqua lustrali expians initiatos, dein extergens luto, & furfuribus, mox consurgens ab initiatione canere iuberet Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, præiens ipse vlulanti voce: Thiasos quoque per vrbem duceret, fœniculo & alba populo redimitos, serpentes attollens, & clamitans Euoe Saboe, & interim saltitans, hyes Attes, Attes hyes, ipse auspex, anteambulo, & laternarius, ex quo mercedis loco ab aniculis capiebat placentas, & scriblitas.

De corona.

Τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βίβλοις ἀνεγίνωσκες, καὶ τ' ἄλλα συνεσκώρου, τὴν μὲν νύκτα νεβρίζων, καὶ κρατηρίζων· καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους, καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ, καὶ τοῖς πιτύροις· καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ, καὶ κελεύων λέγειν ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, ἐπὶ τῷ μηδένα πώποτε τηλικοῦτον ὀλολύξαι σεμναυόμενος· ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ,

Baias serentum proprium.

θρφ, καὶ τῇ λευκῇ, τοὺς ὄφεις τοὺς παρὰ τὰς θλίβεων, καὶ ὑπὲρ τὴ κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοᾷν, Εὐοῖ Σαβοί, καὶ ἐπορχούμενον Ὑης Ἄττης, Ἄττης Ὑης,

Attes, siue Attes honoratur à Phrygibus, vt minister magnæ matris.

ἐξάρχος, καὶ προηγεμών, καὶ κιττοφόρος, καὶ λυχνοφόρος, καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ τῶν γραιδίων προσαγορευόμενος, μισθὸν λαμβάνων τούτων ἐνθουπλα, καὶ στρεπτοὺς καὶ νήλατα.

Hæc quidem omninò per se, & ridicula, & mordacia: magnificentius tamen aliquantò Cicero Lupercalia obijcit Antonio, quàm ille Cereris mysteria Æschini, neque enim simplici narratione rei contentus est, sed præterea faces dicendi adhibet.

Harpocratio.

Longè aliter Cicero Lupercalia obijcit Antonio, quam Demosthenes Æschini Cereris mysteria. Ciceronis aculeata oratio.

CICERO.

Ad Lupercalia veniamus, non dissimulat, Patres conscripti apparet esse commotum: Sudat, pallet, quidlibet, modò ne nauseet, faciat, quod in porticu Numicia fecit.

Quid hac oratione vehementius? pergit. Quæ potest esse tantæ turpitudinis defensio? cupio audire: vt videam vbi Rhetoris tanta merces, vbi campus Leontinus appareat.

Sedebat in rostris Collega tuus amictus toga purpurea, in sella aurea coronatus, ascendis, accedis ad sellam: ita eras Lupercus, vt te esse Consulem meminisse deberes (& cæt. mox) At etiam misericordiâ captabas: supplex te ad pedes abijciebas: Quid petes? vt seruires? Tibi vni peteres: qui ita a puero vixeras, vt omnia pateres, facilè seruires: à nobis, populoque Romano mandatum id certè non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! Quid hoc turpius, quid fœdius? quid supplicijs omnibus dignius? Num expectas dum te stimulis fodiam? hæc te, si vllam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio (& cæt.)

Sunt planè ista fulmina, non iocatur circa Panis ceremonias, & Lupercorũ captinas pelles, huiusmodi minutias discutiens, sed vehementissimam orationem vibrat, quæ vel à statua penè ruborem exprimeret. Scio facta esse dissimilia, nec non orationis genera: sed Demosthenes etiam in oratione de falsa legatione, vbi graui, & incenso sermone opus erat, in feruida quippe exclamatione, hæc eadem de triuio maledicta intorquet.

DEMOSTHENES.

Grauis exclamatio Demosthenis, quæ degenerat in minucias.

Καὶ τοιαῦτα σωφρόνως ἑαυτῷ πεπραγμένα, ὁ ἀκάθαρτος, τολμήσει βλέπειν εἰς ὑμᾶς, καὶ τὸν βεβιωμένον αὐτῷ βίον, αὐτίκα δὴ καλὰ ἐρεῖ, λαμπρᾷ τῇ φωνῇ, ἐφ' οἷς ἐγὼ τε ἀποπίγομαι, καὶ ὑμῶν ἕκαστος; ὅτε ἴσασιν οὗτοι τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς τὰς βίβλους ἀναγινώσκοντά σε τῇ μητρὶ τελούσῃ, καὶ πάντα ὀντα, ἐν δεδόσεις καὶ μεθύοντιν ἀνθρώποις κυλινδούμενον; μετὰ ταῦτα δὲ τῆς ἀρχῆς ὑπογραμματεύοντα, καὶ δυοῖν ἢ τριῶν δραχμῶν, ποιητὴν ὄντα τὰ τελευταῖα δὲ ἑταιρικὸν ἐν χορηγίοις ἀλλοτρίοις ἐπὶ τῷ πεντατονιστῶν ἀγαπητὰς παραξιφόμενον; ποῖον οὖν ἑρεῖς βίον, ὃν οὐ βεβίωκας.

Et tamen talium sibi conscius facinorum impurus iste vos audebit intueri? & actam à se vitam clara statim voce prædicabit? quæ res mihi spiritum intercludit. Num hi sciunt te à primordio ætatis lectitasse libros matri initianti, & puerum etiam, tum in cœtibus Liberi patris, & inter ebriosos homines esse volutatum. Post autem scriptioni apud magistratus dedisse operam, & propter binas, aut ternas drachmas fuisse sceleratum. Postremò non ita olim alienis sumptibus, ad tertias partes actitandas, cùm tecum benè agi putares, victitasse? Quam igitur vitam referes, quam non vixisti?

Hæc sunt, quæ apud Demosthenem in inuectiuis plus habent vehementiæ: sed quàm amarulenta hæc Ciceronis vehementia.

CICERO.

2. Philip. Vehementia Ciceronis, in inuectiuis, cum indignatione coniuncta.

Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. Primò vulgare scortum, certa flagitij merces, nec ea parua, sed citò Curio intervenit, quite a meretricio quæstu abduxit: & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili, & certo collocauit. Nemo vnquam puer emptus libidinis caussa, tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis, &c. quæ Demosthenis vehemētiæ nullo modo cedunt: sed (& vt personas decet) grauiora sunt.

Quæ verò contra Philippum vehementiora dicuntur, ea sunt.

DEMOSTHENES.

Fastidiosissima Demosth. oratio in Philippum.

Οὐ μόνον οὐχ Ἕλλησος ὄντος, οὐδὲ προσήκοντος οὐδὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἀλλ' οὐδὲ βαρβάρου σύτιοῦδεν ὅθεν καλὸν εἰπεῖν, ἀλλ' ὀλέθρου Μακεδόνος, ὅθεν οὐδὲ ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν

οὐκ ἐν ἦν πρότερον πρᾶδαι. καὶ πῦ ἔσχάτης ὕβρεως ἀπολεῖται; &c.

Qui tantùm abest, vt Græcus sit, Græciśve vllo modo coniunctus, vt nec inter barbaros sit honesto loco natus, sed perditus Macedo, vnde frugi mancipiũ olim nullũ emi potuit.

At qua extrema contumelia abstinet? Agit contra eos, qui Philippum, quasi regem Atheniensibus coniunctum, & benevolum studebant defendere. Benè opinor comparabuntur, quæ habet Tullius de Luc. Antonio, qui se patronum populi Romani appellabat: Hæc enim æquè grauia, & mordacia.

CICERO.

Plenus & hoc genere fusus Cicero, sed pugnat alacrius, & gratiam quandam habet horrori mixtam.

Atqui illum qui aquæ & triginta Tribus patronum adoptarunt, rursus reclamatis? Aspicite à sinistra illam equestrem statuam inauratam: in qua, quid inscriptum est? *Quinque, & triginta Tribus Patrono P. R* Igitur est patronus L Antonius? malam quidem illi pestem, clamori enim vestro, non modò hic latro, quem clientem habere nemo velit; &c. O impudentiam incredibilem, tantumne sibi sumpsit, quia Myrasis mirmillo Thracem iugulauit familiarem suum? Quonam modo istum ferre possemus, si in hoc toro, vobis spectantibus, depugnasset?

Philip 14. Heroica iracundia emissiones in Cicer.

(Et propudium illud) & portentum L. Antonius, Insigne odium omnium hominum, vel etiam, si dij oderunt, quos oportet, omnium Deorum.

Et de Antonio, & Dolabella:

Nam duo hæc capita nata sunt post homines natos, spurcissima, & teterrima, Dolabella, & Antonius. Deinde: Ecce tibi geminum in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarum.

Discrimen Demosth. & Cicer. in inuect.

Mitto infinita similia, quæ ex Philippicis, & Orat. in Pisonem, in Clodium, in Vatinium, in Verrem asserti possunt, quæ si comparentur, inuenies duos summos Oratores in eo conuenire: quòd Cicero æquè fellis, & concisæ acrimoniæ, vbi modo vult, habeat, ac Demosthenes, imò superet; vt in iis, quibus nihil excitatius aculeatum.

Pro Cluentio,

Vxor generi, nouerca filij, filia pellex. Sed in eo Demosthenem antecellit, quod vbi placet illi aliquem comicè infectari, summa ingenij festiuitate, gratia, hilaritate faciat: vt ex ijs quæ in Pisonem allata, facile est colligere Vbi verò in grauioribus factis, post res narratas, ad illas exclamationum faces venit, iam nõ comparet Demosthenes, tunc planè Tullius videtur incendium omnia deuorans: æquè promptum esse, vibratis fulminibus obsistere, ac tanto eloquentiæ ponderi summa vi ruenti sese obijcere.

N N.

a *Hanc ideò orationem cum aliquot alijs, Demosthenis esse negat Dionysius Halicarnass sed cum nullis certis argumentis probet, non vsquequaque illi credendum rectè animaduertit Photius in biblioth. p. 1467. Nam & alij eodem, ac ille iure, orationes contra Æschinem, & Midiam reijciunt, stylo scilicet diuersitate commoti, quibus tamen nulla habetur fides Certè Demosthenis esse, non obscurè innuit idem Photius p. 476 edit. Pauli Stephani.*

b *Hoc sanè exordium valde Demosthenicum est, cætera si quæ videbantur imbecilliora, fortunæ accommodata censet Photius: nam in eodem prælio ad Chæroneam, vbi illi qui laudantur, cecidêrunt, Demosthenes abiecto clypeo fugiens, cum chlamydem rubus retinuisset, clamauit* ὦ γῆ.

c *Hunc laudandi morem suis temporibus contemptum indicat Lucianus in Encomio Demosthenis:* μὴ μεῖζον προκείσθω τὸ γράμμα τῷ Διλάκῃ p. 891.

d *Bellum, & hostium immanitas præclarè à Cicerone exaggeratur, quò mors virorum appareat gloriosior. Hoc Demosthenes, quod erat maximè necessarium, prætermisit.*

Comparantur in genere deliberatiuo.

CAPVT LXIV.

AGe nunc expendamus, vter plus in suasionibus & dissuasionibus habet vehementiæ, & ponderis: pares inter se causas conferemus. Suadet Demosthenes bellum in Philippum Regem, oppressorem Græciæ libertatis: M. Tullius in Antonium Consulem, Romanæ reipublicæ vexatorem. Quibus vterque rationibus videamus. Obtendunt in genere turpitudinem, periculum, & rationem ἀπὸ τῶν πράξεων. Locos turpitudinis capiunt ex circumstantijs personarum. Turpissimum scilicet, & indignissimum, Athenienses Philippo, Populum Romanum Antonio cedere. Vterque indignitatem personarum acriter exaggerat.

DEMOSTHENES.

Maximè his verbis, quæ superius sunt allata, ex Philipp. 3.

Ολεθρος Μακεδών, ὅθεν οὐδὲ ἀνδράποδον σπουδαῖον οὐδὲν ἦν πρότερον περιαθῆναι. Καὶ τὴ ἔσχατης ὕβρεως ἀπολείπει.

Non Græcus, inquit est, sed barbarus, sed perditus Macedo, ex ea gente ortus, è qua, ne frugi quidem mancipium emi potest. Nunc tamen ad summum venit contumeliæ.

Deinde narrat vrbes, quas cepit, honores, quos Athenienſibus præripuit, &c. id genus. Cicero in hac re nihilo inferior, quoties de indignitate Antonijorum, qui rempublicam dilapidant, loquitur, vibrat, fulminat.

CICERO.

Philipp. 4.

Philipp. 3.

Olynth. 2. n. 8. 9.

Est igitur populo Romano, victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco (& de eius crudelitate, iure pertimescenda.) Nullus est ludus videtur esse iucundior, quam cruor, quam cedes, quam ante oculos trucidatio ciuium. Non est vobis res, Quirites, cum scelerato homine, atque nefario, sed cum immani, terraque bellua: quæ, quoniam in foueam incidit, obruatur: si enim hinc emiseris, nullius supplicij crudelitas erit recusanda.

Et de Lucio Antonio.

Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, vbicunq; posuit vestigium? Cædit greges armentorum reliquique pecoris, quodcumque nactus est; epulantur milites, ipse autem se, vt fratrem imitetur, obruit vino: vastantur agri, diripiuntur villæ, matres familias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur.

Et de Marco.

Brundusij fortissimos viros, ciues optimos iugulari iussit, quorum ante pedes eius morientium sanguine os vxoris respersum esse cōstat, &c. similia infinita, maximè verò Philippica 7. vbi singularia quæque Antonij contra remp. facta discutit, quæ Demosthenes in totis Olynthiacis, & Philippicis, non adæquat.

Vterque posteà, vt vlciscendos, non autem formidandos hostes ostendat, vehementer eorum potentiam extenuat. Et Demosthenes quidem initio Olynthiacæ secundæ, vbi Philippum hominem, & tenuem, & contemptum, sola Athenienſium socordia creuisse ostendit, hunc illi fortunæ afflatum, non fore diuturnum, ait.

DEMOSTHENES.

Philip. 1. n. 12.

Εγὼ μὲν γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σφόδρα αὐτὸν ἡγοῦμαι καὶ αὐτὸς φοβερὸν εἶναι τ Φίλιππον, καὶ θαυμαστὸν, εἰ τὰ δίκαια πράττοντα εὑρ ε αὐτὸν ἀνεγκλήτως ὄντ ὑπαρχῶν καὶ σκοπῶν, ἐμπίπτοντ τὴν ἡμετέραν ἀνοηθείαν τὸ κεφάλαιον, &c. Et Philip. 1. n 12. Μὴ γὰρ ὡς θεῶν νομίζετε ἐκείνῳ τὰ παρόντα πεπηγέναι πράγματα ἀδύνατα· ἀλλὰ καὶ μισεῖ τις ἐκεῖνον καὶ δέδιεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ φθονεῖ, καὶ τῶν πάνυ νῦν δοκούντων ἐκείνῳ ἔχειν αὐτῷ.

Nolite enim putare, illi, tanquam Deo fixas esse res præsentes, & immortales, sed & odit eum aliquis, & timet, viri Athenienses, & inuidet etiam ex ijs, qui nunc illi summa familiaritate implicati esse videntur.

Hæc quidem grauia, sed nimis remissa atque tò efficacius Cicero!

CICERO.

Ac maioribus quidem vestris, Quirites, cū eo hoste res erat, qui haberet rempub. curiam; ærarium, consensum & concordiam ciuium, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis, & fœderis. Hic vester hostis rempublicam vestram oppugnat, ipse habet nullam: Senatum; hoc est, orbis terræ consilium publicum: nullum habet: Ærarium vestrum exhausit, suum non habet. Pacis verò, quæ potest cum eo esse ratio, in quo incredibilis crudelitas, fides nulla?

Deinde; Nam quod se similem Catilinæ esse gloriari solet, scelere par est illi, belli inclustria inferior. Hæc de persona hostium, in quibus semper apparebit Tullius grauior in αὐξήσει, & magis aculeatas.

Vterque cum videret animos ad bellum antea paratos, paulatim hebescere, atque infringi paribus fermè rationibus sollicitat, & pristinorum consiliorum memoria incendit, à quibus recedere sine dedecore respub. non potest. Tractat hunc locum Demosthenes Olynthiac. 3. num. 6. 7. 8. 9. vbi refricat memoriam eorum omnium, quæ iam in Philippum decreta erant, quæ sine dedecore inconstantiæ à grauissimo consilio negligi non possunt.

DE-

DEMOSTHENES.

Μεμνῆσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτε ἀπηγγέλθη Φίλιππος ὑμῖν ἐν Θερμοπύλαις τοῦτον ἢ τὸν ὑρκον ἔχων τὸν περὶ Ἡραῖον τεῖχος πολιορκῶν· τότε τοίνυν μὲν ἦν Μαμακτηριῶν πολλῶν ἢ λόγων καὶ ὁρμῶν γιγνόμενον παρ' ὑμῖν, ἐξηρίσασθε τεσσαράκοντα περήρεις καὶ ἑλκύσαι, &c. quæ commemorat, belli apparatus in Philippum enumerans. Deinde concludit, num. 12.

Τί δῶν ὑπόλοιπον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πλὴν βοηθεῖν ἐρρωμένῳ καὶ προθύμως; ἐγὼ μὲν οὐκ ὀρῶ· χωρὶς γὰρ περιστάσης ἂν ἡμᾶς αἰσχύνης, εἰ καθυφείμεθα τῶν πραγμάτων, οὐδὲ τὸν φόβον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μικρὸν ὀρῶ.

Quid restat igitur, viri Athenienses, nisi vt succurramus robustè, & alacriter. Ego certè non video: nam præterquam vobis, si a rebus gerendis semel destiteritis, dedecus impendet infamiæ, metus etiam, viri Athenienses, non mediocres animaduerto.

Qui Ciceronem legerit, Philippica septima, statim post initium, vbi plenè bellum suadet, inueniet rationibus æquè densum, & pugnacem, sed plus habere caloris, & aculeorum.

CICERO.

Ciceronis oratio vehemens & densa.

Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Hæc λακωνικῶς, mox singula persequitur.

Quid est inconstantia, mobilitate, leuitate, cùm singulis hominibus, tum verò vniuerso senatui turpius? Quid porrò inconstantius? quã, quem modò hostem, non verbo, sed re multis decretis iudicaritis, cum hoc pace velle subitò coniungi?

Deinde punctim decreta Senatus, de Cæsare, de Bruto, de Hirtio subiungit, in quibus tot vibrantur validæ rationes, & addit:

Quid cùm delectus haberi tota Italia iussistis, cum vacationes omnes sustulistis? tum ille hostis non est iudicatus. Armatorum officinas in vrbe videtis: milites cum gladijs sequũtur Consulem: omnes sine vlla recusatione, summo etiam studio nomina dant: parent auctoritati vestræ: non est iudicatus hostis Antonius? At legatos misimus? heu me miserum! quid (& cæt.)

Deinde grauissimè confutat, mox concludit longè vehementius, quàm Demosthenes.

Retinenda igitur nobis constantia, grauitas, perseuerantia, repetenda est vetus illa seueritas: siquidem auctoritas Senatus, decus, honestatem, laudem, dignitatemque desiderat, quibus rebus caruit hic Ordo nimium diu. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen iusta: nunc nulla est. (Et illud,) Quod si non possumus facere, dicam, quod dignum est Senatore, & Romano, moriamur.

Duo sunt ex vehementissimis ad incitandum locis, Olynthiaca tertia, & Philippica prima, vbi Demosthenes canit quodammodo classicum. *Olynth. 3. num. 22.* *Qualu vterque in adhortationibus.*

DEMOSTHENES.

Demosth. adhortatio ad bellum vehemens.

Τίνα γὰρ χρόνον ἢ τίνα καιρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ παρόντος βελτίω ζητεῖτε, ἢ πότε ἁδεῖ πράξετε, εἰ μὴ τῦ; οὐχ ἅπαντα ἡμῶν τὰ χωρία προείληφεν ἀνθρωπος; εἰ δ' ἢ ταύτης κύριος χάρας γενήσεται, πάντων αἴσχιστα πεισόμεθα. οὐκ οὖς, εἰ πολεμήσαμεν, ἑτοίμως σώζειν ὑπισχνούμεθα, οὕτω νῦν πολεμοῦντας; οὐκ ἐχθρὸς, οὐκ ἔχων τὰ ἡμέτερα, οὐ βάρβαρος, οὐχ ὅ, τι ἂν εἴποις· ἀλλὰ πρὸς θεῶν ἅπαντα ταῦτα ἐάσαντες, καὶ μονονουχὶ συγκατασκευάσαντες αὐτῷ, τότε τοὺς ἀνίους οἵτινές εἰσιν ἕτοιμοι, ζητήσομεν.

Quod enim tempus, quamue occasionem, Athenienses, meliorem hac quæretis? aut quãdo ea, quæ fieri debent, agetis? Nonne omnia vobis homo loca præripuit? Quid etsi hac terrã potietur, rem flagitiosissimam patiemur? Nonne quibus, si bellum gererent, strenuè nos opitulaturos pollicebamur, hic nunc bello petuntur: nonne hostis est? non vestra tenet? non barbarus? non, quod quisque mali dixerit? Sed per Deum immortalem, si hæc omnia reliquerimus, & ei tantum non ad ea obtinenda, operam nauauerimus; tum: auctores harum rerum, qui sint, quæremus?

Philippica verò prima, numer. 39. Οὐκ ἐκθησόμεθα, οὐκ ἐροῦμεν αὐτοῖς μέρει γέ τινι στρατιωτῶν οἰκείων νοῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον· οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσούμεθα, ποῖ δὴ προσορμιούμεθα; ἤρετό τις. εὑρήσει τὰ σαθρὰ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν ἐκείνου πραγμάτων, αὐτὸς ὁ πόλεμος, ἂν ὅπου χει

ρῶμεν· ἂν μέν τοι καθώμεθα οἴκοι, λοιδορουμένων ἀκούοντες, καὶ αἰτιωμένων ἀλλήλους, τῶν λεγόντων, οὐδὲ ποτ' οὐδὲν ἡμῖν οὐ μὴ γένηται τῶν δεόντων. ὅποι γὰρ ἂν, οἶμαι, μέρος τι τῆς πόλεως συναποσταλῇ, κἂν μὴ πᾶσα παρῇ, καὶ τὸ τῶν Θεῶν εὐμενὲς, καὶ τὸ τῆς τύχης συναγωνίζεται, &c.

Demosth. classicum canit.

Non egrediemur, non exibimus ipsi, parte saltem aliqua domesticorum militum, nunc? si quidem id prius factum non est? non ditionem eius classe inuademus! At quo appellemus? roget aliquis; inueniet, ac deprehendet labefactatas res illius, Athenienses, ipsum bellum modo aggrediamur. Verũ, si domi sedebimus, conuiciantes audituri, & criminantes inter se oratores, non fieri vlla ratione potest, vt quicquam ritè conficiamus. Nam, vt mea quidem fert opinio, quacunque pars aliqua ciuitatis ablegabitur, etsi tota minimè adfuerit, Deorum tamen fauor, & fortuna nobiscum pugnat: (&c.) Tum quod de libertate obiter tangit Philippica 3.

CICERO.

Cicer. ad hortatio nihilo grauior. Philipp 7. Philipp 10.

(Cum his comparari possunt, quæ habet Cicero Philipp 7.

Si pace frui volumus, bellum gerendum est; si bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Ecquodnam principium pietatis, libertatis capessendæ? An cum illum necessarium, & fatalem penè casum, non tulerimus, hunc feremus voluntarium? Tota Italia desiderio libertatis exarsit: seruire diutius non potest ciuitas: serius populo Romano hunc vestitum, atque arma dedimus, quâ ab eo flagitati sumus. Magna quidem nos spe, & prope explorata, libertatis caussam suscepimus. Et non in spiritu vita est? sed ea nulla est omninò seruienti. Omnes enim nationes seruitutem ferre possunt; nostra ciuitas non potest: si immortalitas consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eò magis ea fugienda esse videretur; quod diuturnior esset seruitus. Cùm verò dies, & noctes, omnia nos denique facta circumstent, nõ est viri, minimeque Romani, dubitare, eũ spiritum, quem naturæ quis debeat, patriæ reddere. Concurritur vndique ad commune incendium. (&c.)

Cicero vocat ad incẽdium restinguendum. Diceres omnia iam ardere.

(Et quod Demosthenes de fauore Deorum subiunxit, hic plenius;

Sine prodigijs, atque portentis, Dij immortales nobis futura prædicunt: ita sunt apertè denuntiata, vt, & illi pœna, & libertas nobis appropinquet.

Incumbite, Quirites, in eam caussam, vt facitis: nunquam inter Senatum, & vos, maior in vlla caussa fuit: nunquam tam vehementer cum Senatu consociati fuistis: nec mirum; agitur enim, non qua conditione victuri, sed victurine simus, an cum supplicio, ignominiaque morituri. Et, Non est vobis res, Quirites, cum scelerato homine, atque nefario, sed cum immani, tetraque bellua: quæ quoniam in foueam incidit, obruatur.

Et quænam est vehementia, nisi ista est? quę faces? quod incendium? Demosthenis quidem fulgura (quando Cassio Longino ita libuit cõparare) volant, & euanescunt: at Latini Oratoris ignes ardent, & crescunt in immensum.

c Vterque deinde in exponendis præsidijs, ad bellum gerendum necessarijs, iuxta rerum, & temporum statum valdè prudens est; quanquam Cicero plus habet magnificentiæ, & alacritatis: vt (Concurritur vndique ad commune incendium restinguendum.) Veterani quidem primi, Cæsaris auctoritatem sequuti, conatum Antonij repulerunt: post eiusdem furorem Martia legio fregit: Quarta afflixit; & cætera.

In obiurgationibus verò, & reprehensionibus, longè dissimiles sunt. Demosthenes enim vt austerioris ingenij, cuius gratia, vulgò Argas (fer: serpentis nomen est) dicebatur: vbique fermè adhibet cauterium, promiscuè omnes amarulenta quadam dicacitate, & sarcasmis sugillans, vt Philippica 1.

Qualis vterque in obiurgationibus. Demosth. nimis austerus, & dicax in suos, Demosth. Phil 1. n. 15.

DEMOSTHENES.

Ἡ βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιιόντες, αὐτῶν πυνθάνεσθαι, κατὰ τὴν ἀγορὰν λέγεταί τι καινόν; γένοιτ' γὰρ τὴν καινότερον ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν, καὶ τῶν Ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκεν Φίλιππος· οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ἀσθενεῖ. τί δὲ ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε.

Num vultis, circumeuntes, alius alium in foro percontari: age, dic mihi, nunquid affertur noui? ecquid magis nouum, quàm vir Macedo subigens Athenienses, & Græciæ imperans? Deinde alius dixit, mortuus est Philippus. Alius: haud quidem, sed per Iouem ægrotat. Quid ad vos? si quid illi humanitus acciderit, vos alium statim Philippum vestra socordia facietis.

Ita

Ita increpat desides, & curiosos Athenienses, grauiter quidem, & magnificè: itaque mihi videtur in istis, quasi in elemento suo, dominari. Et eadem Philippica, num. 54. Ὥσπερ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ· καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγείς, ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται· καὶ εἰ ἑτερόσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσε εἰσὶν αἱ χεῖρες. προβάλλεσθαι δὲ ἢ βλέπειν ἐναντίον οὔτε οἶδεν οὔτ' ἐθέλει. Vt barbari pugiles dimicare solēt, ita vos bellum geritis cum Philippo. Ex ijs enim is qui ictus est, ictui semper inhæret, quod si eū alibi verberes, illò manus transferet: ictum autem depellere, & contra intueri, neque vult, neque scit.

Grauis oratio Demosthenis: in increpationibus, quasi in suo elemento, dominatur.

Et Philip. 3. num. 3. apertè innuit, talem esse rerum statum, vt si quisque pro virili conaretur omnia disperdere, nihil omninò peius fieri posset.

Ὥστε δέδοικα μὴ βλάσφημον μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δὲ ἦ, εἰ καὶ λέγειν ἅπαντες ἐβούλοντο οἱ παριόντες, καὶ χειροτονεῖν ὑμεῖς, ἐξ ὧν φαυλότατα ἐμέλλετε πράγματ' ἕξειν, οὐκ ἂν ἡγοῦμαι δύνασθαι χεῖρον ἢ νῦν διατεθῆναι,

Hæc ad Demosthenis planè ingenium dicta, grauia illa quidem, sed quæ non semper ita prosunt: pauca enim ingenia sic tractari volunt, nisi sint seruilia. (Cicero aliam viam ingreditur) si enim personas honore, & reuerentia dignas obiurgando alloquatur, dici non potest, quàm honestè, & consideratè faciat, vbi præsertim emendare vult, & corrigere, non frangere. Admirabilis mihi videtur inter cæteras illa reprehensio, qua M. Antonium, & Dolabellam nondum desperatos obiurgat. Postquàm enim Antonij præclara facta, diserta, & illustri oratione commemorauit, sic increpationem aggreditur.

CICERO.

Cic. Phil. Increpatio mitis & honesta.

Vnde igitur subitò tanta mutatio? non possum adduci, vt suspicer te pecunia captum (tāgit rem acu, & caussam morbi indicat, sed quā prudenter) licet, quod cuique libet, loquatur, credere non est necesse, nihil enim vnquam in te sordidum) nihil humile cognoui, quanquā solent domestici deprauare nonnunquam, sed noui firmitatem tuam: Atque vtinam culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses, &c. quæ fusè prosequitur. Quid hac oratione grauius, mitius, prudentius?

(Ad Dolabellam verò) Sed, per Deos immortales, te enim intuens, Dolabella, qui es mihi charissimus, non possum de vtriusque vestrum errore reticere. Credo enim, vos homines nobiles magna quædam spectantes, non pecuniam, vt quidam nimis creduli suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoque, clarissimoque contempta, non opes violentas, & P. Romano minimè ferendam potentiam: sed claritatem ciuium, & gloriam concupisse. Dicerem, Dolabella, qui rectè factorum fructus esset, nisi te præter cæteros paulisper expertum viderem. (&c. ô Suadam!)

At vero vbi vult, seuerè aculeos reprehensionis distringit, vt in Q. Fusium Calenum, qui bellum aduersus Antonium dissuadebat: Philipp. 8. & 10. Animaduerte, vt pugnat, vt densè glomerat argumenta, vt hominem calefacit.

Increpatio grauis & plena libertatis.

Quæ caussa iustior belli gerendi, quàm seruitutis depulsio? nisi fortè hoc ad te non putas pertinere, quod te socium fore speras dominationis Antonij. In quo bis laberis: primùm, quòd tuas rationes communibus anteponis: deinde, quod quidquam stabile, aut iucundum in regno putas. Non, si tibi anteà profuit, semper proderit. Quinetiam memini, de illo homine quæri solebas (Cæsarē intelligit) quid te facturum de bellua putas? Atqui ais, eū te esse, qui semper pacem optatis: semper omnes ciues volueris saluos: honesta ratio; sed ita, si bonos, & vtiles reip. ciues; sin eos, qui natura ciues sunt, voluntate hostes, saluos velis: quid tandem interest inter te, & illos? Et amplissimæ tibi fortunæ sunt, summus honoris gradus; filius, vt audio, & spero, natus ad laudem: cui Reipub. caussa faueo, tum etiam tua. Quæro igitur, eum Brutine similem malis, an Antonij? ac permitto, vt de tribus Antonijs eligas, quem velis. Dij meliora! inquis: cur igitur non ijs faues, quos laudas, quorum similem filium tuum esse vis?

Demosth. Philip. 3. n. 56.

Hæc habent suum absynthium. nec vehementiora sunt, quæ dicuntur à Demosthene Philippica; contra eos, qui bellum aduersus Philippum retardabant, cùm eosdem nominat ἀνθρώποις μισθωτοὺς, ὧν οὐδὲ ἀρνηθεῖεν ἔνιοι ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι, λέγειν κελεύετε, καὶ γελᾶτε ἄνωσι λοιδορηθῶσι· καὶ οὐχὶ τοῦτό πω δεινὸν καίπερ ὂν δεινόν, &c. quæ ne stilla quidem aquæ dulcis leniuntur.

N. N.

a *Nulla Ciceronis orationes meliùs cum De-*

mosthenicis comparantur, quàm Philippicæ, quibus à similitudine Demosthenis, nomen est inditum.

b *Vterque bellum suadet ab indignitate personæ, à qua nefas tantam, & tanti populi violari maiestatem.*

c *Vterque hostem vsciscendum, non formidandũ, grauiter ostendit; sed alacriùs Cicero.*

d *Vterq; in simili causa bellum suadet, & paribus rationibus: at Cicero magis est incensus.*

e *Vterq; in exponendis ad bellum gerendum præsidijs valdè prudens: sed Cicero magnificentior, & alacrior.*

Comparantur in genere iudiciali.

CAPVT LXV.

IN forensibus caussis magnum vterque tenuit imperium, magnum triumphantis eloquentiæ reliquit monumentum. Est in ijs Demosthenes callidus, acer, vehemens. Cicero plus interdum habet redundantiæ, & excursionis: in omnibus alioqui sublimis, & magnificus, atque vbi pugnandum est, plenus spiritus, & alacritatis.

In accusando vterque velox, pugnax, animosus, sed in caussis grauioribus eminet Ciceronis ardor, quod facilè comperiet, qui nonnulla ex Verrinis cum oratione Demosthenis contra præuaricationem Legatorum, pari fermè argumento, comparare voluerit.

Contumelia in duas puellas à Demosthene & Cicerone pari ferme stylo descripta: Orat. de falsa legat. nu. 154.

Quale est illud de contumelia in duas puellas, cum vtriusque sollicitatur pudicitia, illius ab Æschine, huius à libidinum Verris prægustatore, idque in conuiuio.

DEMOSTHENES.

Ἐπειδὴ ἧκον εἰς τὸ πίνειν, εἰσάγει τινὰ Ὀλυνθίαν γυναῖκα, εὐπρεπῆ μὲν, ἐλευθέραν δὲ καὶ σώφρονα· ὡς τὸ τέλος ἐδήλωσε ταύτην. τὸ μὲν πρῶτον οὔτωσι πίνειν ἡσυχῇ καὶ τρώγειν ἠνάγκαζον οὗτοι· ὡς δὲ προῆλθε τὸ πρᾶγμα, καὶ διεθερμαίνετο, κατακλίνεσθαι καί τι, καὶ ᾄδειν ἐκέλευον· ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου, καὶ οὔτε ἐθελούλης οὔτ' ἐπιστάμενης, ὕβριν τὸ πρᾶγμα ἔφασαν οὗτοσὶ καὶ ὁ Φρύνων· καὶ οὐκ ἀνεκτὸν εἶναι τῶν θεοῖς ἐχθρῶν τε καὶ ἀλιτηρίων Ὀλυνθίων αἰχμάλωτον οὖσαν τροφᾶν. καὶ, κάλει παῖδα, καὶ ἱμάντατις φερέτω, εἶπεν. ἧκεν οἰκέτης ἔχων ῥυτῆρα, καὶ πεπωκότων, οἶμαι, καὶ μικρῶν ὄντων τῶν παροξυνόντων, εἰπούσης τι καὶ δακρυσάσης ἐκείνης περιῤῥήξας τὸν χιτωνίσκον ὁ οἰκέτης, ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλὰς πληγάς. ἔξω δὲ αὐτῆς οὖσα ὑπὸ τοῦ κακοῦ, καὶ τοῦ πράγματος, ἡγωνὴ ἀναπηδήσασα πρὸς πίπτει πρὸς τὰ γούνατα τῷ ἰατροκλεῖ, καὶ τὴν τράπεζαν ἀνατρέπει. καὶ εἰ μὴ ἐκεῖνος ἀφείλετο, ἀπόλετ' ἂν παροινουμένη. Καὶ γὰρ ἡ παροινία τοῦ καθάρματος τουτοῦ δεινή. Deinde exclamat: Καὶ τιαῦτα συνειδὼς ὁ ἀκάθαρτος οὗτοσὶ, τολμήσει βλέπειν εἰς ἡμᾶς; Diserta quidem ista criminis expositio.

Vt autem ad paucula ventum est, introducit is mulierem quandam Olynthiam, formosam quidem illam, sed ingenuam, & modestã; vt exitus declarauit Eam primum bibere paulatim cogebant. Vt autem res satis calere visa est, assidere, atque etiam canere iusserunt æstuante muliere, vt quæ neque vellet, neque sciret, contumeliam id factum, minimè ferendam, dicunt, vt captiua à Dijs inimicis, & nefarijs Olynthijs, delicias faceret. Age, voca seruum, inquit. & lorum aliquis afferat. Præsto est seruus, scuticam gestans, ipsis verò benè potis, & iracundis, iubentibus, mulieri ne quicquam lachrymanti direptâ, & laceratâ tunicâ crebras tergo plagas ingerit. Tum sui impos præ dolore, & timore mulier, subsiliens ad Iatroclis pedes prouoluitur, mensamq; subuertit. Quod nisi is eam eripuisset, interfecta esset in illa ebrietatis insania, ita temulentia istius impuri crudelis est (sequitur deinde exclamatio) & cum talium sibi criminum conscius sit scelestus ille, nos aspicere audebit:

CICERO.

Charactere similia sunt, quæ narrantur 3. Verr. num. 63 de filia Philodami.

Maturè veniunt, discumbitur, fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur, hospes hortatur, poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone, lætitiaque conuiuium. Postquam satis res Rubrio calere visa est: Quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non introuocari iubes, homo, & qui summa grauitate, & iam id ætatis, & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto. Instare Rubrius: tum ille, vt aliquid responderet, negauit moris Græcorum, vt conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius,

lius, ex alia parte: Enimuero forendum nō est, vocetur mulier, &c. quæ in narratione fusius prosequuti sumus. Vbi quæ sequuntur de supplicio etiam Philodami, vt magnitudine rei, sic etiam orationis amplitudine, apud Ciceronem admirabilia sunt. Inuenitur certè, etiam in istis expositionibus Demosthene γραφικώτερον. At iam in exagitatione criminum quantus est! quàm sublimis? Confer nunc exclamationem Demosthenis καὶ ταῦτα σωιδὼς ἐμοὶ δικάζεται οὗτος, &c. cum istis. Tantæne tuæ, Verres, libidines erant, vt eas capere, ac sustinere non prouinciæ P. R. non nationes exteræ possent? Tunc quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutū tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit, immittētur homines, expugnabuntur domus? Ciuitates non modò pacatæ, verumetiam sociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, vt ab se, atque à liberis suis legati P. R. scelus, atque libidinem propulsare possint? Et tamen vtrique erat idem campus in legatum libidinosum, & in libidine crudelem, & in conuiuio cruentum.

De falsa legatione num. 319.

Iam Midiana oratio, quæ extat de alapa, satis fusè scripta, & in qua, præter morem, modumue calere viderur Demosthenes; qualis demum censebitur, licèt inter iudiciales Demosthenis nobilissima, si cum Verrinarum particulis comparetur. Intendit homini loculeti, & apud suos imprimis copioso litem, quod ab eo in Orchestra pugnis affectus fuisset; & ideò vult, non vna morte, sed pluribus condemnari Hominis quidem fastum, mollitiem, petulantiam & cætera huiusmodi satis acriter exprimit, atque insectatur, vt his verbis,

Demosth. in Midiam. 252.

πάντας γὰρ ὑμᾶς οἶδέναι νομίζω τὸν τρόπον τοῦτου, καὶ τὴν ἀτέλειαν, καὶ τὴν ὑπερφανίαν τὴν τοῦ βίου, καὶ τὴν ἀφορμίαν, ἣπερ ἰσχυρὸν καὶ φοβερὸν ποιεῖ τὸν κατάπτυστον τουτονί. τὸ γὰρ ἐπ' ἐξουσίας καὶ πλούτου, πονηρὸν εἶναι, καὶ ὑβριστὴν, τεῖχός ἐστι πρὸς τὸ μηδὲν ἂν αὐτὸν ἐξ ὑπερδρομῆς παθεῖν.

Hominem ita describit superbum, nefarium, impium, omnium contemptorem, & diuitijs, quasi propugnaculis scelerum fretum. Hæc; aut certè ea, quæ contra Androtionem scripta est oratio: si cum Verrinarum, inquam, partienlis, in quibus ipse Verres, vt improbus, & contemptor, & diues describitur, conferantur, sanè inueniemur μικρὰ λέγειν. Quid de tot improbitatis descriptionibus accuratissimis dicam, quæ sparsæ sunt in Cluentiana 9. pro Sylla 70. 71. 76. pro Sextio 16. 17. in Vatinium 18. 19. 20. quæ comparentur, ostendent, quantum tum in exaggerandis criminibus Tullius sit potentior. Illud vnum, quàm rotundè, quàm ingeniosè collegit.

Nulla Demosth. accusatio cum Verrina cōparanda.

Non enim furem, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque sacrarum: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumque in vestrum iudicium adduximus, vt ego hunc vnum eiusmodi reum, post hominum memoriam, fuisse arbitrer, cui damnari expediret. Vbi collectio criminum Midiæ, cui fermè eadem, maximè impietatis, sacrilegij, crudelitatis facinora objciuntur, habet hoc artificium? Quid si Neæra flagitiosissima mulier, maximè verò, vbi Demosthenes eam vehementius accusat, num. 171. comparetur cum Ciceronis Sassia, cuius extat accusatio pro Cluentio, vterque versatur in pari argumento, in insectanda scilicet famosa libidine, & flagitijs, quantum superet Latinus orator, Græci ipsi iudicent, qui Neæram continuò dicent, non à Demosthene, sed aliqua Demosthenis simia fuisse conscriptam.

Cic. Ver. 3.

Longe grauius Cicero Sassiā, quā Neæram Demosth. insectatur.

Iam querimonias, & conquestiones longè grauius, vt ad commiserationis affectus, non factus, sed natus, tractat Cicero. Quanquam alapam sibi inflictam valde conqueritur, & lamentatur Demosthenes contra Midiam. Καίτοι πῶς τις Διονυσίοις τὸν παρασκευὴν, καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὰ ἀναλώματ' ὑβρί', ἅπερ νῦν ὁ τούτοις εἰς ἐποίει, ἐκεῖνά τε καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, τὴν πόλιν, τὸ ἔνδον, τὴν οἰκειμίαν, τὰς ἐλπίδας· εἰ γὰρ ἐβουλεύετ', κατόρθωσεν, ἅπαντων ἂν ἀπεστερημένων ἐγὼ, καὶ μηδὲ ταφῆναι προσῆκεν οἵοις μοί. Ac tum quidem Bacchanalibus ornatum, & corpus, sumptusque meos læsisse: nunc verò his quæ moliebatur, & struebat, tum illa, tum cætera omnia, tum vrbem, tum familiam, tum ius honorum, tum fortunas, tum spes. Nam si vnæ eius insidiæ successum habuissent, omnibus his fuisse spoliatus ego, nec domi sepeliri mihi licuisset. Et omnes illi fluctus ad vnam alapam concitati? Quanto grauius Cicero pro Domo, pro Milone, pro Flacco,

Demosth. in cōquestionibus, & miserationibus multū partibus à Cicerone obtinetur. Demosth. in Midiam.

pro

pro Sextio, & suas, & amicorum iniurias conqueritur? Vel illud vnum 4. in Catilinam, quàm dulci maiestate dictum: Mihi quidem, si hæc consulatus conditio data est, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusque perferrem; feram non solùm fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis, populoque Romano dignitas, salusque pariatur.

Qualis vterq; in petitionibus, & honorum contentionibus.

In defensionibus, petitionibus, honorum contentionibus, & cæteris similibus, est vterque instans sibi, & vehemens, in illis tamè orationibus, quæ extra reatus, sordes excurrere paulò liberius permittunt, longè iucundior est M. Tullius, vt qui grauem, & amœnam data occasione liberalium artium spargit eruditionem, qua auditores mirificè exhilarat, & (quod aiunt) marinam auditionem fluuiali abluit sermone, ἁλμυρὸν λόγους, λυπῶν τε καὶ ἀποκλύζει νάματιν. Comparetur Leptines Demosthenis, in quo pro honoribus, & immunitatibus filij Chabriæ Imperatoris disceptat, cum ea parte Philipp. V. quæ est de imperio, & honoribus iunioris Cæsaris. Quàm ardenter illic Cicero pugnat, quàm grauiter, quanto rationum, & sententiarum pondere? Comparetur illa σύγκρισις Demosthenis, & Æschinis, quæ scripta inuenitur in oratione pro Corona. Ac 7. nobilissimum ferme omnium Demosthenis opus, cum comparationibus Murenæ & Seruij, Imperatoris & Iurisconsulti: Consulatus Ciceronis, & Pisonis: Cæcilij denique & Ciceronis in diuinatione, inuenietur M. Tullius, si non ita austerus, ac Demosthenes, neruosus tamen, subtilis, acer, etiam cum est laxus, & copiosus, ingenij verò gratia, festiuitate, facilitate inimitabilis.

Comparentur in partibus orationis.

Quod ad orationis partes attinet, exordia vtrique maximè in maioribus caussis grauia sunt, & magnifica nescio tamen quo pacto Ciceronis initia, ex morum, opinor, amabilitate liquidius influunt in animos, mentesque, & pectora firmius sibi deuinciunt. Contra Demosthenis persæpe sunt austera, rigida, querula, obiurgatoria, quibus auersionem potius animorum, quam propensionem ingenerare suis auditoribus possit.

Narrationes habet vterque valdè puras, subtiles, pellucidas, quod ex ea Demosthenis, quę à me superius citata est, licet agnoscere. At verò Cicero præter limatam perspicuitatem, elegantiam, dexteritatem, etiam aliquos impremit aculeos, quibus sine vllo epiphonemate, aut exaggeratione possit motus elicere. Est enim admirabilis imaginum artifex, in quibus magnam eloquentiæ partem sitam, atque collocatam arbitror. Atq; vt erat ipse φανταστικώτατος & διηγώνιος φύσεως, ita res concipit vt sunt, ita exprimit, vt concepit, ita incendit, vt ipsemet est incensus, & flagrans: maximè verò vbi res crudeles, & funestas exaggerat, intimos sensus tam vehementer percellit, vt ipsi, qui legunt, aut audiunt, non audire, & legere, sed planè interesse caussæ videantur. Talia sunt ista Philipp. II. de morte Trebonij, quem diu excruciatum Dolabella necauerat. Ponite igitur ante oculos, P. C. miseram quidem illam, & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam, nocturnum impetum in vrbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cum ille miser prius latronum gladios videret, quam quæ res esset, audisset, furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atque os illud infame, vincla, verbera, eculeum, carnificem, tortoremque famarium: quæ tulisse illum fortiter, & patienter ferunt.

Cicero in suis narrationibus admirabilis est imaginum artifex,

Quæ verò de supplicio P. Gauij Cossani in crucem acti leguntur vltima Verrina, quàm potentis, quàm admirabilis sunt eloquentiæ? Cædebatur virgis medio foro Messanæ Ciuis Romanus, Iudices, cùm interea nullus gemitus, nulla vox istius miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc, *Ciuis Romanus sum.* Deinde crux, crux, inquam, infelici, & ærumnoso comparabatur. O nomen dulce libertatis, ô ius eximium nostræ ciuitatis, ô lex Porcia legesque Semproniæ, ô grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas! Huccine tandem omnia reciderunt, &c. quorum nec vmbram quidem, aut vestigium habet Demosthenes, ita viri ingenium erat à miserationibus alienum.

In confirmationibus nimis aliquàdo excurrit (hoc enim fatendum est) & in verisimilibus ludit argumentis M. Tullius. Demosthenes vt plurimum magis callidus, & pressus, & acer est. At verò vbi Ciceroni libet circuitus omnes succidere, densiusque pugnare, vt in Philippicis, cum de bello, & pace, de honoribus Cæsaris agitur, nihil illo vehementius, nec in hac parte Demosthenis virtuti cedit.

Cicero in confirmationibus plus habet excursionis, & verisimilitudinis, non tamen vbique.

Iam peroratio, quæ corona est eloquentiæ, maximè verò ratione illius partis, quæ vim, amplificationemque continet, Ciceronis tota est.

est, hanc illi omnes communi consensu oratores tribuerunt, & nemo tantum illi honorem, qui modo iudex æquus fuerit, denegabit.

Comparantur in inuentione, dispositione, elocutione.

CAPVT LXVI.

IN inuentionibus quidem, & dispositionibus duo summi oratores, vel Quintiliano teste, maximè congruunt: quanquam Demosthenis inuentio forensium rerum limitibus, in quibus ipse acutus erat, & sagax, septa continetur, quos ille vix audet excidere, ne in alijs hospes, & imperitus videatur. Ciceronis verò fœcundum, & multiplex ingenium, omnia disciplinarum genera peruagatum, longè vberiores inueniendi fontes in multis expromit. Dispositio porrò, quanquam vtrique prudens, latina tamen plus habet lucis, gratiæ, splendoris. Elocutione ambo, & id quidem in triplici figura præstantes extitere, Romanus certè eò felicior, quò plus habet ingenij, quàm artis: liberè enim dicendum est, quod Græci ipsi non negarint. Demosthenes, qui octies Thucydidem sua manu descripserat, non nihil inde traxit morosæ austeritatis, & nimis putidæ diligẽtiæ, quæ ingenuũ styli florẽ, & lumen extinguit: quis nõ videt enim ista esse nõnihil detorta, violenta, quæque Thucydidẽ oleant? Πολλῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λόγων γιγνομένων, ὀλίγῳ δεῖ κατ' ἐκάστην ἐκκλησίαν, περὶ ὧν Φιλιππος, ἀφ' οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο, οὐ μόνον ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους. Ἑλληνας ἀδικεῖ καὶ πάντων εὖ οἶδ', ὅτι φησάντων γ' ἂν εἰ καὶ μὴ ποιοῦσι τοῦτ', καὶ λέγειν (δεῖν) καὶ πράττειν ἅπασι προσήκειν ὅπως ἐκεῖνος παύσεται τῆς ὕβρεως, καὶ δίκην δώσει, &c.

Elocutio Demosth. plerumque austera & Thucydidea. Demosth Philip. 3.

Hæc si ex meo sensu reprehenderẽ, temerarius essem: sed loquor ex mente Dionysij Halicarnassei, qui Demosthenis laudator est, & admirator perpetuus, hanc tamen elocutionem, affectatam, otiosam, præposteram agnoscit, & ipse Demosthenis stylum reformans, ita inuertit: πολλῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, λόγων γιγνομένων κατ' ἐκάστην σχεδὸν ἐκκλησίαν, περὶ ὧν ἀδικεῖ Φίλιππος εἰς ἡμᾶς τε καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, ἀφ' οὗ τὴν εἰρήνην ἐποιήσατο. Addo quod verbis plerumque obscuris, & lõgiusculè translatis oblectetur in oratione cõtra Medontem, quæ citatur ab Harpocratione, dixit δεκατεῦσαι παρθένον, decimare virginem, quod est consecrare, & initiare, ducta inde metaphora, quòd decimas dijs offerrent. Opus fuit Didymi commentario ad hoc verbũ intelligendum, qui de eius significatione librum cõscripsit. In oratione de falsa legatione habet διακωδωνίζειν pro ἐξετάζειν. Διακωδωνίζειν, propriè est campana personare. Dixit autem pro eo, quod est explorare, quia pugnaces coturnices, campanæ sono explorare solebat antiquitas, vt notauit Aristarchus, in vsum postea dimanauit, & ciuitate Græca donatum est, audax tamen est, & à communi consuetudine detortum. Similiter pro exitio, βάραθρον, quo specus propriè significabatur, & terræ hiatus, in quem fontes apud tribum Hippothoontidẽ deuoluebantur, Voraginem magis probat Cicero, quàm Charybdim, aut barathrum patrimonij, & similia, vix inuenias vllum ex decem primis oratoribus, qui ita locutus sit. In oratione contra Aristocratem τὸ ἀνδρολήπτιον pro hominis captura, νεαλῆ pro recenter capto contra Aristogitonem, quod poëtis, & historicis condonandum quidem est, apud oratores non satis vsurpatum. Quale est illud in prima contra Coronam, quæ citatur ab Harpocratione, Ἀριστολόχῳ ὦ ζαπεζίτῃ ἱστὰ βαίνων ἐβάδισε. Item pro Ctesiphonte νεθρίζειν & Υης Ατῆς, Ατῆς Υης, quæ verba in obscuris mysterijs vsurpata satis audacter, apud superstitiosum populum trahit in iocum, & ἐνθρυπτὰ & νεήλατα, quæ Didymo, atque Aristarcho facessunt negotium, & cætera similia infinita, de quibus disceptant Grãmatici.

Dionys. Halicarn. in lib. de grandi loquentia Demosthenis. Aspasius quoq; Rhetor, exordiũ

orationis aduersus Leptinẽ, vt minus accuratũ castigauit. Demosth. audax dictio.

διακωδωνίζειν προφάσεις, quod sic apud Demosth. Διακωδωνίζειν.

ἀνδρολήπτιον, νεαλῆ, καινῶν ἐξάπτειν.

Prætereà in accentibus dictionum voluit nonnihil innouare, cum Ασκλήπιον pro Ασκληπιόν omnibus reclamantibus pronuntiaret, ex quo meritò ab Atticis auribus, quæ istam nouitatem probare non poterant, redargui meruit.

Nouator accentuum Demosth.

At Cicero nobilis locutor, vt appellatur à Diuo Augustino, tantam, & tam germanam habuit latinitatis puritatem, vt cæterorum omnium norma extiterit, & posteris perpetuum incorruptæ linguæ reliquerit monumentũ, nisi quis fortasse voces aliquas, quas de industria eruditis ad Atticum epistolis, aut etiam verbis immiscuit, ad censuram vocet oratoriam, quæ ab eo vt oratore, minimè dicta

sunt, nec tamen sine vsu, & exemplo sunt prolata.

Cõparãtur in figura. Quod ad figuras, & dicendi lumina attinet, multò plura, eademque illustriora sunt in Cicerone; Nam quæ a Demosthene videntur inchoata, leuiusque pertexta, apud Latinum oratorem numeros omnes, & quasi cumulum capiunt perfectionis. Dionysius Longinus laudibus effert in cœlum ὁμοπτωτον χῆμα Demosthenis, quo defunctorum in Marathone animas implorauit, & per easdem iurauit. οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι πρωτους τελευτήσαντας. Videtur, inquit, Demosthenes diuino spiritu afflatus in hanc figuram erupisse: Quasi verò Eupolis non hoc ipsum ante Demosthenem dixerit in comœdia:

Laudatissima Demost. figura ab Eupoli expressa. Demosth. pro Ctesiphonte.

οὐ γὰρ μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην,
Καίρων τὶς αὐτῶν τοὺμὸν ἀλγεῖν κέαρ.

Cicer. in Milon. Sit illud vehemens, tamen ad motum concisum est, quanto illud Ciceronis amplius, qui non tantum animas mortuorum, sed tumulos, & aras, & templa, & lucos obtestatur? Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obtestor, vosque Albanorum obrutæ aræ sacrorum P. R. sociæ, & æquales. Quæ splendidè, & grauiter supra Demosthenem figurata.

Deinde affertur illa ab eodem Longino προσώπων ἀντιμετάθεσις, seu apostrophe contra Aristogitonem, vt ingens vehementiæ, & grauitatis exemplum. Καὶ σὺ εἰ, ὑμῶν χολὴν οὐδὲ ὀργὴν ἔχων φαίνεται, ἐφ' οἷς ὁ βδελυρὸς οὗτος καὶ ἀναιδὴς ἀνθρωπος οὐσι εἰάζεται τοὺς νόμους; ὃς, ὦ μιαρώτατε πάντων τῶν ὄντων ἀνθρώπων, κεκλῃσμένης τῆς παῤῥησίας οὐ κιγκλίσιν οὐδὲ θύραις, ἁπαρανοίξειεν ἄν τις, ἀλλὰ τοσούτοις καὶ τηλικούτοις ὀχλήμασι, καὶ τούτων παρὰ τὴν θεὸν κειμένων, εἰς τὸ ἐντὸς τούτων βιάζη; [Et nemo vestrum succensere, atque irasci videbitur ijs, quibus execrandus ille, & impudens homo leges violat? (qui) ô pessime omnium hominum, concluſa iam tua audacia, non clathratis foribus, quas fortè quis aperuerit, sed tot, & tantis multis, quæ ad ædẽ Deæ collocatæ sunt, etiam intra hæc vim moliris?] Quoties Cicero cuiusdã motus impetu abreptus intercidit narrationes, mutat personas, vt, Hæc sunt, carnifex, sepulta in gremio consulatus tui, persequere connexos hisce funeribus dies. Et Philipp. 2. Atideò ædes etiam, & hortos, quæ narratiuè erant inchoata, statim imperfecta adhuc sententia relicta, præanimi æstu, & feruore conuertit sermonẽ ad Antonium: O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare, tu illarum ædium Dijs Penatibus os importunissimum ostendere? &c. Planè robusta, grauia, incensa, quibus nihil simile apud Demosthenem reperies.

Demost. contra Aristog. 1. 8.

Cic. in Pison.

Laudatur item illa imago, & descriptio Procerum Philippi, & Alexandri, quæ est in nobili oratione pro Ctesiphonte. Ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ ἀλάσορες, καὶ κόλακες, ἡκίστα κρίνοντες, τὰς ἑαυτῶν ἐκάστοι παῤῥησίας, τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες, πρότερον Φιλίππῳ, εἶτα Ἀλεξάνδρῳ, τὴν χεῖρα μεζόντως καὶ τοῖς ἀσχίστοις τὸ εὐδαιμονίαν. Sed quota portio nobilissimæ illius descriptionis Catilinarij exercitus collecti, ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis mendiculis, ex decoctoribus, ex ijs qui vadimonia deserere, quàm illum exercitum, maluerunt, &c. vbi varios variè suis coloribus pingit. Ad summum rara illa & admirabilis figura, quæ est in eadem oratione de Corona, & laudatur ab Hermogene: οὐκ εἶπον τοῦ ταῦτα, οὐκ ἔγραψα, οὐδὲ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδὲ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ. Num verò apud Ciceronem illustrior? Neque verò se populo solum, sed etiam senatui tradidit: neque senatus modò, sed etiam publicis præsidijs, & armis: neque his tantum, verùm etiam eius potestati, &c. Sed de his plenius in tractatu de figuris.

Cicer. in Milon.

Comparantur in actione, & successu eloquentiæ.

CAPVT LXVII.

DEmosthenis quidem, & Ciceronis orationes, quæ literis extant consignatæ, multis iudicium, actio, quæ eum ipsis interijt, omnibus desiderium reliquit, quàm si exaratis eloquentiæ monumentis imprimere potuissent, minus laboraremus. Constat Demosthenis actionem initio satis infelicem, populoque Athenienſi inuisam fuisse. Ex quo cum semel explosus è foro domum se obuoluto capite, & mœsto animo receperet, sequutus est eum Satyrus mimus, à quo comiter appellatus, & de suo mœrore interrogatus, lamentati cœpit, se omnium oratorum laboriosissimum esse, & infe-

Plutarch. in Demost.

infeliciſsimum, qui cùm vigorem corporis in exercitationibus eloquentiæ penè conſumpſiſſet, paſtoritia fiſtula exciperetur à populo, Nautæ verò temulenti ſuggeſtum tenerent, & regnarent in foro. Quo audito Satyrus petijt, num aliquos Euripidis, aut Sophoclis verſus teneret memoria: Et perbellè, inquit Demoſthenes, mox eum recitantem audiuit, vocemque inconditam, & vultum, & geſtum oratoris reformauit, finxitque in melius: ex quo non mediocrem actionis fructum Demoſthenes eſt conſequutus. Quantam ſibi vim faceret, declarant illa, quòd indecorum humeri motum ſuffixo verſiculo coercuerit: quòdin ſpelunca, dimidiâ parte capitis raſa, ad fouendam laborisaſsiduitatè abdiderit, quòd ſe Neoptolemo mimo decem millia drachmarum dederit, vt integros verborum ambitus vno ſpiritu pronuntiaret: quòd denique calculis ore infertis ſæpè multùm, ac diu loquutus fuerit. Hæc quidem naturæ parum felicis indicia extiterunt.

Valer. Max. lib. 8. cap. 7. Demetr.

Ciceroni promptior vis, & alacritas fuit, niſi quòd laterum imbecillitate nonnihil initio laborauit, quòd continua exercitatione in eloquentiæ puluere tritus, ita emendauit, vt inter omnes oratores, ſi quando multi dicerent, ad peroratiónem, in qua vehementiores eſſent emiſsiones, & vox cõtentior reſeruaretur. Vſus illi cum Roſcio Comœdo, & Æſopo tragœdiarum actore, non parùm contulit ad actionem, ſicut Demoſtheni ſatyrum peritiſsimum fuiſſe nouerat. Credibile eſt certè ambos oratores tanto, & tam acri ſtudio, continuaque exercitatione, à qua non honorum decurſus, non ætatis flexus auocabat, ad ſummam agendi laudem efflоruiſſe. Cum præſertim ad vtrumque audiendum, magni ex Græcia, totaque Italia concurſus fierent. Verùm vt in alto quoque mari grandiora piſcium corpora viſuntur: ſic M. Tullius cùm id nactus eſſet imperium, quod ijſdem quibus orbis regionibus erat definitum, ipſeque per omnia honorum curricula deuectus, ad illud tandem dignitatis faſtigium deueniſſet, quod nomine Conſulatus reipſa Dictatura extitit, longè vberiores, atque illuſtriores eloquentiæ ſucceſſus reliquit, quàm Demoſthenes, cui & vrbis fortuna contractior, & morum, rerumque geſtarum ratio, ad tantum gloriæ apicem deuenire non permiſerunt, niſi quis fortè concitatos à Demoſthene in Philippum Macedonem, tam infelici exitu concionum fluctus, cum tot clariſsimis M. Tullij rebus geſtis velit comparare. Cicero, vt ipſe iure prædicat, ſenatum, & bonos omnes, legis Agrariæ, maximaque vnique largitionum metu liberauit. Agrum Campanum conſeruauit: potentiſsimis viris, qui ita tum reip. conuulſuri videbantur, tanquam inſano torrenti ſe obiecit, & compreſsit: Antonium ſuum collegam cupidum prouinciæ, multa in repub. molientem, patientia atque obſequio mitigauit: Catilinæ coniurationem vnam, poſt ſeptingentos fermè annos, à quibus Roma condita erat, periculoſiſsimã, atque funeſtiſsimam extinxit, & intẽtata iugulis ciuitatis tela coniuratorum nefarijs manibus extorſit. Et quod magnæ authoritatis fuit, Octauium Cęlarem adoleſcentulum exercitibus Romanis præfecit, Imperatorio titulo ornauit, Antonium Conſulem eiecit, & profligauit, de cuius ſalute iam tunc erat conclamatum, ſi Auguſtus in fide ſtetiſſet, ſed quem non potuit viuum, vltus eſt etiam mortuum, & Ciceronis cineres in Antoniorum perpetuum dedecus, Cæſare ipſo ita diſpenſante ſurrexerunt. Concludamus hunc locum cum Plinio, Te dicente, legem Agrariam, hoc eſt, alimenta ſua abdicauerunt tribus: te ſuadente, Roſcio, theatralis authori legis, ignouerunt, notataſque ſe diſcrimine ſedis, æquo animo tulerunt: te orante, proſcriptorum liberos petere puduit, tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proſcripſiſti. *Salue primus omnium parens patriæ appellate*, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, facundiæ, Latiarumque literarum parens: atque, vt Dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit, omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quantum plus eſt, ingenij Romani terminos in tantum promouiſſe, quàm imperij. Cæteros comparationum locos vide in tractatu de imitatione. Nunc Ciceronem etiam cum eminentiſsimis alijs Græcorum authoribus conferamus.

Demoſth. exſtia aliqua Macedonica hiſtoria Lucianus exaggerat in Demoſth. enomio, ſed nimis oratoriè. imò poeticè.

Plin. lib. 7.

Comparatur cum Thucydide.

CAPVT LXVIII.

TRes ſunt præcipuæ in Thucydide virtutes, quas Orator noſter non modo accurate eſt imitatus, ſed etiam feliciter ſuperauit. *Tres præcipuæ Thucydidis virtutes.*

Prima eſt εὐγένεια, innata ſenſuum generoſitas, in quibus nihil humile, nihil demiſſum,

Has tamen res geſtas

nihil ad plebeiam mentem deiectum. Secunda est ὑψηλότης quædam ab ipsa scilicet generositate defluens styli celsitudo. Tertia, quæ ingenij quasi soli, bonitatem, & sublimes inde surgentes fœtus exhilarat, illustrium verborum delectus, quem καλλιέπειαν appellat Halicarnasseus.

Vis istam generositatem in dictis intueri, audi Sthenelaidæ ad Athenienses responsum:

Thucyd. l. 1.

Τοὺς μὲν λόγους τοὺς πολλοὺς τῶν Ἀθηναίων οὐ γιγνώσκω· ἐπαινέσαντες γὰρ πολλὰ ἑαυτοὺς, οὐδαμοῦ ἀντεῖπον ὡς οὐκ ἀδικοῦσι τοὺς ἡμετέρους ξυμμάχους, καὶ τὴν Πελοπόνησον καίτοι εἰ πρὸς τοὺς Μήδους ἐγένοντο ἄγαθοι τότε, πρὸς καὶ ὑμᾶς κακοὶ νῦν, διπλασίης ζημίας ἄξισί εἰσιν, ὅταν τ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται. Equidem quid sibi Athenienses velint cum ista verbosa oratione, non intelligo, quum enim multa de suis laudibus dixerint, nunquam tamen illud sunt inficiati, à se socios nostros, & Peloponesum violari. Atqui si se viros bonos bello illo Medico præstiterunt, nunc autem ijdem in nos sunt iniurij, digni sunt, qui dupli pœnam subeant, quòd à bonis moribus in malos sunt dilapsi.

Mira sensuum generositas in Thuci.

Hæc generosè dicta. Sed nec minus generosa sunt multa, quæ habet Tullius in Philippicis, quale est illud. At beneficio sũ vsus tuo. Quanquam illud ipsum, quod commemoras, semper præ me tuli: malui me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quòd me Brundusij non occideris? quem ipse victor qui tibi, vt tu te gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, saluum esse voluisset, in Italiam ire iussisset, hunc tu occideres? Fac potuisse, quod est aliud P. C. beneficium latronum, nisi vt commemorare possint, ijs se dedisse vitam, quibus non ademerunt.

Cic. 2. Philipp.

Cic splendor, & generositas nihil Thucydidea concedit.

Nihil generosius hac oratione fingi potest. Infinita sunt similia. Sublimitas Thucydidis maximè apparet in oratione Periclis, de non cedendo Lacedæmonijs, in Platæensium apologia, in consolatione Niciæ, ad exercitum. Vbi strenuus ille imperator, inter summas lacerati exercitus acerbitates ægrè trahens spiritum, sic incipit: Ἔτι μὲν καὶ ἐκ τῶν παρόντων, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ξύμμαχοι ἐλπίδα χρὴ ἔχειν ἤδη τινὲς καὶ ἐκ δεινοτέρων ἢ τοίων δὲ ἐσώθησαν. Μηδὲ καταμέμψασθε ὑμᾶς ἄγαν αὐτοὺς μήτε ταῖς ξυμφοραῖς, μήτε ταῖς παρὰ τὴν ἀξίαν κακοπαθείαις, &c. Quæ Græcè, & Latinè retulimus suo loco, vbi quæ de Deo, & eius prouidentia obiter immiscet, faciunt grauem, & amplam sensibus orationem. Sed quæ sequuntur, etiam verborum delectu, & compositione, planè sunt magnifica: οἱ μὲν πολλοὶ τὸν ἐνθάδε εἰρηκότων ἐπαινοῦσι τὸν προσθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε, ὡς καλὸν ἐπὶ τοῖς ἐκ πολέμων θαπτομένοις ἀγορεύεσθαι αὐτόν, &c. Ciceronis verò sensuum celsitudo, epicherematumque densitas maximè in Philippicis elucet; Καλλιέπεια cum illo nata est. Hæc illi cum Thucydide communia. At sunt in Thucydide vitia permulta, vt animaduertit Halicarnasseus, quibus Ciceronis puritas nullo modo inficitur. Hic Cadmo Milesio, Aristæo Proconesio, & cæteris superueniens, propriam quandam dicendi formam ab alijs non animaduersam, primus in historiam induxit. Primum in electione verborum, cuique genti peculiarem, & obsoletam, ac peregrinam dictionem, quæ tamen in suo genere pulchritudinem haberet, communi, suoque tempore vsitatæ linguę anteposuit. In iungendis autem, atque inter se aptandis maioribus, & minoribus particulis, grandem, austeram, asperam compositionem pro suaui, molli, & polita cõsectatus est. In figuris verborum adhibendis, quibus imprimis vetustiores superare contendebat, putidam diligentiam posuit, vt qui totos viginti septem annos in octo libris, quos solos reliquit, elaborandis consumpsit. Quos certè sursum, deorsum volutans, singulasque locutionum particulas morosius delimans, in eam incidit infelicitatem, similibus ingenijs perquam familiarem, vt multa præpostere diceret, inuerteret, obscuraret, perplexosque, & inextricabiles dictionum texeret labyrinthos.

Sublimitas Thucydidis.

Ciceronis celsitudo.

Καλλιέπεια.

Thucydid. vitia quibus Cicero caruit.

Infelix nimia diligentia.

In Cicerone nihil simile, verba siquidem habet pura, nitida, sonantia, obscuras archaismorum ineptias, quasi scopulos fugit. Compositionem texit delicatam, suauem, floridam; Et, quod maximum est, in toto orationis ornatutalis est, vt nihil anxiè, & putidè dicat, sed quasi argenteam venam naturali impetu ebullientem, & nunquam intersistentem, videas.

Com-

Comparatur cum Platone.

CAPVT LXIX.

Platonis & Ciceronis similitudo in quinque virtutibus eloquentiæ.

PLatonis se imitatorem maluit, quàm Thucydidis M. Tullius, vt apparet ex multis locis, & certè feliciter admodum est imitatus. Primum vtrique commune est, ὑψηλόν, maiestas quædam orationis, quæ aptè & congruè in magnis rebus versatur. Secundum τὸ χαρι, styli florida, & delectabilis amœnitas. Tertiũ, distributio, quæ in vtroque prudens, & clara. Quartum ἤθους, morum, & affectuum insignis expressio, cuius vterque summus est artifex. Ad summum σύστροχοι τῶν λόγων, orationis delicati quidam cinciunuli, quibus vterque mirificè est delectatus. Nam Plato, vt testatur Dionysius Halicarnasseus, octogesimum etiam annum agens διαλόγους ἐσυρύχιζε. Sæpè autẽ ita cõcurrunt, vt ouum ouo non sit magis simile, quàm Platonis, & Ciceronis oratio, quinetiã hic ex illo (ita affectabat) multa vertit; qualis est illa peroratio Socratis.

PLATO.

Plato in Apologia Socratis.

Δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστι τὸ τεθνάναι. ἢ γὰρ οἷον μηδὲν εἶναι, μήδ' αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν τὸ τεθνεῶτα, ἢ, καθὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τυγχάνει οὖσα, καὶ μετοίκησις τῆ ψυχῆς, τῶ τόπω τῶ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον. Καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος. ἐγὼ γὰρ ἂν οἶμαι, εἴτινα ἐκλεξάμενον δέοι ταύτην τὴν νύκτα ἐν ᾗ οὕτω κατέδαρθεν, ὥστε μηδ' ὄναρ ἰδεῖν, καὶ τὰς ἄλλας νύκτας τε καὶ ἡμέρας τὰς τοῦ βίου τοῦ ἑαυτοῦ ἀντιπαραθέντα ταύτῃ τῇ νυκτὶ, δέοι σκεψάμενον εἰπεῖν, ὁπόσας ἀμείνονα καὶ ἥδιον ἡμέρας καὶ νύκτας ταύτης τῆς νυκτὸς βεβίωκεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ βίῳ· οἶμαι ἂν μὴ ὅτι ἰδιώτην τινὰ, ἀλλὰ τὸν μέγαν βασιλέα εὐαριθμήτους ἂν εὑρεῖν αὐτὸν ταύτας πρὸς τὰς ἄλλας ἡμέρας καὶ νύκτας. εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατος ἐστι κέρδος οἶδ' ὅτι λέγω, καὶ γὰρ οὐδὲν πλεῖον ὅπας χρόνος, φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι ἡ μία νύξ. εἰ δὲ αὖ οἷον ἀποδημίαν ἐστὶν ὁ θάνατος ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, καὶ ἀληθῆ ἐστι τὰ λεγόμενα, ὡς ἄρα ἐκεῖ εἰσι πάντες οἱ τεθνεῶτες, τί μεῖζον ἀγαθὸν τούτου ἔιη, ὦ ἄνδρες δικασταί; εἰ γάρ τις ἀφικόμενος εἰς ᾅδου ἀπαλλαγεὶς τουτωνὶ τῶν φασκόντων δικαστῶν εἶναι, εὑρήσει τοὺς (ὡς ἀληθῶς) δικαστὰς, οἵπερ καὶ λέγονται ἐκεῖ δικάζειν, Μίνως τε καὶ Ῥαδάμανθυς καὶ Αἰακὸς, καὶ Τριπτόλεμος, ὅσοι ἄλλοι τῶν ἡμιθέων δίκαιοι ἐγένοντο ἐν τῷ ἑαυτῶν βίῳ. ἆρα φαύλη ἂν ἡ ἀποδημία; ἢ αὖ Ὀρφεῖ συγγενέσθαι, καὶ Μουσαίῳ, καὶ Ἡσιόδῳ, καὶ Ὁμήρῳ ἐπὶ ποσῷ ἄν τις δέξαιτο ἂν ὑμῶν; ἐγὼ μὲν γὰρ πολλάκις ἐθέλω τεθνάναι εἰ ταῦτά ἐστιν ἀληθῆ· ἐπεὶ ἐμοιγε καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὐτόθι ὁπότε ἀντέχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι τῷ Τελαμῶνος, καὶ εἴτις ἄλλος τῶν παλαιῶν, διὰ κρίσιν ἄδικον τεθνηκεν. &c.

Non reddit vt interpres, sed vt orator.

Cic. oratio minus habet lætitudinis.

CICERO.

Magna me spes tenet, benè mihi euenire, quòd mitrar ad mortem, necesse est enim sit alterũ de duobus, vt aut sensus omninò mors omnes auferat, aut in alium quendam locum ex his morte migretur. Quamobrem sine sensu extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visu somniorum placatissimam quietem affert: Dij boni, quid lucri est emori? aut quàm multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beatior? sin vera sunt, quæ dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui è vita excesserunt, incolunt: id multo iam beatius est, te cum abijs, qui se Iudicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui verè iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum, deueniteque eos qui iustè, & cum fide vixerint. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri potest? vt verò colloqui cum Orpheo, Musæo, Homero, Hesiodo licet, quanti tandem æstimatis? Equidem sæpè emori, si fieri posset, vellem, vt ea quæ dico, mihi liceret euenire. Quan, autem delectatione afficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquorum circumuentos conuenirem? Hæc ex Platone, vt vides, ferè ad verbum expressa, nescio quo pacto tamen noster virilius se, rotundiusque expedit.

PLATO.

Plato in Phædro.

Item. πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον, ἀθάνατον, τὸ δ' ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παύλαν ἔχον κινήσεως, παύλαν ἕξει ζωῆς. μόνον δὲ αὐτὸ κινοῦν, διὰ τὸ μὴ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήξει κινούμενον· ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως· ἀρχὴ δὲ ἀγένητον· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μὴ ἐξ ἑνός· εἰ γὰρ ἐκ τοῦ ἀρχὴ γένοιτο, οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἔπεται δὴ ἀγένητον οὖσα, καὶ ἀνάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ ἀπολομένης οὔτ' αὐτή ποτε ἐκ τοῦ, οὔτ' ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται: ἅπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι.

Item omnis anima immortalis est. Quod enim semper mouetur, immortale est. Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoque finem habeat necesse est. Solum igitur quod se ipsum mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit. Quinetiam cæteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Principij autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest, nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem vnquam, nam principium extinctum, nec ipsum ab alio renasceretur, nec à se aliud creabit, si quidem necesse est à principio oriri omnia. Hæc quidem, & sexcenta similia possunt comparari, in quibus Plato, & Cicero mirificè congruunt. Et certè Plato vbi simplex, & facile fluáque veluti sponte fusum dicendi genus sectatur, dici non potest, quàm suauis, & humana est eius oratio, è qua tanquam è prato fragrantissimo, suauis quædam afflatur aura, & neque vocis sonitus præ se fert loquacitatem, neque ornatus insolentiam. Cum autem ad redundantiam quandam immenso spiritu ferri cœpit, multo se deterior plerisque videtur. Nam & minus suauis est, & peius græcè loquitur, perspicuitatem quoque obscurat, circuitus verborum trahit, in circumlocutiones effunditur, vanas orationis diuitias ostentat: Verbis proprijs, & quæ sunt in communi vsu posita, neglectis, nouata, peregrina antiqua inquirit, durus est in translationibus, intempestiuè ludit in figuris, locutionibus Poeticis audacius abutitur, vt censet Dionysius Criticus in epistola ad Pompeium, quæ quidem labeculæ longè à Cicerone absunt. Licet hoc in Phædri initio agnoscere: Ὦ Φίλε Φᾶδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν παρὰ Λυσίου, ὦ Σώκρατες, τὸν Κεφάλου, πορεύομαι; ἦ πρὸς περίπατον ἔξω τείχους· οὐχνὸν γὰρ ἐκεῖ διατρίβειν δοκεῖ μοι χρόνον χαριέντως ἢ καθ' ἡσυχίαν. Hæc plena germanæ suauitatis. Mox veluti ex sereno excitatus vehemens flatus puritatem dictionis disturbat, & in Poeticam ἀκαιροσκολίαν rapit, cùm Musas inuocans agit iam non Platonem, sed Homerum. Ἄγε δὴ νῦν Μῦσαι (inquit) εἴτε διὰ ὠδὴν εἴτε διὰ λιγείαν, εἴτε διὰ γένος τὸ Λιγύων μυθικόν, ταύτην ἔχετε τὴν ἐπωνυμίαν ξυμμετα λαβοῦσαι τοῦ μύθου. Iam agite Musæ dulces, siue propter cantus speciem, siue propter Lygyûm gentem musicam, hoc nomen obtinuistis, meum adiuuate sermonem. Hæc quidem à ciuili sermone sunt aliena, sed tamen immeritò à Dionysio Plato carpitur, & sugillatur, cùm dicat se ἡυπίᾳ τινὶ εἰλημμένον παρὰ τὸ εἰωθὸς; hoc est, profluuio quodam mentis, hæc præter consuetudinem effundere. Parciores sunt in istis, qui styli mediocritatem, & temperiem sectantur.

Vitia quædam Platonis à Dionysio Halicar. animaduersa.

Ligyes nomen gentis, cuius meminit Herodot. l. 7. errauit interpres, qui sirdularũ esse interpretatus.

Cic. Tusc. 1.

Aliud præterea discrimen inter Platonem, & Ciceronem manifestum est, quod illius, quas in orationibus habet adhortationes, suasiones, quærimoniæ, cõfutationes (nam & hoc genus attigit) plus pompæ habeant, & phalerarum, minus pugnæ, & neruorum. Itaque si conferantur orationes Platonis cum Ciceronianis, illæ quidem similes videntur agro florido, delicatis vndique spectaculis ad oculorum delicias abundanti, hæc verò terræ frugiferæ, quæ ita rebus ad vitam necessarijs affluit, vt voluptuarijs non indigeat. Sit hoc exemplum, vterque, scilicet Plato in Menexeno, & Cicero 1. Philip. hortatur iuuenes ad veram gloriam, quam non in pulchritudine, aut diuitijs, aut potentia, sed in exprimendis maiorum virtutibus sitam esse asserunt.

Aliud discrimẽ inter Platonem & Ciceronem.

Platonis, & Cicer. dissimilitudo.

PLATO.

Plato sic se insinuat: Ὦ παῖδες, ὅτι μὲν ἔστε πατέρων ἀγαθῶν, αὐτὸ μηδὲν τὸ νῦν παρόν.

Tum

Plato in Menexeno.

Tum, χρὴ οὖν μεμνημένους ἡμετέρων λόγων, ἐάντι καὶ ἄλλο ἀσκῆτε, ἀσκεῖν μετ' ἀρετῆς εἰδότας ὅτι τοῦτο πόλλα πάντα καὶ κτήματα, καὶ ὅπιτη δεύμαλα, αἰσχρὰ καὶ κακά. οὔτε γὰρ πλοῦτος καλὸς φέρει τῷ κεκτημένῳ μετ' ἀνανδρίας, ἄλλῳ γὰρ τινὶ τοῦτος πλοῦτεῖ καὶ οὐχ ἑαυτῷ. οὔτε σώματος καλλὸς καὶ ἰσχὺς δεῖλῳ καὶ κακῷ ξυνοικοῦντα, πρέποντα φαίνεται, ἀλλ' ἀπρεπῆ, καὶ ὅπιφανίστερον ποιεῖ τὸ ἔχοντα, καὶ ἐμφαίνει τὸ δειλίαν πᾶσά τε ὅπιτήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τὰ ἄλλης ἀρετῆς, πανοργία, οὐ σοφία φαίνεται, ὧν ἕνεκα καὶ πρῶτον, καὶ ὕστατον, καὶ διὰ παντὸς πᾶσαν πάντως προθυμίαν πειρᾶσθε ἔχειν ὅπως μάλιστα μὴ ὑπερβαλεῖσθε, καὶ ἡμᾶς, καὶ τοὺς πρόσθεν, εὐκλεία, &c. Ad ſummum concludit, Καὶ ἐὰν μὲν ταῦτα ὅπιτηδεύσητε, φίλοι παρὰ φίλοις ὑμεῖς ἀφίξεσθε ὅταν δὲ ὑμᾶς ἡ προσήκουσα μοῖρα κομίσῃ ἀμελοῦντας ἢ ὑμᾶς καὶ κακισθέντας οὐδεὶς εὐεργέτας ὑποδέξεται. Hæc eſt, Quòd ex præclaris orti eſtis parentibus, ô filij, præſentia teſtantur. Tum; Oportet igitur vos verborum noſtrorum memores, ſi quid aliud exercetis, cum virtute exercere, ſcientes, abſque virtute omnia ſtudia & fortunas, turpes malaſque eſſe. Diuitiæ namque ſplendorem afferunt nullum eas cum ignauia poſſidenti, neque enim ſibi hic ſed alteri parat poſſidetque diuitias, Neque forma corporis atque robur, timido & prauo cùm inſunt, dedecent, notiorem efficiunt, ignauiamque patefaciunt. Præterea ſcientia, quæ eſt remota à iuſtitia, aliaque virtute, non ſapientia, ſed calliditas eſſe videtur. Quas ob res omni ſtudio diligentiaque contendite, vt & nos & maiores noſtros virtutis gloria ſuperetis. (Ad ſummum) Si obſequuti fueritis, chari ad charos, poſt exactum vitæ curriculum migraturi eſtis; ſi autem neglexeritis, omnis vos poſteritas auerſabitur. Hæc & ſimilia, Græcè præſertim, florida ſunt, & culta; ſed quanto hæc acriora?

CICERO.

Credo enim, vos homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam (vt quidam nimis creduli ſuſpicantur) quæ ſemper ab amplisſimo quoque, clarisſimoque contempta eſt, non opes violentas, & P. R. minimè ferendam potentiam, ſed claritatem ciuium & gloriam concupiſſe. Ea autem eſt gloria, laus rectè factorum, magnorumque in rempubl. meritorum, quę cùm optimi cuiuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur, &c. quæ hic fuſè. Tum conuerſus ad Antonium: Quare flecte te quæſo, & maiores tuos reſpice, atque ita guberna rempub. vt natum eſſe te ciuem tui gaudeant: ſine quo, nec beatus, nec clarus eſſe quiſquam poteſt. Priora arma ſunt pomparum, & ludi; hæc pugnæ & lacertorum.

Cic. Philipp. 1.

Platonis exhortatio ſimilis eſt oleo, & paleſtræ: Ciceronis ferro, armorumq; fulgori.

Comparatur cum Lyſia.

CAPVT LXX.

LYſiæ vna virtus eſt familiariſſima χάρις, καὶ ἰσοσυλλαβία. Ingenua quædam gratia, & rotunditas, quæ in eius orationibus perpetuò ſpirat ſine fuco, & calamiſtris, naturali eoque ſimplici habitu contenta. Huiuſmodi ſunt illa.

Lyſiæ virtus vna præcipua χάρις.

LYSIAS.

Δειπνήσαντες οὖν ἤδη συσκοτάζοντος ἐλθόντες κόπτωμεν τὴν θύραν. οἱ δὲ ἡμᾶς ἐκέλευον εἰσιέναι. ἐπειδὴ καὶ ἔνδον ἐγενόμεθα, ἐμὲ ἐκβάλλυσιν οἰκίας, τυτονὶ δὲ συναρπάσαντες ἔδησαν πρὸς τὸ κίονα· καὶ λαβών μάστιγά τις, οὐτεινας πολλὰς πληγὰς εἰς οἴκημα αὐτὸν καθεῖρξε καὶ οὐκ ἐκρεσεν αὐτῷ ταῦτα μόνον ἁμαρτεῖν, ἀλλὰ ἐξηλωκὼς τὸ τῶν τοὺς πονηροὺς ἀνους ἐν τῇ πόλει, νεωστὶ δὲ τὰ παζῶα παρειληφὼς, καὶ προσποιούμενος νέος, καὶ πλούσιος εἶναι, πάλιν τοὺς οἰκέτας ἐκέλευσεν, ἡμέρας ἤδη γενομένης, πρὸς τὸ κίονα αὐτὸν δήσαντας μαστιγῶν. Nos igitur ſumpta cœna, cùm iam adueſperaſceret, ad eum digreſſi pulſamus fores, illi continuò iubent nos ingredi. Poſtquam introducti fuimus, me quidem primum extrudunt ædibus, hunc autem raptum ad columnam alligant; nec mora, arrepto quis flagello, multiſque plagis impoſitis, hunc in ergaſtulum concluſit. Neque ſatis illi fuit hæc audacia, ſed flagitioſiſſimos totius ciuitatis iuuenes imitatus, vt qui nuper accepto patrimonio ſe bene nummatum adoleſcentem fingeret,



geret, iterum per domesticos lorarios, cum iã illucesceret, miserum ad columnam alligatum iubet virgis cædi.

Lysiaci characteru in Ciceron exemplum.

Is est Lysiæ stylus, & penè continuus tenor. Hæc rotunditas Ciceroni non deest. Sumatur exemplum ex 4. ad Herennium planè Lysiaco charactere signatum. Nam vt fortè hic in balneas venit, cœpit, postquam perfusus est, defricari Deinde vbi visum est, vt in alueum descenderet, Ecce tibi iste de transuerso, heus (inquit) adolescens pueri tui modo me pulsauerunt: satis facias oportet. Hic qui id ætatis ab ignoto, præter consuetudinem appellatus esset, erubuit. Iste clarius, eadem, & alia dicere cœpit. Hic vix tandem (inquit) sine me considerare. Tum verò iste cœpit clamare voce ista, quæ facilè cuiuis ruberes elicere posset. Ita petulans es, atque acer, vt ne ad solarium quidem idoneus, sed penes scenam, & in eiusmodi locis exercitus sis? Conturbatus est adolescens, nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas versarentur, imperito huiusmodi conuiciorum. Item.

CICERO.

Cic apud Columell. l. 12. c. 2.

Præparatis idoneis locis instrumentum, & supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secreuimus, quibus ad res diuinas vti solemus: Postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur: Deinde virilem: Item dierum solemnium ornatum. Nec minus calceamenta vtrique sexui conuenientia: Tum iam seorsum arma, ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia vtuntur, post quæ ad cibum conficiendum vasa, vt assolent, constituebantur: Inde quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam, atque epulationem pertinerent, exponebantur.

Quæ sequuntur, supra Lysiam.

Cic. longè plus habet floris quam Lysias.

Cum ad Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio, atque imperij gloria, Lysander Lacedæmonius vir summæ virtutis, venisset Sardis, eique dona à socijs attulisset, & cæteris in rebus comis erga Lysandrum, atque humanus rex fuit, & ei quendam consep tum agrum, diligenter consitum ostendit. Cùm autem admiraretur Lysander, & proceritates arborum, & directos in quincũcem ordines, & humum subactam, atque puram, & suauitatem odorum, qui afflaretur è floribus, tum dixit: Mirari se non modò diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent illa dimensa, atque descripta. Et Cyrus respondit: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio: Multæ etiam istarum arborum mea manu sunt sitæ. &cæt.

Discrimen Ciceronis & Lysiæ.

Nihil est in toto Lysia cum his dicendi ve neribus comparandum. Iam in hoc maximè differunt, quòd Lysias, vt Archytæ columba, quandiu vires inditæ patiuntur, sursum quidem volat, at si contendit altius, mox exhaustus corruit, & ad terram allidit Itaque in exordijs, & attenuatis illis narrationibus, vt notat Halicarnasseus, quasi leni Austro fertur, & exultat. Mox in demonstrationibus, & exornationibus langueſcit, in affectibus prorsus extinguitur, ex quo infinitis virtutibus, quas supra commemorauimus, à Cicerone facili negotio obruitur.

Lysias, Archytæ columba.

Comparatur cum Isocrate.

CAPVT LXXI.

Isocratis virtutes.

ISocratis quoque permagnus amator, & fœlix imitator extitit M Tullius, nec mirum, sunt enim illi Rhetori quàm eximiæ virtutes. Prima est εὐμορφία, decora quædam maiestas, quàm illi totum corpus orationis grande, & numerosum, variæque intermicantes sententiæ conciliãt. Altera ἁρμονία ex nominum delectu, iunctura, figurarumque ornatu consurgens quædam formositas, vt mihi plerumque stylus eius videatur, non dissimilis vineæ illi aureæ Regum Persarum quam racemi ex varia margaritarum opulentia confecti, mollibus corymbis in serpentem discolore ornatu vestiebant. Eius verò vis potissimum in Panegyricis elucet, quarum orationum præclarus est artifex, & cum paucis comparandus, quanquam etiam in hoc genere Cicero non cedit. Subijciam ex vtroq; locos quam simillimos, vt facilius vis oratorum dignosci possit. Cicero pro Marcello laudes effert clementiæ, quam bellicis rebus anteponit, quòd hæ quidem multorum sint communes, illa vnius propria & certa sit gloria. Hęc ab Isocrate decerpsit, cuius apud Philippum regem hæc sunt verba:

Isocratis stylus vineæ aureæ.

ISO-

ISOCRATES.

Πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι τὰς εὐνοίας τὰς τῶν πόλεων αἱρεῖν ἢ τὰ τείχη. τὰ μὲν γὰρ οὐ μόνον ἔχειν φθόνον, ἀλλὰ καὶ τοιούτων τὴν αἰτίαν τοῖς στρατηλάταις ἀντιθέασιν. ἢν δὲ τὰς οἰκειότητας, καὶ τὰς εὐνοίας κτήσασθαι δυνηθῇς, ἅπαντες τὴν σὴν διάνοιαν ἐπαινέσουσι.

Longè enim præclarius est beneuolentiam ciuium capere, quam muros. Hæc enim non modo inuidiosa sunt, sed & eorum causſam copijs militum ascribunt. Si verò ciuium amorem, & beneuolentiam semel comparauerîs, tuam in eo mentem omnes sunt laudaturi. Quanto pleniùs, & vehementius.

CICERO.

Nam bellicas laudes solent quidem extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum iuuant, maximam verò partẽ fortuna sibi vindicat, & quicquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum. At verò huius gloriæ C. Cæsar, quam es paulò ante adeptus, socium habes neminem, &c.

Item, vterque Principes hortatur ad gloriã, ille Cæsarem, hic Philippum.

ISOCRATES.

Ἐστὶ πρὸς ἓν ἄλλό τι τῶν ὄντων ἁπλῶς ἔχειν, οὐ καλόν. Αἱ γὰρ μετριότητες παρὰ τοῖς πολλοῖς εὐδοκιμοῦσι· δόξης δὲ μεγάλης καὶ καλῆς ὀλιγωρεῖν, καὶ μηδέποτ' ἐμπίπλασθαι, προσήκει τοῖς πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκοῦσιν.

Et in cæteris quidem rebus minimè honesta est inexplebilis quædam cupiditas, cùm præsertim mediocritas multorum sermone celebratur, gloriam verò magnam, & excellentem concupiscere, hoc quidem Principum est proprium, qui cęteros quoſque longius antecellunt.

CICERO.

Itaque præclaram illam, & sapientissimam vocem tuã inuitus audiui, satis te diù, vel naturæ vixisse, vel gloriæ: satis, si ita vis naturæ, adde etiam, si placet, gloriæ. At quod maximũ est, patriæ certè parùm. Deinde) Quid si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cuius te esse auidissimum, quamuis sit sapiens, non negabis? Parúmne igitur, inquies, magnam gloriam relinquemus? Imò verò alijs, quam multis satis, Tibi vni parùm. Quicquid enim est, quamuis amplum sit, id certè parum est, tum cùm est aliquid amplius. Item:

ISOCRATES.

Οἶμαι δέ σε οὐκ ἀγνοεῖν ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες, οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν οὔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συνόντων αὐτοῖς· ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἐνοικίζουσιν ἔμφασιν. Credo te non ignorare, quo pacto dij immortales res hominum administrent. Neque enim manum adhibent cum bonis improbisque versantes, sed eam mentem cuique ingerunt, &c.

CICERO.

Quòd si cætera nos magis peruulgata mouerunt; vox ipsa Deorum immortalium non mentes omnium permouebit? Nolite enim id putare accidere posse, quod in fabulis sæpè videtis fieri, vt Deus aliquis delapsus de cœlo cœtus hominum adeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur, &c. *De Aruſp. respons.*

Nescio quo pacto Cicero etiam in istis cõparatus semper est acrior. Nec est quod objicias in Isocrateis locis epistolarem stylum, nomine enim duntaxat epistola est hæc ad Philippum cohortatio, reuera oratio est, nec alio charactere in orationibus vtitur Isocrates.

Iam verò à Cicerone multis partibus superatur. Primũ, quia nimis laxus, & sinuosus est fermè in omnibus, quod à M. Tullio alienum. Nam etiamsi multus sit in amplificatione, tamen auget rebus, sententijs, facibus, aculeis. Longè alia est Isocratis laxitas, quæ meritò à Dionysio reprehenditur, nam vbi nulla est amplificadi occasio, de industria trahit orationẽ, vt suas expleat periodos. *Isocratis vitia.*

Deinde, nimis est paruis quibusdam, & puerilibus figuris, numerorumque religioni addictus, in quibus vsque ad satietatem molestus est; Semper floridus, & theatralis. vbi minimè esse oportet. Tertiò, vt puer Anagnostes, quod antea dictũ est, nullos motuũ habet aculeos, ex quo languida, & ἄψυχος eius fit oratio. Contraria his vitijs ornamenta, Latino oratori conũeniunt. Est enim in amplificatio- *Isocratis oratio ἄψυχος.*

nibus acer, & efficax, in numeris prudens, & moderatus, in affectibus rex, & triumphator. Et hæc ad commendationem Romanę eloquẽtiæ parentis sint allata. Cicerone de viuis sublato, natiuus ille flos Romanæ eloquentiæ emarcuit, & occupata ab Imperatoribus republica, quæ fuerant antea grauitatis, in tumidã, fucatam, ancillantem denique facundiam paulatim degenerarunt. Quæsita enim tunc ad aurium delicias affectatio verborum, concisio periodorum, & illa acumina tam crebra, quibus multa necessario frigida solent obrepere, ad summum effusa in castam linguæ latinæ religionem peregrinitas penè omnia corrupit. Quanquam nolim ego Heroas illos Sallustiũ, Senecam, Cornelium Tacitum, Plinium Iuniorem, & si qui sunt similes, corruptæ eloquentiæ insimulare, non patiar tamen eos à suis amatoribus Ciceroni, vel præferri, vel etiam æquari, quod in duobus antesignanis ostendam.

Comparatur cum Sallustio.

CAPVT LXXII.

MAgna Sallustij apud eruditas quasq; aures commendatio, nam passim, vt *proprietatum in verbis retinentissimus*, comptorum, atque integrorum sensuum fœcundus, concinnæ breuitatis artifex, Romanæ denique historiæ scriptor florentissimus laudatur. Quam illi palmã in manibus infringere nemo sanus conetur. Sed neque prudens vllus rerum æstimator fuerit, qui eundem Ciceroni adæquare velit; Nisi fortè quis Cydnum fluuium non spatio aquarum, sed liquore memorabilem, si fortè leni alueo placidius manantem viderit, cum Nili magnitudine, copia, specie conferendum putet. Sitsane Sallustius subtilis, acer, comptus, & in sua breuitate plerumque felix, & luculentus: Quando tamen illam Ciceronis maiestatem, & vim fœcundissimi pectoris instar torrentis efferuescentem, cum suis licet acutè vibratis sententijs attinget? Adde quod stylli gloriam multis næuis infuscauit, quos ipsa tolerare non potuit antiquitas. Augustus quippe Cæsar cacozelis haud mediocriter infensus compilatas ex antiqui Catonis originibus voces illi obijcit, quæ causa Asinium Pollionem venustissimum oratorem mouit, vt contra Sallustij stylum scriberet. Lenæus verò grammaticus Pompeij libertus, non contentus eum lurconem, popinonem, ac lastaurum nominasse *Vita quoq; & scriptis monstrosum*, ac M. Catonis verborum furem ineruditissimum appellat. Quanquam hominis stomacho, haud credendum in omnibus. Certè Gellius eum verborum nouatorem agnoscit, & hoc nouandi studium cum multa inuidia fuisse memorat: Seneca in eodem amputatas sententias, & verba ante expectatum cadentia, & obscuram breuitatem, quã pro cultu habuit, animaduertit: quæ profectò verissimè dicta sunt, & Sallustiũ legenti passim occurrent. Qualia sunt illa. *Equos ascendere, Colos exanguis, Maiores vestrûm Oppidum valens, & oppulens. Supplicia Deorum: Ad bellum Persi*, pro *Persidis*, & similia, quæ à Sallustio scripta Fronto, Priscianus, & Agretius agnoscunt. Iam abruptæ, & ambiguæ sententiæ, quam crebræ sunt in eo, & affectatæ? vt: *faciant idem maioribus suis*, quod dixisset alius, *imitentur maiores suos*. Ea sententia fefellit aliquos interpretes, qui sic reddidere, *ita se gerant erga maiores suos*, voluit credo Sallustius ἀρχοῖσμον illum imitari.

Inuitum, qui seruat, idem facit occidenti: Item: *Quæ postquam gloriosa modò, neq; belli patrandi cognouit*: Significare voluit, ad bellum patrandũ minime pertinere. Huius breuitatis studio nonnulla plerumque à Thucydide, & Demosthene accepta, quanquam satis concisè dictã, cogit in loquendi compendium, quo fit, vt eius sententiæ nimis amputatæ sint, & exiles. Demosthenes Olynth. 2. scripsit. Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη εἰ δὲ τὴν πταίσειε, τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ πάντα ἐξετασθήσεται, quod ille per concinnam periodum ad maiorem perspicuitatem, & grauitatem extulit, Sallustius amputans reddit: *Secundæ res mirè sunt vitijs obtentui*. Quæ omnia si rectè perpendantur, longè à Ciceronis felicitate, nitore, atque elegantia discedunt.

Comparatur cum Seneca.

CAPVT LXXIII.

DVo post homines natos arbitror, apud Romanam gentem extitisse summa, & propè diuina

diuina in rebus humanis ingenia. Ciceronis, & Senecæ, quanquam in diuerso, vt apparet, genere nituerunt. Vtrique mens ampla, & præcelsa, & (vt cum Plinio loquar) quodam igne volucris, vtrique nobilis eruditio, & Græcarũ disciplinarum notitia non vulgaris, vtriusque stylus late peruagatus omnia penè nobilissimarum artium complexus est monumenta. Sed cùm in varia tempora incidissent, magnã quoque dicendi varietatem tenuerũt, & in suo quisque genere summus fuit, & inuictus. Illius, ad concionum plausus, & fluctus composita, vt plurimum, oratio. Huius ad aulicum palatum facta ponderosa sobrietas. Ille longè, lateque persultans, magno sonitu, cursuque fertur: Hic redundantem vim mentis, breuibus veluti sententiarum cancellis circumscribit. Illecùm videret plurimum vbertati honorem, plurimum etiam pompæ deferri, lasciniosos, & fluentes ambitus consectatur. Hic cum luxuriem verborum, lentosque exitus in principatu animaduerteret non placere, pressa quædam, & selecta rerum iudicia verborum globulis comprehensa solertissimè perstringit. Ille superbè graditur, nihil tentat nisi magnũ, graue, excelsum, verba seligit pulchra, sonantia, luculenta; sensus habet altius ductos, & magnificos, sed ad popularium aurium captus diffusos, spiritus rerum grauissimarum calidos, acres, incensos, quibus eloquentia efferuescit, volitat, ignescit, penetrat in pectora, mollit animos quamuis feros, & intractabiles, vt sparsi in terras Solis radij, vapores, & habitus extrahunt in sublime, sic ille grandis eloquentiæ luce circumfusus, mentes excitat, educit, & cogit, ad summum, quicquid vult, imperat. Hic graues, & à plebeijs auribus remotas conquirit sententias, has districta quadam, & concinna breuitate compingit, totus dictis eruditis, vt auro vestis rigescit, angustatur in seria quædam acumina, quæ audientis aurem vellicant, animum perpetuò erigunt, perpetuò fodicant, atque extimulãt. Indita est enim illis quædam vis præpotens, & inuicta, quæ pectus ferit, quanquam ex abdito, nec remittit, antequam reliquerit aculeum. Si argumentatur, conuincit; si petit, extorquet; si suadet, persuadet; si pugnat, expugnat, si rogat, impetrat, quasi imperet. Ad summũ, vt matrona nobilis solemni die præcultè vestita, muliebri mundo nitens, & ambitioso syrmate luxurians prodit in publicum: Sic ille magnifico præfulgens ornatu, speciosis, & collucentibus figurarum gemmis illuminatus, circumductis insuper verborum, & periodorum veluti lacinijs effluens, in illo sublimi eloquentiæ theatro pompas ducit planè admirabiles. Alter vt vir elegans, byssо vestitus, & purpura pulchrisque margaritis lucens, non ambitiosæ orationis ductu, sed pondere, pulcherrimas rerum grauissimarum amplectitur sententias. Quid quæris? vterque in eo, quod excoluit genere felix prorsus, & admirabilis. Sed cum in Cicerone gemina fœcundiori quodam vbere sese promat eloquẽtia, vna quidem popularis, amplior, & diffusior; Altera senatoria grauis, & substricta, qualis in Philippicis esse solet. Credibile est hominem ad omne genus eloquentiæ natum potius, quàm factum, altera dicendi forma potuisse, sed consultò noluisse. Senecam laxum styli characterem minime voluisse certum est, an potuerit, incertum, cùm nullum eius specimen reliquerit.

Finis libri primi.

DE OPTIMO CHARACTERE ELOQVENTIÆ,

LIBER SECVNDVS.

Ac primum de eius varietate.

CAPVT PRIMVM.

EST illa nobilium ingeniorum sententijs iactata crebriùs assertio, eam demùm esse optimam eloquentiæ rationẽ, quæ placet auditoribus, & *summum Oratorem nihil aliud esse quàm summum populo videri*. Quæ, etsi prudenter ab amplissimis viris pronuntiata esse videatur, non est tamen ita accipienda, vt deterrimus quisque stylus, modò imperitorum aures mulceat, atque delectet, cõtinuò omnes numeros habeat bonitatis: insidet enim ipsis sensibus, & verbis recti quædam, boniq́ue ratio, quę non est alienis semper auribus metienda: sed ipsa in sese leges continet suæ perfectionis: Alioqui si tota ex alienis iudicijs penderet eloquẽtia, idem omninò, & eodem tempore sapientissimus; idem quoq; dementissimus Orator, & dicendus esset, & habendus. Narrat Philo vidisse se in Theatro, cùm aliquis recitaret, alios se in plausus, & mirabiles ἀκροάσεις effudisse, alios, non secus, ac stipites immotos hæsisse, alios etiam aures occlusisse, adeò importuni acroamatis eos subtædebat.

Cicero in oratore.

Bonitas styli non opinione duntaxat hominum metienda.

Hominum iudicia de eloquentia dissimillima.

Vnus orator, idem eorum, bus esse potest.

Quid igitur dicemus? eum ipsum (qualiscũque tandem fuit) siue actorem, siue oratorem, & potentissimum in dicendo fuisse, & frigidissimum, & ineptissimum: potentissimum, qui tantos plausus colligeret; frigidissimum, qui non magis, quàm statuas, moueret auditores; ineptissimum, qui tantam auribus inferret molestiam. Absit illud quidem: sed de oratione prius sit prudens iudicium, è quo longè nobilior sententia, quàm ex imperitorum hominum affectibus videtur expectanda. Etsi enim scenæ (vt aiunt) seruire, magnæ est dexteritatis, & fermè impudentis est ingenij, auditorum iudicia non reuereri, quibus magna ex parte cauendum est: Nullo tamen pacto orationis vitia, quòd placeant, ideò virtutis, aut pulchritudinis speciem induent. Itaque ineptum Oratorem, qui multitudinem demulceat, feliciorem, quàm sapientiorem putabo. Contra, optimum, cui minus studia responderint, non ideo pessimum iudicabo. Vt enim in nummis eueniret, si quæ natio nummos ex corio, aut ferro mallet, quàm monetam ex auro, argentoue cusam: dexter quidem, & felix censeretur mercator, cui hæc fortuna obtigisset, vt corium pro auro distraheret: non tamen eam ob caussam, auri, argentiue natura corio, aut ferro inferior censeretur, quòd esset à stultissimis æstimatoribus ita iudicatum. Cur ita? in ipsa quippe auri natura insidet quædam præstantia, quæ sine vlla hominum æstimatione, decus obtinet suum. Eadem profectò ratione, inest eloquentiæ natiuus quidam splendor, quem deteriora iudicia cõueller-

Orationũ iudicium à quibus petendum.

Popularis orator felicior quàm sapientior.

Non opinione hominũ, sed rei præstantia cuncta metienda.

lere nullo modo possunt; qualis autem sit, quærimus.

Varietas styli.

Varia omninò sunt styli, & elocutionis genera: in quibus tanta penè, ac in ipsis hominũ vultibus, lasciuiétis veluti orationis ludo, nasci solet varietas. Tum verò vnicuique promptum est in deteriorem partem ruere, paucis, & ijs admodum prudentibus, in eloquentia rectum tenere modum. Hanc autem varietatem, quam loquendi sartaginem Persius nominat, ex corruptis hominum moribus fluxisse, bene animaduertit Seneca: *Hoc quod audire vulgo soles*; quod apud Græcos in prouerbium cessit, *talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Quemadmodum autem vniuscuiusque actio dicenti similis est: sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si disciplina ciuitatis laborauit, & se in delicias dedit, argumẽtum est luxuriæ publicæ, orationis lasciuia: si mòdo non in vno, aut altero fuit, sed approbata est, & recepta. *Non potest esse alius ingenio, alius animo color*: si ille sanus est, si compositus, grauis, temperans; ingenium quoque siccum, ac sobrium est, illo vitiato, hoc quoque afflatur.

Origo styli vary. Senec. ep. 114.

Talis oratio qualis vita.

Romani styli processus.

Rectè quidem illud, & eam ob causam, in diuersos paulatim mores Roma defluente, alia atque alia eloquentiæ facies extitit. Emerserunt primi illi pauculi eloquentes, à nobis superiùs commemorati, vt Iunius Brutus, Menenius Agrippa, Fabritius, quos sensibus grandes, & masculos, verbis rudes, & horridos, credibile est extitisse. Adolescẽte demùm imperio, erepsit, quasi ex suo cortice facundia, & ridere cœpit clementius simplex quædam gratia locutionis, nullis adhuc fulgens ornamentis, spe potiùs, & indole, quam prouentu commendanda. In eo genere fuit Enniana simplicitas, Plautinus genius, candorque Catonianus: quæ prima veluti nondum planè collucentis, sed emicantis eloquentiæ crepuscula extiterunt. Sequuta est tandem illa maturis iam viribus, & figurarum picta coloribus, lateque persultans oratio, qualis Ciceronis temporibus viguit, cùm res perhonorifica censebatur, diem dicendo eximere. Mox alio reip. statu displicere visi sunt Oratores illi specie vberes, complexione rerum exiles, & hæc tota lasciuiosæ orationis effusa luxuries, paulatim succingi, contrahique cœpta est, donec ad noua quæque, partim exsilientibus oratorum ingenijs, partim etiam prurientibus auditorum auriculis, corruptelæ variæ in stylum redundarunt, quæ primum discutiendæ nobis esse videntur quàm diligentissimè, quo magis ex vitijs oppositis, ingenuæ pulchritudo virtutis elucescat.

Dionys. Longinus lib. περὶ ὕψους vitia, ad tria refert capita, ψυχρόν, παιδαριῶδες, παρίνπυρσον: hoc est, frigidum, puerile, insanum. Seneca epistola centesima decima quarta, *inflatum, infractum audax, praruptum, allegoricum*; attingit his verbis. Quare quibusdam temporibus prouenerit corrupti generis Oratio, quæris? & quomodo in quædam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, vt aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, & in morem Cantici ducta? Quare aliàs sensus audaces, & fidem egressi placuerint? aliàs abruptæ sententiæ, & suspiciosæ, in quibus plus intelligendum est, quàm audiendum? quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis iure vteretur inuerecundè? alij alios errores notant, ex quibus ad summum colligo præcipua styli vitia; tumidum, cacozelum, frigidum, parenthyrsum, puerile, scholasticum, poëticum, allegoricum, miscellaneum, humile, siccum, lentum, abruptum; quorum alia in excessu, alia etiam in defectu reperientur.

Styli vitia in tria genera ex Longino.

De Stylo inflato.

CAPVT II.

FRequentissimum vitij genus illud est, quod tumorem appellant. Nam cùm ad altiora quæque suo (vt assolet) impetu natura contendat, fit, vt peruersæ magnitudinis quam sibi deformauit, simulachro quodam illusa, in tumidas ineptias, & phaleratas, vt aiunt, nugas præceps abripiatur. Rana certè in Apologo miratur grandem illam bouis speciem, & succulentam corporis habitudinem: nec mora, in eius amorem tota exardescit, & cupit quoque modo boui similis fieri: sed misera, dum supra corpusculi vires, & naturæ conditionem tumet, atque inflatur, spiritum egerit, ac mortua disrumpitur. Idipsum profectò permultis contingit imitatoribus, qui dum Virgilij, aut Ciceronis magnitudinem suspiciunt, auentque in leuiculis etiam argumentis, eandem exprimere, & vincere, in id deueniunt, vt pro vero, & solido corpore nihil nisi fumos, & ventos ostentent, tandemque strigosi, & macilenti dispereant.

Tumidi cẽturiano comparati.

Tumidus stylus in quod desinit.

Hoc genus tumidũ nominatur, similitudine ducta, à praua corporis habitudine, quæ pro

Styli tumor vndecimus.

carne, & succo degenerem pituitæ tumorem nacta est: fit autem, vt notat M. Tullius, cum oratio nouis, aut priscis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut grauioribus, quam res postulat, aliquid dicitur. A Longino definitur, *excessus in re magnitudinis*, & hæc exempla proferuntur ex tumido poeta, qui ita loquutus fuerat:

Cic. 4 ad Heren. τὸ μὲν οἰδὲν ὑπερβολῶν ἕλκεται τὸ ὕψος. *Quis sit mundus seu inflatus stylus. Inflati styli exempla.*

Καὶ καμὶ ὑσχῶτι μάκ ς νσέλας.
Εἰ γὰρ ἀν' ἕξιῦχον ὄψομαι μόνον,
Μίαν παρείρα πλεκτανίδι χειμάρρουν,
Στέγιν πυρώτω, κ καταν ραχέτουαι.

πλεκτανίδι χειμάρρουν: *Torrentem Cyrrum* ignis vel fumi vorticem appellat (inquit) nimis audaci nomine. Quid quod idem, & *vomere in cœlum* vsurpat, & *Tibicinem* facit *Boream*?

Hæc, inquit, non sunt ζαγικὰ, ἀλλὰ παραζαγικὰ ἐνθύμια, τεθόλωται γὰρ τῇ φράσει, κ τεθορύβηται ταῖς φαντασίαις μᾶλλον ἢ δεδείνωται: κἂν ἕκασον αὖ ὀνπρὸς αὐτὰς ἀνασκοπῇς, ἐκ τῦ φοβεροῦ κατ' ὀλίγον ὑπονοσεῖ πρὸς τὸ καταφρόνητον. Hæc, inquit, non sunt tragica, sed cothurnum ipsum tragœdiæ excedunt. Sunt enim inquinatissima locutione, & tumultuarijs sententijs turbida potius quam grauia. Quòd si singula in lucem dispexeris, paulatim ex inani specie grauitatis, in rem conremptissimã recident.

Triplex inflatum orationis genus.

Porrò notandum occurrit, ex vtroque, & Ciceronis, & Longini sensu, triplex inflatæ orationis genus: alia enim verbis duntaxat intumescit, alia solis sensibus, alia sensibus simul, & verbis inflari, atque attolli solet. Verba quoque ipsa, aut noua sunt, aut prisca, aut duriter aliunde translata; exempla omnium subijcio.

Styli in verbis nouis inflati exempla. Athenæus Deipnosoph. l. 3. Dionysij tyranni in nouandis verbis ineptia.

Fuit illud imperitis, & ambitiosis scriptoribus commune vitium, quod vocatur καινοστομία. Affectabant enim nouas rerum appellationes inuenire, vt ipsi nouæ alicuius linguæ fierent auctores: quod Dionysio tyranno supra cæteros extitit peculiare, cuius aliquas ineptias commemorat Athenæus: Quippe παρθένον virginem nominare, vt nimis communi nomine, suppudebat. Quid igitur? Μενανδρον dictitabat *expectatiuiram*, quia virum maneat, & expectet; columnam, Μενεκράτη *Menecratem* vel *validi potentem*, quod valida perduret; iaculum, ἐκ ἀντίον, quod aduersus iaciatur.

Eodem ingenio fuit Alexarchus, Cassandri Macedoniæ regis frater, Vranopolidis conditor: de quo Heraclides Lembus histor. lib. trigesimo septimo, ad hunc modum prodit, & refert: Alexarchus, qui Vranopolim ædificauit, loquendi peculiares formas inuexit, vt qui gallum ὀρθόδουλον manicinem appellaret, tonsorem ξηροτεκίριον, drachmam ἐφύριδα, Chœnicem ἀμιστοφίδα, præconem, ἀκουτίω.

Alexarchi nouatoris locutiones.

Lucianus, vt est in hoc genere festiuissimus, sub persona Lexiphanis, dialogum integrum scripsit ijs scatentem verborum sordibus, qualia sunt ὦ τὰ κυψιλοῦ α. ἀντισυμποσίαζειν τ τὸ Ἀριστώνος ἀπέχω ἢ ἐπ' ὕσπα κυλελίς, & cætera infinita Græcis hominibus intellectu perquam difficilia, nihil interest autem an noua sint, an per compositionem nouata, & durius, interpolata, vt *incuruicervicum pecus*.

Lucia. in Lexiph. t. 2. p. 529.

Secundùm est genus verborum, quæ prisca vocantur, & ea iamdiu obliuionis oppressa tenebris, a putidis stylis effodiuntur, atque eruuntur in lucem, qualia sunt ista: *Confluges*, vbi conuentum campum totum *inbumigant*.

Styli inflati in priscis verbis exempla.

Et scabra in legendo *redituis sanè* offendens: *sed qui sunt isti, qui ascendunt alium acrimi* collem intelligit. Item:

Liuius Andron. Varr. in prometh.

Leuiso mnamitu sonorinas imagines
Adfatur: non vmbrantur somni populæ:

Et, florem *antlabat* liberi ex carchesijs: hoc est, bibebant. Duriora etiam apud Accium, & Næuium.

Accius in Meleagro.

Vagent vulpantes syluas sextam tesseras.
Non hercle apluda est hodie, quàm tu nequior.
Bilbit amphora:
Buttubata.
Concipilauisti, &c. eiusdem generis.

Gell. l. 11. c. 18.

Hac & simili oratione vsus, magno omnium risu, fertur quidam caussidicus, apud vrbis præfectum: nam cùm significare vellet inopi quendam, miseróque victu viuere, & furfureum panem esitare, vinumque eructum, & fœtidum potare; *Hic*, inquit, *eques Romanus apludam edit & flocces bibit*: Aspexerunt omnes, qui aderant, alius alium, primo tristiores, turbato, & requirente vultu, quidnam illud vtriusque verbi foret: Post deinde, quasi nescio quid Tuscè, aut Gallicè dixisset, vniuersi riserunt. Legerat autem ille *apludam* veteres rusticos, frumenti furfurem dixisse: idque à Plauto in comœdia (si ea Plauti est) quæ Astraba inscripta est, positum esse. Item flocces audierat, prisca voce, significare vini fæcem, è vina-

Caussidici antiquarii fatuitas.

Apluda vetus verbum pro frumenti furfure, Flocces pro vini fœce.

ceis

ceis expressam, sicut *fraces*, ex oleis. Alter, cùm aduersarius caussam differri postularet. Rogo Prætor, inquit, subueni, succurre: Quonam vsque nos bouinator hic demoratur? Atque id, voce magna, ter, quaterue inclamauit, *Bouinator*. Commurmuratio fieri cœpta est, à plerisque qui aderant, quasi monstrum verbi admirantibus. At ille iactans, & gestiens: non enim Lucilium, inquit, legistis, qui tergiuersatorem, *bouinatorem* dicit? Est autem in Lucilij vndecimo versus hic:

Bouinator pro tergiuersatore.

Hic strigosus, bouinatorque ore improbus duro,

His innutritus ἀρχαϊσμοῖς Tertulliani, & Arnobij stylus, grandis est plerumque, & nimis horridus: vt *Hypobrychium irrespirabile*, pro extremo periculo, in quo omnis ex malo emergendi spes adempta sit, ὑποβρύχιον τὸ ὑπὸ τῶν κυμάτων καλυπτόμενον appellatur, quod fluctibus est obiectum, Dies, & nox inuicem vertunt, *Solstitionibus annuis, & flustra, & substillum*, pro dubio aere, inter serenũ & pluuium, quando pluuia stillatim cadit. *Pars verò passiuitus, & Scytalo sagitti pelliger, genuinos inter antias adumbratos*. & similia: apud Arnobium verò *salpictarum sonitu*, pro tubarum, quo vsus Iulius Firmicus, *salpictas reddet. Sed qui in bello confessi moriantur.* Et l. 3. *Buccularum cumulatione sacriuoces, & quæ ex reconditis trahit Aruspicina nugis, plaseas, polimina fendicas, magmenta, prosicias*, quibus, etsi ad argumentum opportunè, & loco vtitur, alias tamen ad styli nitorem, prauæ sunt imitationis.

Tertullian. Arnobij stylo horridior. Tertul. l. de Idol. c. vlt. num. 107. Lib. de pallio. Hypobrychium pro extremo periculo. Substillum pro dubio aere. Salpictæ pro tubis. Arno. li. 7. Iul Fermic. l. 8.

Tertia corruptorum verborum series est in translatis audacibus, & inuerecundis, quorum abundantem stylum Gorgiæ, Callisthenis, Cleitarchi, Amphicratis, Hegesiæ, Matridis commemorat Longinus. Hæc autem inter cætera arguit in Gorgia.

Styli in translatis verbis inflati exẽpla. Stylo in verbis duriter translatis inflato, quinam oratores notati. Gorgias. Xenophon à Cassio Longino vt putidus arguitur.

Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς, *Xerxes Persarum Iupiter*, Γύπες ἔμψυχοι τάφοι, *Vultures sepulchra animata*. Hæc, inquam, ingeniosè (vt apparet) dicta sugillat acriter vir Criticus, nec parcit Xenophonti, qui pro pupillis *Virgines oculorum* dixerat, quod puella, & pupilla eodem κόρης nomine, apud Græcos appelletur. Verba Xenophontis sunt: Ἐκείνων γοῦν ἧττον μὲν ἀν φωνὴν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, ἧττον δὲ ἀν ὄμματα ματαστρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεστέρους δὲ ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο, καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένων, in hoc vltimo tumor mor est, quin, & verecundiores eos existimaris, *ipsis oculorum virginibus*. At Timæus Xenophontæa illa satis audaci metaphora nondum contentus, ὅ τις ἂν ἐποίησεν, ἐν ὀφθαλμοῖς κόρας μὴ πόρνας ἔχων; Hoc vtique faceret alius, qui non *Meretrices in oculis: sed virgines haberet.*

Timæi audax imitatio.

Hæc quota portio grandium metaphorarũ, quæ in Africano stylo reperiuntur? vt, *Ipsa canicula persecutionis, ab isto scilicet Cynocephalo Circumspectu emissitij ocelli: imò luminis punctu vertiginam, & tabulata congregatio in vestibus & colubrini oblatratorum molares*, apud Sidonium, qui temporis potius errores, quàm virorum censendi sunt At Apuleius, præ gaudij affluẽtia, totus istis immergitur; quale est, *labijs vndantibus affectare rosas*, inquit, de asino, qui iam spe easdem deuorabat: item *sorbillantibus suauijs haurire*, & similia.

Tert. aduersus Gnostic. de pallio. Sidonius. Apuleius.

Secundum tumoris genus, est in ipsis sensibus immoderatis, licet alioqui verba, ad legẽ vsus communis videantur exacta. Hoc genere peccant sæpissimè tragici, dum res supra naturam extollunt.

Stylus inflatus in sensibus.

His bullis redundat Hercules Oetæus Senecæ, si modò eius est, quo enim fastu cœlum petit à Ioue, filius à parente?

---Quid tamen nectu moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum cœlo Herculem?

Hercules Oet Sen. ampullata tragœdia.

Si hæc Typhon diceret, tamen vix essent tolerabilia: quis enim largiri cœlum vellet, tanta oris improbitate, expostulanti?

Deinde:

---Si negat mundus feras
Animum Nouerca: redde nunc gnato patrem,
Vel astra forti.

Apparent violentæ figuræ; quæ desinunt in frigidum.

Rursus:

Vel si times, ne terra concipiat feras:
Properet malum quodcunque, dum terra Herculem
Habet, videtque.

Quàm miser, & miserabilis ille Iupiter, qui à ferarum metu, sine Hercule tutus esse non poterat?

Hoc

Hoc verò, quod sequitur, supra omnem tumorem inflatum:

Da, da tuendos Iupiter saltem Deos:
Illa licebit fulmen à parte auferas,
Ego quam tuebor; siue glacialem polum,
Seu me tueri feruidam partem iubes,
Hac esse superos parte securos puta.

Modò timeri se à cœlo dicit, modò se tutelare Deorum numen profitetur. Quid hoc tumidius quam imbecilles deos cēset, qui mortali tutore egeant! Hæc postulans, & supplex! Illæ igitur sunt bullæ, in quas sæpissimè incidunt, qui magnitudinem sensuum præter decorum affectant. Deinde, qui imitantur, addunt aliquid de suo, & tumida tumidis adstruunt, donec diplosus follis, in contemptissima quæque euanescat.

Nonnus poeta Dionysiacorum scriptor insani tumoris arguitur

Sed & Nonnus poeta, Dionysiacorum scriptor, in has ineptias intemperanter effusus, quæ *Megabysia* suo Typhoni non tribuit? Hic enim iactat *se aurigaturum cœlum fratrem suum; (cùm calcaturum vellet dicere) imò se aliud octies maius supernè facturum, cum vetere capi non possit. Item omnes stellas, nouis inter sese nuptijs copulaturum, quo cælo plenior sit soboles. Mercurium in vincula coniecturum, Lunam habiturum pro famula, quæ sibi lectos sternat; Quod si lauari velit, Eridano cœlesti pro balneis vsurū*, Οὐ ξείνου δαπεδοῖο φέρω πάτον. Interpres vitiosa admodum interpretatione, iam satis inquinatum auctorem corrumpens, legit ποτὸν, & interpretatur: *Non vulgaru terræ fero potum*, cùm debuisset dicere *fero pauimentum*, vel *viam tritam*, vel *callem*. Quis enim puer non videt, hic nomen, ποτοῦ, irreptitium? Pergit.

Nonnus Dion. l. 2. Interpres Nonni ποτὸν pro πάτον, potum, pro pauimento.

Οὐρανὸν ἀστερόνωτον ἀδελφὼν ἡνιοχεύσω,
Οὐρανὸν οἶκον ἔχων μητρώϊον ὑέα γαίης,

si dixisset *cælum se calcaturum*, graue illud fuisset, at se *aurigaturum fratrem suum*, inflatum est, & ridiculum:

-----Οὐ χορὸν ἄστρων
Λείψω νόσφι γάμων ἀχρήϊον, ἀλλὰ συνάψω
Αρσενι θηλυτέρην·

Et qui homini venit in mentem, vt de maritandis stellis, post tot sæculorum cælibatum cogitaret?

----εὐρύτερον δὲ
Ὀστέον οὐρανὸν ἄλλον ὑπέρτερον ὑψόθι τεύξω.

Quomodo cœlo capi non poterat, qui cū tot alijs gigantibus, vna terræ regione capiebatur?

Ευνέτις Ενδυμίωνος ἐμὴ θεράπαινα σελήνη
Δέμνιά μοι στορέσειε, καὶ εἰ χρέος ἐστὶ λοέτρων,
Δούσομαι ἀστερόνεντος ἐν ὕδασιν Ηριδανοῖο.

Quàm parùm memor sui in leuicula degenerat! Quomodo enim balnea Eridani capiet, cui cælum veteri septies maius angustum est?

Ridiculi prorsus tumores, qui vix à pueris, aut aniculis tolerari possunt: itaque incidunt in alium characterem (de quo mox dicemus) frigidæ puerilitatis. Nec refert, quod Typhoni tribuatur hæc oratio, nam cùm tota horribilis, vt ipsa gigantis persona, esse debuisset, in risum, & contemptum euanescit.

Nauius Gymnast. In verbis & sensib. styli inflati exempla. idem in Gallinaria.

In eodem exemplo licet animaduertere tertium amoris genus, vbi res non modo sensibus, sed ipsis quoque verbis inflatur, quale est etiam illud *saxa, syluas, lapides, montes disijcu, dispulueras*. Non satis fuerat solutos in puluerem montes dixisse, nisi grande quoque verbum addidisset *dispulueras*, &c.

O pestifera Pontica fera, trux, *tolutiloquentia*!

Hoc styli genus meritò prudentibus viris fuit semper inuisum, quod si nonnullos leuioris facundiæ iuuenes ipso nouitatis aucupio delectet, vbi tamen crebrius fuerit iteratum, transit in satietatem. Itaque benè monet Lucianus Lexiphanem, qui eiusmodi vocibus nō desinebat Atticis auribus obstrepere.

Lucianus in Lexiph. quid de isto stylo sentiat.

Αλις, ὦ Λεξιφανες, καὶ ποτοῦ, καὶ ἀναγνώσεως· ἐστὼ γοῦν ἤδη μεθύωσοι, &c. Satis ô Lexiphanes, & potus, & lectionis istius: Ego enim tibi ebrius iam sum, & nauseo, & nisi quamprimùm euomuero ista omnia, quæcunque recitando persequutus es, videor mihi insanus ac furiosus fore, obstrepentibus mihi vndique verbis istis, quæ mihi modo offudisti.

Quanquam mihi à principio ridere illorū gratia veniebat in mentem. Verum postquam ea multa, atque omninò similia erant, miserebat me tuæ istius ærumnosæ infelicitatis, quippe quem viderem in labyrinthum quendam irremeabilem incidisse, morbumq; ægrotare grauissimum; imò verò atra bile percitum.

tum. Cogito itaque apud me ipsum, vnde tam multa mala collegeris, & quàm lõgo tempore, & vbi denique conclusum habueris tantum examen absurdarum, ac distortarum vocum, quarum alias quidem ipse finxisti. alias autem defossas alicundè eruens: tantum cœnum vndequaque cogens, in me exhausisti: Porrò videris mihi neminem amicum, aut familiarem, aut beneuolum habere, neque etiam in virum liberum, & qui loquendi libertate vteretur, vnquam incidisse, qui vera monendo, te quamprimùm expediret, à morbo isto intercutaneo, quo quidem correptus es, & præ malo, illius periculum, ne disrumparis, sustines, Tibi autem bene sanus esse videris, & calamitatem istam, valetudinem censes, atque ab imperitis laudaris, qui morbum tuum ignorant, à doctis autem miseratione dignus existimaris.

Remediũ à Lucia. inflatis procuratum.

Mox hominem committit Sosipoli medico, à quo vomitorio accepto, istam verborum sentinam egerit.

Aliud remedium

Styli inflati corrigendi remedium duplex.

Gel. l. 1. c. 19.

Phauorini iudicium aduersus inflatos.

Hoc quidem remedium comicum est, & nihil ad sanitatem facit. Vnum autem præstantissimum, idemque vtilissimum erit, si qui eiusmodi dicendi genere delectantur, optimis auctoribus assuescant, a quibus, & moderatio, & styli affletur salubritas. Phauorinus Philosophus (vt ait Gellius) adolescenti veterum verborum cupidissimo, & plerasque voces, nimis priscas, & ignotissimas in quotidianis, communibusque sermonibus expromenti, Curius, inquit, & Fabricius, & Coruncanus, antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatij illi trigemini planè, ac dilucidè cum suis confabulati sunt: neque Auruncorum, & Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur: sed ætatis suæ verbis loquuti sunt: Tu autem perinde, quasi cum matre Euandri loquare, sermone abhinc multis annis iam desito vteris; quod scire, atque intelligere neminem vis, quæ dicas. Nonne homo inepte, vt quoduis abũde consequaris, taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quòd honesta, & bona, & sobria, & modesta sit. *Viue ergo moribus præteritis, l. quere verbis præsentibus.* Et ita quidem possunt inflati sanari, si velint, quorum multi, plus habent furoris, sed plus etiam corporis. Semper autem ad sanitatem procliuius est, quod potest detractione curari.

Senec. contr. l. 9.

De Cacozelo.

CAPVT III.

QVæ sequuntur orationis vitia, cacozelum, ac frigidum, magnam habent cum inflato affinitatem, & nonnunquam inter se confunduntur, & differunt tamen nonnihil. Atque vt de cacozelo dicam obiter, quod plenius in tractatu de imitatione explicandum est, *Est praua affectatio orationis, ducta ex errore vitiosæ imitationis:* quod indicat Lucianus his verbis: κακοζηλία ἐστὶ τῶν ὑπερβαινόντων τὸ μέτρον τὸν μιμήσεως, καὶ πέρα τοῦ δεόντος ἐπιτεινόντων.

Quid proprie cacozelum.

Itaque omne cacozelum fermè tumidum est, aut frigidum, aut quid simile, non omne tamen tumidum, est cacozelum, cum præsertim possit ex imitamentis esse non expressum. Itaque, si quis apud Virgilium legens, sublatum à Turno *Saxum antiquum ingens:* hoc posteà in alio argumento imitatus dicat fuisse *scopulum, cui capræ etiam pascentes insidebant,* nescio quid nugarum, cum Græco poëta nugatus, tunc fit prodigium illud imitationis, quod κακόζηλον nominant: Sic Lucianus, cùm metamorphosin illam hominis in Asinum describit, concinnè admodum dicit:

Cacozeli ab inflato stylo discrimen.

Exempla cacozeli.

Καὶ οἱ δάκτυλοι πάντες εἶχοντο, οὐκ οἶδ' ὅπου: ὄνυχας δὲ τοὺς πάντας τέσσαρας εἶχον, καὶ τούτους οὐδὲν. ἄλλο ἢ ὁπλὰς καί μοι αἱ χεῖρες. καὶ οἱ πόδες, κτήνους πόδες ἐγένοντο, καὶ τὰ ὦτα δὲ μακρὰ, καὶ τὸ πρόσωπον μέγα.

At Apuleius non contentus hac lenitate sermonis; *Aures,* inquit, *immodicis horripilant auctibus,* & cætera similia, quæ vastam, atque horridam faciunt orationem. Vis aliud cacozeliæ exemplum præclarissimè expressum? Extat notissima de Parrhasio pictore historia, qui adolescentulum vuas ferentem, tanta ingenij, artisque subtilitate depinxit, vt aues imagine delusæ, aduolarent, rostrisque improbulis racemos appeterent; quanquam ille ingenuo fastu opus suum damnauit, quod non videretur puer satis eximiè depictus, vt quem aues aduolantes non timerent. Hoc cum legisset Spiridion Rhetor, voluit imitari. Quid agit? controuersiam illam agitabat, in qua Parrhasius dicitur miserum senem Olynthium sæuissimè cruciasse, vt ex eius ore, inter acerbissimos cruciatus æstuantis, Prometheum in

Apul. metam l. 3.

Plin. l. 35. c. 10.

Parrhasij pictoris indust.

Caucaso laniatum exprimeret, & hanc deinde tabulam in Mineruæ templo consecrasse.

Spiridionis cacozelia insignis. Senec. in Parrhasii controu.

Spiridion, cùm præstantissimi illius artificis manũ, & exquisitissimæ tabellæ decus verbis commendaret, eò vsque profectus est, vt diceret, ad hanc Panthasij tabulam, cum esset in Parthenone posita, vultures vndique laniatum, cadauer ratos, frequentes aduolasse, quæ oratio, vt frigida, & κακοζηλίας nota perinsignis, ab omnibus, qui aderant, declamatoribus est excepta. Qui fieri enim poterat, vt vultures in celeberrimum istud Atheniensium fanum, cum esset vndique tectum, & clausum, aduolarent? nisi forte putauit, vultures, templa in luce vrbium posita, non secùs, ac passeres, & hirundines frequentare, atque in ea sese aliquando per foramina penetrare.

Quam multa similia quotidie admittuntur à pueris, qui cùm aliquid legerint, aut audiuerint, statim in imitationem trahunt, id minimè ponderantes, an res, quæ comparantur, similibus inter se adiunctis congruant. Ex quo fit, vt ab imitatione, qui plurimum iuuari, cõformarique deberent, iudicij, & mentis penuria sæpissimè deriuent errorem.

De Stylo Frigido.

CAPVT IIII.

Demet. Phaler. περὶ Ερμην.

FRigidum quoque sæpè cum ipso cacozelo misceri, testis est, vel hic Demetrij Phalerei locus.

Πολλάκις μέν τοι τὸ μὴ διανόημα αὐτὸ ψυχρόντι ἐστι, καὶ ὡς νῦν ὀνομάζομεν κακόζηλον: sæpè item frigidus est sensus, quem nunc cacozelum nominamus. Et Aristoteles inflata verba vocat ψυχρὰ. Longinus verò postquam de tumido, & puerili disseruit, addit Θατέρου δὲ ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ πλήρης ὁ τίμαιος. Si tamen disquisitiùs enucleare velimus, inueniemus frigidum, quod ab ipso Cassio annotatum est, esse magis circa nouos, hospites, & peregrinos sensus, quàm circa tumorem verborum: frigidum autem appellatur, non quòd languidum sit, & remissum (nihil enim fermè istis ingenijs, quæ hanc dicendi καινοπρεπίαν affectant, callidius:) sed quod perniciosum quodlibet, & nocens temperaturæ, vt annotat Seruius ad Bucolica Virgilij, vocetur frigidum: Ita pari iure, quòd styli optimam tẽperiem corrumpit, τὸ ψυχρὸν, translato à Medicis nomine, est appellatum. Aliter γοργεῖον nominatur, quòd Gorgias sophista, multus in his sensibus fertur extitisse. Quanquam, quod Dionysius Longinus, & Hermogenes adeò exagitant, de *animatis sepulchris*, non ita videtur absurdum. Aristophanes autem Comicus non modò frigus, sed & niues, stylo alicuius inepti poetæ inspersas cõmemorat his verbis:

Quid propriè frigidũ.

γοργείοις μειρακιωδῶς ἐναβρύνεται. Dion. Hal. in ep. ad Pomp. Frigeri styli appellatio. γοργεῖον cur frigidus stylus dicatur.

Κατένιψε τὴν Θρᾴκην χιόνι πολλῇ. Suidas, Κωμῳδῶν οὖν αὐτὸν παρίστησι τὴν πολλὴν χιόνα τῆς τούτου πορὶ τὰ ποιήματα ψυχρότητος.

Suid. in voce ψυχρὸς.

Ex ijs autem, quæ dicta sunt, apparet stylum frigidum esse τὸν περὶ τὰς νοήσεις ξένον, cum, qui *constat sensibus nouis, & peregrinis, addo etiam putidis*. Inflatus rerum, & verborum strepitus ferri solet, cum aliqua specie magnitudinis: Cacozelus in infelici, & ærumnosa imitatione consenescit: frigidus tortos, & violentos sensus; veluti nouatoris ingenij fœtus, iudicij lumine orbatos egerit.

Inflati, cacozeli, & frigidi discrimina.

Exempla frigidi ex Plutarcho, & Cassio talia sunt. Natus est Alexander, ea ipsa nocte qua Dianę Ephesiæ templum insana, & orbi terrarum admiranda substructio conflagrauit: Ex eo, cùm de Alexandri laudibus diceret Hegesias, qui inter frigidus sophistas commemoratur à Longino. *Minimè mirandum est*, inquit, *si Diana templum tam graui incendio arserit: quippe Dea in ipso Olympiæ partu, quo Alexander editus est, obstetricandi laboribus, & curis districta, ignem non valuit restinguere.*

Frigidi exempla.

Hegesias frigidus.

Huius epiphonematis tantum esse frigidus, Plutarchus asseuerat, vt idipsum, ad Ephesij templi incendium restinguendum, satis validum fuisse videatur.

Festiuè dictum in Dianæ Ephesia incendium. Plutarc. in Alex.

Ηγησίας ὁ Μάσνης ἐπιπεφώνηκεν ἐπιφώνημα κατασβέσαι τὴν πυρκαϊὰν ἐκείνην ὑπὸ ψυχρίας δυνάμενον· εἰκότως γὰρ ἔφη καταφλεχθῆναι τὸν νεὼν, τῆς Ἀρτέμιδος ἀσχολουμένης περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μαίωσιν.

Alterum exemplum profertur è Cassio Longino, quod sumptum est ex Timæo. Quippe, hic Alexandrum magnis laudibus efferens, cũ Isocrate comparat, & vehementer commẽdat, quòd paucioribus annis Asiam subegerit, quam vnam orationem Penegyricam scripserit Isocrates. Hic Criticus deridens exclamat:

Alexander cum Isocrate comparatus ridiculè.

Θαυ-

θαυμαστή γε τοῦ Μακεδόνος ἡ πρὸς τὴν σφιστὴν σύγκριτις! ô admirabilem Alexandri cum sophista comparationem: certè hoc frigido hominis sensu, Isocrates tota Lacedæmoniorum Repub. longè fortior haberetur, quando intra decennium Panegyricum absoluit? At illi, non nisi intra annorum triginta spatium, Messenam expugnarunt.

Tertium est ex eadem officina, concisis Sicula clade Atheniensium viribus, opera cuiusdam Hermocratis, exclamat, *Non sine magna mentis consilio factum esse, vt Athenienses, qui in Mercurij statuas fuerant impij, per Hermocratem filium Hermonis, violata religionis pœnas persoluerēt.* Hæc frigida, & inepta Longinus iudicat, quæ tamen excusari facilè possent.

Εἰς τὴν Ερμῆν ἀσεβήσαντες, ἔδωκαν δίκην.

Sed in hoc genere nihil est Hebræorum scriptoribus, quos Rabinos vocant, infantiùs: apud quos frigidorum sensuum exempla & plurima sunt, & maxime ridicula, quale illud est eius, qui in hæc verba psal. 61. scribens. *Iumenta in montibus, & boues.* vbi textus Hebræus habet,

Rabinorum sensus frigidi.

Behemot Beharre aleph סוֹת כהררי אלף בה Iumenta in montibus mille, hic frigidus commentarius belluam vnam fuisse vastissimā narrat, plurali numero designatam à Propheta: cui ad diurnum pabulum, mille montium herbæ à Deo essent assignatæ.

Alius in illud Exod. 4. *Obsecro Domine, non sum eloquens,* commentatur Mosen, cùm esset trium annorum puer, Pharaoni fuisse oblatū, delectatumque Regem melliti infantis indole, diadema illi inter ludendum imposuisse, quod cùm Moyses proiecisset in terram, pedibusque conculcasset, id pro infausto quodam omine acceptum, cumque Regis filia tribuisset infantis inscitiæ, de consilio, & industria viri apud Hebræos imprimis sapientis, ad explorandam pusionis simplicitatem, sciens-ne illud an imprudens fecisset? prunæ illi ardentes sunt appositæ, quas cum ore contigisset, inde extremæ linguæ adustionem, perpetuamque balbutiem, atque hæsitantiam contraxit.

Allegoriarū in sacra scriptura nimij indagatores sæpe incidunt in frigida. Origenes, Philo, nimij in allegorijs.

Huic vitio obnoxij sunt, qui in sacris literis allegoricos vbique consectantur sensus, & omnia in eas, quas sibi finxerunt imagines, efformant. Qua in re nimij sunt plerumque Origenes, & Philo, qui allegoriarum studio, in frigida sæpissimè deferri coguntur.

Nam, etsi allegoriarum grata sit, ac vernans amœnitas, vbi tamen nimis crebræ sunt, & violentæ, placere doctis auribus nullo modo possunt. Cui enim semper istæ interpretationes arrideant? *Porticus Salomonis, est conuersatio Christi. Arcturus, lex, & Pleiades noui testamenti gratia. Sudes, acuta sanctorum consilia. Saliua, intima contemplationis sapor. Ibices magistri spirituales. Sapphirus, prædicatores noui testamenti. Perdix, diabolus. Cynifes, Dialectici.* quanquam hoc postremum subtiliter ab Origine dictum, Hoc enim animal pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est, & minutum, vt oculi visum, nisi acutè cernentis effugiat, corpus tamen cum insederit, acerbissimo terebrat stimulo, vt quem volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem.

Hæ allegoriæ, licet à Patribus cū salo prudentiæ dictæ, non sunt vbique imitandæ. Orig. homil. 4 in Exod. Cynifes cū dialecticis comparantur.

Hoc ergo animalis genus (inquit) dignissimè puto arti Dialecticæ comparari, quæ minutis, & subtilibus verborum stimulis animos terebrat, & intelligentiæ oculos decipit.

De stylo puerili.
CAPVT V.

Stylus puerilis qualis.

Vicinum est istis generibus puerile, quod Cassius Longinus nominat, κακὸν, μικρόψυχον, καὶ ἀγεννέστατον. Habet enim tumorem, & cacozelum, & frigida permulta sibi annexa; hoc autem proprium obtinet, vt inanem quandam suauitatem, Adonidis hortis steriliorem quàm auidissimè venetur. Itaque sensus in eo fermè sunt tenuiculi, cum aliqua illecebra vanissimæ iucunditatis, lusus minuti, digressiones ineptæ, allusiones ad verba, affectatæ rerū descriptiones, luxuriantes figuræ, inopia iudicij, redundantia sermonis, verba vndique ad ostentationem collecta, & rythmorum, circumscriptionumque putida elaboratio. Talis est ista Mœcenatis, authore suo mollior oratio.

Puerilis Styli in verbis exempla. Mæcenatis oratio puerilis. Vide Senec. ep. 114.

Quid purius amne, syluisque ripa comantibus? Vide vt alueum lintribus arent, versoque vado remittant hortos.

Quid si quis fœmina cirro crispat, & labris columbatur: incipitque suspirans, vt ceruice laxa feratur? Nemo tyranni, irremediabilis factio, rimantur epulas, lagenæque tentant domos, & sæpe mortem exigunt.

Genium festo vix suo testem tenuis cerei fila, & crepacem mola focum mater, aut vxor inuestiunt.

Quæ pueritiæ ludicra: Num statim hæc cū legeris (inquit Seneca) hoc tibi occurret, hunc esse, qui solutis tunicis in vrbe semper incesserit.

Adiunge huic molliculæ orationi, Hadriani Imperatoris versus:

Hadriani Imper. molicula oratio

Animula, vagula, blandula,
Hospes, comesq; corporu,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida nudula!
Nec vt soles, dabis, iocos.

Aut Apuleij: (Erat intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus. Crines eius præmulsis antijs, promulsis caproneis anteuentuli, & propenduli. Vestis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians. Quid? quod & lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?

Puerilis pueri ex Apuleio descriptio.

Hæc planè crepundia, quibus permittuntur aliquando pusiones lusitare. At verò iam proiectæ ætatis homines, in eas ferri nouissimorum verborum ineptias, minimè tolerandum est.

Sæpè istarum nugarum parens est amor, & vitijs obsessæ mentis hebetudo: quippe videas istos frigidos amatorculos ex libris vernaculâ linguâ scriptis, hęc deliramenta auidè conquirere, quæ illi, rosas suas, & anemonas, dum ventilant, putant odorem omnium naribus periucundum afflari: sed hæc ita fœtent, vt Augæ stabulum non sit impurius

Puerilis flyliorigo & iudicium.

Alia est etiam non verbis, sed sensibus puerilis oratio: qualis est ista Onagri fœminæ ad marem fœtum suum euirantem, his verbis expressa quæ bonum alioqui poetam, ad inclinatam puerilitatem dimisit

Onagri poeta puerilis nania fœminæ ad marem, fœtum suum euirantis.

Opian. l. 3. ven. vers. 220.

Ανερ, ἄνερ, τίιν οἷο προσώπαλα τρηχύνοντας;
Ομμαλα φοινίχθη τὰ τ' ἂν πάρος αἰγλήεντα;
Οὐχὶ μέτωπον ἀθρεῖς λιθοεργὲς ἄγχι Μεδούσης,
Οὐ γόνον ἰοδόλον παναμειλίχιοιο δρακαίνης,
Οὐ σκύμνον παναθέσμιον ὀρεσπλάγκτοιο λεαίνης·
Παῖα λυγρὴ τ' ἔτικτον, ὃν ἀρώμεθα θεσπεσίοισι,
Παῖα τεὸν γενύεσσι τεοῖς οὐκ ἄρσενα θήσεις.
Ισχε φίλον μὴ τάμνε τί μοι τάμες; οἷον ἔρεξας·
Παῖα, τὸ μηδὲν ἔθηκας, ὅλον δέμας ἐξαλάωσας·
Δειλὴ ἐγὼ παναπόνυμον ἀωροτάτοιο λοχείης,
Καὶ σὺ τέκος πάνδειλον, ἀλιῤῥοτατῖο τοκῆος·
Δειλὴ ἐγὼ τετάλαινα, κενὸν τόκον ὠδίνασα,
Καὶ σὺ τέκος, τμηθεὶς, οὐχὶ σοὺχεσσι λεόντων·
Αλλ' ἐχθραῖς γενύεσσι λευσταίῃσι τοκῆος.

Vir, vir, quare tuus vultus exasperatur?
Oculi rubuerunt, qui prius erant splendidi?
An frontem intuetur saxifica Medusæ?

(Sciebat quippe hic Onager Meduæ fabulam, & scholas olim poeticas frequentarat.

Non fœtum venificum efferi draconis.
Non catulum nefandum monstruosæ Leænæ?
Filium, misera quem peperi, quem exoraui mus à Dijs,
Filium tuum maxillis tuis euirabis.
Cohibe te amice: ne scinde, quid resecuisti, qualem.
Fecisti filium? ad nihilum redegisti, toto corpore mutilatum.
Misera ego, atque arumnosa, intempestiuum ob partum!
Et tu fili miserrime, sceleratissimi parentis causa!
Misera ego, ter misera, inanem partum enixa.
Et tu fili dissectus, non unguibus Leonum,
Sed inimicis maxillis Leoninus parentis.

Hactenus lamentabilis nænia, & verè puerilis: cùm enim mentionem facit Onager *saxificæ Medusæ*, cùm dicit se filium à Dijs exorasse, & similes nugas, quis risum teneat? At dices, nulla sæpè eiusdem argumenti, à viris grauibus esse conscripta? fateor equidem, sed huiusmodi, si quæ scribunt, non scribis operibus immiscent: verum pueriles remissiones, & fabellas, & ludos ad risus compositos profitentur. At, qui hæc scribunt, & callidè dicunt, carminumque grauitati, non ioco, sed eloquētiæ ostentādæ gratia solent intexere, pueriliter mea quidē sentētia faciunt; hæc enim vitia sunt, in quæ pueri, in hyperbolis semper leues, frequentiùs incidunt, qui si in Crassi murænam, aut psittacum, melioris carmen, vel orationem funebrem texant, cùm omnia ad rotundam styli exilitatem deberent esse accommodata, illi ad grādes

Puerilium inuentionū nuga.

De-

Demosthenis, & Ciceronis figuras conuertẽtur: psittacum inquam, vel passerem, vt heroẽ laudabũt, etiam apud Elysios campos Minois, & Rhadamanthi assessorem facient, dictantes illud Demosthenis, ὃν πάρεδρον εἰκότως ἄν ἐς φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι: mox alloquentur per Apostrophen; *Praeclarè igitur, tecum actum est, dum viueres, anima delicatissima, nunc autem, postquam ex his terris euolasti, sanctissima: nam beatorum locum consequuta, assides Proserpinae.*

De Parenthyrso.

CAPVT VI.

Quid Thyrsus.

THeodorus Rhetor, qui citatur à Cassio Longino, in libro περὶ ὕψους, notissimi vitij in stylo meminit, quod ipse appellat παρένθυρσον, quasi ad Thyrsum accedẽs, hoc est, furori proximum. Norunt omnes Thyrsum appellari hastulam frondibus vestitam, quã bacchantes gestabãt, & hoc perpetuum bacchi insigne iuxta epigrammaticũ πανὶ βίτων χίμαρον, νίμφαις ῥόδα, θύρσα λυσαίῳ, hinc θυροπλῆγες, nominãtur thyrso percussi, hoc est insani: vnde parenthyrsum dici potest, Oratio grandibus, & intempestiuis affectibus, & figuris in re parua insaniens: quam definitionem licet colligere ex Dionysio Longino, in qua παρένθυρσον ita describit,

Quid parẽthyrsum, & vnde sic dicitur.

Longin. περὶ ὕψους.

Τούτῳ παράκειται τρίτον τῆς κακίας εἶδος ἐν τοῖς παθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον καλεῖ. ἔστι δὲ πάθος ἄκαιρον, καὶ κενόν. ἔνθα μὴ δεῖ πάθους· ἢ ἄμετρον, ἔνθα μετρίου δεῖ.

Parent. à puerili stylo discrimen.

(Huic proximum est tertium prauitatis genus in affectibus, quod Theodorus vocat parenthyrsum: est autem affectus intempestiuus, & vanus, vbi nihil opus est affectu; vel immoderatus, vbi opus est moderato: differt à puerili, quòd hoc in lætis argumentis, & illecebrosæ dictionis aucupio versetur vt plurimùm; illud propriam sedem habeat in affectibus intempestiuis, maximè doloris, & iracundiæ, sine vlla etiam affectatione verborum: Non enim istam concinnitatem spectat, sed grandes tantùm figuras, in rebus ludicris consectatur: ex quo plenum est insaniæ.

Talis est illa de incendio Daphnitici tẽpli, miserabilis nænia Libanij sophistæ, quã diuus Chrysostomus egregiè perstringit, in oratione de sancto Babyla martyre. Ibi enim sophista præter modum fertur in miserabiles, inconditos, humiles, inclinatos affectus, & præ doloris, ac furoris impotentia, in frigida quæque, & inepta transit, vt, cum dicit Iulianum Imperatorem, vbi de templi incendio afflauit eum rumor, (quęsiuisse talaria Mercurij, vt ad flammam restinguendam properaret.) Vbi tandem erat inuenturus? Certè tardum oportuit fuisse auxilium, si hæc talaria sunt expectata. Ita dũ motus cupit ingentes excitare, delabitur in absurda quæ risum potius, quàm dolorem efficiant.

Libanij παρένθυρσον à D. Chrys. perstrictum.

Eodem stylo Aristides sophista in illa flebili monodia, de Smyrna collapsa, inter cæteras nænias addit: (Si Gorgones reuiuiscerent, nõ iam Medusam, aut oculum suum flerent, sed Smyrnam, communem Asiæ oculum deplorarent.)

Aristidis παρένθυρσον, οὐκ αὐτὴν Μέδουσαν, οὐδὲ τὸν αὐτὸν ὀφθαλμὸν, ἀλλὰ τὸν τῆς Ἀσίας ἐπένθησαν.

Num verò ista παρατράγωδα, & παρένθυρσα? sed plenius in affectibus examinabimus.

Parent. character.

Alij etiam magis importuni ambitioso orationis tractu, aut plorant, aut irascuntur, aut detestantur, aut Deos, Deasq; omnes, in rebus ludicris & penè nullis inuocant. Quærunt ab auditoribus, hominibus plerumque frigidis, & vrbanis, num lugeant, num indignentur, num auersentur, num tantum nefas abominentur? cùm illi interim nihil horum experiantur, sed tranquilli omninò sedeant: Aduertere se dicunt pallorem, & lachrymas, & eiulatus eorum audire, qui non magis mouentur, quàm statuæ.

Parenth. exemplum.

Hoc certè genus, inter cætera miserabile est, & insanum, nec immeritò παρένθυρσον nominatur; habet enim multũ de thyrso, & furore: Nam quid est aliud, in rebus modicis, tam insanæ mentis æstu iactari, quàm Oratorẽ illũ imitari, qui apud Lucium Apuleium pro tribus vtribus, ab ebrio iuuene multis ictibus perforatis, quasi pro cæsis iuuenibus perorat? & ait,

(Neque parua res, ac præcipuè pacem ciuitatis cunctæ respiciens, & exemplo serio profutura tractatur, Quirites sanctissimi. Quare magis congruit, sedulos, atque vniuersos vos pro dignitate publica prouidere, ne nefarius homicida, tot cædium lanienam, quam cruenter exercuit: impunè commiserit.)

Ad hæc omnes risu dissoluuntur. Mox quædam mulier, per mediũ lachrymosa, & flebilis,

atra veste contecta, paruulum quendam sinu tolerans decurrit; ac ponè eam, anus alia pannis horridis obsita, paribusque mœsta fletibus, ramos oleaginos vtræque quatientes, quæ circumfusę lectulum, quo peremptorum cadauerum contecta fuerant, plangore sublato lugubriter eiulantes.

(Per publicam misericordiam, per commune ius humanitatis, aiunt, miseremini indignè cæsorum iuuenum, nostræque viduitati, ac solitudini, de vindicta solatium date: Certè paruuli huius, in primis annis destituti fortunis succurrite; & de latronis huius sanguine legibus vestris, & disciplinæ publicæ litate.)

Hæc si pro tribus vtribus seriò dicerentur, παρὲν θυρσον facerent manifestissimum; sed cùm ad risum, publicamque lasciuiam ficta sint, nihil, habent istius generis.

Exilia orationis magnitudine prudenter attollenda.

Porrò in id sæpè vitium incurrunt Oratores sensibus grandes, vberes, & amplificatorij, qui cùm summæ laudis esse existimēt, res alioqui exiles orationis maiestate pleniùs attollere: hoc ne mica quidem salis adhibita faciunt in rebus singulis, & ranas in Mineruam, Pygmæos in Polyphemum, res denique leuissimas in cothurnos tragicos non sine risu deformant.

De stylo scholastico.

CAPVT VII.

Styli scholastici typus.

MEminit quoque Cassius Longinus σχολαστικῆς νοήσεως: hoc est, scholastici sensus, & styli: fit autem, cùm ea quæ ciuilis esse debet oratio, ad vmbratilium præceptorum minutias putidiusculè conformatur. Accidit enim plerumque, vt adolescētes è ludo nuper egressi, vel etiam viri scholarum vmbris diutiùs enutriti, cum ex palæstra in aciem deuenerint, nondum ad ciuilis illius cœli tolerantiam facti, atque compositi, nescio quid vmbraticæ mollitiei, quam cum lacte suxerunt, retineant. Itaque alij antequam ad rem veniant, præfantur apparatiùs, & excurrunt longiùs. Alij digressiones, & locos cōmunes affectant, quibus cùm insederint, arbitrātur se Iouis albis (quod aiunt) quadrigis vehi. Alij, in quocunque demùm argumento exordia, narrationes, confirmationes, perorationes religiosiùs exigunt, atq; ista quidē omnia, quamuis frigida, & importuna sępiùs ingerunt, ne videantur artis legibus defuisse. Alij minimè spectantes, an oratio ornatū ferat, grandes figuras per κακοζηλίας expressas ad satietatem aurium intrudunt. Alij etiam artem plenissimè profitentur; exordij sui, narrationis, confirmationis, &c. meminerunt, tum se ex vna parte in alteram transituros pollicentur, aut iam transijsse dicūt: etiam excusant se, quòd minus elaboratam orationem attulerint, quæ omnia scholastica sunt, & vbi morosius curantur, elaboranturque cōcinnius, sæpè in frigidum aliquid, aut puerile desinunt.

Demosthenes à stylo scholast. alienus.

Atque in eo, opinor, multum differunt ciuiles Isocratis, & Demosthenis Orationes, hic enim, quod maximè est, minimè vult videri eloquens, & fortunas Græciæ ex eo non pendere dicit, an manum in hanc, aut in illam partem inflexerit: vel hoc, aut illo verbo inter orandum vsus fuerit; at ille in negotiosis etiam orationibus dissimulare non potest ambitionem eloquentiæ. Nam in suasoria ad Philippū profitetur etiam, ἐπὶ γήρως φιλοτιμίαν, & se excusat, quòd propter ætatem ingrauescentem, tam elaborata orationis structura vti minimè potuerit.

Isocrates scholastice vitio laborat.

Isocr. in suasor. ad Philippum.

Οὐδὲ γὰρ ταῖς κατὰ τὴν λέξιν εὐρυθμίαις, καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτὸν αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν ἐχρώμην, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπέδειξα, οἱ ὧν τοὺς λόγους ἡδίους τ' ἅμα, καὶ πιστοτέρους ποιοῖεν, ὧν οὐδὲν ἔτι δύναμαι διὰ τὴν ἡλικίαν.

Quæ excusatio non petita accusatio est.

Præfatur etiam amplissimè de suis familiaribus, & eorum de hac suasoria iudicia exponit, quæ omnia parùm ad persuasionem faciunt, & ambitiosè potiùs quàm neruosè dicta sunt.

In Panegyrico verò, qui & suasionem continet ad Græcos, tam magnificè de sua eloquentia sentit, & dicit, vt nisi pro rei dignitate, suaque gloria, & pro tempore, quod in hac oratione elaboranda, concinnandaque posuerit, (in qua decennium ferebatur insumpsisse) peroret, nullo modo sibi ignosci velit, sed contemni, & derideri.

Isoc. Paneg. 86.

Ἐγὼ δὲ ἦν μοι καὶ τοῦ πράγματος ἀξίως εἴπω, καὶ τῆς δόξης τῆς ἐμαυτοῦ, καὶ τοῦ χρόνου, μὴ μόνον περὶ τὸν λόγον διαζιφθέντος; ἀλλὰ καὶ σύμπαντος οὐ βεβίωκα παρακελεύομαι μηδεμίαν μοι συγγνώμην ἔχειν: ἀλλὰ καταγελᾶν, καὶ καταφρονεῖν.

Hæc quidem ostentationem habent eloquentiæ

quentiæ non mediocrem, quæ Oratori ciuili cauenda est, vel maximè.

At verò sub finem Orationis, quasi in prõptu diceret, qui se comparata oratione dicturum, initio professus fuerat.

Οὐ τὴν αὐτὴν δὲ τυγχάνω γνώμην ἔχων, ἐν τετῷ παρόντι καιρῷ, καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς τοῦ λόγου. Τότε μὲν γὰρ ἡμῖν ἀξίως διωκεῖσθαι περὶ τῶν πραγμάτων εἰπεῖν, νῦν δ' ἐρικνεῖσθαι τοῦ μεγέθους αὐτῶν· ἀλλὰ πολλὰ μὲν διαπέφευγεν ὧν διενοήθην.

Iam verò non ita sentio, ac initio orationis meæ: tunc enim pro dignitate rerum, me posse dicere existimabam, nunc magnitudinem earum non assequor, multaque mihi eorum, quæ dicere instituera m, exciderunt.

Nimis aperta calliditate hæc sunt elaborata, quasi finem orationis non præuidisset, qui se per decennium scripsisse gloriabatur.

Eloquentia Iuliani multum habet palestra scholastica.

Habent & multum palestræ scholasticæ, quæ a Iuliano imperatore ex Sophistarũ schola adhuc recente scripta sunt. Quorsum enim in Eusebiæ encomio tam longa insinuatio cõtra ingrati animi vitium? Τί ποτε ἄρα χρὴ διανοεῖσθαι περὶ τῶν ὀφειλόντων μεγάλα, καὶ ὑπὲρ μεγάλων, οὔτε φημὶ χρυσίον, οὔτε ἀργύριον, ἀλλὰ ἁπλῶς ὅτι ἂν τύχοι τις παρὰ τοῦ πέλας εὖ παθὼν, εἶτα τοιαῦτα μὲν ἀποτίνειν οὔτε ἐπιχειροῦντων, οὔτε δυναμένων ῥᾳθύμως ἢ καὶ ἀλογάρως ἐχόντων πρὸς τὰ δυνατὰ ποιεῖν, καὶ διαλύεσθαι ὀφλήματα; ἢ δηλονότι φαύλης, καὶ μοχθηρᾶς νομιστέον; quid ista periodus, & cætera quæ diffusius narrat, aliud volunt quam ingrati animi labem esse fugiendam? qua ratione ad

Iuliani in Encomio Eusebiæ.

laudandam Eusebiam prouocatur, cui multis, & magnis beneficiorum nominibus tenebatur adstrictus. Hoc etsi ad rem facit, poterat tamen dici rotundis, nec tanto lenitudinis anfractu trahi. Alium deinde locum communem annectit, laudandos esse summos viros; nam hoc, inquit, & Plato, & Socrates fecerunt, quidni etiam, inquit, fœminas? Siquidem Homerus Penelopem laudauit. Hæc thesis longius excurrens multum sapit de schola. Accedunt etiam exempla ab Homericis sæpius petita fabulis, & digressiones de Græcia, & libris cum annexis exercitationibus, quæ calamũ inueniliter adhuc quasi in Rhetorum stadio volitantem arguunt.

Iuliani scholastica.

De stylo poetico, & tantico.

CAPVT VIII.

Dionys. Halicar. lib. de structi. verborum.

QVæsitum est sæpè cur Dionysius Halicarnassensis ingeniorum stylique iudex, & censor acerrimus, optimam orationem Poesi simillimam esse debere statuat. Ex quo Herodoti, & Thucydidis historiam *pulchram poesim* non veretur appellare: Καλὰ μὲν ποιητικὰ ἀμφότερα· οὐ γὰρ ἂν ἀσχημονεῖν ποιητὰς αὐτὰς λέγων. Lucianus verò suadet ei qui eloquentiæ *decora* concupiscit, vt primum optimos quosque Poetas legat, deinde se conferat ad oratores, quòd profectò non faceret, nisi ad cõformandum stylum prodesse Poetarum lectionem arbitraretur. Sed tamen quamuis Poetas, vt ad oratoris institutionem perutiles commendare videatur, hæc oratio non est intelligenda, vt stylum Poeticum probet, à quo sanè ambo, & sententijs & scribẽdi genere vehemẽter abhorruere. Quid igitur vterque voluit? Poetas, maximè verò Tragicos & comicos de meliore nota, oratoriæ facultati non leui fore adiumento, si quis se in eis ipso discendi, scribendique tyrocinio prudenter exerceat. At hoc (inquis) non plenè satisfacit Dionysij menti, qui Thucydidis historiã Poesim apertè nominauit. Dicam equidem & paucis, quæ hac in re mens Halicarnassensis fuerit. Structuram verborum, & numeros oratoribus commendat, quam rem vnam ad mulcendos suauitatis lenocinijs animos efficacissimã esse probat: Vt eorum verò incuriam redarguat, qui penes solos Poetas esse numeros arbitrati, segnem, dissolutam & planè incompositam orationem effutiunt, optimam orationem Poesi simillimam esse contendit, hoc est (vt ipse ait) λέξιν ἔντεχνον nec minus accuratam compositionẽ, modulisque structuræ decoram, quam sint ipsa poemata, licet alijs, & liberioribus numeris effluat. Hoc Cicero in oratore explicatissimè docet.

Dionys. Halicar. lib. de structi. verborum. Cur optima oratio appellatur poesis. Poesis oratori perutilis. Idem in ep. ad Cneum Pomp. Luc. in Lexiphane.

Nam etiam (inquit) Poetæ quæstionem attulerunt, quidnam esset illud quod differrent ab oratoribus. Numero maximè videbantur antea, & versu. Nunc apud oratores iam ipse numerus increbuit. Quicquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest à versu, (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui Græcè ῥυθμὸς dicitur. Itaq; video visum esse nõnullis, Platonis,

Cic. in orat. t. 1. p. 253. 254.

&c

Democriti elocutionem, etsi absit à versu, tamen quod incitatius feratur, & clarissimis verborum luminibus vtatur, potius poëma putãdum, quã Comicorum Poëtarum, apud quos nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis.

Qua in re oratores Poetis similes.

(Deinde) Ego autem, etiamsi quorundam grandis, & ornata vox est Poëtarum; Tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse, quã in nobis faciendorum, iungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluptati vocibus magis quam rebus inseruiunt. Nec verò si quid est vnum inter eos simile, id autẽ est iudicium, electioque verborum, propterea cæterarum dissimilitudo intelligi non potest. Hæc Cicero; sed & Quintilianus clarissimè rem totam dijudicat his verbis.

Quint. lib. 10. c. 1. Cur poesis oratori necessaria.

Theophrastus, inquit, plurimũ oratori dicit conferre lectionem Poetarum, multique eius iudicium sequuntur, neque id immeritò: Namque ab his & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor petitur, præcipueque velut attributa quotidiano actu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia reparantur: ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat. Meminerimus tamen non per omnia Poëtas esse oratori sequendos, *nec libertate verborum*, nec *licentia figurarum*, addit etiam, *pedum necessitate.*

ἢ δὲ διθυραμβώδης ἢ φλεγμαίνουσα ποιητικοῖς ὀνόμασι. Philost. in Apoll. Ammiani stylus Poeticus.

Ex eo apparet quantus est error eorum qui Poëtico stylo perperam in soluta oratione abutuntur; vel verbis vel numeris, vel periphraseon, quæ permultis communis esse solet licẽtia. Hac in re importunus est Ammianus historicus, quo enim hiatu hæc dicit?

Cumq; primum aurora surgeret, vniuersaque videre poteram, armis stillantibus coruscabant, ac ferreus equitatus campos opplebat & calles Fac pedes, quid sunt ista nisi carmina, eaque prætumida! Item,

Sæuiens per vrbem æternam vrebat cuncta Bellona ex primordijs minimis ad clades ducta luctuosas, quas obliterasset vtinam iuge silentium. quæ ampullæ Poeticæ? *vt omnia nefario bello arsisse dicat.*

Item: *Hyeme verò humus crustata frigoribus, & tanquam leuigata, ideoq; labilis, incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles per spatia plana glacie perfidæ, vorant nonnunquam transeuntes.*

Et vbi Poëta epithetis densior aut verbis tumidior?

Ita his ampullis assueuit, vt quæ quotidiano sermone omnino dicenda erant, etiam his phaleris augeat, & peruertat, vt, *ludibrijs ignauiæ torrentes exundant, & humanitatis multiformibus officijs retentabant, & fama rumorum nutrix maligna dispersit.*

At vbi inflat ex industria, quis molem sustineat? *Megæra quædam mortalis inflammatrix sæuientis assiduè:* istę sunt Apuleij delicię, & (vt ipsi aiunt) Anemonæ verborum: talia sunt quæ de suo patrio solo scribit; *glebæ felices æternum, libris felicioribus credita.*

Vt primum tenebris abiectis dies inalbebat, & candidum solis curriculum cuncta collustrabat.

Item.

Imo de pectore cruciabile suspirium ducens, & hæc quæ grandiori spiritu intonat: *Nec mora cum vi patefactis ædibus, globus latronum inuadit omnia, & singulæ domus membra cingit armata factio. Et auxilijs hinc inde conuolantibus obsistit discursus hostilis, cuncti gladijs, ac facibus instructi noctem illuminant, coruscat in modum ortus solis, ignis & mucro.*

Nec satis inflectit nonnunquam orationem in degeneris naturæ malum, quod vocant Cãticum, vt *Tibi respondent sidera, redeunt tempora, gaudent numina, seruiunt elementa, tuo nutu spirant flumina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina, & Montium scapulæ decurrendo fontium venæ ebullando, & fluminum viæ obumbrando:* hæc est styli poetici species veræ eloquentiæ, admodum perniciosa, quæ tamen rudioribus sæculis longè, lateque peruagata, fatali pruritu multos secum traxit, diuque dominata est.

Apollinaris, Ennodius, Sidonius stylo poetico laborant.

Certè istis ampullis oppleti sunt Sidonius, Apollinaris & Ennodius, qui ad huius licentię summum deuenerunt; nam Sidonius aperte canit.

Iam sol adultus roscidæ noctis humorem radio crescente sorbuerat.

Bestialium rigidarumq; nationum corda corneæ, fibræq; glaciales.

Sermonis Celtici squamam depositura nobilitas nunc oratorio stylo, nunc Camœnalibus modis imbuitur. Sid. ep. 3. l. 3.

At Ennodius, cuius poetæ audaciam non ęquat his verbis?

Intereà dum anceps esset fortuna certaminis, & pennatæ mortes sibi æthera vendicarent. Tellus concita tremuit concussione cornipedum. Excepit te sonipes lituorum desiderijs inquietus, & lan- Ennod. in Panegyr. Theodor.

lantearum imber cœlum obtexit, &,

Tertull. de pallio. *Larissæus Heros ille apud Rupicem, & syluicolam, & monstrorum eruditorem scrupea schola eruditus.*

De Stylo Allegorico, & periphrastico.
CAPVT IX.

SEd quoniam in huius auctoris mentionem incidimus, eius, quem nũc discutimus styli, exempla suppeditabit. Floruit eo tempore, quo illa insana metaphorarum, vel potius allegoriarum dulcedo cuncta peruaserat, & iam *Ferrum Ciceronis* Tulliana dictio, vulgò dicebatur, contrà aurea putabantur frigida quæque acumina, & allegoriæ, quibus illi scriptores sua referserunt.

In quo profectò minor est error magni illius, & felicis Ennodij, qui calentibus adhuc eius, quam à magistris acceperat Rhetoricæ studijs, ista scripsit, quam barbari, & squallentis sæculi, cui aurum pro ferro, & ferrum pro auro, in tam grauibus eloquentiæ corruptelis fuit. Sic igitur Ennodius ad Ioannem:

(Diu salum quæris verbis in statione compositis, & incerta liquentis elementi placida oratione describis, dum sermonum cymbam inter loquelæ scopulos rector diligens frænas, & cursum artificem fabricatus trutinator expendis; pelagus oculis meis, quod aquarum simulabas, eloquij demonstrasti.)

(Deus bone, in quantos se vsus diues lingua dispargit! Cum voluerit, sæuit vt bestia, currit vt fluuius, fluctuat vt profundum: & quamcumque fucatis verborum imaginibus pingit speciem, veri adstipulatione repræsentat. Timere te scriptionẽ, quasi fronte tener, insinuas; dum declamationum pompam refuga laudis deposcit assertio; (& fit auara gloriæ, dum pudori parcere se ostendit, peregrinam mentita formidinem.) Ago atque habeo gratias, quod nobilia rudimenta facundiæ tuæ, in amici quantum æstimas præconijs consecrasti. Et licet non agnoscam mea esse, quæ loqueris: religionem tamen narrantis amplector, diligentiam pectoris laudo, quam gratiæ per sudum rutilantis luce dedicasti. Tibi fax ista prætenditur, quam in opinione mea blandus elocutor accendis. Ego noctem conscientiæ meæ, etsi non fugio, noui tamen æstimare.

Expende singula, & accuratè dispice, quid sine allegoria; quid sine similitudine dictum inuenire? ô styli importunitatem! At dices, pulchræ sunt Metaphoræ, sed & pulchrorum modus est. Melleæ sunt: & mellis suauitas affert satietatem. Gemmææ sunt; distinguãt igitur opus, non obruant. Ad orationis delicias, non ad communem quotidiani sermonis vsum inuentæ sunt metaphoræ, quas si vbique velis intrudere, styli monstrosum corpus facias necesse est. Venustissima quidem est ars picturæ, quæ expressis rerum imaginibus opulentas æmulatur naturæ dotes, nemo tamen adeo demens est inuentus, qui naturæ opera de medio tollenda esse censeret, quod eorumdem picturis vsque perelegantibus expressa simulachra intueri liceret. Siquidem manufactorum decor breui admodum voluptatis delinimento pascit sensus: Naturæ dona diutius, & solidius oblectant. Quod licet quidem animaduertere in ijs, qui picti ruris similitudinem, aut auium versicolores plumas spectant in tabulis.

Stylus allegoricus, cur vitiosus.

Præclarum discrimen inter naturalia, & artefacta.

Primo quidem aspectu, quasi totam hauriant oculis voluptatem, afficiuntur quàm suauissimè: paulatim verò diu occupatis eadem imagine sensibus, iucunditatis gratia consenescit. At quæ naturalia sunt, & magna, vt Maris exporrecta facies, gelidorum fontium lapsus, vmbræ nemorum, montiumque vestitus viridissimi, nouo semper voluptatis aucupio suos recreant amatores. Haud quidem dissimile est, quod in hac styli materia euenire solet. Nam illa sermonum picturata (vt appellãt) diademata, sua crebritate fastidiosa, aures statim obruunt. Verba verò propria accuratæ orationis dulcibus illigata numeris, si non acriori, diuturniori tamen, atque vtiliori delectatione sensus retinent auditorum.

Qui fit igitur, vt multi hoc loquendi genere capiantur? quia fuco illi tam voluptatem solidæ iucunditati anteponunt. Iuuat enim ista audire blandius infracta.

Allegoriarũ dulcedo imponit auribus.

(Dum fauos loqueris, & per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labijs meis saporem epuli diuitis infudisti.

Ennod ep. 9 l. 1.

Et in Panegyrico Theodorici.

(Et adhuc in cano flore degebas adolescentiæ, nec virtutum messem lacteus ante experimentum culmus attulerat. Adhuc blanda erat imago pubescentis, nec tingens faciem lanugo vestiebat; quando æui purpura, & flosculus superuenientis imperij promittebat sollicitis, de gratiæ commutatione terrorem. Cum in

perturbationem roboris, & clementiæ tuæ, rupris vinculis furor emicuit: & euiscerata diuturna quiete mentes occasionis pabulo subiugauit.)

Nonnulla fateor hic dulcissimè renident: vt, Adhuc blanda erat imago pubescentis, nec tingens faciem lanugo vestiebat. Sed tamen quam sæpè cum vino fecem bibere coguntur, qui isto genere delectantur.

Nam rupta clementiæ vincula: & euiscerata quiete mentes, & occasionis pabulum, cui tandem, nisi duris auribus placere possunt?

Quis verò blanditias nominet? (Vellem ad orationis terminum victus gestorum tuorum enormitate descendere, & nouellas adoreas hebetatus priscorum luce transire.)

Sed esto placuerunt ista Gothico sæculo, & glacialibus (vt ipsi aiunt) fibris; minimè enim mirandum est. Hoc magis miror, quod Ennodius Ciceroni parum æquus aurum Demosthenis, & ferrum Ciceronis appellet, & Arpinatem (sic enim nominat) loquacitatis Sidonius insimulet. Ecquis stylus eo, in quem tèporis iniquitate magis, quàm sua voluntate deuoluti sunt, loquacior est, aut durior? Scilicet vbi Cicero habet, *Languet iuuentus*. Sidonius *Mussitat iuuenum nostrorum calcenta generositas*. vtrum loquacius? Vbi Cicero *Terram, aut herbas arescere*. Ennodius, (Cui si votiui negentur affatus, fatiscat vt terra, cui cœlo nihil liquitur, nec venas suas sueco bibali humoris infundit.) vtrum tumidius? quam verò inflata sunt, & rudia?

Ennodius dictionem Tully ferrũ Ciceronu appellat, eundem loquacitatis insimulat, sed immeritò, Sidonius.

Eat nunc, & cothurnatu relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui fama opulentiam peperit dos loquentium, vt per aduitricem facundiam videatur crescere rebus mendica laudatio: si Attica breuitas laudanda est, num vno verbo dici poterat *Alexandrum sua fama minorem extitisse*?

Miror quomodo se Atticos etiam penè dicere audeant, qui hanc styli rationem imitantur, modo ampullas istas obscuris aliquot, & tortis sententijs, quas vocant acumina, tamquam sesamo, & papauere aspergant. Distant certè ista ab auro Demosthenis, vt ab ære lupina.

Et tamen quantus est etiam hoc sæculo apud vernaculos scriptores huius styli pruritus? Nihil opus est in tanta scriptorum multitudine nominare quemquam, nimis occurrunt, nimis dulcibus vitijs apud imperitos, & sui similes leguntur, & placent: vtinam qui hanc insanam dicendi licentiam sequuntur, Illustriss. Cardinalis Perronij, atque integerrimi Procancellarij Verrij scripta legerent, & imitarentur potius, quam suo ingenio indulgerẽt. Hos enim vitios *veteris eloquentiæ nouam, & puræ Gallicanæ gloriæ ingenia* felix egregiarum mentium partu hoc sæculum dedit, quos mirari facilius est, quàm laudare.

Qualis stylus Cardinalis Perronij.

De stylo Miscellaneo, & antiquario.

CAPVT X.

VT vitia vitijs agglutinantur facillimè, ex eo stylo gradus sæpe fit in alterum, qui vocatur Miscellaneus: Nihil illo monstrosius, quippe non vno duntaxat errore contentus omnes omnium sordes complexus est. Itaque modò inflatur supra cothurnos etiam tragicos, modò infra soccum repit, modò dulcis videtur, & hilarius effluens, modò instar torrentis ad saxa violentor allisi strepere non desinit; Hic particulas versuum concisas videas, illic græcanica creberrimè permixta. Hic effossa penitissimæ antiquitatis ruderibus vocabula, illic noua, & recenter cusa, nonnulla etiam miro schemate interpolata. Alias grauitatis personam affectat, alias lasciuit puerilitèr, mox etiam succedunt frigora, ac nives: & quidquid in stylo prudentes verentur, ad summum fit

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Syli Miscellanei, & Antiquarij character.

Talis est plerumque Criticorum, non dico illorum, qui sunt melioris notæ, sed leuium, & audacium stylus, de quibus dubium est tumorene magis animi laborent, an orationis; vidi syllogitam aliquem cuius nomini & famæ parco, qui D. Augustinum his verbis reprehenderet.

Critici hoc vitio laborant.

Augustinus litterarum sacrarum proculdubio princeps, & vexillarius fœdo, pudendoque errore, miserque, & puerilitèr hallucinatus est, & quod mirius, non meminum incognibili macula. Vtrum os turpius, an stylus? Esto erraverit (quod tamen rectè negari potest, & accuratius in Criticis expendi) ideo ne Diuus ab homuncione ita fuit perstringendus? Non satis fuit dictum *fœdo, pudendoque errore* addendum etiam *miserque & puerilitèr*. En quò grammaticum ingenium pudore, & moderatione destitutum prorumpit audaciæ! En quibus sanctorum Patrum in tot gloriosis laboribus

Critici cuiusdam fastus & stylus.

A stylo puerili & miseri calumnia vindicatur Augustinus.

ver-

versata canities, vellicanda præbetur? sed ad stylum redeamus, & in eodem, vitiorum, quæ descripsi intueamur exempla. *Augustin⁹ literarum sacrarum*, inquit, *proculdubio princeps*, & hoc rectè: statim fœdat nitorem his verbis, *mirius & incognibili macula*: ex qua enim effodit maceria? addit, *Iamiam liuidulorum latratulum, vt eleganter inquit Apollinaru, cote liuoris acuminatas linguas, qua vtilia est garrire sciunt, illud loqui nesciant, garrire conspicor.* Sic enim in eius commentario scriptum inuenio, & hoc elegantiam vocat.

Inquinatissimi stylo exemplum.

Illud subinde, & identidem Plinianum euomentes, suspendio arborem eligendam, cum in Theophrastum hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum inde inuenerit, scripsisse etiam Leontinum fœminam constet. Exemplo pari hi blaterones, subducti supercilij vituperones, qui quod ignorant, eleuãt, me vellicabunt, taxabunt, & demorsicabunt, qui spreta viri in omni doctrina tanti, eiusdemque apotheosi, obstrigillari tantillus, & indoctus videam. Caterum reliqua, vt inquit Plinius, exustioni sua hominum turbu, ad cœpta redeamus. Nos enim ingenuè profitemur, nec vt Ciceronianam dictionem vsurpem muginamur, atque tergiuersamus, quin multa sint, quæ sicut non omnia sigillatim nouimus, ita non omnia nesciro. Extet in re simili Heraclitia vti paræmia, de qua meminit Aristoteles in decimo libro de animalibus. Eam dixisse ferunt Heraclitum (Sic enim in eius commentario legitur, quamquam benignè interpretatus, maso errorem librarijs imputare) *ad eos qui cum alloqui eum vellent, quod fortè in casa quadam furnaria caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt. Ingredi enim eos fidenter iussit, quoniam, inquit, na huic quidem loco Dij sunt immortales. Eodem dicterio intemperiem horum libitinarum rabiosorumque rabularum diluam. Vt affirmem nostra hæc non nimium nihil esse, quin saltem subsit aliquid probi, & integelli, & si candidus aure, Nec matutina si mihi fronte venu.* Abunde vitiosus est hic stylus, & ipsum penè vitium. Vis ampullas, & tumores? *Cote tumoru acuminata linguæ vellicant, taxant, demorsicant*, &, quod ex Ciceronis epistolis vsurpat, *muginamur.* Qui venit homini in mentem, vt istud verbum conquireret? Omnia, credo, Ciceronẽ legẽs, culta, facũda, & plane aurea prætermisit: In hoc vno quod eũ Attico suo familiarissimè iocatus dixit ex Lucilio, hæsit auidius, & quasi gemmã inuenisset, statim suis cẽtonibus intexuit. Quid aliud muscæ faciũt? quę vt ait D. Basilius, politissimum manus cãdorem celerrimè

Aduersus eos qui praclara quæq; prætermittentes sutrida seligunt.

percursant, eoque minimè afficiuntur: At si quid fortè scabiosum inuenerint, hoc delicias suas ratæ suauius deosculantur. Ita hic author lectissimas quasque Ciceronis dictiones præteruolat, hoc quod per iocum dixit, Lucilium referens, arripit, & non *muginamur*, inquit; hæc profecto, si nihil aliud est, Κακοζηλία est, quam importuna. Vis deinde Parenthytsum? exclamat in nugis *Libitinas rabiososque rabulas*, vis puerile? *Liuidulorum latratulum: non nimium nihil: aliquid probi & intelligi.* Vis poeticũ? *Candidus aure Matutina fronte.* Vis frigidum? *In casa furnaria Heraclitus dixit, Deos esse immortales. Igitur & in meu scriptu, quibus D. Augustinum castigo, aliquid erit probi & integelli.* Num hoc Scythica hyeme frigidius? quid deinde illa antiquitatum perpetua, vbi nihil opus est, & affectata prurigo, aliud arguit, quàm iuuenilis ingenij ostentationem? At dices hæc tantum in Criticis: imo etiam in epistolis ad amplissimos viros, in quibus verecundia, si vnquam alias, & nitor accuratæ dictionis requiritur. At ille (tãta est huius stylj, vbi prurientes animos semel occupauit, insania.) Accipe splendidissime, & Vltramontane Marchio reuerẽdissime Protonotarie, colende Pattone, hæc quaeliacunque annotamenta, quæ sub nomine tuo vti tutiora sint, & gratiora calchytypis notis dispalescere, inuulgarique curauimus, & fortassis ab hoc legentur, quoniam tui nomini venerabili, micantissimo, radioso per ora cuncta diffusili dicata sunt; siquidem genius est operis, & perennitas æuiterna, Principi opus dicare, qui Deus terrenus est, & mortalis Iupiter, qui vno tantum minor est Ioue) Num videtur ad Luciani Sosipolin hic stylus remittendus? Sed minimè mirum est, si ita loquatur auctor, qui Lucium Apuleium florentissimi styli, nitidissimique characterissimi scriptorem nominat ô tenebras! Deindè librum suum ita alloquitur:

Stylus epistolaris ad compellendos amplissimos viros deterrimus.

Ad Luciani Sosipolin hic stylus remittẽdus vt ejciatur vomitorio.

I liber, Hannibalis genio sufflatus, & aura,
Nec tu ne sutum Rhinocerota time.
Inuida doctiloque poterit mag: esse Philippo,
Quam fieri possit emula posteritas.

Huic auctori, ne quid acerbius dicam, & saniorem stylum, in discutiendis sanctorum scriptis, maturius iudicium, aut moderatiorẽ verecundiam defuisse arbitror. Sed tamen hæc dicendi ratio tam insana multos oblectat. Quorsum? habet speciem aliquam eruditionis, dum diuersa antiquorum authorum figmenta coagmentat, arripit etiam obscurissima quæ-

Cur stylum antiquariũ sequantur nonnulli.

Stylus doctus, & antiquarius.

Sidon. ep. 7. l. 1.

Idem ep. 7. l. 1.

Hoc stylo describitur villa Apollinaris li. 2. de qua in descript.

que adagia, & tenebricosas historias, & iactātiam eruditionis prope puerilem. Hoc enim charactere potissimum dignoscitur. Multa huiusmodi sunt apud Sidonium Apollinarem. Ennodium, Apuleium, qualia sunt ista. *Hac enim fronte possemus fluminibus aquas, syluis ligna transmittere*, parum est ita eloqui, quod ille vno verbo, *noctuam Athenas*. Addit, *Hac enim temeritate Apellem peniculo, cœlo Phydiam, malleo Polycletum muneraremur*, & (Hi sunt quorum comparationi digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinus, & Pallas. Hi sunt, qui inuident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredarijs, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia prouincialibus, flamonia municipibus, arcarijs pondera, mensuras allectis, salaria tabularijs, dispositiones munerarijs, prætorianis sportulas.) &c.

Hoc igitur pacto, & sæpissimè per hanc figuram multas antiquitates variè conquisitas, vna periodo congerunt, & conantur in singulis implicare lectorem.

Stylus prouerbialis.

Vide Tertull. lib. 4. aduers. Marc. c. 21. aduers. Valent. c. 3. num. 23. ad Martyr. c. aduers. Valent. 16. Polybium, lib. 16. Hermog. de Ideis, &c.

Alij prouerbia, quæ simplici quadam gratia venustare solent orationem, modò, quasi gemmæ intermicent, non offundant, omnia, in vnam veluti patinam cōgerunt, & sicubi apud Helladium Besantinorum, Tertullianum, & cæteros latet quid occultatum, eruunt, distortarumque obscuritatum texunt veluti fasciculum. *Et vnde (inquiunt) de AEsopi puteo Asinus? Lamiæ turres* primum videbantur eius dicta: at postquam ad *scamma productus est*, non *Hieram quidem fecimus*, sed statim, ac *Mappa missa est*, qui *Scipione militarior* audiebat, visus est *Ficulneus, micas infercire, & peponem cordis loco habere*. Vbi per *lineam caudem diu serram reciprocauimus, tandem ille, sicut Istri fallacior, Hypobrychium irrespirabile accepit*. Hæc tam diuersa & in diuersissimis locis dicta, vno nexu vinciunt, vno spiritu pronunciant, quod cum expeditissimè dicunt, mirandas apud imperitos colligunt ἐπιφωνήσεις, qui eas solent mirari impensius, quæ sunt ab eorum sensu, intelligētiaque disiuncta.

Antiquitates acuminibus mixtæ, & nescio quid floridæ dictionis.

Ennod. in

Hæc si venustulis figuris, & acuminibus, cum aliqua ridentis orationis lasciuia temperentur, tunc præ gaudio sitientes auriculas abripiunt, qualis est ista Ennodij oratio. Nam præterquam, quod antiquaria est, delicatissimum florem præfert dictionis.

Sed nec formę tuæ decus inter postrema numerandū est, quando regij vultus purpura, ostrum dignitatis irradiat. Exhibete, Seres, indumenta, precioso murice, quæ fucatis, & non vno aheno bibētia nobilitatem tegmina prorogate. Discoloribus gemmis sertū texatur, & quem vehementior vipera custodit, lapis adueniat. Quæcunque ornamenta mundo obsequente transmissa fuerint, decorata venerandi genio corporis plus lucebunt. Statura est, quæ resignet prolixitate regnantem. Nix genarum habet concordiam cum rubore. Vernant lumina serenitate continua: dignæ manus, quæ exitia rebellibus tribuant, honorum vota subiectis. Nullus intempestiuè positum iactet. Quia quod agunt in alijs Dominis diademata, hoc in rege meo operata, est Deo fabricante, natura.

Paneg. Theop. Formosi descriptio, stylo antiquario, ex Ennodio.

Quid de hoc stylo sentiendum.

Demus iterum veniam sæculo, & illi, qui ista in æstu ætatis, & Rhetoricorum, qualia tūc vigebant, studiorū cursu scripsit. Nulla tamen ratione hic stylus in imitationem trahēdus est imperitis adolescentibus, qui in deteriora crebrius abripi solent. Est enim ab eloquentia lōgè disiunctus, & vt liberè fatear, styli morbus quidam potius, quam vlla facūdiæ species, aut solidum gloriæ simulachrum. Et quanquā ingenio in hac dicendi prurigine imperare difficillimum est: tamen si quis seriò tot prudentissimorum hominū iudicia, qui hanc loquēdi rationem condemnarunt, spectare volet, desinet in eo sibi placere, & cum ad ingenij maturitatem adoleuerit, has pueritiæ phaleras irridere, nec squallentis sæculi incultam barbariē, potentissimorum ingeniorum disciplinæ, vlla ratione putabit anteponendam. Erit autem adolescentibus ab his vitijs cauere facillimum, si ipsis studiorum initijs vnum Ciceronem, & pauculos, sanosque historicos lectitent, ne nimia doctrinę, quam auidius aliquando concupiscunt, ambitione, perpetuam styli iacturam faciant.

Quomodo cauendum.

De stylo humili & rudi.

CAPVT XI.

HActenus ea styli genera persequuti sumus, quæ in sensuum, verborumq; tumore versantur: nunc etiam ea, quæ istis ex æquo sunt opposita, discutiamus. Sed antequam ad optimum dicendi characterem deueniamus, etiam nonnulla quæ per defectum contingere solent vitia, sunt obiter expendenda. Occurrit primùm styli humilitas, in quam pauci admodum

Humili stylo pauci laborant.

modum scriptores sua sponte incurrerunt, ita omnem, vt in vita ignobilitatem, sic in stylo exilitatem fugiunt, maluntque, vel per tumorem à recto dicendi genere excidere, quam per humilitatem videri minus ingenioſi.

Μεγάλως ἀπολιδάνειν ἁμάρτημ' εὐγενές.

Quomodo fiat humilis stylus.

Contingit autem humilitas in stylo duobus modis, vel per sensuum exilitatem, vel per tenuium verborum abiectam compositionem. Sensus humiles fiunt, cum minutulas res putidiusculè discutiunt: verba contempta, cum aut delectu carent, aut structura.

Grauium & humiliũ authorum discrimen.

Graues igitur authores, lectissimos quosque sensus, quasi *florem principatus*, inter sese copulantes digerunt, è quibus existit ea, quæ omnium ore laudatur orationis amplitudo: At pusilli, inter auri etiam, & argenti, quæ sclegerũt lumina, arenam, ramenta, & quisquilias inferciunt, quibus excitatam illam sermonis pulchritudinem planè corrumpunt. Talem hunc Theopompi locum iudicat Longinus:

Theopõpus apud Longin p. 64. edit. Crisp.

Ποία γὰρ πόλις ἢ ποῖον ἔθνος τῶν καλὰ τὴν Ἀσίαν οὐκ ἐπρεσβεύσατο πρὸς βασιλέα; τίς δὲ ἐκ τῆς γῆς γενομένων, ἢ τῶν κατὰ τέχνην ἐπιτελεσθέντων καλῶν ἢ τιμίων οὐκ ἐκομίσθη δῶρον αὐτοῦ; οὐ πολλαὶ μὲν καὶ πολυτελεῖς στρωμναὶ καὶ χλανίδες, τὰ μὲν ἀλουργεῖς, τὰ δὲ ποικίλαι, τὰ δὲ λευκαί; πολλαὶ δὲ σκηναὶ χρυσαῖ, κατεσκευασμέναι πᾶσι τοῖς χρησίμοις, πολλαὶ δὲ ξυρίδες καὶ κλῖναι πολυτελεῖς. ἔτι δὲ καὶ κοίλου ἄργυρου καὶ χρυσὸς ἀπειργασμένου, καὶ ἐκπώματα καὶ κρατῆρες, ὧν τοὺς μὲν λιθοκολλήτους, τοὺς δὲ ἀκριβῶς καὶ πολυτελῶς εἴδεσιν ἂν ἐκπεποιημένους· πρὸς δὲ τούτοις ἀναρίθμητοι μὲν ὅπλων μυριάδες, τῶν δὲ μὲν Ἑλληνικῶν, τῶν δὲ βαρβαρικῶν· ὑπερβάλλοντα δὲ τὸ πλῆθος ὑποζύγια, καὶ πρὸς κάλλος πλὴν ἱερεῖα εἰς ταῦτα. καὶ πολλοὶ μὲν ἀρτυμάτων μέδιμνοι, πολλοὶ δὲ οἱ θύλακοι, καὶ σάκκοι, καὶ χάρται βιβλίων, καὶ τῶν ἄλλων χρησίμων· τοσαῦτα δὲ κρέα τεταριχευμένα παντοδαπῶν ἱερείων, ὡς σωροὺς αὐτῶν γηλοφίζειν ὥστε τοὺς προσιόντας πόρρωθεν ὑπολαμβάνειν ὄχθους εἶναι, καὶ λόφους ἀνωδυμένους.

Quæ enim ciuitas? aut quæ gens Asiatica, non misit legatos ad regem? Quæ verò aut terra orta, aut arte elaborata pulchra, & pretiosa non sunt ad eum delata, & dono data? Multę quidem stragulę vestes, & lanæ, partim pur-

Humilis in sensib. stylo exemplum.

pureæ, partim variegatæ, partim albæ. Multæ etiam tabernacula aurea, instructa omnibus necessarijs. Multæ trabeæ, & lectuli speciosi. Præterea argentum factum, aurumque elaboratum, & cyathi, & crateres, quorum alios videre erat gemmis distinctos, alios exquisito artificio pretiosaque materia factos. Ad hæc inerant armorum genera innumera, tam Græcorum quàm Barbaricorum. Et iumenta omnẽ numerum excedentia, quæ incisas carnes deferebant. Multi quoque condimentorum medimni, multi thylaci, & sacci, & chartę librorũ, & aliarum rerum ad victũ necessariarum. Tot verò carnes salsæ omnis generis animantium, vt cumulos efficerent tales, quales, qui eminus videbant, tumulos, aut colles esse arbitrantur. Hæc irridet Longinus, qui hominem ait ista humilitate sermonis ἀαγείᾳ τινὰ φαντασίαν fecisse. Sunt tamen in historico tolerabilia, quæ in oratore proculdubio ridicula viderentur. Atque idcirco callidè declinauit Iulianus in Encomio Eusebiæ imperatricis. Neque enim adeò se ineptum esse dicit, vt exquisitarum vestium, ac donorum omnis generis, & monilium, ac coronarum, ab Imperatore missarum, ingẽtem catalogum instituat; nec quẽadmodum huic venienti populi exceperit, & gratulantes obuiam processerint; nec quę per totam viam eximiè, præclareque gesta, atq; instituta. Addit autem præclarum dictum de oratoribus, qui istas minutias persequuntur.

Iulianus à minutijs prosequendis cauet.

Λέξει δὲ καὶ κοσμῶν καὶ ὁπλοποιῶν τὰ φαῦλον, καὶ ἀγενὲς διηγημάτων γελοιότερον νομίζει τοὺς ἀποτορεύειν τὰς λεγχίας ὁπηχειρέντων, καθάπερ, οἶμαί φασι τὸ Μυρμηκίδιον ἀνιαστόμενον δραπέτην τέχνην. Qui narratiunculas rerum nonnullas vlies, & contemptas orationes suauitate ornare, atque expolire studet, aliquãdo magis ridiculi sunt, quàm qui in tornando milio operam ponunt, & opellarum fabricati minutias, quasi vetus ille Myrmecides, audent aduersus Phidiam, operum maiestate præstantissimum, decertare.

In eos qui minuta quaq; prosequuntur. Iulianus in Encomio Eusebia. Qui dicuntur tornare milium.

Et hæc de tenuitate sensuum elegantissimè dicta sunt; quod ad verborum humilitatem attinet, huiusmodi à Cicerone fingitur, & affertur exemplum. (Nam istic ad balneas accessit, ad hunc postea dixit. Hic tuus seruus me pulsauit, postea dixit hic illi, Cõsiderabo, post ille conuitium fecit, & magis, magisque præsentibus multis clamauit.

Humilitatis in verbis exemplum ex Cicerone 4. ad Her.

Eo stylo multa extant in sacris literis, quas non gentium phaleris excoli voluit Deus, vt in nuda sermonis simplicitate prępotentis spiritus clariora essent miracula. Ita loquutus est humilis vbique D. Franciscus.

D. Francis. in testamēt. Eius humilitas in verbis.

Dominus dedit mihi fratri Francisco incipere facere pœnitentiam: quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos. Et ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis, & recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarū, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ, & corporis. Et postea parum steti, & exiui de sæculo, &c.

Ita Sanctus Edmundus Archiepiscopus Cātuariensis.

Edmundus in speculo Ecclesiæ.

Ante meridiem debes cogitare de annunciatione, & de passione De annunciatione, cogitabis de misericordia Dei nostri, quia voluit homo deuenire, & mortem pati pro nobis in sua humanitate, cùm alio modo potuisset nos redemisse, & totum hoc nobis fecit, vt sibi attraheret nostrum amorem.

Sanctorum stylus plerūque ferreus, mens aurea.

O mitem sanctorum simplicitatem! stylum certè plerumque habent ferreum, sed mentem auream. At magna pars oratorum proh vanitas! linguam inaurat, & ferreis moribus viuit.

De stylo fluctuanti & dissoluto.

CAPVT XII.

ESt & aliquod styli genus; quod fluctuans vocatur, & dissolutum, cuius disertè meminit Cicero ad Herennium.

Quid sit stylus fluctuās ac dissolutus Cic. l. 4. ad Heren.

Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si peruenire eo non poterunt; errates perueniunt ad confine genus eius generis, quod appellamus *fluctuans & dissolutum*: eo quod sine neruis, & articulis fluctuat huc, & illuc, nec potest confirmare (mallem conformare) nec viriliter sese expedire. Huiusmodi autem affert exemplum.

Exemplum styli fluctuantis.

(Socij nostri cum belligerare nobiscum vellent, profectò ratiocinati essent, etiam atque etiam, quod possent facere, si quidem sua spōte facerent, & non haberent hinc adiutores multos, & malos homines, & audaces; solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt gerere.)

Non potest huiusmodi sermo tenere attentum auditorē. Diffluit enim totus, neq; quicquam comprehendens perfectis verbis amplectitur: & rectè quidem iudicat. Nam videtur hæc veteris cuiusdam oratoris è schola minimè politi horrida, & inculta prorsus oratio. Perpende singula, nullum verbum inuenies, quod aculeum habeat, aut florem, vel quod delectum vllum præ se ferat; *profectò ratiocinati essent, malos homines, magna negotia volunt gerere*; hæc ad humilitatem quotidiani sermonis abiecta. Deinde quæ compositio, & structura? *Socij nostri cum belligerare nobiscum vellent*, quid simplicius? & hæc quæ debebat esse excitatior sententia in clausula, quam humiliter repit? *solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt gerere.*

Lentitudo quid?

Hoc vitium alias appellatur à Seneca *lentitudo*, graditur enim (vt ait Comicus) testudineo gradu, modò inchoat, modò inchoatum, verbi, aut numeri penuria cogitur abrūpere. Modò hęret in salebris Rhythmorū, modò in cęno & inquinatis dictionibus. Modò conatur emergere, & periodum aliquam voluit nō inscitam, hanc sub finem lacerat, & peruertit. Ægrè incipit, deterius sæpe claudit. Diuidit multa, nec comprehendit. Ex alio prosilit in aliud, nullo ordine, serie nulla, denique post longa, & inanem digressionem, redit ad id quod occœperat. *Et reuertamur (inquit) tandem ad propositum reuertamur.* Contingit hæc lentitudo ijs, qui minimè sunt in stylo exercitati, aut certè tardius habent ingenium, memoriamque imbecilliorem. Et cum toto orationis cursu sese promat, nusquam tamen clarius apparet, quā in transitionibus, neruisque, & articulis orationis, in quibus cum sæpissimè peccant, totum orationis corpus lentum faciunt, ac dissolutum. Nihil tam aduersus hoc vitium facit, quam continua lectionis, dictionisque exercitatio, qua paulatim euincitur difficultas, & ex suo se veluti cortice promit ingenium.

Charact. lenti, & fluctuantis styli.

Lenti ac dissoluti styli corrigendi ratio.

De stylo sicco, & exangui.

CAPVT XIII.

COmmune vitium est, modum in rebus tenere nō posse, quod idem in stylo familiarissimū Alter (inquit) Seneca se iusto plus colit: Alter se iusto plus negligit: ille & crura, hic nec alas quidem vellit. Quidam enim dum inflatum stylum fugiunt, eò deueniunt religionis, vt omnibus orationē spolient ornamentis.

Difficilis in stylo mediocritas.

Stylus exãguus sine ornamentis.

mentis. Diceres eos sanctè iurasse, se ne metaphoram quidem vllam in scriptis vsurpaturos: omnia quidem liquidè, sed ita exiliter dicunt, vt nullo culcu expolita placidius vnquã fluat, nullis luminibus decorata excitatius sese efferat oratio. Deinde illi se Atticos dicunt, quos præclarè Cicero confutat.

In eos qui cum sine ficci, Atticos se dicũt. Cicer. in Bruto.

(Nam si quis eos, qui nec ineptè dicunt, nec odiosè, nec putidè, Atticè putat dicere: is rectè, nisi Atticum probat neminem. Insulsitatem enim, & insolentiam, tanquam insaniam quandam orationis odit, sanitatem autẽ, & integritatem, quasi religionem, & verecundiam oratoris probat. Hæc omnium debet oratorũ esse sententia. Sin autem, ieiunitatem, & siccitatem, & inopiam, dummodo sit polita, dum vrbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc rectè dumtaxat: sed quia sunt Atticis alia meliora, videat ne ignoret, & gradus, & dissimilitudines, & vim, & varietatem Atticorum. Et in libro de optimo genere oratorum. Est enim vitiosum in sententia, si quid absurdum, aut alienum, aut non acutum, aut subinsulsum est. In verbis si inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum, si longè petitum. Hæc vitauerunt ferè omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè. Sed quatenus valuerunt, sani, & sicci duntaxat habeantur, sed ita vt palæstritæ spatiari in Xysto, ijs liceat, non ab olympijs coronam perant. Qui cũ careant omni vitio, nõ sunt contẽti, quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinẽ quærunt, quãdam etiã suauitatẽ coloris.) Hæc Cicero, quibus eos refellit, qui se nomine siccitatis, quasi de meliori nota Atticos commendabant. Verùm oratio sicut corpus hominis, ea demũ pulchra est, in qua nõ eminent venę, nec ossa numerantur, sed tẽperatus, ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris, ipsos quoque neruos rubore tingit, ac decore coronat (inquit Tacitus) Atticè dicere, nõ est siccè dicere, alioqui Atticus non fuisset Pericles, qui tonare, fulgurare, permiscere dictus est ciuitatẽ. Quæ profectò nunquam tot, & tãta, hoc enecto, atque exili dicendi genere, quod Atticum vocant, præstitisset. Qui igitur vltimi generis Attici, hoc est exiles, & exsucci? Isæus (opinor) & Lysias.

Idem lib. de optimo genere orator.

Non est sanus carere vitio.

Oratio humano corpori comparata.

Atticè dicere, non est siccè dicere. Pericles Atticus.

Talis enim est hic character:

Exemplum styli exilis. Lysiæ in

Ἀναγκαῖόν μοι δοκεῖ εἶναι, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, περὶ τῆς φιλίας, τῆς ἐμῆς καὶ τῆς Φερενίκου, πρῶτον εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς. ἵνα μηδεὶς ὑμῶν θαυμάζῃ, ὅτι ὑπὲρ οὐδενὸς ὑμῶν πώποτε εἰρηκὼς πρότερον ὑπὲρ τούτου νυνὶ λέγω. Ἐμοὶ γὰρ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ξένιος ἦν Κηφισόδοτος, ὅτε τοῦτ' ἐγὼ πατὴρ καὶ ὅτε ἐφευγόμην ἐν Θήβαις, παρ' ἐκείνῳ κατηγόμην, καὶ ἐγὼ καὶ ἄλλοι Ἀθηναίων ὁπόσοι φεύγομεν. καὶ πολλὰ, καὶ ἀγαθὰ, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ παθόντες ὑπὲρ ὧν εἰς τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν κατήλθομεν· ἐπεὶ οὖν οὔτε τὰς αὐτὰς τύχας ἐχρήσαντο, καὶ φυγάδες Ἀθήναζε ἀφίκοντο, ἠθέμην τὴν μεγίστην αὐτοῖς ὀφείλειν χάριν, οὕτως οἰκείως αὐτοὺς ὑπερεδεξάμην, ὥστε μηδένα γνῶναι τῶν εἰσιόντων, εἰ μήτις πρότερον ἦλθε, ὁπότερος ἡμῶν ἐκέκτητο τὴν οἰκίαν.

orat. pro Pherenico.

Sicca quidem est hæc oratio, & ab omni ornatu tam aliena, vt idiotæ cuiusdam sermo esse, vel ipso Dionysio Halicarnassensi teste, videatur.

Lysiæ siccus & ieiunus.

Necessarium mihi videtur (Iudices) de amicitia, quę mihi est cum Pherenico, primum dicere apud vos. Ne quis vestrum miretur, quod ego, qui pro nemine vnquam dixerim antea, hanc eius causam susceperim. Mihi enim (Iudices) hospes fuit Cephisodotus huius pater, & cum exularemus Thebis, apud ipsum diuersatus sum, & quisquis alius Atheniensium voluit: & multis quidem beneficijs ab ipso priuatim, publicèque affecti, in nostram ipsorum patriam rediuimus. Postquam verò illi eadem fortuna vsi sunt, & fugitiui Athenas deuenerunt, ratus me maximam ijs debere gratiam, tam familiariter eos excepi, vt nemo eorum, qui nos adibant (nisi qui prius resciuisset) vter nostrum domum, quam incolebamus, possideret, dignoscere facilè posset.

Neque putes eo tantum loco Lysiam ita dicere, constat enim sibi fermè in omnibus, & tanta ieiunitate loquitur, vt difficilè sit apud eum illustres metaphoras inuenire. Hæc ne ad modicas quidem orationes sustinendas, satis habere videntur dignitatis, ita religiosè sunt attenuata, nec supra epistolarem characterem videntur assurgere. Quamobrem, qui ita loquuntur, si epistolas scribunt, sani quidem sunt, si orationes paulò mediocres, vel etiam magnas hoc stylo aggrediuntur, similis ijs videntur, qui cum naumachiam luserint in pisci na, classem velint in oceano regere. Alius est in Baiano sinu, alius in Hellespõto certãdi mod⁹. Quis ferat hominem hac sermonis humilitate

Aliud est in piscina, aliud in Hellesponto cõmittere naumachiam.

sibi

sibi palmas eloquentiæ iactantius arrogantē? Nunc autem ad ea tempora venimus, vbi non modò hæc ariditas, ieiunitasque sermonis pro vitio sit, sed ipsa Ciceronianis pigmentis affluens oratio, nisi sententiarum vim, ac densitatem, & ex omni eruditione attemperatam varietatem contineat, placere doctis auribus non possit. Itaque qui se vni Ciceroni ita addixerunt; vt nefas esse putent lectissimas aliorū authorum dictiones, & ex optimis quibusq; ingenijs collectam doctrinæ, veluti auream segetem, opportunè, & loco expromere; id quidem assequuntur, vt sani, politi, elegantes, ornati, vberes audiant; hanc autem, quæ in præstantissimo quoque oratore expectatur, dicendi admirabilitatem suo, quod delegerunt exēplari semper inferiores, vix obtinere possint.

De acuta styli breuitate, sententijsque abruptis, & suspiciosis.

Eius ortus, & progressus.

CAPVT XIV.

VEnio ad eum stylum, qui Patronos habet non paucos, admiratores multos, quamplurimos amatores: Quem ego si repudiare prorsus velim, malè de totius eloquentiæ ratione sentiam. Non ea mihi mens, non illud est institutum, heroas illos Senecam, Salustium, Plinium, Cornelium Tacitum, & cæteros, qui hoc dicendi genus non minus grauiter, quā feliciter cōsectati sunt, incusare, quos & acerrima vis ingenij, & lux politissimi iudicij, & omnium fermè doctorum plausus, non modò calumniæ liuore, sed ab ipsa propè eruditionis alea constanter expedierunt. Hoc tātum ostendere cupio, hunc quem omnes tam auidè concupiscunt stylum, nec omnium ingeniorum, nec omnis argumenti, nec omnis etiam temporis proprium videri; atque ipsum dum affectatur morosius, multis, ijsque puerilibus ineptijs reddi obnoxium.

Quando vigere cœperint acumina, & breues sententiæ.

Cœpit efflorescere hic character, non apud Romanos, sed apud Græcos, nec primis quidē temporibus, quibus cādidior, & liberiori profluentis naturæ impetu ferri videbatur oratio, sed postquam magni nominis sophistæ, Philosophiæ præceptis instituti, nec mediocribus eloquentiæ adiumentis innixi; dicta quædam aurea ex Lycæi, & Academiæ hausta fontibus, elegantis styli expeditis, ac vibrantibus sentētijs, quasi auro gemmas includere cœperunt. Quamobrem & multa eius styli vestigia, in sophistarum scriptis licet agnoscere. Vide enim, qua arte Theophylactus ille vmbratiliū doctorum facilè princeps, acutis & venustulis dictis lasciuiam colligit orationis:

Theophylactus præclarissimus sophista hoc dicendi genere maximè delectatus.

In Terpsitheam malam, & deformem, τὴς φύσεως τὴν σοφὴν παιδαύμαχον, κακίστην ψυχῆ σώματος ἐυτρέπειαν μὴ παραδεξάσθαι. Hoc rotunda dictione tornatum Naturæ, inquit, miratus sum sapientiam, quæ improbissimæ animæ, corporis non credidit venustatē; illud etiam breuius, οὐκ ἐπορρόπου ἔχθειν ἐρωτες πλάστγγα: Nunquam lancem tenent amores in æquilibrio, cum significare vellet, nunquam sibi mutuis studijs amores respondere.

Acutè dictū Theoph. in corpore deformes.

Theoph de amore mutuo dictum.

Theophyl. in ep. 39. Eius breues & acutæ sententiæ p. 408. pag. 399.

Item.

Ἐρασάθωσαν πρὸς θεῶν αἱ νεφέλαι, εἰ μόνῳ τῷ Δάφνωνι ἀφιᾶσι τοῦ ὕδατος. Valeant per Deos nubes si soli Daphroni emittunt aquas. Acutè dictū contra Inuidos, atque auaros, atque illiberales, qui in suam, suorumque, non in publicam vtilitatem emanare sinunt beneficia.

Theoph. acutè dictum contra Inuidos aut auaros. Pag. 399.

Item, quod de auro dixit. Rheno fluuio simile videri; nam prolem virtutis legitimam, ab illegitima discernit.

Pisistrati limata breuitas.

Καθάπερ Κελτικῷ ποταμῷ ὅστις ἐρεμνὸν χρυσὸν νόθον γὰρ ἀρετῆς καὶ κακίας ἔλεγχος ἐστιν ἀληθέστατος. Hoc non modò subtiliter dictum, sed elimata dictione pressum: & quod Platoni tribuunt de ijs qui insignia habent in sepulchris. Πίεσμα κόνεως ἐπιγράψας τὸ φύσημα. *Infra cinerem et am superbientes* Num verò & hæc Pisistrati siccolentam habent, & acrem, & limatam breuitatem, quæ fertur ad Milesios scripsisse?

Pisistrati in ep. ad Milesios. Huius dicti si vis acutæ credibile est hæc potius ab aliquo iuniori sophista conficta, quam primo eloquētiæ ortu iam nata.

Οἱ παῖδες ἐξ ὑμῶν, πατέρων δέονται· οἱ νέοι, γερόντων· αἱ γυναῖκες, ἀνδρῶν· οἱ ἄνδρες, ἀρχόντων· οἱ ἄρχοντες, νόμων· οἱ νόμοι, φιλοσόφων. οἱ φιλόσοφοι, θεῶν· οἱ θεοὶ πίστεως. Vestri liberi egent parentibus, iuuenes senibus, mulieres viris, viri Magistratibus, Magistratus legibus, leges Philosophis, Philosophi Dijs, Dij vestri fide Hoc acutum, & ad vellicandas aures aptissimum.

X. Oratores acutis & breuib. sent. insignes.

Demades in oratione περὶ τῆς ἐλευθερίας.

Neque tamen omnino decem oratores caruerunt hac eloquentia, apud quos licet vestigia multa agnoscere. Quale est illud Demadis πολυθρύλλητον.

τῷ

Τῷ γὰρ Ἐπαμινώνδᾳ σώματι συνέθαψε
Τὴν δύναμιν τῶν Θηβαίων ὁ καιρός.

(Cum Epaminondæ corpore virtutem Thebanorum sepeliuit fortuna.) Multa item in Epitaphio Lysiæ, multa in Demosthenis orationibus inuenies, sed nusquam crebriora, quàm apud eos qui floridius quoddam & accuratius dictionis genus elegerunt. Inter sacros verò auctores excellunt Gregorius Nazianzenus, & Synesius. Quid enim aliud arguũt quàm hanc ingenij subtilitatem, concisæ illę & euibratæ epistolæ, aut in epicherematis collectæ sententiæ.

D. Greg. Nazianz. & Synesius in acuta breuitate præstantissimi. Gregor. ad Nicobulum.

Φεύγεις διώκοντας, ἴσως νόμοις ἐρωλέκοις, ἵνα σεαυτὸν ποιῇς τιμιώτερον. ἦκε οὖν, καὶ ἰῶν τὴν τῷ μαχρῷ χρόνῳ ζημίαν ἀναπλήρωσον ἡμῖν. ᾗ ἔστι σε τῶν αὐτόθι κατέχοι, πάλιν ἀφῇσεις ἡμᾶς ὡς ἂν σεμνότερόν ῃς πάλιν ποθούμενον.

Fugis persequentes, amatorijs fortè legibus, quò sis pretiosior. Veni igitur, & diuturni temporis exple detrimenta: Ac si quid rerum tuarum te istic retinet, rursum nos relinques, vt augustiorem hac ratione te reddas, à nobis expetitus.

Hæc oris rotundi sunt, & viuidi, vt apparet, ingenij: eodem charactere Synesius:

Synes. Olymp. 45. Homo, Dei vmbra. Lictores manus legum.

Λυπῶσι τὴν ἐκκλησίαν ἀλλότριοι πονηροί. διαβλῆθι κατ' αὐτῶν· οἱ πάτριοι γὰρ πατρίοις ἐκκρέονται.

Contristant Ecclesiam improbi alieni. Tu in eos proficiscere: claui clauis pelluntur. Eodem genio sententiæ: τῷ ὑὸς θεῷ πάντος διακόσμῳ σκιὰ τὸ ἀνθρώπινον. Ἐνδήμοις χεῖρες τὸ νόμων. Μέγιστον ἀγαθὸν τὸ μὴ ἁμαρτεῖν. δεύτερον, δικαιωθῆναι.

Maximum bonum non peccare: secundum, iustificari.

Ἀγαθοποιεῖν φύσις θεῖ, ὡς τὸ πορὸς τὸ θερμαίνειν· καὶ τὸ φωτὸς, τὸ φωτίζειν.

Idem cõtra Androm.

(Benefacere est naturæ Dei, sicut ignis, calefacere, & lucis, illuminare.)

Latina eloquentia & cõcisas sent. vsurpauit. C. Gracchº ipsis Romanæ eloquentiæ primordijs tẽtauit aliquid in hoc genere.

Non opus est hic innumeros commentari locos, licet cuique ex fluuio haurire. Hoc eo tantum dico, vt appareat, quantum, & quàm prudenter eo dicendi genere, Græca eloquentia sit delectata, Romanis item aliqua fuisse simulachra ab ipsis eloquentiæ incunabulis, C. Gracchi in Popilium oratio indicat. In cuius (vt ait Gellius) principio collocata verba sunt accuratius, modulatiusque, quàm veterum oratorum fert consuetudo.

(Quæ vos cupidè per hosce annos appetistis, atque voluistis: ea si temerè repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupidè appetijsse, aut nunc temerè repudiasse dicamini.)

Rotunda est, & acuta, vt videtur sententia, habet tamen insigne vitium, de quo postea dicemus. M. Tullius Cicero, licet ad omnia eloquentiæ decora factum haberet ingenium, consultò aut abstinet, aut rarius vtitur, quod & temporibus, & auribus hoc dicendi genus non putaret accommodatum. Itaque quod a- *Quã verelius in cõclusione, post vibratam fortè ex eius- cundus Cimodi acuminibus periodum, haud timidè di- cero in acuxisset apud Cæsarem: Tu ipsam victoriam Cæminibus.*
sar vicisti; Ille verecundè se insinuans, vereor (inquit) vt hoc quod dicam non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. *Ipsam victoriam vicisse videru*, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ iudicio conseruati sumus.

Habuit igitur sua acumina, sed rara, modesta, & grauia, quale est illud diu, multumque celebratum *vxor generi, nouerca filij, filia pellex*, quo nihil potest esse in hoc genere admirabilius, sed ne multiplicis illius, & æqualiter in omnia genera diffusæ orationis, quæ tunc à sitientibus auribus excipiebatur, cursum frangeret, maluit esse in hac copiosior, quàm in illis ingeniosior videri.

At Sallustio vigente (vt ait Seneca) amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obscura breuitas fuere pro cultu. Mox etiam sub Imperatoribus, quæ apud eum fuerant satis verecunda, in elatam euibrateq; dictionis audaciam transiere, & ad ipsas tandem ineptias deuenerunt, de quibus dicam, si prius ea, quæ in hoc genere laudatissima sunt, ostendero.

Subijciuntur quædam laudatorum acuminum exempla.

CAPVT XV.

ATque imprimis magnoperè videtur distinguenda breuitas à prærupto, quod appellatur, genere dicendi, illa enim rem viriliter, & strictè colligit, hoc interruptas, & suspiciosas relinquit sententias. Illa explet animos, hoc suspendit: illa cum leni quodá gratię flore intorquere solet acumina, hoc frigida quæ- *Acuti & prærupti styli discrimen.*

dam dicta hianti calamo effutire. Exemplis collucere faciam omnia.

Acuta sunt, venusta, & breuia, quæ Plinius habet in Traiani Panegyrico.

Laudata, et acuta breuitatu exẽ, la ex Plinio.

(Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum ex nobis putat, nec minus hominem se, quàm hominibus præesse meminit.

Traiani modestia.

Nihil hic obscurum, nihil hians, nihil impensius affectatum, & tamen acutum est, & neruosè dictum.

Item.

Vita principis, censura est.

(Nam vita Principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo, quippe infidelis recti magister est metus.)

Apparent hæc ingeniosè, non tamen anxiè dicta, fluunt ab alta mente, sed sine vi, & stridore fluunt.

Item.

Vera felicitas felicitate dignum videri.

O te felicem! quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim vera felicitas, felicitate dignum videri.

Nulla in tantilla sententia particula est, quę suam vim non habeat, elaborata est, & docta, ostendit tamen plus felicitatis, quam artis. Hæc verò Sallustij pressa, subtilia, acria, vellicantia.

Sallustij nerui ac breuitas. Sallust in orat. Catil. Inuectos.

(Postremò omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa libidine diuitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris æs alienum. Mala res, spes multo asperior. (Et quod sequitur conclusionis fulmen, vt à Technicis appellatur.) Denique quid reliqui habemus præter miseram animam?)

Nihil est in hac sententia obscuritatis, nisi fortè *summa libidine diuitias suas vincere nequeunt*, hoc Sallustianam retinet obscuritatem, cætera fluunt liberius.

Id verò quod sequitur exemplum, laudatissimam habet breuitatem.

Luxuries opum.

(Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis, nobis rem familiarem etiã ad necessaria deesse?

Hoc si dixisset alius, vtramque fortasse impleuisset paginam, nec vnquam hanc maiestatem attigisset (illis diuitias supereſſe, quas profundant in extruendo mari, & montibus coæquandis.)

Item hæc sententiosa,

(Nemo nisi victor pace belum mutauit. Semper in prælio ijs maximum est periculum, qui maximè tenent, audacia pro muro habetur.)

Idem in oratione Cæs. Marij.

At istud nimia breuitate fit obscurum. *Non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret* Hoc est, ne silentio crimen subesse arbitraretur.

Cornelij Tacitj grãdia, & lyssina dicta.

Sunt eadem familiaria Cornelio Tacito grandia, & splendida dicta, acuta breuitate collecta, vt:

Ambitio. L. 2. Annal. in persona Tiberij l. 3. L. 12. in orat. Pisonis ad cohortẽ Palatinam.

(Ærarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit.

Tibi summum rerum iudicium Dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est.

Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.

Falluntur, quibus luxuria speciem liberalitatis imponit, perdere ista sciet, donare nesciet, & cætera, quæ eodem tenore apud eum dicuntur prope infinita.

Quintus Curtius huius acuta breuitatis summus magister. Curt. l. 4. Quinti Curtij acumina.

Hæc, vt apparet, altæ mentis, & consummati ingenij est eloquentia, grandis simul, & breuis. Sed nemo tamen istis Quinto Curtio, aut felicior est, aut nitidior. Innumerabiles sunt apud eum gemmæ, quales sunt istæ in oratione legatorum Darij.

(Respice quantum post te reliqueris, intuere quantum petas. Periculosum est prægraue imperium, difficile est continere, quod capere non possis. Vides vt nauigia, quę modum excedunt, regi nequeant; nescio an Darius ideò tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est, quædam vincere, quàm tueri. Quam hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent! Ipsa mors vxoris Darij, te admonere potest minus iam miseri cordiæ tuæ licere, quã licuit.) Quod verbum in ista oratione fine suo aculeo? nihil tamen coactum, nihil accersitum, nihil morosa obscuritate infuscatum, quod ideo plus habet laudis, & admirationis.

Quæ verò Alexander respondet, num tota sunt byssina?

(Nunciate Dario gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse, & me quæ fecerim clementer, & liberaliter non amicitiæ eius tribuisse, sed naturæ meæ.

Nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna saluo statu terrarum potest habere.) *Monarchia.*

Hæc

Hæc grauia, isthæc rotunda sunt, & expedita.

(In dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem quisque contempserit, timidissimum quemque consequitur.)

Alia subtilia, & antithetis intecta, vt:

(Alij optimè miserias ferunt, qui abscondunt, nec vlla est tam familiaris infelicibus patria, quã solitudo, & status prioris obliuio. Nam qui multum in suorum misericordia ponunt, ignorant, quã celeriter lachrymæ inarescant. Nemo fideliter diligit, quæ fastidit: Nam & calamitas querula est, & superba felicitas.

I. Item.

Quædam beneficia odimus, metuisse mortem confiteri pudet, superest, vt malit iniuriam accepisse, quàm vitam.)

Nihil opus est cætera persequi, hinc cerni potest, quanta fuerit huius authoris, in hoc concisо dicendi genere felicitas. Sed qui omnium ingenia, maiestate, copia, felicitate, genio denique ipso vincit, & obruit Seneca, hãc sibi styli dignitatem, quasi ius hæreditarium arrogat. Totus his dictorum purpuris collucet, vt cœlum stellis. Nihil eo fœcundius, aut opulentius: Hauserat quippè ex domesticis fontibus; Nam Seneca Rhetor ex ijs, qui sub Augusti tempora floruerunt, eoque dicendi genere ad insaniam vsque delectati sunt, colores, & acumina collegit, quæ in libris Controuersiarum, & Suasoriarum extant sparsa, ex quibus illorum ingeniorum vim, & studia possis agnoscere. Lubet laudatoria aliqua exempla subijcere.

Seneca omnium in hoc genere dicẽdi concisо præstantissimus.

Hęc in Vestalem prostitutã, quæ se saluo pudore, & milite castitatis impugnatore, viriliter interfecto iactabat, ex lupanari exijsse, ideoque Sacerdotium repetebat, satis acutè dicta sunt.

Acumina ex varijs Rhetoribus latinis.

Arelius Fuscus.

(Ne metuas puella, pudica es, sed sic te viro lauda, non templo.

Cassius Pius.

Discede, ignota es: discede, nimium nota es. Nulla satis pudica est, de qua quæritur. Virginẽ esse Sacerdotem nostrã, cui credimus? meretrici, lenoni, Piratis?) Item contra patrem reum malæ tractationis, quod cum duos filios Pancratiastas inter se dimicaturos eduxisset ad Olympia, interminatus se victum abdicaturũ, ambos mori coegisset, præ dedecoris metu *Tertius sine sorte pugnasti, & vtrumque vicisti.* Hæc virilia planè acumina mira breuitate contorta. At Marillij sententia omnium subtilitatem longè vicit, ipsi Porcio latroni, non immeritò admirabilis visa, dixit enim pro vestali.

Asprenas.

Marillius.

(Narrate sanè omnes, tanquam ad prostitutam veniisse, dum tanquam à Sacerdote discessorint. Iam quod sequitur exemplum elimatæ breuitatis est, & ad vrgendum, motusque eliciendos satis efficax. Pro adolescente, quem Patruus abdicabat, quod Patrem aleret, contra Patruum: (Fortunæ lex est præstare, quæ exegeris: miserere. Mutabilis est casus: dederunt victis terga victores, & quos prouexerat, fortuna destituit. Quid referam Mariũ sexto consulatu Carthagine mendicantem, septimo imperantem? Ne circa plura instabilis fortunæ exempla te mittam, vide quis alimenta rogetur, & quis roget?

Fortuna varietas.

Valent, inquam, ista, sed dicta tempore, & loco. Nec minus laudata, quæ in caussa *Incestæ, desaxo* iactata sunt. Quippe Vestalis incesti damnata, vixit deiecta: ad pœnam repetitur. Contrà hanc ipsam dixit Fuluius Sparsus (A superis deiecta, ab inferis non recepta, in cuius pœnam saxum extruendum est) pro incesta Sillius:

Fuluius Sparsus.

Damnata deiecta est, absoluta descendit. Et in nobili caussa contra Parrhasium pictorem Atrienensem, qui cum Philippus captiuos Olynthios venderet, emerat vnum ex his senem, perduxerat Athenas, torserat, & ad exemplar eius pinxerat Prometheum à Ioue in Caucaso religatum, & laceratum, quam postea tabulam in templo Mineruæ dedicauerat, hæc magnificè dicta.

Sillius.

In caussa Parrasij picturæ breues & acutæ sent.

(Infelix senex vidit iacentis & diuulsæ patriæ ruinas: abstractus est à cõiuge: superexustæ Olynthi cinerem stetit. Iam ad figurandam Prometheæ satis tristis est. Proh Iupiter (quẽ enim melius inuocem aduersus Parrhasium, quàm quẽ imitatus est?) Olynthium tantũ picturæ tuæ excipio. Nam quis vt naufragum pingeret hominem mersit? cæditur; parum est? inuritur, etiamnum parum est? laniatur: Hoc (inquit) in irato Philippo satis est, sed nondum in irato Ioue.)

Gauius Silo.

Contr. l. 10.

Hæc planè, & pulchra videntur, & suauia, habent tamen semper aliquid obscuritatis, vt *Olynthium tantum picturæ tuæ excipio*, clarius dixisset, fac non esse Olynthium, homo est. Quis vt naufragum pingeret, hominem mersit!

Asprenas Fuscus. Honoris amor dedecoris metus. Senec. contr. l. 5 cont. 3.

Item,

Iulius Bassus. (Ædem Mineruæ, tanquam castra Macedonium fugiunt.

Clodius Turrinus Torqueatur, hoc nec sub Philippo factum est. Moriatur, hoc nec sub Ioue.

Triarius. Corrupisti duo maxima Promethei munera, ignem, & hominem.

Musa. Narraturus sum Olynthij senis, ignes, verbera, tormenta. Aliquis ne nunc quæri de Philippo putat? Dij. Deæque te perdant, misericordem Philippum fecisti)

Hoc conclusionis satis aptè intortum fulmen: quò præ Parrhasij crudelitate mitem Philippum facit, quem tamen Athenienses crudelissimum iactabant. Sed illæ torti senis querelæ paucis, & nauiter expressæ.

Cornel. Hispanus. (Vltima membrorum meorum tabes tormentis immoritur. Parrhasi quid agis? non seruas propositum. Hoc supra Promethea est. Tantum patiendum est pingente Parrhasio, quantum irato Ioue.)

Hæc tantum acumina parum senem tortum decent. Nemo in tauro Phalaridis quærit delectum verborum, quibus suas querelas exprimat.

Porcij Latronis in hoc genere Ironia grauior est.

(Si videtur tibi, istis muneribus aram misericordiæ orna.)

Hæc sanè appositè dicta plurimum ostendunt facundiæ, ingenij, iudicij, suauitatis: sed tenendus est modus, qui in hoc genere plerumque difficillimus esse solet.

De erroribus abrupti styli, & frigidè acuti.

CAPVT XVI.

GRauis igitur error eorum est, qui plurimum quidem in eo habent ingenij, sed parum cordis. Itaque nec vim illam mentis exundantem coercere possunt, sed dicunt quicquid in buccam. Quid autem res, quid locus, quid aures patiantur, minimè considerant. Infercire volunt omnia acuminibus, nihil sine figura dici, etiam figuratè panem peti. Hoc quidem perabsurdum est. De eo igitur ita magni authores statuunt: expeditam breuitatem, quæ nihil habeat obscuritatis, magnum esse eloquentiæ vigorem, eamque graues personas, quantum auditores tulerint, apprimè decere: non debere tamen esse præruptam, suspiciosam, nimis affectatam, quæque insidias tendere videatur in clausulis. Atque in eo magnopere spectandum est argumenti genus, aliud enim epistolæ, aliud historiæ, aliud declamatoriæ oratiunculæ, aliud etiam iustæ orationes desiderant. Lex epistolæ argutam breuitatem præscribit, illæ verò, quæ apud historicos exstant oratiunculæ, nonnihil ad nitorem, & palæstram compositæ, hoc dicendi genus leniter ferunt, imò desiderant: Alioqui si periodorum ambitione circumducta esset parua oratio, nihil haberet præter strepitum, & fumos. Alia verò est iustarum orationum ratio, quæ cum maioribus fluuijs simillimæ videantur, non debent istis affectatæ breuitatis constringi legibus, ne videamur Hellesponto, Xerxis more, pedicas, & compedes inijcere. Granditatem minuit oratoriam frequens concisio periodorum, & licet plus floris ostentet, minus tamen habet maiestatis. Nolo grandes, lentas, atque velut arena, ramentisque fertas periodos, quales sunt puerorum: Nolo exiles, aridas, etiam de ipso naturali profluuio, propter morosam breuitatis affectationem violentè detortas. Quis hominem ferat vnius horæ spatio pro concione dicentem, quod Porcius latro contra Vestalem declamauit?

Qualis debeat esse breuitas orationis.

Oratorij tractus historia differunt.

Magna orationes nõ ferunt præruptæ breuitatem.

(Sacerdos nostra adhuc in Lupanari viueret, nisi hominem occidisset. Inter barbaros, quid passa sit nescio: quid potuerit, scio. Sacerdoti ne purus quidem contigit Dominus. Absint ex hoc foro lenones, absint meretrices: ne quid parum sanctum occurrat, dum Sacerdos legitur. Si nihil aliud, certè osculatus est te, quisquis puram putabat. O egregium pudicitiæ patrocinium! Militem occidi. At Hercules, lenonem non occidisti. Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est: Hactenus in te inquiri potest. Cæterum nescio quid cellulam, & obscœnum lectulum voces. De pudicitia Sacerdotis hic quæritur. Nemo (inquit) virginitatem mihi eripuit, sed omnes quasi ereptum venerunt: sed omnes quasi eripuissent recesserunt. Quo mihi Sacerdotem cuius precaria est castitas?)

Breuitas Porcij latronis in amplis orationibus vitiosa.

Hoc bellum, bellum (vt ait Satyricus) dico tamen tolerari non posse, sed vt vina violenta, nisi aqua diluantur, vertiginem cerebro inducunt: sic illa dicendi, quæ minima videtur, sed tamen anxietate maxima est contentio, & dicentem fatigat, & transuolat auditores. Et hoc

Nimia breuitatis character.

hoc indicio est, quod qui ita loquuntur apud historicos, & Senecæ controuersias, saltant sępius, vt Cicadæ, ac derepente conquiescunt: itaque hæc scribenti aptiora, quàm dicenti videntur. Quænam erit igitur optima lex breuitatis? Hæc erit opinor ijs, qui minimè Asiatici fieri volunt, si Demosthenis orationes, & Ciceronis Philippicas imitentur, habent enim valdè sanam mediocritatem. Non dicam attẽdite (ô viri Athenienses) dicam vtilia, & necessaria. Hoc enim dissolutum est, & humile, quid igitur?

Breuitatis optima lex.

Demosth. Philip. 4. Typus laudata breuitatis oratoria.

Καὶ σπουδαῖα νομίζων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ ὧν βουλεύεσθε, καὶ ἀναγκαῖα τῇ πόλει· πειράσομαι περὶ αὐτῶν εἰπεῖν ἃ νομίζω συμφέρειν.

Hæc parua, iusta tamen periodus.

Quum & grauibus (vos Athenienses) & reipub. necessarijs de rebus deliberare putem; operam dabo vt ea dicam quæ è republica esse arbitror. Item:

Demosth. Olynth. 2.

Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἄν τις ἰδεῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι τὴν παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν, φανερὰν γενομένην τῇ πόλει, οὐχ ἥκιστα δὲ ἐν τοῖς παροῦσι πράγμασι.

Cum multis in rebus (Athenienses) perspici mihi posse videtur Deorum immortalium beneuolentia erga hanc rempublicam declarata, tum maximè in eo, quod nunc à nobis geritur negotio.

Item ex Cicerone.

Cicer. pro Cæcinna.

Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in iudicijs impudentia valeret, non minus in caussa cederet Aulus Cæcinna Sexti Æbutij impudentiæ, quantum in vi facienda cesset audaciæ.

Is est iustæ, & laudatæ breuitatis in grauibus præsertim orationibus typus.

Quod verò attinet ad acumina, quæ hac breuitate, tanquam amento intorqueri solent, multum quoque requirunt prudentiæ. Prima lex est apud bonos auctores, vt argumento conueniant. Secunda, vt non sint nimis crebra. Tertia, vt non sint frigidè affectata, & obscura, quod vitium rarò ab ijs declinatur, qui istis student impensius. Rei igitur, siue argumento accommodanda esse dico, neque enim in omnem materiam cadunt acumina, sicut non ex quolibet ligno fit Mercurius. Ex quo vehementer errant, qui vbi tota nitere debet oratio, minutas quærunt subtilitates, quibus obscuretur. Quæ de Vestali, de incesta, de Parrhasio allata sunt, non importunè dicta videntur, argumenta enim ipsa plena sunt admirabilitatis. At vbi res communis & filo communi, vt sæpius occurrit, narranda est, putidi est hominis tunc in scirpo nodum (quod aiunt) quærere. Sed & licet argumentum subtiliter tractari possit, non sunt tamen (quod sæpè Rhetores pręcipiunt) sententiarum gemmę temerè vbique, in longo pręsertim operę spargendæ, sed cum delectu collocandę, quo excitatius luceant, solidiusque delectent. Nam & pulcherrima quæque, si crebriora fuerint, finitima fastidijs esse nimis experientia constat. Iam quod plenę sint periculi, & vitijs, vt plurimum obnoxiæ, hę quę laudantur argutię, vel ex nobilissimorum scriptorum erroribus conijcere facillimo negotio licet. Pleraque enim acumina, cum semel audiuntur, apparent aurea, at si consideratius expendantur, acriorique subijciantur examini, agnoscuntur sępè futilia, quę amplam speciem videbantur habere grauitatis. Talis est illa C. Gracchi rotunda, volubilisque sententia citata superiùs.

Acuminum lex, & vsus.

Quis modus in argutijs tenendus.

Senec. cõtr. l. 1. nihil est iniquius his, qui nusquam putãt esse subtilitatem, nisi vbi nihil est præter subtilitatẽ.

Styli frigidæ acuti exempla.

Vide Gel. l. 11. c. 13. qui pluribus explicat.

(Quę vos cupidè per hosce annos appetitistis, atque voluistis; ea si temerè repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupidè appetijsse, aut nunc temerè repudiasse dicamini.) Eblanditur primum auribus hęc structura verborum, sed vbi vocatur ad censuram, quid aliud habet? (Si cupidè feceritis, cupidè fecisse dicemini, si temerè repudiaueritis, temerè repudiasse dicemini.) Quę iam otiosa agnoscuntur, & penè puerilia: sed hoc Graccho cõdonandum. Quid verò Iunius ille Otho, qui librum edidit de istis argutijs, & coloribus, qua ratione poterit excusari? qui cum incestam de saxo pręcipitem datam reposceret, ad pœnam, quam euaserat, dixit inter cęteras subtilitates:

Iunius Otho librum scripsit de argutijs.

(Fortasse pœnę se pręparauit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit.)

O frigus! ô dictum planè insulsum! scilicet illa Vestalis quotidie se exercebat ad Tarpeiam rupem, ita vt ex ea se vicissim, & præcipitaret, & citò resiliret ad saltum. Mirabiles sibi ludos finxit hic orator: en quò acuminum illecebræ transuersos agunt illos subtilitatum indagatores. Murrhedius cum aduersus Pompilium Ciceronis interfectorem ageret, descripsit eũ ferentem cũ capite amputatã

Murrhedij frigidum acumen.

L. 7. cent. 2.

Ciceronis manum, deinde ita exclamauit: *Quanto aliter reus Ciceronis, tenebas manum eius?* Quod vt stupidè dictum arguit Seneca, nemini enim dubium est, quin aliter teneret manũ reus; aliter, interfector.

Item, Gorgonius in caussa Cimonis contra filiam Calliæ, cum eius adulterio dehonestata Miltiadis trophæa dicere vellet, hoc vt acutè colligeret, fœdo cacozeliæ genere vsus, vt notat Seneca, dixit. *Istud publicum adulterium est, sub Miltiadis trophæis concumbere.*

Gorgonius.

Et in controuersia Parrhasij, qui miserum Olynthium torserat vt Prometheum pingeret, cum omnes certatim subtilia quæque acumina explicarent, Licinius Nepos consurgens:

Frigidũ dictũ Licinij nepotis.

Si vultis, inquit, *dignè punire Parrhasium, ipse se pingat.* Primum quomodo se pinget? ex speculo: At hic modus, tum inusitatus fuit. Deinde quæ pœna, si se depinxerit?

Spiridion.

Spiridion videri voluit vulturios ad Parrhasij tabulam in templo collocatam aduolare, fabula eleganti ad turpem sententiam productus, æque igitur familiariter in templum subire vultures putauit, ac columbas, & passeres, tanta fuit eius in inueniendo subtilitas.

Nec minus stupidè dictum putat, quod in suasoria de bello Persico dictum est à Coruo, futili quodam Rhetore.

Coruus in Suasor. l. 1.

[Quod si iam Xerxes ad nos suo mari nauigat, fugiamus, antequam nobis terra surripiatur. O nauum bellatorem!

Alij sensus etiam frigidos inflatorum verborum nouitate includunt, & ad summam vsq; insaniam deueniunt: ex quo genere sunt ista eiusdem Corui.

Hic cum tentaret scholam Romæ, summo illi, qui Iudæos subegerat, declamauit controuersiam de ea, quæ apud matronas differebat, *liberos non esse tollendos*, & ideò accusatur Reip. læsæ. In hac controuersia hoc genere dicendi vsus est, *inter pyxides, & redolentis animæ medicamina, constitit mitrata concio*, nec dissimilia sunt Musæ Rhetoris: *cœlo repluunt odoratos imbres*: & de syluis naturalibus *cælatas syluas*, de pictis, *surgentia nemora*. Item (Quicquid auium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc cur subitò moriamur? mortibus viuimus.) De hac sententia ait Seneca Rhetor.

Corui Rhetoris insulsa oratio.

Controu. l. 10.

Musæ audax oratio.

Non ergo, etsi iam manumissus erat, debuit de corio eius nobis satisfieri. Nõ sum ex Iudicibus seurissimis, qui omnia ad exactam regulam redigam. Multa donanda ingenijs puto, sed donanda vitia, non portenta sunt.

Hæc sunt igitur, in quæ frequenter delabuntur subtiles illi nugarum enucleatores, sed & si quis magnos illos authores, Senecam, & Salustium pertẽtare velit, inueniet procul dubio nonnulla, in quibus plus æquo sibi in hac scribendi ratione placuerunt: videtũt fortasse errores, emendare noluerunt. Est enim amabilissimum insaniæ genus, ingenio, quod aiunt, indulgere.

Insaniæ genus amabilissimum est ingenio indulgere.

Patere hic lector ad tot locutionum ἁλμυρὰν ἀκοὴν aliquo genere vrbanitatis diluendã nos in diludium transferri, ducto ex ἀποκολοκυνθώσει Senecæ exemplo. Producetur à nobis eloquentia flebiliter apud Iouem de suis corruptoribus conquerens: Mox designatis iudicibus, apud Rhadamanthum inter heroas illos citabũtur rei Anticicerones, M. Tullio Cicerone suam caussam agente, & tot errorum portenta, contra styli puritatem refellente.

ANTICICERONES.

Ludus, Seu Dissertatio de optimo genere dicendi.

ELOQVENTIA APVD DICEN, contra suos corruptores agit.

Oratio I.

CAPVT XVII.

SI me luctu, & squalore deformatam (parens optima) non agnoscis, saltem ex eo, inimicorum meorum crudelitatem agnosces, qui me venustissima specie virginem ad eam malorum acerbitatem redegerunt, vt ipsis parentibus penè videar ignota.

Imitatio Pherecratis.

Ego illa sum (me miseram) quid dico! non sum, sed fui Regina terrarum eloquentia, haustus de tuo fonte riuulus, imago tuæ mentis, simulachrum gloriæ, portio diuinitatis. Ego illa sum, quæ tuis imperijs, ex cœlesti beatorum domicilio in terras veni, vt hominum subleuarem miserias, & non modò necessarijs ad salutem tuendam præsidijs instruerem, sed etiam cœlestibus, ad conciliandam dignitatem vestirem ornamentis. Feci quod iusseras, mortales inueni turpes, hispidos, longa macie torridos, qui sub quercu glandem ructabant, belluis

Aethopæia eloquentiæ.

luis omninò, quàm viris similiores. Cœpi ego venam miserorum tenere, sensus intimos delibare, affari blandissima oratione, consolari, illustrare, hortari, animare; ad summum agrestia ingenia ita de dolaui, vt ab hac morum barbarie, paulatim ad elegantiora defluerent, agros excolerent, vrbes sepirent mœnibus, & sanctam inter se colerent societatem. Per me constitutæ sunt ciuitates, leges natæ, & adultæ, firmata militiæ præsidijs oppida, sexcentarumque artium, & scientiarum amœnitate collustrata penè ad ipsius cœli gloriam efflorerunt. Non tot prata floribus, non tot margaritis fulget Erythræum mare, non tot micantium stellarum ignibus tuus ille princeps orbiũ æther est vermiculatus, quot ciuitatibus, viris, academijs, virtutibus, per me mundus colluxit! Heu vbi illa tempora, quibus ego curru aureo, niueoque candore fulgentibus quadrigis inuecta triumphabam: vbi tot reges, qui me mearum virtutum stupore perculsi admirabantur? vbi illa fœcunda summis ingenijs sæcula, quorum nomen me appellare quidem audeo?

Exciderunt Demosthenes, Lysiæ, Hyperides, Ciceones mei. Natum est hominum genus audax, amens, impudens, qui me deformarent, plagis, & veluti in eruce distorquerent; anni fermè mille sunt, & sexcenti, ex quibus quotidie distrahor improborum fabula & ludus. Alij me sufflant, alij macie enecant, alij concidunt, alij eneruant, alij Hecubam faciũt, alij Helenam, alij vnam ex furijs. Dici non potest, quot formas induo, in omnibus tamẽ informis: Iam (mihi credite) Proteus ille, fabula, non erit, siquidem poetarum figmentis meæ fidem dederunt miseriæ. At, quod in multis acerbitatibus acerbius est, virtutis nomen vitium occupauit, & quod antea turpitudinis erat, totum est gloriæ, vt ea lenocinante, ad facinus depraua tæ mentis cupiditas quemque prolectet. Postquam ventosa illa loquacitas iuuenum animos ad magna surgentes, veluti pestilenti quodam sydere afflauit, dulce fuit omnibus desipere, puduit etiam aliquos non insanire, & eo deuenerunt amentiæ, vt nescio cuius Asini sordes, purpuras suas esse dicerent. O tempora, ô mores, nunquam licebit vna, & nobili plaga defungi? quid opus est enim, vt viuam? an, vt lugeam, & inter quotidianas vulturum lacerationes centies moriar, ne semel inteream? Tu me saltem in extremam barbariem relega, ne conscios habeam oculos calamitatis meæ. Graue est torqueri, grauius à suis, in patria, in eo ipso loco, vbi cum honore antea vixeris. grauissimum. Mequidem dicentem vires, ac latera deficiunt, & aduersariorum non mediocriter conturbat audacia, qui hanc fori lucem, hunc grauissimorum iudicum consessum audent sustinere; nec impudentiæ suæ saltem pudentem exitum quærunt. Vos eorum latratus, si lubet, audietis; ego nec audire, nec sustinere possum. Qui pro me respondebit meus Tullius, si vobis, vestro nomine, vestráque sapientia dignà dicere videbitur, ipsum audite; sin autem, ad hoc tribunal hodie iugulabimur.

HAc miserabili voce commotis omnium animis, primum comploratio, deinde tumultus. Alij clamabant, carnifices eloquentiæ, ad remos alij, corruptores literarũ, ad bestias: alij, extinctores vetetis disciplinæ, ad tartara. At Dite sceptro, vt poterat, Deorum minorũ gentium exulceratos placans animos, Mercurium delegat ad Minoem, & Rhadamanthũ, vt de tota causa cognoscant, litemque ex sua dignitate dirimant. Dictum, factum, Iudex assignatur Dionysius Longinus, emunctissimæ naris Criticus: Citantur pro inflatis, Apuleius, de quo multæ iam criminationes sparsæ; pro antiquarijs, Montanus Varienus; pro puerilibus, Pædariodes; pro siccis, Bureo. Illi, cùm in Marcum Tullium multa intemperanter effudissent, ab eo grauissimè disertissimeque confutati, & Longini suffragio damnati sunt. Nunc Apuleium ipsum audite.

LVCIVS APVLEIVS.

Oratio II.

CAPVT XVIII.

COmmodum punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum, cœlum inequitabat: cùm me securę quieti reuulsum, Prę-
co ad vestrum calauit tribunal. Certus equidẽ eram, proque vero obtinebam (Cæsi sapientissime) quique in consilio viri estis, hunc accusatorem notissimæ temeritatis, accusationem mei prius apud te cœptam, quàm apud se cogitatam, penuria criminum, solis de stylo meo conuitijs impleturum; sed hoc vno præcipuè confisus gratulor, quòd mihi copia, & facultas sub te Iudice obtigit purgandi mei, cùm & ante parta existimatio, & tua de me benigna præsumptio, nihil non quicquam sinat fiden-

Inuehitur in genus patronorum, à quibus accusatur, vt ciuium eloquentia corrupter.

Ita describitur à Sidonio, qui est in multis Apuleio ἐμφατικώτερος.

Rabulæ fœcis ex Sidonio descriptio.

Absit autẽ vt egregijs patronis, quorũ genus honestissimũ esse hoc dicteria conueniant, quæ in furaces rabulas dicta sunt.

fidenter, & de summo pectore hiscere. Ego vt, scis, homo scholaris, & innocens, cui continuatio literati laboris habitudinem tenuauit, succum exsorbuit, colorem obliterauit: rem habeo cum togatis vulturijs, & callidissimis vtilitigatoribus, quo genere hominum nihil est perniciosius; in foro sunt Scythæ, in cubiculo viperæ, in conuiuio furiæ, in exactionibus harpyæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ, ad intelligendum saxei, ad censendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias vrsi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, in vrbe tyranni, in castris lepores, in prætorijs leones; quorum si nares afflauerit vspiam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic, & oculos Argi, & manus Briarei, & Spingarum vngues, & periuria Laomedontis, & Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis: ad horum consilia Phalaris cruentior, Midas cupidior, Ancus iactantior, Tarquinius superbior, Tiberius callidior, Caius periculosior, Claudius socordior, Nero impurior, Galba, amatior, Othoaudacior, Vitellius sumptuosior, Domitianus truculentior. Atque cùm tales sint, vnus tamen Cicero, quem pudebat sceleribus vinci omnium malitiam sibi ex esse mis cuit: debebat esse contentus sua lasciuia, non colubrinis ob latratoris molaribus aliorum famam figere, non vestras aures vitrosa susurronum fece completas suburrare.

Ad hypothesin descendit & Ciceronem exagitat.

Irridet stylum M. Tulli.

Est sanè desudata istius varicosi Arpinatis opulẽtia, sunt fabra eius eloquia, & literæ plenæ margaritarum, stylus omnis ebore candicat, auro fulgurat, gemmis variegat: inde color gratus, & nitor splendidus illucet, modo contra mentis aciem vegetus fulgurat, modo in contrariam gratiam variat aspectum: & modo veluti ausum coruscans in mellis leuem deprimitur vmbram, modò coruina nigredine cæruleos columbarum collis flosculos æmulatur, modò guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatus, frequẽti sobole spissatur. Fluunt citissimis clausulis erotundatæ periodi, totæque ductiles, quæ per aurium traduces, instar digiti, per crystallinas crustas, non impacto vngue perlabantur, vt quas nulla rimosis obicibus fractura remoretur. Quis non videt ista omnia alga, & epluda leuiora, arenas sine calce, & puerorum pensius præexercitamenta, quam studia virorum? Meritò, P. C. meritò ista M. Bruto displicebant, qui licet Tullium medullitus demereretur, tamen stylum gustare non poterat, quẽ videbat *fractum lumbos, vt Mysium asinũ*: sed quid Brutum nomino? Ipse cum ista enormi verbositate adeò omnibus displicuit, vt ne filio quidem probari posset, quem loquentem (vt ait vetus auctor) P.R. non agnoscebat, quòd istam piperatam patris facundiam non haberet. Ipse denique, cùm iam satis iuuenatus calor deferbuisset, ideò sibi inuisus factus est, vt multa ex suis scriptis spongia deleuerit, atque vtinam delesset omnia, minus eius verbositate laboraremus. Quoties à Senatu? quoties à censoribus est notatus? quoties de curia, & foro eiectus? quoties Imperatorum, vt Hadriani, & Caij legibus est damnatus? nunc autem post quam baiulis, tabernarijs, rupiconibus placere cœpit, *& circa eum puerorum examina, vt inhabitantium formicarum nidificia, multiiuga scaturigine burriunt*, cataclista veste prænitens incedit, & nos lusumones appellat. Heu Cordolium! Cephum istum industrijs hominibus, vaniloquentia insultare, & adhuc viuere! sed sanè viuat, & triumphet, modò alios quiescere patiatur.

Verbositatis Ciceronis insimulatur.

Ego, P. C. Afer sum, & in Atthide primis pueritiæ rudimentis merui, mox in vrbe Latia aduena, Quiritium sermonem ærumnabili labore, nullo magistro præeunte exsolui: ex quo, venia dignus essem, si quid exotici sermonis rudis loquutor offenderem. Hoc tamen curaui, vt haberem dictionem, si non mollem, fluidam, de triuijs comparabilibus mutuatam, grandem tamen, torosam, lacertosam, quæ nõ ad lasciuientis oculos veneris picturata iacula, sed solida mitteret robora, *quantæ iaculatur Monychus ornos*: Nunquam probaui ieiunantis calami crepitantem stipulam, sed nobilem vbique stylum, quasi quondam fœcundi pectoris vomerem fixi. Accedit, quod ego per multos annos Asinus fui, cruciabilibus pœnis exercitus, & in hac vitæ ærumnositate belluarum linguas, deuorato prius Draconis corde, quod præcepit Philostratus, didici. Ex ijs multos generosos sensus in latialem linguam transtuli, quæ istæ Veneris pusiunculi, dum non intelligunt, meliores obtrectare, quam imitari malunt, & quorum similitudinem desperant, eorum affectant simultatem; scilicet, vt qui suo nomine obscuri sunt, meo innotescant. Sed quid habent tandem, quod mihi obijciant istæ libitinæ? Habes (inquiunt) Luci verba excel-

Rationem reddit sui styli.

Hoc inter ineptias Indica Philosophia, belluarum linguas intelligi ab ijs, qui cor Draconis deuorarint.

excelsa, grandia, sesquipedalia. Quid tum? vt istis nebulonibus placeam, more Alexandrinarum deliciarum, concidam voculas, & discam, quod ait cognatus meus Persius, author valde bonus, pappare minutum, & dicam: *Ego omni officio, vel potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio*; quanquam & istud, vt iam nimis rude reprehendunt, tam teretes habēt, & religiosas auriū fistulas isti, qui se Atticos dicunt, vt nisi buryro semper affricueris, dicant se sentis, spinis cōscribillari. Nunquam legerunt apud suam Arpinatem Mineruam: *Noctuabundus, assa apodyterij, masturcatos, & anxiferos dolorum vortices*, Hæc si dixisset Apuleius, quærendus esset Ergenna, qui tanquam fulguritū expiaret, si exierit ex Apuleij ore verbum optimum, quale Mercurius loqueretur, lapis erit istis pusionibus, aut lignum, aut fimus, aut aliquid, quod nolo dicere: sic ex ista delicatula Ciceronis bucca, mox erit rosa, fiet mel Atticū, Deorum nectar, & cerebellū Iouis. O steriles veri, & inuisores animos! quid præterea peccauit Apuleius? nimis metaphoricus est, hoc est dicere, nimis facundus est, nimis ingeniosus. Non te pudet, purpurata simia, crimini dare, quod tu in Oratore alijs summæ laudi tribuis. Verba tua ipsissima, etsi puto os meum ijs inquinari; tamen dicam, vt te mendacij nobilissimi conuincam. *Ex omni genere frequentissima translationes erunt, quod ea propter similitudinem transferunt animos, & mouent huc illuc, quis motus cogitationis celeriter agitatus, per se ipse delectat.* Teneris, homo nauissime, teneris tenebrio, stigmatia, trifurcifer, & hodie nō euades, quin hæc, aut de tuis libris deleueris, aut me eloquentissimum hominem confessus fueris. Verum fas me durum, asperum, incultum, morosum, ideōne ab hoc graui auditorio silere iubebor? Ego cum āsinus essem, etiam à barbaris latronibus captus, benè, clarè hinniebam, ita hinniebam, ne putes impropriè dictum, nunquam enim fui degener asinus, & tui similis, nunc me rudere prohibebis? Quare? quia adolescentū studia corrumpo, scilicet? Vtrum magis corrūpit, an Patæcio, qui molles tibias inflat? an Misenus, qui tuba canit? Tu famigerabilis tua lasciuia paterni sanguinis venas omnes obturasti: ego lacertosum classicum, quasi Triton aliquis sonachi cōcha, maribus animis intono, nec curo, an benè dicētis flectatur collus, an artificiosè discapedinentur digiti: hoc vocas, corrumpere. Date illi, Iudices, date illi amphotidas, ego quomodo Latialiter appellentur nescio, cùm asinus essem, nunquā tuli, ideò tam longè aures meæ excreuerunt: Date igitur illi amphotidas, vt suas auriculas inuoluat, ne aut gelui, aut verbis Apulianis pateant, vtrumque enim reformidat. Stultus ego sum, qui plura cum isto Cicerulo disputo, videtis causſæ meæ æquitatem, & simplicitatem innocentiæ: Date mihi, Iudices, quod habeo, vt homo mei arbitrij semper, aut loquar, aut rudam, aut hinniam, vt voluero, & hunc virulentissimum accusatorem meum grandi infortunio mactate: sin autem me dānaueritis, hodie ad vltima mearum miseriarum detrux, inter asinos amantissimos quōdam fratres meos, ærumnositatum mearum cruciabilitates, ciulabili voce in æternum, infelicitatus lamentabor.

DIXI.

CACOZELVS.
DOCTVS ANTIQVARIVS.
Oratio III.
CAPVT XIX.

Ἐκὰς ἐκὰς ἔσις ἁλιζόις. Procul, ô procul este profani. At illi opici nebulones, si quid febriculosæ periodi conferruminarint, continuò se Hypobolymæos autumant Satrapas, aut quòd bos est in quadra argentea ἀμπέρσι γάρ, vt ait Sappho, τᾶ ἐόδωμελικᾶν, vel vt noster Pindarus, κόραχες ὡς γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θείαν ἐπὶ ρυλλίδες ταῦτ' ἐσὶ χαῖτωμύλματα, Itaque mihi non suadam, sed hirundinem, non Sirenas, sed boues in ore habere videntur; dū instar densæ grandinis, vt Ausonij verbis vtar, torrente lingua perstrepere se putant. Odi Iones Corinthios, intelligit me, qui Iulium Pollucem legit. Non possum ferre Architæ crepitaculum, Arabios tibicines, Daulias cornices ἀλυρογλάτ[illegible]ους, Telenicias Ethones, χρυσοχυτρολήρους. Doctus sum, & apud doctos loquor, ex Zenodoto, Diogeniano, Agathis, Corippo, Protagonide, Pachimerio, si quis hic ἀγωμίτρητος, quod ait Plato, ἐσίτω, afferat suum Calepinum, alioqui ad meas hallucinabitur orationes, vt harpasta ad colores. Sic est, sic est eruditè dicendum, non more Bucconum istorum, qui vix à Grammatica apolactizati, in periodulis sine vlla verborum contechnatione

alludiaut, & toti sunt in derunicinanda oratione, hoc vnum curantes, vt dispaleſcat. Ad Cuticulidonios campos istas phaleras: aut doctũ esse oportet, aut fatuum, nihil medium. Hamaxari me mauelim ruri incurui ceruicum pecus, omni chalco expeculiatum, quam esse de eorũ comedesticorum numero, quibus nisi Ciceroniana verba in ventrem decideriut, hi ieiunãt, sicut dum caletur cochleæ. Stylus meus est, vt Philostratus ait de Sophocle, μὴ ὧν ἀνθρήνιον, Batti silphium, Telephi ocytiparium, Phœbi cortina hic docti homines habẽt quod exdorsuent, & comedant non in Ciceronis orationibus, quas si exossares omnes, non medullitæ eruditionis guttulam inuenires.

Auent, auent dædalogloſsi audire recondita, non mutuata de triuijs vocabula.

Quære ab istis profanis, & reconditioris doctrinæ ἀμυήτοις, quomodo istum blandam capitis luxuriem appelles, quã πλόκαμον Apollonius βοστρυχον Coluthus. Ανθεα Κόμης Nonnus iubam Seneca nominat: illi tibi continuò capillos, aut si quid velint insanire, concinnos, ad summum coinarum fimbrias appellabunt. Hæc norunt omnes ante alpha, & beta puellæ. Ego mallones, mallones nuncupo. Deinde illi me aspiciunt, & quærunt, quid verbi sit? Bardi, Barones, Saturniæ Lænæ, ἅπ᾽ οὐδενὸς oportebat vos legisse Anastasium Bibliothecarium, qui sic scribit: *Benedictus vnà cũ clero & exercitu susceptt mallones capillorum Dominorum Iustiniani, & Heraclii filiorum clementissimi Principis, simul & eius iussionem, per quam significabat eosdem capillos direxisse.* Ex quo penitissimam antiquitatem eruo, exhibitionem mallonum fuisse mancipationis symbolum, & confirmo ex Paulo Diacono: *Circa hæc tempora*, inquit, *Carolus Princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luitprandum direxit, vt eius iuxta morem capillum susciperet, qui eius cesariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regijs muneribus, genitori remisit.*

Mallones dicuntur capilli. *Exhibitio capillorum symbolum mancipationis.* *Paul. Diac. l. 6. c. 5. vet. edit. & noua 53.*

Hæc recondita, pergo ad reconditiora. Nostri Ciceroniani templum, templum, aut fanũ appellant, ego draconium indigito: cur autem ex penetralibus sanctissimæ philologiæ explico? Video apud doctissimos homines diuidias esse de Idolorum prima superstitione, Cyrillus li. 1. contra Iulianum Cecropem, primum omnium simulachrum finxisse Iouis summi Deorum memorat. Didymus lib. Exeges. & Hieron. proœmio in epist. ad Titum. Hieronymus in epist. ad Titũ. Idolorũ prima superstitio. Cyrill. l. 1. contr. Iul. Didym. lib. exeges. Hier. proem. ep. ad Titũ.

siumRegem Melisseam inducunt; à quo superstitionis semina pullularunt. Diodorus & Eusebius Phrygibus ascribunt. Atlantides Africæ populi, primum apud se regnasse Deum Vranon gloriantur Sanchuniaton Berythius apud Porphyrium, atque Eusebium Phœnicibus initium Theologiæ, & religionis arrogant: Lactantius Chananæis. Ammonius in antiquitatibus tradit Belum, statuam primùm Nembroto parenti, inter Diuos, vt putabat, relato erexisse, de quo copiosè tractat Theophilus li. 3. ad Antiochum. Placiades Fulgentius, & Diophantes Lacedæmoniorum auctor narrat, Sinophanem Ægyptium, primum simulachrum τοῦ Ἄδωνις in solamen rapti filij erexisse. Rabbi Salomon antiquitatis nomine commendat Thamur Idolum Adonidis concauum, cuius oculos plumbo implebant sacrifici; & accenso intus igne plumbum liquefiebat, ex quo simulachrum flere videbatur.

Sanchuniathon. *Berytius.* *Porph. l. 4. cõtra Christ.* *Euseb. lib. 1. præpa. Euangel.* *Theoph. l. 3. ad Antioch.* *Thamur Adonis.*

Ego vos draconem, cuius etiam mentio est apud Danielem, primum templo, & statua, à Babylonis cultum fuisse, ex quo templa dicta Draconia inueni, inueni apud Strabonẽ Geographum, non quod pueri in faba.

Draco. Babylon. inter superstitionis initia. *Strabo l. 14. 439.*

Iam verò roga istos Periodo technitas, quomodo cultum Deorum vocent? adorationem, credo, aut simile quidpiam garrient, ad Pannuceas Baucides ista vocabula: Nos Antiquarij vertiginem appellamus. Cur ita? si qui hic adestis penitioribus literis nondum initiati, facessite τελετὰς ἀνορχιάστους, sum renelaturus. Democritus Deũ nominat, νοῦν ἐν πυρὶ σφαιρωθέντα, mentem in igne circulari. Hermes ille ter maximus, circulum, cuius centrum vbique est, circumferentia nullibi. Pythagoras προσκυνεῖν ἓν περιφερὲς censet, & per acto sacrificio galli circulum ex hostiarũ sanguine, in ara illinunt, dicunturque id temporis τελεῖσθαι. Ideò vertiginem, cultum diuinũ insigni vobulo dici oportet. In eodem genere est, quod effabor, deprecationes malorũ, quas illi appellant. Nos docti de meliore vena formari, diamiltoses dicimus. (plico.

Vertigo, & circulus in sacris. *Deus circulus ex Trismegisto & aliis.*

Pandite nunc Helicona Deæ, dum istud ex Ægyptij, si quando deprecaturi sunt, ignem, aut clades, & ruinas, memores (credo) illius diei, quo à cæde Angeli liberati sunt Israelitæ, qui agni sanguine postes domorũ delinierunt, solent intrante Æquinoctio verno, accipere rubricã, (quã miltũ Græci appellant) hac greges vngunt, plantas, & omnia, à quibus

Quid diamiltosis. Ægyptiorum mos in malorum deprecatione. *Rubrica Purpurissa.*

lucra-

luem cupiunt auerruncare: χρίουσι μὲν τὰ πρόβατα χρίουσι τὰ δένδρα, τὰς συκὰς, καὶ τὰ ἀλλὰ, φημίζοντες, καὶ λέγοντες, ὅτι τὸ πῦρ ὀν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ κατέφλεξέ ποτε τὴν οἰκουμένην, τὸ δὲ σχῆμα τοῦ αἵματος τὸ πυρετὸν ἀλεξητήριον ἐστὶ τοσαύτης, καὶ τοιαύτης πληγῆς. Ex hoc diamiltosin, siue rubricismum malorum per amuleta, auerruncationem, tanquam ex tripode pronuncio. Ite nunc, ite Ciceroniani Psaphonornithes, cum vestra Tullia. Si nondum penitissimam eruditionem meam agnoscitis; exponam vobis quot canes habuerit Polyphemus Cyclops, quæ fuerunt singulorum nomina, quot dentes Hecubæ, quot gradus in Capitolio, quot Romæ araneæ, tempore Heliogabali, quot mures in Ægypto, sub Sethone, qui primi tulerint Sarabara, vos fascias femorales, aut crurales dicitis, Symmachus, Braccas; Aquila, Anaxyridas; Theodotio melius, Sarabella. Sed opinor, leonem ex vngue, doctum virum, etiam tum in rutis cernitis, ad Adonia, & Polyphili hortos venire nihil necesse est. Quin istum igitur nugigerulum genij, & ingenij expertem, Morboniam abire iubemus, vt cochleas suas illic pueris diuendat, & in Doctorum cœtu, quasi Seriphia rana perpetuo obmutescat? sic censeo, Apuleio nostro in omnibus ὁμόψηφος.

Quid Sarabara.

BVTEONIS PRO SICCIS,

Oratio IV.

CAPVT XX.

PAtres Conscripti, quousque hunc Regem feremus? an etiam cupit in stylo, vt in vestro olim imperio dictatorem agere, omnia ad libidinem dicere, & si verbum reprehenderimus, continuò Vatinij erimus, aut Clodij, aut Catilinæ. Quis hæc ferat in libertate natus? Auditerem indignam ab isto, vel per istum, quid ad me attinet? patratam, cuius etiam testis est ille, qui in vestro consilio sedet Seneca, vir cum honore nominandus.

Seneca in controu. Ciceronis filius Cæstium castigari curat.

Cicero iunior, huius Marci Tullij filius, Asiam prouinciam obtinebat (clitellæ erãt boui impositæ, vt dixit illius pater, planè non erat eius onus) quanquam habuit ex paterno ingenio singularem impudentiam. Inuitat, vt sit, ad cœnam, Cæstium Senatorium, virũ grauem, (vt scitis) & syncerum, adeoque eruditum, vt eius orationes Ciceronianis anteferant scholastici. Interim dum bibit, in conuiuio memoriam, quam natura iam dempserat, ebrietas subducit.

Interrogat, quis ille vocaretur, qui in imo recumbebat? Erat autem Cæstius, quem ipse inuitarat, & cùm sæpè subiectum à Nomenclatore nomẽ Cæstij excidisset, nouissimè seruus, vt aliqua nota memoriã eius faceret certiorem, interroganti Domino, quis ille esset, qui in imo recumberet? ait, hic est Cęstius, qui patrem tuum negabat literas scisse: dicebat enim vir bonus, quod erat magna libertate, Ciceronem scire tantùm garrire. Hic Ciceronis filius afferri protinus flagra iubet, & de Cæstij corio in mensa hospitali satisfacit patri. Rogo vos, quid hoc est, nisi tyrannis est? Senatorem virum flagris cædi ad mensam hospitis, quòd ea, quæ de Ciceronis orationibus censeret, ingenuè dixisset. Ecquis P. C. tam puer inter nos, cui istæ orationes placere possint, anfractus periodorũ, verba, & nugæ, arenæ sine calce, loquacitas tam sterilis ingenij, quàm plena redũdantis luxuriæ, omnia dixero, si vnum dixero. Nihil est M. Tullius præter vocem, cui tamen ita studuit, vt maluerit semper totum mundum turbari, quàm vnam ex suis periodis. Hic vos appello, *Fides & Veritas*, quo pristina sæcula? non ita maiores nostri, non ita loquebantur, non hac verbositate terrarum orbem subegerunt: satagebant benè agere, loqui sobriè, & concisè.

Cæstius Ciceronis censor vapulat.

Acriter inuehitur in stylum Ciceronis.

Postquam ista Asiatica loquacitas in vrbem inuecta est, cœpimus esse ludi magistri, qui prius eramus Imperatores. Cœpimus seruire, quibus prius dominabamur. Non satis est nos perijsse, nisi & posteritatis oculis imponamus, & in dedecus Romani nominis istas euulgemus ineptias; verùm, quid dico, parùm est, etiam apud inferos, Ciceronianè loqui cogimur. Censeo P. C. censeo, vt nullus iam senator fiat, qui Apparatum non habeat, & si verbum minimè Ciceronianum dixerit, vapulet sexcẽtis plagis. Ita mirè benè res vestrę se habebunt. O nos stupeos homines, qui hæc patimur! O sordida pectora! O turpes auriculas! heu quandiu pueri erimus? Nam si sensum vllum haberemus, non dicam Senatoris, iam enim perdidimus, sed hominis, postremum nobis iste conuiciator insultaret.

PÆDARIODIS PRO PVERILIBVS,

Oratio V.

CAPVT XXI.

Iberæ mulieres ferrea erunt monilia.

EGo vero P. C. dicam, quod sentio, in toto Cicerone (si benè pendatur) vix est vnciola ingenij, dictio eius humilis, repens, ad plebeium sermonem abiecta, sensus communes, figuræ de triuijs, ornatus qualis est Iberarum mulierum, quæ se monilibus ferreis pulchras, & beatas putant. Audite me, audite, ego sum orator pulchellus, bellulus, politulus, totus factus ex veneribus, & gratijs, nihil nisi rosas loquor, electrum, balsama, nicerotianos imbres, nectar, & ambrosiam, quæcumque scribo apes intexunt floribus, perfundunt melle, cōplent omni suauitate: Non tot Argus habet lumina, non tot cœlum sidera, quot sunt meæ orationis ornamēta. Papilionem credo nostis, hunc ego laudans, naturam laudo, cuius industria solertius est elaboratus; animalculum est, vt in vrbibus rarum, sic in agris frequens; corpus illi plenum, molle, tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem gracilescens, cui superspersus teneræ lanuginis decor efflorescit, extant veluti porrecta minutissimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum iucūdus fulgor irradiat: sed præcipuum in penniculis miraculū, quippe supra tenuis corpusculi modulum explicatæ gemmant floribus, nitent purpura, micant auro, stellis radiant, his veluti remigijs libratus in aerem, & ridente passim verni temporis amœnitate per gemmeam florum luxuriem volitat ludibundus, ad singulas penè stirpes adhærescens, modò delicatissima proboscide foliorum succos pabulatur, modò, molliter quiescit inter odorum delicias, modò redintegrato volatu superbius emicat, & insultantium puerorum manus sexcentos in aere mæandros, & flexus pingens, eludit. Talis profectò meus stylus, talis meus calamus, fertur, volitat, & vagatur inter amabilissimos eloquentiæ flores lasciuiens. Audite nunc aliud eloquentiæ palmarium, concham describam. Firmioris iam testæ murices, & concharum genera sæpe vidistis, in quibus magna naturæ ludentis varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, cōcauis, longis, lunatis, in orbè circinatis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. Iam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim vndata, cācellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, toto latere conuexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis. Talis est styli mei varietas, talis ego sum Oratorum lusciniola, Elegiacorum olor, Epigrammatistarum psittacus, Lyricorum graculus, Comicorum pauo, Tragœdorum struthio, deinde me cum isto Arpinate comparate, adamantem cum vitro, rosam cum ruta, gausape cum holoserico.

Papilionis descriptio. Affectat descriptiones extrarem. Descriptio Papilionis, cui suū stylum frigidè & puerili ter comparat.

Conchæ descriptio, Pliniana descriptio bona quidem, sed à Pædariode affertur extra rem, & ita compitur.

M. TVLLII CICERONIS Apologia.

Oratio VI.

CAPVT XXII.

QVonam meo fato fieri dicam, vt nemo hactenus rei literariæ bellum indixerit, qui mihi priuatim non fuerit inimicus? Neque opus est quemquam à me nominari vobis, cum ipsi recordemini, mihi pœnarum plusquam optarem, dederunt. Equidem si sibi hoc sumunt aduersarij mei, stante me non posse veterem disciplinam corruere, quam illi omniū virium contentione conuellere decreuerunt: Patior libenter, me pro literarum incolumitate, gloria, & ornamentis, vestrisque omnium studijs perditorum hominum furori, tanquam vallum, opponi. Nec vlla me vis vnquam ab instituto auferet, dummodo meis laboribus, scientiarum honestati, reip. vestræ nomini, vestrisque commodis, quæ semper rebus meis chariora fuerunt, abundè seruiatur.

Mirari tamen satis non possum inimicorum (non dicam) audaciam (iam enim vulgare vitium est) sed amentiam, impudentiamque singularem, qui in hoc senatu facillimè de me detrahi posse crediderunt, qui ordo clarissimis authoribus amplificatæ rei literariæ testimonium multis, mihi vni conseruatæ dedit. Voluerunt credo sua à me alienatione cōmendationem sibi apud improbos quærere, & mecū decertare contentione dicendi, hoc quidem beneficium est, quod enim mihi gloriosius, quam apud prauos, & imperitos homines malè audire? quid plenius? quid vberius? quam mihi, & pro me contra Lucium Apuleium,

Buteo-

Buteonem, Pædariodem, Cacozelum, &cæt. quisquilias dicere? Tantum vos oro, atque obtestor P. C. vt si quædam in commendationem meam in hac oratione exciderint, tribuatis inimicorum meorum importunitati, qui me in eam dicendi necessitatem compulerunt, vt sine operum meorum commemoratione non possim me defendere. Et si non omnia dixero, dabitis verecundiæ meæ, quæ in propijs laudibus ægrè, nisi caussæ necessitas flagitet, versatur. Ac primum tibi, Luci, de calumnijs quæ in hunc florentissimum patronorum ordinem, ista linguæ intemperantia effudisti, non respondebo: Condonandum est aliquid amentiæ, ignoscendum furori: nondum illi belluarum motus, quos olim cum asini corpore induisti, deferbuerunt: sed in eo ipso, in quo te sapientem putas, summæ non modo inscitiæ, sed etiam impudentiæ convincêris. An tu cum homo esses, vt ipse fateris, Athenis ab adolescentia græculè eruditus, Latini sermonis expers, nullis præceptoribus vsus, nullis disciplinæ adminiculis, ausus es, sed quid nõ auderes? nostræ vrbanitati, tras sordes illinere? Romanis auribus, tam stultè, tam impudenter illudere? Ecquis est P. C. quis est qui modo sensum vllum latinitatis habeat, cui Apuleia? placere possint? Quod enim primum est in oratione vitium, à quotidiano sermone, communique dicendi genere discedere, hoc est in eo ita frequens, vt nihil sit communius: Tanta fuit olim apud Atticos, maioresque nostros linguæ religio, vt verbum inusitatum afferre, penè piaculum videretur. Itaque cum nefarium hominem, belluam fortè dixisset Æschines, non tulit Demosthenes, quo ne Athenæ quidem magis Atticæ fuerunt, sed vt portentũ verbi repudiauit. Xerxem *Persarum Iouem*, vultures *animata sepulchra* nominauit, Gorgias Leontinus non est toleratus, *plebis ver* adolescentes; Demades exsibilatus est, & nostra memoria Charybdim patrimonij cum dixisset vir disertus, & sapiens, vt putabatur, in iure ciuili, Romanis auribus non placuit, adeò religiosæ sunt (vt dicis) & teretes auriculæ, vt non facilè hanc sermonis nouitatem admittant. Ac si profectò licear istius vrbanitatis (vt vocant) vt omnes diserti sentiunt, dementiæ, authores altius repetere, inuenientur vanissimi homines, qui cùm sanum Eloquentiæ succum retinere non possent, maluerunt verborum strepitu, & sententiarum tumore apud imperitos, & sui similes captare rumusculos, quàm præscriptis veterum legibus insistere. Primus opinor Dionysius Siculus, vt in regno, sic in ratione dicendi tyrannum egit, cuius ineptias commemorat historia, ὁ δὲ τὴν παρθένον νυμφεύσειν, nimis vsitatum putabat, μνᾶμα δὲ quasi *expectativam* latinè diceres, nominabat, columnam μνημεῖον τὴν ἰσχυρὰν *validipotentem*, quod valida perduraret, murium cauæ, & latebras *mysteria* ἔσω τοῦ τείχους ἐπῳκοδόμησε, quod mures seruarent, si quis hoc insolenti sermone scripras tyranni tragœdias non probaret, mittebatur in latumias, vt illic fame, & miseriâ contabesceret. Nec sanior fuit ille Vranopolidis conditor Alexarchus, qui ciuitatem pinxit in aëre: hic enim Gallum ὁ δεδεκὼν *manicatum* appellabat, Cassandri regis duces *primipilos*, *solis filios*, ad quos tanta plerumque obscuritate literas scribebat, vt Apollo Pythius interpretari non posset. At omnium, qui fuerunt, ineptissimus Pompeianus Philadelphensis qui se amicos salutaturũ dictitabat, *postquam baubam calceasset*, & is Rhetor qui stomachatus pro concione dixit, *Per duelles cùm campos pacu justulissent, belli montes fabricati essent, in Neptunias lacunas depellendos esse* Qui ita loquuntur non minus sapere possunt, quàm *benè olere*, vt aiunt *qui in culina habitant*. Hæc sunt tamen Apuleij dicta (vt vocant) *Bractеata*, hæ sunt eius rosæ, *hæ purpuræ*, hæc sunt singularia orationis ornamenta: dein excusandus est (inquit) *si quid exotici sermonis rudi l. quutor offenderit*, num potius bis accusandus, quod cum tacere posset, hæc scripserit, quibus non tam ignorantiam latini sermonis, quàm dementis ingenij importunam audaciam ostenderet? Quid de metaphoris dicam, quas me probare in oratore meo dictitat? eas nẽpè voluit metaphoras, quæ leues essent, floridæ, suaues, orationem quasi gemmis distinguerent, non isto atramento sutorio, & sordibus oblinirent; At hic omnium audacissimus, ferreas translationes, & ineptissimas catachreses, quibus totus est refertus, metaphoræ nomine appellare audebit: & vbique, & intempestiuis clamoribus ingerere? Quid quod totus est ineptus, inconcinnus, rudis, morosus, in tumore siccus, in siccitate tumidus, in grauitate puer, in puerilibus grauis, in sola inconstantia constans. Martichora profectò illa, quam finguat omnium animantium voces edere, non tot habet & tam discrepantes sonos. Idẽ rudit, hinnit, mugit, sibilat, ab asini tamen ingenio, quicquid facit, nunquam rece-

Respondes Apuleio.

Xerxis Persarum Iupiter.

Non condemnat hoc verbũ, quo sæpe vtitur, sed religionẽ Atticarum aurium ex se ostendit.

Dion. Longinus.

Ortus cacozelorum.

Dionysii in dicendo ineptia. Vide Athenæũ l. 398.

Ineptæ Cacozelorum locutiones, Dion. Tyranni stylus.

Alexarc. Cassiandri Regis frater Cacozelus.

Pompeianus in stylo ineptissimus

Metaphorarum lax & censura.

Martichora similis Apuleio.

recedit, & nos ei rudere permittemus?

Quando non hoc latrones (inqui)*t vetuerunt.*

Eat P.C. eat in Arcadiam, ampla satis regio est, illic fratres habet (vt ait) asinos sui amantissimos, inter quos rudat, quantum voluerit. In hac verò curia, in hac arce regnorum, in hac luce gentium abiectæ pecudis putidam carnem diutius tolerare nefas est. Bene moratæ ciuitates cerdonem non patiuntur nisi peritũ, nos publici sermonis, quæ vna res omnium pretiosissima est, corruptorem tandiu feremus, quandiu eius tulerit libido? Sentit se hac dudum oratione verberari Cacozelus, qui est in eadem naui cum Apuleio, nisi quod paulo doctior sibi videtur, & magis Græculus, nam reconditas habet ex antiquitate historias, verba non pauca sententiosè dicta, qualia Euandri mater loquebatur; atque vt ea per se iam satis obscura, artis opera fiant obscuriora, tum græcanicis dictionibus illigat, tum morosis, & violentis adagijs aspergit. Ad summum studet impensè, ne intelligatur, quod facilius obtineret, si omninò tacere posset. Quæso P.C. num videntur constringendi qui ita loquuntur, quid est enim aliud furere, quàm ritus ciuitatis, quàm se, suosque non agnoscere, quàm more fanaticorum, qui in sepulchris mortuorum versantur non ossa, & lapides, sed oppressa tenebris antiquitatis verba eruere; in hanc politiorum hominum lucem obtrudere? Quid est aliud insanire, quàm secum Oscè, Volscè, Barbarè loqui, & mutire, quod nemo intelligat. Expectatis, vt post verborum furores veniant ad verbera, & nos graphijs in Curia lanient? Num verò D. Augusti sententia satis vobis damnati videntur, qui eorùm ineptias, atque inconcinnitatem, *reconditorum verborum fœtores* nominauit, Cacozelosque, & antiquarios vt diuerso genere vitiosos, tantò spreuit, vt ne mœcenati quidem suo, & Tiberio, & Agrippinæ nepti parceret? Quid Tiberius sermone Græco, quanquam alias promptus, & facilis; non tamen vsquequaque visus est, abstinuitque maximè in senatu, adeò quidem, vt *monopolium* nominaturus, *prius veniam postularit: quod ei verbo peregrino vtendum esset. Atque etiam in quodam decreto Patrum,* ἔμβλημα *recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendã, aut si non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam:* Nos deinde passim sine vlla verborum penuria, imò in vbertate maxima, & hoc dicendi genere græcè loquemur?

Confutat cacozelos.

Augustus cacozelorũ osor.

Tiberius in tribus religiosus.

Non absurdè hic vtitur exẽplis, cum res fingatur agi in Elysio post extrema eloquentiæ tempora.

Sueto. in Tiberio,

Cacozelis proximi sunt Antiquarij, qui licet dictione sint moderatiores, & magis sani, rerum tamen ac testimoniorum syluam passim ingerunt, quod dum faciunt, doctorum quidem scholiastarum nomen apud prudentes obtinent, oratores non magis esse possunt, quam ribicines Citharœdi, nisi quis fortè vestrum delirare Demosthenem existimet, qui hæc non habeat, Athenæum verò aut Heraclidem Lembum, istis antiquitatibus refertos, summos oratores putet.

Delabitur ad caussam antiquariorum.

Antiquarij oratores non sunt.

Subtilis res est eloquentia, & verus diuinitatis radius, tot commentariorum sylua, quasi nebulis obscuratur potius, quam lucet. In quo doleo summos viros, & ad magna eloquentiæ decora natos, quasi eos oratoriæ puduisset, hac infesta veluti scabie, se ad Grammaticorum artes abiecisse.

De Pædatiode, eiusque contubernalibus nihil dico: alia ratio eorum est, quorum amentiam reprehendo; alia eorum, quorum pueritię ignosco: Teneri sunt adhuc pusiones, auent, prout fert puerorum ingenium iocari, ludere, volitare, verba legere figuris intexere, descriptionibus totas orationes implere: Nolim, ad viuum resecare omnia, ne si illa, quæ primum effertur in adolescentibus, quasi quædam sylua dicendi, seueriore falce rescindatur, penitus exarescat. Equidem descriptiones rerum, quæ sunt velut exornationis gemmæ, in magnis oratoris diuitijs numero: totas tamen ex descriptionibus conflare orationes, aut vbi nihil opus est, auidiùs consectari, non modo ab hac forensi luce, sed ab ipsis penè scholæ parietibus alienum puto. Longè aliter facit Buteo, quippe homo durus, & recens ex Stoicorum schola omnes orationis ornatus negligit, nullas figuras, nullos ambitus, nullos admittit numeros, strictè, concisè, exiliter perorat, eloquentiam in quoddam necessitatis pistrinum compingit, & in eo se merum Atticum putat: in quo, quantus est error eorum, qui sibi hanc rationem dicendi arripuerunt! etenim, si omnibus ornamentis denudanda est oratio, eodem profecto iure spolianda natura est, à qua hęc facultas cernitur expressa, ex quo peccauit illa mens æterna mundi opifex, quæ nihil voluit non ornatum, & opus suum mundum ab ornatu nominauit. Si nullus adhibendus est ornatus, cur tot in vniuerso species iucunditatis, voluptatis, pulchritudinis: cur mũdus

De stylo puerili.

Contra siccos, pro ornatu orationis.

Mundus ab ornatu verè dictus.

dus cœlo, cœlum stellis, stellæ luce collustrantur (cur terra vestitur floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur? Si nullus adhibendus est ornatus, quid volunt tot fontium gelidæ perennitates? quid liquores amnium? quid riparum vestitus viridissimi? quid impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum? si nullus adhibendus est ornatus, quid reconditæ auro, argentoque venæ? quid infinita vis marmoris? quid tot genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? quid volucrum lapsus, & figuræ: quid hominum operibus agri, & insulæ colluentes? quid tot insularum varietas? quid amœnitates orarum, & littorum? quid tot genera, tamque disparia, partim submersarum, partim fluitantium, partim innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium?

Orationis Ornatus.

An cum Deus naturam tam comptam, & elegantem esse voluerit, orationem naturæ veram imaginem ab homine, quasi inertissimo pictore negligi patiemur? an cum nos picturæ abditæ, horridæ, inculte deterreant, contrà nitidæ lætæ, collustratæ delectent, in oratione concinnitatem sententiarum, argutos, certosque verborum ambitus, omne denique delectationis aucupium fugiemus? At illi ipsi, qui se ornamenta negligere dictitant, affectant putidius, dum omnia acutissimis conclusiunculis vincere studeant, quo fit, vt sæpius adeò sint exiles, vt auditotis vel nauiter eruditi sensus, animumque præterualent. Dixi P. C. de aduersariorum vitijs magna breuitate, non insultandi causa, quod meum nec fert ingenium, nec, si ferret, pateretur auctoritas; sed vt confutatis ineptissimorum hominum sententijs clarius sua luce Regina terrarum eloquentia fulgeret. Scio facilius esse errores styli castigare, quam veram dicendi rationem in tanta rerum, ingeniorumque varietate tradere: dabo tamen singularem operam, vt respondeã expectationi vestræ, & quod optimum sit dicendi genus, veluti digito demonstrem, si modo contortas in me inimicorum calumnias, duce (vt arbitor) veritate, vestrisque omnium studijs diluero.

Intelligo (Iudices) duas totius accusationis partes fuisse, vnam in reprehensione vitæ, alteram in styli contentione esse versatam: Et prima illa quidem, quæ grauissima esse debebat, ita fuit infirma & leuis, vt illos maledicendi communis rabies potius, quàm vera facultas de Cicerone dicere aliquid coegerit.

Obijciunt mihi ingenij arrogantiam, quod ipsum per se crimen graue est, nec etiamsi falsò accuseris, negligendum. At quàm acutè colligunt? Cęstius nescio quis terręfilius, homo nó modò improbæ, sed importunæ dicacitatis, à filio meo procõsule castigatus est in conuiuio, quid tum? placuit res omnibus, tantus enim erat hominis græculi fastus, vt tolerari non posset: testis ille, quem honoris causa nomino, Cassius Severus, qui eundem Cæstium, cũ aduersus me declamaret, ita incipientem audiuit, *Si Thrax essem, Fusius essem*: (erat hic Fusius notissimus gladiator) *Si Pantominus essem, Bathyllus essem: si equus, Melissio*, non continuit bilem Severus, vir alioqui lenissimus, sed palã exclamauit: *& si cloaca esses, magna esses*: quia voce excitati cæteri fortes iuuenes, & eruditi, cœperunt declamatorem lapidibus insectari, qui in eo ipso loco necatus fuisset, nisi nostrorum clementia seruasset; tandem *ingrati postulatus*, cùm ipse, quod ab eo requirebatur, vt Ciceronem se disertiorem semel fateretur, præstare nollet, incredibili omniũ consensu, Proconsul litè dissoluit, & hominem, vt decebat, excepit.

Cæstius Ciceronis obtrectator malè multatus.

Seneca Suasor. 7.

En crimen, en caussa, cur reus sit apud vos Tullius, quòd ganeonem Græculum omnium iudicio damnatũ, eius filius cum imperio coercuerit: sed fac esse flagitium, fac scelus, fac si vis, parricidium, iniquam conditionem statuis moribus hominum, si mortui parentes apud Minoem & Rhadamantum, ea quæ liberi eorum committunt in terris, suo capite luere debeant: hoc igitur accusationis genus, tanquam vanissimum omittamus: Stylum meum variè exagitant, vt solent, partim adolescentes rerum imperiti, partim etiam viri, sicci quidem illi, & austeri, qui tamen, vt ait Poeta, adhuc *in arte iuuenantur*, suoque ingenio adeò metiuntur eloquentiam, vt quicquid sibi non placuerit, hoc ipsum continuò repudiandum putent: his ergo nec placere possum, nec volo, quib displicere gloriosum puto: alij me doctrinæ expertẽ: alij languidũ, & redundantem: alij nimis mollẽ, & comptũ arguunt: malunt ad summũ omnes, pro sui ingenij prauitate liberiùs obtrectare, quã pro rei veritate, quid cõgruat, intelligere. Ac primum doctis illis respõdeo, me in bonis disciplinis plurimũ momenti sẽper posuisse, à quibus nulla pars ętatis meę vnquã abhorruit: quippe cũ ab adolescẽtia ijs essẽ institutus artibus, quibus ingenia excitãtur ad decus; eædem ingraescẽti ætati, non modò perfugi-

Ciceronianũ styli defensio. Rationem reddit suis stylis.

Aduersus eos, qui Ciceronis stylum minimè doctum dicunt.

fugium, sed & voluptatem pepererunt. Ego nostrorum hominum, & Græcorum monumẽta omnia magno, & incredibili labore perlegi, hausi, expressi, pectusque rerum omnium copia, & vbertate compleui, nõ tamen ea lege, vt cum nihil opus esset, hæc coram multitudine in conciouibus effutirem, quæ & inuidiosa sunt, & ostentationem vanitatis habent non mediocrem. An quia Timæum Gorgiam, Thucydidem, Platonem in cõciouibus ad populũ, aut in deliberationibus negotiosis græcẽ non cito, idcirco indoctus videor? an quia cum de Verris furtis, de exilio Milonis, de Deiotari vita, & fortunis agitur, Agememnonas, Xerxes, Darios, Alexandros, Dodonæos fontes, cataractas Nili, Menippi empusas non commemoro, idcirco literarum expers iudicor? parior me imperitum dici, dummodò quæ hæc faciunt, se pueris ipsis magis pueros, vel sui Buteonis testimonio fateantur. Qui me redundantem dicunt, nomen redundantiæ vsurpant, quid ipsa planè sit, ignorant. Hoc redundare est, quod faciunt, cum vanissima verborũ profluentia, sine vllo delectu luxuriant: hoc fusè dicere, quod facio, cum mihi nullum verbum excidat non consultò positum, & quod ad rem illustrandam, aut augendam, aut minuendam non faciat. Itaque hanc mihi dicendi temperiem constituisti, vt Asiaticis pressior, & austeris illis Atticis copiosior essem, auseram in eo sicut in cæteris mediocritatem sequutus: quod si quædam latius aliquando videantur excurrere, apud populum R. dicuntur, cuius aures fælebrosam illam, exilientem, & vbi minimè expectes relicturam orationem, ferre non poterant, fuso, æquabilique genere dictionis assuetæ. At illi Oratores ineptissimi, qui primam eloquentiæ partem, prudentiam, non vident, in eo ipso me reprehendunt, quod totum laus, & gloria occupauit, apud plebem, scilicet, concise dicere, & frigidis acuminibus sententias frangere oportebat, vt non intelligeret, hoc ipsum idem est, ac si velis Herculis colosso, Pigmæi calceos accommodare. Res est tota popularis eloquentia, populo, & scenæ seruiendum, aut omninò tacendum est.

De mollitie, & suauitate orationis quid dicam? verendum est, ne prænaricatores mihi apposuisse videar, qui me loco criminum clarissimis laudibus ornarent: Esto, compositio mea vna est, pedẽ seruat curata, lẽta: sed, vt rectè de me prudẽtiores cẽsent, est hæc infamia mollis. Plato Philosophorum Deus, summa senectute calamistris inurebat orationem, Demosthenes anxiè literulas obseruabat, ne quid durius cusum excideret: Isocratis compositæ sunt omnes dictiones, vt in pauimento tesserulæ. Mihi si quid natura, & continua scribendi exercitatio attulit, vt sine salebris flueret oratio, quod tamen nec putidius affecto, nec austerius repudio: quid est, obsecro, quod me pulchritudinis, & honestatis pudeat? & tu deinde audes, Luci, clarissimorum virorum testimonijs, quæ tu tibi ipsi ad arbitrium fingis, me lacessere? tuum stylum extollere, meum contemnere? ô tenebræ, ô lutum, ô sordes, ô humani nominis oblite, asinini vix memor! Ita nescio quid istis fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quod Milesio asino dignum videatur: tu me Bruti nomine insectari audes? an ille quenquam plus me dilexit? cum vllo, aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quenquã legit auidius? cuius vix scripta poterat è sinu deponere. Ac si quid pro familiaritate nostra dixit in me vrbanius, vt ego multa in illum identidem iocari solebam, tu cõtinuo illud arripis, & nõ vides te plũbeo (quod aiunt) gladio Ciceronem iugulare? Me C. Cæsar *summum oratorem* nominat: Seneca summum & eloquentissimum oratorem; *ingenium par solum Imperio R. maxo* appellat, literarum latinarum parẽrem censet Plinius; virum acrem, magnum memorabilem Titus Liuius; egregium artis caput Corn. Seuerus; admirabile posteris ingenium Arellius Fuscus; virũ sani pectoris, & Romanorum omnium disertissimum Athenobius; indomitum Ciceronem Petronius; elocutionis fabrum Sidonius; incendiũ deuorãs omnia ipse, qui hic sedet, Cassius Longinus. Tu Asine ad tanta lumina hiscere audebis, & me gloria circumfluentem, de cælo (quod aiunt) detrahere.

Expositi P. C. rationem defensionis meæ, à vobis benignè sum auditus, addam de optimo genere dicendi, quãdo vobis ita placet, & me in hoc genere versantem tam lubenter attẽdis. Ego vero sic statuo, eloquentiæ veluti animam esse prudentiam, sine qua nec oratores vlli, nec imperatores esse potuerunt: hæc sapientia imprimis adhibenda eloquenti est, vt sit temporum, personarũq; moderator, nã nec semper, nec apud omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicẽdum arbitror. Tria sunt omninõ genera dicẽdi, quibus in singulis quidam floruerunt, peræq; autẽ id quod volumus,

Redundantia vitium obiectum diluit.

Hoc est Iulij Seuriani de Cicer. iudicium in Syntom.

Prudentia, primapars oratoris.

Platonis, Demosthenis, Isocratis oratio

mollis. Hoc est Seneca iudicium, destructura Ciceronis.

Exagitat Apuleium.

Testimonia & iudicia de Ciceronis ingenio, & stylo Sen. cont. l. 1. Hæc, vt in Elysiis campis dicũtur, & sic censemus tempora.

Iudicium de optimo stylo.

Anima eloquentiæ est prudentia.

Tria dicendi genera.

Prima figura grandiloqua.

Altera tenuu.

Tertia mediocru.

mus, perpauci in omnibus. Primum est, vt ita dicam, grādiloquum cū ampla & sententiarū grauitate, & maiestate verborum, varium, copiosum, graue ad permouendos, & commouendos animos institutum, & paratum. Alterum tenue, acutum, omnia docēs, dilucidiora, non ampliora faciens, subtili quadam & pressa oratione limatum. Tertium quoddam interiectum est intermedium, & quasi temperatum, nec acumine posteriorum, nec fulmine vtens superiorum, vicinum amborum, in neutro excellens, vtriusque particeps, vel vtriusque, si totum quærimus, totius expers: idque vno tenore (vt aiunt) in dicendo fluit, nihil afferens, præter facultatem, aut æquabilitatem, aut addit aliquos, vt in corona, toros, omnem orationem ornamentis modicis verborum, sētentiarumque distinguit. Quomodo igitur ista conciliabimus, vel quem eloquentiæ modum constituemus? res est difficilis, Dij immortales, atque omnium difficillima. Nam cùm est oratio mollis, & tenera, & ita flexibilis, vt sequatur quocunque torqueas, tum & naturæ variæ, & voluntates multùm inter se distantia effecerunt genera dicendi: flumen igitur verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: diiuncta alijs, & interpuncta interualla, moræ, respirationesque delectant: elaborant alij leuitate, & æquabilitate, & puro quasi quodam, & candido genere dicendi. Sunt omnes laudabiles sed

Quis stylus optimus.

is est eloquens, qui ad id, quodcunque decebit, poterit accommodare orationem, qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè dicere poterit.

Quomodo cuiq; argumento stylus sit accommodandus.

Tractandum est demonstrationum genus? quod quasi ad inspiciēdum delectationis causa comparatum est, genus orationis fit pictum, expolitum, elaboratum, artem non modò habeat, sed & profiteatur. Datur hic venia cōcinnitati sententiarum: & arguti, certique, & circumscripti verborum ambitus conceduntur, de industriaque, non ex insidijs, sed apertè, ac palam excolitur oratio, multaque ad voluptatem aurium afferuntur, quæ in veritate caussarum, & rariùs multò facimus, & multò occultius. Caussa in foro disceptanda est? principia sint verecunda; non elatis inter se verbis, sed acuta sententijs, narrationes credibiles, quotidiano sermone prope explicatæ, dilucidæ, etsi res tenuis, tum argumentandi tenue filum, & in docendo, & in refellendo: si magnæ adhibeantur dicendi faces, quæ efficiant orationem actuosam, luminosam, vehementer incitatam, ad summum talem, qualem facilius sit mirari, quàm imitari, traducenda est ad Philosophorum documenta, & scholas oratio? appareat inimitabilis quædam orationis subtilitas, quæ si non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet. & si soluta sit, non vaga tamen esse debet, vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare; ad summum tota non ingratam diligentiam præ se ferre, hominis, de re magis, quàm de verbis laborantis: hæc qui præstare potest, non modò disertum, sed eloquentem: non Rhetorem, sed summum Oratorem iudico. Sed proh dolor! quàm pauci nunc, & penè nulli hanc generositatem animi retinent, postquam effusa in vrbem barbaries, se Romanis moribus, vrbanitatique miscuit! Conseruate, quando adhuc potestis, Dij immortales, eloquentiam, Imperij Romani lumen, hæc nomen populis, hæc æternam gloriam gētibus comparauit, hæc res in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisque ciuitatibus præcipuè semper floruit, præcipueque dominata est: hæc huius sanguinis propria est, & numinis. quæ, quo tela nostra non potuerunt, honoris quadrigis inuecta penetrauit. Nolite, ô Minerua, & Suada, vos hic appello, nolite per vestras aras, & fana, per vestrum nomen obtestor, nolite altricem nostræ gloriæ, dominam gentium, parentem felicitatis, per impuros homines, morte, cruciatu, cruce diutius affligere: reddite, quem dedistis spiritum, vitam languenti restituite, præsidia salutis, & ornamenta dignitatis reparate, temerarioque, & audaces, debitis huic scelerum importunitati supplicijs, viuos, mortuosque mactate.

DIXI.

Facilè est ex hac actione, & Ciceronis iudicio, styli virtutes, & vitia adnotare. quo tamen tota res fiat illustrior, primùm imaginem mali oratoris ex Luciano expressam, mox censuram vitiorum, tertiò virtutes eloquentiæ subijcio.

MALVS ORATOR,

Totus ex Luciano fermè expressus.

Εν ῥητόρων διδασκάλῳ.

CAPVT XXIII.

Titul. orator.

QVod igitur felix, faustumque sit, fac vt sis imprimis temerarius, audax, & nauiter impudens: his vbi fueris armis instructus, satis doctum te putabo, cum præsertim *pretiosissima nostri ludi supellex sit ignorantia.* Mediocritatem, pudorem & verecundiam, extra Caucusum, & Gangem ablega: sunt enim oratori quem molimur, perquam contraria. Quinimò affer tecum *Stentoris valentissimam vocem semper* cantillantem, & incessum, qualis hic noster est. *Vestitus* sit cultus, & elegans, opus Tarentini velleris, Crepida Attica ad muliebres delicias in varios meandros concisa, vel solea Sicyonia candidis, purpureisque fasciolis interstincta. Libellus aureis flosculis illusus gestetur in manu, quem nunquam legas, *Assecla* comitentur multi, qui tibi, vt *Psaphonis aues* identidem istud adgarriant; καλῶς, νομψῶς, θείως, ὑπερθείως. Interim, ne videaris omninò antiquæ literaturæ nescius, latiniora quædam verba intelligenda sunt, quæ tu semper in ore habeas, *Equidem sic arbitrabar, Ne vehementer errat, Multò profectò rectius, Idipsum esse videatur.* De cæteris securus esto, quantumuis inconcinna, dura, rancida, quasi nummos melioris notæ tua venditabit impudentia. Nec satis, antiqua, obsoleta, peregrina; ad summum, qualia Euandri mater loquebatur verba, sollicitè legere, & colligere oportet, quæ tu deinde magna linguæ volubilitate in adstantes intorqueas, vt illi te, quasi hominem è cœlo lapsum, & (quod aiunt) loquentem de machina venerentur, quod si quando verborum copia non fuerit, tu pro arbitrio confice, & cùm barbarismus, aut solœcismus exciderit, confestim in promptu sit nomen poëtæ cuiusdam, vel scriptoris, qui nec est, nec fuit vnquam, vt cùm ita dixeris, vir doctus censearis. Præterea fac nouorum scriptorum affectatas orationes semper habeas in manu, quas, vbi cautè facere poteris, pro tuis vendites: putidum verò Isocratem, inurbanum Demosthenem, frigidum Platonem, ingenij expertem Tullium non pluris æstimes, quàm cariosam maceriam, aut vitiosam nucem. Mox, cùm in ludum, certamenque veneris, &, vt fieri solet, orationum argumenta proponentur, dic omnia exilia esse, & angusta, te tamen conaturum. Caue tunc mediteris, quomodo orationem distribuas in partes, hoc enim frigidorum est hominum, tu dic quicquid in buccam, etsi contingat te pedem capiti, ocream galeæ, caudam iubæ aptare, quid ad te, modò ne taceas?

Eius dispositio tumultuaria.

Si de scisso pallio, aut de balneatoris quadrante caussula Romæ agenda sit, tu omnem antiquitatem Atheniensium commemorabis; quæ apud Indos, & Ecbatana gerutur referes, mores etiam Scytharum interpones. In omnibus verò sit Marathon, & Cynegyrus, sine quibus nihil fiat: Athos nauigetur, Hellespontus pedibus teratur, sol Persarum telis opacetur, Xerxes fugiat, triumphet Leonides, Othryadę literæ cruore scriptæ legantur, Salamis, Artemisia, & Platea, ad satietatem vsque inculcentur, quibus pauca illa verba, *peraque, certè, quidem, profectò, vtique,* tanquam flosculi immisceantur, etsi minimè res indigeat. In affectibus porrò illud: *heu malorũ! Dij immortales! per deos, deasque omnes!* sæpè iteretur, & caput verberetur, & vox vlulet, percutiatur femur, etiamsi vel mortem tantum passeris luxeris. Inter hæc, si videris tædio affectos auditores de discessu cogitare, nauiter retine, & quamprimùm sedere iube: tum ab Iliacis vsque temporibus, vel per Iouem, à Deucalionis, si videtur, & Pyrrhæ nuptijs (quid enim interest) historias ordire, & ad hæc vsque tempora longa rerum, & verborum serie deflecte. Si non laudent auditores, apertè conuiciare; neque enim melior es Philagro præstantissimo illo quidem, sed parum iracundo Rhetore, qui de suggestu defiliens, alapam sanè benè sonoram, in os auditoris, ad ea, quæ dicebantur oscitantis, incussit; ita timebunt, credo, alias doctis esse molesti, & si quid dixerint, ob inuidiam facere videbuntur. Multitudo verò, & formam, & incessum, & deambulationem, & cantum, & crepidas, & cætera mirabitur: scenici porrò à te conducti non cessabunt applaudere, & cœnarum tibi pretium rependere; quòd si quando memoriola vacillaueris, porrigent manus, & interim laudabunt, dum quid loquaris inuenias. Hæc si ad vnguem, Rhetor esse poteris citius, quam coquuntur asparagi.

Ineptia in historijs.

Pilagri Oratoris audacia ridicula.

In hoc toto dicendi genere, nihil est sanum, nihil syncerum, nihil non rationi, & eruditissimis hominum sententijs contrarium. Nam, si pris-

si prisca quæruntur, quid tam absurdum, quã a loqui, quibus non intelligaris, cùm maximè cupias intelligi? quid stultius? quam si cũ habeas nummos præsentes, asperos, legitimo charactere impressos, illis per summam leuitatem non vtaris: sed alios è sepulchris moturorum coneris eruere, quos nemo agnoscat, nemo velit, qui modò sapiat, pro legitimis habere? quid tam arrogans quàm verba fingere, & velle nouæ linguæ auctorem atque architectũ haberi, quam ne vix quidem ipse intelligas? quid inanius quàm metaphoris totam orationem implere, & cùm verba sint notionum veluti simulacra, ea nouis subinde imaginibus obscurare, & quasi vmbras vmbrarum facere? Quid denique stolidius quàm Pygmæo caligam Maximini adaptare?

Omnes quotquot fuerunt dicendi, scribendi, sentiendique magistri peritiores, hoc genus aspernati, vno consensu damnarunt.

Censura Antigoni Regis.

Iudicia de stylo Antigoni, Augusti, &c. Item Plut. in Apoph. Censura stylo tumidi condemnatio.

ANtigonus Rex prudentissimus, fatuum Rhetorem, nouis & affectatis verbis vtentem, ad aures plebeias remisit: Talis autẽ fuit eius oratio; χιονοβόλος ἡ ὥρα γενομένη λειποθυμεῖν ἐποίησε τὴν χώραν, *Niuiiscula tempestas exorta herbarescere totam fecit regionem.* Cui Antigonus, οὐ παύσῃ μοι, inquit, ὡς ὄχλῳ χρώμενος; *Nunquam desines regi tanquam vti proplebeio?*

Censura Augusti Cæsaris.

Suetonius in Aug. 86.

GEnus eloquendi secutus est elegans, & temperatum, vitatis sententiarum ineptijs, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, vt ipse dicit, fœtoribus; præcipuamque curam duxit, sensuum animi quam apertissimè exprimere: quod quò facilius esse efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque coniunctiones sæpiùs iterare dubitauit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent; cacozelos, & antiquarios, vt diuerso genere vitiosos, pari studio spreuit.

Mœcenatis μυρόβριχες concinni.

Exagitabat nonnunquam in primis Mœcenatem suum, cuius μυρόβριχες (vt ait) cincinnos vsquequaque persequitur, & imitando per iocum irridet. Sed nec Tiberio parcit, & exoletas, & reconditas voces aucupanti, M. quidem Antonium, vt insanum increpat, quasi ea scribentem, quæ mirentur potiùs homines quam intelligant. Deinde ludens malũ & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addit hæc: Tuque dubitas Cimbérne, Annius, an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? ita, vt verbis, quæ C. Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis, vtaris, an potius Asiaticorum inanibus sententijs, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda? & quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: Sed opus est, inquit, date te operam, ne molestè scribas, aut loquaris.

Censura Apollonij.

Philost. in vita Apollon. l. 1. ὑπερατ ζιν.

Λόγῳ ἡδέως ἐπήκτησεν οὐ διθυραμβεύσῃ, οὐδὲ ἐν χαυνολωπισμένῳ, οὐδὲ ἐν ὑπερατ ζίζουσαν ἀηδὲς γὰρ τὸ ὑπὲρ τὴν μέζιαν ἀτδίδα ἡγεῖτο.

Nunquam vsurpauit genus dithyrambicũ, poeticis nominibus ampullatum, neque lenocinantibus voculis concisum, & supra Atticorum consuetudinem venustum.

Censura Dionysij Longini.

Dionysius Longinus περὶ ὕψους.

Εἰκὸς ἔνεστι τὸ οἰδεῖν, ὡς τῆς μάλιστα δυσφυλακτότατον. φύσει γὰρ ἅπαντες οἱ μεγέθους ἐρασθέντες, ῥεύγοντες ἀδενείας καὶ ἐκρότητος καταγνῶσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπὶ τοῦτο ἐκτρέπονται, πεπαδόμενοι τῷ,

Μεγάλως ἀπολιδαίνειν ἁμάρτημ' ἐυγενές.

καὶ οἱ ὄγκοι, καὶ ἐπὶ σωμάτων, καὶ λόγων, οἱ χαῦνοι, καὶ ἀνάπλεῳ, καὶ δόκησιν περιπάντες ἡμᾶς εἰς τὸ μεγαλοπρεπὲς· οὐδὲν γάρ, φασι, ἐκρότεον ὑδρωπικὸν ἀλλὰ τὸ μὲν οἰδῶν ὑπεραίρειν βέλεται τὰ ὕψη.

Est certè tumor maximum orationis vitiũ, idemq; frequentissimum, quia naturâ omnes, quod & in rebus, & in sermonibus excelsum, desideramus, & ne enectæ imbecillitatis crimen incurramus, inflari volumus, & prouerbio locum damus;

Errare in magnis est nobilis error:

sed tumor, vitiosus est, non minùs in corpore quàm oratione, & tumidi plerumque degenerant in siccos: nihil enim hydrope siccius, & tumidius. Hæc magnus oratorum Criticus, cũ quo faciunt Plato, Aristoteles, Cicero, & omnes quotquot sunt optimi.

CONDEMNATIO

Μειραχιῶδες.

Censura Plutarchi.

CAPVT XXIV.

HOc totum dicendi genus Plutarchus graviter, & copiosè descripsit, & castigauit, vt nihil mihi magnificentius, nihil vtilius dici videatur, dignum quod hic aureis apicibus describatur :

Ἐχει δέ τι καὶ ἡ λέξις ἀπατηλὸν, ὅταν ἡδεῖα, καὶ πολλὴ, καὶ μή τινος, καὶ κατασκευῆς ὑπερέχηται τοῖς πράγμασιν. ὡς γὰρ τῶν ὑπὸ αὐλὸν ἀδόντων αἱ πολλαὶ τοὺς ἀκούοντας ἁμαρτίαι διαφεύγουσιν, οὕτως περιττὴ καὶ σοβαρὰ λέξις ἀνέλαμπει τῷ ἀκροατῇ πρὸς τὸ δηλούμενον. Ὁ μὲν γὰρ Μελάνθιος, ὡς ἔοικε, περὶ τῆς Διογένους τραγῳδίας ἐρωτηθεὶς, οὐκ ἔφη καλὸν εἶναι αὐτὴν ὑπὸ τῶν ὀνομάτων ὑπαποδυομένην. αἱ δὲ τῶν πολλῶν διαλέξεις καὶ μελέται σοφιστῶν, οὐ μόνον τοῖς ὀνόμασι παραπετάσμασι χρῶνται τῶν διανοημάτων; ἀλλὰ καὶ τὴν φωνὴν ἐμμελείας τισὶ, καὶ μαλακότησι, καὶ περιάτοις ἐρεθίζουσαι ἐκβακχεύσι, καὶ περιφέρουσι τοὺς ἀκροωμένους, κενὴν ἡδονὴν διδόντες, καὶ κενωτέραν δόξαν ἀνελαμβάνοντες. ὥστε αὐτοῖς συμβαίνει τὸ Διονυσίῳ ῥηθέν· ἐκεῖ γὰρ, ὡς ἔοικεν, εὐδοκιμοῦντι κιθαρῳδῷ παρὰ τὴν ᾠδὴν ἐπαγγειλάμενός τις μεγάλας, ὕστερον οὐδὲν ἔδωκεν, ὡς ἀποδεδωκὼς τὴν χάριν. ὅτον γὰρ, ἔφη, χρόνον εὐφραίνες ἄδων, τοσοῦτον ἔχαιρες ἐλπίζων. τοῦτον δὴ τὸν ἔρανον αἱ τοιαῦται πληροῦσιν ἀκροάσεις τοῖς λέγουσι. θαυμάζονται γὰρ ἐφ' ὅτον τέρπουσιν· εἶτα, ἅμα τῇ ἀκοῇ διαρρεῖ τὸ ἡδὺ, κἀκείνους προλέλοιπεν ἡ δόξα· καὶ μάτην τοῖς μὲν χρόνος, τοῖς δὲ βίος ἀνάλωται. διὸ δεῖ τὸ πολὺ καὶ κενὸν ἀφαιροῦντα τῆς λέξεως, αὐτὸν διώκειν τὸν καρπὸν, καὶ μιμεῖσθαι μὴ τὰς σιφλοκόκκας, ἀλλὰ τὰς μελίσσας, αἱ μὲν γὰρ ὑπὸ ἄνθρα καὶ ἐυώδη τῶν φύλλων, σωρεύουσι, καὶ διαπλέκουσιν ἡδὺ μέν, ἐφήμερον δὲ, καὶ ἄκαρπον ἔργον. αἱ δὲ, πολλάκις ἰὼν, καὶ ῥόδων, καὶ ὑακίνθων, διαπετόμεναι λειμῶνας, ἐπὶ τὸν τραχύτατον καὶ δεινότατον θύμον καταίρουσι, καὶ τούτῳ προσκάθηνται, ξανθὸν μέλι μηδόμεναι, καὶ λαβοῦσαι τῶν χρησίμων. ἀποπέτονται πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον. οὕτω δὴ δεῖ τὸ φιλότεχνον καὶ καθαρὸν ἀκροατὴν, τὰ μὲν ἄνθρα καὶ ζυφερὰ τῶν ὀνομάτων, καὶ τῶν πραγμάτων τὰ δραματικὰ, καὶ πανηγυρικὰ, κηφήνων βοτάνην σοφιστῶν ἀγέμονον, ἐᾶν· αὐτὸν δὲ τῇ προσοχῇ καταδυόμενον εἰς τὸν νοῦν τοῦ λόγου, καὶ τὴν διάθεσιν τοῦ λέγοντος, ἐλκειν ἀπ' αὐτῆς τὸ χρήσιμον, καὶ ὠφέλιμον.

Ipsa, inquit, etiam dictio habet quippiam ad decipiendum conducens, si rebus applicetur suauis, & copiosa. & cum fastu aliquo, atque apparatu. Sicut enim eorum, qui ad tibiam canunt, errores plerique latent auditores; Ita abundans, atque ornatu superbiens dictio animum auditoris perstringit, ne rem de qua agitur intelligat. Et Melanthius quidem interrogatus (vt aiunt) de Diogenis tragœdia, negabat se eam videre, quod vocabula eius conspectum intercluderent. Sed plerorumque sophistarum orationes, atque declamationes, non vocabulis modo tanquam cortinis velant sententias; sed vocem quoque accuratis quibusdam sonis, ac mollitie, & cantillationibus illi edulcantes, bacchicum quendam furorem in auditorum animos concitãt, eosque transuersos abripiunt: pro vana, quam adferunt voluptate, vaniorem etiam gloriolam reportantes. Itaque illis vsu venit id, quod Dionysium ferunt dixisse: qui cum Citharœdo cuidam præclara cum approbatione cantanti inter audiendum magna quædam dona promisisset, deinde nihil dedit, persoluisse sese iam ei gratiã dicens: qui quanto tempore canens delectasset, tanta etiam spe fuisset oblectatus. Atque hoc stipendium tales auditores dicenti rependunt. Is enim in admiratione est, quãdiu voluptas & dicentis existimatio, & alter tempus, alter vitam frustra perdidit. Proinde oportet copia, & vanitate dictionis remota ipsum persequi fructum, imitarique non eas, quæ serta plectunt mulierculas, sed apes. Illæ enim florida, & odorata sectantes folia, conferunt, atque pertexũt opus, iucundũ quidem illud, sed in diem duntaxat durans, atque infrugiferum: hæ sæpenumerò prata peruolitantes, hyblæarum rosarum, hyacinthorumque copia consita in thymum aspermium, atque

Melanthii dictum acutum.
Diogenu tragœdia.
Pronuntiatio mollis.
Dionysius quomodo soluerit Citharœdo.
Oratores debẽt imitari Apes, nõ sirphos.

atque gustus acerrimi deferuntur, eique assident mel meditantes flauum: perceptoque vtili succo ad suum reuolant opus. Eo itaque modo debet syncerus, artisque studiosus auditor omittere florida, & luxuriosa verba, resque ad actiones scenicas, aut spectacula pertinentes, easque putare pro pabulo fucorum sophisticem ambientium: animo autem in ipsos orationis sensus penetrare, intentionemque dicentis, & quod vtile est, atque commodum, ad se trahere.

CONDEMNATIO SICCORVM.

Cornelij Taciti Censura.

CAPVT XXV.

Cornel. Tacitus in dialog. de claris oratoribus.

EGo autem oratorem sicut locupletem, ac laudatum patrem familiæ, non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem, ac ventum arceat, sed etiam quod visum, & oculos delectet. Non ea solum instrui supellectile, quæ necessarijs vsibus sufficiat, sed sit in apparatu eius, & aurum, & gemmæ, vt sumere in manus, & aspicere sæpius liceat; quædam verò procul arceantur, vt iam obliterata, & olentia. nullum sit verbum velut rubigine infectum: nulli sensus, tarda, & inerti structura in morem annalium componantur, fugiat fœdam, & insulsam scurrilitatem, vatier compositionem, nec omnes clausulas vno, & eodem modo terminet. Nolo irridere rotam fortunæ, & ius verrinum, & illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententia positum, *esse videatur*. Nam & hoc inuitus retuli, & plura omisi, quæ tamen sola mirantur, atque exprimunt, hi qui se antiquos oratores vocabant, neminem nominabo, genus hominum signasse contentus: sed vobis vtique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio, & Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia tui Aufidij Bassi, aut Seruilij Nouiani ex comparatione Sisennæ, aut Varronis sordet: qui Rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, & oderunt, Calui mirantur: quos more prisco apud iudicem fabulantes, non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeò mœsti, & inculti illam ipsam, quam iactant sanitatem infirmitate, & ieiunio consequuntur. Porrò ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingat. Parum est ægrum non esse, fortem, & lætum, & alacrem volo.

Ornatus orationis. Verborum delectus, compositio. Scurrilitas fugienda. Clausula periodorum. Esse videatur.

Valetudo bona quæ?

Prope abest ab infirmitate, in quo solo sanitas laudatur.

De vera, Germanaque Eloquentia.

CAPVT XXVI.

AGe quoniam tibi orationis vitia subiecimus, germanæ eloquentiæ virtutes, & opulentiam contemplemur, quæ non modò eorum, quæ superius enumeraui vitiorum caligine non offundetur; sed clarior ipsa, & illustrior: non secus, ac sol erumpens ex nube apparebit. Pausanias Lacedæmoniorum Imperator (vt aiunt) victo Mardonio, quem Xerxes è Græcia fugiens luctuosi belli vicarium reliquerat, regiam suppellectilem contemplatus, quæ in suam venerat ditionem, iubet continuo Pistores, ac coquos Persarum, sibi Xerxis, aut Mardonij cœnam parare; ex aduerso Laconicum parabili admodum cultu instruit. Ita ex vna parte aurum, argentum, conchiliatæ vestes, & Attalicæ, lecti elegantes, sexcenta fercula, & sumptus infiniti. Ex altera vasa Samia, ligneum sedile, hœdinæ pelles detritæ, & nigrum phiditiorum iusculum. Non placent hæc prandia, quorum vnum luxu diffluit: Alterum Cynici Diogenis est potius, quam Imperatoris. Desiderassem ego tertiam mihi mensam poni, neque Cynicam, neque nepotinis sumptibus prodigiosam, qualis est apud Plutarchum in conuiuio sapientum. Talem mihi eloquentiam quæro, neque tumidam, neque luxuriatem, neque insanam, neque sterilem, aut enectam, aut dissolutam, sed grauē, & magna dicendi temperie moderatam. Neque verò longè quærendam huius *Ideam* tibi Plutarchus offert. Sicut igitur, inquit, orationis formam theatralem, nimisque tragicam iussi, ita rursum iubeo nimiam dictionis humilitatem, atque exilitatem attentè vitare, atque fugere; nam & nimio turgens fastu ad res ciuiles inepta est, & nimis gracilis, nihil habet ad percellendum roboris. Ac sicuti corpus non sanum modò, sed & firmo habitu esse oportet: sic oratio non morbo tantum carere, sed & vires habere debet, tuta enim laudantur duntaxat, quæ etiam cum periculo sunt coniuncta, in admiratione sunt. Eademque est mea de animi affectione sententia, quem neque ferocem, neque inaudacem, deiectumque esse conuenit, quorum illud impudentiæ, hoc seruili cuidam submissioni mentis ansam præbet:

Persarum & Lacedæmoniorum cœna.

Eloquentia quæ expetenda? & de ea Ciceronis & Plutarc. iudicium.

Artificiosum verò est atque accuratum, in omnibus medium tenere.

Sed plenius M. Tullius hanc nobis eloquẽtiæ speciem exprimit. Ornatur igitur oratio genere primum, & quasi colore quodam, & succo suo, nam vt grauis, vt suauis, vt erudita sit, vt liberalis, vt admirabilis, vt polita, vt sensus, vt dolores habeat, quantum opus sit; non est singulorum articulorum: in toto spectantur hæc corpore. Vt porrò conspersa sit quasi verborum, sententiarumque floribus, id non debet esse fusum æquabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, vt sint, quasi in ornatu disposita quædam insignia, & lumina. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maximè teneat eos, qui audiant, & quod non solum delectet, sed etiam, quod sine satietate delectet. Ad summum, optimum est illud dicendi genus, quod omnibus, & vbique placet.

Eloquentia optima quæ?

De generibus dicendi, quæ in laude versantur.

CAPVT XXVII.

ATque ad hanc orationis speciem melius efformandam, dicendi genera, & virtutes considerabimus, rationesque, quibus ipsæ cõparentur, subijciemus. Varios numerare solent elocutionis characteres, quos varij Rhetores afferunt: nos Aristotelem, & Ciceronem, qui omnium optimè expressisse videntur, consequemur.

Figuræ dicendi tres, vel Eloquẽtiæ tria genera.

Tres igitur figuræ elocutionis numerantur, quas modò formas, modò ideas, modò characteres, modò genera techuici nominant.

Figura prima dicendi.

Prima est grauis, quæ constat ex sententiarum, verborumque magna, & ornata constructione, & vt ait Plutarchus λέξεων, καὶ νοημάτων κατὰ σκευῆ, μεγάλας ἔχουσα ἐμφάσεις. Hæc est, quę vt ait Tullius in Bruto, sonitu magno, cursuque fertur, quàm suspiciunt omnes, quã admirantur, quam se assequi posse diffidunt. Huius est tractare animos, & omni modo permouere, hæc modò perfringit, modò in sensus irrepit, modo insilit, ad summum tonat, fulminat, & permiscet omnia Hoc genere dicendi vsus est Cicero, & Demosthenes.

Secunda exemplum.

Secunda mediocris, quæ aliquantulum demittitur à graui, neque tamen descendit ad infimum. In hoc genere est illud exemplum. (Quibuscum bellum gerimus, Iudices, videtis; cum socijs, qui pro nobis pugnare, & Imperium nostrum nobiscum, simul virtute, & industria conseruare soliti sunt. Hi cum se, & opes suas, & copiam necessariorum norunt, tum verò nihilominus propter propinquitatem, & omnium rerum societatem, quid in omnibus rebus Pop. Romanus posset, scire & existimare poterant Hi cum deliberassent nobiscum bellum gerere, quæso, quæ res erat, qua freti bellum suscipere conarentur? cùm multo maximam sociorum partem in officio manere intelligerent, cum sibi non multitudinem militum, non idoneos Imperatores, non pecuniam publicam præsto esse viderent, non denique vllam rem, quæ res pertinet ad bellum administrandum. Talia plerumque apud Liuium, & Cæsarem, pulchra quidem, & honesta, sed maiestatem Ciceronis non habent.

Tertia.

Tertia, attenuata, quæ ad infimum, & quotidianum sermonem demissa est, vt, *Nam vt fortè hic* in balneas venit, cœpit postquam perfusus est, defricari: deinde vbi visum vt in alueum descenderet, ecce ibi iste de transuerso, Heus (inquit) adolescens! pueri tui modò me pulsauerunt: satisfacias oportet, hic qui id ætatis præter consuetudinem appellatus esset erubuit iste clarius eadem, & alia dicere cœpit, hic vix tandem, inquit, sine me considerare. Tum verò iste cœpit clamare voce ista, quæ facilè cuiuis rubores elicere posset: Ita petulans es, atque acer; vt ne ad solarium quidem idoneus, vt mihi videtur, sed penes scenam, & in eiusmodi locis exercitus sis? Conturbatus est adolescens, nec mirum, cui etiam tunc lites ad auriculas versarentur, imperito eiusmodi conuitiorum.

De virtutibus, & formis dicendi.

Ac primum de perspicuitate.

CAPVT XXVIII.

Perspicuitas prima virtus orationu comparatur cũ luce.

VT inter prima nascentis adhuc mundi cunabula sapientissimus artifex rerum, & machinator Deus lucem creauit, rerum omnium pulcherrimam, eandemque iucundissimam, cuius afflatu mundus ipse torpentis materiæ, veluti segnitiem exuens, ad sum-

mam

mam pulchritudinem efflorvit: pari profectò ratione, si parua cum magnis comparare liceat, orationis artifex imprimis curare debet, vt illi perspicuitas per omnia membra, quasi per orbem cœli, & tetrarum, lux affundatur. Hæc virtus iure prima statuitur ab Hermogene, & maioris est momenti, quàm quisquam putet. Dici non potest, quàm multa alioqui industriorum hominum ingenia, dum hãc virtutem quasi plebeiam, atque abiectam dispiciunt.

Obscuritas multum nocet stylo.

Auia (vt ait ille) *Pieridum loca lustrantes*, à limine veræ, & germanæ eloquentiæ aberrant. Nam cum plerique ad magna nati sunt, hoc vnum auent, vt ea dicant, & faciant, quæ supra aliorum vim, & ingenium assurgant. Sed cum in eo tenere modum, res sit vna omnium difficillima; hinc facilè in tumidos, alienos, frigidosque sensus prolabuntur, quos nec vulgus intelligat, nec eruditi, ac prudentes facile probare possint.

Eloquentia maximum vitium obscuritas. Eloquentia aut Verba nummis similia.

Sit igitur hoc ratum, quod est omnium, qui modò sincerè de optimo genere dicendi sentiunt, consensu, atque scriptis comprobatum: vitium esse in eloquentia, vel maximum à communi hominum sensu aberrare. Res enim perinde se habet, ac in nummis: si quis ijs, qui lege, ac consuetudine recepti sunt repudiatis, veteres Cæsarum nummos intrudat, iure ridiculus videatur. Ita profectò explodendi sunt, qui ab vsitato dicendi genere digressi, nouas, & obscuras Parnasi vias meditantur. Quo in genere errant sæpius adolescentes, qui ab historiarum lectione, aut Philosophia, aut ipsa etiam Theologia recentes, in orationibus & concionibus, vbi res tota popularis est, ad speciem doctrinæ auent res obscuras plena manu infercire, donec auditorum ingenia obruant, & summis omnium fastidijs adhærescat oratio. Contra, prudentiores, hæc quidem benè intellecta digerunt, & pauca ex multis, eaque ad rem summa dexteritate decerpta, suauitate orationis condiunt, quo plebeijs etiam auribus facilius, atque fructuosius instillent. Et hoc fit per σαφήνειαν, quam nos perspicuitatẽ vocamus.

Duabus autem rebus constat perspicuitas, puritate, & rerum discretione. *Puritas*, quæ καθαρότης λόγου dicitur ab Hermogene, spectatur in sensibus, in verbis, in circumscriptione verborum. *Sensus imprimis* debent esse communes omnium, qui facilè in mentem, cogitationemque cuiusque veniant, vel certè venire videantur, per se nudi, & cogniti, sine vlla obscuritate, aut affectatione, vt præcipit Hermogenes. Ἔννοιαι τίνων εἰσὶ καθαραὶ, αἱ κοιναὶ πάντων, καὶ εἰς ἅπαντας ἀνελθοῦσαι ἢ δόξασαι ἀνελθεῖν, ταφεῖς ἀφ' ἑαυτῶν οὖσαι, καὶ γνώριμοι, καὶ μηδὲν ἔχουσαι βαθὺ μηδὲ περιειλημένον. Primùm igitur requirit vt sensus sint communes, intelligentiæ faciles, aut qui saltem tales videantur. Plerique enim magna sunt felicitate præditi, qui res alioqui per se arduas, & impeditas tam enucleatè distinguunt, vt planas cuique, vel mediocriter erudito faciant. Hoc est dicere rara communiter, & communia raritèr, quod Dei donum in D. Ioanne Chrysostomo luculentissimum semper extitit. Quippe vir ille lenissimis moribus, & summa ingenij facilitate, cum a puero omni elegantiori literatura perpolitus, & in Theologicis felicissimè versatus esset, recondita sacrarum literarum mysteria multis, vt solent, difficultatum nodis implicata, tam explicatè dissoluit, tanta sententiarum, & verborum perspicuitate illustrat, vt lucis radios, cum verbis ipsis in mentes spargere videatur.

Chrysostomi perspicuitas.

Verba quoque sensibus accommodari oportet, eaque clara esse, rotunda, & vsu trita communi, ex quo Antiquarij nostri superioribus capitibus excogitati, longè sunt ab omni perspicuitate orationis seiuncti. Periodi ipsæ angustis circumscribendæ limitibus, nihil est enim æquè impeditum, ac longa circumscriptio verborum, quę rudium intellectum citius obruit, quam intelligatur.

Verba.

His vbi puritas orationis pertexta principijs fuerit, adhibenda in dispositione apta rerum collocatio, vt omnia ordine dicantur, ne pes capiti, aut pectus cruri iungatur; sed pulchra membrorum compage totum corpus exurgat. Quod vt facilius assequamur, duas figuras notat Hermogenes, ad perspicuitatem percommodas, Trãsitionem, & Ratiocinationem. Trãsitione ab vno ad aliud, cum ordinis dignitate gradimur. Ratiocinatione interrogamus nosmetipsos, & rationes facti subijcimus: Sic Demosthenes sæpè, τίνος οὖν ἕνεκα ταῦτα λέγω; & πῶς οὖν, &, διὰ τίδε, habet in ore, vt notat idearum scriptor, quorum laxioribus exemplis supersedemus.

Dispositio.

Proxima est huic virtuti ea, quæ dicitur ab ἀληθείᾳ λόγου.

Her-

ἀληθινὸς λόγος. Hermogene ἀληθινὸς λόγος, oratio scilicet, in qua veræ, simplices, ac nudæ omnes sunt sententiæ, sine vlla artis affectatione, quæ saltem appareat: cuius vsus ad persuadendum est maximè efficax, ad delectandum autem nihil, aut parum habet suauitatis.

De grauitate Orationis.

CAPVT XXIX.

Grauitatis omnes amatores. GRauitatem dicendi omnes affectant, natura ipsa ad ea, quæ sublimia sunt, propensione quadam impellente: Verùm grauitatis viam non omnes norunt, quo fit, vt potius in inflatum dicendi genus multi prolabantur, quàm assurgant ad solidam speciem maiestatis.

σεμνότης. Hæc grauitas à Græcis σεμνότης appellatur, spirat enim aliquid augustum, & animos magnificentissima quadam rerũ specie totos implet, & rapit. Constat autem rebus, & verbis, neque enim licet grauitatem inleuibus clausulis sectari, nisi quis ineptias effutire velit: Grauia primum oportet esse argumenta, per quæ grauitas orationis excurrat. Sunt verò illa in quatuor distincta species, vt in hunc locum notauit Hermogenes. Primùm sermones de Deo grauissimi sunt omnium, non quales à Poetis finguntur ineptiarum plenissimi: sed qui ex optima veritatis disciplina proficiscuntur. Graue est illud Platonis, vbi ita agit de Deo. Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται φθόνος. Bonus erat, bono verò nullam ob rem inest inuidia. Hæc Cicero mirificè insinuat in Miloniana, vbi Clodium fato quodam, & Dei voluntate interfectum cum cupiat ostendere, altius è Philosophia reperit de prouidẽtia Dei sermonem, & ad forense dicendi genus accommodat incredibili orationis magnitudine, & suauitate.

Grauium argument. 4. species. Hermog. περὶ ἰδ. lib. 1.

Deus. Plato in Timæo.

Prouidentia Dei. [Est, est profecto illa vis, neque in his corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra, inest quiddam, quod vigeat, & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Nisi fortè idcircò esse non putant, quia non apparet, nec cernitur, perinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua prouidemus, qua hæc ipsa agimus, & dicimus, videre, aut planè qualis, aut vbi sit; sentire possimus; ea vis est, ea est igitur, quæ sæpè incredibiles huic vrbi felicitates, atque opes attulit. & cætera.

In secundo genere grauitatis sunt, quæ ad vniuersi naturam, & mundi œconomiam attinent, quæ vbi splẽdida, & illustri oratione explanantur, speciem ingenerant admirabilitatis. Sic Plato in Timæo. ἡ τοῦ παντὸς περιοδος, ἐπειδὴ συμπεριέλαβε τὰ γένη κυκλοτερὴς οὖσα, &c. Cic. in Somnio. (Nouem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum vnus est cœlestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Dens arcens, & continens cæteros, in quo infixi sunt illi, qui voluuntur stellarum cursus sempiterni, cui subiecti sunt septem, qui versantur retro, contrario motu, atque cœlum, ex quibus vnum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant, & cætera.

Mundiores naturales grauitatem afferũt orationi.

Sic Synesius in hymnis:

Synes. hymn. 2.

Πολυκύμονος μὲν ὕλας
Ἐκάλυψε νῶτον ἀϊδὴρ
Πυρὸς ἐμβεβὰς ἀώτῳ,
Ἵνα κυδίμα Σελάνα
Πυμάταν ἄντυγα τέμνῃ
Fluctuantis hylæ
Texit dorsum æther
Ignis insidens summitati,
Vbi clarissima Luna
Emum orbem secat.

Tertio, grauia sunt quæ natura ad diuinitatem accedunt, qualia sunt, quæ de immortalitate animæ, & iustitia, disseruntur: Sic apud Platonem de lege, νόμος ἐστὶν, εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν. & cætera eiusmodi ἀξιώματα, atque γνωμολογίαι, quæ eo plus habent auctoritatis, quo ex grauioribus fluunt auctoribus.

Lex inuentum & donum numinis.

Quartò, quæ humana sunt, sed magna sensu, & opinione hominum, vt bella, expeditiones, pompæ, triumphi, & cætera id genus.

Ex his patet, quam latum dicendi campum habeant sacri oratores, quibus omnes de Deo, & diuinis rebus instituuntur sermones, è quibus orationis grauitas ingens potest assurgere. Et hoc in materia a Genus tractandi potissimum spectatur in figuris, & verbis simplicibus: Figuræ, seu virtutes, grauitatis comites, sunt asperitas, vehementia, splendor, vigor, circumducta loquutio, quæ omnia in Demosthene, & Cicerone peculiari quodam modo eminent.

Grauitas quibus constat.

N. N.

N. N.

Aristides περὶ σεμνότητος eandem dicit tribus constare rebus γνώμῃ, χάριτι, ἀπαγγελίᾳ. h. e est sensibus magnis, figuris apposite dictione lautissima.

De asperitate.

CAPVT XXX.

Asperitas quid?

Τραχύτης Asperitas, in sententijs spectatur, & verbis. Sententiæ asperæ sunt, quæ magnatum personarum habent reprehensionem cum licentia, & ἀλευθεροστομία οὐ τὴν μακρῶν προσώπων ὀφειλομένην ἔχουσα ἀπὸ ἀνοήτου τ ἐλαττόνων προσώπων ἀπαραιτήτως, inquit Hermogenes. Tale est illud Demosthenis. Εἴπερ τὸν ἐγκέφαλον ὑπὸ τοῖς κροτάφοις ἀλλὰ μὴ ἐν τοῖς πέρνας καταπεπατημένον φορεῖτε. Si modò cerebrum intra capitis septa, non in calcibus pedum occultatum, & quasi oppressum haberetis. Et: Ἀλλὰ Μανδραγόραν πεπωκόσιν, ἢ τι φάρμακον ἄλλο τοιοῦτον ἔοικεν ἀνθρώποις. Similes videmur ijs, qui Mandragoram, aut aliquod huiusmodi poculum exhauserunt. Hæc paulo duriora, neque omnibus oratoribus, maximè verò adolescentibus imitanda. Hæc in ore grauium personatum erunt fulmina: quæ si ab alijs nulla authoritate præditis dicantur, erunt è pelui fulgura, & ingenia potius efferabunt, aut etiam si res tulerit, risum excitabunt, quàm immoderatis affectibus medeantur. Tenaces sunt omnes sui iuris, ac honoris, nec æquis auribus patiuntur se cõtemni: maximè verò, qui sibi ob dignitatem cupiunt honorem haberi, teneras nacti sunt auriculas, quas facilè est irritare, placare difficile. Atque in eo artificiosior est Demosthene M. Tullius, qui in reprehensione grauium personarum, aculeatam orationem, magna statim prudentia mitigat. Hæc aspera sunt contia ignauiam grauissimi senatus dicta. (An me censeris P. C. quod vos inuiti secuti estis, decreturum fuisse, vt Parentalia cum supplicationibus miscerentur? vt inexpiabiles religiones in rempub. inducerentur? vt decernerentur supplicationes mortuo? deinde, Ego verò eam sententiam dixissem, P. C. vt me aduersus Populum Rom. si quis accidisset grauior reip. casus, si bellum, si morbus, si fames, facilè possem defendere, quæ partim iam sunt, partim timeo ne impendeant.) Verùm grauia, & aspera statim leniuntur? (Sed hoc ignoscant Dij immortales velim, & Populo Rom. quod id non probat, & huic ordini, qui decreuit inuitus.) Quid hac oratione excelsius? quid ad castigãdum mitius? est ita tamẽ suauis, vt sit fortis & salubris. Addo aliud genus asperitatis. (Quod si iam, (quod Dij omen auertant) fatum extremum reipub. venit: quod gladiatores nobiles faciunt, vt honestè decumbant, faciamus nos principes orbis terrarum, gentiumque omniũ, vt cum dignitate potiùs cadamus, quam cum ignominia seruiamus.) Vides vt asperitas, hic honestissimo titulo mitigatur. Longè illa magis persuadent, quam quæ habet Demosthenis grauitas, Mandragoram bibistis, aut cerebrum in calcibus habetis.

Asperitatis considerata vsus esse debet.

Idem 4. Philip.

Asperitatis considerata vsus esse debet.

Non conuenit adolescentibus.

Nobilium genus irritabile.

Asperitas Ciceronis prudens. Cicer. 1. Philipp.

Philipp. 3.

Asperitatem istã comitantur, vt notat Hermogenes χίσματα προσαντικά, figuræ imperatiuę & interrogatiuæ: vt, facite, auferte, tegite, & Εἶτα Ὀλυνθίοι ἴσασι τὸ μέλλον προσδοκῶν, ὑμεῖς δ' ὄντες Ἀθηναῖοι ταῦτα τοῦτο οὐχὶ φυλάξεσθε. Olynthij igitur possunt in futurum prospicere, vos autem cum sitis Athenienses, non potestis hæc cauere?

Asperitatis figura & adiuncta.

Figura imperatiua.

Ex eo gaudet hæc virtus incisis, quæ rotat cum magna celeritate. Οὐκ ἐμβησόμεθα οὐκ ἐξιμεν, οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσόμεθα. Non classem conscendemus? non exibimus? non in illius regnum nauigabimus? Verba quoque debent esse grandia, & aspera, sine vlla expolitionis affectatione. Nihil enim tam à ratione alienum, quam in istis incensis obiurgationibus lenocinantis facundiæ quærere delicias. Itaque Thucydides de industria, vt notat Demetrius Phalereus, affectat asperitatem, & tãm plerumque durus est, vt videatur quasi torrens ad scopulos allidi.

Incisa proprias asperitatis. Demosth. Philipp. 3.

Hæc virtus magnorum est authorum, non cuiuis semper imitanda, maximè verò iuuenibus, à quorum ætate videtur aliena. Quanquam alia in factis concionibus apud populũ ratio, apud quem verba etiam grauiter, & honestè dicta, plerunq; tantum possunt, ac si corio elephanti aciculam impingas: arguendum, increpandum, vt Dei spiritus suggesserit, cum omni tamen patientia, & prudentia, cuius sale, nisi verba, & actiones conditæ fuerint, parum certè proficiunt. Prepotens ille Deus, qui apud sanctum Iob facit ventis pondus, armat oratores, & linguas concionatorum, maximè eorũ, quos huic muneri destinauit, & quibus per Esaiã dixit, *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila*

Asperitas concionum qua?

Esai. 8.

quila super domum Domini. Clament illi nec cessent, non egent multum rhetorum præceptis, qui satis vnctione spiritus edocentur.

De vehementia.

CAPVT XXXI.

Vehementia quid?

ASperitati, vt plurimum affinis est Vehementia, quæ ab Hermogene σφοδρότης appellatur, differtque ab asperitate, quod illa etiã in amicos, hæc in aduersarios, & hostes torqueatur: illa mitius agat, & lenius, hæc omniò duriter, & asperè, sine vlla dissimulatione verborum. Itaque tota est in inuectiuis posita, in quibus plurimum grauitatis esse solet, & in hoc genere natura ipsa ad sui defensionem arma suggerente triumphant summi oratores, qui nusquam melius dicunt, quàm cum maledicunt.

Vehementiæ exempla ex Cicerone & Demosthene & Demosth. contra Arist.

Singularis est in inuehendo Demosthenes, sed nec minor Cicero, quanquam ille validius amentatum linguæ telum intorquere videtur, hic ἐγχύσει laxior, vt solet, & amplior. Demosthenes contra Aristogitonem ita inuehitur. οὗτος αὐτὸν ἐξαιτήσεται: ὁ φαρμακὸς, ὁ λοιμὸς ὃν οἰωνίσαιτ' ἄν τις μᾶλλον ἰδὼν ἢ προσειπεῖν βούλοιτο. Hic igitur illum sua intercessione periculo eripere poterit? veneficus homo, pestis reipublicæ, quem abominetur potius aliquis simul atque aspexerit, quam vt velit appellare.

Cicero in Vatin.

At Cicero in Vatinium. Appellatis ne nominatim pestem illius anni, furiam patriæ, tempestatem reipub. Clodium. Hæc strictius. At quàm magnificè in simili ratione supra Demosthenem amplificat contra eum, qui se pro alio intercessurum dixerat, cum ipse esset famosissimus, satis fuit Demostheni dixisse: ἐξαιτήσεται, ὁ φαρμακὸς, ὁ λοιμός.

Cicer. de Aruspr. resp.

In simili, inquam, genere Cicero, cum dixisset Clodius se domum Ciceronis religiosam fecisse, ille retorquens longè ornatius, & diffusius: Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua mente? qua inuaseras, qua manu? qua disturbaras, qua voce? qua incendi iusseras, qua lege? quam ne illa quidem impunitate tua scripseras, quo pului nari? quod stupraras, quo simulachro? quod ereptum ex meretricis sepulchro in Imperatoris monumento collocaras. Longè hæc grauiora, quàm si dixisset breuiter, vt Demosthenes. Domum meam purgabit ὁ φαρμακὸς, ὁ λοιμός. Deinde illud, ὃν οἰωνίσαιτ' ἄν τις, quẽ detestabantur omnes (vult hominẽ maximè contemptum oculis subijcere.) Quanto magnificentius dixit Cicero, abiectũ, contemptum, despectum à cæteris, à te ipso desperatum, & relictum, circumspectantem omnia, quicquid increpuisset, pertimescẽtem, diffidentem suis rebus, sine voce, sine libertate, sine authoritate.

Demosth. pro coron.

In oratione pro corona grauiter Æschinem perstringit his verbis: Ἔπειτα, ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων: O homo execrande, & incurue scriba. Et, ἀλλὰ μὴ σπερμολόγος, περίζιμμα ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς, & non potius author mendaciorum, forensis rabula, pestilens scriba (quæ Græci tanti faciunt.) Quàm luculentius Cicero Pisonem, Clodium, M. Antonium exagitat! *Syrus nescio quo de grege nouitiorum. Non enim nos iste color seruilis, non pilosa gena, non dentes putridi deceperunt, & cæt. innumera.*

Patres in Ecclesiam vehementes.

Patres Ecclesiæ, tum Græci, tum Latini, hunc stylum aculeatum, plerumque in improbos, & flagitiosos distringunt summa libertate, in quibus est animaduertere magnam vim eloquentiæ. Lubet ex multis hæc grauitatis exempla apponere.

Hilarius contra Constantium Augustum vehemens.

Audi qua oratione Constantium Augustum insectetur Hilarius. Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni loquuturus fuissẽ, quod ex me Decius, & Maximianus audirent. Cõtra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam diuinorum, sed humanorum, Christianũ te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præuenis, & arcanorum mysteria eius operaris. Condis fidem contra viuens: doctor prophanorum es, indoctus piorum: Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas: Sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis.

Constantij impietas exagitatur.

Omnia sæuissima, sine inuidia gloriosarum mortium peragis, nouo, inauditoque ingenij triumpho, de diabolo vincis, & sine martyrio prosequeris. Plus crudelitati vestrę Nero, Deci, Maximiane debemus, diabolum enim per vos vicimus. At tu omnium crudelitatum crudelissime, dãno maiore in nos, & venia maiore desæuis. Subrepis nomine blandientis, occidis specie religionis, impietatem peragis, Christi fidẽ, Christi mendax prędicator, extinguis. Nõ relinquis saltẽ miseris excusationes,

vt

vt æterno iudici suo pœnas, & aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala, ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confessione martyrium.

Hæc fulmina sunt. Quid verò ipse Hieronymus nemini in hoc stylo inferior, quomodo Iouinianum exagitat?

D. Hiero. lib. 2. aduersus Iouinianum vehemens.

Miror quomodo serpens lubricus, & Proteus noster, in varietatum se mutat portenta formarum. Qui enim in coitu, & in saturitate Epicureus est, subitò in retributione meritorũ Stoicus efficitur. Hierosolymam Cithio, Iudæam Cypro, Christum Zenone commutat.

Iouinianus Proteus Christum Zenone commutat.

Ante nudo eras pede, modo non solum calciato, sed & ornato. Tunc pexa tunica, & nigra subucula vestiebaris, sordidatus, & pallidus, & callosam opere gestitans manum, nunc lineis, & sericis vestibus, & Atrebatum, ac Laodiceæ ornatus indumẽtis incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium, frontemque tornantur: protensus est aqualiculus, insurgunt humeri, turget guttur, & de obesis faucibus suffocata verba promuntur.

Atrebatum & Laodicea ornatus mollu descriptio.

Aqualiculus.

Et quo stylo Sabinianum perstringit epist. II. [At tu bonæ spei columen, excetræ stimulis inflammatus, factus es mihi in arcum perversum, & contra me conuiciorum sagittas iacis. Inimicus tibi factus sum vera dicens. Nõ doleo de maledictis. Quis enim nesciat, nihil nisi flagitiosum tuo ore laudari, hoc plango, quod te ipsum non plangis quod te non sentis mortuum, quod quasi gladiator paratus Libitinæ in proprium funus ornaris, & cæt. Diuus quoque Bernardus, fluens alias lactea styli amœnitate, vbi agit in hostes religionis, & virtutis, suis aculeis non caret. Aduerte vt in pseudo legatum Antipapæ rem gerat in quadam ad Episcopos Galliæ epistola.

Idem in Sabinianũ. Sabinianum.

D. Bern. contra falsũ legatum Antipapa Anacleti vehementia.

Quid nisi ante oculos vestros conantur, si patimini proscribere Christum? Iam nouus apud vos suo Papæ cudit legatus Episcopos, ne soli sit sibi Papa. Nec mortuis successores; sed vitiis inuasores, tyrannica fretus potentia, superintrudit.

Nunquid autem talia gratis legatus actitat pro Papa suo? En ille totam, vt is gloriatur, Franciam, atque Burgundiam legationi eius antiquæ superaddidit. Potest & adiungere si vult Medos, & Persas, & medios fines Decapoleos. Quare nõ & vltra Sauromatas, & quẽcunque denique locum calcauerit pes suus, suus sit, quo vel vacuis nominibus glorietur? O homo non minus sine fronte, quã sine mente, nec Dei memor timoris, nec suæ honestatis. &cæt. Quid Diuum Gregorium Nazianzenum in Iulianum, & cæteros commemorem? cum quibus profani non mihi videntur comparandi.

Hæc virtus incitatur potius excelso animi vigore, & iustæ iracundiæ stimulis, quam a præceptis pendeat. Obseruandum tamen non temerè hoc genus dicendi admittendum, sanari multa diæta, quæ nequeunt Chirurgia, mansuetiora semper placere consilia, parum honestum videri apud sapientes rixari, hæc tela cõtra improbos peruicaces, & obstinatos necessitate distringenda, cum alijs remedijs sanari non possint. Præterea curare oportet, ne ex triuijs maledicta sumantur, sed ea quæ generosam grauitatem spirent. Licentius autẽ in istis fertur oratio, & plerumque etiam in calore ingenij noua verba cõminiscitur, vt sunt illa Demosthenis λαμπροφάγος, & γραμματοκύφων, quæ nunquam dixisset, nisi iratus. Periodi curandæ non sunt: nam si in hoc genere periodos elabores, perinde est (inquit Demetrius) ac si vinctum hominem pugnare iubeas.

Vehementium inuigore.

Ciuarum vsus.

Vehementi non affecta periodos. Demet. Phal. in lib. περὶ ἑρμην.

De Splendore.

CAPVT XXXII.

TErtia virtus grauitatis ea est, quæ ab Hermogene dicitur λαμπρότης, splendor, qui fit vbi orator nonnulla de se, & suis rebus gestis magnificè prædicat: ἐπὶ τοῖς διαπρεπέσι τῶν ἔργων καὶ φρονήσεσι λαμπρύνεσθαι ὡς ἀληθῶς. Nota ea tantum commemoranda, quæ veram, & solidam gloriam habere existimentur, alioqui, si quis se ob rem modicam iactantius efferat, plus concitat risus, quam sibi cõciliat grauitatis, & cum omnis de propijs laudibus sermo ferme sit auditoribus importunus, tum maximè is, qui virtutis, & gloriæ fundamentum non habet.

Splendor. Hermog. περὶ λαμπρ. Laus sui prudens.

Ex quo dubium esse poterit, an ad grauitatem pertineat, sua commemorare, cum omnes ferè tam sint alienarum laudum impatientes, quàm suarum auidi. Veràm vbi causa postulat, & ea sunt ab oratore gesta, quæ sinceram laudem mereantur, nõ est vanum commemorare, imò sæpè multũ gratiæ, & venustatis habet, modò aurea mediocritate temperetur. Atque in eo fatendum est Demosthenem sæpe Ciceroni præstitisse, ille enim grauiter admodum,

Laus sui quando permissa.

Demosthenes sæpe in suis laudibus parcus.

dum, & temperatè se laudat, vt in oratione πιρὶ σιφάνε, vbi cũ de suis laudibus esset dicturus, artificiosissimè præfatur veniam, & se aduersarij importunitate, in eam dicendi necessitatem compulsum ostendit, vt sine rerum gestarum suarum commemoratione non possit se defendere. Ad summum, quæ adfert, aliqua moderatione lenit, & temperat, vt, οὐ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλινθίοις ἔγὼ, οὐδ' ἐπὶ τούτοις μέγιστον τῶν ἐμαυτοῦ ἔργων φρονῶ, ἀλλ' ἐὰν βάλῃ τὸν ἐμὸν τεχισμόν. Non ego lapidibus, neque lateribus vrbem muniui, non his de rebus, non ob hoc opus maximè glorior. Sed si meam voles munitionem, &cæt. At Cicero longè magnificentius, sed inuidiosius (Ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis ciuitatis de coniuratorum nefarijs manibus extorsi. Ego faces iam accensas ad huius vrbis incendium comprehendi, protuli, extinxi. Me Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici consilij, frequentissimo senatu parentem patriæ nominauit. Mihi hic vir clarissimus, qui propè te sedet, L. Gellius, his audientibus ciuicam coronam debere i a rep. dixit. Mihi togato Senatus, non vt in ultis, bene gestæ, sed vt nemini conseruatæ rei p. singulari genere supplicationis Deorum immortalium templa patefecit) &cæt. quæ ibidem fusissimè prosequitur, quæ licet grauissima sint, sæpius tamen repetita non placent. Omnino considerandum est, quis & apud quos dicat, quibusue auribus audiatur.

Cicero effusior.

D. Paulus sui laudationis modo.

Mirificè D. Paulus hanc figuram pertexuit in illa nobili sua laudatione 2. ad Corint. 11. vbi Photius notat insipientem esse oratorem, qui vanè se iactat, & inaniter gloriatur. Qui autem de seipso, & magna dicit, & vera, idque caussa vtilitatis animæ, videbitur insipientiæ verba dicere quantum ad speciem, non tamen insipiens est, sed prudens admodum, & quæ prudentissimi sunt, operatur, quòd expertem rationis calumniam ob aliorum salutem, & incolumitatem despexerit.

De Vigore.

CAPVT XXXIII.

Vigor quid? ἀκμὴ.

EX ijs virtutibus temperatis quarta suboritur, quam Rhetores ἀκμὴν nominant, quæ (vt ait Hermogenes) est μίξις τ ἀπὸ τ ζαχύτητ☉, καὶ σφοδρότητ☉, καὶ τ ὑπὸ τ λαμπρότητ☉. Virtus est perfectissima, quæ ex temperie asperitatis, vehementiæ, & splendoris emergit, vt Νόσημα γοφ, ὃ δὴ ὀρες Ἀθηναῖοι, ὀυκ ὀλίγον ἐμπεπλώκει εἰς τὴν Ἑλλάδα, καὶ χαλεπὸν, καὶ πολλὴς τιν☉ εὐτυχίας, καὶ τ ἧς παρ' ἡμῖν ἐπιμελείας δεόμενον. Morbus, Athenienses, inuasit Græciam grauissimus, idemque difficillimus, qui fortunam magnam, & vestram curationem requirit. Vt igitur ἀκμὴ κάμπου flos, & vigor ætatis appellatur, sic ἀκμὴ τ λόγ☉ est viuida quædam, & florens oratio, quæ nihil humile, nihil repens, nihil demissum, aut otiosum habeat. Plena sunt exemplis apud Ciceronem omnia, maximè in Philippicis, in quibus maior est orationis vigor. Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, cum quo aliqua pacis conditio esse possit: neque enim ille seruitutem vestram, vt anteà, sed iam iratus sanguinem concupiscit. Nullus ei ludus videtur esse iucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm antè oculos trucidatio ciuium, &cæt.

Demosth. περὶ παραπρεσβ.

Vigoris exempla.

Cic. Philip.

De Ambitu, siue Amplificatione.

CAPVT XXXIV.

QVinta virtus enumeratur ab Hermogene, quæ vocatur περιβολὴ, Latini oratione circumductam reddunt, quę quidem nullo pacto mihi differre videtur ab ea, quam ὕψησιν Dionysius Longinus appellat, quæ est, vt ait idem, συμπλήρωσις ἀπὸ πάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασιν ὁρίων, καὶ τόπων, ἰσχυροποιοῦσα τὴν δήλωσιν τὸ κατασκευαζόμενον. Est plenissima amplificatio ab omnibus locis, & adiunctis, quæ in rem cadere possunt, quæ frequentatione rerum, & commoratione orationem corroborant.

Ambitus quid? περιβολὴ.

Hæc cum Hermogene consentiunt, qui *Ambitus* περιβολὴν ait fieri, modo rem à genere tanquam fonte, à thesi scilicet ad hypothesin arcessendo, modo singulas discutiendo circũstantias, modo commorationibus varijs vtendo, ex quibus oratio sensim crescit, & leuioribus prætexta principijs ad summum efflorescit decus.

quomodo fiat? modi 4.

Prima autem amplificandi ratio est, quæ à Rhetoribus dicitur τοπογραφία locorum expli catio, dici non potest quantum ad rationẽ amplificationis faciant, cum artificiosa subtilitate si-

te simul copulantur; & variè miscentur, de quo nos alibi fusius.

Secunda est δείνωσις exaggeratio rei maximè per adiuncta, cum grauitate orationis, quale est illud. (Facinus est vincire ciuem Romanũ; scelus verberare; propè parricidium necare: quid dicam igitur in crucem tollere?) Hæc in eodem loco commorans rem expendit, auget, & in summam, quam potest, magnitudinem attollit.

Tertia est πραγμάτον & κατασκευῶν ἐπίῤῥωσις. Rerum, & constitutionum frequentatio, atque corroboratio, cum loco firmissimo, quo tota caussa continetur, manetur diutius, & eodem sæpius reditur, qui locus tanquam sanguis per totum corpus orationis diffunditur.

Quarta ἐποικονομία ἐργωνῆ παθῶν, factorum, affectuumq; prudens distributio Vbi totum aliquod in partes exquisitè digeritur, & sigillatim omnia expenduntur, tum variorũ affectuum figuris, vt res tulerit contemperantur. Ad summum in locis, & figuris tota amplificatio sita est, de quibus libro septimo dicetur. Hæc est virtus περιβολῆς, quæ ad grauitatem, & magnitudinem orationis maximè attinet. Nam etsi breues orationes, nec diffusius circumductæ plus habeant aliquando amœnitatis, plenæ tamen illæ, & vberes maiori dignitate præditæ sunt. Sed cauendum maxime, ne amplificationis studio, tum in prolixitatẽ, tum etiam in puerile dicẽdi genus delabamur. Nihil enim ad nauseam excitandam efficacius, quàm si res, & communes, & notæ, nec adeò speciosæ, communium locorum, frigidarumque locutionum congerie amplificentur, hoc maximè sæculo, in quo aures potius rebus, quàm verbis pascuntur.

De methodo grauitatis.

CAPVT XXXV.

Longinus περὶ ὕψους. Grauitatis methodus quinque rebus constat.

GRandis oratio in genere quinque rebus constat, quas Longinus πηγὰς ὑψηγορίας γονιμωτάτας, fontes grandiloquentiæ vberrimos nominat.

Prima est. τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, quod interpretor, sensuum, & inuentionum vim, prudentiam, sagacitatem, fœcunditatem. Qualis est in Homero, Demosthene, & Cicerone, quæ virtus maximè ex bonitate ingenij dependet.

Secũda, σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος, vehemens, acris, & furore quodam incitata affectio, in quo errant, qui furorem tantum Poetarum esse dicunt. Nam ad graues illos quoque, & vehementes oratores pertinet. Testis & ille Galba, qui cum caussam meditaretur, plerumque ita incendebatur animo, vt vis caloris in corpus redundaret, & vultu rubore perfuso, scintillantibus oculis, quasi à sensibus abreptus, seruos etiam literatos operis administros in isto animi impetu multaret. Quamobrem vehementer apti sunt ad eloquentiam, qui faciles sunt ad suscipiendas rerum imagines, & ad conseruandas tenaces, ijsdem vehementer afficiũtur: fatetur ipse Cicero sibi perorationes impetu quodam mentis fluere.

Tertia, est in temperie figurarum, earumque illustrium, vt Descriptionis, Amplificationis, Iurisiurandi, Interrogationis, Parabolarum, Iconum, &c. quæ commemorantur à Longino.

Quarta est, γενναία φράσις, dictio generosa, & grauibus tropis, non tamen affectatis, aut violentis illuminata, sed grandis, simplex, rotunda, à puerili cultu aliena.

Quinta, est συνθήκη ὀνομάτων, compositio, & numerus, atque is etiam affectationis expers, & plerumque de industria incuriosus.

De pulchritudine & suauitate styli.

CAPVT XXXVI.

Pulchritudo in stylo quid?

PVlchritudo, quæ κάλλος, & ἐπιμέλεια dicitur ab Hermogene, est singularum orationis partium, cum coloris suauitate concinnitas. Laxius Hermogenes, κάλλος μὲν τρίνυν τὸ ἐν λόγῳ κυρίως μὲν ἂν εἴη, τὸ ἐκ πάντων τῶν ποιούντων τὰς ἰδέας αὐτοῦ πάσας, οἷον ἐννοιῶν, μεθόδων, λέξεων καὶ τῶν λοιπῶν εὐάρμοστον, καὶ σύμμετρον, μετὰ τινος ἐμφαινομένης δι' ὅλου τοῦ λόγου ποιότητος, ἤθους, μιᾶς πρεπούσης τῇ ἰδέᾳ, καθάπερ ἐν σώματι χρῶμα.

Pulch. duo genera.

Ex quo intelligas duo esse genera pulchritudinis. Est enim vnum omnibus sui partibus concinnum, atque aptum: vtpote sententijs, earũ tractatione, verbis, ornamentis, membris, cõpositione, clausula, numero: Alterum est comptum, & comparatum, quod κεκαλλωπισμένον

dicitur, quo insignioribus partibus elucet cum ornatu decoro, & floride.

Sophistarũ stylus. Cicer. in Oratore.

Is est stylus, quem sophistę, seu magistri eloquentiæ consectati sunt, qui omnia ad delectationem tulerunt, qui longe differt a graui illo, & negotioso, seu forensi genere dicendi. Eius omninò est, orationis, & artificium quærere, & profiteri, concinnas sententias exsculpere, fabulas & historias intexere, verba transferre apertius, eaque ita disponere, vt pictores varietatẽ colorũ: Paria paribus referre, aduersa contrarijs, sæpissimeque similiter extrema definire. Ad summum rotum hoc genus debet esse crebrum acutis sententijs, suaue, affluens, pictum, insigne, inustum calamistris, plenum margaritarum, cum sit ad aurium delicias compositum, quæ omnia in ciuili aut philosophica oratione non parua essent vitia.

Huic generi historia finitima est, in qua, & narratur ornatè, & regio sæpè, aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones, & hortationes, in quibus tracta quædam, & fluens expetitur, non contorta, & acris oratio. Hoc stylo sunt Heliodori Æthiopica.

Pulchritudinis exempla. Heliod. Aethiop. l. 3 Callist. in Narcisso.

Tale est illud in descriptione Charicleæ, ἦγετο μὲν ἐφ' ἁμάξης ἀπὸ συνωρίδος λευκῆς βοῶν ὀχούμενη, χιτῶνα ἢ ἀλιπόρφυρον ποδήρη χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαντον ἠμφίεστο. &c. quæ afferemus suo loco. Itẽ Callistrati in Narcisso. πᾶς ἦν μᾶλλον ἢ ἥβης ἡλικιώτης ἐρώτων ἄσπαρτον εἶον ἑαυτῷ τὸ σῶμα τοῦ ἀπολάμπον. Puer erat, vel potius adolescens coæuus amorum, veluti fulgetrum quoddam è corporis dignitate iaculans.

Candaules Gyges. Herod. & Dionys. περὶ συνθ. Dionysius Sophista Herodoti narrationẽ Atticam fecit.

Talis illa narratio Herodoti de Candaule, & Gyge satis nota, cuius summam suauitatem miratus Dionysius Sophista, eam ex Ionica lingua in Atticam transfert his verbis:

Γύγη σὺ γὰρ σε δοκῶ πείθεσθαί μοι λέγοντι τὰ περὶ τοῦ εἴδους τῆς γυναικός. ὥστε γὰρ τυγχάνει ἀνδράποις ὄντα ἀπιστότερα τῶν ὀφθαλμῶν. ποίει ὅπως ἐκείνῃ θεάσῃ γυμνήν. ὁ δὲ μέγα ἀναβοήσας εἶπεν Δέσποτα τίνα λέγεις λόγον οὐχ ὑγιᾶ, κελεύων με δεσποίναν τὴν ἐμὴν θεάσασθαι γυμνήν, ἅμα χιτῶνι ἐκδυομένην συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνὴ πάλαι ἢ τὰ καλὰ ἐξεύρηται ἀνθρώποις ἐξ ὧν μανθάνειν δεῖ, σὲ οἷς σὺ τόδε ἔσιν ὁρᾶν ἵνα τὰ ἑαυτῆ. ἐγὼ δὲ πείθομαι ἐκείνῃ πασῶν γυναικῶν ἐναι καλλίστῃ, καὶ σοὶ δέομαι μὴ κελεύειν ἀνόμων. ἐ μὲν δὴ λέγων ταῦτα ἀπεμάχετο ὁ δὲ ἠμείβετο τοῖς δὲ ἔφησε Γύγη, καὶ μὴ φόβου μὲν ἕνεκεν ὡς πειρώμενός σου λόγον λέγω τόνδε. Qui Græca salutatit à limine, agnoscet in istis maximas suauitatis, quæ in narratione esse potest, & structura verborum, delicias. Non dissimile est illud Ciceronis:

Crotoniatæ Cic. 2. de inuent.

Crotoniatæ quondam cum florerent omnibus copijs, & in Italia cum in primis beati numeratentur, templum Iunonis, quòd religiosissimè colebant, egregijs picturis locupletare voluerunt: Heracleotem Zeuxin, qui tum longè cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & cæteras tabulas complures pinxit, quarum nõnulla pars vsque ad nostram memoriam propter iani religionem remansit. Et vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in se imago contineret, Helenæ se pingere simulachrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eũ muliebri in corpore pingendo, plurimum alijs præstare sæpè accepissent, libenter audierunt. Putauerunt enim eum, si quo in genere plurimum posset, in eo magnoperè elaborasset, egregium sibi opus in illo fano relicturum, neque tum illos ea opinio fefellit. Nam Zeuxis illicò quęsiuit ab eis, quasnam virgines formosas haberent, illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderũt multos, magna præditos dignitate. (Etenim, quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus, & dignitatibus antestetterunt, atque honestissimas ex Gymnico certamine victorias, domum cum maxima laude retulerunt) Cùm puerorum igitur formas, & corpora magno hic opere miraretur: Horum (inquiunt illi) sorores sunt apud nos Virgines. Quare qua sint illæ dignitate, potes suspicari. Præbete igitur mihi quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo, id quod pollicitus sum vobis, vt mutum in simulachrũ ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatę publico de consilio, Virgines vnum in locum conduxerunt, & pictori, quas vellet, eligendi potestatem fecerunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quod eius essent iudicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis iudicium habere debuisset. Hæc oratio venusta est, & magno artificio elaborata.

Helena.

De Mixtura Celeritatis cum Suauitate.

CAPVT XXXVII.

Gorgon. animal.

ALexander Myndius, poetarum figmenta missa faciens, Gorgona animal esse ait quoddam Libyæ, quod visu perimat, si quem discussa iuba aspexerit; quod poetarum fabulis locum dedit, qui Gorgonas, Phorcyos & Ceti filias terribili aspectu finxerunt. Ex eo γοργωπες ὀφθαλμοι dicuntur trucibus oculis præditi, qui διάπυρον πολυν, ὑβριν habeant. Talis Hector memoratur ab Homero. γοργὸν ὄμματ' ἴσχων κορυθαίολος Ἕκτωρ. Ab oculis translatum est à stylo. Nam stylus γοργος appellatur, volubilis, & celer, qui ad pulchritudinem orationis conducit vel maximè. Nam cum suauitas mollem illam, & pellucidam orationem faciat, ne quid peccet mollitie, γοργότης præbet, & vim quandam vegetam inspirat. Sicut igitur corporis pulchritudo lenta quædam, & prorsus muliebris non placet, sed vt quæ in viragine Atalanta, apud Ælianum crucis aliquid habeat suauitatis: simili profectò ratione, si totus stylus summa teneritudine molleſceret, nihil haberet dignitatis: quo fit, vt vibratis sententiolis acuendus sit, & distinguendus, & hoc τὸ γοργὸν καὶ ἐμπεπυκνευμενον nominatur. Tale est illud Demost. Νὴ Διὰ κακοδαιμονᾶσι γὰρ ἄνθρωποι, καὶ ὑπερβάλλουσιν ἀνοίᾳ πάντας. ἀλλ' ὅμως δεῖ σωθῆναι αὐτοὺς ἐνίους· συμφέρει γὰρ τῇ πόλει. Miseri profectò sunt, & ingrati homines, & vehementer stulti, sane quidem: verumtamen eos incolumes esse oportet, nam vtile est ciuitati. Vides, vt hæc oratio suauitatem habet, cum volubilitate coniunctam.

Hector. Hom. ιλ. θ. Stylus. γοργος. & γοργότης: καλλωπισμάτων ἐμπεπυκνευμένον. Plut. sympos. lib. 8. q. 8 Pulchritudo lenta. Oratio cum forma confertur. Demosth. περὶ συν. γοργότης & exempla.

D. Hier. ad Helio.

Hæc virtus clarissima est in D. Hieronymo. Quid hoc loco γοργότερον, Nolite credere, nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur: magnos hic campus montes habet. Intus incluſum est periculum, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus tranquillitas ista, tempestas est. Simile est illud Virgilij.

Virg. 1. Æn.

Forte citi flammas, date vela, impellite remos

Constat autem, vt apparet, acutis sententijs, verbis floridis, & incisorum crebra volubilitate.

De acrimonia, & acuto.

CAPVT XXXVIII.

Acrimonia quid, & eius exempla.

HVic virtuti affinis est acrimonia, quod est acutum, vellicans; quale est illud Crassi in Lamiam deformem: audiamus pulchrum puerum. At ille acutè retorsit, vultum mihi fingere non potui, mores potui. Item Virgilij:

Cicero de orat.

Cantando tu illum, aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit.

Virg ecl. 3.

Plena est hoc dicendi genere oratio περὶ στεφάνου, contra Æschinem; ἡ μήτηρ σου τοῖς περὶ σῦρ. μεθημέρι σὲ γάμοις ἐν τῷ κλισίῳ τῷ παρὰ τῷ Καλαμίτῃ ἤροι χρωμένη, τὸν καλὸν ἀνδριάντα καὶ ζιταγωνιστὴν ἄρον ἐξέθρεψεν. *Mater tua in porticu, aut eliſio, cum Calamite heros diurnis nuptiis celebrans pulchram ſtatuam, & tertiarum actorem partium ſummum te educauit; & illud in ambiguo.*

Demost. περὶ στεφ. Suet. in Nerone.

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Alia sunt acumina grauia, quæ & hoc genus elaboratæ orationis maximè venustant, quibus affluunt Senecæ controuersiæ. Sed & Patres; vt D. Ambrosius, & D. Augustinus, hoc dicendi genus consectati sunt. Sic D. Ambros. lib. de virginibus, de sancta Agnete. Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus? & quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret? Nunc furentis mucroni militis totã offert corpus, mori adhuc nescia, sed parata, & nouum martyrij genus, nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ; certare difficilis, facilis coronari, magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis.

D. Amb. de virgin.

De methodo suauitatis.

CAPVT XXXIX.

Suauitatis methodus quibus rebus conſtet.

HÆc suauitatis virtus spectatur, vt cæteræ, in rebus, verbis, & structura verborum. Quinque sunt, quæ in rebus pariunt suauitatem; inuisa, inaudita, noua, ad summum quæ permotionem afferunt, & moratè sunt dicta. Noua dixi, & inaudita, idcircò res omnes fabulosæ placent, quibus, & summi auctores nonnunquam stylum ad aucupium voluptatis aspergunt. Tale est illud Platonis.

Plato in conuiuio.

Ori

Porus Metidu filius. Abundantia Prudentia filia.

Ορς γὰρ ἐγένετο ἡ Ἀφροδίτη εἰστιῶντο οἱ ἄλλοι θεοί, καὶ ὁ τῆς Μητ(ιδος) υἱ(ὸς) Πόρ(ος), & quæ sequuntur de Poro filio Metidis, hoc est, Vbertate, filia Prudentiæ Item in Phædro, quod Cicadæ aliquando homines fuerint, antequam Musæ extitissent. Proximè delectant, quæ ad fabulas accedunt, habent tamen speciē veritatis, quę dum recitantur, ipsa permotione animi instillantur suauius. Tertio loco memorantur ab Hermogene, quę sensu nobis sunt suauia, vt vermiculatum syderibus cœlum, camporum, tractus, nemorum vmbræ, pellucidi amnium liquores, neruorum soni, ciborum cupediæ, auri fulgor, micantis purpuræ decor. Hæc & similia, dum dicuntur, placent, quia amabilem sui speciem ingenerāt. Quis ista Sapphonis nō lubenter audiat? Sappho.

Ἀμφὶ δ' ὕδωρ ψυχρὸν κελαδεῖ διὰ δόσδων μηλίνων, καὶ αἰθυσσομέ(νῳ) δ' ἀπὸ φύλλω κῶμα καταρρεῖ. Maximè autem afficiunt ἡδεῖαι καὶ ἐπίνοιαι. Et ideò Heliodori Æthiopica, & similes, qui circumferuntur libri, tam auidè leguntur, magno aliquando honestatis dispendio.

ἠθο(ποιία) morata orat.

Rerum porrò nouitatem, aut voluptatem necessariò sequitur permotio, quæ in istis narrationibus sensum titillat; etsi doloris ipsa fuerit, tamen delectat: nam qui tragicos heroum casus audiunt in theatris, ex ipsis lachrymis hauriunt voluptatem.

ἐπιτήδεια. Verborum delectus ad suauitatē. Vide Dion. Hal. p. 187. περὶ Δημοσθ. Ἰωσήπ(του). vbi fusè de scribit. Cicero in Partition. orat.

Hæc autem morata oratione omnia temperari, & quasi animari oportet, hanc Græci Rhetores ἠθο(ποιίαν) vocant; cuius est, decorum in personis obseruare, & vnicuique, quod mores & ratio vitæ postulant, tribuere; qua virtute nihil est in tota eloquentia artificiosius; cui ἐπιτήδεια solet annecti, quæ modestos & amabiles oratoris mores demonstrat. Res consequuntur verba, & numeri; de quibus ita præcipit Tullius; Suaue genus erit primum elegantia, & iucunditate verborum sonantium, & lenium: deinde, coniunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque diiunctos, atque hiantes: & sit circumscripta, non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatq; similitudinem æqualitatemque verborum, tū ex contrarijs sumpta verbis, Crebra crebris, paria paribus respondeāt, relataque ad idem verbum, & geminata, atque duplicata, vel etiam sæpius iterata ponantur, constructioque verborum, tum coniunctionibus copuletur, tum dissolutionibus relaxetur.

Primùm igitur præcepit, vt verba sint sonanta, & leuia, quod multis prosequitur Dionys. Halic. in libello περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. & selecta habet exempla, quibus ostendat antiquos in descriptione rerum suauium, atque amabilium lenibus vocabulis vsos, contra in molestis, aut grauibus nomina ad materiam accommodasse: quid istis dulcius?

οὐλας ἦκε κόμας ὑακινθίνῳ ἀνθεϊ ὁμοίας.

——— *decoram*
Cæsariem nato genetrix lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflauit honores.

Exempla suauitatis. Homerus, Odyss. 6. Virgilius Æn. 1. Plato in Axiocho. Cic. 2. de nat. deorū.

Et illa Platonis in Axiocho, quantam habent nominum iucunditatem? ἔνθα ἄφθονοι μὲν ὄψεις καὶ ἀκοαὶ γοητεύουσι τὴν ψυχὴν ἡδοναῖς καθαραῖς ῥέουσι. Itē Ciceronis, At verò, quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitas orarum, & littorum? quot genera, quam que disparia, partim subnersarum, partim fluitantium, innatantium belluarum; partim ad saxa natiuis testis adhærentiū Contrà in Thucidyde, quod notat Halicarn. & in Homero, & cæteris, pleraque de industria inuenias austera, &, vt ait Demetr. Phalereus πάντα μᾶλλον ἢ σαρρόντα ἔστιν ἰκανά.

Secundo notat structuram orationis, quæ fermè est in isto dicendi genere, sine vllo hiatu, & collisione vocalium. Tales sunt Isocr. orationes totæ ductiles, in quibus rarò synalœphas, difficilē κακοφωνίαν inuenias.

Tertiò notat mediocritatem periodorum, quæ etiam ad suauitatem attinet: austerum enim est & graue longis orationis anfractibus elidere spiritum.

Postremò varias figuras dictionis enumerat, vt antitheses, Isocola, anaphoras, anadiploses, &c. quæ orationi iucunditatē aspergunt, & hæc de florido, & elaborato stylo.

De optima figura dicendi, & de decoro.

CAPVT XL.

VErum quæres, quid in tanta styli varietate constituendum sit, & quis demum optimum oratorem character deceat. Est illud quidem in rebus humanis satis vsu comprobatum, nihil ex omni parte beatum esse, & vt ait Homerus. ἕτερον μὲν ἔσχε πατὴρ ἕτερον δὲ ἀνίωσε. Hoc ipsum in ratione dicendi contingit, in qua rarò reperias oratorem ex omni parte

parte absolutum At si quis talis esset, vt pro rerum varietate omnia dicendi genera perfectè tractaret, is demum videretur perfectionis apicem consecutus: quod vnus Cicero supra Græcos Latinosque admirabili dexteritate videtur præstitisse.

δεινότης quid.

Is orator à Græcis dicitur δεινὸς, & hæc est, vt ait Hermogenes, δεινότης, χρῆσις ὁρμὴ πάντων εἰδῶν τοῦ λόγου. Rectus vsus omnium generum dicendi.

Πολίτικὸς λόγος.

Eadem δεινότης dicitur πολιτικὸς λόγος, quod perfectum in rebus ciuilibus oratorem, his omnium virtutum generibus expolitum atque illustratum esse oporteat; ὁ μὲν τῇ ἀρίστῃ μίξει χρηράμενος τούτων τὸ ἄριστον δηλαδὴ τῶν πολιτικῶν λόγων ἐργάσεται.

Atque in eo maximè spectandum est decorum personarum, ætatum, locorum, temporũ: quod eruditè notauit Lud. Viues.

Eloquentia siue stylus puerilis.

Si puer est, dicit sententijs paruis, leuiculis, frigolis, argumentis infirmis, locis inanibus, excursionibus ad fabellas, & nugas, iocis frigidis, improprijs translationibus, crebris figuris similiter cadentibus, & desinentibus, tinnitu compositionis, & delicijs comparatorum, cõpositione obscura, & hoc in puero non modò toleratur, sed etiam plerumque placet.

Iuuenum oratio siue stylus.

Iuuenilis oratio solet esse nimia, calore pugnaci, accurata, ornamentis illustris, compositione concinna, & suauis, erecta, audax, præculta, interdum delicioſa, lasciua, ludibunda, structura molli, & delicata, Corinthijs operibus non dissimili: vbi deferuit calor, apparet meticulosa, circumspecta, pedetentim ingrediens, repressa tractatione affectuum, pugnacitate argumentorum, ornamentis quoque, & cultu diminuto.

Virorum.

Virilis solet esse magni ponderis, profundæ intelligentiæ, argumentis solidis perrexta, circuitu solutiore, nõ tamẽ diffuso, aut neglecto: in ea trãslationes parciores, figuræ ac schemata rariora, verba nec noua nec obsoleta, translationes & superlationes sobriæ, grauitas in asserendo, contemptus minutiarum, & quod extremũ est, grauitatis augustus quidã decor. *Senibus præssum, mite, & sanctum tribuitur.*

Iam verò si conditiones spectentur:

Principum.

Principum conciones esse debent magnificæ, puræ, electæ, parcæ verbis, amplæ sententijs, sensu simplici, prudenti, graui, sedato.

Rhetorum Politicorũ.

Rectores politici, accurati sunt, & elimati, candidi, graues, ab affectione, & puerilibus motionibus alieni, vt videantur non è schola quæsijsse, sed hæreditario quasi iure nobilitatis à parentibus possediſe eloquentiam.

Concionatorum. Concionatorum oratio debet esse solida, grauis, sancta, casta, sobria maximè, vbi de Deo & arcanis mysterijs, vt in principijs fieri solet, adhuc sedatus sermo est: Altiùs ingressis licebit se attollere, figuris copiaque & laxitate orationis diffundere: semper tamen apud populum dicentibus comperunt propria vocabula, aptæ translationes ex rebus notis, conformationes & figuræ omnis generis, oratio plena, succulenta, clara, diserta, exemplis & dictis intexta, & vbi opus est, incitata, ardens, pugnans.

Philosophorum. Philosophi sermo de virtute simplex sit, purus, integer, validus, sanctæ matronæ non dissimilis, quæ extra fucum naturali pulchritudine enitescit. De rebus naturalibus erit acutus, osseus, adstrictus, enucleatus.

Sophistarũ. Sophistæ, aut Rhetoris ad voluptatem dicentis genus dicendi est teres, lene, succisum, candidum, molle, pellucens, illex, omnibus gratijs & veneribus affluens. Si personæ auditorum considerantur, qui cum authoritate loquitur ad inferiores, totus est in rebus circunstantias personarum minus curat, quanquam & prudentibus curandæ sunt. Nullus est adeò abiectus, cui non aliquid debeatur, habet & pilus vmbram suam.

Decorum. In oratione minoris, ad maiorem personam debet eminere sollicita reuerentia, & pudor. Orationes modulatæ, canoræ, subtiles, argutæ, quæ nimis liberè, aut ludere, aut quod magis imperiosum est, docere videntur, viris grauibus vulgò displicent, cùm à iunioribus dicuntur.

Ad summum videndum an locus sacer sit, an profanus: in profano ciuilius, in sacro augustiùs & sanctiùs, præcisis aulicorum floscullis, agendum: Deinde tempora etiam incurrũt, & negotia, in quibus modò vernans & læta, modo simplex, horrida, & quasi detractis ornamentis debeat esse oratio. Nonnunquam tonandum, fulminandum, frangendum: nonnunquam etiam supercilioſi, morosi, suspicaces, irritabiles, blandè, circumspectè, remota omni ambiguitate, & quasi molli articulo tractandi. Consilium resque locusque dabunt.

Satis de optimo genere eloquentiæ dictum est. Nunc de ingenio, doctrina, exercitatione, & imitatione, quibus præsidijs ipsa comparatur. *Finis libri secundi.*

DE ADMINICVLIS

ELOQVENTIAE, INGENIO, DOCTRINA ET IMITATIONE.

LIBER TERTIVS.

De Animi præstantia.

CAPVT PRIMVM.

HActenus à nobis maximorum Oratorum lineamentis & coloribus conformata est præstantissimæ cuiusdam Eloquētiæ species, cuius facibus inardescere generosæ mentes possint: nunc de adminiculis, quibus cōparari solet, paulò pictius, & hilarius, vt his aspersa condimentis, doctrinæ severitas mulceatur, non sine tamen honestæ vtilitatis compendio, hoc qui sequitur libello disseremus.

Tota igitur spes capessendæ eloquentiæ, partim est in soli bonitate, partim in eius cultura constituta. Ager, siue hortus noster, animus est, cultura eruditio, coloni præceptores, flores scientiæ, & virtutis lumina, fructus immortalitatis. Hęc ego dum dico, nihil breuius; dum cogito, nihil patet latius. Ac primum, nemo non videt, quanta sit huius soli, animi (inquam) supra omnes omnium hortorum fundos dignitas, quantus splendor, quanta maiestas! Dux est, & Imperator vitæ mortalium, rector humani generis, princeps facultatum, agit, habetque omnia, ipse nec agitur, nec habetur, luce clarior, tempore rapidior, syderibus velocior, non hic Empedoclis sanguinem, non Zenonis ignē, non Aristoxeni intentionem, non Pythagoræ numeros, non cœli particulam agnosco: aliquid est profecto, aliquid est sanguine viuidius, igne purius, intentione contentius, modulis numerosius, cęlo deniq; ipso maius, & augustius. Et quid aliud est, quā vitæ spiraculum? quam Θεοῦ ἄγαλμα? (vt ait D. Gregor. Nazianzenus) quam species omnipotentis, vilt luto impressa? vt facies solis in nube, radius in crystallo, hyacinthus in cera?

Obuersatur mihi de hac animi dignitate cogitanti, Cosroæ potentissimi Persarum regis machina crystallina, in qua, vt est apud Cedrenum, mirum dictu, cœli immensitas, solis cursus, lunæ labor, & æternæ micantium syderum conuersiones cernebantur, aderant quoque machinæ, è quibus vis aquarum exiliret, quæ modò subirent in imbes, modò rigescerent in grandines, modò tumescerent in fluctus, modò præcipitarentur in torrentes; tum verò aer modò serenus, blanda velut Etesiarum amœnitate ridebat, modò nubibus obducebatur, furebat procellis, micabat fulguribus, minaci fulminum terrore confundebatur, ipse quasi Deus aliquis in medio collocatus, ad nutum compositos cursus, recursusque stellarum

Ced. p. 338.

cora-

contemplabatur, pluebat, ningebat; tonabat, fulminabat, permiscebat omnia. Simili profecto ratione animus in capite, tanquam in arce positus sedet, & dominatur: *nunc* (vt ait Plato) *cupiditatum gynecæa dispensat, nunc acrimoniæ andronem regit, nunc desideria, veluti volitantes prodromos emittit, nunc furiales irarum exercitus è castris educit, nunc serena luce circumseptus suauius renidet, nunc varijs affectuum turbinibus totus circumstrepit.* Atque cùm talis, & tantus ipse sit, duas habet facultates omnium præstantissimas, quibus, veluti manibus, rerum apprehendit species: intellectum dico, & voluntatem: hac enim in amorem fertur, & odium; illo vera discernit à falsis, inuestigat, capit, cognoscit, & si acutior fuerit, atque solertior, hoc vocatur ingenium, cuius, Deus bone, quanta est velocitas, quàm celeres motus, & planè ignei! Vis disiunctissimas terrarum partes peragrare? iam peragrauit, præcipis Oceanum tranare? iam tranauit: iubes in cœlum euolare? iam euolauit: cupis detinere? non potes: quos enim obices oppones? pone terræ molem, penetrabit; pone claustra adamantina, perrrumpet; pone cœlum, perfringet, ad extremam vsque naturam peruadet, & si quid extra est, scrutabitur.

Plato. apud Dion. Longinum.

Ingenium quid?

De varietate ingeniorum, & excellentia in mechanicis.

CAPVT II.

SEd vt agrorum, ita & ingeniorum magna est varietas, alia enim aurea, alia argentea, alia ferrea, alia etiam plumbea videntur: ex quo antiquorum nonnulli, disiunctas animorum species esse voluerunt, quos adeò functione diuersos cernerent. Animaduerte, quæso, quisquis es, & in eo mecum mirare exultãtis naturæ ludum. Ex hac parte Seneca duo nominum millia semel audita, Corsicus verò adolescens triginta sex millia refert fideliter: ex illa Amphistides ad quatuor vsque numerat, Melitides ad quinq;, dic vlli vltra pergat, non potest, ad summum venit memoriæ. Ex hac Mithridates duarum & viginti gentium, quas habet in ditione, linguas percallet: Ex illa Caluisius, ne Priami quidem, & Vlyssis nomen, quod tamen quotidie vsurpat, satis habet expeditum Ex hac Herodes Atticus cornu quoddam Amaltheæ, Oceanus eruditionis, & eloquentiæ, cuius doctissimi quique (si Philostrato credimus) frusta, & particulæ appellantur, magna totius orbis terrarum admiratione declamat, docet, scribit: ex illa Herodis filius primas literas addiscere non potest, vrget pater, & vt opulentia æquabat reges, nobilis ludi magister, viginti quatuor pueros honorarios nomine literarum insignitos dat filio, vt vnus Alpha, alter Beta, tertius Gamma, & ita deinceps omnes appellarentur, habet in seruis quotidianis alphabetum stupidus adolescens, laborat tamen in ediscendo. Ex hac parte Didymus Grammaticus *Bibliolathas* apud Athenæum, vt nominatur à Demetrio Trœzenio tria millia librorum, & quingentos scribit; ex illa infiniti sunt rudes, & analphabeti. Ex hac Q. Cæcilius Metellus Macedonius triumphator illustrissimus, cuius caput, velut quædam prudentiæ officina; ex illa Q. Metellus Caprarius eius filius omninò stupidus, cui stomachatus magnus Scipio dixisse fertur: si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Quid si opera iam conferantur? quid si illa admirabilis opificum industria prodeat in lucem? Archimedes onustam nauem, quam non ingens hominum multitudo loco mouere potuisset, solus molitus est, traxitque quo voluit, cœli motus lusit in vitro, ad summũ, Iouis æmulus, tonitru perstrepuit, coruscationem incendit, fulmina iaculatus est. Architas volantem columbam fabricauit, Albertus magnus (vt ferunt) loquentem statuam, opus triginta annorum, quod vno momento diuus Thomas contriuit Myrmecides quadrigam eburneam muscæ alis, nauim apiculæ pẽnis intexuit, alius casum Phaëtontis in gemma annuli scitissimis lineolis exarauit, alius in Achate nouem musas cum Apollinè impressit: melius superiori sæculo Cappocius Senensis totam de morte Christi historiam, res, actus, personas, elegantissimo artificio in suis vnguibus delineauit: melius quoque Frãciscus Alumnus, qui symbolum Apostolorũ, & Euangelium Ioannis, in denarioli orbiculo magna Caroli quinti, & Clementis septimi admiratione descripsit. Quid in horologijs? vt triumpharunt ingenia Alia solis, & lunæ cursus definiunt, alia quauis hora homines è somno excitant, & lumen accendunt, alia statuas accedentes, & recedentes singulis ictibus referunt. Ex eo enim, quod Aaron rex Persarum ad Carolum magnum Imperatorem

Muretus in varijs lectionibus.

Seneca. Philost. in Hirodote.

Cic. de ridiculis.

Claud. in sphæra Archimedis.

Vide Tostatum in Genesin.

Maiolus.

Galen. l. 17. de vsu partium.

Vide dies canit.

misit anno octingentesimo septimo, duodecim equites modò singuli, modò bini, modò terni, modò vno agmine omnes apertis tot fenestris turmatim exiliebant, exercitum dixisses è portis castrorum erumpentem. Num verò prodigio simile est, quod horologium cum campanula, & indice, cum tot libramentis currentibus, & recurrentibus rotulis, in Caroli quinti annulo petitissimus artifex inclusit? Confer nunc ista ingenia Albanis, & Thracibus, qui solem dici magnitudine esse iudicant, lunam capiti impendentem timent, ne cadat; cœlum scalis posse aditi putant; vtro parente nati sint nesciunt; testas, & lapides fœno molliunt; lumen extinguunt, ne à pulicibus pungantur.

Causæ huius varietatis.

CAPVT III.

EQuidem diuersos specie animos asserere temerarium duco: at omnes virtute, & dignitate pares esse, nec referre, vtrum anima sit Agamemnonis, an Therſitæ; Alexandri, an Margitæ; Iulij Cæsaris, an Bambalionis, multorum, & grauissimorum hominum sententijs hæc opinio non mediocriter refragatur.

Quid enim aliud est, quàm maximum ornamentum ex vniuerso tollere, disparitatem perfectionis? quàm Deum similem illi pictori facere, qui præter cupressos pingere nihil poterat? Nunquid ipse eodem lumine stellas omnes incendit, eodem virore arbores irradiat, eadem purpura vestit flores? An quod facit in floribus, stellis, arboribus, hoc ipsum facere non poterit in mentibus? Ex eius fortasse natura repugnat? at immensæ est & inexhaustæ virtutis. Ex animis? nihil minus, sequuntur enim, vt mollis cera pollicem fingentis Dei. Haud negarim aliquid syderibus, multum loco, corporis temperamento non parum, institutioni plurimum tribui oportere, à quibus ingenia variis modis affici videamus. Nam, qui sub crasso aëre nascuntur, obtusiores, vt Bœotios: qui sub puro, & delicato, ingeniosiores, vt Athenienses fieri, satis, superque trita veterum dicta docuerunt: ex institutionis verò fonte manauit tanta, quæ in diuersis gentibus cernitur ingeniorum dissimilitudo. Persæ ferè omnes otiosi, propter Palatinæ operæ assidua obsequia. Syri cupidi, & auari, vt qui in continua rei institoriæ exercitatione tererentur. Asiani molles, vt quorum patria delicijs afflueret, Alexandrini derisores, vt qui à puero ad dicteria, & sales fingerentur: Cappadoces, Cilices, Cretenses, mendaces & fraudulenti, vt mari, & nauticis rebus assueti: Campani superbi, & arrogantes, quales in summa rerum affluentia nati homines esse solent. Et ista quidem ad communes ingeniorum propensiones huc, vel illuc inflectendas vim habent non mediocrem, at in magnis ingenijs aliqua vis est superior, quæ Dei lumine accenditur: quemadmodum enim in corporibus videmus, etsi omnia ex primo luto, quod magnus ille architectus singulari artificio machinatus est, scimus esse profecta: tamen quæ in pulchritudine, & deformitate; quæ in robore, & debilitate; quæ in agilitate, & tarditate discrimina cernimus? Rusticellus Hercules multũ suum tollebat humeris, Athanatos quingenario thorace plumbeo indutus, cothurnisque quingentorum pondo calceatus (præclara Veneris sandalia) per scenam ingrediebatur. Adolescens Turca sub Ferdinãdo Gonzaga, corpore haud quidem magno, sed tereti, assumpto homine in humeros, per funem ad dimidium recti anguli accliuem adiectis gladijs, trium fermè palmorum longitudinis, præacutis, acieq; nouaculæ pedum malleolis ascendebat, adeò distentus, vt nec in plano facilè fuerit sic ambulare: inde funi superpositam tabulam passibus traijciebat: cum vix ipsa, vel momento tuenti insistere posset. Mox suppositis patellis eneis absque vinculo, quas extencis pedibus retinere cogebatur, per eundem funem ambulabat. Quis non stupeat, & nostra corpora fictilia, hoc aëreum, aut igneum esse dicat? Ita in ingenijs euenire solet, diceres alia ex cælo delibata, alia ex halitu luti expressa: diuinus Plato aspersos quidem omnibus igniculos esse dicebat, sed in alijs languidiores, in alijs acriores: Mercurius ille ter maximus animis, antequam in corpora laberẽtur, craterẽ mentibus singulis esse propositum fingebat, quem alij tantum delibarent, alij modicè biberent, alij plenius, quidam se totos in eum ingurgitarent. qui omnium essent ingenij splendore florentissimi; Quicquid est, gaudeant benè nati, & qui à natura animam bonam, bonam mentem, bonum ingenium sortiti sunt. Hoc primum culturæ nostræ fundamentum statuo.

Plin. l. 7. c. 20.

Cardan. de subtil.

Mercur. Trismeg.

Trib.

Tria ingeniorum genera quæ literis apta, & vnde sumendum culturæ exordium.

CAPVT IV.

SEd quale tandem erit istud, quod quærimus? ingenij, & doctrinæ princeps Aristoteles commodè quidem ingenia in tria genera diuidit, & alia inertia facit, & stupida, quibus nihil ad res gerendas ineptius. Talis Claudij Cæsaris, imò stipitis, indoles fuit, qui cũ Messalinam Vxorem, calcato lecti genialis fœdere in omnibus adulterijs volutatam probè sciret, ægrè tandem in id consilium adductus est, vt eam per speculatorẽ trucidari iuberet. Re demùm confecta, & eodem die ipsi nuntiata, post vnam, aut alteram horam quærebat (vir admodum memor) quid dominæ esset factum, quò minus ad cœnam veniret. Alia nimis velocia esse censet, & calida, quæ plerunque in stultitiam, & furorem degenerant: & exempla quidem illustria in Hermogene & Caligula Cæsare vidit antiquitas, quorum vnus, qui anno ætatis decimo quinto, incredibili hominum concursu, magna doctorum admiratione, ipso etiam Imperatorum plausu, dicebat ex tempore, cùm ætatem virilem attigisset, adeò hebes factus est, vt quod est ab Antiocho non insipidè dictum, inter pueros senex, inter senes puer videretur, & esset. Alter, qui à puero celerrimos ingenij motus habebat, in eam vecordiam deuenit, vt palam cum Iouis statua nunc blandiens, nunc increpans versibus Homericis colloqueretur, lunam plenam, & fulgentem in amplexus inuitaret, horreis conclusis populo Rom. famem indiceret: ad summũ, equo *Incitato*, quem præ cæteris carissimum habuit, consulatum destinaret. Tertium locũ obtinent σάσιμα, quæ sedata sunt, & mansueta, atque ideò meliora ad omnem rationem humanitatis.

Suid. hoc μετωπίαν *ἀδιάφορον appellat.*

Philost. in Sophistis. Tranquil. in Caio.

Non placent ingenia simiarũ, quæ versatili leuitate desultoria huc, & illuc volitant, in nugis, & quisquiliis triumphant, in serijs rebus hebescunt: sordent mihi pigra, & abdomini dedita, porcorum, quibus nisi culinæ nidor suboluerit, nunquam excitabuntur; nauseam mihi faciunt sordida simul & callida vulpeculorum, quæ nihil nisi lucri pecuniæ, & malitiæ vias consectantur, in quibus si turpiter inlaqueârint, nunc perbeata existimantur. Volo ingenium, quod simplex, candidum, solers, constans, festinè lentum, magnum, exaggeratum, quod se supra auaritiam, supra voluptatem ad cœlum vsque efferat. Benè habet, designatum est à nobis solum, in quo olitoris nostri desudare, & longè, lateque excurrere possit industria. Primum igitur fundi ingenium cognoscat, deinde subigat, expurget, molliat, excolat. Educat mihi purioris doctrinæ riuulos, quibus tenella germina irrigentur, quò mitius crescant, & felicius. Disponat classes, quasi pergulas, smaragdino virore illuminatas, & assitis per iusta interualla arboribus, componat areolas puras, mundas, elegantes, è quibus suauissimi florum, an potiùs virtutum omniũ, affluentur odores. Ad hoc accedat oportet institutio non triuialis, sed generosa, quæ à pietate prima iaciat fundamenta, & per magnarum virtutum gradus emissa, ad Deum vsque, scientiarum fontem pertingat.

Aduersus eos qui Christiano cultu emolliri, & langueſcere dicunt ingenia.

CAPVT V.

IN quo mihi confutanda est vetus querela eorum, qui Ethnicorũ, & etiam turpissimorum opera, & ingenia nostris anteponunt, qui Christianarum virtutum cultu magnos animos obtundi, minus ad rem militarem aptos, minus ad iurisprudentiam, & eloquentiam fieri clamant, eorum gloriam aut extingui, aut meticulosa superstitione retardari: liberum esse oportere felix ingenium, vagari per omnia, nihil intactum relinquere, sibi Catullos, Martiales, Petronios eiurari, & æterna debilitate castos, & intestabiles emitti. In quo, Deus bone! quantus error eorum, qui hæc dicunt, si non vident; idcircóne Deus scientiam dedit, vt virtutem pro ludibrio haberemus? Idcircóne Christianos fecit, vt propudiosos amores, vt Gomorrhæos calamos, vt chartas, (chartas dico) imo omnium sordium sentinas, ex Fescenninorum incendijs, & cineribus erutas in lucem efferemus? & hæc insectari, est veteris doctrinæ splendorem obscurare, de summis authoribus detrahere, ordinem de rebus, solem de mundo eripere. Ingemiscite, si quis modo vobis sensus est, Constantini, & Theodosij cineres, ingemiscite: Vos, quæ religiosissimis edictis coercuistis, quæ excidistis, quæ æternis tenebris mandastis: Sotadæa flagitia, atque scelera, ab hominibus Christianis post

Vide apud Baron. edict. Constantin. cõtra obscœnos poetas.

sexdecim secula requiruntur, & lugentur amissa. Vos, quam in Christianorum gymnasia induxistis pietatem, & quæ vos beatissimis laureis cumulatos, in illas æternis syderibus illuminatas domos induxit, contemni, expui, lacerari vidimus? Et magna (inquiunt) emollit ingenia: quęnam (malum) sunt ista magna ingenia? An Mucij, qui distillantem in foculo nudis ossibus dexteram spectent, & pœnas à se nescio cuius iriti conatus exigant? an Catones, qui post Lybicas Syrtes, & serpentũ ludibria, animas proijciant, non profundant? an Porciæ, quæ cum ferrum negarit fortuna, vitã carbone extrudant? an Iuliani, qui amisso apud Persas per dedecus exercitu, afflicti, saucij, moribundi in Christum manantẽ è vulnere cruorem contorqueant? an Dicæarchi, & Protagoræ, qui de Deo an sit, nec ne, modò ferueat olla, inquirendum non putant? an Lacones, qui (vt est apud Plutarchũ in quæstionibus Græcis) *neminem bonum fieri publicu literu in columna incisis sanxerunt*? num potius magna, & diuina ingenia, Clementes Alexandrini, Gregorij, Basilij, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, qui Christianæ pietatis gradibus, ad id doctrinæ, & eruditionis venerunt, quod superiora sæcula non viderũt, posteriora admirari magis, quã imitari possunt? Doctores loquor, & sanctos. quid Imperatores? ex qua schola limati ad imperium prodierunt? quibus disciplinis instituti hostes terrore, suos amore deuixerunt? quibus præceptis informati vltra columnas Herculis nominis sui famã diffuderunt? de veteribus nihil dico, quorum exemplis pleni libri, plenæ sapientũ voces, plena ora posteritatis. De nostris loquor, quorũ domesticas virtutes intueri nobis integrum est, quibus tandẽ artibus inuictissimus ille Martellus anno 730. Abderamum Sarracenũ cum prodigioso quadringentorũ milliũ exercitu in Gallias irruentẽ repressit, & trecẽtis quindecim millibus interfectis in pugna Turonẽsi ea statuit trophęa, quæ nullus antiquorum Cæsarum potuit adæquare? quibus tanti patris soboles Pipinus bis cum maximo, atque fortissimo exercitu Alpes penetrauit, & primũ Arnulphum Longobardorũ Regem, deinde Gaiffram in summ ũ Pontificem, & sanctissima religionis nostræ pignora rebelli animo ferociẽtes pacauit? quibus eius filius Carolus Magnus per omnes terrarũ oras, quasi fulminum terroribus cinctus arma circumtulit, easq; non magis suis cursibus peragrauit, quam victorijs, atque triumphis illustrauit? Quibus sanctus ille Rex Ludouicus, cum mille, & quadringentis nauibus (non tot olim Agamemnon rex regum ad Troiam nauigauit) Syrtes, Charybdes, atque insana Syllarum latratibus, fluctuumque vorticibus maria contempsit, & luctantem inter extrema omnia animam pro Christi gloria feliciter effudit in victoria? num probitate, num simplicitate, nũ pietate? Age, perfrica frontem, quisquis es Heroum obtrectator, & dic Christiano cultu emollita hæc ingenia ad socordiam desciuisse, & si lubet iurisperitos percontari, quære, quinam viri fuerunt Africani, & Epagathi, Tertulliani; si oratores, qui Athenagoræ, Iustini, Firmiani, Arnobij, Saluiani: si poetas, qui Prudentij, Sidonij, Apollinarij, Sedulij, Nonni, Ronsardi: si historicos, qui Eusebij, Theodoreti, Euagrij Seueri Sulpitij, Baronij?

Franci, Christianissimi & fortissimi.

Quære, an refrixerint an emarcuerint? an Christiani mores aliquid de eorũ eruditione, industria, subtilitate detraxerint? Omninò ingenijs verè Christianis nihil præstantius fuit, aut augustius. Germana enim est eruditionis pietas, & rerũ magnarum comes perpetua. Atque, vt mala quædã olitores germanitatis appellant semper cohærentia, semper gemella, nunquam singula in fœtu, ita se mutuo amicitiæ fœdere, & incredibili societatis cõmercio ista consequuntur, nec sine iactura à se inuicẽ disiungi, atque separari possunt. In meridiano orbe, vt aiunt, principuam nobilitatem obtinẽt palmæ Syagri, proximamque Margarides, cæ breues, candidæ, rotundę, acinis, quam balanis similiores; vnde & nomẽ à margaritis accepere, & vna earum arbor in Chora regione esse traditur. Vna & Syagrorum, quę mirum dictũ, cum Phœnice aue moriuntur, cum eadem rẽnascũtur. Ego verò sic arbitror, & sic mihi persuadeo, non tantùm esse palmæ Syagrorum, & Phœnicis commercium, quantum pietatis, & doctrinæ. Hæc illam, tanquam sororem amat, complectitur, exosculatur; sine eadẽ languet, contabescit, emoritur. Quamobrem, & his stabilitæ fundamentis Christianorũ scholæ, omnes Ethnicorum academias bonitate numero, dignitate facilè superarunt. Omitto quantæ venerationis fuerit apud Iudæos, sanctissimũ illud Melchisedecis sacrarium, Iacobi Patriarchæ rudimentis nobilitatũ, à quo scholarũ institutionẽ profectam esse volunt, & in omnes nationes longè, lateq; propagatam. Nihil dico de nobilissima Pãteni schola, quę ab ipsis Christianę Religionis incunabulis cępit Alexãdrię, sapien-

Plin. l. 5. c. 14.

sapientissimorum hominum, Clementis Alexandrini, & ipsius Origenis, cæterorumq; non dissimilium studijs feliciter illustrata. Sileri patior de gymnasio Theodosiano, in quo sex Rhetores, viginti Grammatici, imperatorijs stipendijs honestati, magno Christianæ iuuẽtutis cõcursu vna docuerunt? Quid habet tandem antiquitas, quod non dicam, cum Academiæ Parisiensis pristina maiestate, sed cũ mediocri quidem schola comparari possit scimus sub Claudio Imperatore Romanos doctoris Græci penuria, Massiliam liberos misisse, vt Græcanica literatura excolerentur. Discimus ab Eusebio, sub Domitiano primum Romæ Quintilianum, publica mercede conductum ex Hispania Rhetoricam, docuisse. At apud nos, nullus penè vicus, cui non humaniorum literarum magister sit publico stipendio honestatus, adeò iniqui sunt Censores, qui ingenijs, & studijs Ethnicorum plus tribuunt, quã Christianorum.

Vide Baronium.

De ingeniorum delectu, ad eloquentiam specialiùs dictum.

CAPVT VI.

Cicero de orat.

APollonius ille quidem Alabandensis præclari præceptoris munere fungebatur; qui eorum, quos ad capessendum eloquentiæ studium, in suum ludum patentes mittebant, ingenia explorabat accuratissimè; quæ si minus essent idonea, quàmprimum dimittebat, ne frustrà laboribus in discendo frangerentur. Et certè, cùm in omnibus artibus sit ingeniorum habendus delectus, maximè verò in eloquentia, quæ, vt res est omnium difficillima, ita ingenij felicitatẽ magnoperè desiderat. Hic profectò, vt aiebat Isocrates, δῶ γραφίδες νοῦ. Æthiopes, vt aiunt, fortitudinis indolem in pueris hac ratione explorare solebant: Ingentes quasdam aues cicuratas alebant domi, quibus tenella adhuc pusionum corpora imponebant: Ad id autem ministerium mirabili quadã dexteritate factæ erant, vt in sublime sessores efferrent, & leni motu deuolantes reportarẽt; Hoc si non pauebant pueri, si volatum intrepidè sustinebant, eximiæ indolis dabant indicium.

Plutar. in Isocr.

Alexand. Neapol. l. 2. cap. 25.

Ita profectò, & in eloquentia facere oportet, & diligenter spectare ingenij motus, & cursus, quibusve pennis, & quàm sublimè ferri possit, quod in pueris, in quibus natura, vt ait Cicero, tanquam in speculis cernitur, à teneris elucere solet.

Primum illud ex veterum sententia statuamus, aliquas esse naturas veluti diuino furore accensas, quas Dionysius Halicarnassensis φύσεις θεοζούσας eleganter appellat: easque, vt ferrũ Siderite lapide affrictum, sic mente diuina incitatas, arcana quadam vi perfundi.

Talis fuit mens Origenis, qui à teneris vnguiculis; iam discendi cupiditate volitans, patrem de sacrorum dogmatum mysterijs magna prudentia interrogabat. Pater verò admiratus, conabatur incitatissimos naturæ cursus moderari, ne tantis motibus non sufficeret mortalitas, sed videbat in eo θεάζουσαν φύσιν, idcircò dormientis pectus, quasi sacrum magnæ mentis domicilium exosculabatur.

Euseb. li. 6. c. 2.

Tale fuit D. Augustini ingenium, qui annos natus duodecim, Logicos, & Rhetoricos Aristotelis libros intelligebat.

D. August. confess.

Hanc mentem θεάζουσαν, magna quædam, & acris incitatio mentis, & affectuum teneritudo consequitur, qui oriuntur ex vi φαντασίος, quæ in ipsis, vt cera mollis, impressas rerum imagines facillimè suscipit, ijsque tenacius adhærescit.

Hoc in Thucydide adhuc puero visum est, qui cùm Herodotum historias in theatro recitantem audiret, quibusdam narrationibus permotus, erupit in lachrymas: quod animaduertens Herodotus, eius naturam ὀργῶσαν pronunciauit, & prædixit fore, vt in virum eloquentem euaderet.

Quid verò Euripides? quàm acrem, & viuã εἰδωλοποιΐαν habuerit, notauit Longinus in libro περὶ ὕψους. inde fluunt illi versus;

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ ἐπίσειέ μοι
Τὰς αἱματοποὺς, καὶ δρακοντώδεις κόρας,
Αὗται γὰρ αὗται πλησίον θρώσκουσι.

Dicas eum ipsas furias facibus armatas videre, non scribere. Similiter cùm Phaethontis currum describit, eius animus cum equis volitat, & cum adolescente ipso periclitatur.

Eandem naturam nactus est M. Tullius, qui sibi vehementes illas perorationes, non ingenio, sed dolore fluere ingenuè fatetur. *Quid ego de miserationibus loquar: quibus eò sum vsus pluribus, quod etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo, vt viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.* Deinde: *Nulla me ingenij, sed magna vis animi inflammat, vt me ipse non teneam.*

Cic. in or.

Ex-

Et de Quintiliano habet Angelus Politianus. Tantam vim concipiendarum imaginum in eo fuisse, & frequenter ita commotum, vt non solum lachrymæ illum, sed & pallor, & verò similis dolor deprehenderent.

Sit igitur hoc primum apti ad eloquentiam ingenij indicium: σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος; &, vt vno verbo dicam, furor oratorius, quem, qui solis poetis tribuunt, vehemẽter errant.

Alterum, est grauis quædam acrimonia ingenij; qui enim tantum in miserationibus excellunt, & nihil habent iracũdiæ, facilè in motus muliebres degenerant, qui non satis oratoriam grauitatem decent. Ad hanc, inquit Dionysius Longinus, excelsæ mentis generositatẽ oportet ingenia liberalissimè educari, neque enim possunt seruilia, vbi præsertim vitijs hominum, & grauium personarum obsistendum est, hoc libertatis decus, & παῤῥησίαν retinere. Οὐδὲ γὰρ οἷόν τε μικρὰ καὶ δουλοπρεπῆ φρονοῦντας, καὶ ἐπιτηδεύοντας παρ' ὅλον τὸν βίον, θαυμαστόν τι, καὶ τοῦ παντὸς αἰῶνος ἐξενεγκεῖν ἄξιον.

Diog. Long. περὶ ὕψους.

Tertium, est naturalis quædam facundia, candor, elegantia, qua multi à puero cernũtur excellere, in explicandis animi sensibus iam arguti, vberes, expediti, ad quod cum vocis plena quædam suauitas, tum decorum actionis accedit; dona sunt Dei ad satus disciplinæ accipiendos peropportuna.

Carolus Zenus septennis puer, cùm eius parens ad Smyrnam à Turcis interfectus generosè occubuisset, apud Clementem VI. de patris virtute, & sua orbitate orationem habuit tanta facundia, vt indolem pueri admiratus summus Pontifex, cum penes se, & habere voluerit, & iam grandem natu, Patrensi sacerdotio amplissimo decorarit. Hoc anno 1614. cum LVDOVICVS XIII. Flexiam nostram, parentis olim sui HENRICI MAGNI cunabula, nunc eius cordis, pretiosissimi omniũ pignoris domicilium, & Gymnasium, regia munificentia extructissimum inuiseret, à pueris variarũ linguarum oratiunculis in collegij limine exceptus est, qui ad reliquos ludos, & apparatus dederunt initium: Placuit humanissimo Regi verecunda adolescentulorum fiducia, & mellitus lepos, qui tum in labris insidere videbatur: Itaque, & eorum nomina rogare, & blandissimè affari (quæ Regum nostrorum est comitas, affabilitasque sermonis) Princeps optimus haud dedignabatur.

Baptist. Egnat. l. 1. c. 4.

Lud. XIII.

Est illa quidem expetenda puerilis facundia, non tamen ad grandem & exaggeratam eloquentiam sufficit, nisi maioribus præsidijs instructa fuerit. Quamobrem similia plerumque videmus ingenia in Panegyricis, & mediocribus etiam causis, quæ illam vim incensæ mentis non requirunt; suauiter felicitérque versari, ad maiores autem dicendi faces, non ita apta compositaque inueniri; & hoc eximiè inter cætera notat Longinus: παρά γε μὲν τοῖς ῥήτορσι τὰ ἐγκώμια, καὶ τὰ πομπικὰ, καὶ ἐπιδεικτικὰ, τὸν μὲν ὄγκον, καὶ τὸ ὑψηλὸν ἐξ ἅπαντος περιέχει, πάθοις δὲ χηρεύει κατὰ τὸ πλεῖστον ὅθεν ἥκιστα τῶν ῥητόρων οἱ περιπαθεῖς ἐγκωμιαστικοὶ, ἢ ἔμπαλιν οἱ ἐπαινετικοὶ περιπαθεῖς.

Quartum, est memoriæ vis, & fœcunditas, quam ob eius necessitatem eloquentiæ partẽ constituerunt Ita est profectò, Musæ illæ, disciplinarum omnium auspices, cum à Ioue in hanc lucem essent editæ, lacte Iunonis crescere & innutriri minimè potuerunt: inuenta est illis nutrix Mnemosyne, quam nos memoriam appellamus; hæc autem Iouis partum suis vlnis excepit, fouit, aluit, fœcundauit. Est quasi horreum mentis, memoria, in quam optimarum artium fruges reconduntur, & suo tempore expromuntur. Imò thesaurus est, exquisitissima rerum omnium opulentia refertus, quæ subinde, cùm opus est, in varios vsus explicantur. Huius beneficio destitutus Orator, alioqui multis præcellens partibus, rudi, & imperito plerumque similis videtur. Quo risu omnium est exceptus Curio, qui cum contra Titiniam dicturus esset, subitò totam causam oblitus, Titiniæ veneficijs, & cantionibus id factum esse dicebat. Sed ipse erat adeò labili memoria, vt aliquoties, tria cùm proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Quare, licet expeditam celeritatem, & profluẽtem vim verborum haberet, plurimum tamen ex defectu memoriæ amittebat dignitatis. Seneca epistola vigesima septima, Caluitium Sabinum facetè perstringit, qui cùm esset, & tenui, & ad singula vacillanti memoriola, docti nomẽ aucupabatur. Nunquã vidi hominem beatum indecentiùs: huic memoria tam mala erat, vt illi modò nomen Vlyssis excideret, modò Achillis, modò Priami, quos tam benè nouerat, quã pædagogos nostros nouimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam, quàm ille Troianos, & Achi-

Cicero in Bruto.

Sen. epist. 27.

Achinos perſalulabat, nihilominus eruditus volebat videri.

Hanc itaque compendiariam excogitauit, magna ſumma emit ſeruos, vnum qui Homerum teneret, alterum qui Heſiodum: Nouem præterea lyricis ſingulos aſsignauit. Poſtquam hæc familia illi comparata eſt, cœpit conuiuas ſuos inquietare. Habebat ad pedes hos, à quibus ſubinde cum peteret verſus, quos referret, ſæpe in medio verſu excidebat. Hęc detrimenta memoriæ. Contrà verò ijs, in quibus floruit, boni, & felicis ingenij fuit indiciũ, quod rectè notat Fabius. Solet enim maximè quietos, & tranquillos animos comitari: inquietis verò & leuibus prudens memoria inſidere non poteſt, ſicut nec in profluenti ſigillũ imprimitur.

Excellentes fuerunt memoria Cyrus, Themiſtocles, Cyneas, Carneades, Hortẽſius, Latro Porrius, Proæreſius, qui omnes inſigni quoque ingenio fuerunt. Non ſunt igitur audiendi, qui memoriam, ſtultorum κτῆμα nominant, quod eos in hac parte natura defecerit. Fieri poteſt, vt ſtulti propter acrem φαντασιάς ardorem multa meminerint. Hæc memoria tamen brutorum eſt potiùs quam hominum: nos de ea loquimur, quæ cũ ratione, diſcurſu, & prudentia copulata eſt, quæ ſplendidiſsima, & ex omni parte perfecta ingenia magnopere illuſtrare ſolet, & ſi quæ magna ſint, atque ſupra communem modum exaggerata, & vim iudicij, & memoriæ felicitatem, ex æquo nacta ſunt. Sed in iuuenibus propter calorem, & puriores humores promptior, & fidelior: in viris ſeneſcentibus, propter impedimenta naturalia, & tot imaginum multitudinem partim eraditur, partim interrumpitur, partim etiam veluti quibuſdam velis obnubitur. Gaudeant in hac parte bene nati, quibus natura hanc vim impertita eſt, perinde enim eſt, ac ſi oculum in occipitio conſtituiſſet, quo veluti alteri Iani, intelligentiæ & memoriæ facultate videant τὰ ὄπισθω, καὶ ὀπίσω. Itaque hæc pars diligentiſsimè excolenda eſt, quæ facilè vna ex omnibus mentis facultatibus conſeneſcit. Erit autem felicior, ſi moderatè exerceatur, non multis, & artificioſis illis imaginibus confundatur: Adiuuetur deinde tota ratione victus, cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, ſomno, pro rectâ ratione temperatis.

Memoria eſt oculus in occipitio.

Vide Philo. p. 523. & 524. in Sophiſtu.

Quintum & optimum eſt iudicium, quo nihil ad diſciplinas, & vitam vniuerſam præſtantius eſt, aut melius. Qui vberem memoriã nactus eſt ſine iudicio (hoc enim contingere poteſt) perinde eſt, ac ſi grandem apothecam habeat ſine vino, laxiſſimum horreum ſine frumento. Defectus memoriæ facilius quidem excuſatur, quia licet ſit ea pars valdè nobilis, non eſt tamen prima, deinde à multis rebus fortuitis aut pẽdet, aut iuuatur, quo fit, vt minùs culpandi ſint, qui non habeãt, & ipſi ſuam in ea re ingenuè fateantur imbecillitatem: Iudicio autem qui velit cedere, aut eo ſe deſtitutum putet, rarus eſt, quod hanc partem omnes ſuæ naturæ, ſi modo dignitatem teneant, accommodatiſſimam ducunt. Et certè, qui iudicio caret Orator, quaſi Cyclops Homericus effoſſo oculo in tenebricoſa corporis ſpelunca iactetur, & afflictetur neceſſe eſt. *P. Rich. in acad. honoratu.*

Iudicium, eſt amuſsis, & norma mentis. Rationis ſcilicet approbatio, & improbatio, quæ poſtquam in veri inueſtigatione elaborauit, tum iudicium, quaſi Cenſor, quid aptum ſit circumſpicit, quid ex quoue naſcatur, quid cuique ſit conſequens, quid alienum, quid repugnans, quid conſentaneum, confuſa denique, & permixta diſiungit, diſiuncta conciliat, rerum nodos tangit, & explicatiſsimè diſſoluit. Hoc eſt verè præſtantis iudicij munus, quod vt apparet, in veritatem, ſicut voluntas in bonum, ſua propenſione rapitur, ſed cum rerum cauſſæ adeò ſint ignotæ, & mendacium veri ſimilitudine perſæpè imponat; difficile eſt in hac parte ſemper eſſe felicem.

Meliora ſunt iudicia, quæ liquidiora ſunt, & minimè confuſa, quæque rem diu examinant, antequam præcipitent ſententiam. Deteriora plerumq; mitium virorũ, quæ licet quid expediat videant, tamen vel ſui diffidentia, vel aliquo affectu facilè abripiuntur. Deterrima ſunt omnium ſuſpicacia, obſtinata, maleuola, & ad omnem incredulitatem rigore quodam mentis obfirmata. Et hæc de ingenij notis ſatis. Cæterum ſine ſtudio, & doctrina gladius eſt in vagina reconditus, cuius acies quotidie hebeſcit, atque retunditur. Hæc igitur ſummopere curanda eſt.

De ſtudio, & exercitatione eloquentiæ.

CAPVT VII.

VEterum eloquentiam mirificus exercitationis incendebat ardor, eaque vis alebat, quæ neque flexu ætatis, neque honorum decurſu

cursu poterat consistere, declamabant enim fermè quotidie inter priuatos parietes, Senatores, Consules, Imperatores: tales erant grandes illi Ciceronis prætextati, Hircius & Pansa, qui in Consulatus dignitate, in illo honorum omnium apice, sub M. Tullio culturam ingenij, & eloquentiæ capiebant. Certè Seneca controuersiarum libro quarto ad Nouatũ & Melam, refert Pollionem Asinium, intra quartum diem, quam filiam amiserat, declamasse: præconium illud ingentis animi fuit, malis suis exultantis. Haterius verò Senator amplissimus, admisso populo ex tempore, solus omnium Romanorum, in Latinam, Græcã transtulit facilitatem, extemporaneam orationem intelligit, quæ apud Græcos maximè floruit, cuius author primus Anaximenes fuisse comprobatur à Pausania. Extat adhuc Themistij Euphratis oratio, quã habuit in promptu, vbi gratijs affluit exordium, cùm se excusans, dicit Phidiam, vel in vna quidem Mineruæ crepidula elaboranda multum studij impendisse, quo fit, vt oratores hac tumultuaria opera nihil excelsum, aut politum fundere valeant: Constat idem ex Eunapio, qui Proæresiũ illum, spirantem Mercurij in terris imaginem, de proposita ab æmulis quæstione dixisse refert ex tempore, magna omnium admiratione, quam incredibili cumulauit commendatione memoriæ, cùm totam orationem, vt erat à Notarijs excepta, eodem temporis vestigio ijsdem verbis pertexuit. Hæc oratio, siue facultas, appellabatur diuina, vt refert Philostratus in Æschine, quòd supra mortalitatem esse videretur, tam disertè orare ex tempore. Verùm illud ex vi ingenij, & assidua exercitatione profluebat, quibus riuulis irrigata, ad immensum decus surgebat eloquentia. Operæ pretium est, ita plerumque adolescentes acuere, vt vim, copiam, & facilitatem orationis assequantur, non autem scriptis, & præceptis obruere: ea tamen lege, ne hac extemporanea fiducia elati meditatam scriptionem negligant, in qua δεύτεραι φροντίδες σφάτεραι.

Eunapius in Proære.

Θείως λέγειν quid sit.

DE CAVSIS CORRVPTAE eloquentiæ.

Vbi celebres Taciti, & Senecæ loci comparantur.

CAPVT VIII.

Corruptæ eloquentiæ caussas præclarè complexus est Cornelius Tacitus in nobili dialogo de oratoribus, quas malo ab eo, quàm à me, ad culturam ingeniorum audiri. Deficit, inquit, eloquẽtia ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia iuuentutis, & negligentia parentum, & inscientia præcipientium, & obliuione moris antiqui. Ego de vrbe, & his proprijs, ac vernaculis vitijs loquar, quæ statim natos excipiunt, & per singulos ætatis gradus comitantur, si priùs de seueritate, & disciplina maiorum, circa educandos, formandosque liberos, pauca dixero. Iam primum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat, tueri domum, & inseruire liberis, eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis, spectatisque moribus, omnis familiæ soboles committeretur, coram qua, neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factũ videretur: ac non studia modò, curasque, sed remissiones etiam, lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat; sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse Principes liberos accepimus. Quæ disciplina, ac seueritas eò pertinebat, vt syncera, & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore acciperet artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id vniuersum hauriret.

Pueri à tenero bene fingendi.

Quantum prosit ad studia puritas animi.

At nunc natus infans delegatur græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus, aut alter, ex omnibus seruis plerumque vilissimus, nec cuique serio ministerio accommodatus, horum fabulis, & erroribus pueri statim, & rudes animi imbuuntur, nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infantulo domino aut dicat, aut faciat, quando etiam ipsi parentis nec probitati, nec modestiæ paruulos assuefaciunt, sed lasciuiæ, & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq; cõtem-

Parentum indulgentia castiganda.

Ludi inertes, & noxij tollendi.

temptus. Iam verò propria, & peculiaria huius vrbis vitia penè in vtero matris concipi mihi videntur histrionalis fauor, & gladiatorum, equorumque studia, quibus occupatus, & obsessus animus, quantulum loci bonis artibus relinquit? quotumquemque inuenieris, qui domi quicquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intrauimus, nec præceptores quidem, vllas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent, colligunt enim discipulos, non seueritate disciplinæ, nec ingenij experimento, sed ambitione salutantium, & illecebris adulationum. Transeo prima discentiũ elementa, in quibus & ipsis parum elaboratur, nec in auctoribus cognoscendis, nec in euoluenda antiquitate, nec in notitia, vel rerum, vel hominum, vel temporũ satis insumitur.

Præceptores graues quærendi, non fabularum narratores, fautoresq; vitiorum. Solidè iacienda studiorum fundamenta.

Hæc auctor iudicij acerrimi de seuera puerorum educatione, sub sanctæ disciplinæ legibus.

Idem quoque argumentum nobilissimè tractauit Seneca in præfatione librir. controuersiarum.

Magnificè quoque de hac materia, Sen. l. 1. contr. in præf. p. 8.

(Quicquid (inquit) Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studijs attulerunt, tũc nata sunt. In deterius quotidie deinde data res est: siue luxu temporum. *Nihil est enim tam mortiferum ingenijs quam luxuria*: siue cùm præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore, quæstuque vigentia: *siue fato quodam, cuius malignitas perpetuaque in omnibus lex est, vt ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem, quàm ascenderant, relabantur.* Torpent ecce ingenia desidiosæ iuuentutis, nec in vllius honestæ rei labore vigilatur, somnus, languorque, ac somno, & languore turpior, malarum rerum industria, inuasit animos. Cantandi, saltandique nunc obscœna studia effœminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, & mollitie corporis certare cum fœminis, & *immundissimum se excolere mundities, nostrorum adolescentum specimen est.* Quis æqualium vestrorum, quid dicam? satis ingeniosus, satis studiosus, immò, quis satis vir est? Emolliti, enerueſq; quod nati sunt, inuiti manent, *expugnatores alterius pudicitiæ, negligentes suæ, in his nec Dij tantum mali permittant, vt cadat eloquentia, quam non miraretur, nisi animos, in quos se conferret, eligeret.*

Nec minus diserte Quintilianus.

Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes, & mentis, & corporis frangit; *Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit?* Nondum prima verba exprimit, iam coccum intelligit, iam conchylium poscit, *Ante palatum eorum, quàm os instituimus.* In lecticis crescunt; si terram attigerint, è manibus vtrimque sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs, risu, osculo excipimus.

Hæc grauissimi auctores, qui vno consensu pestiferum, non modo eloquentiæ, sed & cæterarum honestarum artium virus esse, delicias & vitia, satis ostendunt, quæ, si teneris mentibus inhæserint, frustra magni prouentus sperantur eloquentiæ. Iam, quod ad tradendæ disciplinæ rationem attinet, prouidendum est, vt quod in optimis scholis, à quibus petitur, fieri solet, omnia ordine, & loco, à discentibus excipiantur. Nam, quæ est humani ingenij desultoria curiositas, amat volitare per omnia, & maiora suis tentare viribus. Ex quo videas, plurimos nondum satis à Grammaticis dedolatos, sublimis eloquentiæ decora temerè consectari, quibus omninò studijs, & ingenijs, non subest vera vis, nec penitus immissis radicibus innititur, vt quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatæ spicas herbulæ inanibus aristis ante messem flauescunt, vt ait Fabius.

Quamobrem & isti, non satis tempestiui leuium quorundam ingeniorum impetus sunt restinguendi, & cum tribus maximè rebus tota eloquentiæ doctrina contineatur, præceptis, stylo, & varia eruditione Præceptorum, is adhibendus est modus, vt neque negligantur, à studiosis, neque à magistris plenius, & scrupulosius ingerantur. Nam, qui summorum auctorum lectione contempta, toti sunt in leuiũ præceptorum farragine conquirenda, mihi profectò videntur ad molas consenescere. Eruditio, si parce adhibeatur, stylum exhilarat: si inferciatur, obruit, orationisque salubritatem varijs idiomatibus confundit. Vna benè dicendi ratio, rerum omnium difficillima plenius iuuentuti excolenda est.

In quo quidem rectè mihi præcipere videntur, qui fundamenta per solidũ subdere de-

creuerint, quò tota operis substructio fœlicius assurgat. Sic enim in rebus à natura fieri cernimus, vt quæ leuioribus orsa principijs effudit, paulatim ad amœnissimum florem elegantiæ perducat.

Arbores primùm inoculantur, mox pubescunt, folia enata pube formantur, formata panduntur. Hinc flosculos ridere, gemmas turgescere, fructus tumescere videas: Postremò succum vi caloris conditum, paucis in voluptatem, pluribus in necessitatem cedere.

Ad hanc formam componenda sunt ingenia, & linguæ puerorum, vt primum vagire, deinde balbutire, postea verba proferre, tandem suis incrementis læti hilarius fluere. Mox cùm oportuerit succingi, matureſcere, ad summum canescere velint.

Nihil à primordijs statim fuit perfectum, sed per inferiores gradus deueniendum est ad summum. Quamobrem nunquam eorum probarim consilium, qui adolescentium ingenia, licet perquam viuida, statim ad seuerius illud loquendi, scribendique genus duci, & intra conciones claustra coercere volunt. Ex quo videre est, quosdam vix latinitati satis initiatos, iactantius in ore seueriores habere literas, ad quas perrarum admittitur tyrocinium. Discant imprimis loqui congruè, propriè, signatè, mox renidere quibusdam elegantiarum violis; deinde fœcundiori Ciceronis vbere suauiter innutriti, ferri incipiant oratione perculta, delicioſa, lasciniosa, ac tanquam in longiori stadio, & apertiore campo liberiùs decurrere, donec ætate, iudicio, & vsu maturiores, varios authores euoluant, & incipiant secernere inania à solidis, fucata à pulchris, adumbrata à veris. Alioqui deridentur in satyra, qui vix *Ponere lucum artifices, heroas sensus offerunt.* Qui nauim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius in fluuio præludit. Sed quoniam hæc in scholis discuntur plenius, & à Quintiliano pertractata sunt lucidius, satius mihi videtur de imitatione, quam vnam ad discendam eloquentiam pleniorem viam censet Longinus, paulò fusius disserere.

D. Ambr. l. 1. ff. 10.

De imitatione.

CAPVT IX.

ORpheum vatum omnium præstantissimũ ferunt, cùm fatis concessisset, viuam in mortuis cineribus reliquisse vim suauitatis. Nam quæ iuxta eius sepulchrum ædificabant Luscinias, si Pausaniæ credimus, suauius canebant, & mollius, quasi ex demortui poetæ reliquijs genium haurirent iucunditatis. *Pausa. in Boet. 105. edit. f.*

Longè profectò se res clarius habet in illustrium authorum imitatione, ad quorum monumenta (libros, & opera intelligo) qui solent demorari, & cùm mortuis iucundissimam habere consuetudinem, indevim, & afflatum sapientiæ, non obscurum ducunt; cumque similitudine gaudeant animi, quod ait Proclus in Timæum, & tota penè scæna humanæ vitæ plena sit imitatione, atque imaginibus, certè in stylo non ignobilem obtinent locum. Quid enim sine imitatione contingit? quid ex aliorum ingenijs non expressum? quid ab his non est ductum fontibus? qui primùm, ex æternæ mentis sinu profluentes, latissimè in res, opesque humanas redundarunt: vnde vita tot scientijs nobilitata, tot exculta bonis artibus, tot munita præsidijs ad hanc perfectionem, nisi ex imitationis opibus effloruit? Vt modicus primùm igniculus affluente pabulo, paulatimque succrescente, latiùs vsque manat incrementis: sic hominum ingenia, vbi primum radium diuinæ lucis ab imitationis simulachris expresserunt, priuatis augent studijs, & in immensum prope attollunt decus. *Proclus in Timæum. Imitationis necessitas.*

Quod cùm in omnibus artibus clarum sit, atque manifestum, tum in ipsa eloquentia splendidius elucet, quæ leuibus pertexta principijs, varia postmodum ingeniorum contentione, & imitandi studio venit ad summum.

Omninò apertissima ad eloquentiam via est, si quis veterum, qui modò eloquentes fuerunt, vestigijs insistat, & ex eorum scriptis viuas exprimat effigies.

De qua re tibi Dionysij Longini locum perelegantem subijciam.

ὡς ϗ ἄλλη τις παρὰ τὰ εἰρημένα ὁδὸς ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ τέτμηται. πόιαδε ϗ πέφυκε τῶν ἐμπροσθεν ἀκριβῶς μεγάλων συγγραφέων, ϗ ποιητῶν μίμησις τε, ϗ ζήλωσις. πολλοὶ γὰρ ἀλλοῖα διαφόρως ἔν- Dio. Long. περὶ ὑψους.

τας

ται πνεύματι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει, τρίποδι πλησιάζουσαν· ἔνθα ῥῆγμά ἐστι γῆς ἀναπνέον, ὥς φασιν, ἀτμὸν ἔνθεον αὐτόθεν, καὶ ἐγκύμονα τῆς δαιμονίου καθισταμένην δυνάμεως, παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ' ἐπίπνοιαν. Οὕτως ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους, ψυχὰς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων ἀπόῤῥοιαί τινες φέρονται, ὑφ' ὧν ἐπιπνεόμενοι, καὶ οἱ μὴ λέαν φοιβαστικοὶ, τῶν ἑτέρων συνενθουσιῶσι μεγέθει.

Vides, imitatores, ab eo cum Sibylla; libros, cum antro Phœbi, pleno cœlesti halitu; scripta & dicta ab imitatione, cum oraculis conferri.

Via imitationis.

Alia est (inquit) præterea ad orationis grauitatem via: quænam verò, & qualis? Magnorum Oratorum, & Poetarum imitatio. Multi enim alieno spiritu, quasi cœlesti afflatu incitantur. & Sibyllam imitantur, quæ vaticinabatur in tripode. Illic est terræ hiatus, & ingens latebra: quæ (vt aiunt) diuinum quendam spirat & egerit halitum, quo mens Vatis afflata, cœlesti quadam virtute affluebat. Simile quidpiam contingit in eruditissimorum hominum libris, quos dum legimus, nescio quo pacto, quasi è sacris quibusdam spiraculis halitus emanant in animos, qui inde afflati, & diuino furore perciti, effata pronuntiant.

Præclarum simile.

De praua imitatione, seu Cacozelia.

CAPVT X.

IMitari quidem res est, vt videtur, omnibus in promptu, sed benè imitari, haud ita facilè est, ac existimatur ab imperitis, qui à summis auctoribus acceptas virtutes vitio dedecorant imitationis. Occurrit hic mihi festiua quædam historia, quæ narratur ab Æliano: infantulum inquit, fortè nutrix de more, fascijs euolutum abluens, in pelui tractabat, ablutumque, & pannis infantiæ circumuestitum, reponebat in cunis; quod ex eminenti loco prospectans simia, vt est animal non modò importunæ. sed & peruersæ plerumque imitationis, idem tentare voluit, cumque infantem remotis custodibus iacentem introspexisset in cunis, fenestella, quæ tum patebat, in ædes illabitur, ac primum pusionem arripit, fascijs explicat, & post varias gesticulationes, aquam succensis carbonibus fortè calescentem in miserum corpusculum effudit. Hoc ipsum faciũt praui imitatores, qui circa alieni ingenij fœtus, vt simiæ gesticulati, sua demum imperitia deprauant: hoc agnoscebat solers imitator Virgilius, cui cùm furta & Homericæ opes obijcerentur, fatebatur quidem ingenuè, quod erat, se Homeri imitatorem esse; sed suos aduersarios; infelices Musarum partus, faciliùs clauam Herculi extorturos, quàm pro dignitate, vel versiculum quidem Homericum imitarẽtur. Ex ea peruersitate imitandi tractum est κακοζηλίας vitium apud Græcos celeberrimum; cuius meminit Lucianus, γίγνεται δὲ ὥσπερ ἐν λόγοις οὕτω ἐν ὀρχήσει ἡ πρὸς τῶν πολλῶν λεγομένη ἡ κακοζηλία, ὑπερβαινόντων τῆς μιμήσεως, καὶ πέρα τοῦ δέοντος ἐπιτεινόντων.

Æliu. de animal l. 7. c. 21.

Notanda histor. de praua imitatione.

Lucia. de saltatione.

Contingit, inquit, in orationibus, sicut in saltatione, ea quæ praua à multis imitatio appellatur, eorum qui mensuram excedunt imitationis, & vltra decorum extendunt.

Demetrius Phalereus, comptus auctor, frigidos sensus κακοζήλοις appellat, πολλάκις μὲν τὸ διανόημα ψυχρόν ἐστι, καὶ, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, κακόζηλον. Quintil. l. 8. c. 3. κακόζηλον Latinè reddit, *malam affectationem*: additque κακόζηλον vocari, quicquid est vltra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, & specie boni fallitur; omnium in eloquentia vitiorum pessimum.

Demetr. Phal. l. de elocutione.

De vitijs imitationis.

CAPVT XI.

PLurima imitationis vitia recẽseri possunt. Primum est eorum, qui in ipso limine offendunt, & exemplaria sibi proponunt imitãda ex se vitiosa, quibus deinde cùm priuatos errores adstruant, noua subinde monstra pariunt. Quid enim sperari aliud, aut expectari oportet? cum cœci sibi cœcos duces adhibeant? & illud iuuenibus imperitis satis est familiare, qui, cùm aut duce in studijs sint destituti, aut si habeant, benè monentem parum curent, ad libros quosuis adhærescunt, & quàm auidissimè compilant, rati aliquando se thesauros grandes inuenisse, vbi omnia sunt ficulnea. Fit etiam plerumque, vt titillante suaui-

tatis lenocinio, eos, qui speciem duntaxat habent bonitatis, auidè legant; contra, graues auctores, vt nimis duros, & austeros repudient. Qui ita faciunt, *non magis sapere possunt, quàm benè olere, qui in culina habitant*; idcircò tam paucos eloquẽtes videmus, quod ob ignorantiam linguarum, spretis veteribus, permulti nouos auctores multis erroribus refertos terant manibus; quibus ipsi deteriores euadunt,

Mox daturi
Progeniem vitiosiorem.

Secundum est eorum, qui bonos quidem imitantur, sed tam accuratè, vt totos penè describant: Talis est imitator Lucius Apuleius, qui cum ex Luciano, integra ferè omnia, vt in Asino suo aureo, exscribat, auctoris nusquã meminit, sed sibi ob permixtas aliquas fabellas totum opus arrogat, quod qui faciunt, similes illi videntur Philoxeno famosissimo helluoni, qui nidore fumi tactus alienas ædes ingrediebatur, & adspersis obsonio leuibus condimentis, quorum vsum apprimè callebat, totam deinde patinam sibi vendicabat.

Athen. l. 1. Deipn.

Tertium est eorum, qui si vnam, aut alterã Ciceronis orationem legerint ad eam omnia, quæ tractabunt argumenta, referent, & multũ sudabunt, vt alienissimos sensus intrudant: Ad summum extendent, decurtabunt, & quidlibet potius facient, quam ab hac imitationis prauitate recedant. Quis hoc eos Procrustes docebit? ille quidem prædo notissimæ crudelitatis, obuios quosque de insidijs exceptos, suo grabato applicabat, &, si proceriores essent, amputatis pedibus decurtabat, si breuiore corpusculo, funibus alligatos, & intolerabili cruciatu affectos, neruorum detorsionibus extendebat: hoc faciunt, qui auctorem à suo argumento alienissimum, velit, nolit, miserè detorquent, & lacerant.

Violenti imitatores Procrustæ.

Quartũ vitiũ, expressio sollicita verborum, neglectus sensuum.

Quartum est puerile, eorum, qui de imitatione sensuum, quos satis non intelligunt, parum curant, sed toti in angustias verborum, velut in quoddam pistrinum necessitatis coniecti, anxiè, & sollicitè exquirunt singula verba, quibus vtantur, & cauent maximè, ne minimum verbulum extra auctorem, quem sibi imitandum sumpserunt, excidat: illi sunt, qui ab Horatio *seruum pecus* appellantur, quòd se tam duræ imitationis seruituti mancipent, de quibus præclarissimè Polybius; οἱ ὃ πολλοὶ τὰ μὲν ἔργα τῶν εὐτυχούντων οὐ πειρῶνται μιμεῖσθαι, τὰ δὲ παίγνια ζυλοῦντες ἐκθεραπεύουσι τὴν ἑαυτῶν ἀχρηστίαν: in fragment. pagina 1013.

Volo quidem esse verborum delectum, volo locutionem esse Ciceronianam, sed si proprium aliquod verbum, & merè latinum occurrat, quod Cicero non dixerit, non ideò ab oratione excludam, quod non inueniatur in Apparatu, licet alios auctores, & apprimè latinos, habeat. Quid qui in epithetis, & Parnassis, omnia conquirunt, & miseros centones ex varijs panniculis consarcinant, quales tandem imitatores esse possunt? qui perinde faciunt, ac si pictor diceretur imitari, qui pratum depingens, flores inde decerptos tabulæ suæ annecteret, aut hominem reddens, partem togæ illius decisam assueret picturę, aut etiam, si nasum, quem exprimere non posset, vellet homini amputatum in suam transferre picturam.

Quales sint imitatores pueri.

Detur illud quidem pueris, vt saltem copiã verborum discant, sed in viris alia ratio requiritur, scilicet vt videant, quæ verba in rem, quæ in personas, & tempora bellè cadant, neque res verbis, quod permulti faciunt, sed verba rebus subijciant.

Non sunt res verbis, sed verba rebus subijcienda.

Quintum est eorum, qui, vt spirant vbique stylt amplitudinem, quam satis syncerè non capiunt, bonos, & ad decorum personarum prudenter accommodatos veterũ sensus, quod nimis mediocres videantur, excessiu quodam augent, donec in φαυλίαν incidant. Benè, & disertè Virgilius, primo Æneidos tempestatẽ describit.

Quintum vitium excessus degenerans in tumorem.

Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vna Eurusq; Notusque ruunt, creberq; procellis
Africus, & vastos volvunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum.
Eripiunt subitò nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

Exemplum in Virg. & Lucano.

Hæc satis, & pro rei dignitate. At Lucanus, cum sibi vel imitandum, vel superandum hunc locum proposuisset, habenas laxat versibus, quorum multi, licet non sint contemnendi, quos tantoperè Scaliger exagitat, nimis tamen redundant, vt isti:

Ah,

Ah! quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies: Quàm celsa cacumina possunt
Tellus victa dedit! non vllo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioq; ex orbe voluti;
A magno venere mari, mundumq; coercens,
Monstriferos agit vnda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna, assatum in sæcula fulmen
Adiuuit, regnoq; accessit terra secundo.

Sextum vitium depraua-ti bonorum sensuũ, defectu ingenij, vel stylj.

Sextum denique est eorum, qui cum nesciãt, magnorum auctorum sensibus, quos decerpserunt, pondus elocutionis, aut actionis addere, vel etiam genium quendam, cui heroes istos comitabatur, affundere, infelici prorsus exitu cæterorum sunt imitatores. Neanthus, vt aiunt, Pittaci tyranni filius, cum ea, quæ de lyra Orphei fama ferebantur, audiuisset, eiusdem potiundę incredibili desiderio captus est: itaque pactus cum sacerdote, eius templi, in quo asseruabatur, ædituo, vbi pecunia non mediocri comparat, mox in suburbium profectus, vt artis periculum faceret, vti lyram pulsare cœpit; tam infeliciter Orphei numeros est imitatus, vt à canibus miserabili strepitu efferatis laceraretur. Sic multos quidem videre est imitatores alienis opibus quibus vti non possunt, ornatos, si non corporis, saltem famæ lacerationem incurrere. Nihil Patroclo apud Homerum profuit Achillis armatura, cum Heroicis Achillis virtutibus longè esset inferior: & parum certè iuuat imitatores aliena arma ostentare, cum ipsi lacertis, & viribus indigeant.

Infelices imitatores cũ Neantho comparati.

Lucianus aduersus indoctum.

Septimum vitium frequens vsurpatio eorũ, quæ alioqui rara sunt apud authores.

Addo etiam eorum vitium familiarissimum, cuius meminit Seneca, quibus si forte aliquid in ijs, quos imitantur auctoribus arrisit vehementius, hoc tam crebrò vsurpant, vt nihil sit frequentius. Sic Arruntius (inquit) fuit Sallustianus, & in illud genus niteas. Est apud Sallustium; *Exercitum argento fecit*, id est, pecunia paranit, hoc Aruntius amare cœpit. posuit illud omnibus paginis. Quę apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & penè continua: nec sine caussa. ille enim in hæc incidebat, hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, vbi alicui *vitium pro exemplo est.*

Sen. ep. 114.

An multi sunt imitandi.

CAPVT XII.

EXimius ille Theologorum apex D. Thomas, interrogatus, quo pacto quis doctus euadere posset: Respondit, si vno duntaxat libro vteretur, & variorum librorum lectionem diserte condemnat. L. Annæus Seneca. Certis inquit ingenijs immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo sedeat. *Nusquam est, qui vbiq; est.* In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est ijs, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim emittitur, nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non coalescit planta quæ sæpe transfertur. Nihil tam vtile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possit, quantum habueris, sat est habere, quantum legas. Quæ quidem à viris iudicio acerrimo præditis, dicta sunt præclarè. Neque verò dubitandum, quin si quis scientiæ sanctorum, aut morali Philosophiæ studere velit, vno libro possit esse contentus; vel etiam nullo, ad culmen euangelicæ perfectionis euadere. Verum alia scientiarum, atque artium ratio est. Neminem enim inuenio inter doctos, qui libros auidè non conquisierit, & cum multos haberet, plures non optarit. Quod studium non modò in Ethnicis viguit, apud quos celebres illæ Bibliothecæ, vt Eumenis supra ducenta millia voluminum, & Ptolomæi Philadelphi, plusquam septingentorum, Verum Christianis, statim post tempora Apostolorũ summæ curæ fuit, varios libros in vsum doctorum congerere. Itaque Alexander Episcopus Hierosolymitanus celeberrimus, nobilem bibliothecam Hierosolymis instituit, in quam virorum Ecclesiasticorum scripta, vt Berylli, Hippoliti, Caij, & aliorum reposuit, quibus & se adiutum testatur Eusebius. Cæsareæ bibliothecam aperuit Iulius Africanus, quam postea Eusebius Cæsarienſis Episcopus, & Pamphilus Laodicenus Presbyter, ad triginta millia voluminum auxerunt, quod profectò nunquam fecissent, si libri vnius vsum dua-

Senec. ep. 2. An vno libro contentus, possis quis doctus euadere.

Quomodò intelligẽdus D Thom. & Seneca.

Librorum apud doctos cura, & studium.

Eusebius lib. 6. hist.

duntaxat sufficere existimassent. Sed & ipsi qui hoc suadent, nunquam ad tantum eruditionis decus, nisi varia librorum lectione, effloruissent. Quis enim major librorũ Helluo, quàm Seneca? qui omnes ita peruoluit, vt maxima quæque tractans volumina non abstineret ab infimis, quod eius eruditio multiplex, & factum ad omnia ingenium, satis indicat. Quanti verò fecerit libros sanctus ille doctor, vel illud declarat, quòd vnius D. Chrysost. Homilias vrbi Parisiensi, diuitijs omnibus refertissimæ, sed, vel ipsis imperijs anteponeret. Omninò, vt in cœlo non vnum duntaxat sidus rerum omnium artifex, & machinator Deus collocauit, sed infinita prope collucentium stellarum multitudine, nobilissimum illud corpus distinxit, vt ex varijs, varia signa mortales ediscerent, pari profecto ratione in hac ciuili vita diuersorum veluti ingeniorum faces, constituit, quibus ipsa collustraretur. Nõ ex vno flore scita conficiunt olitores, sed in diuersis areolis diuersa florum genera studiosissimè colligunt, quo suum opus, tum coloris, tum odoris, summa varietate distinguant. Quod natura in suo principatu, hoc ipsum in naturæ imitatione præstant eruditi pictores, qui non vno colore tabulas oblinunt, sed multorum temperie artificiosissime variant, & expoliunt. Quin ipse Zeuxis omnium in pingendo ingeniosissimus, vt eximiam muliebris formæ dignitatem exprimeret, quinque sibi virgines speciosissimas ad imitandum, à Crotoniatis dari postulauit, vt in vnam imaginem multarum pulchritudinem transfunderet. At dices, varia lectione obrui, & confundi ingenia, ita est, si infirma sint, si tumultuaria, si perperam legant sine duce, sine luce, sine fructu lectionis.

Libri permulti ad multiplicem eruditionẽ necessarij. Simile de sideribus.

Cic. de inuent.

Pueri minus capaces variæ lectionis.

Quia verò talia sunt puerorum, benè, & salubriter præcipiunt, qui eos, in vnius Ciceronis lectioem incumbere, quam diligentissimè volunt. Ita enim contingit, vt principem eloquentiæ spiritum, à primario oratore, & felicius hauriant, & alijs vitijs, quæ imprudens lectio multa secum affert, careant. Accedit, quod tunc debiliori sint stomacho, nec multa concoquere, atque digerere valeant. Verum postquam salubriori succo, à principijs fuerint imbuti, nihil vetat, quo minus varia perlegant, vt ab aliorum virtutibus aliquid trahant, quod suis astruant fundamentis, quin & ex ipsis, quos animaduerterint erroribus in stylo, fiant cautiores. Sit igitur noster ille imitator, vt prudens ille Vlysses, qui

πολλῶν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω·

Multorum mores vidit, & vrbes.

Aliquis precipuum author ad familiarem consuetudinem delegendus.

Vel etiam, vt magnus ille Antonius, qui in spiritualis vitæ stadio currens, ex multorum virtutibus perfectissimam veluti vitæ tabulam collustraret. Nihil verò vetat in hac lustratione omnium, vnum nobis, eumque optimum, & in facultate, quam consectamur, Principem eligere, cuius pabulo potissimum innutriamur, quod spectatissimis viris, video contigisse, qui singulares aliquos authores habuerunt in delicijs, quos è manu rarò deponebant: dissuauiabatur Philolaum Plato, Platonem Cicero, Alexander Mammeæ officia Ciceronis assiduò legebat, D. Paulum Andronicus imperator supra cæteros amauit, In vno Tertulliano D. Cyprianus conquiescebat.

Nouine an veteres imitandi.

CAPVT XIII.

VT vino veteri, sic antiquis authoribus omnium penè hominum consensus plus laudis, & existimationis tribuit. Imò, & nouos fastidiosa sæcula, aut respuunt, aut infra merita longè deterunt, huc spectat querela Valerij Martialis.

Martial. l. 5. ep. 10.

Esse quid hoc dicam, viuis quod fama negatur?
Et sua quod rarus sæcula lector amat?
Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquis, semper, vt illa nouis.
Sic veterem ingrati, Pompeij quærimus vmbram,
Et laudant Cæsuli vilia templa senes.
Ennius est lectus saluo tibi Roma Marone?
Et sua riserunt sæcula Maenidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro.
Norat Nasonem sola Corinna suum.

Cornel. Tacit. in Dial. Cur noui sint in fastidio.

Cornelius Tacitus hoc ascribit hominum malignitati, sicut Martialis inuidiæ. *Vitio malignitatis humana vetera sunt in laude, præsentia in fastidio.* Omnibus enim insitum est, vt rarò (quod ait ingeniosus poëta) velint ingenio cedere, & hanc laudem affectent, quam dum vident ab alio præripi, palmam eius adhuc nascentem conantur infringere. Accedit, quod veteres veluti in partam gloriæ hæreditatem, & longa sæculorum serie corroboratam, venerint, de cuius gradu à nouis, licet ingeniosissimis, dejici nullo modo possunt. Quæ opinio eruditionis, etiamsi falsa fuisset, aut re ipsa minor,

nor, tamen adeo omnium mentibus inoleuit, vt difficili negotio diuelli possit.

Qui fictitium suis grunnitum simulabat Parmenio, Græci olim theatri amores, & deliciæ, tantam sibi apud omnium animos conciliarat dexteritatis opinionem, vt ipsi porcorũ grunnitus ediri, nihil ad *Parmenionu fuem* esse dicerentur: simili ratione nouorum industria, licet re ipsa excellentissima, famæ & iudiciorũ malignitate, sæpius obruitur.

Veteres non tantum opinione nouis antecellũt. Cur veteres nouis præstantiores.

An etiam extant legitimæ caussæ, cur nouis veteres præferantur, neq; illud in sola opinionis temeritate situm est, atque collocatum? Primum illi, quo à fonte propius abfuerunt, magis sinceros riuulos videntur exhausisse, qui deinde per varia ingenia, eaque, vt fert humana imbecillitas, diuersis vitijs oblita, suę integritatis plurimum amiserunt. Deinde quod ad eloquentiæ rationem maximè attinet, antiqui fere omnes molesta peregrinarum linguarum disciplina exsoluti, toti in suam incubuerunt; ex quo contingit, vt naturæ præsidijs instructi, mox arte; & continua exercitatione corroborati, incredibiles facerent progressus. At nos in linguis à puero triti, & quasi in necessitatis pistrinum amandati, tarde admodum sapere incipimus. Quid quod illi, qui in vnoquoque genere excellentes fuerunt, in vnam, quam ipsi delegerunt facultatem, toto animi impetu se conjecerunt: nos lenocinante curiositatis malo volitamus per omnia, & passim *Ceruos insequimur* (vt ait ille) *ἰσπαῦ λυτοῦ*, nihil dum mente cõcipientes, in quod defixa nostra conquiescat industria. Postremò, quæ antiqui oratores scripserunt, ea magno labore, multorum annorum curriculo, ingenti studio elaborarunt, quod se æternitati pingere augurarentur. Nos informes plerunque fœtus, & cruda adhuc studia, in lucem hominum propellimus, quo fit, vt ad veterum decus rarò quis accedat.

Neque verò hoc à me ita dictum velim, vt omnes continuò nouos authores repudiandos putem. Sunt enim plerique, vel supra veteres, eximij. Sed in euoluendis antiquis teritur via securior.

Qui maximè inter veteres imitandi, obiter notantur.

CAPVT XIV.

Quid singu. THucydides densus, & breuis, & semper instans sibi, lasciuientis orationis luxuriem tanquam falce resecabit. *li authores conferant virtutib.*

Herodotus dulcis, fusus, & quasi amnis sine salebris iucunditatem asperget.

Xenophontis inaffectata iucunditas, sed quã nulla affectatio consequi possit, lepore & gratijs verba perfundet.

Plato non linguæ solum, verũ etiam animi, ac virtutis Magister, dictis afferet maiestatem.

Aristoteles, doctus acer, acutus, neruos, & iudicium conferet.

Isocrates nitidus, & comptus dicendi veneres instillabit, & structurã orationis numeris, quasi pictis asarotis, vermiculatam distinguet.

Demosthenes, quo nec grauior vsquam, nec temperatior vim, iudicium, lacertos, temperiem largietur.

Philo, Platonis æmulus, in sensibus, & verbis, amplitudinem, atque admirabilitatem.

Iosephus antiquitatum Iudaicarum scriptor characterem virilem, accuratam iudicij limã, &, vbi vult oratorem agere, aureum sententiarum, & verborum flumen.

Dio Chrysostomus, Cornu est quoddam (vt aiunt) Amaltheæ, ita dicendi vehemẽtia, vbertate, & varietate præstat. Siquidem Platonem, & Demosthenem sequutus, candore quodam, ac contorta simplicitate respondet, vt ait Philostratus, *καθάπερ αἱ μαγάδες τοῖς ὀργάνοις προσηχεῖ*. Vt organis assonant tibiæ, sic ille magnis istis Heroibus, elegantibus modulis accinit. *Photius in bibliotheca. Synes. in Dione. Ion. in Omphalẽ* Μαγάδα, *seu* Μάγαδιν *tibiam vocat, teste Didymo.*

In eo excellens affectuum temperatio, vibrata acrius enthymemata, exemplorũ copia, ac plerunque ad exhilarandam orationem fabulæ, narrationesque intertextę. Compositio, vt Philosophum decebat, nihil habet, aut sublimitatis ostentandæ, aut captandæ iucunditatis gratia innouatum.

Plutarchus, nunquam satis laudatus author, non inanem dictionis fucum, & puerile calamistros, sed magnum iudicij in differendo lumen, dispositionis accuratam rationem, & optimarum rerum ingentem syluam legentibus suggerit. Is verò est Oceanus,

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι,

& quod Agathias scholasticus, de eo scripsit, εὐχόμοιον ἴλυι. Nullus ad innutriendum stylum vberior est, aut opulentior.

Dionysius Halicarnassens, qui tam lubenter

Censorē agit in Criticis, à Photio ita cēletur, ἐσι γὰρ φράσιν καὶ τὴν λέξιν ἀκαμπτοτέρα, καὶ ἧς τὸ ἀπαρακολούθητον τῶν πολλῶν, τὸν λόγον ἐκβιαζόμενον. ἡ δὲ κατὰ μίμησιν αὐτῶν μετέχειν τι τοῦ κατὰ διάνοιαν ἀφελείας πείθει, καὶ οὐκ εἰς τὸ ἄχαρι καὶ σκληρὸν ἐπιζέπει: stylus eius atque dictio nouatorem sapit, & verò per insuetam vulgò viam, orationem impellit. At rerum singularum minuta explicatio, & sensus illi quādam simplicitatem affert, & ne ad ineratum atque asperum sermonem abripiatur, vetat.

Videtur mihi sanè author bonus, sed qui plus habeat, vt appareat, in scribendo, morosæ eloquentiæ quàm felicitatis.

Quid & Photius.

Arianus magnificè de se admodum sentit, ne dicam arroganter, his verbis: ἐπαξιώσας ἐμαυτὸν φανερὰ καταστῆναι εἰς ἀνθρώπους τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα ὅσις ἦν ταῦτα ὑπὲρ ἐμαυτοῦ γινώσκω, τὸ μὲν ὄνομα οὐ ἐν ὁμῶ ἀναγράψαι, &c.

Ariani supercilium.

Alexandrum dignum prædicat, qui res tantas gereret; se, qui scriptis illustraret; addit: (Quisquis verò sum, qui ita de me sentiam, nomen quidem adscribere nihil attinet: neque enim obscurum inter mortales est.) Quem non deterreat hæc arrogantia? Certè Photij iudicio exilis est, & parum ad styli opulentiam conferre potest: floruit Antoninorum temporibus, consulatu etiam functus; ex quo tanti spiritus hominis efferbuerunt.

Herodianus longè præstantior est. Nam eius dictio suauis est, atque pellucens: vocibus autem vtitur temperatis, neque supra modum Atticis; quo fit, vt neque natiuam sermonis gratiam corrumpat, nec iu contemptam degeneret exilitatem. In historia verò, nec superuacaneis tumet, nec omittit necessaria omninò: Photij iudicio omnibus historiæ virtutibus paucis cedit.

Lucians, quod ad stylum attinet, longè optimus est: λέξῃ εὐτόνῳ τε καὶ κυρίᾳ, καὶ τῷ ἐμφατικῷ διαπρεπούσῃ, χαρακτῆρι, vt notat Photius. Dictio eius illustris, propria, efficax. Distinctionis ad hæc, atque puritatis, æquè, vt perspicuitatis, & aptæ magnitudinis, si quis alius, perstudiosus est, compositionem quoque & structuram orationis tanta dexteritate concinnat, vt lector credat se non orationes legere, sed iucundum aliquod carmen suis auribus instillari. Verū in istis, & similibus authoribus non tanti debet esse linguæ puritas, vt ex eorum lectione puritatis animi patiamur dispendium. Quid enim inertius, quam linguā excolere; mentem, quæ sola diuina est, negligere?

Heliodorus ἐρωτικῶ scriptor, habet summā sine affectatione simplicitatem, atque iucunditatem, magnam in narrationibus suauitatē, periodos contortulas & elegantes ad summū totus est in eo genere melleus; sed quid iuuat Theagenis & Charicleæ amores legere, in rerum verò cœlestium amore frigescere? satis constat, hunc librum grauissimo consilio displicuisse: Authorem Episcopum fuisse aiunt, ideò à patribus Orthodoxis dignitate priuatum; hoc tamen Photius non asseuerat, sed dubitanter dicit, τότων ἢ καὶ ἐπίσκοπόν τυχεῖν ἀξιόμαθον φασιν.

Philostratus à Photio dicitur. τὴν φράσιν σαφῆς, ἐπίχαρίς τι καὶ ἀφοριστικὸς, καὶ βρύων γλυκύτητος, καὶ τῷ ἀρχαϊσμῷ, καὶ ταῖς καινοπρεπέσιν τῶν σωτάξεων ἐμφιλοτιμούμενος, stylo aperto, gratioso, conciso, dulcedine & gratijs affluenti, sed qui, vt sophista, ex affectatione verbisque, tum priscis tum nouis, laudem quærat suauitatis.

Eius Apollonius non est legendus, sine antidoto Eusebij aduersus Hieroclem: & appositè Federicus Morellus, vir egregiè doctus, vtrumque excudi curauit.

Aphthonius Sophista, & scribendi argumento, & styli elegantia; virore, delicijs mirificè delectat: sed totus est ad palęstræ uitorem potius quàm ad ciuilem orationem factus.

Eunapius, impiorum laudator, piorum verò Imperatorum, sicut & Zosimus, insectator, dictione satis est ornatus, nec non compositione, atque structura orationis, cultus: hæc tamē quæ affectat, ἀλλ' ζυοτῶ ἐς ἐλεφαντίδος ἔστερον, καὶ τὴν φράσιν συοδέστερον, & reliqua similia, Photio non placent. καὶ ἀκίνητος.

Aristides, cuius & nunc extant variæ orationes, Phocij iudicio, κάλλος habet, καὶ δεινότητα: non modò elaboratam præfert orationem, sed quæ vim etiam dicendi habeat.

Themistius est τὴν φράσιν σαφῆς, καὶ ἀπέριττος, καὶ ἀνθηρὸς, καὶ λέξεσι πολιτικαῖς, καὶ εἰς τὸ σεμνὸν ἐπικλινέσαις, χρώμενος.

Sermo, inquit Photius, illi apertus, superuacaneis carens, ac floridus. Verba à cōmuni vsu non discedunt, inclinant tamen in grauitatē:

quæ

quæ laus est eximij oratoris, & certè ab eloquentiæ præstantia nomen εὐφράδης nactus est, huius orationes è Græco vertit Dionysius Petauius noster, vir de græcis literis perbenè meritus.

Libanius, inter æui sui sophistas florentissimus extitit, & Iuliano eximiè dilectus. Regula enim, & norma fuit sermonis Attici, κανὼν, καὶ σάθμη λόγου Ατ]ικοῦ. Verùm, dum nimis diligens, ac curiosus esse studet, quod est vmbratilibus istis fatale vitium, persæpè orationis gratiam, ac venustatem obscuritate corrumpit, & affectatione figurarum in multa frigida delabitur, quod notauit D. Chrysostomus, eius intempestiuos affectus irridens, in oratione de sancto Babyla martyre.

Iulianus quoque Cæsar affectauit nomen eloquētis, natura, & arte satis ad id instructus: Atque in eo Libanio præceptori suo valdè affinis est, quod Atticam dictionem, & minimè tumidam habet; Verùm in orationibus nimis olere videtur scholam, & vulgaria Rhetorum præcepta, quæ sanctè admodum obseruat. Ideò in multis lentus, & tædij plenus fastidium parit. Melius sibi consuluisset, si auitæ potius pietati, quàm Græculorum sophistarum nugis studuisset.

In latinis vnus est *Cicero*, qui certissimus dux ad eloquentiam esse possit, quem ideò adolescentum mentibus instillari quam studiosissimè oportet, antequam prægestiens curiositas in aliam se, atque aliam subinde lectionem efferat. Sed nimis in hac re sunt iniqui Censores, qui cæteros latinitatis authores, eosq; egregios quasi numeros censent, & de republica literaria deturbādos, dū vnius laudibus plenius, quàm par est, velificantur. Fatendum est enim, multa à Cicerone scripta fuisse, quæ pro ratione rerum, temporum, aurium placuerūt, quæ omnia, si vbique ducantur in imitationē, non sunt idem pondus habitura. Quis enim cum ferat, qui apud homines negotiosos, & φιλολακωνισμὸς apud aures rerum potius auidas, quam verborum lentam, otiosam rationem, longosque verborum, & periodorum tractus ingerat, & ita se Ciceronianum putet? Omninò quicquid alteri simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur, vt vmbra corpore, vt imago facie, & actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus euenit. Namque ijs, quæ in exemplum assumimus, subest natura, & vera vis. Contra omnis imitatio facta est, & ad alienum propositū commodatur. Ex quo fit, vt qui se vni, vel etiam Ciceroni omnium principi totos addixerunt, maximè ab eius perfectione, ipsius imitationis natura, ita ferente discedant, & otiosi, atque supini, si quid modo longius circumducant, sanctè affirment Ciceronem ita loquuturum fuisse, quæ tamen languida sunt necessario, cum neque vim, neque genium aliquem oratoris, qui in imitatores æque transfundi vix potest, habeant.

Quintil l. 10. c. 11.

Peccant igitur, qui vnum tantum sibi imitandum proponūt, cum perfectio ex multorū ingeniorum veluti temperie consurgat. Dion ille, quem cornu Amalthex nominatum diximus, aureus orator appellatus, quod Platonē, & Demosthenem summa dexteritate miscuisset. Benè igitur faciunt, qui postquam à teneris Cicerone apprimè imbuti sunt, iam confirmato iudicio, alios cum delectu legunt, quorum gemmis Tullij purpuram illuminent. Inter hos primus occurrit

Sallustius nauus author, & minimè otiosus, acer, velox, grauis, sententiosus, pressus verbis, rebus affluens, sensibus diues, & sublimis, qui licet floridam illam styli amœnitatem, & leni tractu, atque æquabili tenore fluentem, orationis ambitum non habeat, potest tamen mirum in modum, dictionis lāguorem corroborare, illique vim, & aculeos, quibus virilius cōcitata vibretur, addere: in eo pleraque duriuscula sunt, pleraque austera, & quæ Thucydidē sapiant, quæ non sunt omnibus imitanda, sed ipse hoc dicendi genus sectatus est.

Cæsar, leniissimo amni similis fluit, multus in ea virtute, quam Hermogenes τὸ καθαρότητα nominat, nos styli puritatem, perspicuitatemque dicimus; Apparet in eo mira naturæ, atque ingenij felicitas, candor, facilitas. Nihil detortum, nihil affectatum, nihil puerile, minus ornamentorum habet, sed & minus ineptiarum, in eo genere, quod tractat, prudens est, & fœlix, ad exemplar conformationemque historici styli perutilis. Qui vir si foro vacasset, eodē vigore dixisset, quo bellauit.

Titus Liuius lacteum flumen orationis fundit, de quo præclarè Quintilianus. Est (inquit) in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam narrari potest, eloquens. Ita dicuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipuē eos, qui sunt dulciores, nemo historicorum commendauit magis, ab eodem cū Herodoto cōparatur, ni-

hi tamen plus hic suauitatis, ille plus grauitatis, & splendoris habere videtur.

Plinius Maior, etsi totus in res fertur, dicēdi tamen, vt apparet, in multis grauitatem, vigorem, acumenque habuit. Sed nō est vbiq; sui similis, pleraque enim acutè sunt, & rotundè dicta, alia nimis exiliter concisa, & quæ aures non implent, multa subobscura, quæ nimia celeritate animum, intelligentiamque transuolent, nonnulla neglecta, & inculta Plinium desiderare videntur in Plinio. Est tamen ad verborum proprietatem, & ὑφηγησιν longè vtilissimus.

Seneca parem ingenio non habuit, & admirandus potius videtur, quàm laudandus. Is cū eo tempore floreret, quo iam verboso illo periodorum ambitu aures fatigatæ, res, sententias, & acumina desiderabant, ad eum stylum animum adiecit, qui isto sæculo fermè placebat omnibus, eloquentia iam è rostris ad principū aulas, & basilicas translata. Fabius Quintilianus, qui eodem tempore floruit, & ad Domitiani vsq; tempora Senecæ superuixit, cùm eundem videret passim apud principes viros, nobilissimosque iuuenes, ingenij laudibus florentem, illi, quanquam moderatè, pro ingenij candore succensuit, & contrarium stylum, qui plus salubritatis, & disciplinæ veteris, minus admirabilitatis haberet, retinens, Senecam in institutionibus oratorijs nonnihil sugillat.

Fabil. 10. c. Sic igitur ille, ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ versatum disseruli, propter vulgarem falsò de me opinionē, qua damnare eum & inuisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, & omnibus vitijs fractum dicendi genus, reuocare ad seueriora iudicia contendo. Tum autē ferē hic in manibus adolescentum fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non dextiterat incessere, cum diuersi conscius generis placere se in dicendo posse ijs, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem magis, quam imitabantur, tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderet, foret enim optandum, pares, aut saltem proximos illi viros heri.

Iudicium. Quintil. de Seneca parū æquum.

Sed placebat propter sola vitia, & ad ea sequisque dirigebat efflogenda, quæ poterat. denique cum ie iactaret, eodē modo dicere Senecam, infamabat. Cuius & multæ, & magnæ alioqui virtutes fuerunt. Ingenium facile, & copiosum, plurimum studij, multarum rerum cognitio, in quo tamen aliquando ab ijs, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est.

Multæ in eo, clatæque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque; atque eò pernicioßissima, quod abundant dulcibus vitijs. Velles eum ingenio suo dixisse, alieno iudicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententijs non fregisset, consensu potius eruditorum, quàm puerorum amore comprobaretur.

Apparet in Senecam Quintilianus paulò iniquior, qui licet videatur cum commendare laudibus, plurimum tamen detetit, vt faciunt, qui honestius obtrectare solent, dum laudes maledictis compensant.

Obijcit ei admirationem sui, contemptum aliorum: de quo nihil attinet dicere. Quales enim fuerint Senecæ mores, vita laudatissimè acta, & glorioßus pro veritate exitus declarauit. *Defensio Senecæ.*

De stylo tantum loquor, quod minutissimis sententijs rerum pondera fregerit, quàm sit iniquum omnes vident, qui neminem sententijs grauiorem agnoscunt, quod eius eloquutio in plerisque corrupta, & pernicioßissima sit. (ita enim loquitur) nimis intemperanter dictū. Erat enim latinitatis peritissimus, sed quia stylum, pro rerum, & temporum statu, alienū à Rhetorum schola in multis affectauit, non ideo dicendus est pernicioßissimè loqui, nisi apud eos, qui suo ingenio, & stylo omnes metiri volunt. Addit, à pueris tantū amari, quod manifestæ calumniæ est. Num verò puer L. Iunius Noderatus, qui eius temporibus floruit, & eundem virum excellentis ingenij, atque doctrinæ nominat, num Plinius maior, qui suæ æuo *Principem eruditum* non veritus est appellare? Num Suetonius qui eundem maximè omnibus placuisse, soli Caligulæ, cui nihil boni placere poterat, propter singularem ingenij peruersitatem, displicuisse? Num puer Fronto, qui *Senecam in ßum asserit aurea sæcula reformare*, & Deos ab humano genere exulantes, eius opera reuocatos, hominibus contracta societate miscerī? Num Dion, qui ῥωμαίους τοὺς καθ' ἑαυτὸν σοφίᾳ ὑπερέφαντα. Significat omnibus sui æui Romanis sapientia, & eruditione præstitisse. Hæc cōtra Quintilianum, & Aulum Gellium, qui libro 12.

Suet. in Cal. c. 43. *Dio 49.* *Agell l. 12. c. 2.*

Nocti-

Noctium Atticarum Senecæ intemperanter natum edidit, grauissimi authores censuerunt, & censent omnes viri cordati, qui hoc potissimum authore delectantur, quorum authoritati debebat potius Erasmus acquiescere, quã tam antiquum, tam grauem authorem nouis dicterijs incessere.

Valerius Maximus, vt Ægyptus Homerica, bonis, & malis mixtus est: In plerisque enim est acutus, & subtilis, quod maximè vult videri; in plerisque durus, subobscurus, & ad plebeium sermonem abiectus, à puritate, & candore latini sermonis longius discedit. Est tamẽ in eo iucunda, tot historiarum quasi florum congesta varietas, & breuitas narrationum, acuminibus sententiarum, non ratò tam aptè aspersa, vt nihil videatur amœnius.

Cornelius Tacitus totus ad grauitatem factus est, vir acris (vt apparet) ingenij, iudicijq; limatissimi, qui tantum à fuco, & calamistris puerilibus discedit, quantum sensuum amplitudine, & orationis granditate assurgit. Viris aptior est, quam pueris, & ad iudicium conformandum, quam ad alendam orationis copiam, quæ in adolescentibus requiritur, accommodatior. Pleraque in eius structura suspensa sunt, concisa, & nimis breuitate contorta, quæ adipalem eloquentiæ succum non habent.

Florus in alio prorsus genere nitidus, fluens comptus, & vt eius fert nomen, verè floridus, plus habet palestræ declamatoriæ, quàm virium, & lacertorum.

Quintus Curtius medium quodam iter sequutus, magnam styli salubritatem consecutus est: Nam ita dilucidè narrat, vt amnem sine salebris fluere credas, & tantis præterea veneribus orationem perfundit, vt non mediocriter lectores, & amatores suos oblectet. Conciones autem habet, tam argutas, & suaues, vt Herodoto, & Xenophonte nihilo videatur inferior.

Quintilianus loquitur, vt sentit, in vtroq;, paucis exceptis, valdè syncerus, vt qui neque verborum nouitate, atque insolentia orationis iuueniliter exultat, neque se ad plebeium sermonẽ exilitate demittit. In hoc genere, quod difficillimum est auream mediocritatem seruauit, in grauitate ornatus, in ornatu grauis.

Ex eius disciplina prodijt *Plinius Iunior* politus, si quisquã alius & suauis; & ornatus, cuius stylum (vt ipse ait) apes cõplere floribus, & innectere videntur. Inuentio in eo generosa, dispositio apta, figurarum lumina concinnè disposita, & venustas quædam orationi perpetua efflorescens. Summam habet laudem in Traiani Panegyrico, quem studiosissimè, vt apparet, elaborauit. Mallem tamen interdum in eo breuitati studuisset, neque prolixas orationes, quas ipse defendit, tantopere amasset, ingenio suo velificatus. Certè iucunda ipsa fastidiosos animos satietate obruunt, & summæ voluptatis extrema tædium occupat.

Apuleius eleganti procul dubio, & faceto fuit ingenio, sed eo, & Musis, non modò styli insolentis, verùm etiam argumenti nouitate abusus est, author proculdubio cautæ lectionis, & periculosæ imitationis, maximè quod abundat dulcibus vitijs.

In *Sidonio Apolinari* ingens, vt apparet, ingenij vigor. Stylus talis est, qualem corrupta Gothicis idiomatibus sæcula, marcida iam eloquentiæ laurea ferebant: Omninò ab Atticis, & Ciceronianis auribus alienus est. Sed tamen magis ob multas virtutes admirandus, quod præmortua Romana facundia hæc scripserit, quam ob temporis vitia accusandus videtur.

Magna *Aurelii Cassiodori* mens, quæ inter hanc Gothici sæculi barbariem, quasi sidus quoddam eluxit, stylo veniam deprecatur, & facilè impetrat.

Ammianus miles Græcus, tantos habet plerunque spiritus, vt quæ hircosa, si liceat ita appellare, latinitate scripsit, placere possint inter vuguentatos: quod de Ennio non inurbanè olim Seneca fertur dixisse.

Quod verò ad SS. Patrum eloquentiam attinet, sensus potius in multis, maximè verò in latinis, quã stylus, aut verba, legẽ habẽt imitationis. Ignoscite tenuitati meæ. Beatæ, & lucidæ sanctorum mentes, neque vos cum cæteris commisceo, neque priuatas laudes muenio, quibus vestrã illã sanctã, sublimẽ, admirandã potius, quàm prædicãdam eloquentiã satis efferre possim. Vos inanes sapientiæ fumos contempsistis: Vos alias meditati estis laureas, alios vobis triumphos peperistis; vos omnium primi ô sanctissimi, & fortissimi milites, Ægyptum spoliastis: vos ancillantis facundiæ humilitatem calcastis: vos opulentiam omnẽ veterum, qua ipsi per iniuriam abusi fuerant, in sacros vsus congessistis, & contrito Mogoris idolo ex eius auro coronam, magnis præterea, & lucentibus gemmis illuminatam, comparastis. Vestra pectora, generosæ mentis do-

Patrum maxime latinorum sensus potius, quam verba imitanda.

Vis, & dignitas cælestis eloquentiæ.

micilia, indomitos reginæ eloquentiæ spiritus aluerunt. Vestræ linguæ in Spiritus sancti officina procusæ sunt; vestra ora, æterni Dei fistulæ, cœleste nectar in omnium gentium aures latissimè diffuderunt.

Ecquid eloquentia *Athanasij* robustius, quę Imperatorum furias, & frementis in se penè totius mundi pondus excepit, sustinuit, profligauit?

Qualis & quantus *Gregorius* ille *Nazianzenus*, cùm cœlestis ingenij pennis subnixus in arcana Theologiæ mysteria penetrat, & quasi Deus fulminans, tonat è machina? quàm acer, quàm velox, quàm grauis, & vbique sui similis, vbi Apostatam Cæsarem æterno mactat supplicio?

Quis *Basilio* sanctior, & eloquentior? cuius vim dicendi admiratus summus, qui tunc inter Ethnicos ferebatur, eloquentiæ magister Libanius, eam nõ immeritò anteponit omnibus, Βασίλειον ἔχων πάντων ὑπερφρονῶ.

Erat illi vnus pro centum millibus, in eloquentia, Basilius: & hæc vir à Basilio religione disiunctus, & Christianis palmis infensus.

Quid *Chrysostomus*, quo nomine appellari potest? nisi *Theatrum quoddam diuinæ eloquentiæ* dicam; in quo Deus abundè videri voluit, quid posset vitæ sanctitas cum vi dicendi coniuncta: Huius suauitatem Antiocheni admirati sunt, Maiestatem Byzantini suspexerunt, vim Principes & Augustæ timuerunt, omnis sæculorum coluit & colit memoria.

Quid *Gregorius Nyssenus*, & *Cæsarius*, num & ipsi Gregoriorum fato, aureum flumen orationis fundunt?

Ephrem verò *Syrus*, quasi fax ardens, omniũ animos incendit, atque inflammat.

Clemens Alexandrinus, *Cyrillus*, *Theodoretus*, inter eloquentes summè docti, inter doctos summè eloquentes.

Gregorius Thaumaturgus, insignis vbique miraculorum artifex, styli quoque habet admirabilitatem.

Synesius nobis Platonem, Demosthenem, Pindarum, Christiano ore loquentes dedit. *Hilarij* sunt ingentes spiritus, Dei, vt apparet viribus incitati.

At illi suo sanguine purpurati Oratores, *Iustinus*, & *Cyprianus*, num tantum præstare feruntur cæteris hominibus dicendo, quantum homines ipsi brutis animantibus antecellunt?

Iam verò *Ambrosius* num videtur nectare & ambrosia innutritus? tam suaues habet tam argutas plerunque orationis delicias, vt apes, quæ infantuli cunas & os circunsederunt, credas adhuc in eius labellis sessitare.

Augustinus ad pugnam aptior quàm ad põpam, vehemens, acer, subtilis, non puerilis & verbosæ facundiæ, sed cœlestis eloquentiæ torrens domum Dei fœcundis doctrinæ riuis exhilarans, aduersariorum propugnacula proterit atque demolitur.

Hieronymus in omni genere summus artifex, quas styli diuitias habet? quæ lumina? quos aculeos? Dubites doctúmne magis an eloquentem debeas appellare! In *Leonis* labris sedet maiestas. Vis & impetus *Saluianum* stipant quasi satellites.

Toti verò doctrinæ, & cœlestis facundiæ, plusquam mellitis fauis depluunt *Gregorius Magnus*, & Christo doctore professus Rhetor *Bernardus*.

Boetij Seuerini, vt censet Scaliger, ingenium, eruditio, ars, sapientia, prouocat omnes authores: illi neque densitas sententiarum venerem, neque acumen abstulit candorem.

Origenes & *Tertullianus*, etsi ab aliorum sinceritate exciderunt, à dicendi tamen sublimitate non recedunt.

Ad summum quibus eloquentiæ hastis & lacertis aduersariorum castra fulminant, *Arnobius*, *Lactantius*, & qui summa dictionis felicitate præditus est, felix *Minutius*?

O fortunata eloquentiæ sidera, nec vos dispicio, nec iudico, nec laudo: sed magis imposito labris digito veneror!

Quomodo imitandum.

CAPVT XV.

QVi sint vitiosæ imitationis errores, dictum est superiùs; nunc qua ratione imitandum sit, videamus. Tria omnino in authoribus ad perfectam imitationem spectanda: Inuentio, Dispositio, & Elocutio; sed & prius intelligẽda sunt quàm in imitationem traducãtur; quo fit vt Rhetores ignaui parum in imitatione & iudicio proficiant, quòd Locorum, Enthymematum, & Figurarum imperiti, locutiones tãtùm & verba congerant.

Inuentio primus est fons, ex quo fœcundari oportet ingenia, & plenius irrigari. Hunc supra cætera summi authores attenderunt, qui se ex alienis inuentis mirificè locupletarunt;

to-

totus est Homericus, Virgilius; ex Platone, Isocrate, & Demosthene, quas diuitias cōgessit Marcus Tullius? sed qua dexteritate, ostendam, vna aut altera similitudine. Qui debilitate stomachi laborant, varios cibos capiunt; sed reddunt indigestos. At contrà, qui integra valetudine, & firmis corporis viribus præstant, eosdem ore mansos, & in stomachum ingestos, calore demum naturali concomos in succulētam carnem conuertunt. Ita se res habet in imitatoribus, frigidi quidam sunt, & ignaui, qui quod acceperunt, reddunt, sed longè deterius: Alij, ingenij vi quasi calore fotum, & lumine, summa felicitate in suum conuertunt: illi non adhærescunt ad verbula, sed imitantur vim reconditam sapientiæ, cogitationum celsitudinem, tractationem humani animi, disponendi prudentiam, colligendi acumen, pugnādi alacritatem. Ad summum fiunt similes bonis authoribus, quos imitantur, non vt simiæ, sed vt filij, qui præter paternarum virtutum similitudinem, aliquid imò omnia præferunt sua. Ostendo exemplis; Panoplia Virgilij, vbi arma Æneæ fabricantur, & describuntur, omnino expressa est ex Homero: sed qua industria? præit quidem Homerus cum facula inuentionis: At Virgilius rem animo totam altius repetens eximiè amplificat, non verbis inanibus sed magnificis sensibus. hoc decerpit, illud reijcit: hoc immutat, illud auget, Mox aliud tractum longiùs rescindit, aliud nimia breuitate concisum fundit latiùs. Ad summum Homerus in cœlo, Vulcani officinam constituit minus decorè: hic,

Optima ratio imitationis.

Insula Sicanium iuxta latus Aeoliamq;
Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus, & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnea tonant validiq; incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: striduntq; cauernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

In vtroque Vulcanus, à Deabus inuenitur in ærumnosis laboribus desudans. Hoc ambobus commune. At iam apud Homerum tripodas fabricat, & cætera leuiora:

Τρίποδας γὰρ ἐείκοσι πάντας ἔτευχεν
Ἑάλδεναι περὶ τοῖχον ἐϋσταθέος μεγάροιο·
Χρύσεα δὲ σφ' ὑπὸ κύκλα ἑκάστῳ πυθμένι θῆκε,
Ὄφρα οἱ αὐτόματοι θεῖον δύσωνται ἀγῶνα:

Virgilius verò longè grauiùs Cyclopas pingit in fulmine elaborantes:

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.
Hu informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Deijcit in terras: pars imperfecta manebat:
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ,
Addiderant, rutili tres ignis, & alitis Austri,
Fulgores nunc terrificos, sonitumque, metumq;
Miscebant operi flammisq; sequacibus iras.
Parte alia Marti, currumq; rotasq; volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes,
Ægidaq; horrificam turbatæ Palladis arma,
Certatim squammis serpentum auroque polibant,
Contextosque angues, ipsamq; in pectore Diuæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Incumbunt deinde in arma opifices. Homerus quidem benè, sed communibus verbis describit.

Χαλκὸν δ' ἐν πυρὶ βάλλεν ἀτειρέα, κασσιτερόν τε
Καὶ χρυσὸν τιμῆντα καὶ ἄργυρον. αὐτὰρ ἔπειτα
Θήκετ' ἐν ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα· γέντο δὲ χειρὶ
Ῥαιστῆρα κρατερὸν, ἑτέρῃφι δὲ γέντο πυράγρην.

Virgilius in descriptione rei efficacior, sensus aliter ferit.

at illi
Ocyus incubuere omnes, pariterq; laborem
Sortiti fluit æs riuis, auriq; metallum,
Vulnificusq; chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum: septenosq; orbibus orbes
Impediunt: Alij ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque, alij stridentia tinguni
Æra lacu, gemit impositis incudibus antrum:
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantq; tenaci forcipe ferrum

Ad summum in clypeo Achillis leuia & friuola insculpta: In scuto Æneæ prudentissimè & artificiosissimè res Italæ effinguntur.

Hoc demum est feliciter imitari.

QVO-

QVOMODO DEMOSTHENEM Cicero fuerit imitatus.

CAPVT XVI.

DEMOSTHENES.

Demosth. exordium orat. de corona.

Πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θεοὺς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, ὅσην εὔνοιαν ἔχων τυγχάνω διατελῶν τῇ τε πόλει, καὶ πᾶσιν ὑμῖν, τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. ἔπειτ' ὅπερ ἔστι μάλιστ' ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ τὴν ὑμετέραν εὐσέβειαν καὶ τὴν δόξαν, τοῦτο παράσχοιεν τοὺς θεοὺς ὑμῖν, μὴ τὴν ἀντικεῖσθαι σύμβουλον ποιήσασθαι, περὶ τοῦ πῶς ἀκούσομαι ὑμᾶς ἐμοῦ δεῖ.

Demosth. & Ciceronu exordia à precatione.

Primùm Deos & Deas precor, Athenienses, vt quantam ego beneuolentiam erga Rempu. & vos vniuersos constanter habeo, tanta à vobis in hoc iudicio mihi tribuatur. Deinde, vt Dij, id quod maximè vos, vestramque religionem, & gloriam tuebitur, in eam vos sententiam adducant, ne aduersarium, quomodo sim audiendus, in consilium adhibeatis.

CICERO.

Cicero pro Murana.

Quod precatus sum à Dijs immortalibus, Iudices, more institutoque maiorum, illo die quo auspicato comitijs centuriatis L. Murænã Consulem renuntiaui, vt ea res mihi magistratuique meo, populo plebique Romanæ benè atque feliciter eueniret: Eadem precor ab ijsdẽ Dijs immortalibus, ob eiusdem hominis consulatum, vnà cum salute obtinendum, vt vestræ mentes atque sententiæ, cum populi Romani voluntate suffragijsque consentiant, eáque res vobis populoque Romano, pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.

Vterque ordiuꝛ à precatione. Demosthenes duo postulat, beneuolentiam erga se ciuitatis tantam quantam habet in vniuersum populum: Deinde, vt mentes Athenienſium, & in suam causſam, & in populi gloriam inclinẽt. Non omnia vno exordio cõsequutus est Tullius, ne imitatio nimis esset manifesta. Alterũ addam exordium, vt quomodo vtrunque fuerit imitatus, ostendam: Idem ad Quirites, post reditum, sic incipit:

Quod precatus à Ioue Optimo Maximo, cęterisque Dijs immortalibus, sum, Quirites, eo tempore, cùm me fortunasque meas, pro vestra incolumitate, otio, concordiaque deuouì, vt si meas rationes vnquam vestræ saluti anteposuissem, sempiternam pœnam sustinerem, mea voluntate susceptam. Sin & ea quæ ante gesseram, conseruandæ ciuitatis causſa gessissem, & illam miseram profectionem vestræ salutis gratia suscepissem, vt quod odiũ scelerati homines, & audaces in Rempub. & in omnes bonos conceptum, iam diu continerent, id in me vnum potius quàm in optimum quemque, & in vniuersam Rempub. deflecterent. Hoc si animo in vos, liberosque vestros fuissem, vt aliquando vos, Patresque Conscriptos, Italiamq; vniuersam memoria mei, misericordia, desiderium que teneret.

DEMOSTHENES.

Θεοὺς εὔχομαι πᾶσι, καὶ πάσαις.

Comparatur exordia Demosth. & Ciceronis.

Hoc siccum. At Cicero illam precationem magnificam reddit ex adiunctis, non modo precatur nunc, sed antea precatus est *More institutoque Maiorum*, & hoc plus habet authoritatis (illo die, quo auspicatò comitijs cẽturiatis L. Murænam Consulem renuntiaui,) hoc religionis fuit, & felicitatis.

Demosthenes ὅσην εὔνοιαν ἔχων διατελῶ τῇ πόλει καὶ πᾶσιν ὑμῖν, hoc mediocri stylo pertextum.

CICERO.

Longè magnificentius suam illam beneuolentiam profusam ostendit, vt totus in affectũ, & amorem transijsse videatur, non modo enim (Fortunas pro Reip. incolumitate, otio, concordiaque deuouit,) sed quod amãtius est, optauit, (vt si suas rationes publicæ saluti anteposuisset, sempiternam pœnam sustineret.) Non hæc simplex Demosthenis beneuolentia, sed amor ardentissimus.

Demosthenes τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν. Cicero non tantum beneuolentiam petit, sed, quod exulem, & calamitosum decuerat, *memoriam, misericordiam, desiderium.*

Et Demosthenes, ἔπειτα ὅπερ ἔστι μάλιστα ὑπὲρ ὑμῶν τὴν ὑμετέραν εὐσέβειαν, καὶ τὴν δόξαν, τοῦτο παράσχοιεν τοὺς θεοὺς ὑμῖν.

Altera petitio, in quo vterque postulat iudicum mentes inclinare in ciuitatis gloriam, & fauorem suæ causſæ.

Cicero hæc longè disertius. Vt vestræ mentes, atque sententiæ cum P.R. voluntate, suffragijs

fragijs consentiant: eaque res vobis populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Nihil otiosè dictum: *Mētes* in cognoscendo; *sententia* in decernendo: deinde optat *pacem* sine hoste, *tranquillitatem* sine turba & seditione: *otium* sine molestia & negotio, *concordiam* sine vllo dissidio. Et hæc omnia commemorauit, non τὴν δίξαν, quia in eo erat Respub. statu ob Catilinæ coniurationem, vt magis de salute quàm de gloria cogitaret. Ad summum, quod ille dixit, τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, religionis mentionem faciens, & pietatis; quanto hic illustriùs? (Quòd si illa solennis comitiorum precatio consularibus auspicijs consecrata, tantam habet in se vim & religionem, quantam Reipubl. dignitas postulat.) Deinde quomodo in animos blandè grauiterque simul influit? (Quę cum ita sint, Iudices, & cùm omnis Deorum immortalium potestas, aut translata sit ad vos, aut certè communicata vobiscum; idem Consul cum vestræ fidei commendat.)

Alius est in Philippicis locus, vbi vterque populum ad hæreditatem gloriæ à maioribus relictam hortatur.

DEMOSTHENES.

Philipp. 3. Ὑμῖν οἱ πρόγονοι τοῦτο τὸ γέρας ἐκτήσαντο, καὶ κατέλιπον μετὰ πολλῶν, καὶ καλῶν, καὶ μεγάλων κινδύνων.

Hæc inchoata, apud Ciceronem perfecta.

(Mortem quidem omnibus natura proposuit. Crudelitatem mortis, & dedecus, virtus propulsare solet, quæ propria est Romani generis, & seminis; hanc retinete quæso, Quirites, quam vobis tanquam hæreditatem, maiores vestri reliquerunt.) Hæc grauia, & supra Demosthenis locum sententiosa: addit;

(Quanquam alia omnia incerta sunt, caduca, mobilia. Virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vlla vi labefactari potest, nunquam dimoueri loco. (Hæc sententiosè dicta ad summum auget, à rebus gestis maiorum.

(Hac maiores vestri primùm vniuersam Italiam deuicerunt, deinde Carthaginem excideruntt, Numantiam euerterunt, potentissimos Reges, bellicosissimas gentes in ditionem huius Imperij redegerunt.) Illæ sunt animorū faces Demosthenes cùm tam latum haberet campum in Marathone, Xerxe, Mardonio, nihil eorum attigit, quæ maximè hoc loco videbantur commemoranda.

Et quæ dicuntur in contemptum Philippi, ὀλεθρος Μακεδών, num apud Ciceronem γοργότερα;

Est igitur, Quirites, P.R. victori omnium gentium, omne certamen, cum excursore, cum Spartaco.

In oratione funebri vterque perorat Patheticòs.

DEMOSTHENES.

Οἱ δὲ εὐδαίμονες τῷ δικαίῳ λογισμῷ πρῶτον μὲν ἀντὶ μικρᾶς χρόνου εἰς πολὺν, καὶ τὰ ἅπαντα, εὔκλειαν ἄγηρων καταλείπουσιν, οὐδὲ καὶ πᾶσιν αὐτῶν ὀνόμασοι γραφήσονται, καὶ γονεῖς οἱ τούτων περιβλέπτοι γηροβοσκήσονται, παραφυγὼν τῷ πένθει τὴν τούτων εὔκλειαν ἔχοντες.

CICERO.

O fortunata mors, quæ naturæ debita, patriæ est potissimum reddita. Vos verò patriæ natos iudico, quorum etiam nomen à Marte est; vt idem Deus vrbem hanc gentibus, vos huic vrbi genuisse videatur; In fuga, fœda mors est; in victoria, glorioſa. Etenim Mars ex acie fortissimum quemque pignerari solet.

Et de consolatione proximorum.

Optima est hæc quidem consolatio parentibus, quòd tanta reipublicæ præsidia genuerint: Liberis, quòd habebunt domestica exempla virtutum: Coniugibus, quòd ijs viris carebunt, quos laudare quàm lugere præstabit: Fratribus, quòd in se vt corporum sic virtutū similitudinem esse confident.

Demosthenes parentibus tantùm, & filijs; hic coniugibus & fratribus appositam largitur consolationem, & de militū mortuorū gloria.

DEMOSTHENES.

Οὓς γὰρ ἅπασα ἡ πᾶσις ἔθαψεν δημοσίᾳ, κοινῶς ἐπῃνέθησαν οὐ μόνοι τυγχάνοντες τοῦ ζῆν δὲ οὐ μόνον οἱ συγγενεῖς καὶ πολῖται, ἀλλὰ καὶ πᾶσα ὅσων Ἑλλὰς ἐφικνεῖται προσεπεθύμησε δὲ καὶ τοῖς ὑμένης τὸ πεῖσον μέρος.

CICERO.

At Cicerò longè illustriùs & παθητικώτερον per apostrophen ad mortuos.

Actum igitur præclarè vobiscum, fortissimi, dum vixistis; nunc verò etiam sanctissimi milites, quòd vestra virtus, nec obliuione eorum qui nunc sunt, nec reticentia posterorum

insepulta esse poterit: Cùm vobis immortale monumentum suis penè manibus, senatus populusque Romanus extruxerit.

Hæc longè grauiora, verbisque & sententijs magis excelsa: & de statu nouæ vitæ, apud beatas insulas, vterque magnificè.

DEMOSTHENES.

Πῶς οὐ χρὴ τούτους εὐδαίμονας νομίζεσθαι, οὓς παρέδρους εἰκότως ἄν τις φήσαι τοῖς κάτω θεοῖς εἶναι, τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχοντας τοῖς προτέροις ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐν Μακάρων νήσοις.

CICERO.

Tractat per apostrophen continuam: quæ longè plus habet affectus.

Illi igitur impij, quos cæcidistis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent: Vos verò, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti.

Vterque improborum accusationem, hic Æschinis, ille Verris oblatam diuino consilio, Iudicibus proponit, quo eos ad vindicandum faciant acriores.

DEMOSTHENES.

In orat. de falsa legat. Τρίπον δέ τινα ἡγοῦμαι καὶ βούλομαι, καὶ τὰ νῦν συμβεβηκότα πάντα, ἐπὶ ταῖς εὐθύναις ταυταισί, δαιμονίας τινὸς εὐδαιμονίας ἔνδεισμα τῇ πόλει γεγενῆσθαι.

Hæc fermè transuolant, antequam capiantur; quippe dicit existimare se, ea quæ in hac caussa contigerunt, diuinæ eiusdem beneuolētiæ erga ciuitatem esse indicia.

Cicero longè excelsiùs:

Quod erat optandum maximè (Iudices) & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis infamiamque iudiciorum sedandam, maximè pertinebat.

Animaduertis, vt suspendit animos, vt erigit, & iam desiderio sciendi stimulat? deinde pergit:

Id non humano consilio, sed propè diuinitus datum atque oblatum vobis summo Reipub. tempore videtur.

Discute singula, non tantùm datur ius, quasi ad possessionē, sed offertur in manus, & offertur non ab hominibus, sed à Dijs: quo deinde tempore? *Summo*, hoc est, deposita prope hac Reip. parte (vt ipse dixit alias) ad summum: Initio præmisit causam eximiam huius beneuolentiæ *ad inuidiam clarissimi ordinis, infamiamque iudiciorum sedandam*: quod diu fuerat à bonis optatum. Hęc omnia magni sunt ponderis.

Vterque, ille contra Aristocratem, hic pro Milone, fabulæ Orestis meminerunt, qua alicuius cædis ratio iusta confirmaretur.

DEMOSTHENES.

Λογιζόμενοι δὲ ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀπεκτονὼς, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν τυχὼν, ἀποφυγάνει. *Demost. contra Aristogitonem.*

CICERO.

Itaque hoc (Iudices) non sine caussa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, cum qui patris vlciscendi caussa matrem necauisset, non solùm diuina, sed etiam sapientissimæ Deæ sententia liberatum. Hoc grauius & numerosius *fictis fabulis*, ne videretur niti hoc argumento, quod affert tanquam corollarium. *Doctissimi homines*; conciliat auctoritatem dicto: *Eum*, prudenter tacet nomen, ne videatur istas fabulas Græcorum discutere gloriosius. Sic in Muræna, poeta nescio quis, (intimè tamen nouerat,) *patris vlciscendi caussa*; hoc fuit necessarium addere. *Non solùm diuina*, [alij scribunt *humana*;) sed remanet semper contentio: *Non solùm diuina* qualibet (sunt etiam Dij minores,) *sed Deæ sapientissimæ*.

Vterque sententiosè dixit, de populi incōstantia & concionum fluctibus.

DEMOSTHENES.

Ὄχλος ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων, καὶ ἀσυνετότατον, ὥσπερ ἐν θαλάττῃ κῦμα κατάστατον, ὡς ἂν τύχῃ κινούμενον ὃ μὲν ἦλθεν, ὃ δὲ ἀπῆλθε· μέλει οὐδενὶ τῶν κοινῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται.

Vulgus res omnium inconsideratissima atque imprudentissima: perinde enim atque in mari vagi fluctus, casu voluuntur. Hic quidem aduenit: alius autem discedit. Nemo rempubl. curat, sed ne meminit quidem.

Cicero blandiùs, amœniùs, vberiùs:

Nihil est incertiùs vulgò, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quod enim fretum, quem Euripum, tot motus, tantas & tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus vnus, aut nox interposita, sæpè perturbat omnia, & totam opinionem, parua nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpè etiam sine vlla aperta caussa, *Cicero pro Muren.*

caussa, sit aliud quàm existimamus, aut nonnunquam ita factum esse, etiam populus admiretur, quasi verò non ipse fecerit.

Vterque cùm reum teneret conuictum manifestis criminibus, ille Aristocratem, hic Verrem, excusationem reijcit, qua & hæc alios fecisse patroni dicebant.

DEMOSTHENES.

Demost. cõtra Aristocratem.

Ετι τοίνυν ἐμοί γε δοκεῖ, καὶ σφόδρα ἀναιδῆς εἶναι τοιοῦτος ὁ λόγος, ὡς γέγονε καὶ πρότερον τισὶν ἄλλοις τοιαῦτα ψηφίσματα· οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφεύγειν σοὶ προσήκει, ἀλλὰ τοὐναντίον πολὺ μᾶλλον ἁλίσκεσθαι διὰ ταῦτα.

Ad hæc impudentissima videtur huiusmodi quæ affertur excusatio: Quòd & talia priùs decreta contigerint: neque enim, si quid tum cõtra leges commissum est, idque es imitatus, idcirco videris absoluendus, sed eo magis condemnandus.

CICERO.

(Quid igitur dicet fecisse alios? quid est hoc? vtrùm crimini defensio, an comitatus exilio quæritur?) Viden' vt subtilius & γοργότερον; Deinde: vt enim assentiar orationi tuæ, defensionem tamen non probabo, potius enim te damnato, cæteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm te absoluto, alij, quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur.

Vterque vim & vtilitatem legum magnifica exornatione complexus est.

DEMOSTHENES.

In orat. contra Aristog.

Αλλὰ ὅτι πᾶς ὁ τῆς πόλεως καὶ τῶν νόμων κόσμος, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, συνταράττεται καὶ διαφθείρεται κατὰ τοῦτον· καὶ τοῦτ' οἶμαι σαφῶς ὑμῖν ἐπιδεῖξαι. λέξω δὲ οὔτε περιττὸν οὐδενί, οὔτ' ἴδιον, ἀλλ' ὃ πάντες ὑμεῖς ἴστε ὁμοίως ἐμοί. εἰ γάρ τις ὑμῶν ἐξετάσαι βούλεται τί ποτ' ἐστὶ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ποιοῦν τὴν βουλὴν συλλέγεσθαι, τὸν δῆμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβαίνειν, τὰ δικαστήρια πληροῦσθαι, τὰς ἕνας ἀρχὰς ταῖς νέαις ἑκούσας ὑπιξιέναι, πάντα δι' ὧν ἡ πόλις διοικεῖται καὶ σώζεται, γίγνεσθαι τοὺς νόμους εὑρήσει.

Quod & longiùs prosequitur: ostendit igitur inductione facta, cœtus, conciones, magistratus, fora, edicta, omnia legibus fieri. *Cicero pro Cluentio.*

CICERO.

Cicero hoc ornatiùs, excelsiùs, gratiùs, (vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus, & neruis, ac sanguine, membris vti non potest:) Hoc graue & excitatum: (Legum ministri, magistratus: legum interpretes, Iudices: legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus:) Illud ornatum & acutum. Quod vltimò affertur ad inductionem, vrbanum & iucundum est. (Quid est, quo ab te iudices tali dignitate præditi coerceantur? Vos autem, Iudices, quamobrem ex tam magna multitudine ciuium, tam pauci de hominum fortunis sententiam fertis? Quo iure Attius, quid voluit, dixit? cur mihi tandiu potestas dicendi datur? Quid sibi autem illi scribæ? Quid lictores? quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video? Voluit, opinor, hęc omnia lege fieri, totumque hoc iudicium quasi mente quadam administrari, & regi.

Quædam porrò nonnunquam tam claris imitationis lineamentis à Cicerone exprimuntur, vt ouum (quod aiunt) ouo non sit similiùs, quàm hic suo exemplari: quanquam ad molliores orationis commissuras paucula verba aut, addit aut omittit, aut etiam mutat: Sic in oratione Cyri loquutus est Xenophon:

Οὐ γὰρ δήπου τοῦτό γε ἀσαφῶς δοκεῖτε εἰδέναι, ὡς οὐδὲν ἔσομαι ἐγὼ ἔτι, ἐπειδὰν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου τελευτήσω· οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τὴν ψυχήν γε ἑωρᾶτε, ἀλλ' οἷς διεπράττετο, τούτοις αὐτὴν ὡς οὖσαν κατεφωρᾶτε.

At Cicero:

(Nolite arbitrari, ô mihi charissimi filij, me cùm à vobis discessero, nusquam, aut nullum fore, nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex ijs rebus quas gerebam, intelligebatis: eundem igitur esse credite, etiamsi nullum videbitis.) Sed hæc plenius cùm ad vberem exemplorum copiam deuenerimus; nunc & eloquentiæ speciem, & oratoris personam conformasse sufficiet; Sequentibus libris de ipso artificis opere pluribus Deo auspice dicendum erit.

Finis libri tertij.

DE INVENTIONE, ET LOCIS.

LIBER QVARTVS.

DE SCRIBENDA ORATIONE,

De cognitione quæstionis, & de prolixitate fugienda.

CAPVT PRIMVM.

NAscentis veluti Eloquentiæ cunabula sunt à nobis superioribus libris diffusius exposita, hoc & cæteris consequentibus, lubet eloquentiæ membra conformare, & orationem ab ipsis excitare fundamentis.

Ad orationē omnia præcepta Rhetorum spectant.

Oratoris opus, in quo omnis ars eius, atque industria desudat, est Oratio, non illa quidem locutio communis sed Oratoris charactere signata, cuius ambitu, si vniuersa Rhetoricæ præcepta complexus fuero, facturum me operæ pretium ad artis perspicuitatem arbitror. Omnia igitur, quæ posthac tradentur, ad hunc scopum collineabunt, & sub vna oratione laxè satis inter suos limites excurrens huius dissertationis tractus, omnem vim oratoriam, facultatemque complectetur.

In oratione scribenda, primùm accuratam habere oportet quæstionis tractandæ cognitionem, ex eo enim deriuari omnem vim, & efficacitatem sermonis oportet. Qua in re erratus à multis in limine, & id quidem multifariam. Alij enim nihil pensi habentes, quid proposita quæstio ferat, videntur Andabatarum more clausis, vt aiunt, oculis pugnare, & de re dicentes, nihil minus quàm rem attingere; ex quo minimè mirum est, si omnium sensibus talis repudietur oratio. His profectò illud poetæ inculcandum est:

Est aliquid, quò tendu, & in quod dirigu arcum:
An passim insequeris corues, testaque, lutoque?

Alij propositum quidem orationis scopum vident, sed cùm iudicij imbecillitate non satis res distinguere, atque discriminare valeant, in varias ineptias incidunt, & cum destinata ad dicendum materia, res varias, easque discrepantes commiscent, ex quibus orationem in immodicum tumorem crescere, ac confundi necesse est.

Prolixitas vitanda.

Alij cum metam ob oculos perspiciant, desiderio tamen dicendi gestientes, longos amant circuitus, *res citant ab euo vsque ad mala*, digressiones etiam faciunt, & frigidas transitiones, quibus miseras aures enecant: &, si aduertas, inuenies eos tum primum de re incipientes dicere, cùm oportuerit desijsse. Hoc partim accidit adolescentibus, qui, vt fert rerum splendidarum nouitas, tantam capiunt in dicendo volup-

voluptatem, vt quiescere nullo modo possint, putantq; se ijsdem auribus audiri ab omnibus, quo feruoris impetu dicunt: Partim etiã cõtingit doctis; sed confusis plerumq;, & morosis hominibus, qui nunquam sibi satisfaciũt, nisi quicquid mente conceperint, id totum in turbæ circumstantis aures effuderint.

Hoc elogiũ tribuit Seneca Cassio Seuero, l. 3. contr. in præf.

Magnum proculdubiò vitium, & haud scio an vllum sit in oratore, quod magis auditorum animos deterreat: Paucos admodũ inuenias, de quibus illud dicatur, *Timebant ne desineret*, etsi illi prima, aut altera concione, vbi nouitas auditorum mentibus quodammodò lenocinatur, placuerint, tamen si pergant, fient onerosi: adeò etiam speciosi sermonis immodica prolixitas fastidijs adhærescit.

Sed eò imprudentiores sunt, qui siue in poësi, siue in orationibus, siue in concionibus, cũ trita, communia, & frigida penè dicãt omnia, hanc tamen verborum luxuriem profundunt, nec benè monentibus obtemperant, modò dicendi titillans quoddam desiderium expleant. O graue cacoêthes. & apud occupatas aures odiosum! Audiant tandem illud D. Gregorij Nazianzeni dictum, Κέντρῳ πῶλον πρὸς νύσσαν *Adige equum ad metam* Argumentum sequere, ad rem veni, quorsum tot loci communes? quo spectant tot parerga? quo tot historiæ? tot testimonia: Verum hæc pulchra sunt. Esto, sed non erat hic locus *scis simulare cupressum*. Peribit igitur mihi labor irritus? Ita ne auditorum aures pereant. Sed speciosum est ad doctrinam multa dicere. Erras. nunquam illud Callimachi legisti, *magnus liber, magnum malum*: nunquam Demosthenis illam vocem auream audisti, οὐ τὸ μέγα εὖ. ἀλλὰ τὸ εὖ μέγα. *Non quod magnum est, bene est: sed quod benè est, magnum est.*

Sæpius in libro memoratur Persius vno,
Quam leuis in tota Marsus Amazonide.

Magna prudentia est manum de tabula opportunè, & loco deponere.

Ne igitur haud leuis trahatur error ex limine, serio considerandum est, initio quid veniat in discepationem, quid sit attributum, quale subiectum: an sit infinita quæstio, an finita, an simplex, an comparata, cuius generis sit, & status, an finitionis an qualitatis, an coniecturæ? Quæ omnia, vbi perspecta fuerint, & sensu, intelligentiaque distincta, tum demum in destinatum scopum omnia argumenta erunt dirigenda, ac primùm ab inuentione incipiendum.

DE INVENTIONE.

Nutrix inuentionis, eruditio, & an eruditæ debeant esse orationes.

CAPVT II.

Varia eruditio nutrix eloquentiæ.

PRimus fons inuentionis est eruditio varia, ex qua omnem eloquentiam crescere, fœcundarique oportet. Neque enim perfectus orator esse potest, qui non omnium rerum cognitione, atque intelligentia dignissimarum, pectus compleuit suum. Vt Persæa arbor Nili aquis irrigata, floret cultiùs, & parit vberiùs: sic manantibus doctrinæ riuis perfusa virescit eloquentia. Tolle eruditionem à dicendi facultate:

Plutar in Iside, & Osiride.

Επιφυλλίδες ταῦτ' ἔστι, καὶ στωμύλματα:

quid aliud erit, quàm loquẽtia puerilis? quam arbor foliorum luxurie vestita, sed fructus expers? quàm arena (vt aiebat ille) sine calce. Bene igitur oratori futuro, necessariam esse multarum artium scientiam iudicat Fabius Quintilianus.

Quintil. l. 1. c. 10.

Cic. l. 1. de oratore.

Omnes ingenuæ artes necessariæ eloquenti.

Benè M. Tullius (sic sentio neminem in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus ijs artibus, quæ sunt libero dignę perpolitus, quibus ipsis, si in dicendo nõ vtimur, tamen apparet, atque extat, vtrum simus earum rudes, an didicerimus. Vt qui pila ludunt, non vtuntur in ipsa lusione artificio proprio palestræ: sed indicat ipse motus, didicerintne palæstram, an nesciant: & qui aliquid fingunt, etsi tum pictura non vtuntur, tamen vtrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, Senatus, etiamsi propriæ cæteræ non adhibentur artes, tamen facilè declaratur, vtrum is qui dicat, tantummodò in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus accesserit.) Qui locus sanè eximius est ad dissoluendam controuersiam, quam nunc agitari inter multos video; *vtrum dictam esset oporteat orationem*: de quo varias, & discrepantes audiuimus sententias.

An doctæ orationes esse debeant.

Alij, quasi eruditioni liberaliori bellum indixerint, toti sunt in structura, & compositione verborum: ex quo illud equidem assequuntur, vt comptè, & fluidè dicant, rerum autem succum, & opulentiam nullam habeant: idque certis tuentur addicti rationibus, quod eruditio, & eloquentiæ facultates sint inter se di-

ſtinctæ, in orationibus verò eloquentiam, nõ doctrinam profiteantur: neque ſummorum oratorum, vt Demoſthenis, & Ciceronis orationes, hoc inanis doctrinæ fuco, (vt appellant) ſint ornatæ.

Alij doctum rati eſſe Oratorem oportere hiſtorijs, & teſtimonijs orationes ſine vllo diſcrimine refercjunt, & in dictione inertes, hoc vnum curant, vt variam doctrinæ ſupellectilem explicent. Qui profectò videntur omnes à vera, germanaque oratoriæ facultatis ratione aberrare. Nam, qui omnem doctrinam fugiunt, licet orationis ſtructura, & omni verborum expolitione ſint excellẽtes, neceſſe eſt cum magno auditorum tædio audiri, & ab optimi oratoris maieſtate longius abeſſe: Qui vero ſolis antiquarijs rebus, eruditioni, variæque doctrinæ inhiant, ſpiritus elidunt eloquẽtiæ. Adhibenda eſt in eo, ſicut in cæteris rebus temperies, & quid res, quid locus, quid aures, aut patiantur, aut expectent, conſiderandũ eſt.

Temperies eruditionu

Oratori dicendum eſt in concione, in iudicijs, in ſenatu, de re ciuili, & negotioſa: cùm Hannibal eſt ad portas, cùm de fœdere Pyrrhi agitur, cum ſqualleat reus: Putidum eſt hic ad doctrinæ oſtentationem in parergis ludere, & neceſſaria negligere: penè vitium eſt eruditionem profiteri: itaque, & prudentes oratores, etiamſi doctrinam adhibeant, nonnunquã tamen ea dexteritate faciunt, vt illud, quod dicunt, ſponte ſua influere non quæſitum eſſe videatur, tot condimentis deinde leniunt, atque aſpergunt, vt popularibus etiam auribus reddant familiare. M. Tullius in Miloniana, ampliſſimam illam, & grauiſſimam de prouidentia diuina diſputationem attingit eo loco, quem alio in libro commemoraui. Non affert hic diuerſas Philoſophorum de ea re ſententias, abſtruſaſque rationes, & argutias, ſed rem dumtaxat proponit, & graui ſimilitudine illuſtrat, cauet autem pluribus diſquirere, ne forũ in academiam videatur commutare. Pro Murena verò Stoicæ ſectæ capita perſtringit, & exagitat: ſed qua induſtria? qua vrbanitate? Ita planè hæc tractat, vt videatur non ignorare, imo pleniſſimè ſcire, ſed ratione fori, & iudiciorum plura conſultò minimè dicere. Is eſt igitur in iſtius generis orationibus doctrinæ modus.

Quomodo in ciuili oratione adhibenda eruditio.

Quomodo in epidictico genere.

At verò, ſi extra fori, & iudiciorum negotioſa, aut certè reatus, & ſqualloris ſubſellia, habẽda ſit oratio, in qua eruditio expectatur, ſperatur delectatio, & non modo fructus animorum, ſed etiam ſuauitas elocutionis requiritur, quales ſunt, quæ olim magni nominis Sophiſtis habebantur, & nunc etiam in ſcholis Rhetorum haberi poſſunt. Quis non videt hic adhibendam eſſe eruditionis ſucculentam vbertatem? cum verbis tantùm, grauium perſonarum aures non paſcantur, ſed magnis rebus innutriantur? Qui Demoſthenis, & Ciceronis orationes, ad hanc ſententiam perimendam afferunt, plumbeo gladio eam iugulare conantur, nulloque rationis fundamento impugnant. vel Ciceronis ipſius iudicio, qui hæc orationum genera, quæ illi confundunt, expliciſſimè diſtinxit. Neque verò, cum eruditionem adhibendam dico, eos imitari velim, qui ſcholia, & farragines orationum loco ſcribunt. Volo eruditas rationes, ex omni ſcientia petitas, volo hiſtorias, & effata, & leges, & ſimilitudines, ſed ea lege, vt iſtis illuſtretur non tota obliuatur oratio. vt hæc digerantur, non inferciantur, vt ordine, vt loco diſponantur, vt figuris dictionum veſtiantur, vt omnium florum varietate, vt affectibus, vt copioſa ſuauitate reſpergantur.

Cicero in orat. epidictica orationes aperte, & palam omni varietate expoliri oſtendit.

Primus fons inuentionis hiſtoria.

CAPVT III.

OCcurrit primùm hiſtoria, quæ ad orationem alendam, & firmis veluti adminiculis ſuſtentandam plurimum valet. Nec is à vero aberrarit, qui eam veluti eloquentiæ horreum quoddã nominarit. Eſt eius certè vis admirabilis, ex qua efficitur, (quod ait D. Gregorius Nazianzenus) vt vnius hominis mens, ex omnium mentium, & ſæculorum perfectione, in vnum ſapientiæ acerauum coaleſcere videatur. Quid diuinius, quam omnia noſſe, quam diſiunctiſſimas regiones velociſſimi ſyderis more luſtrare? quam omnium ætatum memoriã, res geſtas, facta, exempla percenſere; quam imperiorum ſtatus, ortus, progreſſus, viciſſitudines, decurſus, exitus vno mentis aſpectu contemplari? Quid illuſtrius, quam regendi, militandique diſciplinam, clariſsimarum virtutum effigies, in vnam veluti tabulam congeſtas inſpicere, præterita cum præſentibus cõparare, alieno damno ſapere, ſalutaria inde præcepta ad omnem vitæ culturam decerpere.

D. Greg. Naz. in carmine ad Nicobulum.

Æſchyl.

ἐξ ἧς τὰ κεῖνα βλαστάνει βιβλεύματα, Εαῖα ἰσίλ.

Nec

Diod. Sic. l. 1. Polyb. l. 1. Arist. Rhetor. c. 5. Quint. l. 12. c. 4.

Nec immeritò eam communem humani generis ὑφήγησιν nominat Diodorus. Quantum ad res ciuiles conferat, dicent Polybius & Aristoteles, qui eam πολιτικὴν καὶ ἐμπειρίαν πολιτικὴν nominant. De eius in eloquentiam fructu suauissimè redundante, testimonium proferet Quintilianus, qui oratorem in historijs apprimè versatum desiderat his verbis; *Imprimis verò abundare debet orator exemplorum copia, tum veterum, tum etiam nouorum: adeò vt, non ea modò, quæ conscripta sunt historijs, aut sermonibus, veluti per manus tradita, quæque quotidie agantur, debeat nosse, verum ne ea quidem quæ à clarioribus poetis ficta sunt negligere.*

Historia à fontibus repetenda.

Quod verò ad historiæ lectionem attinet, de eius methodo libellum conscripsit Posseuinus noster, in quo de historicis variarum gentium tractat, & quo ordine legendi sunt, quidve in ijs, aut cauendum, aut laudandum, acri iudicio subijcit. Euoluenda igitur ijs, qui seriò volūt in hac re sapere, omnis antiquitas, & cum nostris temporibus comparanda, & illustria quæque exempla ad manum semper habenda sunt, quibus, & delectare, & permouere possint. Fuit illud magnis oratoribus in more positum, vt sibi locos historiarum communes priuato labore texerent, quibus ad dicendum, pro rerum, & temporum oportunitate vterentur. Nobis nostra sæcula, vt abundantiam rerum, sic historiarum copiam congesserunt, quas in ordinem, & certa rerum capita tam multi varijs idiomatibus digesserūt, vt colligendi penè superuacaneus labor videatur. Itaque qui compendiosam ad hanc exemplorum copiam affectant viam, historiarum collectanea sumunt in manus, è quibus nullo labore decerpunt, quæ apud varios historicos longè, lateque diffusa sunt.

Hæc quidem via breuior est non tamen securior: quam sæpè enim, qui istos riuulos cōsectantur, multa ab authorum sensu detorta, truncata, debilia, mala fide aucta, falsa etiam plerumque, & inepta, pro præsenti pecunia accipiunt. Quam sæpè in prodendis auctoribus, quos illi vel vitiosè citant, vel primis apicibus delineant, inscitiam suam prodere coguntur, vt qui nuper D. Augustinum pro D. Augusto Imperatore afferebat.

Quid quod ordinem temporum, historicorum ætatem, religionem, & mores, cùm nullatenus nouerint, in periculosissima plerumque testimonia incidunt? Hoc experiuntur, qui grande illud volumen, *Theatrum vitæ humanæ* legunt, & sine delectu exspoliant. Mitto, quod grauiori censura sit notatum, de cætero si spectetur, Ægyptus est Homerica, multa habet bona, & mala, studio enim congerendi omnia coagmentauit, certa incertis, vera falsis, rara mixta communibus. Delectu opus habet, & iudicio, liber alioqui ob immensam historiarum segetem commendandus.

Vsus historiarum in oratione.

Neque verò satis historias legere, & colligere, sed in ijsdem vsus potissimum spectandus est. Alij sine arte, & iudicio historias historijs, exempla exemplis agglutinant, & tunc se valdè eruditos putant, cum Amanuensium opus in describendo Syllogistā fecerint: Alij ad rem, & extra rem dicunt, & modò quid speciosum habeant, quasi gladium Delphicum ad omnem vsum vertunt: Alij tritas, & communes historias, à capite ad calcem citant, Xerxes, Alexandros, Romulos, Fabios semper habent in ore, de suis temporibus nihil dicunt: ista quidem vitia sunt in recensendis historijs fugienda, deinde hoc obseruandum est:

Primum, vt quod affertur, appositè & loco dicatur, non vt intrūdi, sed influere videatur. Quantūcunque enim splendoris habeat, quod ex historia recensetur, si violentè sit accersitum, de opinione iudicij multum detrahit.

Deinde, vt quod narratur ex probato authore sit desumptum, quò plus habeat ad persuadendum auctoritatis: Hoc multi negligūt, delectationi aurium, & inani doctrinæ opinioni seruientes, qui, vt cornicum oculos cōfixisse, & plus alijs vidisse existimentur, de suo adtexunt permulta, quò rem admirabiliorem faciant. Talis agendi ratio à simplicitate veritatis, quæ & in rebus minimis obseruanda est, nec non grauium virorum auribus abhorret, qui nolunt sibi falsa pro veris venditari: tum qui hanc rationem tenent, plurimum sibi de doctrinæ, & grauitatis æstimatione derogare solent.

Tertium, si nota sunt, & communia, quæ narrantur, non diffusè explananda, sed multa per congeriem simul copulanda sunt, & cum celeritate orationis vibranda, vt facit

CICERO.

Philipp. 4.

Hac Maiores nostri primùm vniuersam Italiam deuicerunt: deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam euertesūt, potentissimos reges,

reges, bellicosissimas nationes in ditionē huius Imperij redegerunt. (Itē) Quis fuit Marius, si illum in suis inspexerimus maioribus? humilis. In tot consulatibus nihil habet clarius quā se auctorem. Pompeium, si hæreditariæ extulissent imagines, nemo magnum duxisset, &c.

Sen. contr. l. 1.

Quartum, ornandæ figuris sententiæ, & varianda qua narrantur: si quid graue est & ad vtilitatem spectans, hoc cum sustentatione efferendum.

Quomodo ornanda historia.

DEMOSTHENES.

Εγὼ δηλώσω, οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων δεικνύων: ἃ ἐκεῖνοι κατέθεντο εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες, εἰς ἀκρόπολιν, οὐχ ἵνα αὐτοῖς ᾖ χρήσιμα· (καὶ γὰρ ἄνευ τούτων τῶν γραμμάτων τὰ δέοντα ἐφρόνουν·) ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς ἔχητε ὑποδείγματα καὶ παραδείγματα ὡς ὑπὲρ τοιούτων σπουδάζειν προσήκει. τί οὖν λέγει τὰ γράμματα;

Philipp. 3. Demosth. in re graui narranda sustentatio, & apparatus.

Ego declarabo, non mea verba proferendo, sed scriptum maiorum nostrorum ostendendo, quod illi in aream columnam incisum in arce collocarunt: nō vt ipsis vsui esset; (nam sine illo scripto satis erant prudentes;) sed vt vos monumenta & exempla haberetis, quanta res huiusmodi sollicitudine sunt curanda. Quid igitur dicunt literæ?

Post hunc apparatum narrat historiam, narratam expendit per αὔξησιν. Hic modus optimus est, & ad inculcandum aptissimus, sed in re graui duntaxat vsurpandus. Familiare est in istis epiphonema, & in comparandis narrationibus antithesis.

Secundus fons Inuentionis, Apologi, & Parabolæ

CAPVT IV.

Poetæ oratoribus vtiles.

POetarum est ad variam eruditionem lectio perutilis, è quibus & decor in personis, & spiritus in verbis, & in affectibus magnæ permotiones hauriuntur.

Nunquam Cicero ad eam dicendi gloriam effloruisset, nisi à puero poetarum lectioni addictus fuisset: Vel maximè Græci quotquot fuerunt oratores, ex Homero hauserunt plurimum, apud quem tanto artificio plerumque orationes sunt expressæ, vt non nasci videatur in Homero Græcorum eloquentia, sed iam perfectionis culmen attigisse.

Verùm istis omissis quæ plurimùm habent ponderis, fabulæ ipsæ ex poëtis ab oratoribus assumuntur nonnunquam, & varijs sensibus accommodatæ, multum affundunt suauitatis. Quanquam in prophanis orationibus hæc liberiùs, in sacris nunquam, in grauioribus concionibus rarò admisceri velim.

Plus habent festiuitatis, & grauiores etiam personas apud populum orantes magis decent fabulæ, quæ vocantur Æsopicæ. Ducere animos solent (inquit Fabius) præcipuè rusticorū & imperitorum, qui & simplicius, quæ ficta sunt, audiunt, & capti voluptate, facile ijs quibus delectantur, consentiunt. Itaque non immeritò apud Philostratum, φοιτῶσιν οἱ μέλοι παρὰ τὸν Αἴσωπον, ἀγαπῶντες αὐτὸν ὅτι αὐτῶν ἐπιμελεῖται.

Fab. l. 5. c. 11.

Philost. in iconibus.

Video graues viros his narratiunculis delectatos, blandè permouisse. Plato fabulosus est supra modum. Demosthenes alioqui rigidus & austerus eas oportunè adhibuit: Testis est illa, quam, cùm ab Atheniensibus oscitantibus audiretur, magna festiuitate narrauit. Athenienses, (inquit.) sub æstatis tempus adolescens asinum Athenis Megaram conduxerat, cùmq; flagrante iam meridie calor cœpisset esse vehementior, sub asini ventrem se coniecit, vt vmbram captaret: At verò asinarius seriò hominem proturbare, asserens se asinum, nō vmbram asini locasse: Hinc rixæ, & lites. Diogenianus hoc habet in prouerbio, ὄνου σκιά. ὄνον σοι ἐμισθωτάμην οὐχὶ σκιά: Demosthenis tamen nusquam meminit, sed Plutarchus eidē expressis verbis tribuit. Menenius Agrippa, per apologum Corporis humani, plebem Romanam, quæ in Auentinum montem secesserat, ad Patrum auctoritatem concordiamque reuocauit. Sed & authores sacri huiusmodi fabulis plerumque, cum maxima suauitate vsi sunt. D. Gregorius Nazianzenus Celusium præsidem fabella de cygnis & hirundinibus composita oblectauit, & ad vanæ gloriæ fugā erudijt.

Philosophi, & oratores fabulis vsi.

Diogenianus Centur. 7. adag. 1.

Authores sacri. Greg. Nazianz. ad Celusium præsidem.

(Hirundines quondam cygnos cauillis incessebant, propterea quòd nec cū hominibus consuetudinem habere, nec canendi artem in publicum proferre vellent, sed circa prata solùm, & flumina canerent, ac solitudinem amplecterentur, perinde atque eos Musicæ suppuderet. At nostræ (inquiebant) sunt vrbes, nostri homines & thalami, atque apud

apud homines garrimus, resque nostras illis exponimus. Nimirum veteia illa, & Attica, Pandionem, Athenas, Tereum, Thraciã. At cygni, qui earum garrulitatem exosam habebant, vix quidem illas sermone dignas duxerunt: sed tandem, ô præclaræ, inquiũt, causa nostra in solitudinem libens se quispiam contulerit, vt Musicam audiat, cum zephyro pennas nostras inflãdas permittimus, vt suaue quidpiã, & concinnũ inspiret: Quare, si nõ multum, nec apud multos canimus, at illud certè in nobis pulcherrimum est, quod modũ in canendo tenemus, nec musicam tumultibus permiscemus: Vos antè & in ædes admissas homines fastidiũt, & canẽtes auersatur, idq; optimo iure, quippe, quę, nec incisa quidẽ lingua silere possitis: verum ipsæ exsectionem linguæ, & calamitatem vestram lugentes, quauis alia aue loquaciores sitis.)

Hæc magna suauitate pro viri eloquẽtia. Proferam aliud exemplum, sed stylo simpliciori. Gerson Cancellarius Parisiensis, vir in Theologicis literis egregiè doctus, videtur hoc dicẽdi genere delectatus: Nam in commentarijs ad Magnificat, fabulam de cato, & vulpe iucundissimè narrat, & ibidem Apologum de vulpe, palumbis, & passere sic exequitur.

Gerson tract. 8. super magn. pag. 854.

(Nidificabant palumbi syluarum in arborũ proceritate, more suo, circumibat vulpes ad radices, se comminans ascensuram, se nidos omnes cum fœtibus direpturam, nisi sibi pullus proijceretur vnus. Trepidantes palumbi agebãt, quod petebat, & abibat; reuertebatur ad simile, quousque passet dato palũbis cõsilio, continere se nidis suis, vulpes à fraude iua fraudata est, sed in passerẽ vertit insidias, non viribus, sed adulatione.

Erat in dumo passer, vulpes affuit beatificãs auriculas, quod volatu suo se protegerent à bestijs, & laqueis tertæ: sed hoc vnũ deest, inquit, qua ratione contra ventorum turbines, & frigora se protegant. Voluit passer gloriari, & cõcionari cum garrulo, respõdit, sic protectionem habere, dum flabat boreas à sinistris, mergebat enim caput sub plumis ad dexteram, & è contra, si a dextris, fingens vulpes se non satis audire, propter distantiã, protrahebat alloquium. Dilapsus est passer ad ramos proximiores terræ. Quæsiuit vulpes, dum ventus flaret ab anteriori, quid agebat? sic, ait, dimittẽs caput ad pectoris plumas. Exilijt vulpes in non videntem, & deceptam blanditijs, vorax rapuit. Affabulatio est.

Damus aliquando tale aliquod salubre cõsilium, quod dum præterimus decipimur.)

Apologi cũ sale & grauitate adhibenda: non enim omnes docent.

Quid hac simplicitate candidius, aut festiuitate amœnius?

Obseruandum autem erit in his apologis, ne nimis sint crebri, ne dictione nimis faceta, & quę ad scurrilitatẽ accedat, pertexãtur: denique, vt personam, vt locum vt rem deceant. Multa in hac re, à grauibus viris, prudentiæ sale temperata placuerunt, quæ si ab adolescentibus dicerentur, in opinionem incurrerent scurrilitatis.

Tertius fons inuentionis, Adagia.

CAPVT V.

AD parabolas accedunt Adagia, & plerumque cum ijs confunduntur, in eoque maximè consentiunt, quod rerum exprimãt similitudines, vnde paroemia dicitur παροιμία παρὰ τὸ οἴειν τὰ πλείονα, ὃ τὰ χρήσιμα τῶν πολλῶν, καὶ ἀπὸ ὀλίγων ἔστι πλείονα ὅμοια μεταλαβεῖν καὶ ἀκούειν. Verbum vulgare, & multorum vsu tritum, quod à paucis, ad plura similia trãsferri commodè queat. Verum, non est vna omnium adagiorum ratio. nam alia verè popularia sunt, & cuique vel imperito obuia; quæ Græci παροιμίας ἰδιωτικὰς appellant; alia sacra ἱερὰ vt nominantur, quæ à vulgi sensu remota, reconditam magis doctrinam ex varia historiæ eruditione sũt cõplexa. De quibus mihi videtur loquutus Synesius, cum ea veteris philosophiæ reliquias appellat.

Adagiorum triplex genus.

Ἡ παροιμία, inquit, γρόν. πῶς δ' οὐχὶ σοφόν, περὶ ὧν Ἀριστοτέλης φησὶν, ὅτι παλαιᾶς εἰσι φιλοσοφίας ὑπολείμματα περισωθέντα διὰ συντομίαν, καὶ δεξιότητα παροιμίας λαβόντα τοῦτο, καὶ λ. (καὶ ἐξῆς) τὴν ἀρχαίαν βύθιον ὀπτάλεσαν αὐτῇ πάμπολυ γὰρ οἱ πάλαι σὺν ἀληθείαν ὕδωρ εἶπαροι.

Sapiens proverbium. Quidni enim sapiens sit cum proverbia dicat Aristoteles esse veteris Philosophiæ inter maximas hominum ruinas interciuntis, quasdam reliquias, ob brevitatem dexterrimamq; seruatas? Proverbium igitur hoc

βάθον ἐλλάμπειν dicuntur ὑπὸ τοῦ λόγου. *est forma dignitatem habens, & tanquam è sacrario Philosophia, vnde antiquitatem traxit, depromptum, ex qua grauis est pulchraq; apostolo Versus eni nostros omnibus inteligenda veritatis longè cupidiores erant.*

Quamobrem in hoc genere scribendi elaborarãt olim viri graues Chrysippus, Cleanthus, Theætetus, Aristides, Aristophanes, Aeschylus, Milo, Aristarchus, &c. inter quos celebres (qui nunc extant opera, & labore Andreæ Scoti, ex nostra societate viri eruditissimi) Zenobius, Diogenianus, & Suidas, è quibus Erasmus omnia, quæ ad Paroemias Græcas attinent, decerpsit.

Quid in ijs obseruandum.

Erit in his adagijs obseruandum ne crebræ & obscura admisceãtur orationi, quod puerile est, & vitiosum, sed vbi res feret commodè, quasi gemmulæ, purpuræ, inserantur: maximeverò in epistolari stylo, qui paroemiarum amœnitate cultius enitescit.

In orationibus, ad eruditionem potius valent, quam ad stylum, & præsertim, si in res subiectas, miti quadam vrbanitate conferãtur, tum etiam insigni aliqua interpretatione collustrent.

Quartus fons inuentionis, Hieroglyphica.
CAPVT VI.

VEteres illi, qui arcanam Philosophiam symbolis, ænigmatumque velis adumbrabant, ne in plebeiorum hominum sensus intelligẽtiamq; permanaret, hieroglyphica, sacra quædam monumenta, non literis vocabula, sed sculptis rerum animaliumque figuris significantia adinuenerunt, quo artificio celebres in primis fuisse narrantur Aegyptij, de quibus ita Hermotimus Luciani, *Luc. in Hermot. p. 118.* τὰ γὰρ ἁ μεγάλα γράμματα γράφουσιν ἐπὶ τῶν λίθων, ἑλλάτινα σημεῖα, καὶ χαρακτῆρας, ὅσα πολλὰ Αἰγύπτιοι χρῶνται, ἀντὶ τῶν γραμμάτων κυνοκεφάλους ἐνδεδυκότας, καὶ λεοντοκεφάλους ἀνδριάντας. Quid si neque literas in sortibus describamus, sed characteres, & signa, qualia multa pro literis Ægyptij pingere solẽt, canino, & leonino capite homines? Quod & septentrionalibus populis in vsu fuisse testatur Olaus Magnus. *Olaus magnus l. 1. c. 21.* Nõnulli (inquit) pro priuatis cõputis instar Aegyptiorũ, varijs animaliũ figuris pro literis vtebãtur. Quibus cũ dicta sapientum præclara, & sententiæ exprimuntur, euenit, vt in animos instillentur iucundiùs, quod submoto quasi obscuritatis velo, repẽte lux emicare videatur. Vnde, & in sacris literis multa traduntur in parabolis cuius rei disertam rationẽ reddit Origenes. Sicut in nouissimis diebus, Verbũ Dei ex Mariæ carne vestitũ processit in hũc mundũ, & aliud quidẽ erat quod videbatur in eo; aliud, quod intelligebatur. Carnis nãque aspectus in eo patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur veritatis cognitio. *Orig. sup. Leu. Hom. 1.*

Ita, & cùm per Prophetas, vel legislatorẽ verbum Dei profertur ad homines, non absque cõpetentibus profertur indumẽtis. Nã, sicut ibi carnis, ita hic literæ velamine tegitur, vt litera quidẽ aspiciatur, tanquã caro, latens verò intrinsecus sensus tanquã diuinitas sentiatur. Accedit, quod ait D. Augustinus: (Quemadmodum multa per vitrũ, aut succina pellucẽt iucũdiùs: ita magis delectãt veritas per imagines, & symbola collucens. Si dicas Concordia res crescunt, discordia dilabuntur, pigrius incitat. At si addas hoc, veteres illos excellentis ingenij viros, in arcanis philosophiæ mysterijs subtiliter expressisse, primum quidem per formicam, quę impositò caduceo in elephantũ extrescerct; ex altera verò parte per elephantum gladio superpositò in formicam desinentem: nescio quomodo & inuẽtionis subtilitas, & imaginis expressio, sensus titillãt suauius, & dum placet, persuadet efficacius. *Aug. epist. 11.*

Habent igitur amœnam eruditionem hieroglyphica, & symbola, modò prudenter, & parcè, vt cætera, adhibeãtur: quæ enim per se admirabilitatem obtinẽt, si crebriùs inferciantur orationi, fiunt cõmunia, & fastidiosos sensus ipsa pulchritudinis satietate obruunt. De ijs autem extat Hori Niliaci libellus, nuper à me notis, & commentarijs illustratus. Hic auctor Pierio ansam dedit ad hieroglyphicorũ libros concinnandos, eruditos illos quidẽ, si modò maior esset fides penes multa, quæ sine authoribus afferuntur, in magna Ægyptiarum rerum, atque historiarum (vt necessariò cõtingere oportuit) penuria. Qui Pierium secutus Brixianus, ingens symbolorum volumen congesit, omnia bona malãe commiscet, si delectus adhibeatur, auctor alioqui non inutilis futurus. *Hieroglyphicorũ & parabolarum commendatio.*

Quin-

Quintus fons inuentionis, Emblemata.

CAPVT VII.

VT est imaginum vbique amans humanum ingenium, vix ad necessitatem inuenta multa humanæ vitæ subsidia, parietes, pauimenta, domus, vestes, vasa cum cœperunt varijs figuris, & imaginibus collustrari. Hinc in parietibus vermiculata, in pauimentis tessellata, in lignis segmentata, in vasis ornamenta, in clypeis admirabiles cælaturæ, quæ paulatim postquam ad elegantiora defluere cœperunt ingenia, eruditis argumentis dictisque sententiosis enituerunt. Hæc emblemata, quę cum hieroglyphicis in eo conueniunt, quod symbolorum naturam habeant; differunt verò, quod rem sublatis ænigmatum velis purius, liquidiusque proponant. In hoc genere pręclara, & arguta luserunt ingenia, vt ex varijs Imperatorũ, illustriumq; virorum symbolis licet colligere, ex quibus plerumque lepida, & suauis affluit eruditio. Magnifica imprimis fuerunt vexillorum, clypeorumque symbola, qualia sunt, quæ apud Æschylum in Tragœdia de septem ad Thebas commemorantur, & ab Homero, & Virgilio in Heroum clypeis describuntur. Hunc morem ab heroicis ductum temporibus postericonstantissimè retinuerunt, & in eo præcipuè Athenienses φιλόκαλοι, quos irridens Bacon, muscam pro omni emblemate, eamque minutis lineis incisam sculpi curauit in clypeo. Cuius rei causa cum ab eo rogaretur, *Tam propè*, inquit, *ad nostes jam accessimus, vt vel muscam nostram dispicere possint.* Post vexilla & clypeos locum sigillis assignemus: nulla gens, nullus Imperator, nullus pene priuatus, qui sibi peculiare symbolum non affectarit. Nihil hic opus est Persarum aquilas aureas, noctuas Atheniensium, Thebanorum sphinges commemorare. Quid ea, quæ de Augusto feruntur? quam elegantiam habent? qui maturitatem in rebus gerendis ostensurus, in altera nummi parte, quem cudi iusserat, papilionẽ vna cum fluuiatili cancro cælari voluit, vt festinandum lentè moneret. Mœcenas ille doctorum fautor, & parens, ranam vsurpauit (vt nonnulli volunt) Seriphiam, ad commẽdandam silentij religionem. Carolus V. Imperator pro imperatorio iure habuit symbolum sibi peculiare, duas Herculis columnas cum lemmate, *& vltra.* Hæc exempli caussa commemorata sint, licet infinita ex symbolis imperatorijs, Adolphi Occonis nummis, ipsius denique Alciati, Iunij, Brossardi iconibus colligere, quæ vt sunt exquisita ingeniorum inuenta, ad orationes illuminandas, si modò bellè accommodentur, plurimum habent suauitatis.

Æschilus πρ. ἐπὶ Θ.

Vide Symbolo imperatoria.

Sextus fons inuentionis, Testimonia veterum.

CAPVT VIII.

VEterum testimonia, inter argumenta remota plurimum obtinent dignitatis, si modò ab auctoribus fide dignis, ijsque grauibus, & eruditis emanarint. Hoc est in rerum confirmationibus telum frequens, & plerumq; amentatum. Nam cùm nostra, licet sagaciter inuenta; refutari, refelliq; possint liberius, sola auctorum, qui modò omnium consensu magni sunt, & celebres, obseruantia tam mitem elicit assensum, vt pudor sit diffiteri, quæ illa superiorum sæculorum oracula suo calculo cõprobarunt. Hanc authoritatẽ in Theologicis orthodoxi Patres: in Philosophia Aristoteles; in philologia omnes antiqui, & primæ classis auctores sibi vendicant. Bene igitur rationi dicendi consulunt, qui sibi de omni re, & disciplina, grauia, selecta, rara grauissimorũ testimoniorum ὑπομνήματα per locos cõmunes digerũt, quæ in promptu semper habere possint, & hæc præsertim longè securius afferuntur, cum ex fonte hausta, nõ ex riuulis delibata sunt. Qui tamẽ variæ lectionis præsidio destituuntur, ad communes locos, quorum seges posterioribus sæculis pene infinita enituit, cogũtur recurrere. Pleni sunt rerũ varietate Clemens Alexand. Arist. Plut. Plin. Senec. Stobęus, quos qui auidè legerũt, nõ dubium est, quin aureo fœtu pectus cõpleuerint suum. Succedunt tot noua collectanea, Patrum sententiæ, Platonis [illegible], Polyanthea noua, Coccij thesaurus, syluæ allegoriarũ, & qui quotidie nascuntur tot eruditi sacrarum literarũ interpretes, in quibus magna communium locorũ vbertas: sed hæc in fonte semper tutiora. Ia igitur nemini testimonia deesse poterunt, vt verendum sit, ne, quod Agesilaus ille prudentissimus Imperator pronunciauit, cum machinam

bellicam nimis solerter ad vsum, vel minimi industriosorũ militum excogitatam vidisset, nunc iure dicendum sit; *Pape, virtutem sustulistis*: vos eruditi viri doctrinam peritis, imperitisque hominibus fecistis communem.

Sed tamen in tractatione magnum est discrimen, nec vbi Achillis hasta, ibi Achillis est manus. Videndum est imprimis, vt testimonia commode, & loco dicãtur, non omnes orationes decent, illæ quæ totæ ad suauitatem, & dictionum delicias sunt compositæ, rarò istum testimoniorum vsum admittunt, ita verẽtur de numeroso suarum periodorum ambitu discedere, aut si interdum assumunt, parcè delibant, suntque in κύξηνι potiùs rei, quàm in recitatione occupatæ. Quæ verò rationum pondera, & sensus, magis quam verba sectantur, magni faciunt auctoritates, in quibus tamen tenendus est modus, si enim nimiæ sint, si communes, si sine vi & pondere allatæ, puerum magis colligentem sapiunt, quàm virum ingeniosum.

Hic existit aliqua dubitatio, vtrum Græca Græcè referenda, carmina etiam orationi adtexenda sint? Quod ad primum attinet, Demetrius Phaler. in li. quẽ de elocutione scripsit, eos reprehendit, qui Græcis vocibus peregrinas immiscent, & hoc ab Oratoris elegantia docet esse disiunctum. Ex quo perperam faciunt illi, qui ad eruditionis ostentationem in vna oratione omnia confundunt idiomata. Tiberius in senatu noluit Græcam vocem ἔμβλημα vsurpare, quæ tamen maximè necessaria videbatur. Quid igitur, qui sine vlla necessitate Hebraicorum, Græcorumq; testimoniorum syluam congerunt? num satis oratores sapere videntur? In libris, commentarijs, & ad probabilitatem, non delectationem, compositis orationibus, vbi necessitas exigit, si maiorem vim, & pondus oratio sit habitura, istud vsurpare non est indecorum; & in explicationibus quidem authorum dignitatem habet permagnam. In concionibus verò farrago tot peregrinarum linguarum, cùm præsertim concio res sit popularis, non adeò plebeijs auribus iucunda, quæ magis afficiuntur eò quod liquidiùs intelligũt: itaque Græca sæpiùs, aut Hebraica citare superuacaneum est, nisi fortè ea sint efficacitate dictionis, vt facilè alieno idiomate reddi nõ possint. Hoc pacto Græcum verbum se vsurpasse in senatu commemorat Cicero Phil. 1. & in Pisonem, habet, argentum οἴχεται: sed hæc quàm sobria? Neque verò magis errore vacant, qui in Gallicis concionibus, seu orationibus, Latinorum prolixos locos, & communes sine vlla vi, & ἐνεργείᾳ coagmentant. Græcos etiam authores, vt Diuum Gregorium Nazianz. & Chrysostomum, latinè loquentes inducunt, cùm elegantius nostrate lingua redderentur.

Versus porrò nec multos ingeri, nec omninò excludi velim: nam qui ad excludendos ab oratione versus, Ciceronis, & Demosthenis exemplum afferunt, parum mea sententia proficiunt. Neque enim magnopere mirandum est, si in negotiosis concionibus, vbi cõsultò artem, & eruditionem occultant, poëtarum testimonia non expromunt, qui in literario potiùs puluere sunt commemorandi: quanquam insunt aliqua vestigia, vt in Orat. pro Muræna, & in Pisonem. Sed hæc in exornatiuis orationibus longè commodiorem sortita sunt locum. Auctoritatem habemus ex Dione Prusæo, grauissimo oratore, qui Homericis versibus in ijs quas sapienter, copioseque conscripsit orationibus, vsus est sæpissimè. Quanquam quid Dionem appello? nonne & D. Paulus in ea nobilissima concione, quam de Deo Athenis habuit, Arati illud vsurpauit θεοῦ γένος ἐσμέν. & D. August. in serm. de SS. Innocent. ad populum, sententiam illam tritam:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Septimus Fons Inuentionis.

Γνῶμαι.

CAPVT IX.

TEstimoniorum gemmæ sunt, quæ à Græcis vocantur γνῶμαι, dicta grauia, & sententiosa, quorum apud veteres tanta fuit authoritas, & pretium, vt nihil ad maiestatem orationis exaggerandam putarent excitatius. Itaq; & summam laudem meruit Thucydides, quòd sentẽtijs appositè vsus esset, & poetarum vtilissimus habitus est Hesiodus, qui licet ad Homeri grauitatem, nec argumento, nec dignitate carminis assurgat: tamẽ ob crebras quas habet sententias, mirificam laudem apud posteros est consecutus. His artibus à tenero fingi, eruditique pueros volebant, non modò vt ad normam virtutis surgentem ætatulam conformarent, sed etiam ad eloquen-

quentiam, cui perutiles videbant γνώμας, adiumenta suggererent. Antiquissimæ sunt, (inquit. Quintil.) quæ propriè, quamuis omnibus idem sit nomen, sententiæ vocantur, quas Græci γνώμας appellant: vtrumque autem nomen ex eo acceperunt, quòd similes sunt consilijs, & decretis; vt illud Afri Domitij. *Princeps qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.*

Aliæ porrò graues sunt, & magnificæ, qualès Platonis, & Philonis sententiæ de Deo, & rebus diuinis: vt, κρατὰ τ ἕνα ὄντως ὄντα θεὸν δύο τὰς ἀνωτάτω ἔναι, καὶ πρώτας δυνάμεις ἀγαθότητα, καὶ ἐξουσίαν, καὶ ἀγαθότητι τὸ πᾶν γεγενηκέναι. ἐξουσία δὲ τῦ γεννηθέντ ἀρχή· ζῆτον δὲ συναγωγὸν ἅμφοιν τ λόγον. *Penes*, inquit, *vnum Deum duæ sunt excellissimæ, & primæ virtutes. Bonitas & potentia, & eius quidem bonitate omnia in hanc lucem excitata, potentia verò administrantur: Tertium quidpiam est, cuius nexu duo priora copulantur, verbum Dei, & illa quidem per duo Cherubim hoc, per ignemum gladium significatur.* Hæc plena maiestatis, quam vt augeat, addit, se hanc doctrinam ab anima sua θιολήπτευμένη diuino furore incensâ accepisse. Talè illud D. Aug. *Deus melius scitur nesciendo.* Aliæ sunt acutæ, & breues, quales sunt illæ Senecæ, Boetij, Taciti, Salluſtij, Q. Curtij, &c. vt; *Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima, nihil agentibus, tota aliud agentibus. Dum differtur vita transcurrit. Viet, vt minus ex crastino pendens, si hodierno manum iniecerit. Viuere voluit, qui mori non vult*, & quæ exalijs citat, maximè ex Publio Syro;

Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.
Habet quod vult, qui velle, quod sat est potest.
Iniuriarum remedium est obliuio.
Pessimum veri affectus, & iudicij venenum sui cuique vtilitas.
Auaritia omnia venalia habere edocet.
Animus vereri qui sit scit tutò aggredi.
Regum sæpius opes assentatio, quàm hostis euertit.

Cornel. Tacit. Hist. lib. 1. Salust. Q. Curt.

Et cætera infinita.

Aliæ sunt festiuæ, & prouerbiales; vt:

Ἀριλοχεμαντα δὲν ἁλῶναι, ἄλλο ἢ χάλκεν.
Auaritia Spartam capiet, nihil præterea.
Αἰτεῖν γὰρ αἰσχρὸν πόντῳ ἢ ἔμεῖν.

Ex stromatis Graco.

Aquila senectus Graculi iuuentute melior.
Δελφὺς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων διψᾷ δὲ ἀπολλύμενος.
Delphus vtr coronam quidem habens, sed siti periens.
Διοσκὸς πλῶκε δυὼκων, πὸ δ ἕτερον κατελάβη.
Duos lepores venans, neutrum capies.
Θρέψαι τὰς λυκιδέας, θρέψαι κύνας ὥστι φάγωσι. Theocrit. Anaxag.
Pasce luporum catulos pasce canes, vt te lanient. Lacrt.
Λύχνῳ χρεῖαν ἔχων, ἔπειτ ἐν μέμνησ ἔλαιον.
Lucerna si indigeas memento oleum infundere.
Μὴ κίνει Καμαρῖναν ἀκίνητ· κρεῖσσον ἀμεινον. Stepha. de vrbib.
Noli mouere Camarinam, quiescens melior est.
Νεκρὸν σῶμα λέοντος ἐρεθίζουσι λαγωοί.
Mortuis leonis cadauera insultant lepores.
Οὐ θεῶν ἀλήθουσι μύλοι, ἀλήθουσι δ λεπτά. Lib. Anthol.
Sero moliunt Deorum mola, sed benè comminuunt. Plut. de ser. numinis vindicta.
Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. Plato in Phædone.
Multi Thyrsigeri, pauci Bacchi.
Πολύποδ· κεφαλὴ ἔνι μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν. Plutar de aud. poet.
Polypi capiti bonum inest, & malum.

Dici non potest, quantam venustatem spirêt huiusmodi elegantiæ, quos, qui sibi familiares continuo vsu reddunt, præclara ad venustandam orationem comparant adiumenta. Pleni sunt autem libri, & veteres, & noui his locis communibus, ex quo penè in contemptum venerunt apud fastidiosos: seligenda erunt in tanta sylua lectissima quæque. Deinde obseruandum quod monet Quintilianus, non debere esse minus crebras sententias. Tertiò, personæ esse accommodandas: parum enim decet adolescentem adhuc rerum imperitum, præsertim suo Marte sententiosè loqui.

Cum sententia congruit apophthegma, nisi quòd sententia latius plerumque sumitur. Apophthegma autè semper est dictum breue, rotundum, & sententiosum, vt definitur à Budæo. Adde, quòd decus accipiat ab illustribus personis, quibus maximè tribuitur apophthegmata, quales sũt Pontifices, Imperatores, Reges, Legati. Hæc quo pretio fuerint, satis indicat eruditus de Apophthegmatis Plutarchi libellus quem, Traiano Imperatori obtulit

culit. Cuius vestigia secuti syllogystę, nobis innumerabilem vim apophthegmatum prodiderũt. Non est semper in eo adeò antiquis insistẽdum, vt nostra tempora ingeniorum, dictorum, exemplorumque fœcunditate satis opulenta negligamus. Ideò præclarum erit nostrorum Regum, & illustrium virorum admiscere sententias, quales feruntur HENRICI MAGNI, quarũ selectas aliquas inuenies in cõsolatione ad Mariã Augustã, quàm ex Gallico Patris Richeomij, viri de eloquẽtia gallica per bene meriti latinè reddidi. Fuit profectò in admirabili rege illa extemporaneorũ dictorũ insignis felicitas, & βραχυλογία λακωνικοτάτη, digna, quæ memoriæ commendetur monumentis.

Octauus fons inuentionis, Leges.

CAPVT X.

Nonn. Dion. 41. Cic. 2. de leg.

LEgem Reginam Deorum, & hominum appellat Pindarus apud Athenæũ, quem secutus Nonnus in Dionysiacis cecinit.

Ἄγνος ἀναξ θνητῶν, καὶ ἀθανάτων.

Et est certè vnicum quoddam, quod vniuersum mundum regit, imperandi, prohibendiq; sapientia. Ex quo magnæ sunt authoritatis leges, si modò ad æternæ veritatis normam componantur. Nam, vt ait D. Augu. *Omnium legum est manu censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat* Vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine legibus, suis partibus, vt neruis, ac sanguine, & membris vti non potest.

Val. lib. 3.

Atque, vt magna est legum excellentia, & maiestas, sic etiam iurisprudentia, quę easdẽ tractandas suscepit, sapientiæ seminariũ est, & omnis prudẽtiæ officina. Cùm præsertim constet leges, a prudentissimis sui æui mortalium inuentas, sæculorum, ingeniorumq; accessione ad immensum decus effloruisse. Cecrops Atheniensibus leges præscripsit, Argiuis Phoronæus, Cretensibus Minos, & Radamanthus, Lycurgus Lacedæmoniis, Babylonijs Zoroastres. Romani postea ex sapientissimis quibusque duodecim tabulas compilarunt; quas meritò (vel Ciceronis testimonio) multorũ Philosophorum scriptis anteponas. Sed omnium ingenia, labores, & curas vicit Iustinianus Imperator in codice edendo, quem Iustinianęum de suo nomine appellauit. Ad hoc curãdum opus, Decemuiratus constitutus est ab eodẽ Imperatore, delectique Ioannes Patritius vir consularis, & exquæstor, Leontius magister militum ex P. Prætorio. Phocas magister militum, & Patricius, Basilides Patricius ex præfecto prætorio Oriẽtis, Thomas exquæstor sacri palatij Tribonianus Magister officiorum, Constantius comes sacrarum largitionum, Theophilus comes sacri Consistorij. Dioscorus, & Præsẽtinus togati Iudices sacri Prętoriani. Illi ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano, tertium elucubrauerunt illum ipsum Iustinianæum. Ex his fontibus, iurisperitis maxime petenda est eruditio, quę quam grauis sit, quàm prudens, quàm locuples, quis pro dignitate satis complecti possit: cùm præsertim Christianæ veritatis face illustrata, ad summum generis humani bonum, tam salutares leges prodierint. Et quamuis ex gentilitatis malo prisci legislatores in varios inciderint errores, magna tamen sapientiæ vestigia in ijs plerumque est reperire, qualia sunt illa apud Persas.

Authores variarum legum.

Baron. ad an. Christi 529.

Iustitiam ante omnia colunto, & ad eam pueri exercentor, ex quo Xenophon pueros apud Persas ad discendam iustitiam, non secus ac in ludum literarium Græci solent frequentes conuenisse memorat, θοὶ μὲν δὴ παῖδες εἰς τὰ δικαστήρια φοιτῶντες διάγουσι μανθάνοντες δικαιοσύνην, καὶ λέγουσιν, ὅτι ἐπὶ τούτῳ ἔρχονται, ὥσπερ παρ' ἡμῖν οἱ τὰ γράμματα μαθησόμενοι.

Xenoph. lib. Cyrop. Prudentia & integritas in multis legibus antiquorũ Persæ. Herod. li. 1.

Item veritatem sectantor, dolum malum remouento.

Magistratibus parento.

Ingrati in iudicium vocantor, & pro delicto puniuntur.

Adulteria, & lecti generalis iniurias vindicanto, &c.

Ioseph. li. 11. ca. 6.

Apud Aegyptios.

Singulis annis apud prouinciarum pręsides, omnes vnde viuant demonstranto. Si quis secus faxit, aut vnde legitimè viuat non demonstrauit, capitale esto.

Aegyptij. Herodot.

Periuri capite mulctantor.

Apud Athenienses.

Si quis in insepultum hominis cadauer incidat, omni parte id terra obruat, & sepeliat ad occasum spectans.

Athenienses. Laert. in Anag.

Athei morte mulctantor.

Si

Si quis pudicitiam prostituerit, aut expatrarit, huic interdicitor ius apud populum concionandi.

Apud Lacedæmonios.

Omnes Dij, Deæque colantur armati, & id miro artificio, ad mollitiem de ciuitate abigendam, militarem disciplinam excolendam.

Plato de repub.

Vorum omnium sit, vt Dij honesta ob bonas actiones largiantur, nihilque amplius.

Maiorum imperium libenter omnes pati assuefiant.

In legibus Numæ.

Romani.

Deos patrios colunto: externas superstitiones, aut fabulas ne admiscento.

Ne quid inauspicato publicè gerunto.

Nocturna sacrificia, priuilegiaque amouentor.

Mœnia sancta existimantor.

Dis ex amputata vite ne libanto.

Pellex aram Iunonis ne tangito, si tăgit, Iunoni crinibus demissis agnum, fœminam cædito.

Patronus, si clienti fraudem faxit, sacer esto.

Hæc exempli caussa, in quibus partim religionem, partim prudentiam elucere videas, atque eò sententijs, & apophthegmatis sunt grauiora, quod non vnius priuati, sed ciuitatum, & clarissimarum gentium sint monumenta. Congessi olim in singularem libellũ nõdum editum Aegyptiorum, Persarum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Romanorũ denique præcipuas leges, & [illegible], ex quibus multa possunt ad eruditionem decerni. Verũ cauendum est, ne ista, aut in causulis afferãtur, aut loco inepto commemorentur, aut dũ peregrina recensemus, quæ ante pedes nostros sunt, prætermittamus.

Nonus fons Inuentionis, Sacræ literæ.

CAPVT XI.

Augustin. lib. de doctrina Christ.

VErum ista omnia humanæ sapientiæ inuenta, licet exquisitissima, quota portio sunt diuinæ sapientiæ? Præclarè, vt cætera, hoc à D. Augustino dictum est.

Quantum autem minor est auri, argenti, vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abstulit, in comparatione diuitiarũ, quas postea Hierosolymæ consecutus est, quæ maximè in Salomone rege ostendũtur, tanta sit cuncta scientiæ, quæ quidem est vtilis collecta de libris gentium, si diuinarum scripturarum scientiæ comparetur. Nam quicquid homo extra didicerit, si noxiũ est, ibi damnatur: si vtile est, ibi inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantius ibi inueniet ea, quæ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Diuus verò Cyprianus lib. singulari de spectaculis scripturæ miracula sic explicat, vbi Christianum a spectaculo auertens, ad scripturas aduocat, omni theatro præstabiliores. Cypr. li. de spectaculis

Scripturis sacris incumbat Christianus fidelis, ibi inueniet condigna fidei spectacula: videbit instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam, melioremque facientem: spectabit mundum in delictis suis: iusta naufragia, piorum præmia, impiorumq; supplicia: maria populo siccata; & de petra rursus populo maria porrecta: spectabit de cœlo descendentes messes, non ex areis, inspiciet flumina, transitus siccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia. Videbit in quibusdam fidem cũ igne luctantem, religione superatas feras, & in mansuetudinem conuersas, intuebitur, & animas ab ipsa morte reuocatas, & ad summũ concludit scripturam esse theatrum miraculis refertissimum, & exclamat, quam hoc decorum spectaculũ fratres, quam iucundum, quàm necessariũ. Nunquam finis esset dicendi, si de scripturæ excellentia, & auctoritate dicere vellem.

Annotabo tantum duos insignium Ethnicorum locos qui cum in sacras literas incidissent, & biblia nostra euoluissent, non potuerunt eorum maiestatem disfiteri. Primus est Æmilij Apamensis Philosophi Platonici, is cum Plotino præceptore, & Geminiano Romæ clari nominis fuit, quem Proclus in commentarijs ad Timæum Platonis, sæpe γενναῖον Amelium nominat. Is cùm legisset apud Diuum Ioannem {IN PRINCIPIO ERAT VERBVM} miratus est, quod barbarus, vt ait ipse, homo ita fuerit philosophatus. Καὶ τί ὁ βάρβαρος ἀγαθὸς τὰ πρῶτα γενόμενος, καὶ ἀπὸ τῆς ἀκροτάτης ἀρχῆς τὰ ἄριστα ἐννοήσας, καὶ θεὸν ἕνα, διὰ τοῦ παντὸς ἁπλῶς γεγενημένον; quod Cyrillus cõfirmat aduersus Iulianum. Amelius. Cyril. aduers. Iul. l. 8

Alter

Dionys. περὶ ὕψους

Alter est **Dionysij Longini** in libello περὶ ὕψους, priori libro memoratus, vbi maiestatem notionum mentis, & sensuum commendãs, eiusmodi ex Homero Neptunũ augurantẽ, quẽ locum à poeta grauissimè pertractatum ostendit, nam

Ἕκτορα δ' οὔπω μιν φρὴν ἔλλη
Ἕκτορι ἐπ' ἀζηχὲς ἐπιμαίεσθαι ἐπόρουσε.

Mox Moysen cum Homero comparans, ait illum Iudæorum legislatorem non fuisse virum de vulgo, qui tam sublimem de Deo notionem habuit, vt de eo scriberet: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; fiat terra, & facta est.

Ταύτην δὲ τὴν ἐμφασιν διαπρεπῆ, οὐκ ὀ τυχὸν ἀνὴρ, ἐπειδὴ καὶ τὸν τοῦ θεοῦ δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώκατο καθίσαμεν, εἰπὼν ἐν τῇ ἀρχαιολογίᾳ τῶν νόμων· ἔστω ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο.

Hæc obseruatione digna sunt in paganis hominibus, quorum ore etiam literis sacris dignitas tribuitur.

Quod ad eius vsum attinet, Theologorũ est proprius: Hæc eorum hæreditas, hic campus, hoc stadium. Ex quo mirum est nõnullos tam venerandæ sapientiæ dignitate, copia, & vtilitate omissa, ad sterilis Adonidis hortulos, fragilia humanæ sapientiæ choragia, tã lubẽter deflectere. Cõtra inuerso ordine iurisperitos neglectis ijs, quæ ad se attinẽt, sacra biblia sæpius, quam leges in ore habere. Pulchrũ est, & modestũ, se intra suorum castrorũ ambitũ quẽque continere, & si quædam propter mutuum artium vinculum ex ijs depromenda sunt, tamen in hac parte nunquam nimios esse nos oportebit, ne quis Apelles exiliens è latebra illud inclamet, Ne sutor vltra crepidam.

Decimus fons inuentionis, ratio, & solertia in locis.

CAPVT XII.

ET hæc quidem ad variam eruditionem pertinent, quæ eloquentiæ facunda quædã nutrix esse cõprobatur. Nunc de ingenij fõte videamus, sine quo quantacunq; fuerit eruditio, gladius erit in vagina reconditus, cuius acies hebescet.

Cum tota ratio dicendi tribuatur in subiecta, & enunciata, quorum illa sunt, de quibus sermo est; Hæc, quæ de re affirmantur, aut negantur; ad perfectam subiecti, & prædicati distinctionem, vtile est admodũ tenere Aristotelis categorias, ex quarũ, & cæterorum, quæ ad differendi rationẽ attinẽt, ignoratione, nonnunquam multa Rhetores peccare solent.

Subiecta, siue res, quæ in quæstionem cadũt, sunt aut superiora, & simplicia, vt Deus, Angeli, cælum, elemẽta; aut mixta animata, vt homo, animalia; aut inanima naturalia, vt plantæ; aut moralia, vt virtutes, & vitia; aut artificialia, vt domus, naues, horologia, &c.

De quibus omninò decem formari possunt quæstiones, an sint, fuerint, esse possint? explicatur per affirmationem, dubitationem, negationem.

Quid sint, explicatur per definitionem rei, siue illa sit essentialis, siue ex adiunctis (quod est apud oratores frequens) conflata.

De quo sint, explicatur per demonstrationem causarum; materialis, & efficientis.

Quare sint, explicatur per demonstrationem causæ finalis, formalis, & efficientis.

Quantæ sint, explicatur per affectionem magni, vel multi, & comparationem ad res alias, vnde & illæ quæstiones comparatiuæ appellari solent.

Quales sint, explicatur per differẽtias, proprietates, & adiuncta.

Quando sint, explicatur per declarationem rei quomodo, & à quo, & quid sit in tempore.

Vbi, explicatur per expositionem rei, quomodo, & à quo, & quid sit res in loco.

Quomodo sint, explicatur per insinuationem modi.

Cum quo sint, explicatur per enumerationem instrumentorum, mediorum, signorum.

Ex his apparet, non secus ac vnum pulmenti genus, à perito coquo fit varium; ita rem ab oratore in varias distribuendam quæstiones, mirificè fœcundari, atque illustrari. Ostendo exemplis: si quis orationem quærat de Luscinia auicula, putes fortasse angustum dicendi campum, diuide, & rberem, laxumque reperies. An sicì Sirenæ Luscinìæ, quæ

vocem-

vocentur Sirenes, vt est apud Lycophronem, fuerintne aliquando tales, & an possint esse in rerum natura.

Quid sit propriè luscinia, & cum de genere auium esse constet, qua disterentia ἐνδοξοτῶν, aut maximè propria, ab alijs discriminari possit.

De quo sit: Quibus vitæ principijs constet, quale cum sole, cum aëre, cum aquis habeat commercium. An à cuculo, quod aiunt, generetur, generarive possit, quæ sit habitudo eius corporis; plusne ignis, an aëris habeat, an cum terreno etiam, & aqueo genere aliquid sortiatur affinitatis.

Quare sit: An ad Dei gloriam prædicandam, an ad ornamentum vniuersi, an ad mulcendos suauitate cantus homines, an etiam ad pascendos, an potiùs ad exemplum vigiliæ, innocentiæ, suauitatis, & laboris?

Quanta sit. Quàm parua corporis mole, quàm tenera, quàm composita membrorum omnium in tam breui corpusculo concinnitate, cum quibus auibus id habeat commune.

Quale sit internis affectionibus: Quàm simplex, quàm innocens, quàm pertinacis vigiliæ, quam studiosa cantionum, quam ambitiosa, quo colore prædita, qua voce, & cæteris corporis adiunctis.

Quando: Quando pariat, quando canat, verène semper, an aliquando æstate, die an nocte: deinde an meridie, an sub auroram, an prima face, quando discat, quando quiescat, quãdo nidificet, &c.

Vbi, Quibus locis delectetur, an montanis, an syluestribus, cultis, desertis, frigidis, calidis, &c.

Quomodò: Quomodò vnumquodque faciat, quo instinctu, qua arte, qua dexteritate doceat, discat, cantet, quot sonorum generibus luxuriet.

Cum quo: Quæ circa eam antecedentia, quæ consequentia, quæ signa eandem semper comitantia.

Quæ omnia in hac materia, & in cæteris enucleata argumenta, non modò ad condendas orationes, sed integra volumina suppeditabunt. Atque hæc de quæstione subiecta, nunc ad locos, & probationes artificiosas veniamus.

De Locis in genere.

CAPVT XIII.

QVod literæ sunt apud Grammaticos, hoc apud Rhetores loci: vt enim ex literis verba, sic ex locis rationes, & argumenta coalescunt. Nihil est omninò ad inuentionis fœcunditatem vberius, ad dispositionis rationem concinnius, ad memoriæ subsidium efficacius. Quamobrem & adolescentibus diligenter inculcandi sunt, & in ijs frequenter exercendi, ex quo ad omnem dicendi materiam reclusos inuentiones fontes commodiùs, feliciusque habeant. Nec sunt in ea re imperiti quidam audiendi, qui se sine vsu locorum certis rationibus vti dictitant: fieri enim potest, & fit quotidie, vt, qui nunquam locos viderunt, ex locis ratiocinentur, sicut & qui literas nunquam didicerunt, earum tamen sonos loquendo necessariò pronunciant, sed vtrũque rudium est, & multis erroribus obnoxium. Quantò illi rectius, qui id ex arte faciunt, & omnia rationum momenta cognoscunt? Euenit deinde exercitatis, vt etsi minimè de singulis locis cogitent, ex ijs tamen optimas rationes educant, quas si velint recognoscere, ad artis normam expressas inuenient.

Neque enim quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literæ sunt cogitatione conquirendæ: nec quoties caussa dicenda est, toties ad eius caussæ seposita argumenta reuolui oportet: sed habere certos locos, qui, vt literæ ad verbum scribendum, sic illi ad caussam explicandam statim occurrant: sed loci demùm oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel vsu, quẽ ætas denique affert; vel auditione, & cogitatione quæ studio præcurrit ætatem. *Cic. 2. de orat.*

Sunt autem loci communes notæ, & argumentorum sedes: quorum alij sunt interni, alij externi.

Interni sunt in rei substantia, vt definitio, genus, differentia, species, partium primariarum enumeratio, coniugata

Alij externi, sed tamen cognati, & ij valde necessarij, vt caussa finalis, & efficiens, & effecta. Alij externi appliciti, vt notatio, adiuncta, contraria, repugnantia, similia, relata, comparata; vnde sexdecim loci communes satis noti colliguntur, qui rursus in alios diuidi possunt, & argumenta magnis incremen-

tis fœcundari. Ostendo exemplo. Laudandum mihi lilium proponitur, (versabor enim in ijs argumentis, quæ forensibus causis, & chrijs difficiliora sunt. Sic eius laudem ab omnibus locis pertexam.

DEFINITIO PER Synonymiam.

Quomodo ex omnibus locis decerpenda sint argumenta.

QVid est enim aliud lilium, quàm terræ ornamentum, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, pulchritudo radijs suauiter emicantibus fulgurans, vt Sappho dixit de rosa: ῥῆς κόσμος, φυτῶν ἀστράπτομα, ὀφθαλμὸς ἀνθέων, λειμώνων τρυφὴ, κάλλος ἀστράπτον: Vtuntur enim oratores, vt docebo, maximè in exornatiuo genere his definitionibus.

Per descriptionem.

Videte vt est ex omni parte formosum. Nũ excelsa facies? num maiestate cinctum caput, cuius oneri vix collum sufficit? Num argenteorum foliorum striati ordines? Num paulatim in latitudinem se explicantes angustiæ? Num resupina per ambitum labella? Num delicatissima, quæ interius sunt sila? Num foliorum stantia crocis aureolis capita? Num odor, num candor eximius satis istud, vel me tacẽte, prædicant?

NOTATIO.

Nec immeritò profectò Græci λείριον, & καλλείριον, Latini Iunonis rosã, Mauritani, Susen ab vrbe potentissima, nobilissimaque appellant. Hæc omnia sapiunt blandam pulchritudinis maiestatem, sed efficacius λείριον venustum, suauem, amabilem florem significat. Cuius nominis tanta est amplitudo, vt flores omnes, qui modò specie, & suauitate sunt excellentes, λείρια nominet Apollonius in Argonauticis.

ὡς δ' ὅτε λείρια καλὰ περιβρομέουσι μέλισσαι.

PARTIVM enumeratio.

Quod mihi videtur etiam spectasse natura, quæ lilia in tot pulchritudinis genera diuisit, vt non vnum duntaxat florem, sed omnes omnium eximios colores & dignitatem videantur assequuta: si candida consideres, quid purius, aut amabilius? Si Persiana, quid speciosius? Caulis est illis ternum cubitorum, quem fusè ambiunt folia ex cæruleo virentia, mucronata, flores nutantes nolarum effigie nigricant: radix bulbosa, fissa, minimè squamis loricata, albida, auersa parte sessilis, & plana, porrectis subtus obscurè flauentibus. Si Polyrrhisa, quid artificiosius? Nam & hastulas æmulantur, & radices habent multas, non admodum crassas, albas, huc, & illuc sparsas, dulces, glutinosas, ex quibus caulis erigitur sæpius duos cubitos altus, canus, sine medulla, in quo flores candidi, odorati, stamina lutea, semen in vasculo triangulari conclusum, nigrum triquetrum. Si rubra, quid magis varium? caule quidem minora sunt, folijs angustis, & nigricantibus, è summo flores erumpunt, singuli suis pediculis, modo longioribus, modò breuioribus insidentes, coloris purpurei, crocei, notulis similiter quibusdam nigris, & perquam exiguis ornati. Si cruenta, quibus flores rutilant, & bulbos nucleis stiparos proferunt, quid ardentius? Quid Narcissos, & Homerocallidas, & cætera id genus commemorem? nullibi fæcundiori pulchritudine luxuriasse natura videtur.

CONIVGATA.

Nihil mirum igitur, si quicquid delicato pulchritudinis flore suauiter enitescit, hoc à lilio liliatum dicimus. Sic orationem liliatam *vne oraison fleur delisée*, quam Dionysius Halicarnasseus βοστρυχιζόμενον λόγον nominat.

GENVS.

Omnes quidem flores singularis naturæ ridentis clementia, ad humani generis oblectationem, vniuersi decus, variasque vtilitates profundit, quorum vsu non modò profana recreantur, sed sacra ipsa excoluntur (& hic latus dicendi campus.)

SPECIES SEV forma.

Verum peculiari quodam iure lilium sibi vendicat, quod simul aspexeris, statim tibi præstantissimi omnium floris veniet in mentem.

SIMILITVDO.

Quid non magis exhilaret, quam aspectus pulcherrimorum Aulæorum? quæ natura omnium architecta, & parens, vbique strauit in suis latifundijs, vt admiranda forma, & speciosa varietate colorum, radicis, caulis, ramorum, foliorum, floris nostros oculos pasceres, *Rouillium.*

ceret, ac reficeret, spectaculo quidem ornatissimo & instructissimo, quod etiam, vel maximè squallidos, rusticos, & incultos homines alliciat, & delectet. Quando verò Salomon in hac regiæ fortunæ opulentia, & omnium deliciarum mollitie, tot exquisitis vestium coloribus radians, ad vnius lilij dignitatem assurrexit?

DIFFERENTIA.

Habent quidem manufacta, plerunque egregiam venustatem. Sed tantum à naturali pulchritudine differunt, quantum natura Dei illius præpotentis administra, mortalium manus, vim industriamque superat. (Et hic excurri latius potest in differentia naturalis pulchritudinis, & manufactæ.)

CONTRARIA.

Si igitur natura ita instigante flores nigros, infaustos, malè olentes detestamur: qua amoris benevolentia lilium amplectemur? quo nihil ad candorem amœnius, nihil ad prosperitatis significationem candidius, ad odorem etiam, quem suauissimum spirat, dulcius quicquam esse potest?

ADIVNCTA.

Accedit ad cæteras lilij virtutes, quod in Francorum sit insignibus: Idque non humano consilio, sed Angeli cœlitus deferentis beneficio, quo nihil ad lilij laudem dici potest illustrius. Francia illa, cæterarum gentium Regina, quam HONORIVS tertius, Pontifex, Christi pharetram lectissimis sagittis abundantem appellat, quam Gregorius Magnus tantum cæteris nationibus præstare censet, quantum Regiæ dignitatis apex omnibus honoribus antecellit: Francia, inquam, illa lilia ab ipsis penè mundi cunabulis in Moysis candelabro, & Salomonis templo sanctissimis religionibus consecrata, per vniuersum terrarum orbem suauissimi odoris halitu diffudit.

Greg. in epistol. ad Child. Regē.

ANTECEDENTIA, *Consequentia.*

Ita autem amplexa est, vt Regem Francorum in illa maiestatis sede, & iustitiæ puluinari (quod vocant) sedentem, sine liliorum insignibus, non magis intueri liceat, quàm solē sine luce. Vbicunque Regia Maiestas ius dictura sederit, ibi lilia: vbicunque lilia fulserint, hic Regiæ maiestatis quosdam radios præsentire te dicas.

REPVGNANTIA.

Nec minus repugnat Regem venerari, & calcare lilia, quam Cæsaris adorare, eorumque statuas frangere, deterere laureas, honoris insigna retellere.

CAVSSAE.

Siue igitur cum esset paruus, & lacteus Hercules Nouercæ Iunonis vberibus suppositus, argenteus mammarum humor cœlestibus stillis depluens, tantum florem produxerit, siue natura plenius suæ munificentiæ velificata ediderit, nihil plantis inuenio diuinius.

EFFECTA.

Neque tantum ob speciosam illam maiestatem dico, qua præditum est, sed propter magnas & veres, quas in hominum commoditatem deriuat vtilitates. Quis enim nescit, quod habet Pallad. l. 2. de re rustica? oleum liriinum ad morborum remedia, per quam salutare semper extitisse, &c æt.

COMPARATIO MINORVM, *& parium.*

Quid igitur si calthis, ac violis, & huiusmodi floribus tantum tribuimus, quid lilio deberi existimatis? quod ipsum constat longè omnium esse præstantissimum. Nisi quis forte rosam Sapphonis, & Anacreontis vertibus decantatam illi parem esse contendat; Huic non multum aduersabor, modò lilium inter flores Regis partes obtinere fateatur, rosam huic veluti Reginam comitem adiungat.

De Locorum delectu.

CAPVT XIV.

PLacuit hoc specimen subijcere, vt ostenderem, quanta est in locis ad quamlibet quæstionem tractandam fœcunditas, non quod velim, omnes, & isto ordine intrudi. Recte M. Tullius. Orator locos percurret omnes, vtetur aptis, non imprudenter ista copia, sed omnia expendet, & seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex ijs eadem argumentorum momenta sunt. Iudicium igitur adhibebit, nec inueniet tolum, quod dicat, sed etiam expendet. Nihil enim feracius ingenijs, ijs præsertim, quæ disciplinis

Cicero in Oratore.

excuita sunt. Sed vt segetes fœcundæ, & vberes, non solum fruges, verùm herbas etiam effunduut inimicissimas frugibus, sic interdum ex illis locis aut leuia quædam, aut à caussis aliena, aut non vtilia giguuntur, quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur; Quonam modo ille inbonis hærebit, & habitabit suis. Nunc de singulis in specie dicendum est.

Tu populos, vrbesque, & regna ingentia finis;
Omnia erit sine te litigiosus ager.

Sed quod magis mireris, ita religiosi fuere Terminorum lapides, vt si quando quis in Arabia lapidibus proiectis stratus ager inueniretur, ominosus idem, & culturæ inhabilis iudicaretur, ne fortè lapis aliquis vnus ex terminalibus violaretur ab inscijs. Quamobrem plerique inuidia moti eiusmodi lapides in agros vicinorum proijciebant, quò illis postea cum graui detrimento cessaret ager. *Terminorū religiositas.* *Vlpian. l. iii quadam D. extr. criminibus.*

Hoc crimen σκοπελισμὸν nominabant, vt ex Vlpiano liquet, Sunt quædam, inquit, quæ more prouinciarum, coercitionem solent admittere, vt putà in prouincia Arabia σκοπελισμὸν crimen appellant: Cuius rei admissum tale est: Plerique inimicorum solent prædium inimici σκοπελίζειν, id est, lapides ponere, indicio futuros, quod si quis eũ agrum coluisset, malo letho perituros esset insidijs eorum, qui scopulos posuissent Quæ res tantum timorem habet, vt ne agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum, qui scopelismum fecerunt. Hanc rem Præsides exequi solent grauiter, vsque ad pœnam capitis, quia & ipsa res mortem comminatur.

Hæc terminorum Religio. Quanta igitur Definitionis dignitas, quæ ὅρος, Terminus, nominatur, & longè aliter, quã depacti agrorum limites, res totius vniuersi distinguit, omnemque tollit permistionem. Anastasius Synaita in ὁδηγῷ cap. 1. definitiones ὅρους appellari censet, quasi ὁράσεις τῶ ὀφθαλμοὺς πραγμάτων ὑπαρχοντας *quod sint rerum visus & oculi.*

Tertiò à Platone in Theæteto cum Sole comparatur, quod non secus, ac clarissimum sidus humanæ imbecillitatis tenebras discutiat & magnum ad capessendas disciplinas conferat adiumentum. *Definitio sole comparata.*

Definitionis dignitas & varia appellationes.

CAPVT XV.

OPeris vmbram, orationem dixisse fertur Democritus, quòd delineatio quædam rerum fiat beneficio verborum. Est id quidem in cæteris, sed maximè in definitione conspicuum, quæ non modò vmbra est, sed viua rei, quã describit, imago, atque ideo χαρακτηριστικὸς à veteribus nominata est. Fuit certè illud Pauliæ pictoris, & Glyceræ coronariæ iucundissimum certamen, cum hæc innumeros flores summa varietate distinctos proponeret: Ille verò eorundem formas, & colores exprimere, ac diuersos veluti luxuriantis naturæ ludos artis beneficio consequi niteretur. Sed nec minor definitionis splendor, aut dignitas, quæ res tot, & tantas, quas huius cœli ambitu, diuina mens complexa est, pauciss imis quibusdam verbis depingere, atque illustrare conatur. Ex quo si tanta statuariæ artis magnitudo, quæ, (vt ait Cassiodorus) primum à Thuscis profecta mentibus, & inuentis, ita creuit apud posteros, vt parem populum Romæ daret, quem ipsa rerum parens natura procreârat.

Definitio imago & characterismus appellatur.

Nõ minima laus profectò definitionis quæ hanc rerum vniuersitatem, tot accuratis descriptionibus, quasi statuis, & imaginibus amplexa est. Hæc de prima definitionis appellatione.

Secundò à Græcis dicitur ὅρος, quasi terminus, aut lapis terminalis, ex quo definitio quoque à Latinis nuncupata est. Magnum profectò nomen, & definitionis dignitatem satis indicat. Sacros enim fuisse apud veteres lapides terminales scimus, non alia de caussa, quã quod agrum ab agro discriminantes, contentionum omnium materiam succiderent, ex quo cecinit Quidius in Terminum. *Eadem terminos.*

De Definitione simplici, & Logica.

CAPVT XVI.

ETsi definitionibus Logicis parciùs vtuntur Oratores, qui non ficco illo, sed fusoquodam, & adipali dicendi genere delectantur:

tur : debent tamen accuratæ definitionis tenere rationem, ne rerum ignari, frustra, cùm nihil opus est, luxurient in verbis Est igitur definitio, vt ait Aristoteles, λόγος ὃ, τοῦ εἶναι σημαντικὸς, vel, vt ait Cicero 1. de orat. Rerũ breuis & circumscripta quædam explicatio; vel, vt habet auctor ad Herennium, *Oratio, quæ rei alicuius propriam amplectitur potestatem, breuiter & absolutè.* Partes eius sunt genus, & differentia, è quibus quasi anima & corpore consistit. Fit enim vt rem definienti primum notiora occurrant, & cùm multis communia, quę cùm differentia, quasi proprio quodam vinculo complexus fuerit, tunc existit definitio, vt si hominem definire velis, primùm occurrit animalis, hoc est, naturæ sentientis notio, mox propius consideranti, in rationis sinu, quasi in proprio essentiæ domicilio versari cognoscitur; Ex eo animal rationis particeps nominatur. Hæc integra Definitio. Sed quia proprias rerum differentias inuenire difficillimum est, per proprietates & accidentia, maximè apud oratores, Definitiones tradi solent.

Aristot topic. l. 1. c. 1 Cicero l. 2. ad Heren. 17. & 2. de inuent. 153. vbi affert exemplum de naui.

Vitia definitionis.

Tria vulgò in rebus definiendis occurrunt vitiorum genera. Primum est, cùm propter multitudinem verborum, nimium quàm necesse sit, res extrahi videtur. In quo errauit Porphyrius, qui hominẽ definiuit λογικὸν ζῶον θνητόν: nihil enim opus erat mentionem facere mortalitatis. Sed hanc ideirco dictionem subiunxit, vt distingueret ab angelis, qui tamẽ ζῶα λογικὰ propriè dici non possunt. Secundum est, cùm ob paucitatem res nonsatis explicatur: vt si dicas, hæreditas est *pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure*, non est satis, addendum, nec ea aut legata est testamento, aut possessione retenta. Tertium fit, cùm genus, aut differentia commodè non est assignata.

Virtutes definitionis Arist. l. 5. Top. c. 5.

Contrà, virtutes Definitionis sunt tres, vt sit dilucida breuis, & propria. Fiet autem dilucida, si vitentur ea, quibus obscuratur. Talia sunt primùm homonyma. Ideirco hanc Definitionem non probat Aristoteles, γένεσις ἔστιν ἀγωγὴ εἰς οὐσίαν. Generatio est, deductio ad substantiam. Secundò, metaphoræ, vt si quis Altricem pro Terra, aut pro Temperantia, Concentum vsurpet.

Definitiones Platonis audaces.

Tertiò, verba impropria & nouata; quo nomine Aristoteles reprehendit Platonem, qui oculum, ἑρώτιον, araneam συμβλακὶς, medullam ὑποχωρὴν definiuit.

Breuis erit, si nihil addatur superfluum; est autem illud superfluum, & redundans, quo sublato, id quod reliquum est, perspicuam facit rem definitam. Sic qui definit, hominem animal rationis particeps, disciplinæ capax, peccat redundantia verborum.

Propria fiet, si rem, cuius est definitio, lucidius exprimat; nec similis sit veterum pictorũ imaginibus; qui si hominem aut leonem depinxissent, discerni haud facilè poterant, nisi superscriptus esset titulus, Hic, homo est, hic, leo.

Ad summum index & veluti Lydius lapis Definitionis, is erit, si Definitionem ita cum eo, quod definitur, conuertas, vt ex Definitione res, & ex re Definitio consequatur.

Eius vsus in argumentando triplex esse solet, vt notauit Cicero in Topicis; aut enim subiecti definitionem sumere licet, aut attributi; aut vtriusque, ad definitionem explicandam. Quod enim Definitioni conuenit, aut nõ conuenit: conueniat idem necesse est, aut non conueniat rei quæ definitur: Vt si is qui dolet aliorum rebus prosperis, non sit sapiens, cùm inuidus sit huiusmodi; eum sapientem non possis meritò dicere. Cui autem Definitio tribuitur, vel detrahitur, eidem tribui vel detrahi necesse est, quod definitur: vt si Imperator est vir rerum militarium sciens, non potest Cicero non esse Imperator, qui magna rerum bellicarum peritia Parthos in Amano monte debellauit. Si ars est, quæ cognitis penitusque perspectis, & in vnum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur, nec eiusmodi rebus constat eloquentia, profectò eloquentia ars dici non potest.

Arist. l. 5. Top. c. 2.

Deinde, si Definitio Definitioni conueniat, aut non conueniat; definitum quoque definito conueniet, aut non conueniet. Vt si rectus animi habitus laude dignus est, cùm talis sit virtus, sua laude carere non potest. Quod autem magis suscipit rei propositæ definitionem, id magis tale est: vt, si velle definitur, quod ad finem conducit, id quod magis conducet, vtilius erit. Hæc & similia pertinent ad vulgata Logicorum axiomata, quæ licet apud Aristotelem in sexto Topicorum plenius indagare. Ego, quando ista tractandi ratio non est huius instituti, ab istis Logicorum exilibus argutijs, in planiorem Rhetorum campum transferam orationem.

De definitione per partes

CAPVT XVII.

Cicero de hac definitione oratoria agit 3. de orat. sect. 108. & in oratore 117.

Definitio per partes duplex.

QVando intimas rerum formas, tanta obscuritate humanis ingenijs natura vallauit, varios definiendi modos coguntur indagare, ipsi plerũque Dialectici, sed Oratores, qui delectationem, & pompam quærunt, non modò non coguntur, verùm lubentiùs, feciliusque in hoc genere versantur, quod varijs definitionum generibus ostendam.

Primum occurrit, & illud quidem satis vsitatum, per partes conflatum; cùm videlicet singulas partes amplexi rem describimus, quod duobus potissimum modis præstari solet. Primò, cùm breuiter, & strictè res exprimitur, vt si domum, substructionem ex tecto, fundamentis, & parietibus definiam; annum, spatiũ duodecim mensium; mensem, spatium triginta dierum.

Lactan. l. 2. c. 5.

Altero, cùm ornatius, enucleatiusque, vt in illustrioribus argumentis sæpè contingit, partes assignantur. Si quæras à Lactantio, quid sit sphæra Archimedis? Æs concauum (dicet) varijs circulis, Æquatore, Zodiaco, coluris, tropicis, definitore confectum, quo similitudinẽ mundi, ac figuram Archimedes machinatus est. In quo solem, ac lunam composuit, vt inæquales motus, & cœlestibus similes conuersionibus, singulis quasi diebus efficerent, & non modò accessus solis, & recessus, vel incrementa, diminutionesque lunæ, verùm etiam stellarum, vel errantium, vel vagarum dispares cursus, orbis ille dum vertitur, exhiberet. In quo genere disertissimè lusit Claudianus.

Iupiter in paruo cùm cerneret aera vitro
Risit, & ad superos talia verba dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur arte labor.
Iura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex:
Inclusus varijs famulatur spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamq; suum voluens audax industria mundum.
Gaudet, & humana sidera mente regit.

Partes primarias expressit, Vitrum, Spiritum, deinde Solem, Lunam, Stellas. Hæ definitiones cum ita fusæ extiterint, descriptiones dicuntur. Et hæc est optima describendi ratio, in rebus maximè corporeis singulas partes enucleatè prosequi.

De Definitione per caussas.

CAPVT XVIII.

Aristot. 2. de animal.

SEcunda ratio definiendi, eaque ornatissima fit per caussas, à quibus profluunt effecta: hæc enim per magno inter se cognationis vinculo continentur. Sic Aristoteles (ἐξαίματος περὶ καρδίαν) iram definiuit, ebullitionem sanguinis circa cor, non quod hæc propriè sit iracundia, sed quod eo sanguinis ardore, huiusmodi excitetur affectus. Hoc nouerat Homerus, cum Agamemnonis iracundiam describẽs, canit.

Homer. Iliad. 1.

μένος δὲ μεγαφρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ' ὄσσε δὲ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

Et Claudianus.

Claud. panegyr. de 3. cons. Hono.

Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit, imbutam flammis, auidamque nocendi,
Præcipitemque: sui rabie succensa tumescit,
Contrahitur tepefacta metu, cumque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidumq; fluenti
Præbuit, vt tumida ruerent in mollia fibra.

Cum autem quatuor sint rerum caussæ, rarius per formas internas, quia latent; nec sæpe per finem, quia minus rei imaginem exprimit; Sæpius per materiam, per caussam efficientem sæpissimè, definiunt oratores, quod ita pleniorem rei, quam definiunt, cognitionem mentibus ingenerent, cum præsertim simile producat sibi simile, magnumque sit inter caussas efficientes, & effecta commercium. Quamobrem Æschylus in Prometheo, vbi horribiles illos Ætnæ tumultuantis æstus expressit, subijcit caussam quanquam fabulosè, vt Poëta:

Aeschil. in Prometh.

Τοῖον δὲ Τυφὼν ἐξαναζέσει χόλον
Θερμοῖς ἀπλήστῳ βλέσι πυρπνόῳ θάλπει.
Hanc autem Typhon ebullient eructat iram,
Feruentibus telis immensa & flammiuoma tempestate.

Atque in eo longè prudentiùs Seneca, quàm Sophocles, qui in Oedipo, terram illam grassantis pestis stragem descripturus, incipit:

Seneca in Oedipo.

Iam nocte pulsa dubius effulsit, dies,
Et nube mœstum squallida exuritur iubar,
Lumenq; flamma triste lucifica gerens.

At ille inter tot miserandos effectus, quos describit:

Sophoc. in Oed.

Ἡ δ' ἀγαλεύει κἀναχρίσαι κάρα
Βοὸς ὣν ἔτ' οὐχ οἷά τε φοινίᾳ σάλᾳ.
Φθίνουσα μὲν κάλυξιν ἐν καρποῖς χθονός,
Φθίνουσα δ' ἀγέλαις βυνόμοις, τόκοισί τε
Ἀγόνοις γυναικῶν &c.

Verbi (inquit) fluctu quassatur, nec leuare
Ex profundo caput valet, ex cruenta tempestate:
Interierunt enim iam frugiferi folliculi terræ,
Interijt soboles armentorum, vnà cum immaturo
Fœtibus mulierum.

Caussam verò superiorem pestis non exprimit: quod scitè non omisit Virgilius, Æneid 3.

Corrupto cœli tractu, miseranda quæ venit
Arboribusque satisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.

Neque verò tantùm vna caussa, sed plures ad vim maiorem & amplificationem commemorari solent: vt si in ira, non tantùm ardor, & ebullitio sanguinis, sed priores etiam caussæ prodantur, vt obliuio beneficiorum, contemptus, minæ, iniuriæ, & cætera eiusmodi.

De definitione per effecta.

CAPVT XIX.

TErtius definiendi modus ad oratorias definitiones, & amplificationes aptissimus sit per effecta, estque apud quosque eloquentiæ authores frequentissimus: præter multa, quæ ex Cicerone passim in amplificatione notauimus, proferam vnum ex D. Ambrosio locum artificiosissimè expressum. (Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat, & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore inflammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, vt nullum tempus præscriptum habeant, quod dedeceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneascunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens, semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabilis gressus, vmbras sæpè transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subitò erigi, & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruût, & solùm manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus, ranquàm maris fluctuantis fragor, & resonantia fluctu littora. Canes si viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij risu soluuntur incondito, Alij inconsolabili mœrore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est.) Hæc est definitio, siue descriptio per effecta, cuius imitatio, latum vt vides, dicendi campum suggerit. Prouidendum tamen ne nimis leues effectorum minutiæ disquirantur. Deinde, vt quæ in longa descriptione afferuntur, ordinem inter se, & decoras ab vno ad alterum transitiones habeant.

Vide descriptionem veri boni ab effectis ex Cic. pro Cæcinna. 78 D. Ambr. li. de Elia & ieiunio c. 16.

Hæc similitudine ducta à mari præclarissimè vtitur Clemens Alexandr. pæd. l. 2. p. 1. ebrij mentē deduxerat εἰ ζωὸν ἄνασμα τοῖς τῆς οἴνου τερπνότητος.

De definitione per Accidentia.

CAPVT XX.

QVartum definitionis genus sit per accidentia, priori haud multum dissimile, nisi quòd magis vagum est, diffusum, & sine respectu ad caussam. Ita describitur homo, *Animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenũ rationis, & consilij.* Ita definitur fama, velox malum, à Virgilio, & Tertulliano in apologetico c. 7. Natura famæ omnibus nota est, vtrum est fama malum, quo non velocius vllum? cur malum fama? quia velox? an quia plurimùm mendax, quæ nec tunc quidem cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est; detrahens, adijciens, demutans de veritate? Quid quòd ea illi conditio est, vt non nisi cùm mentitur, perseueret; & tamdiu viuit, quandiu non probat? Siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nunciandi functa, rem tradit: & exinde res tenetur, res nominatur.

Cic. 1. de legibus n. 21.

Tertull. in Apol. c. 7.

Plut. in Trinummo.

Talis est definitio amoris apud Plautum in Trinummo:

Blandiloquum, harpago, mendax, cuppes, auarus
Elegans, dissoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator, nam qui ab eo quod amat
Quàm extemplo sauijs sagittis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur, da mihi hoc, mel meum, si me amas, sodes, &c.

quibus blandi illius & vesani monstri proprietates exprimuntur. Quod Moschus etiam poeta disertiùs est prosequutus in descriptione Cupidinis.

Mosch. Anthol. lib. 1. ep. 18.

Χρῶτα μὲν οὐ λευκός, πυρὶ δ' ἐικελος, ὄμματα δ' αὐτῷ
Δριμύλα, καὶ φλογόεντα, κακὴ φρένες, ἀδὸ λάλημα,
Οὐ γὰρ ἴσον νοέει καὶ φθέγγεται, ὡς μέλι φωνά·
Ην δὲ χολᾷ, νέος ἐστὶν ἀνήμερος· ἠπεροπευτὰς,
Οὐδὲν ἄλλο ἔοικεν, δόλιον βρέφος, ἄγρια παίζει.

Εὐπλόκαμον δὲ κάρηον ἔχει, ἴταμὸν δὲ πρόσωπον·
Μοχλύλα μὲν τόξα χερύδρια, μαχρὰ δὲ βάλλει,
Βάλλῃ δ' εἰς Αχέροντα, καὶ εἰς Αϊδεω βασιλῆα.

Sic mare dicitur à D. Ambrosio hospitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuentio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendiũ, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Hexam. lib. 3. c. 5. In hoc genere sunt definitiones secundi Mundus est æternus circuitus, spectabilis suppellex, multiformis firmatio, æternus tenor, anfractus sine errore Sol cœli oculus, diei ornatus, distributor horarum, splendor sine occasu. Luna, Cœli purpura, Solis æmula, solamen iter agentium, directio nauigantium, larga roris, præsagium tempestatum. Terra, basis cœli, meditullium mundi, fructuum mater & custos, operculum inferorum, nascentium genitrix, nutrix viuentium, vitę cellarium. Homo, Mens in carne, spectrum temporis, speculator vitæ, mancipium mortis, transiens viator, anima laboriosa; Mulier insaturabilis bellua, homini pernicies, continua sollicitudo, pugna nunquam desinens, continentiæ naufragium. Paupertas, bonum odiosum, sanitatis mater, curarum exilium, repertrix sapientiæ, negotiũ sine damno, possessio absque calumnia, sine sollicitudine felicitas. Senectus, mors viuentium; Verbum, proditor animi; Oculi, duces corporis, vasa luminis, indices animi.

De Definitione per similitudinem.

CAPVT XXI.

DEfinitionem per similia nonnulli prorsus reijciunt, quòd longè ab omni probandi ratione disiunctam esse putent. Vel enim (inquiunt) qui rem per similitudines describit, ipsius naturam nouit, vel ignorat. Si nouit, quanto melius est rei naturam expromere, quàm vanas imagines & vmbras consectari? Si

Definitio per similia non est inutilis.

Si verò nescius est, quo pacto synceram imaginem subijciet oculis, eius ipsius quod minimè dignoscere potuit? Sed has argutias ratio & vsus doctissimorum hominum refellit, qui plurimum non modò ad delectandum sed etiã ad persuadendum in definitionibus, per similia, fatentur esse subsidij. Rei etenim cognitionem confusam, veluti quibusdam radijs vestiunt, & suauius in animos mentemque intimã perlabuntur. Quòd si ea esset humani ingenij felicitas, vt vel latentes quasque rerum naturas cognosceret: tamen non inutilis esset definitio, quandoquidem & expressis vultuum, quos viuos intueri licet, effigies in picturis, (tanta est similitudinis illecebra) diligimus, & miramur.

Vide Cicer. in Topicis fol. 32.

Erit igitur huius definitionis vsus, vbi non quid res sit, exiliter & enucleatè quæritur, sed vbi iam nota exquisitis similitudinum ornamentis est decoranda. Parum est si dicas, mens irati, mens est inquieta, & tumultuosa. Hoc

Vide Chrysost. tom. 4. hom. 24.

ornatius, si cum D. Chrysostomo eloquaris: Mens irati, forum est plenum tumultu, vbi multus est euntium & redeuntium clamor, camelorum ac asinorum fremitus, argentariorũ & ærariorum vtrinque cudentiũ strepitus Cõtrà mens tranquilla, & mitis, vertex est quispiã montis, qui clementiorem cœli auram nactus est, puros solis radios, limpidas fontium scaturigines, multasque florum amœnites; & ista quantam habent dignitatem?

D. Chrys. Homil. in venerabilẽ & viuificã crucem.

Σταυρὸς Χριστιανῶν ἐλπὶς, σαυρὸς τυφλῶν ὁδηγὸς, σαυρὸς ἀπωλλυσμένων ἐλπὶς, σαυρὸς πλανωμένων ὁδὸς, σαυρὸς ἀδικουμένων ἐκδικ☉, σαυρὸς πλουσίων χαλινὸς, σαυρὸς ὑπερηφάνων ἀντίταγμα, σαυρὸς δουλευόντων ἐλευθερία, σαυρὸς βαρβάρων φιλανθρωπία, σαυρὸς βασιλέων μεγαλοπρέπεια, σαυρὸς ἀνέμων νόμ☉, σαυρὸς οἰκουμένης ἀσφάλεια, σαυρὸς ὅπλον ἄχρατα μάχητον, σαυρὸς εἰδώλων καθαίρεσις, σαυρὸς θεωμῶν ἀναζοπὴ, σαυρὸς κτίσεως ἀφανισμὸς, σαυρὸς Ἑλλήνων γνῶσις, σαυρὸς ἰδιωτῶν σωτηρία, σαυρὸς πολεμουμένων βοήθεια, σαυρὸς χειμαζομένων εὐδι☉ λιμὴν, σαυρὸς πλεόντων κυβέρνησις, σαυρὸς ὀρφανῶν πατὴρ, σατρὸς ἀγγέλων ὑμνολογία, σαυρὸς διαβόλου πῶσις, σαυρὸς δαιμόνων ἀφόρισις, quæ omnia intellectu facilia sunt.

Vides quæ in hac definitione diuitiæ, quot conglobatæ similitudines? Differunt autem à similitudine, quòd in similitudine res dicatur per imaginem, & comparationem: hic sine cõparatione affirmetur. Consuetum est autem SS. Patribus ita definire in ἀυξήσει, vt, ambitio est futile malum, secretum virus, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea sanctitatis.

Bern. de consid. l. 3.

De Definitione per Negationem.

CAPVT XXII.

VLtimum genus definitionis fit per negationem, vbi orator exprimendo quid res non sit, auditoribus colligendum relinquit quid sit. Vt quid sit libertas quæris? nulli rei seruire, nulli necessitati, nullis casibus. Seneca ad Lucilium. Est illud vsitatissimum in diuinis definitionibus: & disertissimè expressit Maximus Tyrius, pulchrum Deum dicam, & pulchrorum omnium pulcherrimum. Haud quidem pulchrum corpus, sed vnde pulchritudo in corpora emanat, neque etiam pulchrum pratum, sed vnde, & prata, & amnes, & mare, cœlum ipsum, cœlestesque Dij pulchritudinem decerpunt. Inde enim pulchritudo omnis, tanquam ex perenni, purissimoque fonte, ad nos vsque perlabitur, tantumque, aut fortitudinis, aut firmitatis, aut salutis rebus in singulis, quantum ab eo fonte respergunt. Ex quo si nihilum hauriant, continuo turpes, dissolutæ, corruptæque tabescunt. Hoc tibi si satis est, Deum inspexisti. Sin minus, quæ non alia poterunt eiusdem naturæ interpretationem proferre? Fac in eo, nec magnitudinem, nec colorem, nec figuram aliquam cogites, non aliud præterea quicquam, quod materia pati consecuit. Ex quo fit etiam, vt ea diuinæ naturæ præstantia suarum tenebrarum latibulo incluſa, ratione nostri אין (Non) aut (nihil) appelletur, vt nonnulli philosophantur in hunc Exodi locum. Estne Dominus in nobis? אז | אין

Maximus Tirius in orat. de Deo.

Deus אין

Neque verò tantum his negationibus, sed casto plerumque silentio vtuntur oratores, tanta Dei maiestate perculsi: & præclarè vũ nos psalm. 65. legimus. Te decet hymnus Deus in Sion. Verba Dauidis Hebraica sonant *Tibi silentium laus Deus in Sion* לך דמיה תהלה אלהים בציון quod silen-

silentium efficacissimum est. vnde Moyses (vt notat Zoar. in 14. Exod.) licet corde orare, dicitur clamare, quia silentio tam grandi nihil vehementius.

De modo amplificandæ definitionis.

Ac primum de amplificatione per synonymiam.

CAPVT XXIII.

EX his varios amplificandæ definitionis locos est colligere: Addo & illam, quæ per figuras fieri solet amplificationem, cuius primus modus est Synonymia, quæ in definitionibus per similitudinem vsitatissima est, & cum Antonomasia, seu pronunciatione percommodè temperatur. Tale est illud Ciceronis pro Milone, vbi curiam describit templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput vrbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab vniuerso populo Romano concessam vni ordini. Habet hæc definitio ornatum, & pompam, estque ad amplificationes nata, & à SS. PP. persæpè vsurpata.

Cicer. pro Milone.

Ita plerunque definit D. Chrysost. vt in illis quæ iam protuli, & in istis in quibus crux ab eo describitur. Totius beatitudinis caussa, discordiæ amputatio, Pacis firmamentum, Bonorum omnium copiosa largitio, Salutis indicium, Sol iustitiæ, Spes Christianorum, Resurrectio mortuorum, Cæcorum dux, Desperatorum via, Claudorum baculus, Consolatio pauperum, Frænum diuitum, Euersio superborum. Triumphus aduersus dæmonas, Adolescentum Pædagogus, Nauigantium gubernatrix, Periclitantium portus, Obsessorum murus, Parens orphanorum, Tutrix viduarum, Libertas seruorum, Regum magnificentia, Philosophia Imperatorum, Ecclesiæ fundamentum. Orbis terræ tutela, Cornu Ecclesiæ; Christianorum gladius, Sanctimoniæ documentum, Summa bonorum omnium.

SS. Patres hoc definiendi genere vsi.

Hæc ex diuersis homilijs in Crucem. Non dissimilia habet sanctus Ephrem, σαυρὸς, νικοποιὸν ὅπλον τοῦ βασιλέως Χριστοῦ, Χριστιανῶν ἐλπὶς, νεκρῶν ἀνάστασι, χωλῶν βακτηρία, βασιλέων μεγελοπρέπεια, μοναζόντων θάρσος, γυμνητευόντων σκέπη.

S. Ephrem hom. in Crucem.

Eodem laudationis genere, frequenter in B. Virginem vsi sunt SS. Patres, vt D. Laurentius Iustinianus Protopatriarcha Venetus. Maria est porta cœli, paradisi ianua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, mundi interuentrix, interemptrix peccati, diaboli terror, & spiritualibus nequitijs pauor, Ipsa est tabernaculum testamenti, arca fœderis, templi propitiatoriũ, thronus Dei, virga florida, nubecula leuis, hortus conclusus, signatus fons, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliua virens, vitis fructificans, cupressus se attollens, palma frondens, terebinthus se expandens, cãpus germinans, terra pullulans. Est etiam ipsa gloriosa aurora surgens, lucifer rutilans, luna pulchrior, sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suauior, margaritis carior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior. Etiam neruosius aliquanto quàm plerique Latinorum, Methodius; à quo Deipara nuncupatur, Ἡ περιγραφὴ τοῦ ἀπεριγράπτου, Ἡ ῥίζα τοῦ ὡρεωτάτου ἄνθους, Ἡ μήτηρ τοῦ πλάσαντος, Ἡ τετθὴ τοῦ ζέφοντος, Ἡ περιοχὴ τοῦ περιέχοντος, Ἡ φέρουσα τὸν φέροντα ῥήματι τὰ πάντα, Ἡ πόλη τῆς ἐν σαρκὶ ἀνατολῆς τοῦ θεοῦ, Ἡ λαβὶς τοῦ καθαρτικοῦ ἄνθρακος, ὁ βραχὺς κόλπος τοῦ πάντων κόλπου, ὁ πόκος τῆς ἀκαταλήπτου δρόσου, ὁ τῆς ἐπιθυμίας Δαυίδ ζωοδόκος, λάκκος τῆς Βηθλεὲμ ἀφ' οὗ πίμα ἀθανασίας ἐξέβλυσε, τὸ ἱλάστηριον ἐξ οὗ θεὸς ἐγνώσθη ἀνθρώποις ἀνθρωπόμορφος, τὸ ἄσπιλον ἔνδυμα ἀναβαλλομένου φῶς ὡς ἱμάτιον, ἡ δανείσασα τῷ θεῷ τῷ ἀνενδεεῖ σάρκα ἥνπερ οὐκ εἶχεν· ὑπόχρεων ἔχουσα τῶν πάντων δανειστὴν, &c. παντομνημόνευτος, παναγιώτατον καὶ ἀξιάγαστον τοῦ θεοῦ ἐνδιαίτημα.

D. Laurentius Iustinianus de casto connubio c. 10.

Definitio B. Virginis, per synonymiam.

Methodius Martyr. & Episcop. Præclara laus B. Mariæ.

Maria est incircumscripti circumscriptio, speciosissimi floris radix, Creatoris mater, nutrix omnia nutrientis, omnia continentis complexio, gestatrix eius, qui verbo portat vniuersa Hæc est per quam carnem ingressus est Deus, Purificantis carbonis forceps,

Præ-

præangustus illius sinus qui sinu suo omnia complectitur: incomprehensibilis roris vellus: Bethleemitica cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum immortalibus emanauit: propitiatorium per quod Deus humanam naturam indutus, mortalibus innotuit, impollutum illius indumentum, qui lucis vestimento circumfunditur; Deo nullius rei indigo carnem mutuata, quam ipse non habebat.

Atque, vt hæc definitio ad laudandum, sic etiam ad vituperandum valet, & crebrò in eodem genere vsurpatur: Sic Basilius definit vanam gloriam: γλυκὴν σκυλευτὴν τοῦ πνευματικοῦ πλούτου, τὸν ἡδὺν τῶν ἡμετέρων ψυχῶν πολέμιον, τὸν σήτα τῶν ἀρετῶν, τὸν μετ' ἡδονῆς τὰ ἡμέτερα καλὰ λῃζόμενον, τὸν μέλιτι χρώσαντα τῆς οἰκείας ἀπάτης δηλητήριον, καὶ ταῖς διανοίαις τῶν ἀνθρώπων τὴν ὀλεθρίαν ὀρέγοντα κύλικα. Blandum prædonem opulentiæ spiritualis, suauem animorum hostem, vermem virtutum, honesta quæque opera cum voluptate deprædantem, quæ lethale fraudis poculum melle illinit, & mentibus hominum fatalem porrigit calicem.

D. Basilius Ascet. c. 10.

Quò autem sit securior huius definitionis vsus, quatuor notanda sunt: Primùm, ne nimis longus tractus continuetur: qui affectationem habet, & frigidis plerunque metaphoris est obnoxius: Secundùm, vt quando ex translationibus hæ definitiones constant, non sint duræ, morosæ, putidæ, violenter accersitæ: Tertium, vt quæ copulantur, affinitatem quãdam & cognationem habeant, neue desultoriè in dissimillima quæque raptim incurraramus: Quartum, vt lectissima, quoad fieri possit, ad has exornationes afferantur, eaque distributionibus & antithetis, vt ex superioribus exemplis patuit, varientur.

De Amplificatione per Definitionem mixtam.

CAPVT XXIV.

MAgnam vim habent ad amplificationem huius loci mixtæ definitiones, quales sunt quæ primùm per negationem fiunt, deinde per assertionem, tertiò per contrariorum oppositionem: Ostendo exemplo: Cicero in Pisonem, verum Consulem descripturus, quò Pisonem hoc nomine indignissimum conuincat, primùm ostendit, quid non sit Consul: deinde quid sit ad summum pugnantium conflictum facit admodum ornatè, sic: (Quid? tu in litoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sexto Clodio te Consule esse voluisti. Huius tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas?) En quid non sit Consulatus: non est toga, prætexta, fasces, &c. Iam accipe, quid sit: (Animo consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, vigilantia, cura, toto denique munere Consulatus.) Hæc descriptio Consulis ab adiunctis.

Cic. in Piso. n. 23. Fusum & oratorium definiendi genus ex Cicerone.

Tum ingerit pugnam contrariorum. (Ego Consulem esse putem, qui Senatum esse in republ. non putauit: & sine eo consilio Consulem numerem, sine quo Romæ ne Reges quidem esse poterunt,) & cætera, quæ ille in rebus gestis Pisonis Consulis dignitati omninò contraria enumerat. Tandem concludit acriter, & neruosè: [Qui latrones igitur? si quidẽ vos Consules? qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur?) Hæc est artificiosissima definitio, & præclarum imitationis exemplar.

De Amplificatione per Contentionem ironicam.

CAPVT XXV.

ALius est amplificandi modus per Contentionem ironicam; cùm res ironicè secundũ aduersariorum mentem definitur ab Oratore: deinde remoto ioco, grauiter & ornatè describitur. Tale est illud Ciceronis pro domo sua ad Pontifices. An tu P. R. esse putas illum qui constat ex ijs qui mercede conducuntur, qui impelluntur vt vim afferant magistratibus, vt obsideant Senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? & ἐρωτικῶς exclamat, O speciem dignitatemque P. Romani quam Reges, quam nationes exteræ, quam gentes vltimæ pertimescant, multitudinem hominum ex seruis conductis, facinorosis, ex egentibus congregatam?)

Mox seriò definit: (Ille, ille populus est dominus Regum, victor atque Imperator omnium

nium gentium, quem illo clarissimo die, scelerare, vidisti, tum cum omnes Principes ciuitatis, omnes ordinum, atque ætatum ciuium, se non de ciuis, sed de ciuitatis salute ferre censebant.) Huiusmodi definitiones planè graues, & oratoriæ sunt.

De confirmatione definitionis.

CAPVT XXVI.

Arist. top. l. 7. c. 5. πάντων ῥᾶστον ὅρον ἀνασκευάσαι.

VT definitionem suis partibus absolutam facere satis operosum est; sic inualidam refellere facillimum. Vbi enim aliquid improprium, commune, metaphoricum est assignatum, illud statim aduersarijs magnam suggerit ansam cauillatonis. Definierat semel. Plato hominem animal implume, bipes: Diogenes Cynicus homo dicax, & Academicorum irrisor, gallum deplumem, & nudum in mediam Platonis scholam proijciens, *En homo* (inquit). *Platonicus*; sic mirificè plerunque ludunt oratores, vbi inanes, & mancas aduersariorum definitiones refellunt, & definitis non conuenire, imò contraria prorsus accommodari posse ostendunt. Sic Tertull. in Apologetico, *Quid hoc mali est, quod naturam mali non habet? timorē, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem.* Quid hoc mali est, *cuius reus gaudet? cuius accusatio votum est, & pœna felicitas?* non potes dementiam dicere, *qui reuinceris ignorare.* Sic Velleius apud Ciceronem lib. 1. de natura Deorum contra Stoicos, qui mundum animantem, immortalem, beatum, & rotundum dictitabant, agit cauillatoriè. *Nunc autem hactenus* (inquit) admirabor eorum tarditatem, qui animantem immortalem, & eundem beatum, & rotundum esse velint, quod ea forma vllam neget esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur esse formosior. Quæ verò vita attribuitur isti rotundo Deo? nempe ea celeritate contorqueatur, cui par nulla cogitari quidem possit. In qua non video, vbinam mens constans, & vita beata possit insistere, quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur, molestum sit: cur hoc idem non habeatur molestum in Deo? Terra enim profectò quoniam pars mundi est, pars est etiam Dei. Atqui terræ maximas regiones inhabitabiles, atque incultas videmus, quod pars eorum appulsu solis exarserit, pars obriguerit niue, pruinaque, longinquo solis accessu, quæ, si mundus est Deus, quoniam partes mundi sunt, Dei membra, partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt. Vides quam latus pateat in istis confutationibus campus, vbi præsertim aliquid absurdi est ab aduersarijs prolatum: Continuo orator sua dexteritate trullam faciet de Minerua. Et hæc in confutatione totius corporis.

Diogen. Laert. in Diogen.

Tertull. in Apol. c. 1.

Cic. l. 1. de natura Deorum.

Alias vnum membrum reprehenditur, si quid dictum laxius, si quid strictius conclusum, vt ex definitionis vitijs est colligere, si plenè reprehendi non potest; vellicatur, distorquetur, durius accipitur.

Sic malignè Cæcilius, quæ de Dei scientia, & prouidentia dicuntur à Christianis, interpretatur Deum (inquit) illum suum, quem nec ostendere possunt, nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique, & occultas cogitationes diligenter inquirere, discurrentem scilicet, atque vbique præsentem: Molestum illum volunt, inquietum (vides η η ἔθνικα, nihil cum huiusmodi dictum in Dei definitione) impudenter etiam curiosum: Si quidem astat factis omnibus, locis omnibus intererat: cùm nec singulis inseruire possit per vniuersa districtus, nec vniuersis sufficere in singulis occupatus.

Cæcilius apud Minutium.

Ad cauendas istas illusiones in contentiosis orationibus, vt quæ pugnæ sunt, & bellorum, argendum siccè, concludendum strictè, colligendum acutè: abstinendum similibus, & metaphoris, ad summum oportet,

Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν.

De partium enumeratione, Loci dignitas, & definitio.

CAPVT XXVII.

EA demum est diuinæ naturæ perfectio, vt nullius rei indiga, nulla quoque partium congerie ad suæ integritatis absolutam rationem concrescere possit. At cætera rerum creatarum genera, vt ab hac simplicitate longè dissita sunt, atque remota, sic etiam diuersarum partium nexibus coalescunt, quarum spectata in singulis cognitio, nos ad totius notitiam facili quodam itinere conducit. Quamobrem inter locos, partium enumeratio plurimum obtinet splendoris, vt quæ non modò ad rem dignos-

dignoscendam, sed etiam vberiori stylo pertexendam, non mediocre conferat adiumentum. Est autem rei in singulas partes, apta quę dam distributio. Partes apud Ciceronem (ne ad Logicorum testimonia recurramus) duobus modis intelliguntur. Sunt enim partes totius quod in se easdem partes complectitur, vt corpus, humeros, brachia, thoracem; sunt & partes generis, quas genus sub se continet, aliomodo species, & formæ nominantur, & prudentia, iustitia, fortitudo, ratione virtutis. Vel si mauis, aliæ partes sunt essentiæ, aliæ sunt integrantes, & accedunt magis ad decus totius, quam ad compositionem. Ex hac distinctione partium in tractandis rebus cognitas, & decor, tum quod maximè est in oratione momenti, claritas affusa consurgit, vt hunc locum iure totius sermonis œconomiam possis appellare. Ac quemadmodum in confuso corpore, vbi (quod aiunt) neque pes, neque caput, omnia fœdè permixta, & monstrosa sunt: Sic etiam vbi nulla ab oratore instituitur concinna partium distributio, fluctuare, & immensis quibusdam tenebris circunfundi orationem necesse est. Hoc in maiori mundo, hoc etiam in minori Dei conditoris sapientia solertissimè prouidit, in quibus tanta, tam varia, tam prudens singularum partium distributio, non modo ad suas cuique functiones eximiam facilitatem, sed decus præterea, atque elegantiam impertitur.

Vide Cic. in part & tertio de orat. sect. 19. & si in Bruto 214.

Partium enumeratio œconomia sermonis.

Diuisio huius loci secundum rem, & varia genera enumerationis.

CAPVT XXVIII.

QVanta est partium diuersitas, tanta quoq; consurgit loci varietas. Vt igitur partium, aliæ sunt essentiæ: quæ genera, species differentiasque spectant. Aliæ accedunt, quæ ad proprium, accidensque Logicorum referuntur. Sic diuersa quoque, & in quinque partes ad summum distributa nascuntur argumenta, quæ inter se, & dignitate differunt, & rubore.

Præstantiora enim sunt, & validiora, quæ essentiam spectant, quàm quæ extrinseca tantum, & adscitia sunt. Eisētialis hęc est partiū enumeratio, sumpta à partibus generis. *Sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua.* Aut enim in perspicientia veri, solertiaque versatur: Aut in hominum societate tuenda, tribuendoque suum cuique, & rerum contractarum fide: Aut in animi excelsi, atque inuicti magnitudine, ac robore: Aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur ordine, & modo: in quo inest modestia, & temperantia. Ex quo ita liceat concludere, si virtus est, aut prudentia est, aut iustitia, aut fortitudo, aut temperantia. Alia sumitur à partibus intrinsecis, & essentiam rei componentibus, quales sunt in homine corpus, & anima rationis particeps, ex quo recte inferas eum non esse hominem, qui siue corpore, siue anima fuerit destitutus. Et hæc quidem argumenta robustissimè conuincunt. Alia quæ appositities complectuntur potestates, & accidentia, minus quidem habent ponderis, valent tamen ad ornatam amplificationem, orationisque circumductam amplitudinem, tum coniuncta vim obtinent, quoque magis propria sunt illius rei, cui tribuuntur, eo difficilius eleuantur. Ad hoc genus pertinent, quæ habet Arnobius lib. 3. aduersus gentes.

Cicero l. 1. offic.

Arnob. l. 3.

(Sed vt enim ad vsus certos manus, pedes, oculi, cæteraque constructio membrorum sua quæque in officia constituta est: Ita conuenit credere in sui muneris functionem has esse partes comparatas: aut confitendum est in Deorum corporibus esse aliquid vacuum, quod sit frustra, & inaniter fabricatum. Quid dicitis ô sancti, atque impolluti Pontifices religionum? Habent ergo Dij sexus, & genitaliū membrorum circunferunt fœditates, quas ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere.) Ita irridet Ethnicos, qui corpoream faciunt diuinitatem, singulas corporum partes colligens, etiam viles, & obscœnas, vt hanc corporis fabricam à diuina natura alienam esse ostendat.

Diuisio secundum modum & varia argumentationum ab enumeratione partium genera.

CAPVT XXIX.

HÆc prima enumerationis partium diuisio secundum rem, alia secundum rei modum consurgit; & ea triplex est. Vna cum affir-

Primus modus.

affirmatis omnibus partibus, affirmatur totum. Altera cum negatis omnibus partibus, negatur totum. Tertia cum seiunctis cæteris partibus, vna relinquitur; quæ affirmatur, aut negatur. Exemplis illustriora fient omnia. Contendit probare M. Tullius, Pompeium summum esse Imperatorem, id per omnes, & singulas optimi Imperatoris virtutes, filum orationis longius extendens, sic confirmat. (Ego enim sic existimo in summo Imperatore, quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem. Pergit, & omnia enitere in suo Pompeio fusius ostendit.) Quis igitur hoc homine scientior vnquam esse debuit? qui è ludo, atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est? &cæt. Deinde de eius iustitia. (Cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? *Et de temperantia* Non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. Et, de *authoritate*. (Quod igitur nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit? &cæt.) Postremo de *felicitate*: Vt eius semper voluntatibus, non modò ciues assenserint, socij obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint.) Sic Minutius probat mundum aliquando interiturum à partium collectione. Omnia quæ orta sunt occidere, quæ facta sunt interire: Cœlum quoque cum omnibus, quæ cœlo continentur, ita vt cœpisset desinere, fontium dulci aqua, marisve nutriri, in vim ignis abiturum Stoicis constans opinio est: quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat. Et Epicureis de elementorum conflagratione, & mundi ruina eadem ipsa sententia est.

Cicer. pro lege Manilia.

Minutius in Octauio.

Negatis omnibus partibus, negatur totum. Sic cœlum non est ignis, aër, aqua, terra. Igitur non est elementum. Ad hunc locum collineat Martialis epigramma.

Secundus modus.

Mar. l. 7.

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus,
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur, clareque, palamq;,
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Esse queror, gelidasque mihi, tritasque lacernas,
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias vt sidere mutus,
Dicere ne possis, Baccara, quid sit opus.

Sic argumentatur. Neque pecuniam ad dissoluendum æs alienum, neque pensionem, neque victum, neque vestes, neque cætera id genus tanta sermonis affabilitate promissa largiris; nihil igitur eorum, quæ ad vitam sustentandam sunt, necessaria impendis.

Reiectis, & succisis cæteris partibus affirmatur vna, sic Mulier, aut amat aut odit, nihil est tertium, non amat, igitur oderit necesse est. Hic duo tantum membra sunt, & reiecto vno, alterum assumitur. Alias plura ingeruntur, vt Philipp. 2. Quid putem, contemptumne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mediocritate ingenij, quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillimè de me detrahi posse credidit: qui ordo clarissimis ciuibus benè gestæ reip. testimonium multis, mihi vni conseruatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium est, quid enim plenius? quid vberius, quàm mihi, & pro me, & contra Antonium dicere? (His omnibus rejectis vnam partem assumit, illud profectò est, non existimauit sui similibus probari posse se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus. Item illa expeditio, quę refertur 4. ad Herenn. Necesse est cu[illegible] istum nostrum fundum fuisse, ostendat [illegible] vacuum possedisse, aut vsu tuum fecisse, aut [illegible]isse, aut hæreditate tibi venisse. Vacuum cùm ego adessem, possidere non potuisti: Tuum vsu fecisse, etiamnum non potes: Emptio nulla profertur: hæreditate tibi me viuo mea pecunia venire non potuit. Relinquitur ergo, vt me vi de meo fundo deieceris.

Tertius modus.

Publius Syrus.

Cicer. 2. Philipp.

Cic. 4. ad Herenn.

Eodem argumento vtitur Osorius contra Iudæos. *Quam rem gerunt?* quod scelus conflant? quæ maleficia suscipiunt, propter quæ à Deo, quem tam propitium olim habebant omnino deserantur? Simulachris immolant? Immo eorum contactum perhorrescunt. Commentitios Deos asciscunt? At eo nomine, quod Deum colant, efferuntur. Et id verum, sed moribus immanibus efferati sunt? At ipsi summam sibi laudis æquitatis, & pietatis assumunt. Quid ergo est? parumne supplices preces ad Deum adhibent? Immo in precibus

assidu

assidui sunt. (Resumit:) Si igitur nec simulachra colunt, nec vanos Deos inuocant, nec humanum sanguinem fundunt, nec se impia fraudis impuritate contaminant; cur illos Deus, quos in fidem suam recepit, tam diuturno tempore, ope sua destituit? His igitur sublatis, veram caussam infert, Iudæorum perfidiam.

De vi & veritate huius loci.

CAPVT XXX.

VSus argumenti cautionem & memoriam requirit oratoris: cauendum est enim, ne in partium collectione minus sit accuratus, quod faciet, si aut res necessarias omittat, aut addat superfluas, aut discrepantes confundat, aut easdem bis numeret, & veluti à se dissoluat, atque disiungat. Tum qui propositus est initio numerus, est illi expedire percurrendus, dandaque opera ne longiuscula plerumque digressio sermonem & mentem à proposito abripiat. Videas enim aliquot, qui cum tria aut quatuor proposuerunt, vltimi iam non meminerint, aut si meminerint, tantum temporis in vno capite pertexendo conterunt, vt eius quod restat expediendi, spatium & facultas non suppetat. Satius esset nihil omnino proponere, quam post iacta hæc propositionum fundamenta, & rerum apparatus, auditoris expectationem fallere, ne muneratijs antiquorum similes videamur, qui cùm montes aureos persæpe promitterent, nihil præter arenam dabant. Aduertendum est præterea, vt in affirmatione vel negatione procedat argumentum. A toto (quod aiunt) mollis ducuntur argumenta ad singulas partes primarias, idque tantum affirmando; valet enim hoc argumentum: Si domus est, & fundamentum est, & tectum, & parietes; non autem, & fenestræ sunt, & asseres, & cæt. id genus leuiora. Si corpus est humanum, cerebrum habet, & cor, & iecur, non autem, & digitos x. & vngues; & pilos. A negatione verò totius molis ad singularum partium negationem non procedit argumentum. Vt domus non est; nec igitur fundamentum. Nam possunt esse domus fundamenta, sine ipsius perfectione. A toto tamen generis vim suam obtinet hoc argumentandi genus: Id est, qui negat alicui totum generis, negat & singulas partes, quas suo ambitu complectitur. Vt si neges calliditatem esse virtutem, accusatè colliges, eam nec esse prudentiam, nec iustitiam, nec fortitudinem, nec temperantiam.

De Vsu & Amplificatione huius loci.

CAPVT XXXI.

VSus argumenti à partium enumeratione, amplissimus est, & per totum corpus eloquentiæ longè latèque diffusus. Primùm ad totius orationis œconomiam, mirum in modum valet, & quasi Adrianæ filum dirigit institutum sermonem, ne fluctuet in errorum (quod aiunt) labyrintho; ex quo videas totas plerumque orationes hoc vno niti fundamento, quod insuper alijs atque alijs conflatum argumentis in immensam excreuit amplitudinem. Nobilissima illa quæ ad Donatum de gratia Dei inscribitur D. Cypriani epistola, tota fermè est in hoc argumento: Hoc ipso fulcitur Ciceronis oratio pro lege Manilia: Hoc fæpissimè vsurpant Lactantij, Arnobij, Minutij, aduersus nostræ fidei inimicos gloriosi certamina.

Secundò promptissimum est ad lacessendos aduersarios telum, ad refellendos idem clypeus fortissimus. Nam & acutè colligit, & rationes glomerat, & acriter insistit, & feruidè instat. Si verò resistendum, quadrato velut agmine insultantium vndique telorum impetus eludit: quod in confirmatione demonstrabo, plenius in oratione Palamedis, ex Gorgia Leontino.

Tertiò, Amplificationis, quæ vna virtus maxima est, perpetuum veluti quoddam reperietur esse seminarium. Nam si res grauiter narranda, si deterribenda, si oculis plenissimè subijcienda, parum est vno conspectu proponere. At si incipias singulas partes disquirere, discutere, enucleare, tunc vis & amplitudo, quasi ingentis cuiusdam fluuij perpetuis vndarum vorticibus explicati, se efferet: quod illustrissimis exemplis comprobare, nullo negotio possum. Miraberis huius orationis maiestatem, & delicias: *Vol sub conspectu meo de benef. ponere*, quæ gentium oculos, regúmque perstringunt, volo intueri pretia sanguinis animarúmque vestrarum. Prima mihi luxuriæ spolia propone; siue illa vis per ordinem expandere, siue, vt est melius, in vnum aceruum date: Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas ingentibus pretijs emptas.

Senec. l. 9. c. 9.

Eximia luxuriæ descriptio per partium enumerationem.

emptas, in quibus ipsa illa quæ lucet varietas, subditis medicamentis in similitudinem verè coloratur: Video istic mensas, & æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit: Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium: Omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet pretio, crescit: Video murrhina pocula: Parum scilicet luxuria magni fuerat, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent: Video vniones non singulos singulis inauribus comparatos: (iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt:) Iunguntur inter se, & insuper alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina aut terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi corpus, aut denique pudor, possit: quibus sumptis mulier, parum liquidò nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accesserunt, vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus suo in cubiculo, quàm in publico ostendant, &c.

Parum igitur, si dixisset, video luxum huius ciuitatis profusissimum; singulas partes, & adiuncta luxus excutit: vnde vis & amplitudo huius orationis. Sed Nonnus Dionysius 4. Cadmi pulchritudinem à singulis partibus colligit:

Οἶδα ἐγὼ παλάμην ῥοδοδάκτυλον, εἶδον ὀπωπὴν
Ἡδὺ μελιστάζουσαν, ἐρωτοτόκου δὲ προσώπου
Ὡς ῥόδα φοινίσσουσι παρηΐδες, ἀκροφαῆ δὲ
Δίχροα χιονέων ἀμαρύσσεται ἴχνια ταρσῶν.

Et cætera, quæ in thesauro Græcæ poeseos attuli, & interpretatus sum.

Longè alio modo Lactantius, Dominicæ crucis acerbitatem, à singularum partium cruciatu exaggerat:

Vertice ad vsque pedes me lustra, en aspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustum:
Vndiq; diua pluens viuum super ora cruorem:
Compressis speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasque genas: arentem suspice linguam,
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clauis fixas, tractosque lacertos:
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossisque pedes, artusque cruentos:
Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora

Non alio modo Seneca direptionem vrbis amplificat: *Vires in consilio sunt*; velut signo ad permiscenda omnia dato, non igni, non ferro abstinetur, soluta legibus scelera sunt; nec religio quidem, quæ inter arma hostilia supplices texit, vllum impedimentum est ruentium in prædam. Hic ex priuato, hic ex publico, hic ex prophano; hic sacra rapit, hic effringit, hic transilit; hic non contentus angusto itinere, ipsa quibus arcetur, euertit, & in lucrum ruinā vertit; sic sine cæde populatur, hic spolia cruenta manu portat, nemo non fert aliquid ex altero: & Hieron. epist. 8. lib. 1. de sene centenario. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum: cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt: non calidi acumen ingenij frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons exasperat: non denique tremula manus per curuos ceræ apices errantem stylum ducit. *Sen. l. 7. de benef. c. 27*

Quid moror? omnes fermè descriptiones & amplificationes hunc locum includunt.

De mixtura figurarum, cum loco enumerationis, & quibus ornamentis amet vestiri.

CAPVT XXXII.

NEque verò satis est huius loci vim nosse & opportunitatem, nisi intelligas quibus tēperari debeat coloribus, quibus ornamentis excitari.

Amat

Amat igitur imprimis tractari per anaphoras, quod exemplum Senecæ superius allatum satis indicat. Addam & aliud, ex quo facilè quisque discere poterit, quo artificio longior partium enumeratio tractanda sit, vt blãdius, & alacrius influat: (Alius libidine insanit, alius abdomini seruit, alius lucri totus est, alius cœca ambitione in gladios ruente.) Iam, ne tædiũ afferat eadem vox nimis repetita, immutat. (Adijce torporem mentis, ac senium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultusque perpetuos; adijce æstimationem sui nimiam, & tumorem, ob quem contemnendus est, insolentem: (iterum variat) Quid contumaciam in peruersa nitentium, quid leuitatem semper aliò transilientem loquar? (nec satis) Huc accedat temeritas præceps, & nunquam fidele consilium daturus timor, & mille errores, quibus voluimur, audacia tumidissimorum, discordia familiarissimorum, & publicum malum, incertissimis fidere, fastidire possessa, quæ consequi posse spes non fuit.) Hæc optima variandi ratio.

Sen. l. 7. de benef. c. 26.

Alius ornandi modus est per distributionem, cum vnaquæque enumeratarum partium suo proprio verbo concluditur.

Sic eleganter Cyprianus de laude martyrij. Si iustus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? in Isaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Ioseph venundatus, in homine crucifixus. Tum disertissimè Augustinus de laude Charitatis. Charitas in Abel per sacrificium læta, in Noe per diluuium secura, in Abrahæ peregrinatione fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in Dauid tribulationibus mitissima, in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabæis sæuos ignes innocẽter tolerat, casta in Susanna supra virum, in Anna post virũ, in Maria præter virum, libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum.

Cypr. de laud. martyrij pag. 429.

Aug. de laud. charitatis.

Tertius modus est per subiectionem, cum qua huic loco frequens, & penè necessarium commercium, maximè cum obiectiones remouendæ sunt. Sic Cicero in oratione de prouincijs Consularibus. Nam ipse Cæsar, quid est, cur in prouincia commorari velit? amœnitas eum, credo, locorum, vrbium pulchritudo, hominum, nationumque illarum humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas, finium Imperij nostri propagatio retinet: Sic per subiectionem caussas omnes exponit.

Cicero de prouinc. Consula.

Deinde ad singula respondet, seruato eiusdem ordinis tenore. Quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victorijs præstabilius? quid Oceano longius inueniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? vtrum apud populum, à quo missus est? an ad Senatum, à quo ornatus est? an dies auget eius desiderium? an magis obliuionem? an laurea illa magnis periculis parta, amittit longo interuallo viriditatem?

Quartus per congeriem, cum qua magnam habet affinitatem, cùm præsertim vtrumque ad amplicationem sit natum.

Huiusmodi est ex prima Catilinaria exemplum.

Quid enim Catilina est, quod te iam in hac vrbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te nõ metuat? nemo qui te nõ oderit? Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab oculis? quod facinus à manibus vnquam tuis? quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætulisti? Quid verò nuper, cum morte superioris vxoris, nouis nuptijs domum vacuam fecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, & facilè patior sileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris immanitas, aut extitisse, aut non vindicata esse videatur; prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties. Ad illa venio, quæ non ad priuatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, sed ad summam, atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent.

Cic. inuect. 1. in Catil.

Ita congeriem malorum, quæ Catilinam partim impeditum, atque obstrictum tenent, partim etiam illi minantur per partium congruam enumerationem expressit. Et Iulianus Imperator, compendio syntagma Libanij cõmendans, omnes virtutes confertas colligit, partium enumeratione συναθροισμὸν includens, Ὦ λόγος, ὦ φρένες, ὦ σύνεσις, ὦ διαίρεσις, ὦ ἐπιχειρήματα, ὦ τάξις, ὦ ἀφορμαὶ, ὦ

λέξις, ὦ ἁρμονία, ὦ συμβίκη!

Longum esset omnia recensere, satis fuerit dixisse, hunc locum ad omnem amplificationem esse accommodatissimum, & ad tractationem, ornatum, & illustres figuras desiderare.

DE NOTATIONE NOMINVM.

An nomina sint naturæ cœlestis?

Confutatur Zoar, & Rabbini.

CAPVT XXXIII.

NObilissimam quæstionem, atque inter principes Philosophos discrepantibus sententijs agitatam, hic locus obiter excutiendam monet. Si enim quod à Platone dictum est, nomina sunt à natura, tantò plus authoritatis nominum notatio apud quosque sapientes habitura est. Quæ in re nugatoriæ sunt doctorum Hebræorum sententiæ. Nam (vt cætera omittam) qui de his ipsis arcanis fabulosissimè conscriptus est liber Zoar, Adamum refert, cùm nomina rebus imponeret, magnam ex ea, quâ florebat rerum scientiâ adinbuisse religionem. Literas enim non quascunque tumultuariè arripuit, sed eas inquisiuit, quæ tactus, & influxus syderum, rei denominandæ ministerio, iam ab æterna mente destinatorum, significarent. *Zoarii opinio.*

Addit præterea mundum ex viginti duabus literis esse conflatum, quarum tres tribus elementis; duodecim, Zodiaci signis; septem etiam errantium stellarum orbibus sunt accommodatæ. Has verò vltimo loco numeratas duobus modis pronunciari, acuto scilicet, & remissiori sono. Cùm planetas significant in suis domicilijs constitutos, liquidius, & sonantius efferuntur, quod tunc ipsarum stellarum sit vis acrior, & impetus concitatior. Quòd si easdem, ab ijs, quas assignant Astrologi sedibus peregrinantes planetas exhibere volunt, literas mollius, & languidius pronuntiant, quod res ipsas viribus destitui, & e mortuo veluti vigore tabescere dicitent. Iam verò literæ corporeas rerum creatarum partes designant, quod sine voce sint, & quasi intermortuæ, puncta verò ijsdem affixa, quæ apud Hebræos vocalium instar obtinent, formarum sunt imagines, quibus materia suopte ingenio languida excitatur, & animatur. Denique ad integram totius perfectionem adduntur accentus, qui eas quas Physici operatiuas nominant, formas exhibent. Ex quo, qui Hebraica (vt aiunt) nomina liquidè, & accuratè pronunciat, cœlestis & inferioris mundi œconomiam depingit. Hæc Rabbinorum commenta, quæ ab ijs esse conficta non miror, sed à viris doctis hæc magni fieri & curiosius inuestigari, hoc admiratione magis dignum est. Vigenerius certè istas & alias huiusmodi fabulas, in suis characteribus commemorat, quas non confutat, sed tamen refellere non est adeò operosum, cum ipsæmet leuissimo ictu impulsæ corruant. Mitto enim quòd hunc syderum tactum inducant, qui Astrologis multarum ineptiarum, atque ipsiusmet impietatis fundamentum esse solet: Vnde hoc didicit Zoar, astrorum influxus à certis literis significari, quas Adam cuique nomini, secundum varios syderum aspectus commodauit? *Ineptiæ Zoarii.*

Quid igitur, cùm tantùm septem literæ planetis inseruiant, quos in hæc inferiora potissimùm influere volunt, ex istis septem literis omnia confestim nomina coalescere oportebit? Sed fingamus nouemdecim literas cœlo tribui & ad significandos syderum varios influxus assumi: quid igitur? cæteræ quæ istam stellarum vim non significant, à nominum compositione perpetuò exulabunt, siquidem eas tantùm inseri oportet, quæ cum cœlo & syderum tactu commercium habeant? Deinde: cùm fermè omnia ex tribus radicalibus literis apud Hebræos sint conflata, trium igitur tantùm syderum aspectum patientur omnia, cætera erunt otiosa? Iam, cùm ijsdem prorsus literis constent nomina, non modò diuersæ sed contrariæ prorsus significationis, aut res easdem natura esse oportebit, aut certè inanes istos astrorum influxus. קדש apud Hebræos significat sanctum esse, idem immundum esse. Vnde הקדשות Hosee 4. vers. 14. dicûtur effœminati, & catamiti. Iam quæro à Zaore, qui fit vt cum eædem sint literæ, & ijdem syderum influxus ipsis literis illigati, res tamen inter se dissimillimæ sint, vt vna sancta sit, altera omni execratione dignissima.

Postrèmò, quid literarum nobis mundum fabricat? cur tres tantùm literas elementis tribuit? Quartum, aut nullum erit, aut iniquè cum illo actum erit, cui nulla commodata fuerit literula. Denique aut ante istas literas

tas emersit mundus, aut literæ ipsæ ante mundum extiterunt. Si primum, non coaluit ex literulis: si secundum, quomodo astrorum influxus istæ literæ significabant, cùm necdum essent sydera? Omnino vanitatis plenissima sunt hæc commenta: sed & in eam deuenit dementiam audax illud Promethei genus, vt se ex varijs literarum mixturis numerum stellarum, & rerum omnium creatarum, scire posse confideret: quod tamen Deus sibi reseruauit, *qui enumerat multitudinem stellarum.*

Confutatur Rucelinus, & cæteri Nominales.

CAPVT XXXIV.

EOsdem ferè Rabbinorum errores, multis iam sæculis inter mortuos, & ab omnibus irrisos, reuocauit Rucelinus, natione Brito, præceptor magistri Petri Abelardi nouatoris: primus enim sectam Nominalium instituit contra Reales; & nominum cognitione, rerũ quoque cognitionem contineri, magno conatu defendit, sub annum Domini 1140. Ex quo grauia & cruenta inter studiosos Parisienses prælia sunt excitata. Meminit Auentinus lib. 6. qui & vetus epigramma recitat in eandem sectam compositum:

Quæ Rucelino decet, non vult Dialectica voces,
Tam pij dolens de se, non vult in vocibus esse.
Rẽ amat, in rebus cunctis vult esse diebus.
Vocẽ reti adstruxit, res sit quod voce docetur.
Plorat Aristoteles nugas dicendo sensiles,
Res sibi subtractas per voces intitulatas.
Porphyrius gemit, quia res sibi lector ademit:
Qui res abrodit, Rucelino, Boetius odit.
Non argumentum nullum quæ sophisma, sensis
Res ex stantes in vocibus esse manentes.

Hæc rudis sæculi monumenta, quæ satis indicant hanc Rucelini opinionem meritò displicuisse. Etenim, quæ potest ex nominibus haberi cognitio? Mitto quod pleraque sint exilia, & ab imperitis hominibus imposita. Et tamen ipsa, quæ plus habere videntur splendoris, aliquam rei proprietatem, non internas causas amplectuntur. An si bouem ἀπὸ τῆς βοῆς, à clamore, & mugitu dictum tenes, eius interiorem formam, materiam, potestates denique cæteras nosti? Quàm multa alia præter hanc nominis exilitatem, ad perfectam cognitionem desiderantur? sed faciamus nomina perfectas esse rerum imagines, quid tum? An si à præstantissimo pictore ad omnes artis numeros expressa fuerit hominis effigies, idcirco humanam naturam habere dicetur? Somnijs omnino ista sunt similia, quæ suapte natura dissoluuntur, tantùm abest vt longiorẽ confutationem mereantur.

De Nominum Ambitione, & religione.

CAPVT XXXV.

HIs tamen, opinor, vanissimorum authorum vitijs principijs latius manauit inanis quædam nominum religio, & singularis speciosorum titulorum auiditas. Hinc *Alexandri, Ptolomæi, Pharaones, Cæsares, Constantini, Othomanni*: ipsi denique Abyssini suum regem *Belagiam*, vt ferunt *hoc est, incomparabilem præstantia gemmam*, appellarunt: quod nomen etiam posteri multi constanter retinuerunt. *Sabel. supp. l. 8.*

Parum est, si apud reges hæc tantum fuisset ambitio, & non in omnes longè lateque peruagata.

Tam sæpè occurrunt in Romana historia *Claudij, Aurelij, Marcelli, Scipiones, Sergij, Manilij, Pontij, Pinarij, Mamercæ, Cæcilij, Calpurnij*, quibus se appellationibus non modò nobilitati, sed & fortunæ credebant. Omitto tot cognomina, viris, ingenijs armorum, aut denique virtutis gloria illustribus, dari solita; *Pericles* à fulmine eloquentiæ dictus est *Olympius*; *Apud Atticos, Xenophon Atticus, Antiphon, λογικὸς*, siue *Orationum ordinis*; *Marcus* etiam *Varro* satis inepto nomine a Palæmone Grammatico, *Literarum porcus*, quòd nihil illo lautius aut fœcundius, nihil ad varias palati voluptates parabilius: *Cyro, Solis* nomen fuit: *Nerõni, Nerinus, siue Martius*: *Antigeno, Exegeta, siue benefactorũ Edmundus*, Angliæ Rex, *Ferreum latus*: *Lucullum, Xerxes tegatus*: *Traianum, optimus*: *Antoninum, Pius* appellatus est. *Gell. l. 13.*

Hoc Francorum Regibus commune, qui multis agnominibus vulgò appellati leguntur. Infinitum esset singula, non modò regiæ dignitatis, sed ipsorum etiam plebeiorum

nomina ab ijs exquisitè affectata recensere. Vna inter tot gentes extra Garamantas inuenta est, apud quam imponendorum nominũ nulla esset consuetudo. Longè sapientiùs Christiani, qui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis cœperũt, SS Martyrum appellationes filijs imponere: quod testatur Theodoretus.

Theod. ser. 8

Τὰς δὲ τῶν μαρτύρων προσηγορίας μᾶλλον ἴσασιν ἅπαντες ἢ τὰ τῶν φίλτατων ὀνόματα, καὶ τοῖς παισὶ δὲ τὰς τούτων προσηγορίας ἐπιτιθέναι σπουδάζουσιν, ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ φυλακὴν ἐντεῦθεν μηχανώμενοι.

Martyrum verò appellationes magis norunt omnes, quàm vel amicissimorum nomina. Ad hæc suis liberis imponere student, quo eu inde securitatem & præsidium comparent.

φυλακὴν dixit. Nam & phylacteria dicta sunt. Cuius nominis ratio, vt pleniùs intelligatur, sciendum est, antiquos, contra venena & maleficorum hominum artes, gestasse quædam Antidota, quæ ipsi amuleta & phylacteria cõsueuerant appellare: fiebant autem plerumque ex lauro, vnde laureum baculum gestari notat Zenobius, contra insidias maleficorum:

Zenob. cent. 3 adag. 12.

Δάφνην φορεῖ· βακτηρίαν τοῦτο λέγειν εἰώθασιν οἱ ὑπὸ τινῶν ἐπιβουλευόμενοι, παρόσον ἀλεξιφάρμακον ἡ δάφνη. Aliàs fiebant ex lapillis, ex quo Dioscorides refert mulieres Selenite lapide instar phylacterij vsas.

Καὶ ἀντὶ φυλακτηρίου περιάμματι αὐτῷ αἱ γυναῖκες χρῶνται. Idem eodem libro Iaspides φυλακτήρια περίαπτα nominat: Aliàs phylacteria fiebant ex characteribus & nominibus sacris; qualia erant Iudæorum, qui legem Dei in membranulis descriptam instar coronæ deferebant, vt liquet ex sacris: cuius moris vestigia nunc etiam retinent Abyssini, vt notat Iarricus, to. 2. historiæ. Hæc qui ob reuerentiam sacrarum literarum deferebant, benè quidem faciebant: sed qui certos astrorum fluxus innexos sacris literis credebant, toto cœlo errabant: nec immeritò tales errores & superstitiones Antiochena Synodus damnauit. Eodẽ modo se nomine & imagine Alexandri magni, pulchros beatosque putabant Ethnici: nonnullique Christiani his plerumque superstitionibus erant implicati; quos increpat D. Chrysost. in homilijs ad populum Antiochenum.

Curiosa nominum obseruatio, & antiquus ritus illustratus.

CAPVT XXXVI.

Ritus nominum indendorum.

D. Chrysost. in c. 4. 1. ad Corinth.

NEque verò his contenta limitibus fuit, sed latiùs manauit in pueros nominum indendorum superstitio. Auctor est Diuus Chrysostomus, nonnullos adhuc sua ætate Christianos, ad hos Ethnicorum ritus defluxisse, vt infanti nomen imposituri cereos complures accenderent, suo cuique nomine assignato: puta, hic Zosimus appellabatur; alter, Stephanus; tertius, Procopius: Atque eius demum qui cęteris extinctis superuixerat, nomen, quasi longioris æui & futuræ felicitatis omen arripientes, imponebant infanti. Ἡνίκα ἂν καλεῖσθαι τὸ παιδίον δέῃ, ἀφέντες ἀπὸ τῶν ἁγίων αὐτὸ καλεῖν ὡς οἱ παλαιοὶ πρῶτον ἐποίουν, λύχνους ἅψαντες, καὶ ὀνόματα αὐτοῖς ἐπιτιθέντες, τὰ διαρκέσαντα μέχρι πολλοῦ, τοῦ παιδίου ποιοῦσιν ὁμώνυμον. ἐντεῦθεν πολὺν αὐτὸ στοχαζόμενοι βίωσεσθαι χρόνον.

Hoc ab Andronico seniore Imperatore factitatum, ex G. Pachymerij historia discimus. Cùm enim illi complures puellæ morerentur, mulierculæ cuiusdam suasu, sub partum vxoris, duodecim cereas imagines, virili statura, totidem Apostolorum nominibus insignitas, accendit ordine: cumque partus in tempus, quo S. Simonis statua ardebat, incidisset, puella Simonis est vocata, specie quidem pulcherrima, sed quæ anno ætatis octauo Crali Seruiæ Despotæ nubere coacta, corrupto vtero sterilis extitit.

Pachymetius.

Marin. l. 10. rerum hisp.

Hoc idem penè secundùm superstitionem à D. Chrysost exagitatam describit Marineus.

Maria (inquit), Petri Arragonum Regis VII. vxor prius sterilis, tandem dolo erga maritum vsa concepit, & in ipso partu multis pro salute parturientis orantibus, filium peperit cum summa Regis, & omnium nobilium lætitia. Infantem natum Regina statim ad Ecclesiam misit, ad imaginem Mariæ Virginis. Cùm puero multis Ecclesiam ingredientibus, sacerdotes, qui matutinas horas recitabant, de aduentu infantis ignari, psalmum canere cœperunt? *Te Deum laudamus*: Hinc ad aliam Ecclesiam profecti omen arripiunt: *Benedictus*

De-

Dominus Deus Israel. Nec satis, cũ Rex (inquit) infanti nomen eligeret, duodecim cereos albos, eiusdem longitudinis, ponderis, molis, apud altare sacelli, in honorem B. Mariæ Virginis, & duodecim Apostolorum, iussit accendi: quorum singula nomina singulis cereis scripserat, destinaratque animo, vt illius Apostoli nomen, cuius cereus reliquis extinctis & consumptis perdurasset, nomen arriperet: Hac igitur ratione infans Iacobus est appellatus, quòd diui Iacobi cereus superuixisset.

Addit, illum iam grandem res magnas gessisse, & Fortunati nomen adeptum. Quicquid sit, hæc si superstitiosè fuerint obseruata, meritò à D. Chrysostomo arguuntur, nec in exemplum trahenda sunt.

Notatio Literarum numeralium, & eius ominis vanitas.

CAPVT XXXVII.

NIhil non tentauit curiosa obseruatio; etiam numerorum in literulis exquisitam habuit rationem. Credebant enim antiqui, superstitiosa fide, tantam esse vim in nominibus, vt quæ numeris eminerent, cæteris inferioribus longe præstantiora felicioraque essent. Quamobrem ducibus singulari certamine congredientibus, ex literis numeralibus, quæ in cuiusque nomine reperiebantur, omen captabant victoriæ. Hac ratione Hectorem Patroclo, Achillem Hectore superiorem extitisse memorant: Hoc disertè testatur Terentianus Maurus:

Terent. Maurus.

Et nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc vt numeris pluribus, illa sint minatis.
Quandoque subibunt dubia pericla pugnæ,
Maior numerus quâ steterit, facere palmam;
Præsagia lethi minima patere summa;
Sic & Patroclum Hectorea manu perisse,
Sic Hectora tradunt cecidisse mox Achilli.

Hectoris enim nomen numerum habet 1225. Patrocli 871. Achillis 1276. vt ex numerorum Græcorum ratione, & singularum literarum supputatione patet. Sic numeratur nomen bestiæ Apoc 13. & complectitur 666. cui numero respondet nomen Μαόμετις: Sic nomen Christi per ambages expressum est à Sibylla.

Τέσσαρα φωνήεντα φέρει, τὰ δ' ἄφωνα δύ' αὐτῷ
Δισσῶν ἀγγέλων, ἀριθμὸν δ' ὅλον ἐξονομήνω,
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις,
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτώ. Hoc efficit nomen Iesus 888. Per numeros igitur nomina exprimere non est nouum: sed inde futuri omina captare, est irreligiosum, & vanum. Bello, quod Mauritius dux, Saxoniæ elector, contra Carolum V. Imperatorem pro liberatione Landgrauij gessit, sollicitis admodum Mauritanis, quẽ exitum res habitura esset; Quidam per iocum iussit eos bono esse animo: nam à Carolo vinci Mauritium non posse; caussam rogatus, respondit, veteris diuinationis esse fiduciam: Nam, vt Achillis victoris nomen, numeris qui literarum notis indicarentur, pleniùs esset, quàm Hectoris; sic Mauritij statim initio nomen, Caroli nomine esse numerosius. Congruit omen cum exitu; sed tamen futilem diuinationis rationem arguit, quòd eodem nomine Mauritius Imperator à Phoca victus est, quem pleniori appellatione antecellebat. Ipsi demùm postea Ioannes Fridericus Saxo, & Philippus Landgrauius, cum plenissimis nominibus, Caroli armis bello Germanico cesserunt. Ex quo nihil inde notationem nominis capere roboris planè certum est, cum quotidiana experientia hanc anilem vanitatem satis confutet.

De Anagrammatismis.

CAPVT XXXVIII.

AD notationem nominis illustrandam non rarò assumuntur anagrammatismi: quorum vsus antiquissimus, in hæc vsque tempora dimanauit. Credibile est, à Iudæorum cœpisse doctoribus, qui nata ad huiusmodi literularũ obseruationes ingenia habuerunt: quæ deinde linguæ Hebrææ in his nominum inuersionibus fœcunda quam maximè felicitas, non mediocriter adiuuit.

Primum Geneseos verbum, בְּרֵשִׁית *Beretschith*, quinquaginta fermè modis per varios anagrammatismos inuertentes Rabbini lectitarunt: è quo tandem sensum illũ confecerunt:

Pater principium, & finis, per filium creauit caput, ignem, fundamentum, magni hominis compositione optima.

Aliter Elchana inter suos auctor haud ignobilis, post diligentem inuestigationem inuenit: *In sapientia, quod est verbum, & filius summi Patris, producta est prima materia rerum omnium: Deinde ex fonte bonorum inexhausto data est ei forma, & deinceps omnia impleta sunt opulentia Dei bonitate, in gratiam generis humani, sed maximè electorum.*

Hæc ex inuersione & interpretatione singularum literarum nimis acute suo more colligunt. Apud Græcos & Ægyptios, blandiente passim poësi anagrammata caluerunt Eustathius in Iliad. aliqua commemorat, qui Iunonem aërem significare probat ex anagrammatismo, ὅτι δὲ Ἥρα ὁ ἀὴρ δηλουταίφασι, καὶ τοῦτο τοῦ ἀναγραμματισμοῦ. ἐξ ὧν γὰρ Ἥρα γραμμάτων, ἐκ τούτων καλεῖται καὶ ὁ ἀήρ: subungit hæc anagrammatum exempla: χόλος, ὄχλος; ἀρετὴ, ἐρότη φλύαρος, φλαῦρος; λιαρὸς, ἱλαρὸς; λόχος, ὄχλος; ὀλίγος, λεῖγος; ὄλισθος, λοῖσθος; χλόη, χολή Ἄτλας, τάλας; παραχύτης, σαπρὰ τύχη. Similiter inquit quidã, τὸ σπεζιπτῶν κολάκων τὸ Ἀρσινοῆς Ἥρας ἰὸν ἀνεγραμμάτιζεν, αἰκάλλων θωπευτικῶς τὴν βασίλισσαν Ἀρσινόην ὡς πρέπουσαν εἶναι Ἥρας ὀσφράδιον.

Consummatorum, inquit, aliquis adulatorum Arsinoes nomen in *Iunonis violam* transtulit. Reginæ Arsinoæ adulatoriæ blandiens, quasi ipsa Iunonis olfactorium esse mereretur. Qualis fuerit hic adulator, quem sugillat Eustat. vetus interpres Lycophronis aperit: qui eundem poëtam huius anagrammatis authorẽ fuisse dicit, & similiter in Regis Ptolomæi nomen lusisse, Πτολομαῖος, ἀπομέλιτος.

Nascuntur similia quotidie sub manu. Nusquam ingenia ad hos Musarum ludos fœcundiora: Mitto ea quæ in *Henricum magnum æternæ memoriæ principem*, & in eius filium *Ludouicum XIII.* Christianissimum Regem, illiusque parentem augustam *Mariam Mediceam*, à Poëtis sunt decantata: poëtis ideò relinquenda.

De Origine & Etymologijs nominum.

CAPVT XXXIX.

REdeo vnde digressi eramus: omissis tot curiosis nominum obseruationibus, vna & omnium frequentissima ratio est in originis & significationis inuestiganda ratione: quæ licet non sit a natura, tamen in ijs maximè nominibus quæ sapientes habent auctores, iuxta naturam est, & rei quam designat, propriam nõ raro amplectitur potestatem, quod ex infinitis propè etymologijs liquet. Et nihil, opinor, aliud voluit Plato in Cratylo, cùm tantam vim nominum originibus tribuere visus est.

Hoc, vt in cæteris quibusque longiùs, in Hebræa tamen eminet spectabiliùs, vt quæ Adamum omnis sapientiæ gloria excellentem nacta est inuentorem. Nam in illud Genes. 2. *Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia*, Eusebius Cæsariensis scribit, cùm Moses dicat, *Omne, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*: nihil aliud dicere voluit, nisi accommodatè ad naturam rei nomen fuisse inditum. Addit, Platonem non impositione nuda, sed duce natura, rectè nomina rebus imponi docuisse, idque barbarorum authoritate confirmasse; per quos, Hebræos intelligit; non enim apud alios talem obseruationem inuenies.

Euseb. l. 3. de præpa. Euang. c. 4. Vide etiam Chrysost. Hom. 51. in cap. 26. Genes.

At Moses Barcephas (vt animaduertit Pererius in hunc locum,) tradit Adamum editione Paradisi loco insidentem, augustaque radiati capitis maiestate spectabilem, singulis animãtium generibus nomina indidisse: illa verò summissis capitibus prona, & præstrictis fulgore tantæ authoritatis oculis, ad vocem appellantis præterijsse: Quam aduersus hominẽ reuerentiam sapientissimus Philo brutas animantes ait deposuisse, postquam nefariè illa se peccati labe contaminauit.

Certè, vt cætera omittamus, apparet, quædam nomina apud Hebræos eximiæ esse significationis: quod si vel vnum Dei, & Adami, nomen compares, facilius occurret. *El* significat potentiam, *Adam* miseriam. El denotat fortitudinem, Adam imbecillitatem; El sustentatorem, Adam, qui neque stare, neq; per seipsum sustineri potest. Dein vt Adam rex totius orbis terrarum constitutus est à Deo: ita quatuor mundi partes primis elemen-

mentis delineatas, singulari nomine complexus est, vt notant qui scrupulosius ista rimantur, Hebræi quidam, & Græci. A, ἀνατολὴ siue ortum significat, Δ, δύσιν, occasum; Τ, ἄρκτον, Septentrionem; Μ, μεσημβρίαν, meridiē.

Quid de stupendo nomine dicemus, cuius vim nulla oratione nec ratione explicandam satis illa declarant, quòd ipsum summus Pontifex solus, idque in anno tantùm semel, decima luna Septembris, in interiori sacrario, arcano quodam more à Moyse tradito, pronūciare auderet? Quid de cæteris, quorum vis magna, & infinita propè multitudo, cùm præsertim vnus Iosephi libellus de arcano sermone conscriptus, vndecim locorum millia ex sacris, vi ipsius nominis explicet? Num hæc magnæ opulentiæ, quæ ex notatione nominum petitur, loco numeranda sunt?

Theodor. l. 5. de curat. Græc. de Latinis dicit, πανυστερικὰ Ἑλλήνων τὰ τῶν Ἰουδαίων γράμματα, καὶ ξυντομωτέρους γράφοντας, ἐκμανθάνειν Nazianz. in Athan. ait Rom. laborare συνόντι γλώττης, καὶ πενιζομένων.

Consequuntur Hebræos Græci, & Latini, qui sapienti nominum inuentione non contenti, libros etiam etymologiarum copiosissimos conscripserunt. Inter quos extant magnū illud etymologicum, nominatus liber, & Marcus Varro librorum helluo, vir incomparabilis eruditionis, quamuis in his originibus tradendis, dum suæ linguæ studio nimis multa conatur ad Latinos fōtes reuocare, quæ omnino Græca sunt, nonnarò contra dignitatē suā delirologēi.

Præter etymologias nonnulli curiosius notarunt fatalem quendam nominum cum rebus consensum.

Plutarchus, in Sertorio quatuor Actæonas numerat, infelici nomine & exitu. Primus laceratus est à suis canibus: duo, apri occursu perempti, Syrus vnus, alter in Arcadia: tertius, in Bœotia à canibus discerptus: amatorius furor vltimum laniauit. Duo Attyes illustres fuerunt. alter Syrus, alter Arcas: vterque ab apro interfectus est. Duæ vrbes à suauissimis plantis, violæ & myrrhæ, nomen trahentes: Ios & Smyrna, altera natales; altera mortem Homerisibi vendicat. Fuerunt duæ Iuliæ, mater & filia: hæc Augusto genita; altera Marco Agrippa, ambæ adulterij damnatæ. Duæ Agrippinæ: mater, Caligulam; filia, Neronem peperit. Duæ Faustinæ: maior impudica, impudicissimā filiā habuit. Obseruatum est imprimis, Cæsares omnes quibus Caij prænomen fuit, ferro periisse. Sic ominosa Gloecestrensis apud Anglos, & Mulbergi apud Germanos nomina existimarunt.

Sabell. Ænn. 6. l. 1.

Polyd. hist. Angl. l. 23.

Sed hæc plena vanissimæ obseruationis ostendunt exempla contraria Augusti, & Augustuli, Constantini primi, & vltimi, quorum hi Imperia fundarunt, illi fundata amiserunt.

In etymologijs verò latior & magis tritus est campus: in quibus magna est sæpè rerum & nominum similitudo.

Aristoteles, libro primo de cœlo, ἀΐδιον ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν dictum, in perpetuo motu esse confirmat, contra Anaxagoram, qui eundem ἀπὸ τοῦ ἀΐδειν nominatum asseuerabat, ex quo cœlum volebat esse igneum.

Granius cœlibes appellatos censet, quasi cœlites, quòd vxorijs curis liberi, cœlo & rebus diuinis vacent.

Alij, verbum, dormire, ἀπὸ τῶν θερμάτων non insciтè deriuant, quòd antiqui cubarent in pellibus.

Diuus Augustinus enceniare dicit eos qui noua tunica induuntur, ἀπὸ τῶν ἐγκαινίων: καινὸς enim est nouus.

Magnum etymologicum, παρθενίαν, ὅτι παρὰ τῷ θεῷ, quòd à Deo sit virginitas vel, vt Anastasius Synaita voluit: πῦρ δαῆνον, δι' πύρωσιν θανατικῆς σαρκός. Idē in ὄκνῳ ἄνθρωπον διὰ τὸ ἄνω θρεῖν, quasi ἀνάθρατον, sursum spectantē, ἀγάπην, διὰ τὸ ἀγειν πάντα. Hæc ille.

Θεόν, ἀπὸ τοῦ θεῖν, à currendo; quòd Ethnici primos omnium inter Deos Solem & Lunam venerati sunt, quos cùm perpetuò currere & moueri cernerent, θεοὺς, quasi currentes, nuncuparunt, (ἀεὶ γὰρ) διὰ τοῦτο ἐτίθεσαν τὸ ὄνομα· & orat. 3. de Angelis, Hebraicè & Græcè aduersarij nostri nomen expendens Theodoretus, scribit:

Ἡμεῖς γὰρ τοὺς, ἢ τοῦτων γε ἄρχοντα, ὃν Σαταὶᾶν τὰ θεῖα προσαγορεύει λόγια. δηλοῖ δὲ τοῦνομα τὸ ἀποστάτην, καλὰ τοῦτο Ἑβραίων φωνή· καλεῖ δὲ αὐτὸν ἡ θεία γραφὴ, καὶ διάβολον, ὡς τὸ θεῖον παρὰ τοῖς ἀνθρώποις συκοφαντοῦντα. καὶ αὐτοῖς γε ἀνθρώποις ἔριν πρὸς ἀλλήλους καὶ διαμάχην ἐμβάλλοντα.

Nihil opus est infinita percensere, hæc exempli causſa dicta sunt.

Ne

De vsu Notationis & Coniugatorum.

CAPVT XL.

Vide Arist. l. 2 poster. c. 10.

Cicero in Top. sect. 35.

NOtationis vsus apud Grammaticos frequentior, quàm apud oratores, quorum non est ista expiscari curiosius, ne extra constitutos artis limites euagentur. Nonnunquã tamen incidunt eæ occasiones, quibus etymologiæ, etsi nihil aut parum ad persuadendum roboris habeant, ad delectandum & orationẽ, & vrbanitate quadam suauiter venustandam, plurimum obtineant iucunditatis: & ita vsus est Marcus Tullius in Verrem, facetè ludens in festa Verrea, quæ Verrea in Sicilia suo nomine institui curauerat.

Cicero 2. in Verr. 52.

O Verrea, inquit, præclara, quò enim accessisti, quò non artuleris tecum istum diem? Etenim, quam tu domum, quod fanum adijsti quod non euersum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sanè ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex moribus naturaque tua cõstituta esse videantur.

Martialis libro nono epigram. 11. in Earini pueri nomen ornatissime lusit his verbis:

Nomen cum violis rosisq; natum,
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod sapit, Atticosq; flores,
Quod nidos olet alitis superbæ,
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quòd si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres Cupidinesq;.
Nomen nobile, dulce, delicatum,
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu Syllaba contumax repugnas,
Dicunt Earinon tamen poetæ.

Sed ne poetarum testimonijs vtamur, Ælius Aristides in laudatione Iouis, ab eius nominibus, eorumque notionibus, materiam arripit orationis.

a Οὗτος μὲν, inquit, ἐν ἐκκλησίαις καὶ δίκαις νίκην διδοὺς, ἀγοραῖος κέκληται· ἐν δὲ μάχαις τροπαῖος, ἐν δὲ νόσοις καὶ πᾶσι καιροῖς βοηθῶν σωτήρ· οὗτος ἐλευθέριος, οὗτος μειλίχιος, εἰκότος, ἅτε καὶ πατὴρ οὗτος βασιλεὺς πολιεὺς, καταβάτης ὑέτιος, οὐράνιος κορυφαῖος, παιστ' ὅτ' αὐτὸς εὗρε μεγάλα καὶ πρόσποντα ὀνόματα.

Proxima sunt notationi nominum coniugata, quæ à Græcis σύστοιχα & σύζυγα nominantur, à Cicerone definiuntur, quæ ortu ab vno variè commutantur. Tale est illud 4. Tuscul.

b Qui enim potest, in quo libido cupiditásue sit, non cupidus & libidinosus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus?

(Item illud:) Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus more veteris Græciæ inscriptum esset, *Bonorum Deorum*: vti se eorum bonitate velle dicebat.

Alia nonnunquam sola significatione, vt virtus, & studiosus, σπουδαῖος, qui est frugi cõueniunt: Alia voce dumtaxat, non sensu: alia appellatione simul & re, qualia sunt fermè omnia, à quibus dubio procul valet argumentum. Nam, quod tribuitur, aut negatur vni, coniugatis reliquis quoque vel datur vel demitur.

Sed hoc plerumque argumentandi genus exile est, & frigidum, nec (præsertim vbi res per se satis nota est, vt eum sapientem esse, qui habuerit sapientiam) ingerendæ sunt istæ probationum nugæ, quas meritò redarguit Quintil.

Tractantur venustè aliquando per hyperbolem, vt, non est improbus, sed ipsamet improbitas. Sic i Verrina, num. 26.

Mihi non vnus homo improbus opprimendus est, id quod Siculi petiuerunt, sed omnino omnis improbitas id quod P. R. iamdiu flagitat, extinguenda est.

Per Paronomasiam, vt quarta Verrina, num. 129.

Quæ iste cùm cognouisset nouus astrologus, qui non tam cœli rationem quàm cælati argenti duceret.

Per Asteismum, vt quarta Verrina, numer. 24.

Satísne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidones sinu in prouinciam profectus esset, Veneris nomine quæsijsse videtur?

Per traductionem, Philippica vndecima, num. 3.

Animaduerti dici iam à quibusdam, exornam

nari à me etiam nimium Brutum, nimium Cassium ornari, quos ego orno, nempe eos, qui sunt ornamenta patriæ.

Sic in rebus notis non sunt Logicè discutienda, sed aliquo figurarum artificio obiter instillanda.

N N.

a *Aelius Aristides, oratione in Iouem, Et primum quidem nomen Iouis explicat,* Ζεῦ ὅτι ζῶς τε καὶ εὐσίας ἑκάστοις ἐστὶν αἴτιος.

b *Item Cicero 1. de diuinat sagire enim, sentire acutè est, ex quo sagæ, anus.*

De genere, & specie.

CAPVT XLI.

Rerum singularium mutabilitas.

EA demum, lex est rerum humanarum, vt perpetuò fluant, nascantur, crescant, dissoluantur, & veluti perenni quodam circulo, vnde orta sunt, redeant vniuersa. Atque hoc ipsum ab æterno rectè prouidit Deus, vt cùm multa rebus creatis suæ pulchritudinis, veluti quædam semina largiretur: hanc vnam in vno, eodemque statu denegaret constantiam, quæ perpetuum haustæ aliunde virtutis, vel ex nobis, vel ex ipsis rebus, quas ad vsum nostrum conditas cernimus, præberet experimentum.

Synesius hymn 3.

Quæ cum ita sint, rerum singularium, quarum, vt ait Synesius, nascentium, & pereuntium est veluti perpetuus quidam circulus, certa non potest esse, & solida cognitio. Quæ penuria, & instabilitas efficit, vt ad naturas vniuersas æterna quædam rerum fluentium exemplaria, necessariò sit recurrendum.

Ideæ virgines ad thronum Dei.

Has *Ideas* antiqui nominarunt, & doctores quidem Hebræi eas ad thronum Dei statuunt, quasi venerandas Virgines, ante mundi molitionem à Deo productas, quæ ad æterni Verbi nutum præstò sunt, vt formas animent, & ipsæ demum formæ in materiam ad rerum generationem influant. Ita enim philosophantur, in homine tria esse spectabili dignitate conspicua, corpus, animam, intellectum, & animam quidem corpori, intellectum animæ præstare.

Similiter in hac rerum vniuersitate inueniri materiam, & formas, ipsisque formis superiores Ideas, quæ ad structuram rerum Verbo sunt diuina veluti quædam instrumenta.

Hæc, si perinde, atque dicuntur, omnia intelligantur, fabulosa sunt, si per similitudinem, non ineptè dicta inuenientur.

Atque hæc, opinor, caussa fuit, quæ Platonis de Ideis placita carpendi, ansam Aristoteli, & cæteris philosophis dedit, quod ille multa per allegorias immisceret, quæ ipsi contentiosæ disputationis auidi, cum dextera manu à Platone data, sinistra, non sine dolo malo arriperent, tot rixarum materiam in ideis discutiendis præbuerunt. Neque enim aliud Platonem per Ideas intellexisse, quàm ipsas naturas rerum, & species vniuersas, vel hoc Timæi loco patet, in quo ita scribit.

Plato in Timæo.

Platonis de ideis verus sensus.

Ἀνθρώπων γένος, βραχύτι τοῦτον δὲ οὕτως ἐχόντων, ὁμολογητέον μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταῦτα ἔχον εἶδος ἀγέννητον, καὶ ἀνώλεθρον οὔτε εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν, οὔτ' αὐτὸ εἰς ἀλλόκωτον, ἀόρατον δὲ, καὶ ἄλλως ἀναίσθητον· τοῦτο δὲ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν.

Quippe cùm hominum (inquit) singularium genus, sit breue quidpiam, & angustum, statuenda est aliqua naturæ humanæ species, quæ nec quotidie generatur, & corrumpitur, vt cætera: nec tot adscititijs conditionibus contrahitur: hæc autem corporeis oculis, aut alijs sensibus non subiacet, sed eius cognitionem sortitus est intellectus.

Dixit autem τοῦτο δὲ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν: quia non est intellectus, naturas vniuersas formare, sed considerare, contra eorum philosophorum placita, qui easdem fieri ab intellectu volunt. Quæ quæstio satis copiosè discutitur in scholis, nec ad hoc attinet institutum, satis enim est mihi hæc prælibasse, vt ostenderem vberem argumentorum fontē peti a genere, idque omninò oratoribus esse necessarium, cùm hypothesis, quæ de rebus singularibus est, negatur, ad thesin, & res vniuersas, siue axiomata perfugium habere.

Ex eo generis tractatio instituitur apud Rhetores. In hoc autem minus religiosi sunt, quàm Logici, qui genus definiunt secundùm Porphyrium, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηρούμενον.

Generis definitio, & vis.

Aliter, inquam, Rhetores accipiunt, Nam id omne genus appellant, quod communius est, & suo ambitu, atque significatione, complectitur minus commune, vt Animal,

Cic. 1. de inuent. sect. 30.

Arist. l. 1. de histor. animal. c. 3.

mal, Hominem, & Leonem: Arbor, Quercum, & Cedrum. An verò ista, quæ ambitu generis continentur, specie differant aut numero, nihil attinet apud Rhetores enucleatè disquirere.

Galen l. 2. de temper.

Definitur à Cicerone in Topicis, *Notio ad plures differentias pertinens*: sic enim virtutis notio ad iustitiam, & prudentiam, & cæteras virtutes extenditur, quæ species eiusdem generis nominantur. Ex quo intelligis speciem nihil aliud esse, quàm partem generi subiectam.

Est quidem ex hoc fonte robustum argumentum. *Nam, quod tribuitur, vel denegatur generi, id quoque speciei, siue parti subiectæ tribui, denegarique necesse est.*

Si omne argentum legatum est, igitur purum & signatum (vt argumentatur Cicero in Topicis.) Si nulla simia est caudata, igitur neque Indorum simiæ.

Præterea *iublato genere tollitur species*. Vt; si non est virtus, neque Iustitia est, aut fortitudo: contrà *posito genere, ponitur aliqua species, quamuis incerta* vt, si est elementum, vel ignis est, vel aer, vel aqua, vel terra.

Ex eo notandum est, quod ait Fabius libro quinto, Genus ad probandam speciem minimè valere, sed ad refellendam magni esse roboris: Neque enim valet hoc argumentum. Arbor est: igitur Platanus est, cùm infinitæ sint arborum species, nec vni magis quam alteri, arboris ratio conueniat. Bene igitur ex genere incertam speciem colligi notat axioma, non autem certam, & determinatam. Contrà negato semel genere, nulla omnino species stare potest. Quem enim animal verè negaueris, eundem nec hominem, nec brutum esse necesse est.

Hæc de argumenti potestate, nunc de eiusdem vsu apud oratores agamus, quorum non est, certis semper conclusiunculis pungere, sed latius ad speciem maiestatis explicare orationem.

De vsu huius loci.

CAPVT XLII.

PRimum illud statuendum est, huius loci laxitatem prudentiæ limitibus esse restringendam: multi enim, qui longos amant orationum circuitus, statim se in thesin conijciunt, etiamsi minimè res postulare videatur, & quia res fortè communior, multorumque trita vestigijs, amant inhærere diutius: ex quo fit, vt antequam ad hypothesin deueniant, totum iam dicendi tempus consumpserint.

Malus vsus generis.

Hoc quidem vitium iuuenile est, & longè à sapientum hominum iudicio, atque vsu disiunctum, qui statim peruident, quid ad rem, caussamque attineat, & totum illud inutilium argumentorum choragium respuunt. Quid enim opus est, vbi de iustitia, & prudentia sermo est, continuò se in Virtutis laudes effundere, omnes eius proprias potestates disquirere, aperire, enucleare, totiesque miseram, quod ait ille *Crambe* tædio affectis auribus ingerere? Qui has ambages quærunt, similes illis videntur, qui domum suam cùm primùm ingredi possint, per longos tamen circuitus iter affectant.

Loci communes non semper tractandi.

Nec mirum, quod fortasse nullibi peius sit istis oratoribus, quàm domi omnia dicere auent, præter ea quæ ad institutã caussam faciunt. Quod si, vt sæpè fit, penuria rerum, quæ ad proprium attinent, versantur in communi; nonne centies optatius, pauca, & ad rem dicere, quàm longa, & inani oratione intemperanter abuti?

Χωρὶς τὸ τ' εἰπεῖν, πολλὰ, κ τὰ καίρια.

Vt est in veteri prouerbio. Fieri non potest, vt quis, & multa simul dicat, & opportuna. Itaque, quanquam in scriptis commentarijs copiosæ eruditionis caussa legibus oratorijs soluta, liberior fertur oratio, tamen meritò suspectæ sunt, & doctis hominibus inuisæ magnæ illæ voluminum moles; quibus hæc vna videtur esse ambitio, vt nihil sibi, aut alijs dicendum relinquant.

Prolixitas etiam in commentarijs fugienda.

Hæc quidem quæ afferuntur plena manu, si ad rem difficilem enodandam, aut obscuram, atque exilem plenius illustrandam facerent, plurimùm haberent commendationis, sed vbi præter rem intruduntur, licet aurea sint, & gemmea, necessariò apud acris quosque iudicij viros, multum deperdunt existimationis. Quid enim opus est, si contextus vnus Ciceronis habeat, *Marce fili*, continuò de fœcunditatis apud antiquos gloria, de iure trium liberorum, de cælibatu, de proletarijs dicere?

Exemplum locorum extranearum.

Infinita quidem hic eruditè afferri possunt, nemo dubitat: sed quàm parùm ad rem, quàm frigidè quàm puerliter dicentur?

Item, si muscam Martialis, in electro mor-

tuam,

tuam, & sepultam memorem, confestim mihi dicendum erit de Beelzebub principe muscarum; de varijs muscarum generibus, de parasitis, adulatoribus, curiosis, otiosis, qui nomine muscarum censentur; de pueris muscarum abactoribus in conuiuio, de muscarijs, seu flabellis ad abigendas muscas compositis, deque eorum vsu, etiam ad altare, cuius meminit Hildebertus Cenomanensis epistola septima.

Hildeb. Cenom.

(Num verò silentium ad hunc præsertim locum, si non doctius, saltē prudentius, quòd maius est, existimabitur? Magna res tacuisse loco.)

Vsus generis in probationibus.

Repudiato igitur hoc generis, & formarum vsu, sic existimo; Vnum ad probandum valere, & hunc strictè, ac rotundè, cum aliquo elegantiæ temperamento tractandum.

Lact. l. 2. c. 5. & 6.

Sic Lactantius mundum Deum non esse probat his verbis, vbi vtrumque argumentū, & generis, & formarum satis lepidè coniungit.

Genus à Lactantio subtiliter tractatum.

(Quod si fieri non potest, vt stellæ dij sint, ergo nec sol quidem, nec luna Dij esse possunt, quoniam à luminibus astrorum, non ratione differunt, sed magnitudine. Quod si hi dij non sunt, ergo nec cœlum quidem, in quo illa omnia continentur. Simili modo, si terra, quàm calcamus, quam subigimus, & colimus ad victum, Deus non est, nec campi quidem, ac montes Dij erunt. Sed si hi non sunt, ergo nec tellus quidem vniuersa Deus videri potest. Item si aqua, quæ seruit animantibus ad vsum bibendi, aut lauandi, Deus non est: nec fontes quidem, ex quibus aqua profluit: si fontes non sunt, nec flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur; si flumina quoque Dij non sunt, ergo nec mare, quod ex fluminibus constat, Deus haberi non potest. Quod si neque cælum, neque terra, quæ partes mundi sunt, Dij esse non possunt, ergo ne mundus quidem totus Deus est, quem ijsdem ipsi Stoici animantem & sapientem esse contendunt.)

Hic multa generis, & formarum argumenta conglobata potes intueri, & ab hoc exemplo tractationis imitationem ducere.

Alius vsus est generis in ipsis initijs dicendi.

Alius vsus est generis in propositionibus, & initijs diendi, Vbi grauis quædam, & quæ suo ambitu multa complectatur, prætermittitur sententia, quæ ad hypothesin sternat viam.

Demosth. in orat. funebri.

Sic Demosthenes, cum eorum prudentiam, & fortitudinem, qui pro patria occubuerant ornaturus esset, præmittit, duo esse, virtutum principia commendatione digna, prudentiam, & fortitudinem, quarum illa, quid sit agendum præscribit, hæc exequitur.

Εστιν γὰρ, ἔστιν ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν σύνεσις, πέρας δὲ ἀνδρία, καὶ τῇ μὲν δοκιμάζεται, τί πρακτέων ἐστί· τῇ δὲ σώζεται.

Hæc paucis, deinde mortuos vtriusque virtutis laude floruisse ostendit, ex quo innuit, eos spectabili prædicatione commendandos, & Aristides in Panathenaica oratione ita incipit, vt ostendat, Nutritios quemque suos ex lege commendare: sibi Alumnos esse Athenienses; ideoque se hoc studium laudationis tantæ ciuitati debere.

AElius Arist in Panathen.

Νόμος ἐστὶ τοῖς Ελλησι παλαιὸς, οἶμαι, καὶ τοῦ βαρβάρων τοῖς πλείστοις, τροφεῦσι χάριν ἐκτίνειν ἅπασιν ὅσῃ δυνατή. οὓς ἦνας δὲ ἂν τροφέας προτέρους ὑμῶν ἄγοί τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκοῦν δή γε δέπως εἰς Ελληνας τελεῖν εὖ ῥᾴδιον εὑρεῖν, ὡς γέ μοι φαίνεται· μάλιστα μὲν γὰρ καὶ τῆς νενομισμένης ταυτησὶ τροφῆς, καὶ κοινῆς, ὑμᾶς εὐθὺς ἂν εὕροι τὶς ἐπωνύμους, καὶ πορίστας, σκοπῶν ἐξ ἀρχῆς, &c. Deinde concludit, Δι' ἃ καὶ μόνα τὴν εὔνοιαν ἤρκει παρὰ πάντων ὑμῆν εἶναι κατὰ φύσιν.

De causarum dignitate, & numero.

CAPVT XLIII.

POstulat huius loci dignitas, vt cæteris consequentibus anteponatur, cuius, vt vis plenior in res influit, sic cognitio, & vberior est, ad omnia comprobanda efficacior.

Vna quidem rerum omnium primaria est caussa Mens æterna, quam omnem habere speciem pulchritudinis, & rebus creatis, veluti affusam esse, vel Porphyrius agnoscit, qui νοῦν αὐτογένητον καὶ αὐτοπάτερα, καλὸν αὐτόκαλον nominat. Ab eo principio caussæ omnes fluunt, & pendent, quas in quatuor genera à philosophis distributa esse constat, in materiam, efficientem, formam, & finem;

Porph. in 4. de hist. Philosoph. citatur à Cyrillo contra Iulianū

Quæ, vt in maioris mundi constitutione concurrerunt, sic, & ad res omnes, quas in hoc vniuerso cernimus, producendas, mirabili virtute transfunduntur.

Prima ab æterno extitit caussa efficiens, DEVS, opifex Vniuersi, quem in Amorem transformatum, cum mundum creare vellet, non inscitè finxit Pherecydes, quód hæc rerũ productio permagnum sit amoris diuini argumentum. Creationem autem inchoauit à rudi, inertique rerum congerie, quam Chaos antiqui nominarunt, hanc deinde digessit, & omni ornamentorum genere mirificè locupletauit. Quod autem per istud Chaos, nihil aliud Orpheus, & Hesiodus intellexerint, quã vetustissimum limum ex terra, & aqua; ex quo aceruo res omnes eductæ sint, declarat Athenagoras Philosophus Christianus.

Athenag. in Apolog.

Ἦν γὰρ ὕδωρ, inquit, ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη.

Materiam rudem, & informem, variæ postea, & multiplices formæ, in eius veluti gremium transfusæ Dei ita volentis arbitrio admirabili pulchritudine collustrarunt. Deinde omnia in vnius hominis vtilitatem & decus, suaui conditoris prouidentia, tanquam in finem directa, atque constituta sunt.

Aristot. 2. Physic. c. 3. Cicero in Top. c. 58.

Hæc, vt in Vniuersi molitione clariùs licet intueri, sic etiam in rebus singulis perspiciuntur, quæ ex his fermè quatuor caussis compositæ sunt, atque conflatæ. Ex quo plurimum ad probandum, & ornandum valent, vt in singulis plenius ostendam.

Caussa in genere illud est, quod effectum per se producit, ad cuius productionem, cum materia, forma, efficiens, & finis vario modo influant, meritò omnes caussæ nomine censentur.

Materia, & eius vsus apud Oratores.

CAPVT XLIV.

MAteria igitur est, ex qua res fiunt, quam Aristoteles libro 1. Physicorum nominat πρῶτον ὑποκείμενον ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός, quanquã de materia prima loquitur φυσικώτερον. Constat enim ex Physicis aliam materiam esse primam, aliam secundam; aliam proximam, aliam remotam; aliam permanentem, aliam transeuntem, & cæt. huiusmodi.

Prima est illa propriè, quæ primum subiectum nominatur, quæ formam accipit, nec ipsa formam habet, quam Synesius hymno primo τρύγα τὰν κόσμου, fæcem mundi nominat.

Sines. hym. 1.

Materia remota sunt, V. G. ligna in sylua, ratione habita domus extruendæ, eadem iam recisa, affabrefacta, & dedolata, in proximam materiam cedunt.

Permanens denique est, quæ in re effecta manet, vt aurum in statua.

Transiens, quæ transit in aliud, vt farina & aqua in panem. Sed omissis istis, quæ Physicorum sunt propria, huius caussæ apud Oratores vsus tradendus est. Illi igitur mittentes hanc nimis plerumque subtilem primæ materiæ inuestigationem, materiam tum naturalem, vt in corpore humano, tum etiam arte signatam, vt in manufactis sæpissimè considerant; & inde in compositum eliciunt argumenta. Lactantius, mundum & factum esse, & corrumpi posse probat ex eo, quod tali materia sit conflatus, quæ mutationi subiaceat.

Vsus argumenti à materia. Lactant. l. 10. c. 9.

Materia verò semper fuisse non potest quia mutationem non caperet, si fuisset. Quod enim semper fuit, semper esse non desinit, & vnde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Quin etiam facilius est, vt id quod habuit initium, fine careat, quam vt habeat finem, quod initio caruit.

Materia ergo si facta non est, nec fieri ex ea quicquam potest, si fieri ex ea non potest, nec materia quidem erit. Materia est enim, ex qua aliquid fit. Omne autem quod fit, quia recipit opificis manum, destruitur, & aliud esse incipit. Ergo, quoniam finem habuit materia, tum cùm factus est ex ea mundus, & initium quoque habuit.

D. Ambr. Hexam. l. 2. c. 3.

Diuus Ambrosius in Hexamero, à materia quoque naturali aquæ sic ducit argumenta.

(Videmus plerumque exire nubes de montibus. Quæro vtrum de terra ascendat aqua, an ea, quæ super cœlos est, largo imbre descendat. Si ascendit, vtique contra naturam est, vt ascendat in superiora, quæ grauior est. & portetur aere, cùm aer subtilior sit. Aut si conciti orbis totius motu rapitur aqua, sicut imo orbe rapitur, ita summo diffunditur.)

Vsus materiæ in manufactis.

In manufactis satis commune est à materia ducere laudis argumentum. Sic mensam ab Imperatore Iustiniano in templo sanctæ Sophiæ dedicatam laudat Cedrenus.

Mirabilis materia mẽsæ. Cedr. in compend.

(Mensam (inquit) Iustinianus Imperator fieri iussit, opus imitatione nulla æquandum.

Constat

& Baron. ad tustin. anno 31.

Constabat vero auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas, & terra fert, & mare, & vniuersus mundus. Ex omni enim materia pretiosa plura, ex viliore pauciora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ absoluerat. Itaque varium illud opus intuentibus stuporem injiciebat.)

Hegesipp. in anacreph. historia.

Similiter Hegesippus in illa flebili monodia, pulchritudinem Solymæ commendans:

(Vbi, inquam, es ciuitas referta populis, venerabilis regius, acceptabilis Deo, gratiæ sedes? Pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento nitentes.

Si res, quæ commendatur, vilioris sit materiæ, formæ verò præstantioris, omissa materia, forma ipsa commendari solet.

Negatio materiæ facit ad laudem. D. Amb. l. 6. cap. 1.

Etiam gloriosum in Deo, Angelis, & anima humana negare materiam, quæ nulla est. Sic D. Ambrosius.

(Quis hoc dicit? nonne Deus, qui te fecit? Quid est Deus? estne caro, an spiritus? non caro vtique sed spiritus. Cuius similis caro esse non potest, quia ipse incorporeus, & inuisibilis est, caro autem comprehenditur, & videtur.)

Artes, & scientiæ vulgo commendantur à materia, id est, obiecto.

Ad hanc quoque caussam referuntur scientiarum obiecta, a quibus ipsius, quæ est in scientia dignitatis, sumitur argumentum, vt notat Aristoteles analytic. post. libr. 1. capite 24.

De caussa efficiente.

CAPVT XLV.

CAussa efficiens vna est, quæ latissimum dicendi campum suggerit, & non tam verbis, quam rebus fœcundam sustentat eloquentiam.

Hanc in multiplices ramos partiuntur, ex quibus maior nascitur vbertas, & ratiocinandi facultas promptior. Aliæ caussæ superiores, aliæ primatiæ, aliæ adiuuantes. Aliæ naturales, aliæ morales, aliæ artificiales. Aliæ procreantes, aliæ conseruantes, aliæ interimentes, & tot nomina, quæ enucleatius exquirunt Physici Inter caussas superiores efficientes, Prima est Deus, a quo graues sæpè desumuntur amplificationes, qualis est illa D. Gregorij Nazianzeni, vbi per longam effectorum enumerationem, Deum primam, & nobilissimam caussam caussarum colligit.

Deus caussa caussarum, cuius primus est vsus.

Τὸ ἄναρχον τὸ ἀγέννητον,
Δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' ὃν τὰ πάντα,
Δι' ὃν ἀγγέλων χοροὶ σέβονται,
Δι' ὃν ἀόρατοι ἀστραπαί,
Δι' ὃν ἡ γῆ πρόεισι καρπούς,
Δι' ὃν ὁ ὠκεανὸς ἐπὶ τὰ ἴδια ὁρίζεται,
Δι' ὃν ὁ ἀὴρ μεταξὺ γῆς καὶ οὐρανοῦ,
Δι' ὃν τὰ ὕδατα τὰ μὲν ἄνω τὰ δὲ κάτω,
Πλάσσεται εἰς ἃ βούλεται,
Λογικὸν ζῶον ἐπὶ τούτοις ἐδείματο,
Συνδήσεις ἐκ τεσσάρων τὰ πάντα,
Καὶ πάλιν ἐκ τούτων ἓν ἐκάστῳ.

Regem, Dominum.
Per quem hymni, per quem laudes,
Per quem Angelorum chorea,
Per quem jacula aterna,
Per quem solpræfulget,
Per quem cursus Lunæ,
Per quem siderum ingens ornatus,
Per quem homo grauis
Sortitus est intelligere diuina,
Rationale animal existens.
Tu enim condidisti vniuersum,
Tribuens suum cuique locum.

Seneca in proem. rerum nat.

Hunc Fatũ, Prouidentiam, Naturam, persæpe Philosophi Ethnici nominant, vt author est Seneca. Vis illum Fatum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, ex quo omnes caussæ caussarum. Vis illum Prouidentiam dicere? recte dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum Naturam vocare? non peccabis. est enim ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Familiare est Oratoribus in eum omnium, quæ rectè geruntur in vita, caussas refundere, contra, tristes etiam euentus eidem in scelerum vltionem assignare. Hoc Cicero, & Demosthenes sæpe faciunt, tum ad excitandos, tum ad leniendos hominum animos, qui numine velut omnium potentissima caussa facilius reguntur. Alij potrò fatum a Deo discernentes, alteram, & proxi-

Fatum & ortum sæpe ab oratoribus inter caussas allegata Ticus l. 4. aduers. Astrolog. Demost. de corona.

mam Deo cauſſam fecerunt. Eſt autem multiplex fati acceptio, vt rectè notat Picus Mirandulanus aduerſus Aſtrologos. Nam modò pro natura ſumitur, & ſic τὸν ὑπαρκτὸν θάνατον, naturalem mortem, appellat Demoſthenes. Modò apud Ethnicos pro ſideribus, modò etiam pro neceſſitate ſe per æternæ conſequentiæ nodos explicante ponitur, & ita plerunque impiè nomen fati vſurpant Aſtrologi, vt Ptolomæus, qui cauſſarum connexionem ex motibus aſtrorum vim, & efficaciam trahentem definit, quò alluſit Iuuenal. cum dixit.

Iuuenal. ſatyr. 7 v. 200 cum quo faciunt Priſcilliani ſta, & Bardeſanes, Hæretici. Ammian. Marcell. l. 23. c. 3. D. Thom. 15. 8. phyſic. Boet. 4. de conſ. D. Aug. in Ioan. tract. 37. Oratores Chriſtian. fati, & fortunæ nomine, Ethnic. more, vti non debent. Vide D. Aug. l. 4. de ciuit. Dei. Pl. l. 2. c. 7. quomodo fortunæ nomine vtantur Oratores. Plutarch in apopht.

Sidus, & occulti miranda potentia fati.

& Seneca in natur. quæſtion. cum vocat *rerum omnium neceſſitatem, & actionem, quam nulla vis poteſt irrumpere.* Et vnde Ammianus Marcellinus: *Nulla vis humana, vel virtus, meruiſſe vnquam potuit, vt quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat.* Verùm Orthodoxa fides hanc fatuam in actionibus humanis fati neceſſitatem exploſit, apud quam, fatum vt ex Boœtio, & D. Thoma patet (eſt ordo cauſarum naturalium, vel rebus mobilibus inhærens mobilis diſpoſitio, per quam diuina prouidentia omnes ſuis quoque nectit ordinibus.) Hoc modo licet fatum inter ſuperiores cauſſas numerare. Alioqui vanum nomen eſt, *& fatum non ponunt niſi fatui*, vt ait D. Auguſtinus, tantum abeſt, vt orator Chriſtianus debeat iſtius cauſſæ mentionem facere. Multo minus Fortunæ, cuius tamen ſummum nomen eſt apud gentes. Huic aræ, imagines, delubra, huic ſexcenta nomina. *Primigenia, fortu, viſcoſa, obſequens, redux, mammoſa, Barbata, Publica, Auguſta* inuocatur, nunquam ineptiarum finis. Vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuiciis colitur, volubiliſque à pleriſque, & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, *& in tota vitione mortalium ſolâ vitamque paginam facit.* Plerunque ſolent oratores ad deterendas aduerſariorum laudes, proſperos eorum ſucceſſus fortunæ aſcribere. Quod ab Æſchine contra ſe dictum confutat Demoſthenes in oratione de Corona. Sic Timotheum fortiſsimum, eundemque feliciſsimum Imperatorem inimici dormientem pinxerunt, & rectè geſtantem, in quod vrbes, & viros vltrò Fortuna deuolueret. Caſtor etiam Deiotari Regis accuſator, quod eius ſe inſidijs Cæſar expedijſſet, tribuit Fortunæ Imperatoris: quam ob rem Cicero non leniter ſtomachatur. Contrà ſi quos infelices habuerunt ſucceſſus, culpam ſtatim reijciunt in Fortunam. Verum præclare Satyricus,

Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia, ſed nos
Te facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.

Fortuna nulla eſt, ipſi homines fortuna ſunt, dum inopinatos rerum, quas gerunt, ſortiuntur exitus, vt acutè oſtendit Ariſtoteles: ἡ τύχη αἰτία κατὰ συμβεβηκὸς ὅς, ἐν τοῖς κατὰ προαίρεσιν ἕνεκά τῶν. Quamobrem hæc inania de fortuna commenta ab oratore Chriſtiano commemorari, non modo indignum eſt, ſed etiam ſuperuacaneum. Omiſsis igitur his cauſsis, aliæ inferiores ſunt, & magis ad manum, partim naturales, partim artificiales, partim etiam morales. Eæque aut rem totam conficiunt, aut adiuuant, aut conſeruant, aut interimunt, vnde nomina primariæ, adiuuantis, conſeruantis, interimentis etiam cauſſæ. Naturalium rerum cauſſas in oratione ciuili, ſi ſint extra ſtatum cauſſæ, curioſius non inquirunt oratores, vt ſi quis deliquio ſolis conterritos exercitus, aut æſtu maris-hauſtas ciuitates memoret, non eſt illius continuò ſcrutari cauſſas, variaſque, & diſcrepantes hac de re philoſophorum afferre ſententias: quanquam nonnihil obiter poteſt attingere, cauere tamen debet ne ſit nimius, niſi fortè id cauſſa poſtulet. Vt ſi timore fracti, & debilitati ſint animi, quod Eclipſis Solis, aut Lunæ ab Aſtrologo prædicta in terrorem contigerit: tunc orator plenius, & liberius oſtendere poterit minimè mirandum eſſe, Solis defectiones, itemque Lunæ, prædici in multos annos, ab ijs, qui ſiderum curſus, & motus numeris perſequuntur. Ea enim prædicunt, quæ naturæ neceſsitas perfectura eſt. Vident ex conſtantiſsimo motu Lunæ, quando illa è regione Solis facta incurrit in vmbram terræ, quæ eſt meta noctis, vt eam obſcurari neceſſe ſit: quandoque eadem Luna ſubiecta Soli, atque oppoſita noſtris in oculis, eius lumen obſcuret: in quo ſigno quæque errantium ſtellarum, quoque tempore futura ſit, qui exortus quoque die ſigni alicuius, aut qui occaſus futurus ſit. Contrà ſi exercitum religione teneatur exercitus, ne proficiſcatur in expeditionem, conuincere poterit orator,

Ariſtot. l. 2. phyſ. c. 5.

Vſus cauſſarum naturaliũ apud oratorem.

Cic. 2. de diuin.

totam

Cic. ibid. totam rem nugatoriam esse. *Si enim in extis* aliqua vis, quæ declaret futura, necesse est eam, aut cum rerum natura esse coniunctam, aut conformari quodam modo numine Deorum. Atqui diuinarum rerum natura tanta, tamque præclara in omnes partes, motusque diffusa, quid habere potest commune? non dicam gallinaceum fel, (sunt enim, qui vel argutissima hæc exta esse dicunt,) sed Tauri optimi iecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit? Infinita contingunt etiam in ciuilibus caussis similia, in quibus oratores, & falsas rerum naturalium caussas confutare, & veras statuere necesse est. Alias cum nihil opus est parcius in istis versari debent. Liberius hæc aliquantò scrutantur historici, etiam qui res ciuiles describunt, data occasione defectionum Solis & Lunæ, æstus maris, eluuionum, pestilentię, incendiorum, & cæteriusmodi caussas requirunt. Sed Physicorum est, qui ex instituto res tractant, pleniorem de caussis naturalibus instituere sermonem. Familiare est item in rebus artefactis, opera ab opificibus, libros ab authoribus, vrbes à fundatoribus, omnia denique inuenta á suis inuentoribus commendare. In ciuilibus verò caussis, & cæteris orationibus, rerum, factorum, virtutum, vitiorum, affectuum, euentorumque omnium caussas indagare, proferre, enucleare. Ex his enim oritur non puerilis quædam, sed grauissimis aucta sensibus amplificatio: si modò germanæ cuiusque rei caussæ assignentur. Tum verò si multæ sint adiuuantes simul conglobatæ, grauem, & erectam mai estate faciunt orationem. Ducta est à caussis efficientibus hæc Ciceronis amplificatio in Verrem: Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necauit partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium Dij patrij: quod iste vnus inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret: & parentes pretium pro sepultura liberûm posceret. Religiones verò, cæremoniasque omnium sacrorum, fanorumque violatæ, simulachraque Deorum, quæ non modò ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa, atque abdita, consistere eius animum sine furore, atque amentia non sinunt. Item: Nihil te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil sic minutissimus habendi senatus locus, nihil horum ora, vultusque mouerunt? 11. in Catil.

Cic. act. 2. in Verr.

De Forma.

CAPVT XLVI.

EXcellens quidpiam est, & (vt ait Aristoteles, θεῖον, ἀγαθὸν καὶ ἐφετόν) forma, per quam res est, id quod est, & ab vnoquoque discriminatur. Forma formarum est, vt Trismegisti philosophia liquet, verbum diuinum, cuius scintillæ quædam sunt formæ omnes, quæ rebus inspersæ eis essentiam, & vim quandam mirificam impertiuntur. Quæ si oculis paterent, quantam sui excitarent admirationem! verum, quæ nostræ cognitionis est tenuitas, vix vnam ex infinitis nouimus, vmbras quasdam, & vestigia formarum consectari cogimur. Duplex autem est forma, vna quidem intima, quæ cognosci satis non potest: Altera species quædam externa, & rei compositio, seu figura, de qua frequentius loquuntur oratores. Qualis erat terra incomposita, talis res sine forma: Istius deinde compositionis, atque ornatus gratia plurimum in se deriuauit dignitatis. Hanc formæ pulchritudinem disertè commendat Diuus Ambrosius. *Erat incomposita, quia nuda gignentium*, nec thoris herbosa riparum, nec opaca nemoribus, nec læta segetibus, nec vmbrosa supercilijs montium, nec odora floribus, nec grata vinetis. Meritò incomposita, quæ ornatibus indigebat, cui deerant vitium serta gemmantium. Ostendere enim voluit Deus, quia nec mundus haberet gratiam, nisi eum vario cultu operator ornasset. Cœlum ipsum intextum nubibus, horrorem oculis, mœstitiam animis excitare consueuit. Terra imbribus madefacta fastidio est, maria procellis turbata, quos non incutiunt metus? *Pulcherrima est rerum species.* Ductum est item à forma nobiliore hoc, quod sequitur argumentum. Animam habes Dei signatam charactere, hanc igitur Deo reddere debes, quod plenius explicat Theodotus in Epitome. Ἐπὶ τοῦ προκομισθέντος νομίσματος ὁ κύριος εἶπεν, οὐ τίνος τὸ κτῆμα, ἀλλὰ τίνος ἡ εἰκὼν καὶ ἐπιγραφή· Καίσαρος ἵνα οὗ ἐστιν, ἐκείνῳ δοθῇ. οὕτως καὶ ὁ πιστὸς ἐπιγραφὴν μὲν ἔχει διὰ Χριστοῦ τὸ ὄνο-

Arist. lib. 1. Physic.

D. Amb. Hexam. l. 1. c. 8.

Theod. in Epitome.

ὄνομα τοῦ θεοῦ, τὸ δὲ πνεῦμα ὡς εἰκόνα. Vt in numismate, inquit, Cæsariano, quod Domino oblatum est, quæsiuit ipse non cuius esset possessio, sed cuius esset imago, & inscriptio, vt illi redderetur. Sic fidelis signatus est à Christo, Dei nomine, spiritum verò habet Dei imaginem. Ex quo infert Deo reddendum esse. Rarò ab istis formis intrinsecis, quæ ignotæ sunt, sed ab extimis, quæ videntur, argumenta ducunt oratores.

Sic hominem à figura, & specie corporis commendat Diuus Ambrosius. *Forma tamen humani corporis est venustior*, status erectus, & excelsus, vt neque enormis proceritas sit, neque vilis, & abiecta pusillanimitas, tum ipsa habitudo corporis suauis, & grata, vt neque belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Ac primum omnium cognoscamus humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem vt cœlum eminet aeri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: Ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumque esse omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autem hac, regalem quandam habitare sapientiam secundum Propheticum dictum. Quia oculi sapientis in capite eius: hanc esse cæteris turiorem, & ex illa membris omnibus vigorem, prouidentiamque deferri. Quid enim robur, & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut Principis sui imperialis quædam adminiculetur potestas. Ex hoc enim destituuntur vniuersa, aut omnia fulciuntur. Quid agat fortitudo, nisi oculo duce vtatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo Sol, & Luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol, & Luna duo mundi lumina: Oculi autem quædam in carne sydera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari, speculatores quidam nostri die, ac nocte excubant. Nam & ex sopore membris cæteris citius excitantur, & vigilantes circunspectant omnia, & cætera, quæ ille vir admirabilis fusius prosequitur. Familiarissimum est ex hoc loco rerum corporearum tam naturalium, quàm arte factarum descriptiones nobilissimas trahere, vt plenius suo loco ostendemus. Viden' vt Ambrosium illud os, etiam Hirundinem, & nidum à materia, & forma simul describat? *Hirundo minuscula* corpore, sed egregiè pio sublimis affectu, quæ indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit. Deinde; legit enim festucas ore, easque luto illinit, vt conglutinare possit. Sed quia lutum pedibus non potest deferre, summitatem pennarum aqua infundit, vt facilè his puluis adhæreat, & fiat limus, quo paulatim festucas, vel minutos surculos sibi colligat, atque adhærere faciat. Hæc de materia, statim formam exhibet, & fabricam speciosam instar pauimenti complanatam, sine texturarum rimulis, ne teneris frigus irrepat.

D. Amb. Hexam. l. 6. c. 9.

De fine.

CAPVT XLVII.

FInis quidem exitu, caussarum vltima est, destinatione autē prima. Nam vt ex radice caudex, rami, folia, fructusque erumpunt: Sic ex fine tota vis, & ratio actionum humanarum existit. Nec sine caussa Galenus τὴν περὶ τέλους ὑπόληψιν ῥίζαν nominat Diuus verò Chrysostomus ait imprimis cuique intelligenti considerandum esse finem, à quo si rerum omnium œconomia cœperit, longè melior, & fortunatior erit, non modò in maioribus negotijs, sed in ijs etiam, quæ leuioris videntur momenti: ὁ σωφεὶς πρὸς τί ὁρῶντα, καὶ τί βουλόμενον, πάντα τὰ ἄλλα χρὴ πράττειν, καὶ οἰκονομεῖν ἅπαντα ἂν ἤδη καλῶς διαπράττοιτο; quò spectat illud Satyrici.

Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum:
An passim sequeris coruos, testaque, lutoque,
Securus, quò pes ferat, atque ex tempore viuis.

Iuuerit igitur imprimis in ijs, quæ tractantur rebus, finem accuratè cognoscere, quando ex eo prudens orationis distributio futura est. Sed euenit persæpè, vt siue propter ingenij, & iudicij imbecillitatem, siue ob prauos affectus, qui instar nubium clarissimo alioqui mentis sideri offunduntur, siue etiam ob insitam rebus humanis obscuritatem, ad finem hallucinemur, fictumque pro vero arripiamus, ex quo magni, & infiniti errores pullulant.

Finis cognitio vtilissima.

Galenus.

D. Chrys. orat. 3. de gloria.

Pers. sat. 3. v. 60.

Finis primus & vltimus hominis cæterorum norma esse debet qui antiquis cognitu fuit difficillimus.

In

In quæstione, quam de finibus bonorum & malorum philosophorum disputatio ventilauit, ducentas octoginta, & octo sectas esse Marcus Varro Romanorum omnium doctissimus animaduertit: Quæ tamen omnes à vero aberrarunt, ipsa deinde media, quæ respectu vnius, ac solius finis permulta sunt, in infinitum crescere oportuit. Ex quo sexcentis erroribus, & vitijs oppletum fuit humanum genus. Nec mirum, si diuina habent oracula. *Hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitu miscuerit quæstionibus.* Vt in hoc, ita in multis, vel minimis quotidie peccatur ab imprudẽtibus, quo fit, vt magnum sit ad stabiliendam causſam adiumentum, destinatum finem agnouisse. Videas aliquos ad dicendum aggredi, antequam quid velint, aut spectent, aut à quibus, aut quomodo destinarint. Vnde & verba quasi globulos ex argilla mittunt in pectora, quæ statim franguntur antequam eò, quò missa sunt, perueniant. Contrà alios, qui & finem syncerum omnino spectant, & ipsum qualis sit egregiè norunt, faces, & sagittas ignitas in animos spargere. Tanti est in eo esse prudentem. Est autem finis, vt rectè animaduertit Aristoteles, id cuius gratia fit aliquid, idque non extremum, sed optimum, & rectè D. Augustinus finem *perfectionem* esse ait, non *consumptionem*. Vbi rectè assignatus est finis, quod in deliberationibus maximè facto opus est, ad eum tanquam ad centrum omnia argumenta referri solent, quæ media esse oportet ad finem destinatum consequendum. Hunc sibi finem aliquis proposuit, diuitem fieri oportet, *Benè moritur, qui dum moritur, lucrum facit.* Continuò auaritia suggerit argumenta ad finem accommodata.

Eccl. 7. v. 30.

S. Aug. enarr. in psalm. 33. *Vsus finis in deliberationibus præcipuus.*

Pers. sat. 6. 75.

Vende animam lucro, mercare, atque excute solers,
Omne latus mundi: ne sit præstantior alter,
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta,
Rem duplica. Fecit: iam triplex, iam mihi quarto
Iam decies redit in rugam. Depunge, vbi sistam.
Inuentus, Chrysippe, tui finitor acerui.

At si quis amat bonam mentem, & cœlum itineris sui terminum statuit, inclamat *Spiritus.*

— nostrum est
Quod viuis: cinis, & manes, & fabula fies,
Viue memor lethi: fugit hora, hoc quod loquor inde est.

De vsu & amplificatione eius sarum.

CAPVT XLVIII.

Ex iis apparet huius loci vsum frequentissimum esse, eundemque vtilissimum. Materia ad corporearum rerum, siue naturalium, siue manufactarum commendationem, vel vituperium valet. Qualis est enim materia, tale plerumque est opus, sic Cicer. 3. de natura Deorum, omne corpus mortale esse probat, quia constat ex elementis. Omne corpus, inquit, aut aqua, aut ignis, aut aer, aut terra est, aut id quod concretum ex his, aut aliqua ex parte eorum, horum autem nihil est, quod non intereat. Efficiens eruditam habet cognitionem, & vbi multæ simul congruunt, peramplam dicendi materiam suppeditant. Tum in excogitando ingenium, in diligendo iudicium, in explicando flumen orationis expromunt. Forma interior ad Philosophos pertinet, species, & figura exterior ad hypotyposeon vsum non mediocriter facit. Iam verò finis, in deliberatiuis orationibus, omnino necessarius est, & ad ordiendam orationis telam aptissimus. Ex causſarum qualitate, effectorum fermè rationem, conditionemque inferimus, non leuibus argumentis, si modò causſæ ipsæ rectè assignatæ fuerint. Alioqui non deerit confutandi locus, si materia, si forma, si efficiens, aut finis, præter rem, aut etiam contra rem ab aduersario constituetur, ostendetur peccasse in principijs, causſas, aut falsſas pro veris, aut obscuras pro certis, aut pro germanis remotas attulisse: Aliæ proferentur, quæ cum ratione, & communi hominum sensu, & effectis consentiant. Sic qui Solem noctis causſam dixerit, quod eius absentia terris nox irrepat, conuincetur falsſam causſam attulisse, non enim Sol causſa tenebrarum est, licet ex eius absentia nox necessario consequatur. Verum cùm ansſam cæteræ causſæ refutationis præbeant, maximè tamen efficiens, quæ vt plurimum in multos ramos diffundi solet, & accommodatè per amplificationem tractari.

Cic. 3. de natura Deorum.

Exemplum istius confutationis habes in Arnobio contra Ethnicos, qui Christianos orbi terrarum omnium malorum fontem extitisse dicebant, hoc ille primum irrisione traduxit.

Arnob. l. 1. aduers. gen. Nunquid (inquit) postquam Christiani esse cœperunt, in contrarias qualitates, prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Nunquid machinæ huius, & molis, qua vniuersi regimur, & continemur inclusi, parte est in aliqua relaxata, aut dissoluta constructio? Nunquid vertigo hæc mundi primigenij motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Nunquid ab occiduis partibus attollere se astra, atque in ortu signorum fieri cœpta est inclinatio? Nunquid ipse siderum Sol princeps, cuius omnia luce vestiuntur, atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? Nunquid Luna desijt redintegrare se ipsam, atque in veteres formas nouellarum semper restitutione traducere (ita ludit per interpretationem) mox ea, quæ imputantur Christianis, ante Christianos contigisse conuincit. Casus, inquit, frequentissimi grandinis accidunt, in literis priscis non videmus imbres saxeos totas sæpe comminuisse regiones, difficiles pluuiæ fata faciunt emori, & sterilitatem indicunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit, cùm etiam flumina cognouerimus ingentia limis inhorruisse siccatis? Pestilentiæ contagia vrunt genus humanum. Annalium scripta percurrite, vniuersas discetis gentes sæpenumero desolatas, & viduatas suis esse cultoribus. (Deinde) quando est humanum genus aquarum diluuijs interemptum, non ante nos? Quando mundus incensus in fauillas, & cineres dissolutus est, non ante nos? Quando vrbes amplissimæ marinis coopertæ sunt fluctibus, non ante nos? & cætera, quæ ille vastè prosequitur. Mox confutatis istis, quæ afferebantur caussis, alias subijcit.) *Quid si enim* prima materies, quę in rerum quatuor elementa digesta est, miseriarum omnium causas suis continet irritationibus innolutas? Quid si syderum motus certis signis, partibus, temporibus, lineis, pariunt hæc mala, & subiectis afferunt variorum discriminum necessitates? Quid si statis temporibus rerum vicissitudines fiunt, atque vt in maritimis æstibus, modò secundæ res affluunt, modò rursus refluunt malis reciprocantibus prospera? Quid si materiæ fax ista, quam sub nostris calcamus ingressibus, hanc habet sibi legem datam, vt expiret nocentissimos halitus, quibus corruptus aer iste, & corporibus labem ferat, & negotia infirmet humana? Quid si, quod proximum vero est, quicquid vobis videtur aduersum mundo non est malum? Sic poterit hic locus diserte amplificari.

Effecta.

CAPVT XLIX.

EX ijs, quæ de caussis hactenus dicta sunt, facilè est effectorum rationem cognoscere, quando effecta sunt orta de caussis, & habent perpetuum inter se commercium. Quò fit vt caussæ in quatuor distinctæ species, tot effectorum creent genera: Est enim suus cuique effectus, quasi soboles addicta, ex quo virium suarum capit argumentum. Homo corporeus est, videtur, tangitur, palpatur, hoc habet à materia: ratiocinatur, intelligit, sapit, & id nactus est à forma: Tres facultates, in vna anima præcellentes obtinet, intellectum, voluntatem, & memoriam. Caussæ efficientis, hoc est, Dei vnius in tribus personis character est eximius, & maximus. Ad æternum bonum se, suaque dirigit, adhoc finis proprius impellit. Ita quæque caussa distinctos sortitur effectus. Est autem huius loci vius amplissimus, idemque fœcundissimus. Si genus demonstrationum spectes, sæpius hoc pertexitur loco: quid enim illa rerum gestarum commemoratio aliud continet, quam effecta? Si iudicialis generis habeatur ratio, hoc loco fulcitur; cum præsertim, tam frequens facti, & infecti quæstiones agitentur. In deliberatiuo quoq; genere multa necessariò effecta, sæpius expromenda sũt, sed hæc ἐν τύπῳ. Nunc si accuratius consideretur, ad ea potissimum vtilissimus inuenietur. Primum est, quod res eas, quas sua natura texit, & quasi tenebrarum latebris vallauit, effectorum beneficio, quasi per sobolem parentes, agnoscamus. Si non plena, saltem rudi cognitione. Sic Deus O. M. ex effectis agnoscitur, vt argumentatur Minutius. *At enim, quem colimus Deum, nec ostendimus, nec videmus. Imò ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possimus, videre non possimus.* In operibus

Vide Cic. in Topic. sect. 67.

Vsus efficientis, ũ amplissimus.

Minutius Felix in Octauio.

ribus enim eius, & in mundi omnibus motibus, virtutem eius, semper præsentem aspicimus: cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. (Deinde) Etras ô homo, & falleris. Vnde enim Deus longè est, cum omnia cœlestia, terrenaque, & quæ extra istam orbis prouinciam sunt, Deo cuncta plena sunt? Vbique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In Solem adeò rursus intende: cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est. Pariter præsens vbique interest, & miscetur omnibus, nusquam enim claritudo violatur. Quanto magis Deus author omnium, ac speculator omnium, à quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris! Non tantum sub illo agimus, sed cum illo (vt propè dixerim) viuimus. Ne nobis de nostra frequentia blandiamur, multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus.

D. Cypr. lib. de bono patientiæ.

Sic ex eo quod videamus Dei nutu, tempora obsequi, spirare ventos, fontes fluere, grandescere messium copias, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere, Dei bonitatem laudat Cyprianus. Ex eodem loco petuntur, virtutum, vitiorum, affectuum, quæ oculis corporeis minimè patent, argumenta. Ira non videtur? Audax, & minax iratorum vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria, iræ soboles, satis arguunt qualis mater ipsa sit, si adhuc ignoras? Vnde, vt per iram spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: Taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur: Leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus, rapidorum canum tristis aspectus est, ignorare non poteris, non leue monstrum esse, à quo tantus in omnibus animantibus furor pariatur. Si turbinem nescis, rapta ab eo armenta, & totas naues in sublime elatas agnosce, quam vehemens, & furiosus sit, agnosces.

Vide Sen. lib. 2. de ira.

II. Ad narrationes, & descriptiones plurimum valent effecta, ex ijs enim res clarissimè subijciuntur oculis. Sic canina fames describitur ab Ouid.

— petit ille dapes sub imagine somni,
Oraque vana mouet, dentemque in dente fatigat,
Exercetque cibo delusum guttur inani;
Proque epulis tenues, nequicquam deuorat auras:
Vt vero est expulsa quies, furit ardor edendi,
Perque auidas fauces, immensaque viscera regnat:
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aer,
Poscit, et appositis quæritur ieiunia mensis,
Inque epulis epulas quærit, quodque vrbibus esse,
Quodque satis poterat populo, non sufficit vni,
Pluſque cupit, quo plura suam demittit in aluum.

Similia sunt infinita, quæ in libro descriptionum reperies.

III. Ad amplificationes aptissimi sunt effectus, & quo plures sunt, eò fusius rem extẽdunt. Rectè autem tractantur per congeriem vibratam, & intercisam, vt *Patientia est*, quæ nos Deo commendat & seruat: Ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinã regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis, & maritatis indiuiduam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias, & contumelias mites, &c.

D. Cypr. de bono patientiæ.

Quod ad vim, & vsum argumenti attinet, non est vbique ratum, malam esse causſam, ex qua mali effectus prodeunt, fit enim plerunque, vt ex alio fonte manent effecta, quæ certis causſis ascribimus, cum ipsæ tantum per accidens concurrant, vt non est ferrum malum, quod interficit, sed nos ipsi improbi, qui id in mala nostra conuertimus, quod aduersus feras datum est. Et ita Seneca ventos bonos esse probat ab effectis permultis. Dedit, inquit, Deus ventos ad custodiendam cœli, terrarumque temperiem, ad euocandas, supprimendasque aquas, ad alendos satorum, arborumque fructus: quos ad maturitatem cum alijs causſis adducit ipsa iactatio, attrahens cibum in summa, & ne torpeat promouens, & cæt. At si lacerant nauigia, nostrum peccatum est, qui per auaritiam clementa mundi confundimus.

Vis huius argumenti.

Senec. lib. 5. quæ. nat.

Adiuncta, Antecedentia, Consequentia.

CAPVT L.

VT diuersis coloribus illitæ fulgent tabellæ dulcius, atque excitatius sunt gratæ: Ita varijs vndique adiunctis perspersæ quotquot cæli ambitu res continentur, suauiorem quandam habent speciem dignitatis. Illa igitur vocantur adiuncta, quod sint cum re coniuncta, quæ tantam probationum materiam suggerunt, vt hic vnus locus, rationum, & argumentorum seminarium meritò appellari possit. Habet autem apud Rhetores (vt notat Marcus Tullius in Topicis) locum præcipuum. Nam & ij adiunctis vtuntur sæpius, & delectantur impensius. Omnia orationum genera siue illa Demonstratiua sint, siue Deliberatiua, siue etiam ad forum, controuersiasque pertineant, hoc vno maximè nituntur loco, ita tantum habet vbique fœcunditatis. Licet autem innumera sint, quæ vocantur coniuncta, possunt tamen ad septem genera reuocari, quæ vulgari versiculo continentur:

Adiuncta latissimè patent apud Oratores.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quis, personam significat, in qua spectantur adiuncta animi, corporis, & fortunæ (vt vulgus appellat) in animo expenduntur affectiones, vt amor, & iracundia; vitia, vt ambitio, auaritia, luxuries; artes denique, & disciplinæ, vt Grãmatica, Rhetorica, Philosophia, quæ omnia latissimè diffunduntur. In corpore, figura, species, color, deformitas, pulchritudo, valetudo, debilitas, tarditas, agilitas &c. In externis, nomen, genus, conditio, victus, vestitus, consilia, facta, casus, orationes, &c. propè insinita.

Salust. in Catil.

Ab adiunctis animi, fortunæ, & corporis sumptum est illud Sallustij, Lucius Catilina nobili genere natus fuit, magna vi, & corporis, & animi, sed ingenio malo, prauoque: huic ab adolescẽtia, bella intestina, cędes, rapinæ, discordia ciuilis, grata fuere, ibiq; iuuẽtutem exercuit, corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, suprà quam quicquam credibile est, animus audax, subdolus, vanus, cuiusuis rei simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum, vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. A corpore ductum est illud Martial.

Marial. ep. 4. l. 32.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Item Ciceronis, Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, & clamitare crudelitatem videntur. Nonne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum, si quam coniecturam affert hominis tacita corporis figura, ex fraude, mendacijs, & fallacijs constare videtur; qui idcirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne pilum vllum boni viri habere videatur. Sic Medici, & Physiognomici sana esse corpora conijciunt ab adiunctis, quando appetitum habent cibi addictis horis, benè comedunt, & æquè digerunt, suos somnos dormiunt, citò sudãt, rarò sternutant, leniter incedũt, mediocriter pinguescunt, & omnibus sensibus vigent, hæc adiuncta sunt sani corporis.

Cicero.

Accedunt externa, vt vestes, apparatus, comitatus, & cęt. Sic D. Gregor. Nazianz. in descriptione muliebris choragij, varia ornamẽtorum adiuncta prosequitur. Ξανθὰς πλοκαμίδας, βοστρύχων ἕλικας, καὶ σφίσματα σκηνοποιούντων τὴν ἡμίαν κεφαλὴν ἀλμότατα, καὶ ἐσθῆτος περιῤῥεούσης, καὶ διαφανοῦς πολυτέλειαν &c. de quibus alio loco.

D. Gregor. Nazianz. orat. 11.

Quid, negotium ipsum, quod geritur, indicat, itaque potius est adiunctorum sedes, & fundamentum.

Vide Cic. in partit.

Vbi, loci differentias complectitur, sacri, profani, maritimi, remoti à mari, plani, montuosi, leuis, asperi, salubris, pestilentis, opaci, aprici, culti, inculti, celebris, deserti, ædificati, vasti, obscuri, rerum gestarũ vestigijs nobilitati, à quibus singulis possunt desumi argumenta; Sic Marcus Tullius, Antonij, qui pro concione vomuerat, fæditatem à loco exaggerat. Si inter cænam in tuis illis immanibus poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu verò P. R. negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal impleuit.

Cic. 2. Philipp.

Auxilia non modò ministros, sed varia quoque instrumenta ad rem gerendam necessaria complectuntur, vt in venatione sunt:

Retia

Virg. 4. Aeneid. Oppia l. 1. ven.

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro.

quæ Oppianus fusius:

Δίκτυα τε σχαλίδας τὲ βρόχων τε πολύστονα δεσμὰ
Αρκυας, ἐυστρεφέας τε λυγοὺς, ταναόν τε πάναγρον:
Cassesque, furculasque, funiumq; stridentia vincula,
Retia crassa, beneq; plexa vimina, longumque Pantherem.

Cur. Caussam amplectitur, siue vnam, siue plures, maximè tamen effectrices, adiuuantes, vel finem, qui ad agendum impulerit, de quibus superiori loco dictum est.

Quomodo, Rei gestæ varios modos enucleat, si sacrificium, si triumphus, si pompa, si cædes narratur, statim modus, & ratio rei gestæ ponitur ob oculos. Sic Arnobius contra gentes, ritum Ethnicorum in colenda Cybele percenset, & interpretatur. Quid enim sibi vult illa pinus, quàm semper statis diebus in Deûm matris intermittitis sanctuario? Nonne illius similitudo est arboris, sub qua furens manus, & infelix adolescentulus intulit, & genitrix diuûm in solatium sui vulneris consecranit. Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis, & circumuoluitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus iam deficientem contexit, & teporis aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus? Quid compti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, vti mater primigenijs floribus adornauerit pinum miserabilis indicem, testimoniumque fortunæ. Quid pectoribus applaudentes palmas passis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater Turrita cum Ædesti lachrymabili puerum prosequuta est eiulatu? Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen *Castus*? Nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mœroris abstinuit? Sic ab adiunctis modi, & variorum instrumentorum, carpendi illius sacri impij verè, & ridiculi materiam quæsiuit. Eodem modo Heliodor. Aethiop. hist. lib. 1. Pompam describit ab adiunctis. Ηγείτω μὲν Εκατόμβη τῶν τελουμένων ἀνδρῶν, ἀγρικότερων βίον τε καὶ στολὴν ἐφελκομένων. τὸ μὲν ζῶσμα ἑκάστῳ χιτῶνα λευκὸν εἰς ἀγκύλην ἀνέστελλε, χεὶρ δὲ ἡ δεξιὰ σὺν ὤμῳ καὶ μαζῷ παραγομνουμένη πέλεκυν διάστομον ἐπεκράδαινεν.

Arnob. l. 5. adu gentes

Heliod. Aeth. 3.

Primum quidem procedebant centumuiri initiati, non minus vita, quàm veste rustici, & singuli tunicas habebant candidas, quas tortilis nodus substrictas colligebat. Manus dextera simul cum mamilla, & humero nudata, ancipitem securim vibrabat, &c. de quibus in descriptionibus.

Quando, designat tempus. In temporibus præsentia, & præterita, & futura cernuntur. In his ipsis vetusta, recentia, instantia, paulo post, aut aliquando fututa. Insunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quasi naturam norant; vt hyems, ver, æstas, autumnus; aut anni tempora, vt mensis, vt dies, vt nox, hora, tempestas, quæ sunt naturalia. Fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiæ. Inter hæc adiuncta, alia alijs præstantiora, & rei propiora sunt, longè enim magis proprium est homini loqui, equo hinnire, quàm illi pileũ, huic ferre ephippium. Ex quibus facilè colliges, licet adiuncta eius sint naturæ, vt rem necessariò non conuincant, vbi tamen magis singularia sunt, aut multa simul conglobata, non parùm obtinent roboris: vt in cæde probanda telum, cruor, clamor, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, &c. Confutantis erit ea, quæ ex adiunctis ad probandum erunt petita, vt obscura, incerta, omni mutationi obnoxia refellere; eadem rebus ab eo, quod intenditur alienissimis, tribuere, vt pallorem, timorem, & trepidationẽ, etiam innocentissimis ad criminis facti nouitatem obstupescentibus.

Cicer in partit.

M. Antonius 2. de oratore, adiuncta cum antecedentibus, & consequentibus coniungit. At verò M. Tullius in partitione rectè distinguit, quoniam adiuncta ex sua natura non concludunt necessariò, quod sint rerum signa. & περιστάσεις Antecedentia verò, & consequentia necessitatem habent conclusionis, si modò talia sint, qualia esse oportet. De his hæc habet Cicero in Topicis. Locus Dialecticorum est proprius ab antecedentibus, & consequentibus, & repugnantibus, nam adiuncta, de quibus antè diximus, non semper eueniunt. Consequentia verò ea dico, quæ rem necessariò consequuntur Antecedentia, quæ rem necessariò antecedunt: vt si homo est, animal est, si Sol ortus est, dies est. Talia sunt illa Lactantij. Quod dissoluitur interit, quod interit ortum sit, necesse est,

Adiunctorum ab antecedent. & consequent. discrimen.

Lact. l. 2. c. 9. exempl.

quod ortum est, habuit fontem vnde oriretur, id est, factorem aliquem, sentientem, prouidum, peritumque faciendi. Item, Quod semper fuit, semper esse non desinit, & vnde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Materia si facta non est nec fieri ex ea quicquam potest, si fieri ex ea non potest, nec materia quidem erit. Materia enim est, ex qua aliquid fit. Dices hunc locum minimè videri ab alijs seiungendum, cùm præsertim instar spiritus, & sanguinis permeet vniuersos. Ita res quidem se habet, si res ipsæ spectentur, at verò si necessitas consecutionis, quæ sola considerari debet, in iudicium, disceptationemq; veniat, peculiatem ordinē cōstituit. Minus quidem apparet in ijs exemplis, quæ caussæ sunt, & effecta, vt si Sol lucet, dies est, posset & illud quoq; exemplum ad locum caussarum referri. At si dicam vir est, igitur & puer fuit aliquando, facilius hæc inferendi vnum ex altero perspicietur necessitas. Locus hic, vt patet, ad subtiliter aliquid colligendum magis, quàm ad alendam orationis fœcunditatem facit. At verò adiuncta locos amplificationum eximios suggerunt, quod licet passim intueri: vel hic vnus spectetur magni Senecę locus, quo auaritiam describit ex adiunctis.

Antecēd. locus an ab alijs seiungatur.

Senec. l. 7. de benef. c. 10.

Quid agis auaritia? quot rerum charitate aurum tuum victum est? Omnia ista, quæ retuli, in maiore honore, pretioque sunt. Nec volo tuas opes recognoscere, laminas vtriusque materiæ, ad quas cupiditas nostra caligat. Deinde; Video istic diplomata, & Syngraphas, & cautiones, vacua habendi simulachra, vmbras quasdam auaritię laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem Quid enim ista sint? quid fœnus, & Kalendarium, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? Quid sint istæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & sanguinolentæ centesimæ?

Quid aliud habent, quam adiuncta, tot descriptiones corporum, vt camporum, fontiū, fluuiorum, arborum, metallorum, & cætera. Malus punica sic describitur ex adiunctis. Punica malus arbor est, haud adeò procera, folio angusto, nitidiq; viroris, oleę, aut myrti æmulo, crassiusculo, rubris intercursantibus venulis, è rubro pediculo pēdulo. Rami multi flexiles, spinosi: flores punicei, oblongi, calathi modò patuli, ore stellatim dissecto, è quo folia emergūt tenuia, colore coccineo agrestis papaueris æmula, cum granulis quibusdam medijs capillamentis appensis, vt in rosa, Fructus, pomū est corio, & membrana tectum extra rufescente, intra flauescente, innumeris granis fartum, angulosis, rubentibus, vinoso succo refertis ossiculis in eis latentibus, quæ grana incursātibus flauis, tenuibusq; membranis, miro naturæ artificio distinguuntur.

Histor. Plā. l. 3. c. 6.

Contraria repugnantia.

CAPVT LI.

Vide Arist. in categor. c. 3 Cic. in top. sect. 47.

AMphitheatrum quoddam est hic locus, in quo pugnantiū, & collidentium inter se argumentorum robora gratius perspiciuntur, & melius: Siquidem contraria contrarijs opposita magis eluceścunt. Quantam maiestatem habeat hæc argumenti ratio, patefaciam hoc exemplo. Si dicam Christianos pudicos esse, continentes, moderatos, patiētes, iustos, simplices, parum habet ornatus oratio. At si contentionem instituam, & Ethnicorum (vel apud suos optimorum) vitijs oppositis Christianas virtutes ostendam, longè clarius, & suauius emicabunt.

Dignitas huius loci ostenditur illustri exemplo.

Tertull. in apolo. l. 47.

Hoc præstat argumento à contrarijs Tertullianus. Cæterum, si de pudicitia prouocemur, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiantem. Christianus vxori suæ soli masculus nascitur, Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur: At Christianus salvis oculis fœminam videt, *animo aduersus libidinem cœcus est.* Si de probitate defeudam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis thoros, alia superbia deculcat: Christianus, nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Priennenses tyrannidem affectant, Christianus verò, nec ciuitatem. Si de æquanimitate congrediar, Lycurgus ἀνακρτικὸν optauit, quod leges eius Lacones emendassent: Christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem. Anaxagoras depositum hostibus denegauit, Christianus etiam extra fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excide-

excidere fecit, Christianus, nec inimicum suum lædit. Idem Aristoteles, tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato à Dionysio ventris gratia vendicatur: Aristippus in purpura sub magna grauitatis specie nepotatur, & Hippias dum ciuitati insidias disponit, occiditur. Hoc pro suis omni atrociate dissipatis, nemo vnquam tentauit Christianus. Hæc, vt vides, oratio, quæ tam grandis assurgit, fulcitur loco à contrarijs, cuius vis magna est, & amœnitas pergrata. Solent autem hæc contraria in quatuor partiri genera, Aduersa, Priuantia, Affecta ad aliud, & Contradicentia. Aduersa sunt, quæ sub eodem genere posita plurimum differunt, vt virtus, & vitium. Conueniunt enim in genere qualitatis. licet alioqui quam maximè discrepent. Talia sunt ista: Ex hac parte pudor pugnat, illic petulantia; Hinc pudicitia, illinc stuprum: Hinc fides, illinc fraudatio: Hinc pietas, illinc scelus: Hinc constantia, illinc furor: Hinc honestas, illinc turpitudo: Hinc continentia, illinc libido.

Cic. 2. in Catil. n. 25.

Vsus huius loci est, vel in amplificanda, vt si sobrietatis honestas & decus, ex descriptione ebrietatis subijciatur oculis, & dicas, sobrietatis eam esse pulchritudinem, quæ satis corporeis oculis videri nequeat, eam melius ex oppositio ebrietatis vitio intelligi. Deinde stultitia, & fœditas ebriorum exaggeretur his verbis, Sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de Imperatoribus, & Potestatibus iudicant, imo regnare sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, *ciuitates ædificant, qui non habent vnae cauponi potus sui pretium soluant.* Feruet enim vinum in his, & nesciunt quid loquantur: diuites sunt, inebriantur: mox vbi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Vno die bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedũt, pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quàm fortes sibi videntur homines in vino, quàm diserti, quàm etiam pulchri, ac decori, cum stare non possint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor exanguis ora suffũdit, fœtor ebrietatis horrori fit, Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas, & cœterã, de quibus alibi plenius. His commemoratis, ponantur sobrietatis contrariæ: virtutes, tranquillitas mentis, lumen ingenij, vis prudentię, honestas, affabilitasque sermonis, studium sapientiæ, in rebus gerendis industria, in sumptibus faciendis moderatio, &cæt. Ita ornatissimæ fient amplificationes. Alias vsus contrariorum est ad probabilitatem, stricteque, & limatè colligit argumentum duobus præsertim modis. Ab affirmatione ad negationem, & à negatione ad affirmationem. Ab affirmatione, vt cum vno affirmato negatur alterum, sic Martialis:

Ebrius es, nec enim facères hæc sobrius vnquam.

Sapiens est, igitur minimè stultus. Hoc necessariò concludit. Aliter à negatione ad affirmationem non valet, nisi ea sint contraria, quæ nihil intermedium habeant, vt si verum est Syri axioma: Mulierem, aut amare semper, aut odisse, nihil esse tertium: bene colliget, qui sic argumentabitur. Mulier non amat, igitur oderit necesse est. Contra titubat istud, non est albus igitur est niger.

Priuantia sunt habitus, & eius priuationes, vt mors, vita, lux, tenebræ, visus, cœcitas. Differunt ab aduersis, quod priuationes nihil ponunt in re, sed solam contrarij absentiam indicant, vt mors, vitæ: tenebræ, lucis: cæteroqui ista nihil sunt. Deinde aduersa sibi inuicem succedere possunt, vt calor frigori, & frigus calori. At priuantia (si modo potentiæ non actus sit priuatio) hoc minimè possunt. Cæteroqui habẽt illud cum cæteris commune, vt ipsis idem conuenire non possit, & se ex eodem subiecto expellant etiam validius, quam aduersa, quæ in temperato gradu sibi inuicem conciliari possunt. Tandem porro amplificationis materiam, ac superiora suggerunt. Nam V. G. vitæ miserias hac oratione patefacit magnus doctor. Vita hæc est vita dubia, vita cœca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbidat, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactitant, paupertas deijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hæc omnia mors interimit. Ostendit, contraria morti conuenire, quę nos hisce miserijs, & molestijs expediat. Hæc

D. Amb. de Elia c. 12.

D. Aug. in Iacob. quæ est vita nos-

stra.

D. Au-

D. Augustinus subtilis in inueniendo, in disponendo prudens, in elocutione minus sæpe latinus. Sic qui cæcitatis tranquillitatem, & commoda memorat, Petrarcha Dialog. 96. Diuersa videndi facultati conuenire asseuerat.

Comparata, seu, vt Logicis appellantur, relata ea sunt, quæ se mutua naturalis affectionis consociatione, complectuntur, vt datum, acceptum, pater, filius, id enim habent ex sua natura, contra legem cæterorum contrariorum, vt vno posito ponatur & aliud, hoc sublato tollatur. Et ex hac ratione vim in affirmatione, & negatione capiunt. Vt *ex quo profectò* intelligi potest, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Apta sunt ista omninò ad aliquid exiliter colligendum, minus ad amplificationis vbertatem valent, quò fit vt ad Dialecticos, qui eadem copiosissimè tractant, à Rhetoribus remittantur. Nec plus habent succi, quæ vltimo contrariorum loco recensentur. *Contradicentia*, quæ nihil aliud sunt, quam opposita, quorum vnum negat, alterum affirmat. Itaque simul de eodem, atque eadem ratione, vera esse non possunt. Vim habent ad pressè, & subtiliter vrgendum, conuincendosque vehementer aduersarios. Sic Cicero prima Tusculana mortuos non esse miseros probat contra Epicurum, quod esse, & non esse, contradicentia sint, quæ simul vera esse, non possunt, nec falsa. Ergo cum mortui non sint, nec erunt miseri, alioqui simul essent, & non essent. Eo verò acrius vrgent, quo magis inter se pugnant, vt sunt *Repugnantia*, quæ nulla certa lege, aut numero dissident. Qualia sunt amare, & cruciare, parcere, & sæuire, dissimulare, & punire. Hoc loco inuectus est Tertullianus in edictum Traiani, qui Christianos non quidem inquiri, sed oblatos puniri volebat. O *sententiam* (inquit) necessitate confusam, negat inquirendos, vt innocentes, & mandat puniri, vt nocentes: Parcit, & sæuit, dissimulat, & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? si damnas, cur non & inquiris? si non inquiris, cur non & absoluis? Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur. In reos maiestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est, ad socios, ad conscios vsque inquisitio extenditur, solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblatio. Dānatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum; qui puto iam non metuit ideo pœnam, quia nocens est, sed quia non requirendus, inuentus. Et Lactantius eodem fermè telo ferit Stoicos, cùm eos ostendit Deum facere præstantissimam naturam, eandemque vilissimam, si Deus est mundus (inquit) vt sentiunt, quò eius præstantem naturam magis commendent, & partes eius vtique immortales sunt. Ergo & homo Deus est, quia pars est (vt dicitis) mundi, si homo, ergo iumenta, & pecudes, & cætera genera bestiarum, & auium, & piscium, quoniam & illa eodem modo sentiunt, & mundi partes sunt. At hoc tolerabile est, nam & hæc colunt Aegyptii, sed res eò peruenit, vt ranæ, & culices, & formicæ, Dij esse videantur, quia & ipsis inest sensus, & partes mundi sunt. Hoc genus argumenti ad refellendos, conuincendosque aduersarios potentissimum. Restat vt de similitudine, differentia, comparatione maiorum, minorum, & parium dicamus.

Cic. pro Marcell.

Repugnantia.

Tertul. in apolog. c. 2.

Lact. lib. 2.

Ratio Empedocli.

Confutatur.

De similitudine.

Similitudinis locum esse non modo delectabilem, sed vtilem contra Euclidem.

CAPVT LII.

SCena est mundus, plena imaginibus, homo ipse imago est, *& in imagine pertransit*: quid mirum igitur, si rerum similitudinibus, & imitatione delectatur. Fuit illa quidem Euclidis, Magarensis, & aliorum nonnullorum sententia, locum similitudinis, vt prorsus inutilem de cæterorum albo eradendum esse: vel enim quod affertur simile rei, cui accommodatur rectè congruit, vel est ab eius natura, rationeque disiunctum. Si primum, cuius tandem (aiebat) simplicitatis est, cum corpus, habeas vmbram quærere, & rerum soliditate contempta, vanas imagines consectari: si alterum, tota similitudo non modò inanis, sed etiam inepta redditur, atque importuna.

Sed hanc arguti hominis sententiam diluere non est adeò nobis oppositum. Fatemur enim similitudines esse congruas rerum imagines, & eas quidem rebus etiam antea perspectis placere, & dum placent persuadere.

Accidit enim sæpissimè; vt viuum hominem, & spirantem minimè miremur, at viui,

&

& spirantis hominis effigiem, delicatissimum naui alicuius pictoris monumentum, ipsius artis, atque industriæ suauibus illecebris capti, longè magis amplectamur. Imò turpes, & monstrosos vultus, quos re ipsa odimus, in picturis diligimus, tanta est vis similitudinis. Nec immeritò Deus O.M. vt nos ad sui amorem pelliceret, suæ diuinitatis vestigia in rebus creatis longè, lateque dispersit, sed maximè in homine, cui se illustriori quadam maiestatis nota penitus affudit. Atque vt illum Phidiam ferunt in Minerua, quâ præ cæteris simulachris eximia præstantissimæ manus gloria, omnibusque artis lenocinijs expolinerat, suam imaginem impressisse: Sic Deus prepotens ille rerum moderator homini radium suæ maiestatis, præclarissimam imaginem inussit, nec eâ tantum re contentus, mundũ illum elementarem, quem cernimus, ad superioris cuiusdam, atque intellectualis formam similitudinemue composuit. Deinde cum rudes, & impolitos homines ad se traduxit, sanctissimisq; legibus vincire cœpit, prius quidem figuras veluti quasdam veritatis vmbras præmisit, quas cœlesti postea luce collustraret. Quid in corpore ipso, num indicia sũt mentis, num animæ simulachrum est ratio, & rationis oratio? Num maioris mundi in minori ducta sunt lineamenta? Num Ecclesiæ status ad cælestem hierarchiam collineat? nũ facultates, num artes, num omnia, si benè spectentur, spirant quandam rationem similitudinis? Ex quibus profectò conformationis quadam necessitate similitudines videmus in orationem influxisse, quarum non modò suauis est iucunditas, sed ratio ipsa efficacissima est. Videre enim licet permultos, qui proposita rerum nuda varietate nullo modo mouentur, aucupio quodam elaboratæ similitudinis delectari, rapi, incendi. Hoc vt cætera disertissimè dixit D. Augustinus epistola centesima decima nona, vbi quantum in parabolis, & similitudinibus momenti sit positum, his verbis ostendit.

Credo, quod ipse animi motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflãmatur, si verò feratur ad similitudines corporales, & inde ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus incẽditur, & ardentiore dilectione rapitur, ad requiem, & quietem. Conducebat enim hæc sensuum multiplicitas humanæ mentis somnolentiæ excitãdæ. Quod in promptu est, negligimus, vt in foribus hydriam iuxta Græcorum prouerbium, ad recondita, semotaq; iumus auidiores, & vt magis illa iuuant, quæ pluris emuntur. ita cariora nobis sunt, quæ cũ labore sumus assequuti, & quàm quæ vltrò obtigerunt. Præterea, *quemadmodum multa per vitrum succina, pellucent iucundius, ita magis delectat veritas per allegoriam reducẽs.* Demũ sicut habet plus caloris radius speculo, aut æneæ pelui exceptus, ita vehementius afficiunt animos nostros, quæ per allegoriam traduntur. Hæc D. Augustinus, in quibus non modò delectationem, sed & vim tribuit similitudini permagnam. Nolim tamen diffiteri apud Dialecticos, telum plerunque imbecillius esse similitudinis argumentũ, quod exagitari, vellicariq; facilius potest, sed apud oratores, vbi res aliquando non tã probandæ sunt, quàm illustrandæ, persuasionem obtinet cumquadam illecebra delectationis.

Similis à Minerua Phidia.

Omnia spirant similitudinem.

D. Aug. ep. 119, Præclarus D. Aug. locus in commendatione similium.

Definitio similitudinis, & diuisio in simplicem, & compositam.

CAPVT LIII.

SImilitudo est cognitionis quædam inter res similes affectio. Affectio rerum dicitur, ne in ipsa tantũ oratione sita existimetur, similitudo; oportet enim ante industriam comparantis, mutam esse in ipsis, quæ comparantur rebus speciem similitudinis. Hæc autem affectio, vel maior est, vel minor, vel in vno, vel in pluribus adiunctis intercedit, quod minimè necesse sit, quæ comparantur consentire prorsus in omnibus, alioqui paria magis essent, aut æqualia, quàm verè similia. Quod multi haud satis intelligentes, in deteriorem ea, quæ per similitudinem dicuntur partẽ rapiunt, atque vbi simplex est ratio similitudinis, ibi requirunt æqualitatem, in quo varios, & multiplices trahi errores necesse est. Comparari potest homo cum aquâ, cum igne, cum formica, cum elephanto, cum rebus non modo diuersissimis, sed etiam plenè aliquando contrariis. Nec tamen vitium erit in comparatione. Si modo vnum, aut alterum caput similitudinis complectatur. Si diceretur ignis aqua, leo, elephas, formica, continuò in eodem ignis, aquæ, elephantis, formicæ, partes essent assignandæ, sed cum igni, aquæ, elephanto, formicæ similis dicatur, vnum duntaxat cognationis argumentum proponatur, sufficit, ad

Vide Cic. ad Her. l. 4. sect. 60. & de inuent. sect. 42.

Similitudo non est æqualitas.

ipsam rationem similitudinis. quæ est adiunctarum saltem rerum comparatio. Adiunctorum autem tot possunt esse collationes, quot sunt prima rerum genera, siue categorię. Nam licet sæpius in qualitate, quæ larissimè funditur similitudines consistant, cæteras tamen categorias, vt quantitatem, & situm, vt agere, vt pati, & similia, complectuntur.

Diuisio similitudinis

Similitudinis autem variæ diuisiones, & genera notantur à Rhetoribus. Et primũ quidem similitudo simplex est, quæ duarum est rerum in vna duntaxat affectione consensus, vtauari, & hydropis in cupiditate. Alia multiplex, qua modò res multæ cum multis in eadem parabola comparantur, modò vna cum multis, modò duæ quidem conferuntur, sed in affectionibus multiplices.

Theodor. imorat. de fide.

Videas in hoc Theodoreti exemplo quatuor, imò octo comparari. ὅπερ γὰρ ἐν ἐστιν ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, τοῦτο ἄρα πίστις ἐν διανοίᾳ. Μᾶλλον δὲ ὥσπερ ὀφθαλμὸς δεῖται φωτὸς ἐπιδεικνύντος τὰ ὁρατὰ, οὕτω δὲ αὖ καὶ ὁ νοῦς δεῖται πίστεως ἐπιδεικνυούτης τὰ θεῖα.

Quod enim est oculus in corpore, hoc fides in mente. Imò, vt oculus eget lumine, cuius beneficio cernat ea, quæ in vidẽdi sensum cadunt, sic mens luce, quæ ostendat diuina. Cõparantur oculus, fides: corpus, mens: diuina, visibilia: Iterum lux, & fides, quanquam alia in qualitate, vt lux, & fides: alia in habitudine duntaxat, vt mens, & corpus conferuntur. Alias vna duntaxat cũ multis, & in multis confertur, quò gratia similitudinis existit suauior Qualis est ista Senecæ. In homine optimum quid est? Ratio: hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus, satisq; communia sunt. Valet? & leones. Formosus est? & pauones. Velox est? & equi. Nõ dico in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habeat, sed quid suum Corpus habet, & arbores, habet impetum, & motum voluntarium, & bestiæ, & vermes. Habet vocem, sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem, mobiliorem que lusciniæ.

Sene ep. 76.

Elegans, & opulenta comparationis species.

Huius similitudinis magnus decor est, & iucunditas, quia summa celeritate animũ transfert in varia, quo motu creatur delectatio. Vidẽ tam paucis verbis hominem compatatum cũ leone, cum pauone, cum equo, cũ arboribus, cum vermibus, cum canibus, cum tauris, cum aquilis, cum luscinijs, & singula singulis attributa præclarè assignata. Res autẽ duas in multis affectionibus comparare, satis illud quidẽ commune est, & quò plura reperiuntur similia, eò maius est decus similitudinis. Tales sũt ornatissimæ similitudines, quæ per σύγκρισιν fiunt, qualis est ista apud Arnobium, vbi taurus agens suam caussam apud Iouẽ, contra hominum crudelitatẽ, a quibus indignè mactatur.

Arnob. aduers. gentes.

An quod animal vile sum (inquit) nec rationis nec consilij particeps, quemadmodũ pronuntiant isti, qui se homines nominant, & ferirate transiliunt belluas. Nonne primordijs ijsdem eadem, & me genuit, informauitq; natura? Nonne spiritus vnus est, qui & illos & me regit? num consimili ratione respiro, & video, & cæteris afficior sensibus? Habent iecora, pulmones, corda, intestina, ventriculos, & mihi membrorum, non idem numerus est attributus? Amant suos fœtus, & gignendis cõueniunt liberis. Non & mihi prolis subrogandæ est cura, & dulcedo cum fuerit procreata? Sed rationales illi sũt, & articulatas exprimũt voces, & vnde illis notum est, an & ego quod facio, meis rationibus faciam? Et vox ista, quã promo, mei generis verba sint, & solis intelligantur à nobis? Tale est Ciceronis in oratione pro Muręna. Vigilas tu de nocte, vt tuis cõsultoribus respondeas. Ille vt quò intẽdit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caues ne tui consultores, ille ne vrbes, aut castra capiantur, & cæt. Nihil interest autẽ, vtrum hęc articulatim, an permixtim dicantur, vt in illo Senecæ, vt furentium certa indicia sunt, audax, & minax vultus, tristis frõs, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra, & vehementius acta suspiria: Ita irascentium eadem signa sunt: Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & cæt. Vides hic furiosi, & irati, non per articulos diuisam, vt in Ciceronis exemplo, sed confusam in adiunctis collationem.

ALIA

Alia similitudinis diuisio, in parabolam, exemplum, inductionem.

Ac primùm de parabola.

CAPVT LIIII.

SImilitudinem vulgò diuidunt in parabolam, inductionem, & exemplum.

Parabola propriè est rerum alioqui diuersarum, in vna, aut pluribus affectionibus collatio. Dixi, diuersarum, nã genus est aliquod similitudinis, quod citra vllam trãslationum mixturam, ex rebus penè paribus vsurpatur, quales sunt exemplorum comparationes, vt si conferatur orator cum oratore, cum iudice iudex, Imperator cum Imperatore. At parabola ingeniosior est, & res quę comparentur, vt ait Quintilianus, longiùs repetere solet.

Quintil. l. 5. Arist l. 3. Rh. c. 18.

Vnde Aristoteles dixit, paræmias, siue parabolas, fieri ἀπ' ἐλάττονος ἐπ' ἔλαττον, à forma ad formam: ficager cum animo, præceptor cum colono, scutum cum Martis phiala comparatur.

Educuntur autem parabolæ, partim à rebus naturalibus, vt à cælo, syderibus, elementis, meteoris, animantibus, plantis, lapidibus, & cæteris eiusmodi, partim ab artibus, & scientijs, rebus moralibus, & ciuilibus, animatis, inanimis, profanis, sacris, humanis, diuinis. Nihil est denique in rerum natura, quod in similitudinem, conformationemq; aliquam trahi non possit. Ex quo apparet, quàm varia sit, & locuples parabola, quæ latissimè per totius mundi vniuersitatem sese diffundat.

Hoc certè dicendi genus ita placuit antiquis, maximè verò Hæbræis, omnium hominum sapientissimis, vt quicquid modò in eloquentia esset lectissimum, & valde figuratũ, hoc משל *maschal* parabolam dicerent, & ita quidem Salomon auteum prouerbiorum librum inscripsit, non quod omnia per similitudinem dicta sint, plurimæ enim γνῶμαι sunt absolutæ, sed à nobilissima, quam existimabat parte, totum librum denominauit.

Eandem parabolarum in sublimi præsertim locutione, rationem ab Hebræis acceptam omnes Orientales sunt consectati, & hoc ipso tempore, qui apud eos doctiùs, vrbaniusque loquuntur, quamplurima efferunt per parabolas. Nec dubitabit, hũc apud eos principem fuisse sermonem, & quasi cæterarum omnium locutionum dominam parabolam, qui animaduerterit, apud Hebræos eodẽ verbo exprimi, dominari, & parabolicè loqui, hoc enim est משל, quasi ad solos principes, & rerum dominos attinerent parabolæ.

Addo etiam vetus illud Scythicæ eloquentiæ monumentum, quod est in Quinto Curtio; Vbi Principes totius gentis viri, apud Alexandrum Regem legatione fungentes, multa per rotundas, & concisas parabolas exprimunt, vt; (Quid tu ignoras arbores magnas diu crescere, vna hora extirpari? stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque minimarum auium fit pabulum, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui, non sit etiam periculum ab inualido.

Curt l. 7.

Non ex alio fonte, quàm ab Hebræorum imitatione manarunt Pythagoræ symbola, & quæ celeberrima semper fuerunt ÆGyptiorum Hieroglyphica.

Distinguitur porrò parabola in quatuor genera: vna est πάθους, secunda διαθέσεως. tertia φύσεως, quarta πράξεως. Parabola habitudinis, affectus sit, cum habitudine, & affectione; naturæ, & actionis, cùm in natura, & actione res comparantur. Quæ collatio nobilior est, & maior. Quot enim, & quàm varia, ex natura, & actionibus animalium, virtutum ad homines traducuntur argumenta?

Nihil opus est hic persequi pluribus, cum plena sint his collationibus sacra, profanaque argumenta: satagebant enim veteres, quicquid modò ex naturali historia, varijsque antiquarum lectionibus selegerant, ad morum institutionem traducere?

Sic D. Ambrosius, postquam ciconias turmatim exeuntes, stipantesque cornices descripsit, ad exemplum transfert hospitalitatis, his verbis.

Exercitum credas cum signis suis pergere, sic omnes viandi, comitandique, & præeundi ordinem seruant. Cornices autem deducunt eas, ac dirigunt, & velut quibusdam turmis stipatricibus prosequuntur, adeò vt adiumenta quædam bellantibus aduersus inimicas aues conferre credantur, & proprijs periculis bella aliena suscipere. Cuius rei indicium est, quia nullæ per interuallum illius temporis, residere in locis reperiũtur. Et quia

D. Amb. Hexa. l. 5. c. 16.

cum vulneribus reuertentes, manifesta quadam sui sanguinis voce, certisque loquuntur indicijs, grauium se certaminum subijsse conflictum.

(Tum infertur Apodosis.)

Discant homines hospitalia seruare iura, & ex auibus cognoscant, quid religionis hospitibus sit deferendum, quod obsequium deputandum.

Vbi paulò longius ducuntur parabolæ, colliguntuŕq; acutius: tunc in imaginem, & emblema efformantur, quale est illud ex AEliano. Si velis salutem leuiori damno emptam exprimere, cum hoc lemmate: *Ne peream pereo* vel *pro toto pars bene deperditur*, pinge Orcynum sibi vulnus inferentem, vt hamum quo tenetur, eiiciat.

Emblema de Orcyno pisce.

Piscis est Cetaceus, qui natura, non arte, quæ sibi maximè conducunt, intelligit. Itaque si quando hamo captus, & confixus fuerit, primùm quidem luctatur quàtùm potest, vt expellat, quod si minimè facere possit, vulnus secat magis luculētum, & corporis damno, se ab hami molestia, capturaque expedit.

Hoc faciunt qui vitam, & salutem leuioribus redimunt detrimentis. Sic plerumq;, vbi non suppetunt ex historia, sumuntur ex fabulis, & apologis, quæ plurimum habent venustatis, vt ad hanc sententiam illustrandam, *Mendacium cauda nigra sit*, Simij parabola.

Simia elegans parabola.

Mercatores in naui Atticam legebant, cum simiolis, vt fieri assolet, lusitantes, cum ecce grauis tempestas, & præsens naufragium. Iamque dissectis, & fluitantibus pene omnibus, nabat in vndis simius. Hunc Delphinus pusionem ratus, simulque miseratione ductus, qua in homines commoueri solet, blandissimè defert humeris ad portum. Iam in cōspectu erat Piræus, & tædium laboris fallebant sermonibus. Simius de suo genere interrogatus, se Ciuem Athenien sem, & nobilem, & suculentis opibus prædicat. Postremò cùm quæreretur ab eo, an Piræum nosset (erat autem portus Athenien sis infantissimo cuique notus) Noui, inquit, noui, optimus ille est mihi amicus, & summus, ac imprimis familiaris. Delphinus tam impudenti mendacio offensus, vanum simiolum aquis suffocandum reliquit.

Aristot. Rh. li 2. ca. 39.

Nec minus venustatis habet ea, quæ refertur ab Aristotele inter probationis oratoriæ exempla, qua Aesopus fertur apud Samios, virum Reipublicæ Principem, repetundarum accersitum, in summo capitis discrimine defendisse.

Vulpes, inquit, dum flumen transiret, in quandam voraginem, rapido aquarum cursu detrusa est, cumque illinc non posset emergere, diu afflicta ta, & à caninis muscis stimulata iacuit, cùm ecce Erinaceus fortè transiens, misericordia commotus, quærit à vulpe, an illas caninas muscas auferret, vt miseram molestia expediret. Minimè, inquit, quas enim vides caninæ muscæ, iam mei sanguinis plenæ sunt, eōque paruo contentæ. Si verò eas abstuleris, aliæ venient famelicę, quæ reliquum sanguinem ebibent. Sic etiam (inquit ille) viri Samij; hic quidem homo nihil amplius vos lædit, est enim diues: si verò hūc interficiatis, succedent alij esurientes, qui vos, & vestras fortunas penitus exsugent. *Elegans parabola, de vulpe, & erinaceo.*

Hanc probationum suauitatem Aristoteles iure commendat, quarum tanta vis est, vt, quod ab oratore potissimum spectatur, persuadeant simul, & delectent. Hæc me causa impulit, vt quod ad delicias, & ornamenta eloquentiæ maximè facere existimabam, multas lectissimarum iconum centurias in vnum volumen coagmentarem, quod opus diu à me postulatum, tandem in publicam vtilitatem emisi.

De exemplo, & probationibus à cumparatis.

CAPVT LV.

APologos, quos in Parabolis enumerauimus, nonnulli cum exemplis confundunt, inter quos etiam est Aristoteles libr. 2. Rhetor. cap. 39. Nam exemplorum duo facit genera. Vnum quod rerum præteritarum expositionem habet: alterum, quod ab ipso oratore factum est, & excogitatum. Malo tamen exemplum cum Cicerone definire, facti alicuius, vel dicti, cum certi auctoris nomine expositionem, quo fit, vt exempla communius appellentur: quæ ex hominum vita expressa sunt, facta vero ab oratore, vt fabulæ, apologi potiùs & parabolæ nominentur. *Cicer. 2. Rhetor.*

Exemplorum autem ratio, licet minus habeat ingenij, & iucunditatis, quàm istæ parabolarum deliciæ, tamen si rectè fiat, grandis est, & ad persuadendum efficax, cùm præsertim

tim omnes facilius ducamur exemplis, quàm verbis, quibus ad incitamenta virtutis adduntur stimuli non mediocres.

Homer. de spect. Quemadmodum enim, vt ait D. Hieron. si, qui labotant oculis, spongias, ac vestium cyaneo calore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur; ex eo colore nonnullum capiunt morbi leuamen: sic qui hominis clementissimi, & humanissimi imaginem præ oculis habeas, & in hac assidue oculos defigas, *Exēplivis.* etiamsi millies abundet ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi philosophiam, ac tranquillitatem.

Ex quo profectò apparet exempla magni esse æstimanda.

Colliguntur autem, vel à pari, vel à maiori ad minus, vel quod frequentissimum *Sen. ep. 44.* est, à minori ad maius. A pari sic vsus est Seneca:

Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reijcit quenquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius, Socrates non fuit. Cleanthes, aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. Item. *Cæterùm* si propterea *Liber*, Deus, quòd vitem demonstrauit, malè cum Lucullo actum est, qui primus Cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit, qui *Tertul. in Apoc. c. 11.* non est propterea consecratus, vt nouæ frugis auctor, quia inuentor, & ostensor.

Pergit, & insectatur Ethnicos, qui non in pari honore cum Dijs posuerint, qui nequaquam factis erant inferiores. *Quid ergo damnatis*, quorum Collegas adoratis? quot potiores viros apud inferos reliquistis? Aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Crœsum, de eloquentia Demosthenem. Quis ex illis Dijs vestris grauior, & sapientior Catone? iustior, & militarior Scipione? quis sublimior Pompeio? felicior Sylla? copiosior Crasso? eloquentior Tullio? Ad summam concludit, æquè Deos illos, ac cæreros assumendos.

Ducuntur à maiori, cùm ostendimus, aut licere nobis parua, cum æqualibus nostris *Cic. pro Muren.* maiora permissa sint, aut posse pati, vel facere quidpiam leuius, qui grauius antea gesserunt: & similia, qualia sunt ista:

Noli tam esse iniustus, vt cùm tui fontes, *Pro Mil.* vel inimicis tuis pateant, nostros riuulos etiam amicis putes clausos esse oportere.

Ad hunc ipsum locum pertinent oratoriæ gradationes, vt:

Neque verò se populo solùm tradidit, sed etiam Senatui, neque Senatui modò, sed etiã præsidijs publicis, neque ijs solùm, verùm etiam eius potestati, &c.

Sed videndum est, vt quæ comparantur, eiusdem sint generis; neque enim qui potest grauissimè, copiosissimeque de omni re disserere, ideò dicetur posse natare, cùm sit quidpiam in natura rei minus.

Frequentiora sunt, quæ à minori ad maius ducuntur argumenta. Sic Lactantius à *Lact. l. 5. de origin. err. c. 5.* sphæra Archimedis, Dei prouidentiam probat.

An Archimedes Siculus, concauo ære, similitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ita solem, & lunam composuit, vt inæquales motus, & cælestibus similes, conuersionibus singulis, quasi diebus efficerent, & non modò accessus solis, & recessus, vel incrementa diminutionesque Lunæ, verùm etiam stellarum, vel errantium, vel vagarum dispares cursus, orbis ille dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari, & efficere, quę potuit solertia hominis imitatione simulare?

Quo in genere est illud Ciceronis maximè figuratum.

Quod enim fretum? quem Euripum? tot motus, tantas, tam varias putatis habere agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum?

Et Demosthenes nefarium esse probat Androtionis nomen in sacris vasis inscribi, quod ne in templum quidem cum ingredi, ob flagitia, & libidines leges sinant:

Καίτοι τὸ σῶμα ἢ ταιρηκότος, οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι εἰς τὰ ἱερὰ εἰσιέναι, τοῦτο τοὔνομα ἐν τοῖς ἱεροῖς, ἐπὶ τῶν φιάλων ἐπιγεγραμμένον ἐᾷς;

De inductione.

CAPVT LVI.

INductio, quæ ab Aristotele ἐπαγωγὴ nominatur, locupletissimum est similitudinis genus, in quo varia similia coarceruari ad aliquã

propositionem colligendam solent; vt

Sen. epi. 51. Effœminat animos amœnitas nimia: nec dubiè aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet viam patiuntur iumenta, quorum durata in aspero vngula est. In molli palustrique pascuo saginata, cito subteruntur, & fortior miles ex confragoso venit; segnis est vrbanus, & verna. Nullum laborem recusant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur; in primo deficit puluere ille vnctus, & nitidus.

Quorsum tot similia tam acutè vibrata? nisi illud colligat: *seuerior loci disciplina firmat ingenium.*

Inductio igitur, vt vides, à parabola, & exemplis non differt, nisi quòd illa vno duntaxat claudi, hæc non nisi multis similibus perfici, comprehendiq́ue potest. Alioqui parabolas tum naturales, tum morales, & omnis generis exempla complectitur.

Hæc ad confirmandam resurrectionem ex natura ducta sunt.

Tert. Apol. c. 48. Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt. Sydera defuncta viuescunt, tempora vbi finiuntur incipiunt, fructus consummantur, & redeũt. Certè, semina non nisi corrupta, & dissoluta, fœcundius surgunt. Omnia pereundo seruãtur, omnia de interitu reformantur.

Pulcherrima inductio per συγκρισιν. Tertul in Apol. c. 12. Hæc quæ sequitur, artificiosè per συγκρισιν collecta, in qua ostendit omnia, quæ in Christianos exercentur supplicia, in idola ab ipsis Ethnicis vsurpari, *Crucibus, & stipitibus imponitis Christianos*, quod simulachrum non prius argilla deformat, Cruci, & stipiti superstructa? In patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorũ; At in Deos vestros per omnia membra validiùs incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ. Ceruices ponimus; ante plumbum, & glutinum, & gomphos, sine capite sunt Dij vestri. Ad bestias impellimur, certè quas, Libero, & Cybelæ, & *Cœlesti* applicatis. Ignibus vrimur, hoc & illi à prima quidem massa. In metalla damnamur: inde censentur Dij vestri. In insulas relegamur: solet & in insula aliquis Deus vester, aut nasci, aut mori. Concludit tandem, si per hæc constat diuinitas aliqua; ergo cùm qui puniuntur, consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.

Aliæ sunt morales, & valde populares, qualis est ista D. Augustini.

D. Aug. Longam cœnam malam nemo vult habere, nec ferre. Longam vitam malam pene omnes volunt habere, vtique, si grande est quod viuimus, bonum sit omnium grande. Quid enim vis malè, dic mihi? puto nihil in omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatib⁹, nihil malè vis, terram malam non vis, segetem malam non vis vtique, sed bonam; bonam arborem vis, equum bonum, seruum bonum, amicum bonum, filium bonum, vxorẽ bonam. Et quid hęc magna, quoniam quidem ipsam vestem malam non vis habere, sed bonam. Postremò caligam non vis habere nisi bonam. Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? quid de te tu ipse meruisti, non vis esse malum, nisi te solum?

Festiua inductio & qua multũ habet ꝛ ꝛ ꝛ.

Ex eo vult concludere, eum bonum esse oportere, qui omnia bona appetit.

Planè istæ, quæ contortius vibrantur, multùm habent γοργότητος, & ad probandum quidpiam efficacissimæ sunt. Quę longiùs trahuntur, in rebus præcipuè notis, & communibus, tædio sunt obnoxiæ.

Frequentes sunt apud Ciceronem, & Demosthenẽ exemplorum inductiones, in quibus hæc temperies seruanda est, vt si fuerint nota, & communia, quàm celerrimè indicatis aliquando solis nominibus expediantur: sin habent aliquid melioris notæ, trahenda erunt longiusculè, quod tamen sine aurium satietate fieri velim. Vide quibus acuminibus ista vibretur apud Senecam, pro sepeliendo sui homicida.

Omnibus natura sepulturam dedit. Naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit; sufixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt. Eos qui viui vruntur, pœna funerat. Irascere interfectori, sed miserere interfecti. *Sen. contr. l. 8. c. 4.*

De recto vsu similitudinis, & varia eius tractatione.

CAPVT LVII.

PRimò cauendum est, ne similium grata, quæ solet esse popularibus præsertim auribus, illecebra, in nimiam fœcunditatem luxuriet. *Vitanda similium luxuries.*

Vidi ego aliquas huius temporis scriptorum orationes refertas similibus tam crebris, vt imagines ipsæ impedimento essent, quo minùs res discerni mentis oculis, atque internosci

noſci poſſent. Quod certè vitium omninò puerile eſt, & à grauitate orationis longè diſiunctum, etſi enim in demonſtratiuo genere ferri ſolet liberiore cultu compta dicendi vis, & ratio, nunquam tamen centones ſimilitudinum, iuſtarum orationum loco numerari velim: prudentis eſt manum de tabula præclarè, & loco ponere, nec in rebus etiam pulchris, florentibus, & lætis, fatali quadã ingenij redundantis laſciuia modum excedere.

Similitudines auditoribus ac commodandæ.

Secundò, cum varia ſint genera ſimilitudinum, & ex varijs deſumantur rebus: prudentis erit Oratoris diligenter inſpicere, quid cuiuſque aures ferant, aut ſtomachus patiatur. Num enim ridiculum eſt apud plebeios, & craſſioris ingenij homines, ſimilitudines ex reconditis diſciplinis accerſere, vt in eo ipſo, quo facem perſpicuitatis contendis accendere, maiores tenebras offundas.

Hac in re exemplum præbuerunt magni, & ſpectabiles viri, qui cum apud plebem agerent, familiaria quæque, quaſi præmanſos adhuc infantibus cibos, in medium attulerunt. Vbi verò apud eruditos viros eſt ſermo, licet exquiſitioribus inuentis paſcere, & ijs ſimilibus, quæ variam ſapiant eruditionem, quamquam parcè ſemper, & ſobriè, vt rerum, locorum, temporumque ratio præſcribit, vſurpanda.

Vitioſæ ſint ſimilitudines hyperbolicæ.

Tertiò proſpiciendum eſt, ne dum ſublimiores quærimus ſimilitudines, quibus delicatas aures paſcamus in tortas, violentas, & frigidas incidamus. Quod pleriſque tamẽ nimis familiare eſt. Alij enim quamuis rem modicam, aut certè mediocrem tractent, continuò magnarum rerum, quas illi comparent, expromunt imagines, & pumilionem per Gigantis coloſſum, non ſine riſu exprimunt. Non ſecus, ac ſi quis in Homeri Batrachomyomachia: ranam, cui pro clypeo folium, pro lancea ſit iuncus, cum Pallade Ægidis terroribus cincta, & haſtam, inſtar fulminis quatiente comparet.

Hæc prorſus ridicula ſunt, nec tolerabiliora, quæ nugator ſophiſta in Iſocratem effudit, cum quippe cum Agamemnone comparabat, quod, vt hic intra decennium Troiã expugnaſſet; ſic ille decennali labore panegyricam quandam orationem conſummaſſet. Præclara comparatio Imperatoris cum Sophiſta, orationis cum vrbe, cuerſionis cum perfectione!

Quid qui capillos Stratonices Reginæ ra-

ros & fœdos, cum delicatiſſimis hyacinthi floribus contulit, addito etiam Homeri verſus.

Οὗλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας. *Lucia in imaginibus.*

An is tandem contra eloquentiam, an potiùs contra veritatem grauiſſimè peccauit?

Excidunt pleraque ſimilia, partim adulatoribus, partim etiam adoleſcentibus, qui magni ſunt hyperbolarum amatores.

Non ſunt admittendæ minutiæ ad ampla quædam ſignificanda.

Quartò, contrarium etiam nonnunquam vitium accedit, cùm quæ ſua natura magna ſunt, minutulis quibuſdam ſimilitudinibus deteruntur: quo in genere peccaſſe animaduertitur a Longino poeta, qui tonitrua cum tubarum clangoribus nimis demiſſè comparauit, quanquam cum aliquo adiuncto per proportionem dictum tolerabilius videtur, vt cùm Tryphiodorus tonitru, non tubam ſimpliciter dixit, ſed tubam cæleſtem, οὐρανίην σάλπιγγα: cum quo ſimiliter Nonnus.

Nonnũ. Dion. l. 4.

Βροντῆσι πατὴρ ἀγορήσατο Διὸς μυκήσατο σάλπιγξ.

Occurrunt etiam nonnunquam non modò tenues, ſed etiam ridiculæ, & ſordidæ, quibus prorſus abſtinendum eſt, niſi fortè quis ad facetias, & riſum componat orationem, aut ingenuam morum ſimplicitatem, qualis eſt in ruſticis, efformare velit. Tale eſt illud in poemate quodam Gallico de ruſtico homine, qui foro, & tabularijs antea inuiſis, cum fortè pleniſſimum illum conſeſſum Senatus, Patrumque purpuratorum cœtum contemplatus eſſet, Curiam cum agro cepis conſito comparauit: homo animæ candidiſſimæ, nec diſſimilis illi, quem Dion in Venatore proprijs depingit coloribus.

Dion. in Venatore.

Cauendum à ſcurrilibus, & ſordidis.

Quæ verò ſordidæ aliquid habent ſcurrilitatis, potius Atellanarum exordia, quàm Oratoris grauitatem decent.

Nec placent etiam apud graues perſonas, quæ ex ſordidis, & contemptis artibus aſſumuntur, quod eloquentiæ dignitatem deterere non mediocriter poſſint: At in rebus diuinis prudenter admodum incedendum eſt, nec temerè quælibet ſimilitudines ſunt arripiendæ quibus res ſacras comparemus. Quamuis enim ſua natura omnem rerum inferiorum præſtantiam excedant, non eſt tamen vetitum, quando fieri

In diuinis, profanarũ historiarũ maximè

aliter

verò fabularum similitudines declinanda.

aliter non potest, ex ijs rebus, quæ in sensus nostros cadunt, elicere similitudines, modò illud accommodatè, & circumspectè fiat. Nolim enim, quod plerique præposterè admodum faciunt, poetarum fabulas ad fidei nostræ mysteria transferre. Æternam patris sapientiam cum Minerua conferre; Virginem Mariam, cum Danae auri cœlestis rore fœta; Castores, ex oui testa emergentes, cum Christo nascente. Naturam humanam Soſpitatoris nostri beneficio in plenam libertatem assertam, cum Andromeda à Perseo liberata: quæ omnia, vt ait Iustinus Martyr. Dæmon, sacrorum simia, in peruersum imitamentum excogitauit, vt Christianæ religioni illuderet, Ethnicos homines infinitis superstitionibus irretiret.

Iustin. Mart. Apolog. 2. p. 157 edit Rob. Stephani.

Τούτων μὲν τ προφητικῶν λόγων ἀκούσαντες, οἱ δαίμονες,

Διονύσιον μὲν ἔφασαν γεγονέναι ὑὸν τοῦ Διὸς,

&c. quæ copiosis verbis prosequitur.

Neque verò tantum in diuinis, sed in grauium etiam personarum laude prospiciendū est, ne qua vilis, aut ambigua similitudo irrepat, quæ in alios sensus facilè torqueri possit, ab ijs, qui omnia in peiorem partem interpretantur.

Varia tractatio similitudinis Arist. lib. 3. c 16.

Quod verò ad tractationem similitudinis attinet, varijs fieri solet modis. Primus est, cùm nulla intercedit similitudinis nota, quāuis re ipsa sit similitudo; vt cùm dicimus; Scutum est Martis Phiala, arcus fistula sine chordis, ita, equus indomitus: hæc enim similitudinis habent, non naturæ rationem, licet per similitudinem minimè efferantur.

Secundus est, cum nota similitudinis apponitur, sed tamen similitudo concisè sine vlla partium deductione, in vnum membrum contrahitur. Quo in genere pleræque sunt similitudines prouerbiales, & acutæ, quales sunt istæ:

Arist. l. 3. c. 2.

Populus Athenienſis similis est Nauclero robusto, & surdastro. Demosthenes.

Samij similes sunt infantibus, cibum quidem sumunt, sed flentes.

Oratores Athenienses similes sunt nutricibus, quæ cibos deglutiunt, & infantium ora saliua perungunt. Democrates.

Cephisodorus thuri similis est, dum perit, oblectat. Antisthenes.

Demosthenes, tibijs similis est, quibus si collum demas, reliquum erit inutile. Æschines.

Hipponax similis est vespæ, non magnum quidem murmur excitat, sed acriter pungit, Dio Prusæus.

Plenæ sunt istæ similitudines gratiæ, & festiuitatis.

Tertius modus est, cùm similitudo suis partibus, hoc est, propositione, & adoposi cōstat, sed illæ non adeò fusè explicantur: qualis est ista.

Vt ignis in aquam coniectus continuò extinguitur, & refrigeratur; sic referuens fal- *Cic. pro* sum crimen, in purissimam, ac castissimam *Roscio.* vitam collatum, statim concidit.

Ibi sunt tria, quæ sibi respondent: ignis, crimen, aqua: vita, refrigerari, excidere.

Quartus modus explicatissimus est, cùm non modò similitudo suis constat partibus, sed illæ fusa, æquabilique oratione cum dignitate explicantur, quòd fieri maximè solet, cùm dictum aliquod, vel factum ex historia proponitur, & narratur, cui succedit Apodosis, in qua partes partibus accommodātur. Talis est illa apud Ciceronem pro Roscio, num. 56.

Quare facilè omnes patimur esse quamplurimos accusatores, quod innocēs si accusatus sit, absolui potest, nocens nisi accusatus fuerit, condemnari non potest.

(Deinde) Anseribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt significetur, si fures venerint. At si fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in capitolium venerint, & quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sint, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. Quòd si luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor ijs crura suffringantur, quod acres sint etiam, tum cùm suspicio nulla sit. (Tandem sequitur redditio satis ampla, & copiosa.)

Simillima est accusatorum ratio. Alij vestrūm anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt. Alij canes, qui & latrare, & mordere possunt. Cibaria vobis præberi videmus: Vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratissimum est. Deinde, si voletis, etiam tum cum verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione, latrare, id quoque concedi potest. Sin autem sic agetis, vt arguatis, aliquem patrem occidisse, neque dicere possi-

possitis, aut quare, aut quomodo, at tantummodo sine suspicione latrabitis, crura quidem nemo vobis suffringet, sed si ego vos bene noui, literam illam, cui vos vsque eò inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.

Et hæc de similitudine: dissimilitudo illi opposita sit, cum ea, quæ simul comparantur, diuersa esse ostenduntur, vt:

Soles occidere, & redire possunt,
Nobis cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Eius tota ratio ex similitudine satis manifestè colligitur: Vsus verò in confutatione similitudinum, potissimùm vigere solet.

Finis libri quarti.

DE AMPLIFICATIONE LIBER QVINTVS.

AC PRIMVM,

De vitio malæ Amplificationis.

CAPVT PRIMVM.

LOcorum tractationi satis opinor oppositè subiungetur amplificatio, quæ ex locorum congerie coalescere, atque innutriri solet.

Dici non potest, quàm varij sint in hac parte tenuiorum Rhetorum errores, qui hoc vnum rati decus eloquentiæ: si amplificent, neque circumspectè res obseruant, neque modum vllum tenent; sed dum augendi studio pruriunt in omnibus, importunissima garrulitate miseras aures obruunt. Haud scio an vllum sit vitium, magis à vera, germanaque eloquentia alienum, quàm inepta, & puerilis amplificatio, rerum, & sententiarum inanis, vanoq; strepitu verborum intemperantiùs lasciuiēs.

Nihil tam alienum ab eloquentia quā puerilis amplificatio.

Cui enim non pariunt nauseam illæ lentæ circumductiones, quas postquam cum tædio exsorbuerit, oratione permolesta fatigatus, cogeris Laconicum illud exclamare, *Nihil es præter vocem.*

Et sunt, qui huiusmodi amplificatores eloquentes putant: Ego cū prudentiæ, quæ prima pars est eloquētiæ, sint expertes, ineptos, & pueriles censeo, quin arbitror plus ad vim dicendi facere sententiam appositè dictam, quam totam illam redundantiam puerilis ingenij.

Quæ est igitur (dices) optima ratio amplificationis? magnum est definire, & multum ad totam dicendi rationem facit.

Siquidem rectam amplificationem *Orationis animam* eloquentes viri nominarunt, atq; imprimis arbitror in eo differre magnorum ora-

Quomodo differat bona amplificatio à mala.

oratorum amplificationem, à puerili quadam congerie, quod illa rerum, & sententiarum magnitudinem paulatim succrescentem, cum iusto circumspectorum verborum pondere contineat: Hæc verbis, & nugis, inani quodam strepitu ad imperitarum aurium insidias luxuriantibus, humiliter intumescat.

Itaque, vt summus aliquis, & rei militaris peritissimus Imperator, ad operosam quandam expeditionem lectissimum iuuentutis florem deligit, quem armis, animisque incitatum mittit in aduersarios. Sic noui oratores, vbi rem amplificandam vident, & id præstantis esse, vt plurimùm, opus eloquentiæ, non minutias quasdam consectantur, sed illustria quæque in locum vnum optima ratione distributa coagmentant, quò totius orationis vis, & amplitudo plenior futura sit. At contrà ignaui Rhetores imbecillam, & propè seruilem gregariorum multitudinem centuriant, quâ nihil potest esse contemptius.

Nec immeritò Longinus Criticus tales amplificatores perstringit, qui vel varietate distendunt, vel quisquilijs, & rameutis farciunt orationem:

Φλοιώδη ἀτεμνα, καὶ σχολικὰ ἐγκαλάπτοντες, λυμαίνεται γὰρ ταῦτα τὸ ὅλον, ὡσανεὶ ψήγματα ἢ ἀρμόματα ἐμπεσόντα μεγάλῃ σωματοδομήματι.

Si ingeniosam oratoris amplificationem cõsideres, dicas te eximiam structuram, quadratis lapidibus, præclaro inter se nexu cohærentibus, compositam intueri: si contra futilem, & amplificatorum orbem, parietes videbuntur luto, paleis, & calculis malè obducti, hiantibus vndique rimis dissuti. Quo igitur hoc vitium in graui præsertim eloquentia fœdum declinari possit, nonnulla præcipienda sunt.

Quid sit amplificatio, & quotuplex.

Et de optimo charactere amplificationis.

CAPVT II.

CIrcumfertur ab antiquis Rhetoribus, sed non satis peritis amplificationis nimis vaga definitio, qua dicitur λόγος, μέγεθος πεμιλαβὴς τοῖς ὑποκειμένοις. Oratio magnitudinem addens rebus subiectis. Nimis inquam diffusa est hæc definitio, nam tropotũ, & affectuum potest esse communis, vt rectè obseruat Longinus Criticus: siquidem illa magnitudine quadam efferunt orationem.

Alia est natura sublimitatis, quam ὕψος vocant alia amplificationis: sublimitas est in attollẽda, amplificatio in fundenda oratione, illa in vi, hæc in lecta multitudine, illa magis spectat qualitatem, hæc quantitatis, & diffusionis rationem habet. Est igitur amplificatio συμπλήρωσις ἐκ πάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασιν ὁρίων, καὶ τόπων, ἰσχυροποιοῦσα τῇ ἐπιμονῇ τὸ κατασκευαζόμενον; Plenitudo quædam, quæ ex omnibus rerum adiunctis, terminis, & locis, commemoratione roborat orationem.

Primùm igitur est plenitudo, non redundantia, quo planè significat, per amplificationem fieri corpus orationis, venustà quadam plenitudine consurgens, non tumore distentum.

Hęc autem plenitudo non petitur ex inani fuco verborum, vel strepitu numerorum, sed ex optimis quibusque rerum adiunctis, idcircò addit ἀπὸ τῶν πάντων τῶν ἐμφερομένων τοῖς πράγμασιν,

Postremò loco modum amplificationis docuit, cùm ait fieri τῇ ἐπιμονῇ frequentatione scilicet, & commoratione, non quod eadem etiam, atque etiam semper iteranda sint; sed quod idem varijs adiunctis sit illustrandum, quod eodem in loco indicat his verbis:

ἕτερα ἑτέροις ἐπισκευκλάδμενα μεγέθη συνεχῶς εἰσεισάγεται καὶ ἐπιβασιν, aliæ alijs veluti in orbem circumductæ magnitudines continenter ingeruntur per gradationem.

Duo autem sunt præcipua fermè amplificationis genera, vnum fit per augmentum, quod propriè vocatur αὔξησις alterum per ὑπερβολὴν, siue exaggerationem: hoc inter αὔξησιν, & ὑπερβολὴν conuenit, quod vtraq; ampliorem faciat orationem, sed illa plus habet diffusionis, & ambitiosi circuitus: hæc adiunctis rerum, & põderibus magis auget, quàm verbis.

Itaque in celsa illa exaggeratione, paucis aliquando res in summam extollitur magnitudinem, cùm adiuncta varia, atque epitheta aliud, atque aliud significantia, per gradatio-

nem

rem aliquam intorquentur ; in fusa autem amplificatione nihil noui persæpè affertur, sed vnum, atque idem diuersis sententijs, per iustam commorationem dicitur, & figuris duntaxat variatur. Exemplum δεινώσεως sit illud ex Demosthene, hominem à communi vita, & omni morum vrbanitate alienum, calumniatorem, terrum, funestum, generis humani hostem describit his verbis:

Demost. 1 in Aristog. 73.

Οὐχὶ τῶν πολιτικῶν ἀγαθῶν, οὐδὲ τὴν ψυχὴν διατρίβει, οὐ τέχνης, οὐ γεωργίας, οὐκ ἄλλης ἐργασίας οὐδεμίας ἐπιμελεῖται, οὐ φιλανθρωπίας, οὐχ' ὁμιλίας οὐδεμίας κοινωνεῖ. Ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς, ὥσπερ ὄφις, ἢ σκορπίος, ἡρκὼς τὸ κέντρον, ἄτλων θεὸς κακεῖνος σκοπῶν τίνι συμφορὰν ἢ βλασφημίαν, ἢ κακόν τι προσρίψαιμι, καὶ καταστὰς ἐς φόβον ἀργύριον πράξειεν· οὐδὲ προφοιτᾷ πρὶς τὶ τούτων τῶν ἐν πόλει κυρέων, ἢ μυροπολίων, ἢ τῶν ἄλλων ἐργαστηρίων οὐδὲ πρὸς ἕν· ἀλλ' ἄπειρος, ἀνίδρυτος, ἄμικτος, οὐ χάριν, οὐ φιλίαν, οὐκ ἄλλο οὐδὲν ὧν ἄνθρωπος μέτριος γινώσκων· μεθ' ὧν δὲ οἱ ζωγράφοι τοὺς ἀσεβεῖς γράφουσιν εἰς ἅδου, μετὰ τούτων, μετ' ἀξίας, καὶ βλασφημίας, καὶ φθόνου, καὶ στάσεως, καὶ νείκους περιέχεται.

Vide, vt non vnum, atque idem dicit, sed nouis semper sententijs, nouis verbis rem eandem frequentat, & attollit.

Nullum (inquit) ciuilium bonorum vnquã attigit, quo animum excoleret suum : Non bonas artes, non agriculturam, non industriam denique vllam curat, nullius humanitatis, & communis vsus est particeps : Sed incedit per forum, quasi serpẽs, aut scorpius exerto spiculo, huc & illuc prospectans. Si cui noxam, aut calumniam, aut aliquod aliud malum afflare, vel saltem timorem incutere possit, vt inde pecuniam conficiat.

Nunquam frequentat tonstrinas, vnguentarias, aut alias officinas, in quas cœtus hominum confluere solent, sed nefarius, extorris, expers societatis humanæ, non gratiam, nõ amicitiam, non quidpiam aliud eorum nouit, quibus honestas vitæ continetur.

At si quos pictores, inter conscelcratos, inferorum supplicijs addictos, pingere solent, cum ijs versatũr in omni execratione, blasphemia, inuidia, seditione, iurgijs, & contentionibus perpetuis voluratus.

Hæc vna est ex Demosthenis amplificationibus valde insignis, & opulenta, quam Cicero imitatus libro quarto ad Herennium in imagine Sycophantæ, & calumniatoris. Vides in hoc exemplo amplam circumferri orationem, & maiestate plenissimam, quo pacto autem id fieri contingit, animaduerte. Non amplificat ludens in sustentationibus, & locis communibus. Quid igitur præstat? res rebus etiam, atque etiam auget.

Primùm, hominem omnis industriæ, & ciuilis vitæ ignarum ostendit. Deinde, vt serpentem, & scorpionem exerto calumniæ aculeo depingit; mox virus, & damna, & clades. Tandem extorrem facit sacrorum, religionum, vitæ communis. Postremò, cum damnatorum apud inferos picturis assiduò versantem. Ita alia, atque alia subinde facies orationis, cum grata simul, & terribili varietate collucet, & in immensam attollitur grauitatem.

Nec verò cùm idem hoc genus attigit, inferior est Demosthene Marcus Tullius: Nam, vt cæteras omittam, quàm densa est, & acris, & volubilis hæc amplificatio?

Vestramque simul Iudices æquitatem, & mansuetudinem vna mater oppugnat. At quæ mater? quam cœcam crudelitate, & scelere ferri videris, cuius cupiditatem nulla vnquam turpitudo retardauit, quæ vitijs animi in deterrimas partes iurã hominum conuertit omnia: cuius ea stultitia est, vt eam nemo hominem; ea vis, vt nemo fœminam ; ea crudelitas, vt nemo matrem appellare possit. Atque etiam nomina necessitudinum, non solùm naturæ nomen, & iura mutauit. Vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. Item Philippi. 13. num. 18. *Cic. pro Cluent. Exemplum δεινώσεως ex Cic.*

Qua enim in barbaria quispiam tam teter, tam crudelis tyrannus, quam in hac vrbe, armis barbarorum stipatus Antonius? Cæsare dominante veniebamus in Senatum, si non liberè, attamen tutò. Hoc archipirata, (quid enim dicam tyranno ?) hæc subsellia ab Ithyreis occupabantur. Prorupit subitò Brundusium, vt inde agmine quadrato ad vrbem accederet : lautissimum oppidum, nunc municipium honestissimorum quondam colonorum Sinuessam, fortissimorum militum sanguine impleuit: Brundusij non mo- *Acompara-tione mino-rum. Dominus Cæsar. Archipirata Antonius.*

modò in sinu auarissimæ, sed etiam crudelissimæ vxoris delectos Martiæ legionis centuriones trucidauit. Inde se quo furore, quo ardore ad vrbem, id est, ad cædem optimi cuiusque rapiebat. Quo tẽpore, Dij immortales ipsi præsidium improuisum, nec opinantibus nobis obtulerunt. Cæsaris enim incredibilis, ac diuina virtus, latronis impetus crudeles, ac furibundos retardauit: quem tum ille demẽs lædere se putabat edictis, ignorans, quæcumq; falso is diceret in sanctissimum adolescentem, ea vetè recidere in memoriam pueritiæ suæ Ingressus vrbem est, quo comitatu, vel potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente Populo Rom. minaretur dominis, notaret domos, diuisurum se vrbem palam suis polliceretur.

Hic si verba põderes, & sentẽtias, nouas subinde, & magis ac magis illustres inuenies. Et hic est laudatissimus amplificandi modus in δυνώσει sine densa, & contorta amplificatione.

Exemplum Fusæ, & ambitiosæ illius amplificationis.

Ex Cicerone 7. in Verrem, numero 10.11.12. 13,14.

CAPVT III.

IN Tricalino, quem locum cum fugitiui iam antè tenuerunt, Leonidæ cuiusdam Siculi familia in suspicionem vocata est coniurationis, res delata ad istum, statim, vt par fuit, iussu eius, homines, qui nominati fuerant, comprehensi sunt, adductique Lilybęum; domino denunciatum est, vt adesset, caussa dicta damnati sunt.

Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam. Nolite vsquequaque eadem quærere. In metu belli, furandi qui locus potest esse? etiam si qua fuit in hac re occasio, prætermissa est. Tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciauit vt adesset. Fuit nundinatio aliqua, & isti non nouo, ne caussam diceret; Etiam alter locus, vt absoluerentur.

Damnatis quidem seruis, quæ prædandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est. Testes enim sunt, qui in consilio fuerunt; Testes publicæ Tabulæ; Testis splẽdidissima ciuitas Lilybætana; Testis honestissimus, maximusque conuentus ciuium nihil potest: producendi sunt.

Itaque producuntur, & ad palum alligantur.

Etiamnum mihi expectare videmini, iudices, quid deinde factum sit: quod iste nihil vnquam fecit sine aliquo quæstu, atque præda. Quid in eiusmodi re fieri potuit, quod commodum est? expectate facinus, quàm vultis improbum; vincam tamen expectationem omnium, nomine sceleris, coniurationisque, damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inspectantibus soluti sunt; & Leonidæ illi domino reddiri.

Quid hoc loco potes dicere, homo amentissime? nisi id quod ego non quæro: quod denique in re tam nefaria, tametsi dubitari non potest, tamen ne si dubitetur quidem, quæri oporteat? quid, aut quantum, aut quomodo acceperis; remitto tibi hoc totum, atque ista te cura libero, neque enim metuo, ne hoc cuiquam persuadeatur, vt, ad quod facinus nemo, præter te, vlla pecunia adduci potuerit, id tu gratis suscipere conatus sis. Verum de ista furandi, prædandique ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua laude disputo. Quid ais bone custos, defẽsorque prouinciæ? Tu quos seruos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluisse cognoras, & de consilij sententia iudicaras, hos ad supplicium, iam more Maiorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare ausus es? vt quam damnatis seruis crucem fixeras, hanc indemnatis scilicet ciuibus R. reseruares?

Perditæ ciuitates desperatis omnibus rebus hoc solent exitus exitiales habere, vt damnati in integrum restituantur, vincti soluantur, exules reducantur, iudicatæ res rescindantur: quæ cùm accidunt, nemo est, qui intelligat ruere illam Rempublicam. Hæc vbi eueniunt, nemo est, qui vllam spem salutis reliquam esse arbitretur, atque hæc sicubi facta sunt, vt homines populares, aut nobiles supplicio, aut exilio leuarentur: vt non ab ipsis, qui iudicassent, vt non statim, vt non eorum facinorum damnati, quæ ad vitam, & fortunas omnium pertinerent.

Hoc verò nouum, & eiusmodi est, vt magis propter reum, quàm propter rem ipsam credibile esse videatur, vt homines seruos, vt ipse,

ipse, qui iudicarat, vt statim è medio supplicio dimiserit, vt eius facinoris damnatos seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret.

O præclarum Imperatorem! nec iam cum Marco Aquilio fortissimo viro, sed verò cum Paulis, Scipionibus, Mariis conferendum.

Tantumne vidisse in metu, periculoque prouinciæ, cùm seruitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitiuorum videret, ne quis se commouere auderet, quantum terroris iniecit? comprehendi iussit, quis nõ pertimescat? causam dicere dominos, quid seruis tam formidolosum *fecisse videri* pronuntiauit? exortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisse.

Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatu, & cruce: hisce omnibus supplicijs sunt liberati.

In hoc opinor exemplo satis apparet vis fusæ illius amplificationis.

Primùm rem proponit nuda, & simplici oratione; *In Tricalino, quem locum fugitiui iam antè tenuerunt.* &c.

Poterat, & quod reliquum erat, vno verbo dicere, soluti sunt. At quibus artibus fundit orationem? Primum, vt solet, suspendit animos.

Quid deinde? quid censetis furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam. Nolite vsque quaque, & cætera, quæ satis late explicantur, mox;

Expectate facinus, quàm vultis, improbum. Vincam tamen expectationem omnium.

Tandem quod antea inchoarat, de crimine exponit longè illustrius.

Nomine sceleris, coniurationisque damnati, &c.

Inde ad epiplexin delabitur.

Quid hoc loco potes dicere, homo amentissime, nisi quod ego nõ quæro, quid, aut quantum, aut quomodo acceperis.

Hoc perurbanum est.

Quid nisi bene custos, defensorque prouinciæ?

Commoratio est, quid enim aliud dicit, quam quod antea bis attigit de crimine, sed nouis verbis, nouis sentẽtijs, & figuris, nouis etiam adiunctis.

Ex eo transit in locum communem, Perditæ ciuitates, & ex symptomatis communibus vim morbi colligit.

Ad summum, ipsum factum pertentat, & agitat per ironiam. *O præclarum Imperatorem* &c.

Diceres accipitrem, circa prædam iam certam, lento alarum remigio, quasi ludibũdum circumuolare.

Quænam sit melior amplificatio.

CAPVT IV.

QVod si quis à me quærat, quæ tandem melior sit amplificationis forma, an tumene illa lateque subsultans, an pressis illigata rationibus, & argumentis.

Secundam planè alteri omnes, qui modò gustum vllum habent synceræ eloquentiæ, dubio procul anteponent: sed euenit nonnũquàm, vt tales sint auditores, qui fuso, & luxurianti sermonis ambitu capiantur, quales fermè plebeiæ sunt, & pueriles aures, quibus, nisi eisdem sententijs paulisper immutatis, sæpius inculcatis, propter ingenij imbecillitatem, vix assequuntur. *Conferuntur vterque modus amplificationis.*

Quamobrem solent cum istis oratores, veluti sinuosis orationis flexibus inter se recurrentibus ludere. At certè apud politas, & negotiosas aures, hac ratione amplificare, vt eandem planè rem dicas, commutes, & expolias, non modò putidum est, sed penè intolerabile. Quis enim hanc orationem ferat?

Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriæ vitandum arbitretur. Cũ augetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus prædi tus, profectò nullum vitæ discrimen, sibi pro fortunis Reipublicæ fugiendum putabit, & erit ea sententia semper, vt pro patria studiosè, quamuis in magnam descendat vitæ dimicationem. *Otiosa & nugatoria amplificandi ratio.*

Hoc sanè est pueriliter ludere, non eloqui: Quanto illustrior est ea amplificatio, vbi res proprijs verbis, crebris sententijs, nouis insuper adiunctis exponitur, hæc, etiam si nullæ admirationes, aut suspensiones, miserationes, inuectiuæ, execrationes, & figuræ simul accedant, tamen afficit vehementer, qualis est ista Ciceronis, qui nusquam mihi videtur efficacius amplificare, quàm cũ aliquid narrat, vt 7. Ver. pag. 490. numero 116. vbi de miserorum supplicio: *Pulchra ratio simplicis amplificationis.*

Includuntur in carcerem condemnati, supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum, prohibentur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis cibum, vestitumque ferre.

Patres hi, quos videris, iacebant in limine, matresque miserae pernoctabant adostium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſae, quae nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum extipere sibi liceret.

Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors, terrorque sociorum, & ciuium lictor Sextius, cui ex omni gemitu, doloreque certa merces comparabatur, vt adeas, tantùm dabis; vt cibum tibi initio ferre liceat, tantû, nemo recusabat. Quid, vt vno ictu securis afferam mortem filio tuo? quid dabis, ne diu crucietur? ne sepius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur. O magnum, atque intolerandum dolorem! ô grauem acerbamque fortunam! non vitam liberûm, sed mortis celeritatem pretio redimire cogebantur parentes.

At ipsi etiam adolescentes, cum Sextio de eadem plaga, & de vno illo ictu loquebantur, adque postremum parentes suos liberi orabant, vt leuandi cruciatus sui gratia lictori pecunia daretur: multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis multi, veruntamen mors sit extrema, non erit. Estne aliquid vltra, quò progredi crudelitas possit? reperietur. Nam illorum liberi non erunt securi percussi, ac necati, corpora feris obijcientur. Hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem.

Tum numero 141.

Haec cùm maximè loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos, verberandosque homines exercitatissimi: caedunt acerrimè virgis, denique proximus lictor (de quo iam saepè dixi) Sestius conuerso bacillo, oculos misero tundere vehementissimè coepit. Itaque ille, cùm sanguis os, oculosque complesset, concidit, cum illi nihilominus iacenti latera tunderentur, vt aliquando spondere se diceret. Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus. Iste autem homo venerius, & affluens omni lepôre, & venustate, de bonis illius in aede Veneris argenteum Cupidinem posuit. Sic etiam fortunis hominum abutebatur, ad nocturna vota cupiditatum suarum.

De materia, & formis, seu methodo amplificationis.

CAPVT V.

Materia amplificationis apta quaerenda est.

PRimum quidem amplificatori prudenter spectandum censeo, quid materia ad dicendum proposita ferat, aut patiatur. Neque enim existimandum est omne genus argumenti capax esse amplificationis. Sed vt cera modicè calefacta fingentis sequitur manum, & nullo negotio diduci, fundique potest: contrà verò à lapide haudquaquam illud exprimas, vt admoto igne, humanaque industria distendatur: ita profectò euenire solet in amplificationibus, quaedam enim argumenta mirificè nata sunt ad ἀυξησιν, quae si, vel digito leuiter attingas, statim suopte velut ingenio fundentur, quasi concatenatas in se rationes diffusionis habeant.

Non ex omni ligno Mercurius, nec ex omni argumento nascitur amplificatio.

Alia verò longè exiliora sunt, quae vix orationis cultu possunt splendescere. Quaenam igitur, inquies, amplificationem patiuntur? Hoc prudentiae est oratoriae praeuidere, nec temerè omnia per amplificationem dicere.

Res minutae non sùt capaces amplificationis, nisi fortè in ludo, & facetijs.

Primùm res minutae, & exiles hanc orationis laxitatem non admittunt, quas si operosa industria coneris amplificare, idem facias, ac qui tornando, fingendoque milio studium, & operam poneret. Verùm egregia laus est res paruas extollere, & ex muscis elephantos facere? Nô nego, festiui esse ingenij, quod multi diserti homines fecerunt, res alioqui contemptas, vt muscam, & febrim orationis beneficio, in excelsam quandam attollere speciem granditatis: sed nego idipsum pertinere ad orationem grauitatis.

Itaque, qui haec scribunt, ludere se profitentur, & nos ludentes suspicimus, quos si seriò loqui putaremus, amentes potius, quàm eloquentes iudicaremus, quod contra communem omnium mortalium sensum niterentur. Quemadmodum igitur in myrmecidijs, cum nauiculam audimus, aut quadrigam eburneam muscae pinnulis intectam, bellissimi ingenij, & delicatissimae manus industriam probamus, non tamen vt ista, vel elegiacos versus, sesamo subtiliter incisos Ioui Olympio, & Myrmecidem Phidiae anteponamus. Simili quoque ratione minutias istas rerum quae ab epigrammatistis, aut encomiastis ornari, amplificariq; solent, laudamus

damus ob ingenij, quę in ijsdem elucet, subtilitatem, in grandi certè genere eloquentiæ non ponimus, nec Lucianum Demostheni, aut Lucilium Homero comparamus.

Grauis materia suam secum trahit amplificationem.

Quamobrem sic existimandum est, ad grauem amplificationem requiri grandem materiam, vel re ipsa, vel hominum, apud quos agimus, opinione. Tales sunt res diuinæ, & cælestes, supra mentis nostræ intelligentiam positæ. *Nam omne ignotum pro magnifico est.* Item humanæ, insolitæ, inusitatæ, maximæ, latæ, illustres, mirabiles, vel contrà diræ, atroces, funestę, calamitosæ, in quibus exaggerandis triumphare solent oratores. Quàquam in istis plus est sæpe felicitatis, quam industriæ, quòd secum suam αὔξησιν ferant.

Res mediocres plus artis expetũt, dum amplificantur.

Alia sunt, quæ nec ita magna sunt, nec ad contemptam exilitatem accedunt, sed mediũ quendam locum obtinent; vel cum per se magna sint, non tamen talia videntur auditoribus, in his amplificandis melius ars oratoris, & industria conspicitur. Et hæc quidem de materia.

De Forma, & methodo amplificationis.

Ex Græcis Sophistis.

CAPVT VI.

IN hac amplificationis forma, & methodo perscrutanda, præclari omninò artifices, nõ modò Græci, sed etiam Latini elaborarunt, quorum hic discutere, & comparare sententias non erit alienum.

Aphthonius in loco communi præcepta complexus est amplificationis, siquidem locus communis nihil aliud est, quam ipsamet amplificatio, cùm ab eodẽ auctore definiatur λόγος αὐξητικὸς τ προσώτων τινὶ κακῶν, ἢ ἀγαθῶν: *Oratio amplificatoria bonorum, aut malorum, quæ alicui insunt.* Rem autem totam amplificationis decem capitibus circumscribit.

Primum est ἐναντίωσις à contrario, vt si flagitium aliquod, aut scelus amplificetur, huic Maiorum placita, & leges contrarias esse ostendas, quæ cùm ex sanctissima disciplina, & excellentissima sapientia sint profectæ; hoc facinore diffluuntur, calcantur, infringuntur.

Itaque solenne est istis amplificatoribus habere in ore, *Maiores nostri*, tum veteres historias, & exempla arcessere, quæ sui sæculi moribus, & corruptelis opponant.

Secundum est ὑποτύπωσις, expositio criminis, quæ fit non simplici narratione, sed viua quadam, & vegeta descriptione, cui commodè additur sermocinatio, vt si communis libertatis, & legum oppressorem depingendo, dicas:

Ille hæc secum; Mene igitur in hac Republica, in hoc infimorum hominum cœtu, in hac iuris æqualitate despectum, atque irrisum precariam animam trahere? Mihi Fimbriam, & Bambalionem, ex plebeia fęce quisquilias, leges dicere?

Me ad tam vilem famulatum, tanquam pecudem abijci? non patiar, non sinam.

Nimis diu occurrentem plano fauore fortunam meis ædibus extrudo, arripiam quod offert imperium, leges patrias extra Indos, & Garamantas relegabo: Fiam ego, fiam lex, & Dominus omnium.

Hæc, inquam, ille cogitãs, inexpiabile parricidium destinat Spartacus. Et cætera.

Tertium ὑπέρβασις, comparatio minorum, vt si hoc de delenda republica consilium, cum simplici homicidio comparetur, & dicas pernicioſus homicida, sed vni duntaxat alicui vitam eripit; At ille omnium iugulis suæ crudelitatis ficam intentauit.

Quartum γνώμη (quam Cicero voluntarium facinus appellat) qua ostenditur, non ex casu aut ex commotione homines in tantum scelus erupisse, sed paratum esse, ac meditatum facinus. Quamobrem cum aut fortuna, aut vehemens aliqua perturbatio, cæteros plerunq; reos excusare soleat, hunc prouisa maleficij ratio grauioribus iudicij vinculis constringit.

Quintum παρέκβασις excursio, quæ fit, cum, non tantum crimen, aut factum, de quo quæstio est, exagitatur, sed tota præterea rei vita discutitur, quam veluti telam aliquam nequitiæ, totam crimimibus perrexuit.

Sextum est ἔλεος ἐπίκλησις, cum multorum scelerum immanitate commemorata, nullus misericordiæ locus relinquitur. Vt si dicas, nõ esse, quod talis reus mœrentem & squalidam vxorem, liberosque perfusos lachrymis pro se deprecatores adhibeat, longè maiorem rationem habendam legum, quarum integritate omnium salus, & incolumitas continetur.

Septi-

Septimum est νόμιμον, ratio petita à legibus: Nam, vt viris fortibus, qui suis consilijs, & laboribus, patriæ libertatem asseruerint, præclarissimos honores decreuere: Ita parricidas, qui matris iura violare ausi sunt, æternis supplicijs viuos, mortuosque mactarunt

Octauum δίκαιον, Iustitiæ, & æquitatis lex postulat, vt pestis, quam in omnes bonos machinantur improbi, in eorum caput refundatur.

Nonum συμφέρον, vtilis erit reipubl. hæc animaduersio, siquidem tam funestis capitibus sublatis, cæteri quietiores viuent.

Decimum est δυνατόν: facilè est emergentem istam improbitatem in fomite præfocare, hanc adultis postea viribus corroboratam stirpitus euellere difficillimum erit.

Hæc ille non ignobilis sophista fermè percenset, ex quibus amplificationes contexi possint, quæ etsi commode dicuntur, nondum tamen plenam, & ex omni parte cumulatam, habere videntur rationem amplificationis.

Quam Methodum amplificandi Cicero præceptis consignauit.

CAPVT VII.

NOn dissimilia sunt à Græcorum Rhetorum inuentis, quæ Marcus Tullius libro secundo ad Herennium copiosius est persequutus.

Loci (inquit) communes ex decem præceptis commodissimè sumuntur, adaugendi criminis causa.

Primus locus sumitur ab authoritate, cùm commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit Dijs immortalibus, aut maioribus nostris, Regibus, ciuitatibus, nationibus, hominibus sapientissimis, senatui: qui locus tractari poterit ad imitationem exordij pro Domo.

Cum multa diuinitus à maioribus nostris inuenta, atque instituta sint, tum nihil præclarius, quam quod, &c. Resigitur præclarissimè constituta proponetur, quam is, de quo quæritur, conuellere conatus sit.

Quò vero maior erit testimoniorum, tum diuinorum, tum humanorum numerus, & grauior authoritas, eò illustrior consurget amplificatio.

Secundus locus est, cùm consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant: vtrum ad omnes, quod atrocissimum est, an ad superiores, quod genus ii sunt, à quibus authoritatis locus communis sumitur, an ad pares hoc est, in eisdem partibus animi, corporis, fortunarum positos, an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecellunt. Sic illa grauitas rei exaggeratur ab eodem auctore.

(Quod si vllo tempore magna caussa in Sacerdotum populi Romani iudicio ac potestate versata est: hæc profectò tanta est, vt omnis reipub. dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, aræ, foci, Dij penates, bona fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa, creditaque esse videantur. *Cicer. pro Domo*

Tertius locus est, quo percunctamur, quid sit euenturum, si omnibus idem concedatur, & ea re neglecta, ostendemus, quid periculorum, aut incommodorum consequatur. vt,

(Si C. Verres, homo vita, atque factis, omnium iam opinione damnatus) absoluatur, totam iudiciorum rationem conuelli, &c.

Quartus locus est, quo demõstratur si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur.

Concinnè tractat hunc locum pro Flacco, n. ſ. Damnatus est is, qui Catilinam signa patriæ inferentem interemit: quid est caussæ cur non is qui Catilinam ex vrbe repulit, pertimescat? &c. vbi ostendit Flacco damnato acerrimos fore improborum in bonos impetus.

Quintus locus est, per quem ostendimus, si semel aliter iudicatum sit, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut erratum iudicũ corrigere possit. Quo loco nõ incommodum erit vti cæterarum rerum comparatione, vt ostendamus alias res posse, aut vetustate sedari, aut consilio corrigi: huius rei, aut leniendæ, aut corrigendæ, nullam rem adiumento futuram.

Vt, (Quoniam in foueam incidit, obruatur, si enim hinc emerserit, nullius supplicij crudelitas erit recusanda. Et, Hanc verò, quæ ad eorum liberos atque infãtium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio à vobis reijcitis, & aspernamini, videte per Deos immortales, quem in locum Remp. peruenturam puteris, &c. *Philipp. 4*

Sex-

Sextus locus est, cum ostendimus ex consulto factum, & dicimus voluntario facinori nullam esse excusationem, sed imprudentiæ iustam deprecationem paratam.

Vt, (Diadema ostendis, gemitus toto foro, vnde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum, & cogitatum scelus,) &c.

Philip. 11. 2. Septimus locus est, quo ostendimust, etrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse: quod genus, iniuriæ mulierum, aut earũ rerum aliquid, quarum rerum caussa bella suscipiuntur, & cum hostibus de vita dimicatur. Talia sunt illa, (Ecce tibi geminum in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarum.)

Octauus locus est, quo ostendimus, non vulgare, sed singulare esse maleficium, spurcum, nefarium, inusitatum, quò maturius, & atrocius, vindicandum sit.

Vt, (Expectate facinus, quam vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium.)

Nonus locus constat ex peccatorum comparatione, quasi cum dicemus maius esse maleficium stuprare ingenuam, quàm sacrum lædere, quod propter egestatem alterum, alterum propter intemperantem superbiam fiat. Sic per comparationem augetur Antonij crudelitas. (L. Cinna crudelis, C. Marius in iracundia perseuerans. L. Sylla vehemens: neque vllius horum in vlciscendo acerbitas progressa vltra mortem est, ecce tibi, & cæt.

Decimus locus est, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæque rem consequi solent, exponemus acriter, & criminosè, & diligenter, vt agi res, & geri negotium videatur rerum consequentium enumeratione, & ita exaggeratur mors Trebonij, Philippica vndecima.

Quod istæ præceptiones de amplificatione minus accuratè traditæ videantur, & de Cassij Longini sententia.

CAPVT VIII.

ET illæ quidem præceptiones, si prima fonte spectentur, locupletissimam habere videntur segetem amplificationis, non tamen vim eius omnem, rationemque complexa sunt. Primùm enim illi auctores, quasi iudicum subsellia, & latrones, & parricidas, aut huiusmodi crimina semper cogitarent, nihil de cæterarum rerum amplificatione dixerunt. Deinde ipsam fermè amplificationis animam, quæ in grauibus figuris sententiæ consistit, omisere. Tertiò ista quoque locorum allata diuisio verbosior est, quàm limatior. Quid enim sibi volunt tertius locus, & quartus, nisi rem ostendunt amplificandã ab euentu quod cum vno argumento contineatur, parum commodè in duos locos discerptus, atque diuisus est Septimus quoque, & octauus locus omnino concurrunt, & verbis duntaxat discriminantur, quanquam etiam in vtroque dixit, crimen ostendi nefarium, quò fit, vt magis ταυτολογίαν faciat, quam noui aliquid insinuet. Itaque (si hæc Ciceronis sunt) crediderim eum magis ex Græcorum commentarijs, quam ex suo ingenio, iudicioque scripsisse.

Acutius certè Dionysius Longinus cum de forma, & methodo amplificationis, in qua huius præceptionis ἀκμη, & vigor totus consistit, aliquid diceret, noluit rem certis definire limitibus, sed amplificationis formas dixit esse sexcentas, hoc est, prope innumerabiles. sic autem ille:

Ετερα ἑτέροις ἐπεισκυκλούμενα μεγέθη συνεχῶς ἐπεισάγηται, κατὰ ἐπίβασιν, εἴτε διὰ τοπηγορίαν, εἴτε δείνωσιν, ἢ πραγμάτων ἢ κατασκευῶν ἐπίῤῥωσιν, εἴτ' ἐποικονομίαν ἔργων ἢ παθῶν· μυρίαι γὰρ ἰδέαι τοῦ αὐξήσεων γίνοιντο. Aliæ alijs, inquit, conglabatæ magnitudines continẽter gradatione quadam ingeruntur. Siue per locorum tractationem, siue per exaggerationem, siue per rerũ, & probationem corroborationem, siue per dispensationem actionum, & affectuum; ad summum addit, *infinitæ enim formæ sunt amplificationum.* Quæ sanè dum expenduntur, obscura sunt. Nam δείνωσις quam affert, species est potius, quam modus amplificationis, & τοπηγορία in κατασκευῶν ἐπίῤῥωσιν facile incidit. Quid igitur ex ea diuisione colligemus? cum nec Longinus hanc certam esse voluerit, sed cum aliquas enumerasset amplificationis formas, statim subiecit esse sexcentas. Sunt quidem permultæ, si sigillatim omnes spectentur, sed tamẽ existimo totam amplificationis rationẽ ad duo capita posse referri, ad

Totus cardo amplificationis in duobus voluitur.

locos, & figuras; Et hoc attigit cum dixit fieri amplificationem per τοπηγορίαν & δείνωσιν, per τοπηγορίαν nihil aliud voluit, quàm variam locorum omnium tractationem, per δείνωσιν exaggerationem, quæ fit per exclamationes, & cætera figurarum instrumenta. Præter has rationes etiam, si quis diu expẽdat, & nodũ quærat in scirpo, nihil inueniet. Loci porrò cum asseruntur, non sunt nudi & simplices producendi, sed vario inter sese nexu conglobandi, quo plus roboris habeant. Vt qui funes torquent, quo robustiores faciãt, de industria duplices, triplicesque componunt: Ita locorum frequentatio multum affert rebus vigoris, & ponderis. Succedunt deinde figuræ, sententiæ, excelsæ, graues, intensæ, & quod multum iuuat ad grauitatem, aptis verbis intextæ, ita magnifica procurret amplificatio.

Exemplũ & methodus amplificandi.

Vt si atrox quodpiam facinus, qualis est iniuria augustissimo sacramento illata, esset exaggerandum, post εἰσαγωγὴν per aliquod πάθος, aut quidpiam simile, dices, quo nomine appellem hoc facinus nescio, multa deinde inquires atrocia nomina, quæ magnitudine huius sceleris victa esse ostendes, mox intorquebis oratoriam definitionem per synonymiam, & vocabis *postremum sacrilegiorum omnium impietatem cœlo, & terris, inferis pene ipsis erubescendam.*

Eodem vestigio rem expones, si modò aures ferant, & sermo patiatur. (Quædam enim adeò scelesta sunt, vt honestè commemorari non possint) Vertes te deinde ad singula adiuncta. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando, in quibus vberem amplificationis segetem inuenies. Caussas etiam inuestigabis tam prodigiosæ malitiæ, depinges volitantes scelestissimorum dæmonum cateruas, qui Fanaticos Lycanthropos in sanctissimas religiones ardentibus furiarum tædis instigent.

Adiuncta multum ad amplificationem conferunt.

Ex eo conuertes stylum ad συγκρισιν, quætes, cui istud sacrilegium comparare possis, facies superiorum scelerum enumerationes, arcesses ex historijs deplorata tempora, cruda facta, res funestas, nihil simile reperire te fatebere. Pij, si cum hac impietate conferantur, videbuntur Ariani, misericordes Turcæ, religiosi Brasilienses. Ad summum erumpẽt grandes figuræ, modò ἀπαλλήξεις in sceleratos, ad quorum supplicia terræ, & maria, & brutæ animantes euocabuntur, modo conuertetur sermo ad *Angelos pacis amarè flentes*, modò ad B. Virginem, modò ad Christum ipsum, & supremum rerum omnium Patrem. Omnia iura diuina, & humana, leges omnes, & consuetudines, senes, pueri, mulieres, infantuli, pecudes ipsæ vltionem à Deo flagitabunt. Hinc affectus, hinc concitationes, hinc tonitrua, & fulgura.

Is est igitur in rebus grauibus amplificandi modus, qui grandem eloquentiam, & vehementes affectus, & latera, & spiritum, si quisquam alius desiderat. Prouidendum est autem, vt amplificatio, quod dixit Longinus per ἐπίβασιν fiat, & sensim quasi per scalarum gradus ad maiora procedat. Nam qui post grauia quædam enarrata minuta proferunt, Mãdrabuli in morem degenerant. Deinde nõ minus etiam amplificationis filum producendum, ne aut rumpatur, aut supra modum tenuetur; & simile sit corporibus, quæ licèt aspectu integra, neruis tamen parum firmantur.

Cæterum hæc duo amplificationis capita in τοπηγορία, & δείνωσιν constituta, siue in locis & figuris, non satis vidit Erasmus in libro de copia verborum: Nam diuisio formarum amplificationis, quã affert, certè in eo claudicat, quod putat duas esse & distinctas amplificationis formas, rem per adiuncta, & circunstantias dilatare, quæ vnam in rem incidunt. Deinde ipsam amplificationem facit speciem dilatationis, cum sit genus. Cætero qui tyronibus ea quę tradit, non sunt inutilia, in quorum gratiam hic iuuat aliqua ascribere.

De Amplificationis duodecim modis crebrò vsurpatis.

CAPVT IX.

Primus amplificandi modus per enumerationem partium,

FIt, cum sententia breuiter comprehensa, & quasi conuoluta explicatur, vt si dicas quẽpiam rem luxu perdidisse, parum est. Ad dilatandum, varias possessionum formas, & dispares perdendi rationes enumerabis, sic Lucianus in Harmonide, cum summatim dicere potuisset τὴν αὐλητικὴν ἐκμεμάθηκα, explicatis partibus distendit, Ἐδιδάξω μὲ ἤδη ἁρμόσασθαι τὸν αὐλὸν ἐς τὸ ἀκριβὲς, καὶ ἐμπνεῖν ἐς τὴν γλωσσίδα

λε-

λεπόντι καὶ ἐμμελές, καὶ ἐπιβάλλειν τοὺς δακτύλους ἐναφῶς ὑπὸ πυκνῇ τῇ ἄρσει καὶ θέσει, καὶ βάλλειν ὀν ῥυθμῷ, καὶ σύμφωνα εἶναι τὰ μέλη πρὸς τὸν χορὸν, καὶ τὴ ἁρμονίας ἑκάστις διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆ λυδίου τὸ βακχικὸν, τῆς δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. ταῦτα μὲν οὖν πάντα ἐκμεμάθηκα παρά σου. id est, docuisti me iam exacte adaptare tibiam, atq; in eius lingulam inspirare tenue quiddam ac modulatum, tum commodo facilique contactu submittere digitos in crebra sublatione ac demissione vocis, adhæc ad numerum ingredi, & vt modi congruant ad chorum, præterea quod cuique harmoniæ generi proprium est obseruari, Phrygiæ diuinum impetum, Lydiq; Bacchicum furorem, Doricæ grauitatem ac modestiam, Ionicæ iucunditatem.

Secundus per antecedentia.

CAPVT X.

HVic admodum affinis est: quoties non contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua quæ præcesserunt, per se queant intelligi, singulatim ea quoque commemoramus, per quæ ad eũ exitũ peruentum est. Huius præceptionis hoc erit exemplum: Cicero Catilinæ conatus oppressit: ideo locupletabis, Catilinæ nefarios conatus per iuuenes perditissimos, totius Romanæ ciuitatis exitium atque internecionem molientes, M. Tullius Cicero consul sua sagacitate statim odoratus est, singulari vigilantia perustigauit, summa prudentia reprehendit, miro in Rempub. studio prodidit, incredibili eloquentia conuicit, gratissima authoritate repressit, armis extinxit, magna felicitate sustulit.

Item aliud. Ex ea virgine filium sustulit. Hac ratione dilates licebit. Eam virginem, quod esset singulari forma, miserè deperibat. Deinde amoris impatiens, simplicem puellæ animum promissis sollicitauit, muneribus corrupit, blanditijs delinijt, officijs in mutuum amorem pellexit, improbitate vicit, denique consuetudinem cum ea habuit, ac deuirginauit. Aliquanto post tempore vterus virginis cœpit tumescere, fœtu videlicet concepto. Demum exactis nouem mensibus, parturijt ac puerum peperit.

Item aliud exemplum. Vrbem cœpit; ita poterit ampliari. Principio feciales rem repetitum missi, qui pacis etiam conditiones offerrent: quas cum oppidani non acciperent, copias vndique comparat, admouet exercitũ vnà cum machinis ad vrbis mœnia. Illi contrà è muris acriter hostem repellunt, tandem hic superior in congressu, conscensis mœnibus vrbem inuadit, ac rerum potitur.

Tertius per causas.

CAPVT XI.

AB hoc rursum non ita vehementer abhorret, quoties, rem non nudam exponimus, sed altius etiam causas repetimus, à quibus initijs sit profecta. Veluti si cui non satis sit dixisse, bellum intercessisse Gallis cum Neapolitanis, verum etiam addat, quæ fuerint simultatis causæ, quis instigator, quæ suscipiendi belli occasio, quæ vincendi spes, quæ vtrisque fiducia. Hoc vt dilucidius, quam vt egeat præceptione, ita difficile sit exemplum nisi plurimis verbis proponere. Quare supersedebimus, & lectorem ad Salustium ac Liuium relegabimus.

Quartus per adiuncta.

CAPVT XII.

NOn admodum ab his discrepat, quoties non simpliciter proponimus negotium, sed enumeramus etiam illa, quæ negotium comitantur, vel consequuntur, Quod genus sit, Bellum tibi acceptum feremus. hoc pacto poteris ditare rem. Exhaustum in barbaros milites ærarium, fractam laboribus iuuentutem, proculcatas segetes, abacta pecora, incensos passim vicos ac villas, desertos agros, euersa mœnia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indigne constupratas, tot adolescentium licentia deprauatos mores, tantum funerum, tãtum luctus, tantum lachrymarum. Præterea extinctas artes, oppressas leges, obliteratam religionem, confusa diuina humanaque omnia, corruptã ciuitatis disciplinam: vniuersum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello nascitur, tibi vni feremus acceptum, siquidem belli fueris author.

Quintus per euidentiam, descriptiones, & hypotyposes.

CAPVT XIII.

QVoties vel amplificandi, vel ornandi, vel delectandi gratia, rem non simpliciter exponemus, sed ceu coloribus expressam in tabula spectandam proponemus, vt nos depinxisse, non narrasse, lector spectasse non legisse videatur.

Id ita præstare poterimus, si prius ipsi totam rei naturam, omnesque circumstantias, ac veluti faciem animo lustremus. Deinde ita verbis ac figuris idoneis effingamus, vt quam maximè fiat euidens perspicuaque lectori. Hac virtute præcellunt cum omnes poetæ, tum præcipuè Homerus, quemadmodum suis indicabimus locis. Constat autem præcipuè descriptione rerum, temporum, locorum & personarum.

Rei descriptione locupletabimus orationem, cum id quod fit, aut factum est, non summatim, aut tenuiter exponemus, sed omnibus fucatũ coloribus ob oculos ponemus, vt auditorem siue lectorem, iam extra se positum, velut in theatrum, auocet; hanc ab effingenda rerum imagine Græci vocant hypotyposim, etiamsi vocabulum hoc commune est, quoties aliquid oculis subijcitur: Veluti si quis expugnatam ciuitatem dicat, cuncta nimirum in summa complectitur, quæcunque talis fortuna recipit. (vtar enim Quintiliani verbis) At si aperias hæc, quæ verbo vno inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus vnus quidam sonus, aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium fœminarumque ploratus, malè vsque in illum diem seruati fato senes. Tum illa prophanorum sacrorumque direptio, efferentium prædas, repetentiumque discursus, & ante suum quisque prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater. Et sicubi maius lucrum est, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia complectatur euersio, minus est tamen totum dicere, quam omnia. Hactenus Fabius. Idem huius euidentiæ citat exemplum hoc ex Cælio in Antonium. Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordijs stertentem, ructuosos spiritus geminare, præclarasq; contubernales ab omnibus sponsis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore, hostium aduentu percepto, excitare Antonium conabantur. Nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurem inuocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret, proximæ cuiusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum cõcubinarumque iactabatur. Nihil, inquit Fabius, his nec credibilius fingi, nec vehementius exprobari, nec manifestius ostendi potest. Refert idem descriptionem conuiuij luxurioſi. Videbar, inquit, videre alios intrantes, alios verò exeuntes, quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. Huius erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.

Addatur hic etiam descriptio Apronij ex lib. 3. in Verrem; Aspicite, iudices, vultum hominis, & aspectum; & ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos etiam spiritus Sicilienses quos fuisse putetis, cogitate, ac recordamini. Hic est Apronius, quem in prouincia tota Verres, cum vndique nequissimos homines conquisisset, & cum ipse secum sui similes duxisset, non parum multos, nequitia, luxuria, audacia sui simillimum iudicauit. Itaque istos inter se perbreui tempore, non res, non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo similitudoque coniunxit. Verris mores improbos, impurosque nostis? Fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit. Is eras Apronius ille, qui, vt ipse non solum vita, sed etiam corpore, atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum, turpitudinumq; omnium. Hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conuiuijs principem adhibebat: tantamq; habebat morum similitudo coniunctionem, atque concordiam, vt Apronius, qui alijs inhumanus, ac barbarus, isti vni commodus ac disertus videretur: vt, quem omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset: vt, cum alij ne conuiuijs quidẽ ijsdẽ, quibus Apronius, hic ijsdem etiã poculis vteretur: postremo,

postremò, vt odor Apronij teterrimus oris & corporis, quem (vt aiunt) ne bestiæ quidem ferre possent, vni isti suauis & iucundus videretur. Ille erat in tribunali proximus, in cubiculo socius, in conuiuio dominus; ac tum maximè cum accũbente Prętextato prætoris filio, in conuiuio saltare nudus cœperat. Sed hæc nos copiosissimè libro vndecimo.

Sextus per digressionem.

CAPVT XV.

SVperioribus est affinis, quam Græci παρέκβασιν appellant. Ea est, definitore Quintiliano, alicuius rei, sed ad vtilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. Adhibetur autem vel laudandi gratia; qualis est apud M. Tullium pro L. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeij commemoratio, in quam ille diuinus orator, nam Fabij verbis vtar, veluti nomine ipso ducis, cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoauerat sermone, diuertit: aut vituperandi, aut ornandi, aut delectandi, aut præparandi. Sumuntur autem ex ijsdem fermè locis, quos modò retulimus, ab expositione rerum gestarum, à descriptione locorum, regionum, personarum, item à tractatione fabularum, apologorum. Præterea à locis communibus, quoties amplificandæ rei gratia, in gloriam, in luxuriam, libidinem, auaritiam, turpem amorem, tyrannidem, iram, ac reliqua vitia dicimus, atque his, causa velut aliquantisper omissa, diutius immoramur: aut contra, quoties frugalitatem, liberalitatem, continentiam, studia litterarum, pietatem, taciturnitatem laudibus efferimus. Hi tantum momenti habent ad copiosè dicendum, vt clari aliquot authores eos ex professo tractauerint. κοινοὺς appellant. Sunt & illi loci communes his non dissimiles, quoties libertatis commoda ponimus ante oculos, contra seruitutis incommoda; mutabilitatem fortunæ, mortis æquam omnibus necessitatem, quantum valeat pecunia in rebus mortalium, vitæ humanæ breuitatem, atq; id genus alia innumera describimus. Potiò longius immorati licebit excursionibus, vel in initio dictionis; quas habet illa Herculis Gallici, apud Lucianum, & Lamiarum apud Politianum descriptio; vel in fine, quo iam sessus recreetur auditor, quemadmodum in Georg. ferè facit Virgilius. In medio, si quando digredi libebit, celerius eò redeundum, vnde digressus sis, nisi pars causæ iam absoluta digressionis ansam præbebit; veluti post narratam causam, quò ad secuturam argumentationem auditor reddatur alacrior; aut post probationem, siue omninò post locos inamœniores, quò tædium subtilitatis discutiatur; aut nisi res ipsa locos huiusmodi suapte sponte offerat, qui inuitent ad diutius immorandum.

Nota hæc amplificationem prudenter esse tractandam, nec temere, vbi multa & necessaria in proprijs argumentis suppetunt, ad alia digrediendum.

Septimus, per gradationem.

CAPVT XV.

FIt, vt, facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, necare, quid dicam, in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Ad hoc genus pertinet & illud, cùm congestis ordine quodam circumstantijs in contextu & cursu semper aliquid priore maius insequitur. Huius exemplum est in secunda Ciceronis Philippica de vomitu Antonij. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cætu verò populi Romani, negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset, is fructis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum & totum tribunal impleuit. Hic singulæ voces incrementum habent. Etenim per se deforme fuerat, vel non in cætu vomere, in cætu etiam non populi, etiam non Romani, vel si nullum negotium gereret, vel si non publicum, vel si non magister equitum. Hęc si quis diuidat, ac circa singulos gradus immoretur, augebit quidem orationis copiam, tamen minus efficaciter amplificabit.

Octauus per comparationem.

CAPVT XVI.

FIt comparatio vel fictione, vel exempli collatione. Fictione, quam ὑποφορὰν vocant, vt in prima parte exempli, quod modo retu-

limus ex Cicerone, fingit enim hoc inter cœnam accidisse priuato. Eiusdem est illud in Catilinam. Serui me hercle mei, si me isto pacto metuerent, vt te metuunt omnes tui, domum meam relinquendam putarem. Collatione exempli, quoties proposito velut simili exemplo efficimus, vt id quod exaggeramus, aut proximum illi, aut par, aut maius etiam videatur; velut Cicero pro Cluentio, cum exposuisset Milesiam quandam à secundis heredibus pro abortu pecuniam accepisse: Quanto est, inquit, Opianicus in eadē iniuria, maiore supplicio dignus? Siquidem illa cum suo corpori vim attulisset, se ipsam cruciauit: Hic autem idem illūd effecit per alieni corporis cruciatum. In hoc genere non solum tota totis, sed etiam partes partibus comparantur, sicut hoc loco pro Milone. An vero, vir amplissimus Scipio, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem remp. priuatus interfecit, Catilinam, orbem terræ cæde atque incendio vastare molientem nos consules perferemus? hic & Catilina Gracchо, & status Reip. orbi terrarum, & mediocris labefactatio cædi & incendijs & vastationi, & priuatus consulibus comparatur. Quæ si quis dilatare velit, plenos per singula locos habeat.

Nonus per eleuationem grauium.

CAPVT XVII.

FIt quoties res atrocissimas quasque in summam ipsi extulimus inuidiam, eleuamus consulto, quò grauiora videantur, quę sequuntura sunt. Quod genus est illud Ciceronis: Leuia sunt hæc in hoc reo. Metum virgarum, nauarchus nobilissimæ ciuitatis precio redemit, humanum est: Atrocissimum quiddam expectetur necesse est: cui hæc quæ sunt atrocia, comparata, humana atque vsitata videantur.

Decimus per congeriem.

CAPVT XVIII.

AMplificamus & congerie verborum & sententiarum, idem significantium, quæ finitima est figuræ συναθροισμῷ, de qua prius dictum est. Vtitur hac M. Tullius in actione pro Ligario. Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Hic velut acerno ereuit oratio. Idem fit interim omnibus altius atque altius insurgentibus, vt in hoc exemplo: Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sociorum, & ciuium Romanorum lictor Sextius.

Vndecimus per correctionem.

CAPVT XIX.

AMplificamus etiam quasi correctione quadam, vt Cicero in Vertem: Non enim furem sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumque, in vestrum iudicium adduximus.

Duodecimus per conglobatas definitiones.

CAPVT XX.

TAle est illud D. Chrysostomi, vbi crucem sic describit: Crux totius beatitudinis caussa, discordiæ amputatio, pacis firmamentum, bonorum omnium copiosa largitio, salutis indicium, Sol iustitiæ, spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, consolatio pauperum, frænum diuitum, euersio superborum, triumphus aduersus dæmonas, &c.

De istis definitionibus abunde dixi superius. Item ille amplificandi modus fit per epitheta & aduerbia.

De delectu locorum, & figurarum, ad amplificationem obseruandorum monitum.

CAPVT XXI.

ATque ne tantum ad criminum, & maleficiorum amplificationes tradita ratio pertinere videatur; Si disquisitius enucleare velis, illinc præstantissimarum rerum excellentem gloriam, illinc virtutum decus, illinc vitiorum turpitudinem, illinc calamitatum atrocem speciem, illinc admirabilium rerum naturas,

naturas, illinc exquisitissimarum artium delicias, & cætera id genus augeri necesse est.

Sed qui proprij sint singulorum loci, commodius opinor in epidictico genere disseremus: Nunc, vt id obiter præcerpamus, res vel corporeæ sunt, vel ab omni materiæ concretione secretæ, quæ sunt corporis expertes, vt Deus, Angeli, mentes, virtutes, scientiæ, primum ornantur loco negationis, quædam enim adeò sublimia sunt, vt facilius sit dicere, quid non sint, quàm eorum naturam explicare, nec immeritò sapientes illi Ægyptij apud Damascium, pro omni laude diuina ter γνῶσιν ἄγνωσον, id est, *incognitā caliginem* inclamant: Deum scilicet adumbrantes, cuius cognitio, cum tantis difficultatibus septa sit, melius scitur ignorando, quàm temerè aliquid asserendo.

II. Loco ὑπεροχῆς hoc est, *eminentiæ*, cum ex varijs rebus, quasi flosculos perfectionis decerpimus, quos in ea re, quam commendādam susscepimus, longe excitatius vigere ostendimus.

Tertius locus est ab effectis, quo res spirituales σωματοποιεῖται, id est, *quasi corpore vestiuntur*, vt præter suam naturam mortalium sensibus subijciantur.

At verò vbi res corporeæ sunt, & ex varijs conflatæ partibus, sæpissimè, vt in descriptionibus fieri solet, per ipsarum met partium enucleationem, & adiuncta, frequentantur, quāquam nulla res est, quę per omnes locos communes attolli non possit. Itaque in toto genere valent, quod docet Marcus Tullius, definitiones conglobatæ, consequentium frequentatio, & contrariorum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum cōflictio, & caussę, & ea, quæ sunt de caussis orta, maximeque similitudines, & exempla.

Figuræ in rebus illustrandis adhibentur leniores, & magis comptæ, vt hypotyposes, distributiones antonomasiæ quædam excellentes. In contentionibus verò aduersus crimina vsurpantur vehementes increpationes, ironiæ amarulentæ, epiphonemata, execrationes, apostrophæ.

(*.*)

De delectu verborum ad amplificandum.

CAPVT XXII.

VErba quoque, quod præcipit M. Tullius, ponenda sunt illustria, & tamen insita, vt *O acerbam mihi (iudices) temporis illius memoriam, & loci, cum hic in me incidit, complexus est, conserlitque lachrymas.* Grauia, vt, *Præmierum amplissimum, gloria, qua breuitatem vitæ posteritatis memoria consolatur.* Plena, vt, *De me semper P. R. semper omnes gentes loquentur, nulla vnquam obmutescet vetustas.* Sonantia, *Polluerat stupro sanctissimas religiones, senatus grauissima decreta perfregerat.* *Pro Planco.* *Pro Milone.*

Addit idem auctor, iuncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, imprimisque translata. *Iuncta* sunt composita, quæ grauius sunt anhelata, vt, *contructāare, pertimescere*: Facta, vt, *Vllamne Appietatem, aut Lentulitatem valere apud me plus quàm ornamenta virtutis existimas?* Sed hoc parciùs imitandum. Cognominata, vt, *expelletur, exterminabitur, eijcietur.* Non vulgata, vt, *Quas ille præceps amentia cæsis proſtratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat.* Superlata, *saxa, & solitudines voce respondent.* Translata, vt, *Omnes in me meos quo redundant ex illo fonte dolores.*

Hæc omnino maiestatem attollunt orationis, vbi præcipuè figuris dictionum illigantur, quales sunt, isocola, anadiploses, asyntheta, polysyntheta, & cætera huiusmodi, quibus ad rei cumulum circunductę quasi toruo verborum circunscriptiones, quàm aptissimè iunguntur.

De mixtura locorum, & figurarum.

CAPVT XXIII.

QVod verò ad mixturam attinet locorum, & figurarum, sunt, qui ista putidius inquirant, & putent nonnihil ab antiquis, in hac temperie religiosius obseruatum. Mihi verò videntur veteres Oratores, ad hanc primum curam animum intendisse, vt quam illustres locos, & figuras deligerent. Deinde eandem pro rerum opportunitate, vt magistra ratio, & prudentia suaderet, variè commiscerent, in qua mixtura tanta est diuersitas, vt difficilè sit certis iam complecti legibus.

Nam

Locorum cognatio.

Nam si diligentius perseueruteris, omnes penè omnibus locos locis, & figuras figuris illigatas, atque intextas reperies; Sed hoc in variis argumentis. Itaque videndum est in hac potissimum, quid materiæ ratio patiatur, aut admittat, videntur cerè ij primum loci, qui essentiam rei magis spectant, melius coniungi, vt definitio, genus, species, causæ, partium enumeratio. Deinde antecedentia, consequentia, adiuncta, similitudines, contraria, & cæt. id genus.

Inter figuras aliæ pertinent ad conformationem imaginum, descriptionemque rerum, aliæ ad probationem argumentorum, aliæ ad exhilarandam orationem, aliæ ad succendendam; quæ verò sunt eiusdem generis, coniungũtur, quanquam ad varietatis illecebram, aliæ alijs insuper adduntur, tam diuerso concentu, vt difficile sit in hac re certum aliquid definire.

Iuuat tamen aliqua exempla ex Cicerone potissimum legere, quibus conformationem illam locorum, & figurarum in amplificatione cognoscere, atque annotare possis.

Amplificationes Ciceronianæ discutiuntur.

Ac primùm auaritia, & ambitio P. Rulli exaggeratur per congeriem partium; atque effectorum, & per anaphoram tractatur.

CAPVT XXIV.

De lege Agrar. contra Rullum 97. & 98.

HÆC tu P. Rulle M. Bruti sceleris vestigia, quàm monumenta maiorum sapientiæ sequi maluisti. Hæc tu cum istis tuis actoribus excogitasti, vt vetera vectigalia venderetis, & expleretis noua. Vrbi Capuam ad certamen dignitatis opponere vis, vt sub vestrum ius, iurisdictionem, potestatem, vrbes, nationes, prouincias, liberos, populos, Reges, terrarum denique orbem subiungeretis, vt cum omnem pecuniam ex ærario exhausissetis, ab omnibus Regibus, gentibus, Imperatoribus nostris coegissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent, vt ijdem partim inuidiosos agros à Syllanis possessoribus, partim desertos, ac pestilentes à vestris necessarijs, à vobismetipsis emptos, quanti velletis, P. Romano indiceretis: vt omnia municipia, coloniasque Italiæ noua colonis occuparetis, vt quibuscunque in locis vobis videretur, ac quam multis videretur, colonias: vt omnem rempub. vestris militibus, vestris vrbibus, vestris præsidijs cingeretis, atque oppressam teneretis, vt ipsum Cn. Pompeium, cuius præsidio sæpissimè populus Romanus contra acerrimos hostes, & contra improbissimos ciues victor extitit, proscribere, atque horum conspectu priuare possetis, vt nihil auro, & argento violari, nihil numero, & suffragijs declarari, nihil elata manu perfringi posset, quod vos non oppressũ, atq; ereptum teneretis, vt volitaretis interea per gentes, per regna omnia, cum imperio summo, cum iudicio infinito, cum omni pecunia, vt veniretis in castra Cn. Pompeij, atque ipsi castra, si commodum vobis esset, venderetis, vt interea magistratus reliquos, legibus omnibus soluti, sine metu iudiciorum, sine periculo petere possetis, vt nemo ad populum Rom. vos adducere, nemo producere, non senatus cogere, non Consul coêrcere, non tribunus pleb. retinere possit.

Notatur artificium huius amplificationis.

Iam cuiuis facilè est istius amplificationis artificium intueri. Primum constat rebus, & magnis, & multis, quæ in personis, & negotijs sitæ sunt. Viden' vt breuissimè Rulli auaritiam, circa vectigalia, Capuam, ærarium, prouincias, agros Syllanos, oppressionem virorum fortium, & cæt. notauit magna orationis volubilitate? hæc pertinent ad *ἀύξησιν*. Quæ verò verbis duntaxat augent, *ius, iurisdictionem potestatem, vrbes, nationes, prouincias, liberos, populos, Reges, terrarum denique orbem.* Hæc spectant *αὔξησιν* forsitan vno verbo Demosthenes dixisset, *terrarum orbem.* Sed hic Ciceronis modus plurimum valet ad illam adipalem, quam fouebat, eloquentiam innutriendam.

Sequens modus multum est in αὐξήσει: quippe vno verbo, cum vellet dicere præceps fuisse Nauij consilium per sermocinationem, & κλιμακοειδῶς ita subjecit pro Quinctio num 53.

Cum ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur, cum officii rationem atque existimationis duci conueniret, eo tempore, tu nõ modo, aut C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipse quidem te consuluisti, sed ne ipse quidem ad te retulisti, ne hæc quidem locutus es. Horæ duæ fuerunt. Quinctius ad vadi-

vadimonium non venit: quid ago? respiraſſet cupiditas atque auaritia, paululum: aliquid loci rationi & consilio dediſſes: tu te collegiſſes, non in eam turpitudinem veniſſes, vt hoc eſſet tibi apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe hominis propinqui fortunas funditus euertere.

Hæc verboſior eſt amplificatio, popularis tamen, & ad motum efficax. Eiuſdem generis eſt iſta num. 188. pro Cluentio p. 674.

Quod hoc portentum, Dij immortales! quod tantum monſtrum in vllis locis, quod tam infeſtum ſcelus, & immane, aut vnde natum eſſe dicam? iam enim videtis profectò, Iudices, non ſine neceſſarijs me; ac maximis cauſſis, principio orationis meæ de matre dixiſſe; nihil eſt enim mali, nihil ſceleris; quod illa ab initio filio noluerit, optauerit, cogitauerit, effecerit.

Amplificatur Saſſiæ libido, num. 12. pro Cluentio.

CAPVT XXV.

CVm eſſent hæ nuptiæ, plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repente eſt exorta mulieris importunæ nefaria libido, non ſolùm dedecore, verumetiam ſcelere coniuncta. Nam Saſſia, mater huius Auiti (mater enim à me nominis cauſſa, tametſi in hunc hoſtili odio & crudelitate eſt, mater, inquam, appellabitur:) neque vnquam illa ita de ſuo ſcelere & immanitate audiet, vt naturæ nomen amittat. Quo enim eſt ipſum nomen amantius indulgentiúſque maternum, hoc, illius matris, quæ multos iam annos, & nunc cùm maximè filium interfectum cupit, ſingulare ſcelus, maiore odio dignum eſſe ducetis. Ea igitur mater Auiti, Melini iſtius adoleſcentis, generi ſui, contra quàm fas erat, amore capta: Primò, neque idipſum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde illa flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiæ, non hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror à cupiditate reuocaret: Animum adoleſcentis, nondũ conſilio ac ratione confirmatum, pellexit ijs omnibus rebus quibus illa ætas capi ac deliniri poteſt. Filia, quæ non ſolùm illo communi dolore muliebri, in eiuſmodi viri iniurijs angeretur, ſed nefarium matris pellicatum ferre non poſſet, de quo ne queri quidem ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur, cęteros ſui tanti mali ignaros eſſe cupiebat, in huius amantiſſimi ſui fratris manibus, & gremio, & mœrore, & lacrymis conſeneſcebat. Ecce autem ſubitum diuortium, quod ſolatium omnium malorum fore videbatur. Diſcedit à Melino Cluentia: vt in tantis iniurijs, non inuita: vt à viro, non libenter. Tum verò illa egregia, ac præclara mater, palam exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutius ſuſpicionibus obſcuris lædi famam ſuam noluit: lectum illum genialem, quem biennio antè filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa atque exturbata filia, iubet. Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum! ô libidinem effrænatam, & indomitam! ô audaciam ſingularem, non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum, hominúmque famam, at illam ipſam noctem facéſque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſtes nuptiarum? Perfregit, ac proſtrauit omnia cupiditate ac furore, vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Explicatur ſuperior amplificatio.

Animaduerte in hac tota narratione ſingulare grandis illius & exaggeratæ eloquentiæ artificium; primum rem improbam & funeſtam narraturus, incipit à commemoratione bonorum quæ antecęſſerant, quò res fiat atrocior: *Cùm eſſent hæ nuptiæ plenæ dignitatis*: Deinde, quam ingenioſa illa parenthęſis: *Saſſia mater huius*: (*mater enim à me nominis cauſſa*, &c.) Mox rem pedetentim explicat, ſeruatis ἁρμόσις legibus. Primùm amat Saſſia; deinde flagrat: Tertiò tota inflammatur; & hæ flammæ exaggerantur à contrarijs: Magnæ procul dubio fuerunt, quæ pudorem, pudicitiam, pietatem, metum dedecoris, hominum famam vicerunt. Hæc enim iſtius libidinis fræna ſolent eſſe valentiſſima. Dein adiuncta in perſona filiæ illuſtri ἁδονὰς exprimuntur. Sed hæc tantùm præludia: Quid, quomodo attollitur ſequens oratio?

Tum verò illa egregia ac præclara mater, & victrix filia, non libidinis, quam diſertè appoſitis inualeſcit adiunctis? *lectum illum genialem*,

quem biennio antè filiæ suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari & sterni, expulsa atque exturbata filia iubet. Postremò nubit genero socrus, nullis auspicijs, nullis auctoribus. Quid restabat nisi exclamationis fulmen, *O mulieris scelus!*

Amplificatio Beneficij accepti, per Comparata, Adiuncta, & partes, ad Quirites, post reditum, num. 5.

CAPVT XXVI.

Comparatio, & antitheta.

A Parentibus, id quod necesse erat, paruus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt, vos spectatum, & incredili pietate cognitum, reddidistis. Rempubl. illis accepi temporibus, eam quæ penè amissa est: à vobis eam recuperaui, quam aliquando omnes vnius opera seruatam iudicauerunt. Dij immortales mihi liberos dederunt, vos reddidistis. Multa præterea à Dijs immortalibus optata consecuti sumus; nisi vestra voluntas fuisset, omnibus diuinis muneribus caruissemus, vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assecuti, nunc à vobis vniuersos habemus, vt quantum antea parentibus, quantum Dijs immortalibus, quantum vobismetipsis, tantum hoc tempore vniuerso cuncta populo Rom. debeamus. Nam cùm in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, vt eam complecti oratione non possim, tum in studijs vestris tanta animorum declarata est voluntas, vt non solùm calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini. Non enim pro meo reditu, vt pro P. Popilij nobilissimi hominis, adolescentes, filij, & multi præterea cognati atque affines deprecati sunt.

Hæc ratio augendi per antitheta, pulchra est & suauis: adduntur etiam adiuncta; scilicet in largiendo beneficio alacritas, & cætera.

Alia pars amplificationis per μερισμόν.

Post reditum ad Quirit.

CAPVT XXVII.

Partium enumeratio.

QVid dulcius hominum generi à natura datum est, quàm sui cuique liberi? mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita sunt mea cariores, tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit vnquam iucundius, quam mihi meus frater; non tam id sentiebam, cùm fruebar, quàm tunc cum carebam; & posteaquam vos me illi, & mihi eum reddidistis: Res familiaris sua quemque delectat; reliquæ meæ fortunæ recuperatæ, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm tunc incolumi afferebant: Amicitiæ, consuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique, & dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. Iam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quanquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renouata, illustriora videntur, quàm si obscurata non essent. Ipsa autem patria, Dij immortales, dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet! quæ species Italiæ, quę celebritas oppidorum, quæ forma regionum? qui agri? quæ fruges? quæ pulchritudo vrbis? quæ humanitas ciuium? quæ reip. dignitas? quæ vestra maiestas? quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar vt nemo magis.

Quid notandum in superiori amplificatione.

Viden' vt singula quæque commoda minutatim, sine tamen vlla sermonis ignobilitate, aut rerum obscuritate, discutiens, amplam effecit orationem. Si quidpiam hic humile fuisset interpositum, corrupisset eloquentiæ grauitatem: quod fatuus quispiam fecit in veteri poëmate, qui Elysiorum camporum voluptates commemorans, Solem & cucumeres, dixit esse illi periucundos. Quæ cognatio Cucumerum, & Solis? Deinde, cuius ingenij est nobilissimis voluptatibus Cucumerum esum inferre?

Amplificatio rei calamitosi, per gradationem, & hypotyposin, &c. pro Quinctio. nu. 95.

CAPVT XXVIII.

MIserum est exturbari fortunis omnibus? miserius est, iniuria. Acerbum est ab aliquo circunueniri? acerbius à propinquo. Calamitosum est bonis euerti? calamitosius cum dedecore. Funestum est à forti atque honesto viro iugulari? funestius, ab eo cuius vox præconis quæstu prostitit. Indignum est à pari

κλίμαξ.

vinci

vinci, aut superiore? indignius ab inferiore atque humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis? luctuosius, inimico. Horribile est caussam capitis dicere: horribilius priori loco dicere.

ὑποτύπωσις, & descriptio facti.

Omnia circunspexit Quinctius, omnia periclitatus est C. Aquili, non prætorem modò, à quo ius impetraret, inuenire non potuit, atque adeo, ne vnde arbitratu quidem suo postularet: Sed ne inimicos quidem Sex. Næuij, quorum sæpe & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per Deos immortales, vt aut secum iure contenderent, aut iniuriam, sine ignominia, sibi imponerent. Denique ipsius inimici vultum superbissimum subijt, ipsius Sex. Næuij lacrymans manum apprehendit in propinquorum bonis perscribendis exercitatam, obsecrauit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis aut humanitatis rationem haberet: vt secum aliquid integra sua fama, qualibet dummodo tolerabili conditione transigeret; ab ipso repudiatus, ab amicis eius non subleuatus, ab omni magistratu vexatus, atque perterritus, quem præter te appellet, habet neminem, tibi se, tibi suas omnes opes fortunásque commendat: tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ, multis vexatus contumelijs, plurimis iactatus iniurijs, non turpis ad te sed miser confugit. E fundo ornatissimo deiectus, ignominijs omnibus appetitus, cum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiæ multam dotem conficere non posset, nihil alienum tamen vita superiore commisit. Itaque te obsecrat, C. Aquili, vt quam existimationem, quam honestatem in iudicium tuum, propè iam acta ætate, decursáque attulit, eam liceat ei, secũ ex hoc loco efferre, ne is de cuius officio nemo vnquam dubitauit, sexagesimo denique anno, dedecore, macula, turpissimáque ignominia notetur, ne ornamentis eius omnibus Sex. Næuius pro spolijs abutatur, ne per te ferat, quominus, quæ existimatio P. Quinctium vsque ad senectutem perduxit, eandem vsque ad rogum prosequatur.

Hæc gradatio, vt postea dicetur, tota ad amplificationes facta est, nihil ea ad augendum, aut fœcundius, aut suauius.

Altera pars amplificationis, continet ὑποτύπωσιν calamitosi hominis opulentum aduersarium demulcentis. *Denique ipsius inimici vultum superbissimum subijt*; cui additur sermocinatio, *Obsecrauit per fratris mortui cinerem.* Res ipsa per se satis luctuosa est, & in se suam continet amplicationem, modò disertè narretur.

Amplificatio ab Effectis. Describitur vir bonus: pro Cæcinna, num. 78.

CAPVT XXIX.

VEreor, de tali viro ne plus dicam, quàm vos aut sentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus R. in cauendo, non in decipiendo, perspexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxerit, qui tot annos, ingenium, laborem, fidem suam P. Romano promptam expositámque præbuerit; qui ita bonus & iustus vir est, vt natura, non disciplina consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili, non scientia solùm quædam, verumetiam bonitas nata videatur; cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, vt quicquid inde haurias, purum liquidúmque te haurire sentias.

Amplificatio luxus per adiuncta: pro Roscio Amerino, num. 133.

CAPVT XXX.

HAbet animi relaxandi caussa rus amœnum, & suburbanum, plura præterea prædia, neque tamen vllum, nisi præclarum, & propinquum: domus referta vasis Corinthijs, & Deliacis; in quibus est anthepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, vt qui prętereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum è multis splendidisque familijs in turba & rapinis coaceruari vna in domo potuit. Familiam verò quantam, & quàm varijs cum artificijs habeat, quid ego dicam? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios: animi & aurium caussa tot homines habet, vt quotidiano cantu, vocum, & neruorum, & tibiarum, nocturnisque conuiuijs tota vicinitas personet. In hac vita, Iudices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones, fieri putatis? quæ verò conuiuia? honesta credo in eiusmodi domo? si domus hæc habenda est

potiùs quàm officina nequitiæ, diuersorium flagitiorum omnium? Ipse verò quemadmodum compositò & delibuto capillo passim per forum volitet, cum magna caterua togatorum, videtis, Iudices: vt omnes despiciat, vt hominem præ se neminem putet, vt se solum beatum, solum potentem putet.

Amplificatio Capacitatis, 2. Philipp. num. 65.

Per partium enumerationem, & comparata.

CAPVT XXXI.

IN eius igitur copias cùm se subitò ingurgitauisset, exultabat gaudio persona de Mimo, modò egens, repentè dines. Sed, vt est apud Poëtam nescio quem, *Malè parta, malè dilabuntur* incredibile, ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quàm paucis non dico mensibus, sed diebus, effuderit; maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa & lauta suppellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus, nihil erat. Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico: quæ si fuit, animal vnum fuit. Oceanus medius fidius, vix videtur tot res, tam disiparas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum, apothecæ totæ nequissimis hominibus condonabantur, alia mimi rapiebant, alia mimæ, domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam sæpè (non enim semper iste felix) damna aleatoria conchyliatis Cn. Pompeij peristromatis: seruorum in cellis lectos stratos videres. Quamobrem definite mirari, hæc tam celeriter esse consumpta: non modò vnius patrimonium, quamuis amplum, vt illud fuit, sed vrbes, & regna celeriter tanta nequitia deuorare potuisset.

Fit per subiectionem ante oculos, cum vibrata quadam orationis celeritate.

Amplificatio luctuosi spectaculi de bonis Cnei Pompeij hastæ subiectis.

Per hypotyposin, sustentationem, epiplexin, &c. 2. Philipp. n. 64.

CAPVT XXXII.

HAsta posita pro æde Iouis Statori, bona, miserum me! (consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor,) bona, inquam, Cnei Pompeij Magni, voci acerbissimæ subiecta præconis: vna in illa re seruitutis oblita ciuitas ingemuit, seruientibúsque animis, gemitus tamen populi Romani liber fuit expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Dijs hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere: inuentus est nemo præter Antonium, præsertim cùm tot essent circa hastam illam, qui auderet, quod omnium fugisset & formidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, vt verius dicam, tantus furor, vt primum cùm sector sis isto loco natus, deinde cùm Pompeij sector, non te execrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi Deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias?

Et hæc plena, artificiosa, & grauis. Primùm, quàm appositè interiecta, luctuosa parenthesis. Bona (*miserum me*) deinde, vide vt suspendit animos. *Expectantibus omnibus quisnam esset tam impius.* Postremò, quæ fulmina exclamationum! *Tantus igitur te stupor oppressit, &c.*

Amplificatio Belli crudelis: Philipp. 14. n. 9.

Per causas efficientes, effecta, comparata, &c.

CAPVT XXXIII.

BEllum inexpiabile infert quatuor Coss. vnus omnium latronum terrimus: gerit idem bellum cum senatu populoque R. omnibus, quanquam ruit ipse suis cladibus, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat. Dolabellæ ferum & immane facinus, quod nulla barbaria posset ignoscere; id Deorum consilo factum esse testatur; quæque facturus esset in hac vrbe, nisi eum hic ipse Iupiter ab hoc templo atque mœnibus repulisset,

lisset, declarauit in Parmensium calamitate. Quot optimos viros honestissimósque homines, maximè cum auctoritate huius ordinis, populi R. dignitate coniunctos, crudelissimis exemplis interemit prodigium illud & portentum L. Antonius insigne odium omnium hominum, vel, si etiam Dij oderint, quos oportet, omnium Deorum? Refugit animus P. C. eáque formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmensium liberis, & coniugibus effecerit; quas enim turpitudines Antonij libenter subierunt, easdem per vim lætantur alijs se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt, libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita. Est igitur quisquam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatem Carthaginensium victam esse fateantur? qua enim in vrbe tam immanis Annibal capta, quàm in Parma surrepta Antonius? nisi fortè huius coloniæ, & cæterarum, in quas eodem est animo, non est hostis Antonius putandus. Si verò coloniarum & municipiorum sine vlla dubitatione hostis est, quid tandem huius censetis vrbis, quam ille ad expiandas egestates latrocinij sui, concupiuit, quam iampridem metator & callidus decempeda sua saxa diuiserat? Recordamini, per Deos immortales P. C. quid hoc biduo timuerimus à domesticis hostibus rumoribus improbissimis dissipatis; Quis liberos, quis coniugem aspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Iam aut fœdissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. Hæc à quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? grauius, si quis attulerit, nomen libenter assentiar; hoc vulgari contentus vix sum, leuiore non vtor.

Amplificatio criminis inusitati: 6. Verr. n. 67. 68. 69.

Per adiuncta, & varias figuras.

CAPVT XXXIV.

LEx maximo conuentu Syracusis in foro, (ne quis fortè me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur,) In foro, inquam, Syracusis flens, Deos hominésque contestans, clamare cœpit, candelabrum factum è gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo, populo R. monumentum suæ societatis amicitiæque esse voluisset; id sibi Caium Verrem abstulisse; de cæteris operibus, ex auro, & gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi miserum esse & indignum. Id etsi antea iam mente & cogitatione sua, fratrisque sui, consecratum esset; tamen tum se in illo conuentu ciuium Romanorum dare, donare, dicare, consecrare Ioui optimo maximo, testémque ipsum Iouem suæ voluntatis ac religionis adhibere. Quæ vox! quæ latera? quæ vires huius vnius criminis querimoniam possint sustinere? Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrûm biennium fere, comitatu regio, atque ornatu fuisset, is cùm amicus, & socius populi Romani esset, amicissimo patre, auo, maioribus antiquissimis & clarissimis, opulentissimo, & maximo regno, præceps è prouincia populi Romani exturbatus est. Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras: Quemadmodum huius tui facti famam in regna aliorum, atque in vltimas terras peruenturam putasti? Cùm audierint à Prætore populi R. in prouincia violatum Regem, spoliatum hospitem, eiectum socium populi Ro. atque amicum. Nomen vestrum, populíque R. odio atque acerbitati, scitote, nationibus exteris, Iudices, futurum, si istius hæc tanta iniuria impunita discesserit. Sic omnes arbitrantur, præsertim cùm hæc omnino fama de nostrorum hominum auaritia & cupiditate percrebuerit, non istius solius hoc esse facinus; sed eorum etiam qui approbarint. Multi Reges, multæ liberæ ciuitates, multi priuati opulenti, ac potentes habent profectò in animo Capitolium sic ornare, vt templi dignitas imperijque nostri nomen desiderat: qui si intellexerint, interuerso regali hoc dono, grauiter vos tulisse: grata fore vobis, populóque R. sua studia, ac dona arbitrabuntur: Sin hoc vos in Rege, tam nobili, in re tam eximia, in iniuria tam acerba, neglexisse audierint; non erunt tam amentes, vt operam, curam, pecuniam impendant in eas res quas vobis gratas fore non arbitrentur. Hoc loco Qu. Catule, te appello: loquor enim de tuo clarissimo pulcherrimóque monumento: non iudicis solùm seueritatem in hoc crimine, sed propè inimici atque accusatoris vim suscipere debes; tuus est enim honos in illo templo; senatus populíque R. beneficio; tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur. Tibi cura suscipienda,

da, tibi hæc opera sumenda est, vt Capitolium quo modo magnificentiùs est restitutum, sic copiosiùs ornatum sit, quam fuit: vt illa flamma diuinitus extitisse videatur.

Amplificatio Miseriarum, per antitheta, acutasque & vellicantes sententias, stylo picto, & declamatorio.

Senex reuersus è captiuitate, deplorat filium insepultum, & cæcam vxorem.

CAPVT XXXV.

LEX.

QVI in calamitate parentes deseruerit, insepultus abijciatur. Qui habebat vxorem & filium captus a piratis scripsit domum de redemptione: Vxor, flendo oculos amisit; filius, renitente matre profectus, vicarijs manibus redemit patrem. Idem in vinculis decessit, abiectus in mare, & appulsus ad littus patrium est eiectus; vult illum sepelire pater, mater prohibet.

Quintil declam. 6. fol 16 p. 2. Principium aptum & acutum. Nota gradationem artificiosissimam.

Quid enim passus sum tam leue, vt nō comparatio mei, felices etiam aliorum miserias faciat? Graue est a piratis alligari, magis dicat hoc, qui sciat, quàm citò capti moriantur. Alligatus sum, sed tamen magis queror, quòd solutus sum. Indigna est impietas in suos, quæ quanta versetur in hoc iudicio, videtis. Sed mihi hoc quoque querendum est, quòd me & vxor nimium dilexit, & filius. Quid ergo putarem in rerum natura posse reperiri, quod orbitate acerbius videretur? Non contigit mihi, quod cæteris, miserrimum filium efferre. Parum est, quòd iuueni, singularis exempli, caussa mortis fui, *& tam pretiosa redemptus anima, senex odiosus morte filij mei viuo.* Parum est, quòd mihi luctum meum fluctus nuntiarunt, *& aliud agenti patri subitò ad littus orbitas appulsa est*, quòd miserrimum iuuenem toto iactatum mari, etiamsi me interpellasset, serò sepelirem, adhuc supremo prohibeor officio, & ne quid solatij contingat, perdo etiam matris misericordiam. Inijcit errantem corpori manum *mulier, & piratu, & tempestate crudelior*, atque vt accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, vxor mea est. Ne quis tamen erret ignarus non est filij mei nouerca, sed mater, ô facinus! ô cladibus nostris mutata natura! *Mater ignem vltimum filio negat*, & mulier, quæ maritum quoque suum debilitata desiderat. Quis hoc de illa credat? filium non flet, funditus euersa fulmen hoc gladiúmque non sentit.

Egregium πάθος.

Iam illa principalis ac maxima Deum dono concessa *libertas, non hominum solùm, sed ferarum, voluerumq; sensibus fixa & ingenita*, primum spolium fuit. Me ipse perdidi, teneor venale mancipium, & ciuis Romanus merces fio, & libertatem senex dedisco, & natus ingenuus venire opto. Minimum est, in fluctibus habitamus, hyberni nos feriunt venti, non statio, non sedes, non quies, sed quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam domini mei, citò prætereunda est memoria, propter me vxori grauius, mihi propter filium. Transeo hirsutos hostium vultus, & immanium barbarorum feros fremitus, *tantùmque mihi quot die esse metuendum, quantū pati captus, audere pirata potuisset.* Nihil est desiderio suorum grauius, timui ne quem ex meis viderem. Nihil tempestate minacius, quotidie naufragium optaui: nam mortem, confitebor, senili inertia vna causa minus cupiebam, ne defunctum nemo sepeliret. Quam vestem relictam captiuo putas, nisi quæ præda non erat? quales epulas, cibósque præbent, qui ipsi rapto viuunt? Nam illa quidem satis digna quis dixerit? vdum carcerem, & inundatam sentina nauiculam, & impositum nuda trabe irrequietum latus, reuinctas post tergum manus, alligatos, tanquam esset qua fugeremus pedes? Solæ in carcere tenebræ iuuabant.

Item pag. 19. eiusdem libri idem exaggeratur egregie.

Præclara amplificatio miserrima inter piratas captiuitatis. λησρικὸν τῆς ὄψεως. *diceret Heliodorus. Artificiosa* αὔξησις

Nunc autem aliquot è Patribus amplificationes, χρυσῆν operis κορώνην subiungamus.

Amplificatio calamitosi status, per antitheta, & hypotyposin.

Describitur miseria pauperum, cum luxu diuitum comparata, ex D. Gregorio.

CAPVT XXXVI.

ΑΛΛ' οἱ μὲν ὕπαιθροι ταλαιπωρήσουσιν, ἡμεῖς δὲ οἰκήσομεν οἰκίας ὑπερλάμπρους, λίθοις παντοίοις διηνθισμένας, καὶ χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καταστραπτούσας, καὶ ψηφίδος λεπτῆς διαθέσει,

Greg. Nazianz in ora. 16. pag. 248. Merus in

Græcis verborum delectus, & grauitas.

Amplificationes autē Gregorij sunt magis ad λίνωσιν seu vehementiam, & maiestatem, quàm ad χύσιν verborum composita.

θέσει, καὶ ποικιλίᾳ γραφῆς, ὀφθαλμῶν ἀπατηλοῖς δελεάσμασι: καὶ τὰς μὲν οἰκήσομεν, τὰς δὲ οἰκοδομήσομεν· τίσιν; οὐδὲ κληρονόμοις ἴσως ἡμῶν, ἀλλὰ ξένοις, καὶ ἀλλοτρίοις· καὶ τούτων, ἴσως οὐδὲ τοῖς ἀγαπῶσιν ἡμᾶς, ἀλλὰ τοῖς ἀπεχθεστάτοις, καὶ φθονερωτάτοις, ὃ κακῶν ἔσχατον· καὶ οἱ μὲν ῥιγώσουσιν ἐν τριχίνοις καὶ διεσπαρμένοις ῥάκεσι, μᾶλλον δὲ οὐδὲ τούτων τυχὸν ἐπορήσουσιν· ἡμεῖς δὲ θρύψομεν ἡμᾶς αὐτοὺς ἐσθῆτι μαλακῇ καὶ περιῤῥεούσῃ, καὶ τοῖς ἐκ λίνου καὶ σηρῶν ἀερίοις ὑφάσμασι, καὶ τοῖς μὲν ἐνασχημονήσομεν μᾶλλον, ἤπερ ἐμπρέψομεν; οὕτω γὰρ ἐγὼ καλῶ πᾶν τὸ περιττὸν καὶ περίεργον· τὰ δὲ ἔνδον ἡμῖν ἀποκείσεται, φροντὶς ἄχρηστος, καὶ ἀνόνητος σητῶν δαπάνη, καὶ χρόνου τοῦ τὰ πάντα καταναλίσκοντος· καὶ οἱ μὲν οὐδὲ τῆς ἀναγκαίας τροφῆς εὐπορήσουσιν; ὦ τῆς ἐμῆς τρυφῆς, καὶ τῆς ἐκείνων ταλαιπωρίας! ἀλλὰ κείσονται πρὸ τῶν ἡμετέρων θυρῶν, ἐκλυόμενοι καὶ λιμώττοντες· οὐδὲ τὰς πρὸς τὴν αἴτησιν ἀφορμὰς, παρὰ τοῦ σώματος ἔχοντες· ἐστερημένοι φωνῶν μὲν εἰς τὸ ὀδύρεσθαι. χειρῶν δὲ, εἰς τὸ προτείνειν ἐφ' ἱκεσίᾳ· ποδῶν δὲ, εἰς τὸ προσιέναι τοῖς ἔχουσιν· ἀναπνοῶν δὲ, εἰς εὐτονίαν τῆς θρηνωδίας. τὸ βαρύτατον τῶν κακῶν, κουφότατον κρίνοντες. τοῖς ὀφθαλμοῖς μόνον εὐχαριστοῦντες, ὅτι μὴ τὴν αὐτῶν λώβην βλέπουσιν; καὶ οἱ μὲν οὕτως· ὑμεῖς δὲ ἀνακεισόμεθα λαμπροὶ λαμπρῶς ἐπὶ στιβάδος ὑψηλῆς τε καὶ μετεώρου, καὶ τῶν περιττῶν, καὶ ἀψαύστων ἐπιβλημάτων, κἂν φωνῆς ἀκούσωμεν τῶν αἰτήσεων, δυσχεραίνοντες; δεῖ δὲ ἡμῖν τὸ μὲν ὕδαφος εὐωδεῖν ἄνθεσι πολλάκις, καὶ τῆς ὥρας ἔξω, τὴν δὲ τράπεζαν κατεῤῥάνθαι μύροις, καὶ μύρων τοῖς εὐωδεστάτοις καὶ πολυτελεστάτοις, ἵνα καὶ μᾶλλον ἐκθηλυνώμεθα· παῖδας δὲ περιστάναι τοὺς μὲν ἐν κόσμῳ καὶ ἐφεξῆς, ἀνέτους τὰς κόμας, καὶ θηλυδρίας. καὶ τῇ κατὰ πρόσωπον κουρᾷ περιεργασμένους πλεῖον ἢ ὅσον συμφέρει, λίχνοις ὀφθαλμοῖς κεκοσμημένους· τοὺς δὲ τὰς κύλικας ἐπ' ἄκρων δακτύλων ἔχοντας, ὡς οἷόν τε εὐπρεπέστατά τε ὁμοῦ καὶ ἀσφαλέστατα· τοὺς δὲ ὑπὲρ κεφαλῆς ἄνεμον ταῖς ῥιπίσι σοφιζομένους, καὶ ταῖς ἐκ χειρῶν αὔραις τὸ πλῆθος τῶν σαρκῶν ἀναψύχοντας; καὶ τὰ ἐπὶ τούτοις, πλήθειν μὲν κρεῶν τὴν τράπεζαν, πάντων χορηγούντων ἡμῖν τῶν στοιχείων πλουσίως, ἀέρος, γῆς, ὕδατος· καὶ στενοχωρεῖσθαι τοῖς μαγείρων καὶ ὀψοποιῶν μαγγανεύμασιν· ἀγῶνα δὲ εἶναι πᾶσιν, ὅς τις ὡς μάλιστα τὴν λίχνην ἡμῖν καὶ ἀχάριστον κολακεύσει γαστέρα, τὸ βαρὺ φορτίον καὶ ἀρχέκακον, τὸ ἀπληστότατον θηρίον καὶ ἀπιστότατον, τὴν καταργουμένην αὐτίκα σὺν τοῖς καταργουμένοις βρώμασι; καὶ τοῖς μὲν πολύ τι, κόρος καὶ ὕδατος, ἡμῖν δὲ καὶ μέχρι μέθης οἱ τοῦ οἴνου κρατῆρες; μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τὴν μέθην τοῖς γε ἀκολαστοτέροις· καὶ τὴν μὲν ἀποπεμψόμεθα τῶν οἴνων, τὴν δὲ ἐγκρινοῦμεν ὡς ἀνθοσμίαν, περὶ δὲ τοῦ φιλοσοφήσομεν· ζημία δὲ εἰ μὴ προσέσται τῷ ἐγχωρίῳ καὶ τῶν ὀνομαζομένων ξένων τὶς ὥσπερ τύραννος. δεῖ γὰρ ἡμᾶς ἀβροὺς, καὶ τῆς χρείας περιττοτέρους, ἢ εἶναι, ἢ νομίζεσθαι, ὥσπερ αἰσχυνομένους, εἰ μὴ κακοὶ νομιζοίμεθα, καὶ δοῦλοι γαστρὸς, καὶ τῶν ὑπὸ γαστέρα.

Luxus diuitum circa ædes.

QVid? Illine sub dio vexabantur, nos autem domos splendidissimas incolemus, omnis generis lapidibus exornatas, auro & argento illuminatas, ac tenuium calculorum dispositione, varioque picturæ artificio, fallacibus oculorum illecebris? atque alias quidem incolemus, alias autem extruemus? Quibusnam autem? ne hæredibus fortasse quidem nostris, sed exteris, & alienis, ijsque ne amicis quidem fortasse, sed inimicissimis, maximáque in nos inuidia flagrantibus; quod quidem malorum omnium extremum est. Quid? illine in asperis & laceris pannis obrigescent, immò ne eos fortasse quidem habebunt; nos autem in mollibus & circumfluentibus vndique vestibus, telísque ex tenuissimo lino ac serico contextis lasciuiemus? atque in alijs quidem indecorè potiùs quam honestè & ornatè nos ipsos geremus: (sic enim quicquid superfluum & curiosum est, voco:) alias autem in arcis recondemus, curam inutilem & incommodam, à tineis exedendas, & à tempore, quod omnia conficit, absumendas; atque illis ne necessaria quidem alimenta suppetent? ô profusas meas delicias! ô grauem illorum calamitatem! verùm pro foribus nostris iacebunt languidi, & fame pene confecti, qui ne instrumnnta quidem corporis ad pe-

Pauperum nuditatis cum luxu vestium cōparatio.

Egregium πάθος.

ten-

tendum integra habeāt? Vocibus priuati sunt, quibus miseriam suam lugeant; manibus, quas supplicandi caussa protendant; pedibus, quibus ad diuites accedant; spiritu, quo lugubre carmen contenta voce fundant; atque, quod malorum omnium acerbissimum est, lenissimum esse iudicant, oculisque duntaxat gratiam habent, quòd ipsorum labem minime videant: Atque hi quidem ad hunc modum, nos autem in altis pensilibusque lectulis, eximijsque, & quas pene tangere nefas sit, stragulis splendidi, splendidè recumbemus: si vel solam petitionum vocem audiamus, stomachantes? Atque etiam illud oportebit, vt pauimentum nostrum floribus, plerunque etiam extra tempus, fragret, & mensa suauissimis, ac sumptuosissimis vnguentis perfundatur, quo magis in dies effœminemur: pueri etiam astent, partim ornatè, ac suo quisque ordine, comis soluti, effœminati, ac cæsarie expoliti, magis quàm impudicis oculis conducat; partim extremis digitis pocula teneant, quàm fieri potest decentissimè, simul ac tutissimè, partim follibus ventum super caput excitantes, atque auris manu conflatis obesas carnes refrigerent, mensa insuper carnibus redundet, elementis omnibus nobis prolixè & copiosè subministrantibus, aëre nempe, terra, aqua; nosque coquorum, & eorum qui epulas instruunt, lenocinijs comprimamur; omnésque de eo concertent, ecquis auido & ingrato ventri quàm maximè blandiatur, graui omnino sarcinæ, & malorum omnium authori, belluæ prorsus insaturabili, ac perquam infidæ; quæ cum fluxis illis & caducis cibis breui interitura est. Et quidem illi præclarè secum agi putabunt, si vel aqua expleantur; nos autem vini pocula vsque ad temulentiam hauriemus, immo etiam vltra temulentiam, saltem ij qui maiore laborant intemperantia; atque ex pluribus vinis alia reijciemus, alia vt suauia & grata probabimus, de alijs etiam philosophabimur, atque in detrimento ponemus, nisi ad patrium vinum, exoticum etiam quoddam, velut tyrannus, accedat. Nos quippe lautos & delicatos, & profusiores, quam vsus exigat, aut esse, aut haberi oportet, perinde atque vereamur, ne, non mali existimemur, ac ventris, & eorum quæ sub ventre sunt, mancipia.

Cæcitatem intelligit.

Luxus circa apparatum conuiuiorum.

Venter βαρὺ φορτίον, καὶ ἀρχέκακον.

Amplificatio atrocis supplicij per hypotyposin.

CAPVT XXXVII.

Ex D. Gregorio pag. 416.

Ναῦς φόρτον ἔχουσα τὸν πρεσβύτερον ἕνα, καὶ τοῦτον, οὐδὲ ὑπὲρ κακοῦ τι ὃς ἀλλ' ὑπὲρ πίστεως κινδυνεύοντα, κατὰ πελάγους ἀφίεται, οὐχ ἵνα σώσῃ τὸν ἐπιβάτην, ἀλλ' ἵνα ἀπολέσῃ. καὶ ὁ φόρτος πρόθυμος, εὐσεβὴς γὰρ, καὶ πῦρ τῷ φόρτῳ συνείσπορον, καὶ ζυφᾷ τὸ καινὸν τῆς κολάσεως ὁ διώκτης· φεῦ τοῦ θεάματος! φεῦ τοῦ δράματος! ἡ ναῦς πελάγιος, τὸ θέατρον ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς, τὸν μὲν ἐφηδομένων, τὸν δὲ ὀδυρομένων. πῶς ἂν ἐν ὀλίγῳ τὸ πολὺ παραστήσαιμι; ἀνάπτεται τὸ πῦρ, δαπανᾶται ἡ ναῦς, συνδαπανᾶται ὁ φόρτος, πῦρ ὕδατι μίγνυται, καὶ συντέχει τὰ ἐναντία, εἰς εὐσεβοῦς κόλασιν, καὶ δύο στοιχεῖα ἐν σῶμα μερίζεται, καὶ πυρσὸς ὑπὲρ θαλάσσης αἴρεται ξένος. ᾧ προσῆλθε μὲν τάχα τὶς ὡς ἡμέρῳ καὶ φιλανθρώπῳ. πρωτελθὼν δὲ εὗρε θέαμα ἐλεεινόν τε καὶ ἄπιστον, ἄνευ κυβερνήτου πλοῖον, ἄνευ χειμῶνος ναυάγιον· καὶ ὁ πρεσβύτερος κόνις, καὶ οὐδὲ κόνις, σπαρεὶς ἐν τοῖς ὕδασι· καὶ οὐδὲ τοσοῦτον ἡ ἱεροσύλη, ὅσον τελευτῆς γοῦν εὐσχημονεστέρας τυχεῖν· εἰ δὲ μὴ τελευτῆς, ἀλλὰ ταφῆς γε πάντως, ἣ καὶ τοῖς ἀσεβέσιν ὀφείλεται.

Grauis & acuta amplificatio, appositu antithetu vibrata.

Nauis presbyterum vnum portans, eúmque non sceleris vllius sed fidei caussa periclitantem, in mare demittitur, non vt vectorem seruet, sed vt perdat. Atque is quidem, qui vehebatur, vtpote vir pietate præstans, animo erat prompto & alacri. Comes autem illi ignis adiungitur, ac nouitate pœnæ maiorem in modum lætatur persecutor. Proh spectaculum graue! proh acerbam tragœdiam! nauis mari fertur, spectantium multitudo ad littus effunditur, partim lætantium partim lugentium. Quonam pacto rem tantam paucis exprimam, atque in aspectu collocabo? Ignis accenditur, nauis vna cum onere suo absumitur, ignis aquæ miscetur, résque inter se contrariæ, ad pij viri supplicium

Vide artem amplificationis per διάνοιαν.

cium concurrunt, duoque elementa corpus vnum partiuntur, & nouo, atque inaudito more fax super mare attollitur: ad quam, vt benignam, & humanam fortasse quispiam accesserit, propior autem factus, miserandum atque incredibile spectaculum reperit, nauigationem sine gubernatione, naufragium sine tempestate. Sic presbyter cinis efficitur, immo ne cinis quidem, vtpote in aquis sparsus. Nec verò sacerdotij dignitas tanta fuit, vt honestiorem saltem mortem consequeretur, aut si nō mortem, at certè sepulturam, quæ impijs etiam, & sacrilegis hominibus debetur.

ἀξίως acrē.

Amplificatur Definitio virtutis per inductionem.

CAPVT XXXVIII.

Amplificatio per inductionem. D. Chrysost. p. 572, oratione, quod nemo laditur nisi à seipso. S. Chrysostomi amplificationes plus habent fluxū verborum, & laxitatis.

Τί ποτ' οὖν ἔστιν ἵππου ἀρετή; ἆρα τὸ χρυσοῦν ἔχειν χαλινὸν, καὶ τελαμῶνας τοιούτους, καὶ στρωμάτων δεσμὸν ἐκ σηρικῶν νημάτων συγκείμενον, καὶ τάπητας ποικίλους, καὶ χρυσοπάσσους, καὶ φαλαροδοκόλλησα, καὶ πλοκαμους χρυσοῖς σχοινίοις συμπεπλεγμένους; ἢ τὸ δρομικὸν εἶναι καὶ εὐσκελῆ, καὶ βαδίζειν εὐρυθμα, καὶ ὁπλὰς ἔχειν ἵππου πρεπούσας γενναίου, καὶ ἀνδρίαν κεκτῆσθαι τοῖς ὑπὸ ἀποδημίαις μακραῖς, τὴν δὲ πολέμοις ἁρμόζουσαν, καὶ δύνασθαι καὶ ὑπαΐζειν μετὰ πολλῆ φαίνεσθαι τῷ παρασήματος, καὶ ζοπῆς γενομένης σώζειν τὸν ἀναβάτην; οὐκ εὐδηλον δὲ ταῦτα ἵππου ἀρετὴν, οὐκ ἐκεῖνα; τί ὄνων, καὶ ἡμιόνων, ποίαν φαῖμεν ἀρετὴν εἶναι, οὐ τὸ δύνασθαι μετ' εὐκολίας ἀβλαβῶς φέρειν, καὶ ῥαδίως τὰς ὁδοὺς δεικνύειν, καὶ πόδας ἔχειν στερρότητι πεζεύσαι μιμουμένους; μὴ τὰ ἔξωθεν αὐτοῖς περικείμενα σωτηρίαν δὲ πρὸς τὴν οἰκείαν ἀρετὴν αὐτῶν φήσομεν; οὐδαμῶς. ἄμπελον δὲ ποίαν θαυμασόμεθα; τὴν τοῖς φύλλοις κομῶσαν καὶ τοῖς κλήμασιν, ἢ τὴν τῷ καρπῷ βριθομένην; ποίαν δὲ ἀρετὴν ἐλαίας εἶναι φαμὲν, ὅταν μεγάλους ἔχῃ τοὺς κλάδους, καὶ πολλὴν τὴν ἀπὸ τῶν φύλλων κόμην, ἣν ὅταν τὸν οἰκεῖον καρπὸν δαψιλῆ καὶ παντα χῆ διεσπαρμένον ἐμφανῇ; οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων ποιῶμεν· διευκρινῆσαι τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ βλακεῖαν εἶναι ἐκείνην νομίσωμεν μόνην, τὴν αὐτῇ λομαγνομένην. τί οὖν ἔστιν ἀρετὴ ἀνθρώπου; οὐχ ἡμαθία, ἵνα πενίαν δείσῃς· οὐ ὑγιεία σώματος, ἵνα φοβηθῇς νόσον. οὐ ἡ τῶν πολλῶν ὑπόληψις, ἵνα ὑπὲρ δόξαν πονηράν· οὐ τὸ ζῆν ἁπλῶς, καὶ εἰκῆ, ἵνα φοβερός τις γένηται ὁ θάνατος· οὐ ἐλευθερία, ἵνα δειλίαν φύγῃς· ἀλλὰ τὸ ἀληθῶν δογμάτων ἀκρίβεια, καὶ ἡ κατὰ τὸν βίον ὀρθότης.

QVid ergo est virtus equi? nunquid aureum habere frænum, & huiusce modi cingula, stragulorum vincula ex sericis filis contexta, tapetes variatos, auroque intertextos, phaleras gemmis distinctas, comas aureis funiculis complicatas: an verò cursu esse velocem, cruribus benè firmis numerosè incedere, & vngulas habere generoso equo dignas, robore præditum esse, longis itineribus, ac bellis idoneo, posse & in acie magno animo, & in fuga equitem incolumem conseruare? an non perspicuum est, his, non illis equi virtutem contineri? Asinorum verò, & mulorum, quam virtutem esse diceres? an non posse onera commodè gestare, itinera facilè conficere, habere pedes, qui firmitate saxa imitentur? Num ea, quibus extrinsecus circumdati sunt, aliquid ad virtutem ipsorum proprium conferre dicemus? nequaquam. Vineam deinde quam admirabimur? folijs comatam, & palmitibus an fructu onustam? Quam etiam oliuæ virtutem esse dicimus? cùm magnos habet ramos, & multam foliorum comam? an cum suum fructum vberem, & in omnes partes dispersum ostendat? Sic igitur etiam in hominibus faciamus: discernamus virtutem hominis, idque solum damnum existimemus, quod illam violet. Quid igitur est virtus hominis? non pecunia, vt paupertatem metuas: nec sanitas corporis, vt timeas morbum: non multitudinis opinio, vt suspectam habeas existimationem malam, nec vita per se sola sine accensione, certoque proposito fine, vt mors tibi formidabilis existat: nec libertas, vt seruitutem fugiat, sed veræ doctrinæ diligens studium, & vitæ honestas.

Amplificatio breuis miseriarum vitæ, per synathroismum.

D. Chrysost. tract. quòd nemo læditur nisi à se ipso, pag. 577.

CAPVT XXXIX.

Φέρε δὴ τὰ προσωπεῖα ἀφελόντες τὰ φαῦλα καὶ περιφανῆ τῆς αἰσχρᾶς καὶ δυσειδοῦς τῶν πραγμάτων ὄψεως τούτων, δείξωμεν τὸ ἐταιριζόμενης γυναικὸς ἣν βδελυγμίαν. τοιοῦτον γὰρ ἡ τοιαύτη ζωὴ, ἡ ζυφᾶς, καὶ πλάτῳ, καὶ δωμασείας προσέχουσα, τὸ αἰσχρὸν, καὶ δυσειδὲς, καὶ πολλῆς βδελυγμίας γέμον, τὸ ἀηδὲς, καὶ φορτικὸν, καὶ πικρίας ἐμπεπλησμένον. καὶ γὰρ δὴ τοῦτο μάλιστά ἐστι τὸ πάσης ἀποστεροῦν τοὺς ἁλόντας συγγνώμης· ὅτι καὶ ἀηδίας, καὶ πολλῆς τῆς πικρίας ἐμπεπλησμένος ὁ βίος οὗτος, πονηρός τε αὐτῆς καὶ περισπούδαστός ἐστι, καὶ μυρίων γέμων κακῶν, κινδύνων, αἱμάτων, κρημνῶν, σκοπέλων, καὶ φόνων, καὶ φθόνων, καὶ ζημιῶν, καὶ φθόνου, καὶ βασκανίας, καὶ ἐπιβουλῆς, καὶ φροντίδος δεινοτάτης, καὶ μερίμνης, καὶ κέρδος ἔχων οὐδὲν, οὐδὲ καρπὸν τῶν τοσούτων κακῶν οὐδένα φέρων, ἀλλ' ἢ κόλασιν, καὶ τιμωρίαν, καὶ τὸ δεινοτάτως βασανίζεσθαι.

AGe verò speciosis laruis, à turpi, ac deformi facie detractis, meretricis mulieris fœditatem ostendamus. Talis enim est vita ad voluptates, diuitias, & honores proiecta, infamis, inquinata, flagitijs ac sordibus oppleta, molesta, grauis, multisque acerbitatibus oppressa. Hoc enim est, quod huius amore delinitis omnem adimit veniam, quòd cùm tot rerum asperitatibus sit referta, desideratur ab eis, & magnoperè expetitur, plena capitis discriminibus, præcipitijs, scopulis, cædibus, timoribus, terroribus, inuidia, perpetua cura, & solicitudine; quodque nullum lucrum, nullum fructum tantorum laborum afferat, nisi pœnam, ac supplicium, & æternos cruciatus.

Amplificatio auaritiæ per effecta, & imagines.

D. Chrysost. tract. quòd nemo læditur nisi à seipso, pag. 578.

CAPVT XL.

Λύσσα τις ἀνίατος, καὶ μανία ἀκάθεκτος, καὶ νόσος ἀδιόρθωτος, τὰς πάντων κατέχει ψυχὰς· καὶ πάντων ἔρωτα οὗτος νικήσας ὁ ἔρως, καὶ παρωσάμενος, ἐξέβαλε τῆς ψυχῆς καὶ φιλίας, καὶ συγγενείας οὐ γυναικὸς καὶ παίδων, οὐ τί γένοιτ' ἂν ἀνδράσι ποθεινότερον; ἀλλὰ πάντα χαμαὶ ἔρριπται, καὶ καταπεπάτηται, τῆς ὠμῆς ταύτης, καὶ ἀπανθρώπου δεσποίνης τῶν ἁλόντων τὰς ἁπάντων χαλαζώσης ψυχάς. καὶ γὰρ ὡς δέσποινα τῶν ἀπάνθρωπος, καὶ ὡς τύραννος ἀπηγὴς, καὶ ὡς βάρβαρος ὠμὴ, καὶ ὡς πόρνη πάνδημος, καὶ πολιτελὴς, καταισχύνει, καὶ κατατείνει, καὶ μυρίοις κολάζει κινδύνοις τε καὶ τιμωρίαις, τοὺς ἑλομένους δουλεύειν αὐτῇ· καὶ φοβερά τις οὖσα, καὶ ἀμείλικτος, ἀχρειά τε, καὶ ἀπλοῦς, πρόσωπον ἔχουσα βαρβαρικὸν, μᾶλλον ἢ θηρίων ἀδεές, καὶ λύκου καὶ λέοντος ἀχριώτερον, προσλιπής τις εἶναι δοκεῖ, καὶ ποθεινὴ, καὶ μείλιχος γλυκυτέρα τῆς ἀχμαλωτισθείσης ὑπ' αὐτῆς, καὶ ξίφη καὶ ὅπλα καθ' ἑκάστου κατ' αὐτῶν χαλκεύουσα, τὴν ἡμέραν, βαραθρα ἀνορύττουσα, καὶ ἐπὶ κρημνοὺς ἄγουσα, καὶ σκοπέλους, καὶ μυρία αὐτοῖς πλέκουσα κολάσεως δίκτυα, ζηλωτοὺς αὐτοὺς νομίζεται ποιεῖν, τῆς τε ἠλιθιότητος αὐτῆς, τῆς τε ἐπιθυμίας ἁλῶναι· καθάπερ ὑς ὀμάρα, καὶ βορβόρῳ ἐγκυλινδουμένη ἥδεται, καὶ ζυφᾶς καὶ κάνθαροι, κόπρον σωρεύοντες· οὕτω δὴ καὶ οἱ τῆς φιλαργυρίας ἁλόντες, τῶν ζώων τούτων εἰσὶν ἀθλιώτεροι.

RAbies quædam desperata, furor effrænatus, morbus insanabilis omnium animos obtinet. Hic amor omnem funditus amorem extinctum, atque oppressum eijcit ex animo. Neque amicitiæ ratio habetur, neque cognationis. quid dico amicitiæ, & cognationis? non vxoris, & liberum, quo quid viuis potest esse charius? sed omnia humi abiecta, & conculcat-

conculcata sunt, vbi crudelis isthæc, & inhumana mancipiorum domina, tanquam sæuus tyrannus, aut barbara quædam immanis, aut merettrix publica, & sumptuosa omnia dedecorat, conficit, & sexcentis obijcit periculis, ac pœnis eos, qui illi seruire in animum induxerunt. Cumque sit terribilis, acerba, crudelis, sæua, vultu barbarico, quin potiùs ferino, & quàm lupus, ac leo tetriore; mansueta tamen, & expetenda, & melle dulcior suis captiuis esse videtur: cùm etiam gladios, & arma quotidie contra eos cudat, ac barathra effodiat, ad præcipitia ducat, & scopulos, infinita supplicij retia texat, beatos tamen præstare censetur, tum ipsis captis, tum ijs, qui in eosdem laqueos se induunt, atque, vt in cloaca, & cœno sus cum voluptate, & delicijs voluatur, aut, vt scarabei in stercore continenter versantur; ita etiam auaritia capti istis animantibus sunt miseriores.

Eadem latinitate donata.

QVi ad dimensum diem super thoros accumbunt, cœnas cum prandijs copulant, ventrem disrumpunt, sensus deprauant, immodico ciborum onere nauigium demergunt, sentinam inexhaustam, & exundantem reddunt, & tanquam in corporis naufragio nauem vndis obruunt, pedicas, manicas, & linguæ vincula nectunt, totumque corpus suum vinciunt vinculo ebrietatis, & luxus, grauiore quã ferrea catena, ac nec syncerum, & purum capiunt somnum, neque ab horribilibus insomnijs liberi sunt, furentibusque miseriores, voluntarium quendam dęmonem in animum inducunt, risui spectantium famulorum expositi, imò etiam luctui, & lachrymis meliorum inter eos; neminem nouerunt eorum, qui adsunt, neque dicere quid, neq; audire possunt, sed inter gestantium manus, à toris, ad lectulum feruntur. *Ebrietas dæmon voluntarius.*

Amplificatio gulæ, & ebrietatis per congeriem.

D. Chrysostomus tract. quòd nemo læditur nisi à seipso pag. 580.

CAPVT XLI.

Οἱ πρὸς διαμεμετρημένην τὴν ἡμέραν ἐπὶ τῶν στιβάδων κατακείμενοι, καὶ διὰ τὰ δεῖπνα τοῖς ἀρίστοις συνάπτοντες, καὶ τὴν γαστέρα διῤῥηγνύντες, καὶ τὰς αἰσθήσεις πείροντες, καὶ τῷ ὑπερόγκῳ τῶν ἐδεσμάτων φορτίῳ τὸ πλοῖον καταποντίζοντες, καὶ ὑπέραντλον ποιοῦντες τὴν ναῦν, καὶ καθάπερ ἐν ναυαγίῳ τῷ τοῦ σώματος κατακλύζοντες αὐτὴν, καὶ πέδας, καὶ χειροπέδας, καὶ γλωσσωπέδας ἐπινοοῦντες, καὶ ἅπαν αὐτῶν καταδεσμοῦντες τὸ σῶμα, ἁλύσεως σιδηρᾶς χαλεπωτέρῳ δεσμῷ τῷ τῆς μέθης, καὶ τῆς τρυφῆς, καὶ μήτε ὀνειράτων ἀπηλλαγμένοι φοβερῶν, τῶν τε μαινομένων ὄντες ἀθλιώτεροι, καὶ αὐθαίρετόν τινα δαίμονα ἐπεισάγοντες τῇ ψυχῇ, καὶ γέλως προκείμενοι τῷ θεάτρῳ τῶν οἰκετῶν, μᾶλλον δὲ καὶ τραγῳδία, καὶ δακρύων ὑπόθεσις τοῖς ἐπιεικεστέροις αὐτῶν, καὶ μηδένα εἰδότες τῶν παρόντων, μήτε εἰπεῖν τι καὶ ἀκοῦσαι δυνάμενοι, ἀλλὰ φοράδην ἀπὸ τῶν στιβάδων ἐπὶ τὴν κλίνην ἀγόμενοι.

Amplificatio virtutum.

CAPVT XLII.

AMplificatio virtutum & rerum laudatarum conformari poterit ad hæc exempla Ciceronis.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem vt vinci possent habebant. Nulla est enim tanta vis, tantaque copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. *Laus Clementiæ pro Marcello.*

O vitæ Philosophia dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modò nos, sed omnium vita hominum sine te esse potuisset? tu vrbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: tu eos inter se primo domicilijs, deinde coniugijs, tum litterarum, & vocum communione iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Ad te confugimus, à te opem petimus: tibi nos totos tradimus. Est *Laus Philosophiæ 5. Tusculana.*

autem vnus dies bene, & ex præceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus vtamur, quam tuis? quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti.

Virtus Imperatoria.

Ego sic existimo, in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur scientior vnquam aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo atque pueritiæ disciplina, bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est, qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator: qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit; plura bella gesit, quam cæteri legerunt; plures prouincas confecit, quam alij concupiuerunt, cuius adolescentiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperijs; non offensionibus belli, sed victorijs; non stipendijs, sed triumphis est traducta.

Item. Non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo; quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt.

De Diminutione.

CAPVT XLIII.

VErùm cum multa de amplificationibus apud Rhetores passim occurrant, mirum est, cur de diminutione permulti nihil attingant, siue quod ab eloquentia hanc rerum extenuationem alienam esse putent, siue quod nullam esse artem diminutionis existiment.

Ego verò sic arbitror, & istam quam vocant μείωσιν prudentissimæ partem esse eloquentiæ, & eius artificium minimè negligendum. Occurrunt autem sæpe tempora minuendi, quorum imprimis haberi oportet rationem.

Et illud quidem frequentissimum est, cum ab aduersario contra rem nostram est aliquid copiosius exaggeratum, quod infringi, atque comminui multis modis solet: vel enim dicemus calentem adhuc Rhetorum studijs hominem suo ingenio plenius indulsisse, similem videri circulatoribus, qui manuefactas circumducunt belluas, cùm verò, & scriptis programmatis, & crebro tympanorum sonitu ad videndam eximiæ magnitudinis belluam omnes inuitarint, degenerem feram, &, vt aiunt, murem pro leone ostentant. Sic illum diu verboso ambitu perstrepuisse, vt rem paruam extolleret, sed omnia in eius contemptum refundi, non fieri verbis elephantos ex culicibus, manere semper eadem rerum pretia, siue quis attollat, siue detrahat. Aduersarium intemperanter abusum auribus grauissimorum hominum, quibus id persuaderi posse existimauit, quod vix mulierc ularum, aut puerorum erudelitati insinuaret.

Deinde, quæ si afferri possit comparatio, in qua ea ipsa, quæ ad rem attollendam magnificentissimis verbis prædicauit, per antisagogem rei vilissimæ, vel haud ita laudatæ tribuamus, & risum inde excitare possimus auditorum, quod sæpè fit, perit tota illa, quæ ab aduersarijs est conformata magnitudinis species, & in fumos euanescit. Vt si quis formam aliquam pulcherrimi corporis exquisitis orationis pigmentis ornarit, nos deinde irridendo eadem de olla dici posse demonstremus, vel si operosissimum Regis alicuius Mausolæum amplissimis verbis extulerit, nos muscam nobilius sepultam ostendamus, quod ingeniosissimè fecit Martialis, vbi agit de vipera in succino sepulta, l. 4 ep. 48.

Flentibus Heliadum crustis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit victa repente gelu.
Nec tibi regali placeas Cleopatra sepulchro;
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

Sic & Cupidinem Deorum potentissimum cum aliquis verbosissima oratione laudasset; bellissimè retorquens aduersarius, cum vespa contulit: *Alas habet, & vespa: telum habet, & vespa,* & cætera, quæ in eodem argumento dici possunt.

Vel si quæ ab aduersario dicta sunt, omnes veritatis habent numeros, non rectè, aut secure confutari possunt; tunc, aut dicendi modus erit perstringendus, aut otiosa oratio velli-

canda,

canda, quod ea frustra conetur extollere, de quibus nemo ambigat: sic callidissimè Cæsar, cùm in consultatione de supplicio Catilinariorum non lubenter audiret, coniurationis crimen atroci quadam, vt debebat, oratione augeri, non refellit quidem eos, qui grauissimè de hoc crimine dixerant, neque enim erat, aut tutum, aut prudens hoc facere, quid igitur facit, vt rem minuat? modum dicendi arguit: *sed per Deos immortales, quò ista oratio pertinuit? an, vt vos infestos coniurationi faceret? scilicet, quem tanta res, atq; tam atrox non permouit, eum oratio accenderet?* Vel si facti alicuius minuendi data sit occasio, tum contra faces aduersarij aspergenda erit frigida, *vt magnum & inusitatum facinus! vestem scidit, resarcitur*, & reliqua similia.

At quæres? num præter hæc tempora, & concertationes, occurrant etiam plerumque loci, in quibus diminutione sit vtendum? Ita est profectò, artificiosissimæ est eloquentiæ, sua prudenter minuere, vel certè dictis minime attollere. Tum verò rectè fit, cum res magnæ dicuntur, cùm apud magnos auditores, cùm personæ graues, & gloriosissimæ famæ loquuntur, quarum dicta, vt oracula, non verborum multitudine, sed pondere vim suam obtinent, simplicius enim narrant, & tamen tonant oratione, quia vita fulgurant. Paulus Æmilius apud Titum Liuium, orationem habet de suis rebus gestis, nihil minus ornatum, stylum epistolarum diceres, *Profectus ex Italia, classem à Brundusio sole orto solui, nona diei hora cum omnibus meis nauibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini, pro me, exercitibusque vestris sacrificauit, Regem ad pugnam coactum vici, Macedoniam in potestatem populi Romani redegi.* Hæc à summo Imperatore profecta, longè magis eruditas aures afficiunt, quam si ipse Marcus Tullius ornatissima oratione suas in Amano victorias celebraret. Fit autem, vt auditores hac modestia deliniti, plura silentio suppressa existiment, & verborum moderationem flagrantissimis studijs compensent.

Eandem diminutionis rationem fermè sequuntur, qui ponderosam amant in oratione sobrietatem, studentque potius, vt magna viuant, quàm vt diserta loquantur. Itaque consultò, & synonyma, & duplicata, & contraposita, & sustentationes, & commorationes, & expolitiones, & circumductiones verborum declinant, ac *ficum ficum* dicunt: sed tantam habent in vita venerationem, in dictis maiestatem, vt amplificationis ornatu nihil indigeant.

(..)

PLACVIT HIC QVOQVE POST aliquot delibata, variam locorum communium ex Ciceronе ſuppellectilem, ad vberiora amplificationum exempla, notatis numeris ſubijcere.

A

Adoleſcentum voluptates, pro Cœl. 19.
Ambitio 2. Agr. 97. 98.
Ambitio Candidatorum. Mur. 76. 77. Planc. 12. eius periculum. Mur. 74. 75. Milo. 45.
Agriculturæ voluptas, de ſenectute 51 52 53
Animæ immortalitas; de ſenectute 77. 78. 79
Auaritia fugienda 3. offic. 75. 76. 77 15. 35 violat omnia, pro Quinct. 26. 53. 38. Manil 37. 65. Flacc. 72. 73. Haruſp. 59. pro Sext. 94. Piſo. 86. 90. & paradox. 1
Amicitia, ii, Ant 58.
Amor in aliquem, iiii. Catil. & pro domo 27. 28. Planc. 22. 27. 29. 80 81. Mil 70. 101 Deiot. 39
Audacia, Amer. 95. Cæcin. 2. i. Ant. 90. i. Catilin 2. 3. 4, pro domo 115. 116 117. 140. 141 Haruſp. 4 Sext. 1. 2
Aduerſa fortuna ſuas habet vtilitates poſt reditum 2. 3. 4. 5. 6. pro domo 86. 87. Piſo 41. 42. 31. 32. 33. 34. 44
Auſteritas nimia, Mur. 74
Authoritas ſpectabilis Mani. 43. 44. 45. Syll. 80. ex Mil. 12

B

Belluas immanitate ſuperare, Amer. 63.
Bonorum inſectationes Sext. 1. 2.
Beneficij accepti prædicatio. poſt reditum ad Quirites, 56 &c. poſt reditum in Senat. 2. 3. Haruſp. 16. Planc. 2. 4. Mil 101. 102, poſt. 47. Marcel. 3. 35.

C

Cauſſæ malorum omnium, 2. Ant. 53. 54. 55. 71. 72
Calamitas hominis, Amer. in tota peroratione. Item exordium totum pro Flacco, & peroratio. Exordium pro Sylla. Et peroratio pro domo 44. Sext. 7. 121. 122. 128. 145. Mil. 35. Poſthu. 45. 46. & pro Quintio nu. 49
Calamitas eius cuius bona ſunt ſubhaſtata.
Cædes Sext. 76. 77. 78. 79
Ad conſtantiam cohortatio, Manil. 69.
Conſtantiæ Syll 83. poſt reditum ad Quir. 19. pro domo 4. Sext 60. Prouincijs 41. Mil. 62. 63. 65. 93. 96. 102 Deiot 36. 37
Concordia, Haruſp. 60 61 63. Lig. 33.
Conſolatio 14. Philip. 34.
Corruptela temporum, 2. Catil 10.
Conſcientiæ vis, 3 Cat. 11. poſt reditum in Senat. 36. pro domo 140. 141. Piſo.
Continentiæ, & grauitatis laus, ex ijs, quæ pro Cœlio num. 39. 46. 47. Mil 62. 63 2. Ant. 68
Conuiuium Damodis Tuſculana, v 61
Crimen magnum. Font. 10. Cluent. 25. 29. Piſo 94
Criminum frequentatio, acti. i. in Verrem, initio, & vlt. in Verr. ſub finem.
Crudelitas, 14 Philipp. 8. 9 10. pro Roſc. Amerino. 63. Cluent 177. 188. 199. Rab. 12. 13. &c. 3. Catil 24. 25. Flacco 73. Syl 76. pro domo 43. 63. 64 Haruſp 35. Sext. 32. 30. 22. 135. Vatin. 23. & vltima in Verrem, maximè in ſupplicio Gauij Conſani. Piſo. 17. 18. 83. 84. 85. Lig. 11. 12. 13. 14 ii. Ant. 63. iij Ant. 4. xj Philipp. 1. 2. 3. 5 6. 7. 8. 9. egregie xiij. Philipp. 18. 21. 22. Amer. 63
Conflictus virtutum, & vitiorum ij. Cat. 15
Clementiæ Laus. Marc. 1. 9. 17. 18. 19 Lig. 15. 16. 29. 30. 38. 39. Deiot. 33. 34. 40.

Diues

D.

DIues Rab.3.4
Decretum iniquum, Flacc.15
Degener, Sext.110.Rab.2
Decoctor Flacc.90.91.Sext.110.
Damnatio iniqua, pro domo 46.58. 59.60.95.
Diuina vltio, Amer.131. pro domo 140. 141. Haruſp.37.38.39 Piſo 85.Mil.86.
Diſcordia tollenda, Haruſp 54.55.60.61. Sext. 104.108.109.xiiij.Phil.17.18.
Dolor ij.Catil.20 iiij. Catil. 2. pro domo 97. 98.Haruſp.43.Planc.34 Sext 3.4.14.27.32. 63.64.88.17.122. Cœlio 60.Mil. 16.18. 201 100
Dignitas maior durioribus legibus obſtringitur Cluent.150. Flacc. 87. vbi locus præclarus de moleſtijs, & periculis eorum, qui præſunt.
Diligentia in ſtudio, Planc. 66. Cœl.45.46. 74.

E.

ERrori, & temeritati ſumus omnes obnoxij; Poſth.22.23.24.25.26
Eloquentiæ fructus Muræn.24 vis eius, & 1. de Orat num.30. 31. 32. 33.Haruſp.41.Sext. 107.108.109.Balbo 3.
Exempla virtutis multum mouent. Arch.14.

F.

FAma celebris pro lege Manilia, 43. 44. iij. Catil.26.Syll.24.Cœlio 6.Milo 98.99
Fama, & exiſtimatio læſa pro Quinct.
Fama non bona, Cluent.4.Piſo.47.
Falſum crimen, Cluent.9.166.&c. Flacc.11.12. 19.96.Syll.74.75.Planc.30.56.57 Cœl.15.23. 53.57.57.66 Deiot.8.15.16.14
Fraudulentus, Quinct.12.13.16.19.22.26.29. 56 Amer.116.117. Cecin.14.15.19 Cluent. 70.71.72.ij.Agrat.20.Flacc 46.47.48. poſt reditum in Senat.12.Sext.19.ex 22.
Fortunis ſpoliatus, Amerini peroratio pro domo 106.111.114.
Fœminæ laus, Amerin.147.
Furor, Haruſp.39.Piſo 47.50.Milo.99.vj Ant. 4.5.6.7.
Frugalitas, Deiot.26.27.

G.

DE gloria, & de modis comparandi locus communis prolixus, ij.offic.43.vſque ad 52
In gloria recipienda laborandum, Manil. 6. exord.
Gloriæ amor.Arch 26.vſque ad 30.Sext.143. Cœl 76. prouinc.38 Piſo 56. 57. 58. 59.62.Milon 98.99 Marcell.28.29.30. 31. i. Anton.29.30.ij.Ant.32.33.114.115
Græcorum mores, & eorum in teſtimonijs leuitas, pro Flacco 9.10.11.12.13.
Gratiarum actio ij.Agra.j.iij. Catil.26. poſt reditum ad Quirit.5.6. & 53.27. egregiè poſt reditum in Senat. 2. 3. 22. 29. 35. 38. Planc 2.3.68.72.77.78. 79. 80. 81. Balbo j. Marcell.10.35.iij.Anto 3.4.
Gratia, aut potentia inuidioſa, Amerin.122
Gratus omnibus Arch 5.6.Vatin.7.8.
In gratiam redire cum inimico, Poſthu. 32.33. 19.

H.

HElluo Piſo.13. 22. 41.ij. Ant. 66. 67.104. 105
Homo frugi, Quinct.59.93
Honeſtus, & locuples Amer.15
Honores poſt mortem decernendi, ix. Philip. ferè tota.
Honor digno collatus, exordium ij. Agrar. Planc.50.Sext.6.
Humaniorum literarum fructus, Arch.12
Humanitas. Amer.41.42.
Humanarum rerum inconſtantia, & pericula, Flacc 87.Syll.91.pro domo 146. Mil. 70.v. Ant.26.

I.

IGnominiam ſubire, & ſuis bonis ſpoliari ſummum malum, Quinct.49.95.Piſo.47. 48 Ant.52.
Impietas. Font.20.21.pro domo 104. Vat. 14. ij.Ant 56.
Imperatoris virtutes quæ, Manil.28 29.&c.
Iniuriam vlciſci, Syll.46.47
Iniuria, damnumque, Quinct.34 47.52.53.71 74.95 Amer.46 pro domo 106.&c.iij.Sext. 29.54.93.de prouinc.5.10.71.

Impro-

Improbi viri mores, aut auari, Quint. 55. 56. pro Cluent. 130. L. 1. in Ver. nu. 10. l. 2. n. 134. de Timarchide pulchra.
Innocentia alicuius, Font. 27. exord. Flacc. 7. Syll. 77. 78. 79. 84. 85. Cœlio 55.
Balbo 13. Posth 6. 10. 11. Deiot 20.
Immortalitatis spe omnes laboramus, Rabir. 26. Sext. 47. 48. Marcell. 11. 28. 29. ii. Ant. 114. xiv. Philip 32 33
Iudicum officiũ. Cluent. 159 Mur. 41. Posth. 11, 12.
Iudicis quanta prudentia esse debeat, Font. 15. Flac 95. Piso 94. Post. 11. 12.
Iram deponere, Deiot 8. 9. ii. Ant 84. 36. 76.
Iratus leui de causa, Vat. 4. 1. Ant. 26. 27.
De iure, & iurisconsult. pro Cæcinna. 66. 67.
Iuris ciuilis quanta sit æquitas, & quam diligenter sit obtemperandum, eiusque fructus, Sext 90. 91. 92. ix. Phil. 7. 11.
Iurisprudentiæ laus. 1 de orat. 199.
Iurisperitorum labores, Mure. 19.
Iustitiæ necessitas, præclarus locus communis, 2. offic. n. 39. 40.

L.

LAus egregia viri boni, & prudentia Cæcin. 77. 78. Manil. 3. Cluent. 107. 133. Cœl. 59.
Legum vtilitas, & authoritas, Cluent. 146. earum euersio Piso 9. 10. Marcell. 24. 25. Deiot. 32.
Libertas Planc. 47. Balbo 31. Posth. 3. 4. & ii. offic. 52. 53. 54. præclarè in peroratione.
Libertas in agendo cum laude, Planc. 93. 94.
Libertatis ius, Balbo 31.
Licentia nimia in Repub. nocet, Flac. 16. 17.
Laborandum tendenti ad ardua, 19. Sext, 102. 136. 137. 138. &c. Cœlius 45. 46. 74.
Literarum studia, Arch. & Tuscul. v. 67.
Luxuria, Amer. 75. ii. Catilin. 7. 10. 22.
Post reditum in Senat. 10. 12. 13. 14.
Harusp 59. Sext. 20. Cœl. 47. 48. 57. 69.
Piso 25. 66. 67. 2. Ant. 44. 47.
Luxus, sumptusque, Amer. 134. 135. ii Catil. 10. 22. 25. post reditum Senat. 15. Harusp. 44. Sext. 18. Cœl. 57. 67. Piso 13. 22. 25. 48. ii. Anton. 15. 104. 105.
Ludi pro Mur. 39. 40.

M.

MAla bonis permixta, v. de Finib. num. 91.
Malitia, Quint. 48. ii. Agr. 28.
Magnas res gerere 2. Catil. 28.
Mater in filium impia, Cluent. 12.
Mansuetudo Muren. 6. Syll. 8. 86. 87.
Mansuetudo Romana in ciues, Rabir. 10. &c. 16.
Militaris gloria quanta sit, Mur. 22. 24. 30.
Maledicus, Mur. 13. Flac. 12. Syll. 46. 47. pro domo 3. Planc. 30. 56. 57. Sext 110. Cœl. 6. 30. Balb. 56. 57. 58. Piso 31. 32.
Magistratus boni partes, pro Syll. 25. 26.
Mors immatura Cecinn. 12.
Mutari in deterius, i. Ant 33. 34.
Modestia, Cecinn. 103.
Maiorum laus, & religio, Harusp. 18. 19.
Memoria conseruat beneficium, iii. Catil. 26. post reditum ad Quir.
Mors non est timenda, 4 Catilin. 7. 8. Sext. 47. 48. ii. Ant. 37 118. 119. iiij. Ant. 3, vij. Ant. 67. i. Tuscul.
Mors pro Patria, vel Religione, quàm gloriosa. xiiii. Philipp. 31. 32.
Mortis contemptus, Tuscul. 1 per totum.
Mundi pulchritudo ii. de nat. deorum 95. & conseq.

N.

NObilitatis quæ debeant esse studia, Ameri. 145. ex virtute laus eius, Mur. 16. 17. Piso. 2.
Nobiles in bono, vel malo excellunt, Quint. 31.
Nobilitatis splendor, & gloria. Sext, 21.
Noua res, & insolita, Vat. 31. 32. 35.

O.

ODio esse omnibus. Piso. 45. 46. 64. 65. 95. 96. 98. 99.
Oppresso opitulari, Amer. 27.
Odium in bonos, Vat. 24. 25. Balbo 66. Piso 16. 20. 21. 26. 31. 32. Mil. 36. 52. 53. x. Philip. 4. 5. 6 7.
Odium alicius 2. Catilin. 12. Syll. 83. post reditum ad Quir. 23. pro domo 60. 61. 62. Vat. 1. 9.
Officium conferre in eos maximè, quibus debemus. Arch. 1. 2.
Optimates, aut populares qui, Sext. 96. 97. &c.
Orator vehemens, & remissus iii. de Orat. 28.

Ora-

Oratoris laus, & eloquentiæ iucunditas, ii. de Orat. n. 34. & 188.
Otium ij. Agr. & 188.

P.

PArricidium, Rosc. n. 62.
Patientia ij. Agr. 45. x. Philip. 7. xi. phil. 7.
Pax, Agrar. 23. ij. Agrar. 9. 101. 102. prouincijs 30. 31. Marcel. 14. 15. ij. Ant. 113. xiij. Ant. 1.
Philosophiæ laus, v. Tuscul. sect. 5. & nu. 60. de physica.
Præmium virtuti decernendum, Balb. 22. 23. 24. & c. 51. 65. 66. Prouinc. 38. Milon. 59
Pœna parricidij, Amer. 70. exord.
Populus facilè excitatus, Cluent. 13. eius inconstantia, Mur. 35. 36. 53. Flacc. 87. Planc. 7. 10. 11. 15. Sext. 115. 116.
Potenta inuidiosa, ij. Agr. 23. Piso 35.
Patriæ columen, & seruator, Marc. 24. 26. 32. 33. ij. Ant. 113. v. Ant. 37. 38. 39. 42. 43. 44. 49. 50. 51. vij. Ant. 6. 7. x. Philipp. 11. 12. 13. xiiii. Philip. 12. 13. 14.
Præteritio egregia, Quinct. 13. Amer. 13. Manil. 25. 37. Cluent. 41. iij. Agra. 4. Rabir. 17. 1. Catilin 14. pro domo 122.
Planc. 59. Sext. 13. 108. Cœl. 54
Perfidia, Amerin. 109. 110. &c. egregiè Flacc. 9. 10. 11. 12. &c. Sext. 46. Deiot. 30. xj. philip. 8.
Pietas res ornat, Haruſp. 19. 20.
Perficere oportet inchoata, prouinc. 34. vij. Ant. 9.
Prudentia x. ij. philip. 6. 7

Q.

QVerimoniæ, Amerin. 9. 12. 29. 30. exordium pro Flacc. & 103 Sext. 64. 93. 45. egregiè Catil. 59. Mil. 35. 103. 104.
Queri sine causſa, Flacc. 57.

R.

RApacitas, Quinct. 38. 39. 42. Cluent. 67. 68. Haruſp. 59. Mil. 76. 77. 79. & passim in Verrinis. ij. Ant. 62. 66. 67. 68. 97. iiij. Ant. 9. 10. v. Ant. 32. 33. viij. Ant. 8. 9. 10.
Rebellis, vi. Ant. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
Religionis studium, Haruſp. 18
Resistere improbitati aliorum, Cecin. 2. Haruſp. 6. 7
Retorquere in aliquem crimen. Amc. 79. Cecin. 5. Haruſp. 6. 7. 17
Repulsa, Mur. 48. Sext. 25. 26. 27
Ridicula res, Haruſp. 8.
Resipiscunt nonnunquam homines, Cœl. 18. 42. 43. 77. xii. Ant. 5. 7.
Rebellis vi. Ant. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
Rusticæ vitæ innocentia. Amer. 75.

S.

SEuerus, Amer. 85.
Sceleratus, Cluent. 39. 41. 44. 48. 87. 99. i. Catil. 12. 13. 17. 25. ii. Catil. 7. 8. Mur. 49. 50. 82. Sill. 70. 71. 76. post reditum in Senat. 10. pro domo 23. 26. Haruſp. 35. 42. 55. 57. 58. Sext. 16. 17. & 29. Vat. 18. 19. 20. 22. prouinc. 3.
Seditio, i. Agr. 23. 26. ii. Agr. 8. 10. 13. iii. Agr. 16. i. Cat. 12. 18.
Seditiosi, iiij. Catil. 4. Mur. 50. pro domo 13. 24. 54. &c. 89. 110. Piso. 9. 15. 20. 21. 26.
Sacrilegus, pro domo 109. & templorum euersor, ibid. 140. 141. Haruſp. 28. 32. 33. 37. 38. 57. Milo. 91. 92. & 4. lib. in Verrem passim.
Simulatus, & versipellis, Cœl. 12. Piso 1. 2. i. Ant. 20. ii. Ant. 89. exord.
Stoicorum institutа, Mur. 61. 62. 63. 74
Spectaculum triste, pro domo, 100 Planc. 99. Mil. 104. ii. Ant. 64. x. Phil. 8
Suppellex lautissima, Amer. 133
Superbus, Amer. 135. Cluent. 105. 111. 112. xiii. Ant. 4.
Stupidus, pro domo 105

T.

TEmperantia, Manil. 40. & lib. 1. de offic. 101
Tempori & hominibus, seruire, Cluen. 139 Planc. 93. 94. 95. Cœl. 12. Balbo 61. Posth. 26. 27. 29.
Temporis angustiæ, Rab. 6. 9.
Timor ex magnitudine periculi, Quinct. 6. Oratoris 77. Cluent. 51. egregie Sext. 12. Mil. 1. Deiot. 1. &c.
Timor consequitur scelus, Amerin. 65. &c. Cluent. 54. pro domo 140. 141. Haruſp. 39.
Timendus ali quis, iii. Catil. 16. 17. pro domo, 6. 8. 137. Cœl. 22
Testes multi innocentiæ Font. 4. 5. 6. 7. &c. 34. 35. Cluent. 195. &c. Rabir. 8. Flacc. 100. 101. Sext. 9. 10.

V.

VArietas rerum, & dissimilitudo, iii. de orat. 23.
Verba non tam spectanda, quàm consilium eorum, qui scripserunt, 49. &c. egregiè 81. &c.
Veritas tandem innotescit, Cluent. 55. 63
Vberes agri, i Agr. 21. ii. Agr. 66. 79. 80
Vrbs nobilis, ii. Agr. 40.
Viri boni, & mali, pro domo, 130. 131. Piso. 41.
Virtus solum bonum, v. Tusc. 44. & per totum.
Vita ducum laude digna, Planc. 27. 29.
Vita ciuilis ii. offic. n. 13. 14. 5. &c. beata, Academ. 23.
Voluptatis allectæ, Sext. 22. 23. Cœl. 75.
Voluptatis adiuncta, ii. de fin. 23 Piso. 69
Voluptas honesta, iii. de orat. 176
Voluptates refugientes, 39. 41. 42. 45. 46
Voluptates senum, honestæ, de senect. 45. 46. 47.
Voluptatibus maximis suauissimum fastidium, iii. de orat. 96. opt. induct.
Vis, Quinct. 47. 82. Amerin. 69. Cecin. 33. 42. 45. 47. 48. Cluent. 96. Flacc. 97. pro domo, 53. 54. 55. Haruspic. 33. Sext. 79. 80. 85.
Vi agere non est prudentis, Cæcinn. 1. Sext. 60. Piso, 42. 43. Mur. 7. 19. Deiot. 36. 37. 38.
Vlciscinolle, post reditum in Sen. 21. Sext. 88. prouinc. 2. x. philip. 2.
Victoria sui ipsius, quàm gloriosa, pro Marcell. 8. 9
in Verrinis plena sunt omnia accuratissimis amplificationibus, quæ stylum adolescentum mirificè possunt acuere. Tales sunt Rei facinorosissimi lib. 1. in Verr. nu. 10. vsque ad 5. De Apolline Deliaco spoliato n. 47. ibid. de spoliatione Pupilli nu. 93. li. 2. n. 134. Timarchides. n. 12. Apronij narratio de Lollio ibid. n. 61. li. 5. spoliatio Haluntinorum num. 51. furtum trullæ Antiochiæ Regis filijs ereptæ num. 61. ibid. De Candelabro ibid. 64. Diana Segestana ibid. 74. de Sopatro ibid. 84. de sceptro Herculis 93. de supplicijs multa graphica & lectu dignissima.

DE

DE DISPOSITIONE ET PARTIBVS ORATIONIS.

LIBER SEXTVS.

Eius dignitas.

CAPVT PRIMVM.

Dispositionis excellentia.

VT ingenij fontes inuentio, sic iudicij, Dispositio recludit, qua nulla virtus ad pulchritudinem orationis aptior, concinniorve reperiri potest; vt à qua omnis concinniras, & præcipuus emergit in structura decor: Neque enim, vt ait Quintilianus, quanquam fusis omnibus membris, statua sit, nisi collocetur: & si quam in corporibus nostris, aliorumve animalium partem permutes, atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leuiter loco moti, perdunt, quo viguerunt vsum: & turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sunt omnia: sic oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, & sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi, multa reperat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio, nec fine proposito casum potius quam consilium sequatur. Hæc ille.

Exb. Lq

Natura stat per ordinem. Ouid.

Ex quibus multorum huius temporis scriptorum imperitiam redarguas, qui præ feruido quodam ingenij calore accingunt se ad scribendum, antequam quid velint, aut quomodo, secum fuerint meditati.

Quamobrem toto orationis cursu videas volantem stylum, & ludibundum, qui inanes vndique floſculos aucupatur, solidæ rationis parum, aut nihil habet. Destituitur enim iudicio, quæ pars est eloquentiæ optima, ac per totum corpus sermonis æquabiliter diffusa: huius pondere subsultans leuitas firmatur, imperfecti ingenij fœtus veluti lambuntur, & formantur, omnis denique ratio, ac cultus enitescit.

Stylus volãs & ludibundus.

De prudentia Dispositionis, & iudicio.

CAPVT II.

PRimæ partes dispositionis sunt exempla rerum copia, quas siue lectio authorum suggesserit, siue fons ingenij profuderit, pauca, & præclara seligere. Vehementer enim errant (quod superius docui) qui in eo decus eloquentiæ situm existimant, si quàm maximè prolixas orationes habeant, & nihil eorum, quæ

Dispositionis prima pars delectus.

Prolixæ orationes fugiendæ.

quæ excogitarint, aut inuenerint, omittant: ex qua cupiditate fit, vt non modo communia, sed aliena quæque, & frigida, amplificationis desiderio intrudant. Vt enim Macedonum phalanx ex modico, sed lectissimo militum numero conflata, suis præsidio, hostibus exitio fuit: Contra verò innumerabiles Darij copiæ suis ipsæ viribus distractæ, atque laceratæ, non tam adiumenta virtutis, quam impedimenta exercitus censebantur: Ita profectò in orationibus euenit, quæ breues, ac

Delectus rerum.

substrictæ lectis rebus, ac rationibus instructę sunt, longè acrius percellunt animos: contrà longæ, fluctuantes, confusæ, pondus & ictum non habent.

Sedeat igitur in dispositionis limine iudicium, tanquam Regius Censor, qui inuenta omnia maturius examinet, aliena repudiet, negligat communia, rara, si non ad rem fuerint, non grauatè relinquat, eligat pulchra, neruosa, florida, & quod maximum est, recta ad rem collineantia. Multa enim persæpè dicuntur fucata, quæ ad imperitos alicuius gratiæ lenocinio se insinuant: At si à grauibus viris excutiantur, vel modicè pertractentur, statim quasi leuiculi flores in manibus emarcescent. Contra, quæ sunt acriter excogitata, &

Examen stili.

prudentissimo ingenij examine selecta, minus habent simulatæ venustatis, plus ponderis, & intelligentiæ, ideoque accuratius instruunt, ac delectant diutius.

De triplici dispositione in genere.

CAPVT III.

DIspositio à Dialecticis vulgò in tria genera diuiditur. Vna dicitur naturalis, altera arbitraria, tertia artificialis.

Dispositio triplex & ei⁹ exempla.

Naturalis est, quæ naturæ ordinem sequitur, atque imitatur: atque id quatuor potissimum rebus tempore, natura, loco, dignitate, quod obseruat Aristoteles in Logicis. Tempore, aliud alio prius, posteriusue dicitur, quemadmodum hodiernus dies prior est crastino, crastinus perendino: Item bellum Macedonicum prius Ciuili, Punicum prius Macedonico. Natura alia alijs priora sunt existendi necessitate, vt sol luce, animal homine: & ad summum, totum partibus, causa euentis subiecta, adiacentibus. Loco priora dicuntur, quorum vnum præcedit aliud positione: sic vltima cælo, citima terris, dicitur luna. Dignitate prius est, quod præstantius habetur, vt aurum argento, argentum plumbo.

Ordo arbitrarius est, qui nulla certa ratione constat, sed solo dicentis, aut scribentis arbitrio dispensatur. Talis est liber Aeliani de animalibus, vbi omnia de industria permiscet, & si quis rationem quærat: Homo est (inquit) sui arbitrij, licet illi pro voluntate scribere.

Artificialis ordo est, qui ab arte ad aliquem destinatum finem aut voluptatis, aut vtilitatis dirigitur, ex quo plerumque minimè seruato naturæ ordine, prima posterioribus subiungit. Talis est ordo poetarum, qui de industria res ab ouo non citant, sed à fine, aut medio incipiunt, deinde principia data occasione intermiscent, quo magis pendeant animi, & plus ex inopinato rerum euentu colligant suauitatis. Item artificialis dicitur, quod non sponte naturæ vbique profusus, sed ab arte cultus, & instructus appareat.

De triplici dispositione artificiali.

CAPVT IV.

ARistoteles in Logicis triplicem artificiosæ dispositionis speciem notat. Vna est analytica, seu resolutiua; altera compositiua; tertia definitiua.

Dispositio artificialis triplex.

Analytica quatuor modis fieri, constituiqi solet. Primò quidem, cùm à toto ad partes, quas Philosophi integrantes, Cicero totius appellat, fit processus: vt si quis de toto homine primùm dicat, deinde singulas corporis partes pedetentim discutiat. Secùdus est, cùm non in partes totius, sed in partes generis fit gradatio: vt si explicata fortitudine, de magnanimitate in aggrediendo, & patientia in tolerando differam. Tertius, cùm præpositio aliqua gradatim in sua principia resoluitur: vt si dicam, tolerandum esse dolorem, quia honestum est, & honestum, quia cum virtute coniunctum. Quartus, cùm à fine ad media regressus, per similem gradationem instituitur: vt si quis præuideat Rhetoricæ finem esse bene dicere; bene dici non posse sine elocutione, elocutionem verbis, quasi corpore, rebus non secus ac anima, constare, ideo inchoandum ab istis illi, qui ad destinatum scopum peruenire velit.

Contraria est dispositio συνθετικὴ & quatuor item modis opposita: nam à partibus totius

ad

ad totum perlabitur : vt cum ab elementis Rhetoricæ ad considerationem integræ artis consurgit, similiter in partibus generis, prius temperantię partes, & momenta, quam ipsum genus, considerat. Denique principia enunciationum, prius quàm enunciationes, media ante finem explicat.

Tertia est definitiua, ex vtriusque temperie conflata, sitque cum res in genere primum definitione explicatur, deinde in partes, siue species tribuitur, quæ & singulę descriptionibus, proprietatibusque suis illustrantur ; vt cùm de optimo genere dicendi dicturi, quale sit illud imprimis constituimus, mox varia genera, & species ad vberiorem intelligentiam complectimur: quæ methodus, in tradendis disciplinis optima censetur.

De dispositione oratoria.

CAPVT V.

Dispositio in consultatione & iudicijs, qua?

DIspositio oratoria primum iuxta tria causarum genera, deinde secundum partes, & corpus orationis spectanda. In consultatione, & iudicijs, vbi res manu fermè ducunt oratorem, dispositio facilior est, & hæc fermè obseruantur.

1. Si quæ sunt ab aduersarijs proposita, & iam contra nos inchoata auditorum præiudicia, magnoperè laborandum, vt hæc initio refellantur, cum præsertim tota oratio nihil ponderis esset habitura, si quis aduersus existimationem nostrã scrupulus subesset. Hoc Demosthenes, hoc Cicero, hoc cæteri oratores accuratè obseruant.

2. Naturali ferè ordine omnia secundum hanc saltem rationem componuntur, vt prius fulciat sequens, quemadmodum in mathematicis probationibus decem ex nouem prioribus dependent.

3. Si animi malè affecti mediocribus rationibus persuaderi non possunt. Primò robustissima quæque proponuntur, quibus veluti impressa opinio maiori impetu conuellatur, & quasi validus cuneus validiori cuneo trudatur.

Argumentorum dispositio.

4. Si auditorum animi rationes perferant, & expectent, sedata & molli insinuatione, leuiora aliquando subijciuntur, quibus gradatim ad maiora ascenditur, vel etiam sparsim collatis argumẽtis dimicatur. Sed hoc in magna caussæ fiducia, & aduersariorum imbecillitate, quos contemnentes, per leuiculà argumenta, quasi fustibus, non iustis armis expugnamus.

5. Quod vsitatissimum est, robusta initio, quasi hastati milites, robustiora in fine, non secus, ac triarij ponuntur: inualida, quasi imbellis turba, in medium conijciuntur.

Vbi verò plures quæstiones, aut facta discutienda occurrunt, nisi circumstantię aliud præscribant, grauiora priori loco calentibus attentione animis, dici oportebit, maximè si ab ijs consequentia approbari, illustrarique possint.

Dispositio in laudatione.

In laudatione, qui vitam gradatim narrare solet ordo, censetur nimis olere scholam, satius est orationem in certa virtutum capita partiri, & res gestas non ordine naturæ, sed artificiali recensere. Hæc secundum diuersa orationis genera, de quibus plenius suis locis.

Dispositionis partes.

Quod ad partes attinet, præit exordium, succedit narratio, aut propositio, quam excipit confirmatio, & hanc claudit peroratio, quanquam in eo pueri, & rudes vehementer errant, qui putant nunquam esse iustam orationem, nisi hæc omnia secundum tritas, & communes Rhetorum regulas fuerint religiosè seruata. Ratio, & prudentia eloquẽtiæ totius anima, pro rerum, locorum, & temporum opportunitate multa mutat, addit, succidit, & spectat, non quid scola, sed quid aures auditorum ferant.

Orationis partes non semper iuxta scholam,

In exordio plerumque is seruatur ordo, vt rerum dicendarum propositio præmittatur, cui ratio succedat.

In narratione, & expositione oratoria, si nihil aliud obstiterit, naturalis temporum ordo seruandus erit. Verum si primæ narrationis partes paulo duriores fuerint, reliquæ verò gratiores, & magis ad rem nostram, non erit alienum ab iis, quæ benignius audientur, occupare animos : vel si fastidiosæ aures nullas insinuationes ferant, graue esse debet, multa præcidere, & ad ea, quibus caussę vis, & notitia continetur, statim deuenire.

In confirmatione iudiciali, & deliberatiua, qualis esse debeat dispositio, ex ijs, quæ superius dicta sunt, liquet.

Chriarum & orationũ moralium dispositio.

In chriis moralibus, & eruditis orationibus, præclarè instituenda est propositio, vt nõ subsultet oratio instar locustę, exempla vndique, aut dicta, aut fabulas occupans, sed fuso amni similis, tractum habeat, & ad vnum

scopum recta collineet.

Exordium graue esse debet, & rem potius spectare, quam personam, vt postea dicetur.

Post exordium multum dignitatis habet grauior quidam discursus sumptus à genere maximè proprio rei, quam tractamus, quò ad speciem commodus pateat ingressus. Sed is debet esse breuis, & in re communi rarus, vt si mihi de Diui alicuius laudibus dicenti proponatur hic textus? *Erat lampas ardens, & lucens:* Vestibulum orationis, & quasi propylæum commodè fieri poterit, de lucis præstantia, & dignitate. Sed prouidendum, vt ornatum sit, & parcum, neve, quod plerique inconsultè faciunt, laxius sit tota domo. Hoc præmisso grata concinnitate ad orationem fiet decursus, à luce corporis, ad lucem animorum, & sanctitatis. Deinde, vt hic texus suggerit, oratio in duo veluti brachia discriminabitur: nam & arsisse charitate, & sapientia luxisse ostendetur: quod ardere, vt ait D. Bernardus, parum sit; lucere, vanum; lucere, & ardere perfectum.

Lucere & ardere perfectum.

Argumenta autem ita erunt disponenda, vt quæ à genere, definitione, partium enumeratione, caussis, effectis, principem locum obtineant.

Argumentorum ordo.

Remota, vt historiæ, & testimonia, cum artificiosis eleganti suauitate contemperentur.

In peroratione, si repetantur; & verbis, & sententijs, & nonnihil etiam ordine varianda; vbi nullus præmittitur discursus, extat tamen semper aliqua propositio generalis, in qua, vt arbor in semine, sic tota inclusa sit oratio.

De exordio in genere.

An Exordium sit pars orationis necessaria.

CAPVT VI.

NVnc orationis partes aggrediamur, quarum numerum constanti omnium Rhetorum scientia firmatum, nihil attinet in discrimen reuocare. Quanquam non ita res intelligenda est, eam continuò mancam esse orationem, quæ ex quatuor hisce partibus, exordio, narratione, confirmatione, & peroratione non coaluerit. Plerasque enim partes nonnunquam amputandas esse docet prudentia, quas si intrudere coneris; deforme potius corpus facias, & inutile, quam quicquam roboris, & gratiæ concilies.

Et, vt ab exordio incipiam, dici non potest, quantæ sint in hac parte ex præceptorum redundantia ineptiæ, quamque ignoranter tirubetur à multis, qui veteres scholæ cantilenas scrupulosius obseruandas putant, vbi nihil opus est, imò re ipsa penè reclamante, & nauseantibus auriculis, longo verborum circuitu communes, & frigidos exordij modos ingerunt. Venimus in id penè tempus, vbi vetus Areopagitarum lex renouanda sit, qui dicere iubebant oratores sine exordio. Quorsum enim illi ambitus, & tot verborum phaleræ, vt beneuolè audiaris? at beneuolentiæ officit tua garrulitas? Non verbis, aut nugis, sed sapientia, & virtute, quæ sunt animorum ἐλεπόλεις paratur beneuolentia. Quid quod, aut sermo est in concione sacra, vbi conciliatricula illa animorum in graui præsertim persona delinitio, vitium est haud mediocre. Aut apud viros negotiosos, prudentes, politicos, qui non titillantur verbulis, sed longe alia habent beneuolētiæ fundamenta: aut etiam in demonstratiuo genere versatur oratio, sed & hic beneuolentiæ tantum colliges, quantum industria merueris.

Error in exordijs.

Exordiorū prolixitas fugienda.

Virtus & sapientia animorum ἐλεπόλεις.

Vitanda esse inutilia exordia.

Deinde, si nemo erga te malè affectus est, imò, vt sæpè fit, lubenter audiunt, amant, suspiciunt, quorsum in parergis beneuolentiæ ludes diutius?

Rarò omninò occurrunt occasiones, vbi in istis prolusionibus sit immorandum, si tamen occurrant, si malè affecti fuerint auditorum animi, si aliqua suspicione præoccupati, quæ in Oratoris detrimentum manare possit, tum locus beneuolentię, vt res, tempus, & prudentia suggeret, percurretur.

At verò attentione opus est: verum, vt attenderent, venerunt auditores, & in principijs aures arrectæ sunt: vel maximè, si res placuerit, attendent: sin autem leuia quæque, & friuola sis dicturus, frustra πεντηκοντόπραχμον, & Persarum montes aureos pollicebere. Plus authoritas, plus res ipsa, plus verbum commodè, & ἐνεργητικῶς dictum parat attentionis, quam longa prooemia.

Locus docilitatis videtur magis necessarius, sed & hic paucis pertexendus est, ne dum vis dociles facere auditores, incipias diuisionibus, & subdiuisionibus confundere.

Quid

Quid igitur? Omnia (inquies) exordia sunt amputanda. Minimè illud quidem, sed prudenter moderanda: eos tantùm agito, qui in præludijs, & prolegomenis amant tempus, & aures frustra consumere. *Vbique illu melius, quàm in re* politè dixit Aristoteles. Idcircò vt tibicines, quos nusquam peius esse aiũt quàm domi; amant extra rem, & foris canere: vel etiam vt serui, & pueri mendaces ad interrogata directè non respondent, sed circuitus orationis quærunt, suæ sibi improbitatis conscij. Ita illi videntur æquitate caussæ, ac bonitate destituti, qui sine vlla necessitate, inanes ambitus expoliunt.

Aristot. Rhet. l. 3. c. 14.

Exordijs prolixis & inutilibus abutentes quales sint πεπλεγμένον γραφίδιον διατρῖψαι ἢ ἐν τῷ ἱματίῳ.

Res vna exordij est maximè necessaria indicare finem, cuius gratia sit oratio, cætera plus habere videntur pompæ, quam necessitatis.

Gorgiæ Leontini exordium concisum.

Quamobrem, non mihi reprehensione dignus videtur Gorgias Leontinus, qui de Eleorum laude dicturus ita exorsus est; Ηλις πόλις εὐδαίμων, *Elis beata ciuitas.*

Circuitum maluisset Aristoteles, vt si quis dicat honore afficiendos bonos, & idcircò à se Aristidem laudari: Commendandas illustres ciuitates, & hanc ob rem Elidem commendari.

Num hoc tandem rotundius apud eruditas præsertim aures: Ηλις πόλις εὐδαίμων, *Elis beata ciuitas.* Explet enim exordij necessitatem, quam præscibit Aristot. & indicat vno verbo quid velit, & quorsum susceptа sit oratio. Non dissimile videtur exordium D. Greg. Nazianzeni in laudem Athanasij:

Item Gregorij Nazianz.

Ἀθανάσιον ἐπαινῶν ἀρετὴν ἐπαινέσω, *Athanasium laudans, virtutem laudabo.*

Num hoc tandem comptius, quàm si dixisset, virtutem laudare oportet, ideò Athanasium laudo? aut quid simile.

De varijs exordiorum generibus.
CAPVT VII.

PRimum illud statuendum est, duo esse exordiorum genera. Vnum necessitatis, alterum ornatus, atque pompæ. Quod necessitatis est, vt ait Aristoteles, indicat finem cuius gratia sit oratio. Et quidem est sine fuco, & circuitione verborum, grauibus, & negotiosis orationibus familiare. Tale est illud Euryptolemi apud Xenophontem τὰ μὲν κατηγορίαν οὐδεμίαν, τοῦ ὑπερασπολογησάμενος. Partim accusaturus huc ascendi, partim etiam defensurus. Quod est ornatus, varium pro inuentione, & expolitione ingeniorum esse solet, conuenitque orationibus in quibus, & eruditio expectatur, & delectatio.

Exordium necessitatis, & pompæ.

Vlpianus in Olynth.

Secunda diuisio est Vlpiani in 1. Olynthiaca, qui exordia diuidit in ea, quæ initio orationis fiunt ad viam præmuniendam, & in ea quæ in media plerunque concione solent inseri, ad renouandam attentionem, aut docilitatem.

Licymnius in arte. Exordij diuisio secundum Licymnium.

Tertia est Licymnij Rhetoris, qui exordiorum in genere tres formas constituit, Peresin, Apoplanesin, & Ramos.

Quid Eperosis seu impressio in exordijs.

PRima est ἐπίφασις cuius verbi ambigua est significatio. Nam ἐρωὴ tria significat, vt notat magnum Etymologicum, *cessationem à bello*, vt in illo Homeri: πολέμοιο δ' οὐ γίνατ' ἐρωή, Secundò *impetum*, vt Ορφα ᾧ ποδέων δὲ μετ' ὄβριμον ἔχετ' ἐρωὴν per ὄβριμον ἐρωὴν intelligit impetum hastæ. Tertiò ἐρωεῖν est *recedere*, vt ὑπερώησαν ᾗ οἱ ἵπποι, idem interpretatur ὑπεχώρησαν *recesserunt*. Planius tamen hic intelligendum videtur de impetu: ne si recessum, aut deflexionem accipias, confundatur cum ἀποπλανήσει. Est igitur ἐρωὴ exordium ex abrupto: quod videtur violenter impetere, quasi prima impressio exercitus. Tale est illud decantatum Ciceronis: Quousque tandem abutére Catilina patientia nostra?

Quid ἀποπλάνησις.

SEcunda ἀποπλάνησις seu aberratio. Apud Iulium Rufinianum figura est, cum iudex à re contraria nobis auertitur. Hinc exordio nomen, quod errare, & exspatiari videtur a proposito.

Est quidem illud insinuationi perquam simile, & nomine tenus tantum differre videtur. Nam per cuniculos subit animos auditorum, vt fieri solet in re parum honesta, & aneipiti, flexus, ac mæandros innectit, mox præparatis animis, præmunitisque cogitationibus rem aperto Marte gerit. Exemplum habes inferius in Dione Prusæo orat. 11. vbi cum ostensurus esset Troiam non fuisse à Græcis euersam, contra omnium sæculorum, & gentium corroboratam opinionem, orationis initio aliud prorsus apere vide-

videtur, cum dicit, homines ægrè discere, & à doctis facilè in errorem induci, &c.

Quid Rami, siue Ramosum.

TErtia appellatur Οζοὶ, *Rami*. Quid sint verò, nullus, quem sciam Rhetorũ meminit. Ego si liceat conijcere, existimarim *Ramos* appellari exordium, quod in varia subinde exordia, quasi in ramos funditur. Nam Vlpianus in orationibus Demosthenis, ad tria, aut quatuor plerumque notat exordia, quem numerum (inquit) non solent excedere oratores, nisi valde insaniant. Tale videtur exordium Ciceronis in oratione pro Muræna, in qua, vt causa erat grauissima, & varia ab aduersarijs conflata erant impedimenta, necesse fuit omnia amplo illo, & veluti ramoso exordio amoliri.

Quid ἐνδόσιμον.

ALia præterea exordiorum nomina citantur à Rhetoribus. ἐνδόσιμον meminit Aristoteles l. 3. c. 14. Quod specialius cadere videtur in demonstratiuum genus, vt sit prooemium exornatiuum, ducta metaphora à Citharœdis. Nam auspicatus Rhythmi, vel melodiæ, & præscriptum, quod datur ab ipso chorodidascalo, cui accinere chorum oportebat, nominatur ἐνδόσιμον, ἀπὸ τοῦ ἐνδίδοσθαι, quod gratuitò concederetur.

Quid carceres.

AFfertur & βαλβίς, id est, carceres, pro prima parte exordij: sed hoc metaphoricum nomen est, omnibus initijs commune. Et Antiphon in oratione περὶ ὁμονοίας, βαλβίδα τὴν ἀρχὴν dixit. Quid sit propriè, explicat Harpocration in voce βαλβὶς· ἡ γὰρ ὑπὸ τὴν ὕσπληγγα γινομένη, γραμμὴ, διὰ τὸ ἐπὶ ταύτης βεβηκέναι τοὺς δρομέας, βαλβὶς καλεῖται. Linea ad carceres, in qua consistebant cursores. Transtulit Lycophron ad exordia orationis per allegoriam.

Antiph. in orat. de concordia.
Harpocr. in lexico 10. Rhet.

Εγὼ δ' ἄκραν βαλβίδα μηρίνθου σχάσας,
Ανειμι λοξῶν εἰς διεξόδους ἐπῶν,
Πρώτην ἀράξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Lycoph. in Cassand.

Ego verò lineam extremam soluens à funiculo,
Aggrediar obliquorum cursu verborum,
Prima pulsaui repagula, vt alatus cursor.

Alia diuisio exordiorum.

HErmogenes lib. 1. de inuentionibus variorum prooemiorum meminit, quorum vnũ dicitur ἐξ ὑπολήψεως ex opinione. Alterum ἀπὸ καιροῦ, ex tempore. Tertium ἐκ περιουσίας ex abundanti. Quartum ἐξ ὑποδιαιρέσεως ex subdiuisione.

Quid exordium ex opinione.

PRooemium ex opinione, fit cum pro statu rerum, & opinione hominum, exordimur. Vt si negotium lætum, & hilares habeamus auditores, ita incipiamus dicere: Ορῶν μὲν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, χαίροντας ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις, καὶ χάριν γινώσκοντας τῷ θεῷ. Video equidem vos (iudices) prospero rerum successu lætari, Deoque gratias agere, atque habere immortales.

Exordium ab opinione,

Si contra res tristis, & funesta, deiectos, atque dolore perculsos ostendat auditores, sic (inquit) exordire. ἐπειδὴ καὶ ὑμᾶς ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τὰ τετολμημένον ἕνεκεν ὁρῶ καὶ ἀχθομένους, καὶ λελυπημένους. Quando vos video Iudices, ob ea, quæ nuper patrata sunt, in magno dolore, tristitiaque versari, &c.

Tale illud est Ciceronis in quarta Catilinaria. Video P. C. in me omnium vestrum ora, atque oculos esse conuersos. Video, vos, non solum de vestro, ac reip. verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos, & cæt.

Ad hoc genus pertinent purgationes suspicionum, & præiudiciorum, à quibus sæpissimè exordia ducuntur: cum industrij sit Oratoris, antequam ad caussam accedat, impedimenta omnia disturbare, & sinistrarum opinionum fibras, si quæ sint, euellere, vt, tacta est de cœlo Periclis statua. Hanc ob rem decernit quispiam, nomen illi Olympij, siue Cœlestis, quo antea appellabatur, detrahendum. Sic (inquit) exorditur ad eleuandam suspicionem, qua ex æmulatione, & inuidia in Periclem loqui videretur. οὐκ ἔχθρας ἕνεκα ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τὴν πρὸς περικλέα τὴν συμβουλὴν ταύτην ἐνεστησάμην, ἀλλ' εὐνοίας πλέον, δεδοικὼς μή τι παρὰ τὴν θεῶν ἄνθρωπος ὢν πάθῃ. Non equidem ini-

Pulmen ominosum.
Olympij nomen Periclis censetur detrahendum.
Exordium à purgatione suspicionis exemplum.

inimicitiarum causſa (viri Athenienſes) quæ mihi nullæ vnquam cum Peticle interceſſerunt, ſed ex beneuolentiæ abundantia huius author ſum conſilij, ne quid illi, cum homo ſit, Deorum ira contingat.

Eſt quoque ἡ ὑπολήψεως exordium, cum Iudicum in aduerſarios vtpote improbos odium, & corroboratam omnium de eorum ſcelere ſuſpicionem commemoramus.

Demoſt. in Midiam. Tale eſt illud Demoſthenis, τὴν μὲν ἀσέλγειαν ὦ ἄνδρες δικασταὶ, καὶ τὴν ὕβριν, ἣ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται Μειδίας, οὐδένα οὕτω ὑμῶν, οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀγνοεῖν οἶμαι. Quanta ſit Midiæ, non modo petulantia (Iudices) & aduerſus omne genus hominum contumelia, neminem, neque veſtrûm, neque aliorum ciuium ignorare arbitror.

Quid exordium ἀπὸ χαιροῦ?

Exordium ab occaſione. EXordium ἀπὸ χαιροῦ fit, cum ab inſigni aliquo euentu, & commemorabili occaſione, anſam arripit orator, vt illud, quod intendit, validius perficiat. Tale eſt exemplum. Citantur rei impietatis, qui intra pomœrium contra religionem, aratunt, & ſementem fecerunt. Naſcitur ſub manu illuſtris occaſio, cum enim plurimum in colenda terra deſudaſſent, nihil omnino frugum retulerunt, ab hoc euentu orator ſic ducit exordium (Damnatos impietatis reos, vel Deorum immortalium ſententiis ex eo ſatis (opinor) agnoſcitis, quod cum in arando pomœrio multum laboris cepiſſent, nihil inde frugum meſſuerunt.)

Pomœrium ſacrum.

Arare intra pomœrium.

Item, qui de patria erant electi: iuxta eius limites vrbem condiderunt. Mox deflagrante bello ciuili patria, in priſtinam ciuitatem admiſſi, ſtrenuam operam nauarunt, eamq; aſſeruerunt in libertatem. Tunc de eorum reditu deliberatur. Sic exorditur orator: (Reuocandi ne ſint in patriam, quos extrema huius vrbis calamitas, ad noſtram omnium ſalutem reduxit, nos opinione duntaxat, quærimus, ne ipſa vero iam confecimus.)

Quid exordium ex abundantia? contra incidentibus, acoluthon, &c.

EXordium ἐκ περιουσίας ex abundantia fit, cum abundantia cauſſæ nonnul a nos omittere dicimus, vt

Phya mulier pro Minerua ornata, & inſigni curru vecta Athenas ingreditur, Mineruam ſe dictitans, Piſiſtratumque, quem illi iecerunt commendans. Quo facto populo adhuc rudi os ſubleuit, & tyrannum, à quo ſubornata fuerat, reduxit. Inde accuſatur, ita incipit accuſator. *Abūdātis exemplū. Phya.*

Poſſem equidem audacem mulierculam, vt in Mineruæ nomen, quam peculiari religione, hæc ciuitas ſemper coluit iniuriam, arceſſere impietatis. Sed omiſſo hoc ſacrilegio, Deorumq; vltioni permiſſo, à quibus ſolis rectè vindicari poteſt: quæ contra huius populi maieſtatem admiſit, commemorabo.

Exordium ἡ ἀντιπίπτοντων apud Aſpinum Rhetorem, fit ἡ ἀντιθέσεως τῶν πρὸς τὰ ἀντιδίκου, cum per Antitheſin res noſtræ cum aduerſariorum rebus, aut factis comparantur. *Exordium ἡ ἀντιπιπτόντων.*

Exordium ἡ ἀκολούθου ſumitur ex ante dictis, aut factis, quibus congrua diſpoſitione ſubiungitur: Ad id accedit exordium ex hypotheſi, quod fit ex ſuppoſitione aliqua, quæ antea præceſſit, ἐκ βαρύτητος dicitur, quoties per παῤῥησίαν, ſeu apertam, & generoſam dicendi libertatem ducitur principium. *ἐξ ἀκολούθου, & hypotheſi.*

Quid exordium ex ſubdiuiſione?

EXordium ex ſubdiuiſione fit, cum non vnum duntaxat, ſed multa inferuntur, quæ in ſuas partes diſtribuuntur. Idem plane videtur cum eo, quod ſuperius ramos à Lycimnio appellatum demonſtrauimus. Tale eſt illud exemplum: Decoctor aliquis, & impurus, meretricibus, quas alebat, Muſarum impoſuit nomina. Accuſatur non modo impuritatis, ſed & impietatis hoc modo:

Si Mangonis impudicitia communes ſibi frænos, & modum aliquem impoſuiſſet, minus quidem dolendum foret: Nunc autem cum ad ſingularem nequitiam, etiam violata religio acceſſerit, duobus criminibus tenetur, quorum vnum eſt impudicitiæ, alterum impietatis, &c. *Subdiuiſionis exemplum.*

Item Demades orator, quærenti Philippo quales eſſent Athenæ, eas illi deſcripſit in menſa, inde citatur reus.

Καὶ διὰ τοῦ ἄλλου μὲν βίου, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸν πεσόντα Δημάδην, μᾶλλον τὴν προδοσίαν ἄξιον ἦν κολάσαι τι τοῦ, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ διὰ τὰ τῷ αὐτῷ γεγενημένα, ἃ ζῶν ἀπεχθήμασι χρημάτων περιῆν τῇ πόλει.

Antea quidem (viti Athenienses) & propter vitæ flagitia , & ob crimen proditionis, haud mediocri supplicio dignus erat hic Demades, nunc autem vel maximè, postquam recenti facinore damnum huic ciuitati, & dedecus sempiternum inussit.

Hoc rursus exordium in tres formas diuidit Hermogenes, sed leui fundamento.

Sex exordiorum fontes.

ITaq; omissis tot Rhetorum commentis, & nominibus, puto exordia rectè ad sex capita posse reduci.

Exordium ab adiunctis. Primum locum obtinent ea, quæ sumuntur ab adiunctis, quorum seges vberrima est, & multiplex, quot genera personarum, conditionum, locorum, temporum, causarum, modorum, in quibus infinita est varietas, tot nascuntur exordia.

Exordium ab expositione finis. Secundum ea, quæ fiunt à simplici, & rotunda expositione rei, seu consilij, quod susceperit orator, idque sine fuco, & calamistris. Vt causa, hæc agitur contra sacrilegum, &c. Elis beata ciuitas à me commendatur.

Exordium ex visceribus rei quid. Tertium ea, quæ à visceribus rei, hoc est, internis principijs sumuntur, vt cum, quis vituperandum Philippum sibi proponens, ordiatur ab hoc communi theoremate. Necessariam esse virtutis laudem, & vitij vituperium, quod ex vtroque ciuitati non mediocris creetur vtilitas.

Tale exordium Aphtonij Sophistæ.

Οὔτε τὴν ἀρετὴν ἐπαίνων χωρὶς, οὔτε τὴν κακίαν ἔξω ψόγου προσήκειν καταλιπεῖν, ὅτι καὶ διὰ ἀμφοτέρων ἐγκαταλίπεται κίνδυνος ἐπαινεμένων μὲν ἀγαθῶν καὶ ζημιουμένων δὲ πονηρῶν.

Exordia ab exemplis. Quartum, quæ sumuntur ab exemplis, parabolis, iconibus, fabulis, prouerbijs, apophtegmatis, &c. quæ plus habent pompæ, & circuitionis: nos infertius exempla afferemus.

Exordium ab inuocatione. Quintum, quæ ab inuocatione; quale est exordium orationis de corona apud Demosthenem, & Ciceronis, pro Mutæna.

Exordium ex abrupto. Sextum demique, quæ ducuntur ex abrupto; quæ vt magis calida sunt & incensa, peculiarem habent modum, ita peculiarem merentur locum. Ad hæc capita omnia, vel saltem præcipua, reduci posse existimo. Sed de istis posthac fusius in exemplis.

* * *

De modo exordij.

An debeat esse argumentosum, & floridum.

CAPVT VIIII.

OMnem ab exordio probationem removeri nonnulli Rhetores volunt: Alioqui quomodo (inquiunt) à confirmatione discernetur exordium, si præter rationem suam argumentari, & probare nitatur. Deinde cum ad probationem mentes auditorum comparare debeat, ipsum omni argumentatione carere oportet. Sed tamen constat multa, eaq; industriorum oratorum exordia, iacta quædam habere probationum fundamenta, & sparsa veluti rationum vestigia, quæ deinde sensim latius manant incrementis. Quamobrem in hac quæstione, & exordia, & argumenta, vt permagna sunt, atque illustri varietate, longè distungenda esse videntur. Si exordia sunt ducta à circumstantijs rerum, ijsque ad causam non adeò pertinentibus, sed tantum ornatus, & excursionis gratia, ea aut plurimum procœmia nihil continent argumentosum. Si verò tertij generis sint exordia, quæ à rerum visceribus, & internis veluti principijs ducuntur, recipiunt argumenta non quidem omnia, sed ea maximè, quæ sunt à genere, ita enim grauius, & liquidius influunt. Sic dicturus contra adulteram exorditur à fœditate adulterij, & laude castitatis, quo fit vt simul præparet animos, simul etiam causam fulciat, & ad orationem commodius delabatur. Hoc opinor voluit Quintilianus cum præcepit ne exordium sit argumentosum nimis, vt confirmatio. Nec prorsus sine argumentationibus vt est narratio.

Exordium nec debet esse argumentosum nimis, nec prorsus sine argumentationi. *Quint. l. 4. c. 1.*

Quod ad characterem attinet, simplici cultu exordia esse debere contendunt: & id quidem rectè, si præsertim generis iudicialis, aut etiam deliberatiui ratio habeatur, in quibus nimis compta, pro suspectis solent esse exordia. Quis enim ineptum non putet, si cum totum orationis genus sobrium, & graue esse debeat, initium fuco, & pigmentis sit delibutum. Neq; tamen esse oportet nimis grandia, & auste-

Quo charactere scribenda sint exordia.

& austera, sed quod eruditè notat Halicarnasseus in libro περὶ Δημοσθένους δεινότητος plus habere suauitatis, quam maiestatis, ne nimia grauitate, quos conciliatos esse volumus, auocent auditores. At verò in orationibus exornatiuis, quæ non ad suasionem, sed delectationem instituuntur, longè alia ratio, & vehementer errant, qui hæc genera vna ratione præcepti complectuntur. Oportet enim hæc proœmia compta esse, florida, veneribus, & gratijs pullulantia, quanquam nolim esse aliquid, aut translatum audacius, aut ab obsoleta vetustate, aut poëtica licentia sumptum. Nondum enim recepti sumus, & custodit nos recens audientium intentio: magis conciliatis animis, & iam calentibus hæc libertas, si modo vnquam toleranda est, feretur alacrius.

Quint. l. 4

Exordium cæteris partibus recte insuendum.

Præterea cæteris orationis partibus vniri exordia, adaptarique operæpretium est, ne à toto corpore disiuncta, intrusa potius, quam propria esse deprehendantur. Hanc autem tamen plerique veteres tenuerunt, vt locos sibi exordiorum communes facerent, quibus pro occasione vterentur, quanquam ea opinor magna dexteritate reliquo corpori insuebant, vt nihil violentum cerneretur. Hoc sibi excidisse testatur M. Tullius, qui libro, quem de gloria conscripsit, proœmium vnum ex suis Academicis inseruit. Sic autem ille ad Attic. libr. 16. e. 5.

Exordiorũ locos communes habebant antiqui Oratores.

De gloria librum ad te misi, & in eo proœmium, id est, quod in academico tertio. Ideuenit ob eam rem, quod habeo volumen proœmiorum, ex eo eligere soleo cum aliquod ἀυτοσχεδιάζειν mstitui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto proœmio, conieci idem in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in naui legerem academicos, agnoui erratum meum. Itaque statim nouum proœmium exaraui, & tibi misi, tu illud desecabis, & hoc agglutinabis.

Cicero habuit volumen exordiorũ.

Exordia adscititia.

Hoc qui faciunt pueri, sine iudicio ex alijs authoribus exordia, malè suis tyrocinijs aptantes persæpè corpori equino, humanum caput coguntur adnexere. Iam ad præcepta magis familiaria, & exempla deueniamus.

(**)

De exordiorum communibus præceptis.

CAPVT IX.

CVrare igitur oportet in grandi præsertim oratione aditus honestos, vt in Basilicis præclara vestibula: sed tamen est in ijs plerumque elaborandis difficultas, vt expeditius sit orationis exitum inuenire, quàm principium. Ego missam faciens sylueſcentium præceptorum congeriem, primum explicate pauca, & necessaria de exordio subijcio, mox nostro more χαραγωγὼν exempla præceptorum rationibus subiungo.

Exordia & aditus honesti.

Apsinus Rhetor Græcus multas habet maxime de exordijs iudicialibus præceptorum minutias, quas videre licet Rhetor. Græc. p. 682.

In exordio considero nomen, definitionem, diuisionem, partes, vitia, virtutes, & tractationem.

Exordij nomen, & definitio.

Exordium dictum est metaphora ducta à Textoribus, Proœmium à Citharœdis, vt testatur Magnus Aurelius Cassiodorus in compendio Rhetoricæ. οἶμαι (inquit) cantus est, & Citharœdi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi gratia canunt, proœmium nominarunt. Oratores quoque ea, quæ prius ordiuntur orationis caussa, ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, proœmij appellatione signarunt.

Cassiodorus in Rhetorica cõpendio.

Exordium (inquit Cicero) est principium orationis, per quod animus auditoris, vel iudicis constituitur, vel apparatur ad audiendum.

Eius duo facit genera, proœmium, & Ephodon siue insinuationem.

Proœmium est apertum principium.

Ephodos est subdolum initium, occultius irrepens in animos iudicis (inquit Fortunatianus) Sed de hac exordiorum diuisione plenius antea dictum est.

Partes exordij.

Partes exordij nonnulli quatuor asserunt, quanquam istud vbique non obseruetur. Notatur tamen plerunque *Expositio, Ratio, Redditio, & Comprobatio.* Expositio est oratio rem indicans, vt *neminem vestrum latet (Quirites) quanta mala Carthaginenses propter vectigalium magnitudinem patiantur.* Ratio est caussa quæ redditur expositionis, vt, *Neque enim res ita parua est, vt latere possit.* Redditio est breuis assumptio, seu complexio eius, quod expositione, & ratione conficitur. *Vos autem decet Quirites tro gloria, & laude vestri nominis tributa miseris diminuere.*

Comprobatio est redditionis caussa, *ne cogantur tantam calamitatem experiri, vt & filios, quos genuerunt in perpetuam vendant seruitutem.*

Vitia. Vitia exordij sunt, vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra præcepta. Vulgare, quod in communes caussas accommodatur, vt Delphicus gladius. Commune quod non minus in hanc, quam in contrariam caussam potest accommodari.

Longum quod pluribus verbis, & sententijs vltra, quam satis est producitur.

Separatum quod non ex ipsa caussa ductum est, nec sicut aliquod membrum orationi annexum.

Translatum quod aliud conficit, quam genus caussæ postulat, vt si docilem faciat auditorem, cum benevolum caussa desideret.

Contra præcepta quod eum, qui audit, neq; attentum, neque docilem, neque benevolum efficit.

Virtutes. Virtutes sunt in quantitate, & qualitate.

Quantitas in eo est, vt orator iustam habeat exordij magnitudinem, & viriliter se expediat.

Qualitas vt de re sit, & pro re, & ab extremo principio ad narrationem descensus subtiliter fiat.

Exordij finis. Tractatur exordium ad conciliandam benevolentiam, attentionem, docilitatem. Quamquam vt monui ineptum est existimare, his partibus singulis deberi semper in exordijs locum.

Benevolentia petitur à personis, rebus, ab adiunctis personarum, & rerum: In persona oratoris spectatur modestia, officium, necessitas, publica vtilitas, æquitas, & id maximè in iudicijs. In persona clientis, nobilitas, innocentia, virtus, eruditio, promerita in remp. In aduersarijs odium, crudelitas, perfidia, malitia, diffidentia, authoritas, infesta libido, intemperantia, amentia, furor, barbaries, petulentia, consilia, pactiones, diuitiæ, auspicia, clientelæ, facultates, affinitates, eloquentia. Sed hæc ad genus iudiciale attinent; In rebus spectatur locus, tempus, opinio, fama, expectatio vulgi, dubitatio, sollicitudo, admiratio, votum, inuocatio diuorum, abominatio, historia, exemplum inopinatum.

Attentionis conci. Attentionis partes sunt, res magnæ, nouæ, præclaræ, incredibiles, inusitatæ, terribiles, humanæ, illustres, obscuræ, difficiles, fructuosæ, iucundæ, auditoribus vtiles.

Docilitatis partes sunt distributionis breuitas: In tractatione vt plurimum omnia debent esse mediocria, & modesta, sententiæ, vox, vultus, compositio. A structura aberit, verbum omne insolens, audacius translatum, vetustum, poëticum, luxu diffluens. Nisi forte, quis in ijs declamatoribus, qui artem de industria profitentur, aliam rationem esse putet.

At verò, quoniam ea sæpius nobis occurrunt argumenta, vbi nihil à loco, aut tempore, aut personis desumendum est, vnde nimis vulgaria, plerumque fiunt exordia, vnam rationem exordiorum breuem, & minime communem paucis trado. A re ipsa exordiendum, quod vt commodius fiat, spectanda est quæstio ad licendum proposita. Atque vt ea particularis est, gradum facere oportet ad generalem, & ab eadem exordiri, hoc est incipere oportet à propositione generali, quæ ducta ex intimis ipsius quæstionis visceribus, instar sit fundamenti: In hoc nihil puerile, nihil affectatum, & ita quidem exordium est, vt fermè extra exordium sit, nam dum se insinuat, iam probat. Ita tamen, vt quod vult Quintilianus, neque nimis argumentosum sit, neque prorsus argumentatione careat, hoc non modò Chrijs, sed ipsis iudicialibus caussis accommodatum est. V. G. Agitur hæc quæstio an legitima parentibus debita postponi debeat legatis in pias caussas factis. Tale erit pro caussa religiosa exordium.

Magna est apud probos, piosque omnes piæ caussæ commendatio, magnum imminutæ charitatis, & frigescentis Christiani amoris argumentum, quoties legatorum in Ecclesiam, & pauperes fauor, vlla ciuilis officij consideratione superatur. Et hoc iacto fundamento orator descendat ad caussam. Ab antiquorum etiam dictis, vel factis, similibus, vel dissimilibus in hoc genere incipi nihil vetat. Contra.

Pro patre tale sit initium.

Natura quæ communis est omnium parens, non modo mutuis benevolentiæ officijs homines inter se conciliat, sed & φιλοσοργιαν affectus, & amicitiæ iura, plerunque ex propinquitatis gradu, & agnationis vinculo immittit, atque instillat.

Aliud est in hoc genere apud eundem exemplum. Hæredes postulant viduam impudicam ipso luctus anno, dotalitio priuari. Exordium,

liandara-tio, & exempla. Vide Cic. pro Roscio Amerino 9. 10. 2. *Anton.* 10. 47. *pro Cœlio* 86. *Sylla* 33. 34. 69. *pro domo. Breuitatis promittendæ exempla* 2. *Anton.* 47 *Quint.* 34. *Amer.* 89. 91. 94. *Flacc.* 12. *Domo* 32. *Exordia propria quomodo fiant in causis grauibus, & à facie, atque pompa verborum alienis, vt in concionib. Ann. Robert. rerum iudic. l. 1.*

Idem l. 1. c. 3.

dium, sit à communi pudicitiæ laude. Castitatis, & pudicitiæ cultus, vnica res est, & vera fœminarum commendatio, & insigne muliebris laudis monumentum.

Alterum est. Cum ab ipsa hypothesi gradimur ad thesin, & rem initio dicendi proponimus, vel potius primis lineamentis adumbramus, sine tamen vlla insinuatione. Tale mihi Areopagitarum patronorum exordium simplex, & concisum fuisse videtur. Vt, viduam hæredes mariti arguunt, & adulteram, & cædis mariti participem fuisse. Sic, caussa hæc agitur aduersus mulierem, & adulteram, & cædem mariti insignem. Titia non modò constante matrimonio, thori genialis calcato fœdere turpiter se prostituit, sed & intra annum luctus libidine peccauit in cineres mariti. Deinde crimen communiter exaggeratur.

Idem rerũ iudicat. l. 3. c. 14.

Hæc igitur exordia maximè propria, cætera tamen, quæ ab alijs adiunctis ducuntur, vt personarum, & locorum non sunt contemnenda, si modo communia rarís quibusdam ornamentis illustrentur, quod quo pacto fieri possit, hic subijcio, cum aliqua exemplorum varietate.

De exordijs in demonstratiuo genere, ab historijs, fabulis, & exemplis.

CAPVT X.

DEmonstratiuum genus, vt natum est ad pompam, exordiorum flore, præter cætera vestiri, atque ornari solet.

Sumuntur autem ab adiunctis personarum, rerum, locorum, temporum, & ea satis crebra sunt, quæ per insignem aliquam historiam fiunt, cui statim propria redditio accommodatur, quod si bellissimè fiat, specimen habet eruditionis, & ingenij: Contrà si tortum, si intrusum, si nimis affectatum, iuuenilem stylum sapit.

Exempla nonnulla suggeram, quæ passim vsurpari video, quanquam hanc exordiendi rationem, haud vbique probauerim.

Adiuncta personæ Oratoris.

Exordium à fabulosa noctua.

Si se tenuem in dicendo profiteri velit, & concursum auditorum habeat, qui eum circunstent, ament, suspiciant, exordiatur à similitudine noctuæ, vt est apud Dionem Prusæum in olympico.

Ἀλλ' ἔτι λεγόμενον, ὦ ἄνδρες, ἐγὼ καὶ παρὰ ὑμῖν, καὶ παρ' ἑτέροις πλείοσι, πέπονθα τὸ τῆς γλαυκὸς ἄτοπον καὶ παράδοξον πάθος. ἐκείνην γὰρ οὐδὲν ἐφαντέραμαι αὐτῶν, οὐσαν οὐδὲ βελτίω τὸ εἶδος ἀλλὰ τοιαύτην ὁποίαν ἴσμεν, ὅταν δήποτε φθέγξηται λυφρὸν καὶ εὐδαμῶς ἡδύ, περιεστᾶσί τε ἄλλαι ὄρνιθες ὅταν δὲ ἴδῃ μόνον τὰ μὲν, καὶ διώκομαι ἐγὼ τὰ δὲ κύκλῳ περιπετόμενα, ὡς μὲν ἐμὲ δοκεῖ, καταφρονῶντα τῆς φαυλότητος καὶ ἀμαθίας ἀδινείας. οἱ δὲ ἄνθρωποι φασὶν, ὅτι θαυμάζει τὴν γλαῦκα τὰ ὄρνεα. πῶς δὲ οὐ μᾶλλον θαυμάζει, καλὸν οὕτω καὶ ποικίλον; ἐμὲ δὲ αὐτὸν ἑστιῶμενον καὶ ὑπὸ εἰκόνων τὸ κάλλος τοῦ πλεῴ, ὅταν ἀθρήσῃ πρὸς τὴν ἡλίαν ναυλάσας τὴν οὐρὰν, καὶ περισήσας αὐτῷ πανταχόθεν ὥσπερ ἱστοὺς ἐξ ἴσου, ἅμα γὰρ ἠμφιεσμένα οὐρανὸν ποικίλον ἄστροις, &c. quæ sic παραφρασικῶς exponо.

Dion. Prusæus in olympico.

Mi verò (Audit humaniss.) absurdum illud, & incredibile, quod de noctua narratur, & hic apud vos, & apud alios complures accidisse video. Illa enim quum cæteris volucribus sit, neque sapientior, neque formosior, sed talis qualem nos sæpe vidimus, quando forte vocem fundit mœstam, prorsusque insuauem, circunsistunt aliæ aues, imò simul, atque eam conspexerunt, partim propè assident, partim in orbem circumuolant. Quid verò Iunoniam auem pulchellum illum pauonem, qui gemmat floribus, nitet purpura, micat auro, stellis radiat, qui dum se infringit, rotat, delicias agit, & conchata caudæ volumina explicat, magnificentissimum theatrum, aut cœlum ipsum micantibus stellis vndiq; vermiculatum, spectatorum oculis subijcit; non ita admirantur, non fractos luscinię modulos, non moribundi oloris voces, ipsa suauitate dulciores, tantoperę suspiciunt? Sic vos quoque cum tot amœna habeatis spectacula, tot acroamata, tot Rhetores, tot Poetas, vos tamen me, cum eruditissimis hominibus minimè comparandum circunstatis, & summa beneuolentia complectimini.

Pauo theatrum sibi spectabile & cœlum in cauda constituit.

Redditio.

Ab adiunctis, item Oratoris.

SI paruus corpore, & primo aspectu vilis, præter expectationem aliquid sublimius aggredi videatur. Ita poterit exordiri à venusta historia Luciani, quam stylo oratorio sic reddo.

Lucianus de saltatione.

Exordium ab historia de Saltāte Hectorem.

Antiochiam locum nobilem, celebrem quōdam vrbem, & copiosam audiuistis, at quid de Antiochenis sim narraturus, nemo vestrum fortasse cognouit. Fuerunt illi non solum vernulæ vrbanitatis, sed & saltationum vt scenica vrbs ferebat, quam studiosissimi, tum in iudicando ita acres, vt exilia quæque ad censuram reuocarent suam. Illic histrio sane non inuenustus, sed vt bellissimis ingenijs, amplam istam corporis speciem, plerunque natura denegauit, corpore erat perpusillo. Hic cum in scenam prodijsset Hectorem saltaturus, omnium exclamatio audita est: *Hectorem expectabamus, Astyanactem videmus*, quod ridiculum, si quis in me non magnæ expectationis homulum, festiuius hodie torqueret, ferrem naturæ vicem, neque hominis vrbanitati succenserem, sed tamen oratum vellem, ne quid ante datam saltationem diceret.

Si alteri succedat Oratori, cuius commendare velit virtutem.

Philostratus in Scopeliano.

Exordium successoris in laudem antecessoris.

Polemonem illum ferunt cum ei singulari omnium consensu honorificæ legationis munus obtigisset: In qua vt cætera erant egregia, tum illud non postremum, quod Scopeliano viro sapientissimo, celeberrimoque imprimis oratori succederet, antequam se accingeret ad iter conceptis verbis orasse, vt Scopeliani Suada sibi adesset, deinde generosum senem suauiter vt solebat complexum, dixisse versum Homericum.

Δὸς δὲ μοι ὠμοίοιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι

Photius in epistola ad Ioannem Patricium

Quod mihi hodierno die (Audit.) video vsurpandum. In simili genere est Eunomij Cicada.

Exordium à Cicada Eunomij & Eunomij cicada. Cicada Eunomij.

Ferunt in Eunomij Cytharœdi lyra Cicadam olim consedisse, & quacunque poterat vocula cæterarum fidium delicatissimos concentus prosequutam. Simili profecto ratione cum tot tibi egregij Poetæ blandissimos citharæ neruos impellentes encomia cecinerint. Ego licet tenuis, amoris tamen, & studij plenus accedo, & eorum ego voces consector, &c.

Exordium in re ampla.

Adiuncta rerum in re graui, & magnifica, vt in laude maximi viri.

Exordium ab Aemilij dicto.

Polybius, & Suidas, Iupiter Eleus.

Lucium Aemilium ferunt cum beatam illam Elei Iouis imaginem vidisset, diu attonito similem hæsisse, tandemque in eas voces erupisse, Papæ solus Phidiæ Iupiter Homerici Iouis maiestatem complexus est. Ego verò minimè dubitem, hoc ipsum de Scipione verius affirmare: Solus quippe potuit tantam, tamq; illustrem diuinarum virtutum effigiem mortalium oculis aspiciendam in mortali corpore proponere. Nullus vero est adeo disertus, qui eius dignitatem, laudes, & decora, satis ornatè complecti possit. Quid igitur? Ego ne rudis declamator, &c.

Item,

Exordium à Marathonia pugna.

Plutarch. Marathonia pugna.

Marathoniam pugnam (auditores) summa armorum dimicatione à Græcis, barbarisque pugnatam sæpius audiuistis, at nec medioeri ingenij contentione scriptam accipite. Sunt enim ex tota Græcia, quæ politissimis semper ingenijs floruit, trecenti homines delecti, qui quod fortissimi bellatores gladio fecissent, ijdem stylo consequerentur. Vtinam illi in æuum nostrum redirent, gloriosiorem aliquanto campum in hodierno argumento inuenirent.

Exordium in laude Virtutis.

In laude cuiusdam virtutis, & exhortationibus.

Campaspe siue Pancaste.

Aelianus var. hist. l. 12. c. 34. qui eandē παγκάστη nominat.

Campaspem egregia imprimis corporis venustate fœminam Alexander ille magnus habebat in delicijs, quam dum Apellis opera pingi curat, vt erat pictor homo mollioris ingenij, neque nimis austerus ad amores, ex puellæ oculis, quos propius intuetur, ignem deriuat in pectus, & sui operis amat exemplar. Neque ego, audit. ita ferus ero, & ferreus, qui dum egregiam virginem, castitatem, dico, meæ orationis coloribus exprimo, eius amoris facibus incendi me, & vos pariter non facile patiar.

Oraculum de doctrina.

Athenienſium inaures.

Ab inauribus Atheniensium.

Dion. Chrys. ad Alexādrinos ora. 32. expressum è Græco inaures.

Institutio puerorum.

Diuina illa verè, & Phœbi tripode digna vox, qua olim Athenienses oraculum monuisse narrat Atticæ facundiæ facile princeps Dion Chrysostom. Cum enim sedulo quærerent, qua ratione optimis legibus, & institutis vincirent ciuitatem, fertur numen respondisse beatam fore temp. si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est appenderent, atque illi puerorum auriculas pertundebant auro, & gemmis onerabant, hoc rati in omnium rerum natura esse præstantissimum,

&

& ita Phrygum, Lydorum, Arabum effœminatos pusiones, non Athenienses facere videbantur. Ego verò, &c.

Tibicinis iudicium. Philost. in Apollonio l. 5. c. 11.

Tibicen valdè sapiens (audit.) discipulos auditum mittebat ineptissimos quosq; tibicines, vt ex eis quo pacto canendum non esset intelligerent, redeuntes deinde omnes perfectę artis numeros edocebat, vt quomodo canendum esset edisserent. Et nos ex quotidianis aliorum vitijs satis, superque quid minime faciendum esset vidimus, nunc autem si placet, quid ad felicitatem obtinendam, quam se cupere omnes dicunt, paucos scimus quærere, maximè expediat contemplemur.

Loci dignitas.

Babylonicum forū idem l. 1. c. 28.

Quantum terroris ad dicendum accedentibus afferret Babylonicum illud *dicastērium* ex saphirinis lapidibus conflatum, in quo mirum dictu, inter cœrulei coloris nubes illicibus aureis interstinctas prominētes ex lacunari Deorum effigies pendebant, norunt sapientissimi oratores, qui illo in loco dixerunt. Mihi verò, & huius loci religio, & vester omnium consessus tantum affert timoris, quantum ad oratoris benè naui debilitandam industriam sufficiat.

Loci vilitas, siue molestia.

Scopeliani dictum autum Philost. in Scopeliano Luscinia.

Scopelianus (auditores) cum rogaretur à Clazomenijs, vt in eorum vrbe declamaret, non canit, inquit, Philomela in cauea. Et hoc à me ita dictum velim, non quod hunc locum contemnam, est enim honestus. & celeber, sed quod me dum impensius vos diligo, tot inuidorum vexationes exercent, vt ingenium mœroribus, quasi piscis retibus implicitum ægrè sese possit expedire.

In laude funebri.

Dion. Prusaeus orat. 32.

Mihi verò quid dicam (auditores) in mentem non venit, ita me repentini mali turbo percussit, & stupore sensus confudit. Desideratis verba, at nihil præter lachrymas habeo, & suspiria. Est certè iniqua consuetudo, quam in istis laudationibus obseruamus, dicere iubemus eos, quibus flere magis conueniret, & eloquentiam requirimus, vbi quantum viget dolor, tantum extabescit ingenium.

Cic. Phil. 9

Vellem Dij fecissent immortales (P. C.) vt viuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus.

Demosth. in laudatione funebri.

Mortuos quidem istos flere facile est, at laudare difficillimum, qui enim à natura inditum viuendi desiderium aspernati sint, & occumbere honestè, quam afflictam Græciæ fortunam cernere maluerunt, an non eam suæ virtutis memoriam reliquere, quam nulla complecti possit oratio.

In inuectiua. In vituperio iniquissimi hominis.

Demus Zeusidis & Zeuxis Demus. Plin. l. 35. c. 10.

Rediret vtinam in hanc vitam Parthasius, qui Demon illum Athenienſem, tam ingenioso olim argumento, tam subtili artificio depinxit, varium, iracundum, iniustum, inconstantem, ferocem, amantem, furiosum, & si quis alius color est, quo immane portentum exprimi possit, inueniret in hoc homine satis argumenti ad similem tabulam. Ita enim sceleratus est, vt dubitem an ipse ex vitijs totus, an ex eo vitia nata sint, atque profecta.

Pausan. in Boœticis. Aranea Thebanorum.

Breuem historiam refert Pausanias (auditores) breuem sed argutam, quam & me narrare vt spero iuuabit, & vos audiuisse nunquam pœnitebit. Aranea, inquit, apud Boetios, dum ipsi innocentia simul atque otio florerent, ad legiferæ Cereris templum, telas mireo candore amabiles texuerant: postquam verò deprauati ipsi, & bello ardere cœperunt, textrices stamina non vt antea candida, sed atri coloris nube infuscata eodem in loco fixerunt. Et hoc mihi liceat apud vos profiteri (audit humanissimi.) Ego huius laudator fui, atque amicus, quandiu ipse virtutis, pacis & concordiæ fuit. Nunc autem postquam scelere, & maleficio inquinatus detestabili in omnes bonos odio flagrare cœpit, mutata ratio est, ad huius legiferæ Themidis templum, nigram & dentatam affero orationem, vt ipse niger est, & dentatus, si tamen carbonem inueniam, qui eius fuliginem exprimere possit.

De deliberatiuo.

CAPVT XI.

Exordia in deliberatiuo.

IN deliberatiuo exordia grauia esse oportet, nec tamen curiosius elaborata, nihil vetat ab exemplo aliquando incipere, vt si quis rem honestam, & vtilem proponat apud generosos auditores. *Ita poterit exordiri.*

Timoth. Tibicen. Alexādri generositas.

Timotheum quondam illum Tibicinem ferunt, cum primum Alexandro Regi artis suæ specimen exhiberet, cecinisse iuxta illius mores,

Dion. ora. 1. de regno ex editione eruditi Morelli.

mores admodum peritè, atque muſicè, non mollem, neque remiſſam cantionem, quæ ad ignauiam deſidiamque duceret, ſed ipſum opinor *rectum*, qui Mineruæ appellatur nomũ. Et Alexandrum quidem confeſtim exiluiſſe ad arma, tanquam diuino numine incitatũ. Quod profecto effecit, non adeò muſicæ vis, vt Regis animus acer, atque iracundus. Quoniam Sardanapalum nunquam certè è cubiculo à mulieribus, ſuſcitaſſet non ſolum Timotheus, aut alius quiſpiam ex iunioribus, ſed neque Marſyas ipſe, aut Olympus, quin etiam mihi videtur, quod ne Minerua quidem (ſi fas eſt dicere) eundem *nomum* percurrente, ille vnquam arma correpturus erat, ſed longè prius ſurrecturus ad ſaltandum, aut fugiendum vſque adeò miſerè affectus erat ob poteſtatem, delicias que. Vtinam hodierno die ſic veſtros concitatem animos, &c.

Alias ab attentione, & promiſſione magnorum commodorum, vbi præſertim ad populum agitur, vt Olynthiaca prima.

Adiunctum rei.

Demoſth. Olynth. 1.

Ego verò ſic mihi perſuadeo vos magnæ opulentiæ loco hanc orationem meam numeraturos.

Alias à precatione, & molli obiurgatione eorum, qui nimis frigidè deliberant.

Idem.

Maxime vellem, Athenienſes, vt qua in omnes eſtis humanitate, eandem erga vos ipſi adhiberetis. Nunc autem maior eſt dexteritas in aliorum malis corrigendis, quam in ijs, quæ ad vos attinent prouidendis.

Alias à reprehenſione eorum, qui fictam deliberationem inſtituunt, & adhibent ſibi conſiliarios, quos minimè ſequi cupiunt.

Si ſcitis, Athenienſes, quid de rebus ipſis factu ſit optimum, non modo ſuperuacaneum eſt, ſed improbum eas ad deliberandum proponere, nam ſi, quæ ipſi antequam ſententias rogaueritis, tanquam optima, & veſtris commodis maximè conſentanea amplectimini; Quorſum ijſdem audiendis fruſtra obtundi attinet, ſin autem iſta conſideratis, quaſi ex ijs, quæ dicentur ſtatuendum ſit: Non opinor æquum eſt, ſi qui velint eis non facere dicendi poteſtatem.

In genere παραδόξων ſuadendo, ſcilicet, aut diſſuadendo, quod incredibile videatur.

Diõ. Pruſaus ora. 11 ex Græco.

Noui equidem propemodum, quod omnes homines docere difficile ſit, in errorem autem inducere facile, & diſcunt quidem, ſi modo diſcunt à paucis, & ijſdem apprimè eruditis, in errorem autem inducuntur ocyus à multis, ijſque imperitis, & non tantum ab alijs, verùm ipſi à ſemetipſis. Veritas enim amara eſt ſtultis, & iniucunda; mendacium autem dulce, & blandum, quemadmodum opinor ijs, quibus dolent oculi, lumen videre moleſtum eſt: tenebræ autem, abſque triſtitia ſunt, & ſuaues, quod videre non ſinant. Aut quomodo ita ſæpe inualuiſſent mendacia, quum veritas eſſet præſto, niſi per voluptatem vicitſent? quum autem difficile ſit (vt dixi) docere, longè tamen difficilius eſt dedocere, præſertim eos, qui longo tempore mendacia audiuerunt, neque ipſi ſoli in errorem inducti ſunt, ſed & patres eorum, & aui, & omnes ferè maiores. Non enim facilè eſt horum conuellere opinionem, etiam ſi quis manifeſtè conuincat. Quemadmodum & ijs, qui ſuppoſitos pueros alunt, difficile eſt tamen eximere opinionem, etiam ſi quis vera dicat, quæ quidem initio ſi quis dixiſſet, nunquam eos ſuſcepiſſent. Portò hoc ita validum eſt, vt multi mala potius ſibi vendicent, & confiteantur aduerſum ſeſe, ſi prius ſint perſuaſi, quam bona poſt longum tempus audientes. Proinde neque vos (viri Ilienſes) mirabor ſi fide digniorem putaueritis Homerum, qui peſſima aduerſum vos mendacia finxit, quam me vera dicentem.

Contenda in hac oratione probare Ilium à Græcis fuiſſe euerſum. Itaq; longa inſtauratione vtitur. Troiam à Græcis fuiſſe euerſam.

In exhortatione ad virtutem contra curioſos.

Diõ. Pruſaus ora. 17. Exordia grauia & philoſophica à Græco expreſſa cõmunitione.

Multi quidem homines de quæſtionibus controuerſis, in quibus eruditorum hominum triumphare ſolet induſtria, & diſputare auent, & audire, de ijs verò, quæ conſtanti hominum opinione rata ſunt, & fixa, ſuperuacaneum eſſe quicquam docere exiſtimant. Ego ſanè ſi viderem vos in ijs, quæ recta eſſe cenſemus, permanere, nihilque facere, quod rationi confirmatæ aduerſetur, neque ipſe putaſſem neceſſarium eſſe loqui de rebus perſpicuis. Quoniam autem non à bonorum, & malorum ignorantia adeò vos video perturbari, quantum ab eo, quod non ratiocinationibus de his obtempetatis, neque ſequimini eas, quas ipſi habetis opiniones: magnum me arbitror vtilitatem allaturum, ſi eas continuo vobis in animum reuocem, ſermoneque adhorter, vt obediatis, factoque conſeruetis officium. Quemadmodum enim opinor, & medicos, & naucleros videmus ſæpè eadem præcipere, non eo, quod non primum audierint,

dierint, quibus præcipiunt, sed quod eos negligere, animumque non attendere videant: Ita & in vita vtile est sæpe ijsdem de rebus dicere, quod multi quidem sciant quid conueniat, sed non faciant. Non enim finis est ægrotantibus scire, quid sibi prosit, sed eo (opinor) vti, hoc enim illis sanitatem præstat: neq; alijs discere fructuosa, & pernicioſa ad vitam, sed non aberrare in horum electione. Sicuti enim videre licet, quod qui ex oculis laborant, sciant quidem se sentire molestiam, si manus oculis admoueant, non velint tamen abstinere: simili modo, & in alijs accidit negotijs, vt multi quidem, & clarè sciant, quod non prosit quid facere, incidant tamen in illud. Quis enim nescit incontinentiam magnum esse malum? sed tamen quamplurimos inuenias incontinentes: Et, per Iouem, segnitiem omnes sciunt, non solum non posse acquirere vitæ necessaria, verum etiam acquisita disperdere: tamen reuera plures inuenire est segnes, quam qui aliquid operis facere velint.

Item in exhortatione ad ridiculos, & voluptuarios aptissimum exordium.

Idem ad Alexand. orat. 32.

Nunquid tandem velletis, ô viri, paulisper seria agere, & attendere? quando quidem ludendo ætatem transigitis nulli rei animum seriæ aduertentes? ludi sane, & voluptatis, & risus (vt dicam quod res est) nunquam vlla vobis est inopia: nam & ipsi ridiculi estis & faceti, & multos horum habetis ministros: rerum autem seriarum magna vos video laborare penuria. Quanquam sunt, qui vos laudent, tanquam sapientes, & acutos, quod tot hominum millia pariter, & quæ oportet cogitetis, citoque proloquamini quicquid cogitaueritis. Ego verò magis vos laudarem, si tardè proloqueremini, & modestè taceretis, rectèque cogitaretis, quod & nunc facietis, quo ad illam laudem acquiratis, aliam maiorem, nouamque, & honestiorem, quod cum tot sitis numero, sermonibus tamen habitis vtilibus omnes tenueritis silentium, & ad hoc ostenderitis, quod non solum idonei sitis cogitata proloqui, sed etiam audita intelligere, choreæ hæc quidem laus est, simul loqui posse, imo ne choreæ quidem, cur enim omnes desraudentur melodia? populi verò benè auscultare.

A virtute deliberantium valdè aptum.

Saluſt. in Catilina.

Nisi virtus, atque fides vestra satis spectata mihi foret, ne quicquam opportuna res ceciderit: spes magna dominationis in manibus frustra fuisset: neque ego per ignauiam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis, & magnis tempestatibus vos cognoui fortes, fidosque mihi, eo animus ausus est maximum, atque pulcherrimum factum incipere, simul, quia vobis eadem, quæ mihi bona, malaque esse intellexi.

A persona suadentis.

Neque mihi hoc arrogo, neque si arrogarem satis sanus viderer, vt veluti Polemon aliquis Hannibalem Martis spiritus vigore iueniliter exultantem, in re militari instituere, ac erudire suscipiam: sed tamen vt summi gubernatores interdum à vectoribus admoneri solent, æquo animo, quæ est vestra humanitas, moneri à me patiamini.

Polemon hortator Annibalis.

Faciam vt Imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, eos tamen adhortantur. Sic ego vos ardentes, & erectos ad liberalitatem recuperandam cohortabor.

Noctuam quidem deformem non modò corpore, sed & cantu immundam, fastidiosorum hominum mollities respuit, eidemq; insultat. Sed tamen si Æsopo fabularum concinnatori credimus, & prudentis olim animi fuit, & consilij. Suasit quippe auibus, ne quercum crescere sinerent, fore enim vt ex ea viscum nasceretur, quo ipsæ caperentur, atque cum homines linum serererent, iussit illius semen erutum deuorari, ex quo futura præuidebat retia. Quid? cum sagittarium vidisset, *peristis*, inquit, *aues, ille homo vestris vos pennis anteuertet, pedes ipse vobis alatas immittens sagittas.* Sed tamen surdis canebat, vt fatua contemnebatur. Et fortasse sors noctuæ apud vos hodierno die contigerit (audit.)

Noctua prudentia. Dion. Chryſoſt. de 1. Dei cognitione.

Glaucus vt aiunt (audit) pugil fortis, & generosus, cum in ludis Olympicis premeretur ab aduersario, parentis rusticuli hominis, qui tum fortè aderat, voce excitatus est ad decus. Nam cum de media turba quanta maximè poterat vocis contentione vir simplex exclamasset, τοῦ τὴν ἀπ' ἀρότρου. *Fili mi illam ab aratro*, hoc dicto inflammatus adolescens aduersarium ingenti plagâ cum certâ victoriâ percussit. Qui mirum igitur, si ego quanquam illius vrbanitatis, quam illi tantopere efferunt insolens, vos licet benè animatos, & iam in procinctu stantes hortari videar, quando & ipsi olitores nonnihil aliquando loquuntur opportunè.

Glaucus pugil. Ruſticus filium pugilem animat.

De iudiciali.

CAPVT XII.

Iudicialis exordia.

IN iudiciali pro reo, vbi est caussa grauis, & ipse miser, Libanius sæpè vtitur hoc exordio. ὤμην μὲν ὦ ἄνδρες, &c.

Liban. in Oreste expressum à Græco.

Equidem sic arbitrabar, & sic in animum inducebam meum, mihi post infinitos angores, atq; ærumnas, quas ego formidolosi temporis acerbitate animo, & corpore exantlaui, æquiorem tandem aliquando fortunam nostris rebus fore. Videbam enim omnes quotquot sunt mortales, modò quidem miseros, modò fortunatos, & me hominum conditione natum, sperabam tempus illud visurum quo si non plane recrearer animo, saltem inter saxa, & solitudines ferarum comes perpetuus, meas deplorarem miserias, & tepenti lachrymarum fonte dolorum incendia restinguerem. Sed longe secus accidit, quam opinarer, ita me dirus, & insatiabilis Alastor exercet, & calamitates per sua veluti vestigia reflectuntur. Et nunc integer ille homo me ad vestrum tribunal adducit, vt miseram animam, quam Scyllæ, & Charybdes, aut misericordia, aut contemptu reliquerunt ante vestrum tribunal, si possit exhauriat.

Item apud Libanum.

Nondum Genius ille meus satiatus est malis, nondum fortunæ nouercales iræ deferbuerunt, nondum coniurata in meam perniciem malorum agmina sese omnia effuderunt. Ecce ad hominem animi, & corporis morbo confectum, ad cadauer miserum, & abiectum, infames corui aduolant, vt ossa, si nihil aliud reliquum est, exportent.

Hæc sunt παθετικώτερα, & ad hoc genus pertinent, in quo reus de spe præmiorum, quæ expectabat ad metum suppliciorum traducitur.

Cicero pro Flacco.

Cum in maximis periculis huius vrbis, atque Imperij grauissimo, atque acerbissimo reipub. casu, socio, atque adiutore consiliorum, periculorumque meorum L. Flacco cædem à vobis coniugibus liberis vestris, vastitatem à templis, delubris, vrbe Italia depellebam, sperabam (iudices) honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem.

Idem pro Sylla.

Maxime vellem (iudices) vt P. Sylla, & antea dignitatis suæ splendorem obtinere, & post calamitatem acceptam modestiæ fructum aliquem potuisset percipere. Sed quoniam ita tulit casus infestus, vt amplissimo in honore cum communi ambitionis inuidia, tum singulari Antonij odio euerteretur: Et in his pristinæ fortunæ reliquijs miseris, & afflictis, tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem satiare posset, quanquam ex huius incommodis, magnam animo capio molestiam, tamen in certis malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam, misericordiamque notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam agnoscerent: improbi, ac perditi ciues edomiti, atque victi præcipitante Rep. vehementem me fuisse, atque fortem: conseruata mitem, ac misericordem faterentur.

Adiunctum accusatorum.

Exordia ab adiunctis accusatorum, &c.

Quæ res in ciuitate, duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia, quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediat nonnihil commoueor. Gratia Sextij Neuij, ne P. Quintio noceat, id verò mediocriter pertimesco.

Idem pro Quintio.

Adiunctum rei, & personæ, & caussæ grauis.

Idem pro Balbo.

Si authoritates patronorum in iudicijs valerent, ab amplissimis viris L. Cornelij caussa defensa est: si vsus à peritissimis: si ingenia ab eloquentissimis, si studia ab amicissimis, & cum beneficijs cum L. Cornelio tum maxima familiaritate coniunctis, &,

Idem 2. Verr.

Quod erat optandum maximè (iudices) & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis, infamiamque iudiciorum sedandam maximè pertinebat: Id non humano consilio, sed propè diuinitus datum, atque oblatum vobis summo reipub. tempore videtur.

Diuinat. in Verr.

Adiunctum oratoris, & ratio consilij, frequens huiusmodi exordium apud Ciceronem, vt in Diuinatione in Verrem.

Si quis vestrum fortasse (iudices) aut eorum, qui adsunt fortè miratur, me, qui tot annos in caussis, iudicijsque publicis ita sim versatus, vt defenderim multos, læserim neminem: subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere. Is, si mei consilij caussam, rationemque cognouerit, vna, & id quod facio probabit, & in hac caussa profectò neminem mihi esse præponendum auctorem putabit.

Cre-

Pro Rosc. Amerino.

Credo ego vos (iudices) mirari quid sit cum tot summi oratores, homineſque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, Is qui neque ætate, neque ingenio, neque authoritate ſim cum his comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adeſſe in hac cauſſa, iniuriam nouo ſcelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent. Ita ſit vt adſint, propterea quod officium ſequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ego? audaciſſimus ego in omnibus? minimè. Attamen officioſior, quam cæteri ne iſtius quidem laudis, ita ſum cupidus, vt alijs eam præreptam velim.

Adiunctum Iudicum.

Ad Pontifices.

Cum nullæ diuinitus, Pontifices, à maioribus noſtris inuenta, atque inſtituta ſunt, tum nihil præclarius quam quod vos eoſdem, & religionibus Deorum immortalium, & ſummæ reip. præeſſe voluerunt: vt ampliſſimi, & clariſſimi ciues remp. benè gerendo, Pontifices religiones ſapienter interpretando remp. conſeruarent. Quod ſi vllo tempore magna cauſſa in ſacerdotum pop. Rom. iudicio, ac poteſtate verſata eſt, hæc profectò tanta eſt, vt omnis reip. dignitas, omnium ciuium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, Dij penates, bona fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa, creditaque eſſe videantur.

A precatione pro Muræna, quod precatus ſum, &c.

Exordia ex abrupto, & conciſa.

CAPVT XIII.

EXordia, quæ vocantur ex abrupto, ſine inſinuatione, & cuniculis, quaſi quodam calore mentis excuſſa apprimè decent negotia feruida, & viros acres, laconicæque breuitatis amatores. Idcirco ſæpe in concionibus Imperatorum, & ducum vſurpantur, vt eſt annotare in Liuio.

Minutius apud Liui. Manlius Capitolinus.

Spectatum huc ad rem fruendam oculis ſociorum cædes, & incendia venimus?

Quouſq; tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura, ne belluas quidem voluit ignorare?

Quid ſtas miles, non cum Latino, Sabinoque hoſte res eſt, quem victum armis, ſocium ex hoſte facias. In belluas ſtrinximus ferrum. *Popilius.* Hauriendus, aut dandus eſt ſanguis.

Hic præbituri vos telis hoſtium eſtis indefenſi inulti: Quid igitur arma habetis? *Vettius.*

Quæ triſtia milites hæc, quæ inſolita cunctatio eſt? Hoſtem, an me; an vos ignoratis? *Camillus.*

Tempus, quod ſæpe optaſtis venit, quo vobis poteſtas fieret virtutem veſtram oſtendendi. *Porcius Cato.*

Τί λύετε τάξιν ἐταγμένην, ἢ βιάζεθε γλῶσσαν νόμῳ δουλεύουσαν. *Gregor. Nazianz. in plaga grandinis.*

Quid ſoluitis ordinem laudabilem, quid cogitis linguam legi ſeruientem?

Ferro hic tibi ſubmouendus ſum Appi, vt tacitum feras, quod celari vis. *Icilius.*

Hoc in anteriorem orationem eſt retortum.

Neque nouum, neq; inopinatum mihi eſt, Quirites, ſi quod vnum familiæ noſtræ ſemper obiectum eſt ab ſeditioſis Tribunis, id nunc ego quoque audiam. *Appius apud Liuium.*

Hoc etiam admirabilitatem habet in breuitate.

Ἡ δ' ὅτε οὐρανὸς ἔσται ἐνερθε τῆς γῆς, καὶ ἡ γῆ μετέωρος ὑπὲρ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οἱ ἄνθρωποι νόμον ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι, καὶ οἱ ἰχθύες τὸν πρότερον ἄνθρωποι. *Exordium per ὀξύμωρα. Soſicles apud Herod.*

Nunc profectò cœlum ſub terra erit, terraque cœlo ſupereminebit, homines mare incolent. Piſces domicilium prius hominum accipient. *Ouidius imitatus eſt.*

Sequens ad ſunſoriam peropportunum.

Ἐν σοὶ τῶν Καλλίμαχε ἔστι ἢ καταδουλῶσαι Ἀθήνας ἢ ἐλευθέρας ποιῆσαι· πάντα μνημόσυνον λιπεῖν τὸν ἅπαντα ἀνθρώπων βίον, οἷον οὐδὲ Ἁρμόδιός τε καὶ Ἀριστογείτων λείπεται.

In te Callimache ſitum eſt: Vtrum Athenæ in ſeruitutem redigantur. An tu eas liberando, memoriam tui in omne æuum relinquas, qualem nec Armodius quidem, atque Ariſtogiton reliquerunt.

Abruptum illud eſt, & conciſum, ſimulque admirabilitate diſtinctum.

Exordium conciſum & admirabile. P. Sempronius.

[En (Quirites) illius Appij progenies, qui decemuir in annum creatus, altero anno ſe ipſe creauit, tertio, nec ab ſe, nec ab vllo creatus, priuatus faſces, & Imperium obtinuit. Nec ante continuando abſtitit magiſtratus, quam obruerent eum male parta, male geſta, male retenta imperia.]

Aliud breui rotunditate collectum rem ponit statim ob oculos, vt,

Eurypto-lemus apud Xenoph.

Τὰ μὲν κατηγορήσων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀγέλην εἰθάδα Περικλέους ἀναγκαῖόν μοι ὄντα, καὶ ἑταιρικὸν, καὶ Διομέδοντα φίλον, τὰ δὲ ὑπεραπολογησόμενος, τὰ δὲ ξυμβουλεύσων ἃ μοι δοκεῖ ἄριστα εἶναι ἅπάσῃ τῇ πόλει.

Partim accusaturus (viri Athenienses) Periclem necessarium, & amicum meum, atque Diomedontem mihi beneuolentia coniunctum huc ascendi: Partim etiam suasurus, quæ reip. maximè salutaria esse videntur,

Hoc quod sequitur, habet in grauitate festiuitatem.

Demaratus apud Hero.

Βασιλεῦ κότερα ἀληθείᾳ χαίρομαι πρὸς σὲ ἢ ἡδονῇ.

Vtrum apud te Rex vtar veritate, an iucunditate?

Aliud celeritatem habet in suauitate, vt

Cyrus apud Xenoph.

Ἄνδρες σύμμαχοι ἀνθρώπινον τὸ γεγενημένων πάθος. τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας, οὐδὲ μοὶ δοκεῖ θαυμαστὸν εἶναι.

Viri socij humanum est, quod aduersi accidit. Nam quod homines errent, vt homines, nihil puto mirandum esse.

Istud laconicum est.

Archidamus apud Thucid.

Δίκαια λέγετε, ὦ Ἄνδρες πλαταιῆς, ἢν ποιῆτε ὅμοια τοῖς λόγοις.

Rectè dicitis (viri Platæenses) si verbis facta respondeant.

Exordium à similitudine.

Etiam à similitudine exorsus est Xenophon.

Timolaus apud Xenophontẽ.

Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ (ὦ ἄνδρες ξύμμαχοι) ὅμοιον εἶναι τὸ τῶν Λακεδαιμονίων πρᾶγμα οἷον περὶ τὰ τοῦ ποταμοῦ.

Atqui mihi videtur (viri socij) res Lacedæmoniorum perinde se habere, ac fluuiorum, &c.

Conuenit sequens in rem bene gestam, & gratulationem.

Papyrius apud Liuium. Senec. cõs. lib. 6.

Bene habet (Quirites) vicit disciplina militaris, vicit Imperij maiestas.

Audite rem nouam, fratrem crudelem, nouercam misericordem.

(***)

De narratione.

Narrationis diuisio, & vsus.

CAPVT XIII.

Narrationis distinctio.

Antequam ad narrationis precepta progrediar longius, tantisper subsisto in limine: quo verbi distinguam ambiguitatem. Plerique enim narrationem in eas angustias adduxerunt, vt id solum esse vellent, quod facti ciuilis, statusque caussæ, vt cædis, vt furti, vt sacrilegij, &c. expositionem complecteretur, quò fit vt eorum de narrationibus præcepta tenuia sæpè sint, & inter vnius iudicialis generis fines contenta. Verum notatione dignum est, quod obseruat Quintilianus, *aliud esse narrationem caussæ, aliud eorum, quæ pertinent ad caussam.*

Narratio caussæ tota iudicialis est, quæ rei, de qua quæritur continet enucleationem, vt cædis Clodianæ in Miloniana. Eorum verò, quæ pertinet ad caussam latè sumitur pro cuiusque rei, vel facti expositione.

Narrationis octo species.

Huius octo species commenti sunt argumentosi Rhetores, & vt solent in plerisque nimij, cuius diuisionis author est Curius Fortunatianus, apud quem in artis Rhetoricæ scholis sic distribuitur.

Prima narratio dicitur διήγησις, quæ principalis est totam facti rationem solidè amplectens.

Secunda ἀντιδιήγησις, quæ fit cum res secus narratur, quàm ab aduersario fuerit exposita.

Tertia est μερικὴ διήγησις, quæ non primariam tanti facti rationem, sed omnes eius partes, & circumstantias, enucleatè discutit.

Quarta est παραδιήγησις: quæ aliquas res gestas extra caussam positas inducit, ad confirmationem tamen caussæ non inutiles, vt si dicturus de Seij furtis, nonnulla de eius ingluuie, & intemperantia, quasi rapacitatis fomite disseras.

Quinta ὑποδιήγησις narratio, quæ quæstioni comprobandæ subiungitur, & quasi subintexitur à propria narrationis sede digressa.

Sexta est καταδιήγησις, quæ fit cum tota oratio narratiua est.

Septima est ἐπιδιήγησις, quum latius in quæstionibus, vel ante epilogos exequimur eas res gestas, quas in narratione breuiter attingimus.

Vltio-

Vltima est διασκευὴ, quæ res gestas non tam docet, quam exaggerat.

Ex ijs perspicuus fiet narrationis vsus, siquidem in genere demonstratiuo, vt in laudatione personæ vtendũ καταδιηγήσει, & διασκευῇ, cum tota res narratiua sit, sed non exili filo pertexenda, verum magnis, & collucentibus styli gemmis decoranda.

Propositio generalis implet vicem narrationis.

In concionibus, & Chrijs, seu orationibus, & scientiæ, & quæstionis, nulla est διήγησις, aut primaria narratio, sed eius vicem implet generalis propositio. Variæ tamen sunt παραδιηγήσεις.

Concionũ & Chriarum narrationes quæ & Narrationis vsus in Chriis Concion.

In genere iudiciali opus est semper narratione, nisi constet omnino de re gesta inter accusatorem, & reum. Sed ea pro prudentia oratoris locum nonnunquam mutat, vbi aliqua ante constitutionem caussæ præiudicia, & similia sunt amolienda. Aliqua etiam reticet, alia immutat, alia colorat, alia inuertit, alia exaggerat pro caussæ, & rei necessitate.

Genere iudic. &c.

In genere deliberatiuo non est vbique necessaria διήγησις, si constet de re, de qua deliberatur: Sin autem, & διηγήσει plerunque, & ἀντιδιηγήσει vtendum est, *consilium resq; locusq; dabunt.* Nunc narrationis in vniuersum sumptæ vitia, & virtutes consideremus.

Narrationis vitia octo.

CAPVT XIV.

Prolixitas narrationis inerti fluuio similis.

PRimum, est prolixitas, quam, vt ait D. Gregor. Nazianz. ad Helladium rebus meriti maximè oportet, non versibus, aut verbis: fit, vbi quis se viriliter expedire non potest, sed vt iners fluuius lutum, & cœnum turbidis aquis ægrè volutat: res quærit ab ouo, vbi nihil est opus, frigida, & otiosa adiuncta consectatur, quæ languida, & iacenti oratione non sine tædio prosequitur.

Secundum, Parentheses crebræ, & longæ, quæ sermonem institutum aliò trahunt, distrahuntque non sine multis ineptijs.

Tertium, ambiguitas verborum, sententiarumque, vt si quis dicat, aiunt Pyrrhum Romanos hoc prælio fudisse. Quis inde victor, quis victus intelligi potest?

Quartum, nimia personarum, rerumque multitudo, & confusio, vno veluti impetu sensibus obiecta, animum confundit auditoris. Distendere oportet paulatim narrationem, nec omnia eiusdem membra in nodum contrahere.

Quintum, quicquid incredibile, & fabulis simile præter communem naturam, præter morem, & rationes, atque vias agendi.

Sextum, Dictio humilis, obscura, impropria.

Septimum, Dissolutio sine vllo decore, nexu, & articulis.

Octauum, Eiusdem verbi crebra, & inepta repetitio.

Narrationis virtutes.

CAPVT XV.

Timantis tabulæ.

COntrà, Narrationem decent virtutes.

Prima, expedita breuitas, in qua nihil tamen mancum, nihil concisum, & decurtum videatur, neque enim putes te semper Timantis tabulas auditoribus obijcere, in quibus plus intelligendum erat, quam pingeretur; si vis intelligi, narrare oportet, sed caue, ne longas periodos, vbi nihil opus est, curiosius hic affectes; breuitas percommoda conficietur simplicibus verbis, semel vnaquaque re dicenda, nulli rei, nisi vt dilucidè dicas seruiendo.

Secunda perspicuitas, qua oratio, vt pellucidus amnis fluit, & ea sit vsitatis verbis, proprijs, dispositis, aut circumscriptione conclusa, aut intermissa, aut concisione verborum.

Tertia, probabilitas est in genere, si non minus compta oratio, atque expolita, si est authoritas, & pondus in verbis, si sententiæ, vel graues, vel apte opinionibus hominum & moribus.

Narrationis probabilitas, ex quindecim rebus petita.

CAPVT XVI.

IN specie quindecim enumerantur à Cicerone, quæ ad probabilitatem spectent, & à Maioragio his vulgaribus exemplis illustrantur, quæ in iuuentutis gratiam hic subijcere non erit superuacaneum.

Primò, personæ in quibus considerantur nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes.

Nomen, vt pro Rosc. Amer.

(Nam duo isti sunt, T. Roscij, quorum alteri Capitoni cognomen; iste qui adest, magnus vocatur.)

Natura considerantur, vt, an timidus, an audax, an fortis, an prodigus, an auarus, an liberalis, robustus, aut infirma valetudine, atque ita de reliquis, vt Cicero de P. Clodio.

(Vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem.)

Victus etiam spectatur, vt pro Roscio Amerino.

(Cum hic filius assiduus in prædijs esset, cumque se voluntate patris rei familiaris, vitæque rusticæ dedisset.) Pro P. Quinctio docet Næuium scurrilem vitam egisse, neque iura societatis didicisse, Pro M. Cœlio docet eum in adolescentia cum optimis viris vixisse.

(Nemo hunc M. Cœlium in illo ætatis flore vidit, nisi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Crassi castissima domo, cum artibus honestissimis erudiretur.)

In fortuna spectatur nobilitas, & diuitiæ, atque his contraria, vt pro Roscio Amer.

(Sextus Roscius pater huius municeps Amerinus fuit, cum genere, & nobilitate, & pecunia, non modò sui municipij, verum etiam eius vicinitatis facilè primus, tum gratia, atque hospitijs florens hominum nobilissimorum.)

Habitus, vt pro Quinctio.

(De Sexto Næuio sit magna mutatio loci, non ingenij, nam qui ab adolescentulo quæstum sibi instituisset, sine impendio, postea quam nescio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quæstu contentus esse non poterat.)

Affectio differt ab habitu, quia habitus est diuturnior, affectio facilè mutatur, vt lætitia, spes, mœror, timor. Cicero pro Q. Ligario.

(Quo audito partim cupiditate inconsiderata, partim cæco quodam timore, primò salutis caussa, post etiam studij sui, quærebant aliquem ducem: Paulò post atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium.)

Studium est vehemens animi applicatio ad aliquid agendum, quæ in persona consideratur, vt pro Archia Poeta.

(Nam, vt primum ex pueris excessit Archias, atque his artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit.)

Consilia sæpè explicantur in narrationibus, vt pro Rosc. Amer.

(Consilium cœperunt plenum sceleris, & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent.)

Facta, vt pro Milone.

(Subitò reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit. Item, Roma subitò ipse profectus pridie est.)

Casus est, qui præter spem, atque opinionem accidit, vt pro Q. Ligario.

(Bellum subitò exarsit, quod, qui erant in Africa antè audierunt geri, quàm parari.)

Orationes multò probabiliorem sæpè narrationem faciunt, vt pro Milone.

(Palam agere cœpit, & apertè dicere occidendum Milonem. Item etenim palam dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse.)

Hæc omnia sunt in personis considerando.

Secundò, fit narratio probabilis à temporibus; vt pro Q. Ligario.

(Q. Ligarius, cùm esset adhuc nulla belli suspicio, Legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est.) Pro M. Cœlio, docet à tempore, Cœlium Catilinæ familiarem non fuisse.

Tertiò, à loco, vt pro Milone, vt

(Ante fundum suum insidias Miloni collocaret.) Sæpè etiam à loco narrationes incipiunt, vt 5. in Verrem, (Oppidum in Hellesponto Lampsacum, Iudices.) Interdum locus, & tempus vnà copulantur, vt pro Roscio Amerino, (Occiditur ad balneas palatinas, rediens à cœna Seruius Roscius.)

Pro Milone, (Fit obuiam Clodio ante fundum eius, hora ferè vndecima, aut non multò secus.

Quartò si cuiusque facti, & euenti caussa ponetur, erit probabilis narratio, caussarum enim explicatio fidem facit, vt

(Cur Clodius insidias Miloni fecit? quia occurrebat ei mancam, ac debilem Præturam suam futuram consule Milone.

Quintò, si testata dici videbuntur, vt pro Milone.

(Quin etiam Fauonio fortissimo viro quærenti ex eo qua spe fureret Milone viuo: respondit, triduo illum, ad summum quatriduo perituru: quam vocem eius, ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit.

Sextò,

Sextò, si cum hominum opinione, vt pro Roscio Amerino.

(De vita rustica, quæ vita maximè disiuncta à cupiditate & cum officio coniuncta.) & pro Milone, (fecerunt serui Milonis, quod suos quisque seruos in tali re facere voluisset.)

Septimò, si cum auctoritate coniuncta, vt pro Roscio Amerino.

Etenim rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur.

Authoritas verò maximam vim habet ad faciendam fidem, vel in eo, qui dicit, vel in eo, de quo dicitur. Nam auctoritas magna præditis hominibus facilius creditur, quia nulla est in eis mendacij suspicio, & quæ dicuntur de viro magnæ authoritatis, facilè probantur: vt si quis narret Catonem esse amantem patriæ, alienum ab auaritia, fortem, & constantem in negotijs, potest etiam auctoritas ad imperium referri, vt in Verrinis Cicero multa narrat, quæ Verres pro authoritate Imperij, quod gerebat, flagitiosè perpetrarat.

Octauò, si cum lege, vt pro Milone Cicero lege naturæ probat vnicuique licere vim repellere.

(Est enim (inquit) hæc, Iudices, non scripta, sed nata lex, &c.)

Nonò, si cum more, & consuetudine, vt in eadem oratione.

Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, vt omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent, &c.

Decimo, si cum religione coniuncta, vt ibidem.

(Iter solemne, legitimum, necessarium Miloni esse Lanuuium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuuij Milo.)

Vndecimò, si probitas narrantis significabitur, probis enim viris facilè credi solet. Ideò Aristoteles inter probationes artificiosas, moras etiam ipsius rei, si exprimantur, annumerat, vt pro Milone.

(Nihil dico quid Resp. consecuta sit, nihil quid vos, nihil quid omnes boni, nihil sanè id profit Miloni, qui hoc fato natus est, vt ne seipsum quidem seruare potuerit, quin vnà Remp. vosque seruaret.)

Duodecimò, si antiquitas, hoc est, orationis grauitas, quæ antiquitatem quandam, & venerationem præ se ferat, vt pro Milone.

(Qui non honoris gradum spectaret, vt cæteri, sed & Lucium Paulum Collegam effugere vellet, singulari virtute ciuem, &c.

Tertiodecimò, si memoria dicentis significabitur, nam ea quæ promptè, & memoriter narrantur, vera esse videntur, cùm autem quis hæret, & in dicendo vacillat, neque sibi constat: ficta loqui videtur, ideò prouerbio datur, mendacem esse memorem oportere.

Quartodecimò, si orationis veritas, hoc est, si antea solitus est vera dicere, probabile est enim, eum qui semper antea veridicus fuit, etiam nunc vera narrare; mendax autem id assequitur, vt neque cum vera dicit, ei credatur.

Vltimò, vitæ fides maximè probabilem orationem efficit, siquidem vita anteacta firmum quoddam testimonium est: scelestus enim, & improbus nullam fidem habet, probo verò homini facilè creditur: idcirco dicunt oratorem bonum virum esse oportere.

Quarta virtus Narrationis suauitas, in decem partes diuisa.

CAPVT XVII.

QVarta virtus suauitas, quam decem efficiunt.

Primò, admiratio, quæ tum excitatur, cum aut magna, aut noua, & inaudita dicimus. Magna, vt si quis narraret à Scipione adolescente defensum fuisse patrem, ac protectum, cùm Annibal eum vrgeret in prælio. Ita ostendit Cicero, magnum fuisse factum Cæsaris Octauiani, quòd adolescens, ac penè puer, exercitum veteranorum comparârit, patrimonium effuderit, & M. Antonij furori obstiterit; quin eiusdem factum ostendit esse nouum, & inauditum.

Multa, inquit, memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium sæculorum memoria tale cognoui.) Ita pro Aulo Cluentio, (O mulieris scelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditum.)

Secundò, expectationes concitatæ multum delectant, cum dubitant auditores: quò res sit euasura, vt pro Aulo Cluentio.

Summa omnium expectatio, quidnam sententiæ ferrent nummarij Iudices. Et cùm

essent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repentè est exorta mulieris importunæ nefaria libido, non solùm cum dedecore, verùm etiam scelere coniuncta.

Hac de caussa multi fiunt circuitus verborum, & præparationes in dicendo, vt maior expectatio concitetur, quod in Verrem frequentissimè Cicero facit. In comœdijs & tragœdijs expectationes rerum futurarum concitatæ magnoperè delectant.

Tertiò exitus inopinati, quando felices apparent, summam afferunt iucunditatem, quod ita Cicero affirmat.

At viri sæpè excellentes, ancipites, varijque casus, habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si verò exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimæ lectionis voluptate, tales sunt omnes comœdiarum exitus, hoc est, inopinati, & felices.

Quartò, suauis fiet narratio, si motus animi interponantur, nam vt ait Aristoteles, in omni animi motu inest quædam iucunditas. Cicero pro Aulo Cluentio de Sassia Cluentij matre.

Deinde ita flagrare cœpit amentia, sic inflammata ferri libidine, vt eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familię, non hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror, à cupiditate reuocaret, animum adolescentis, nondum consilio, ac ratione firmatum pellexit, &c.

Quintò colloquia personarum in narratione delectant, vt 3. in Verrem.

Quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filium tuum non intrò vocari iubes? (Et paulò post,) Tum ille, vt aliquid responderet, negauit moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte. Enimuerò ferendum hoc non est, vocetur mulier: & quæ sequuntur.

Sextò, dolores expressi delectant, inest enim quædam etiam in dolore iucunditas, vt pro Roscio Amerino.

Quod Amerinis eo vsque visum est indignum, vt vrbe tota fletus, gemitusque fierent, (Pro Aulo Cluentio.) In huius amantissimi sui fratris manibus, & gremio, mœrore, & lachrymis consenescebat.

Septimò, iracundiæ mouent delectationem. Siquidem Homerus iram canit effuso melle dulciorem. Sic Cicero pro Roscio Amerino.

Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quàm videre in Sexti Roscij optimi viri atque honestissimi bonis iactantem se, ac dominantem Titum Roscium.

Octauò, metus in narratione suauitatem afferunt, vt pro Roscio Amerino.

Vsque adeò autem ille pertimuerat, vt mori mallet, quàm de iis rebus Syllam doceri. (3. in Verrem.) Hæc vbi filio nunciata sunt, statim examinatus ad ædes contendit, vt & patris, & pudicitiæ sororis succurreret.

Nonò, lætitiæ faciunt iucundam narrationem, vt pro Cluentio.

Tum verò illa egregia, ac præclara mater palam exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit. (3. in Verrem,) Fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur, hospes hortatur, poscunt maioribus poculis, celebratur omnium sermone, lætitiaq; conuiuium.

Decimò, & vltimò cupiditates expressæ delectant, vt pro R. Amerino.

Hoc consilio atque adeò hac amentia impulsi, quem ipsi cùm cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt. (Pro Cluentio.) Sanguinem suum profundere omnem cupit, dummodò profusum huius antè videat. Et hæc suauitas in rebus.

In verbis suaue genus erit dicendi, primùm elegantia, & iucunditate verborum sonantium, & leuium, deinde coniunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disiunctos, atque hiantes, & sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiritum vocis apto, habeatq; similitudinem, æqualitatemque verborum.

Typus narrationis poëticæ.

Ex Libanio.

CAPVT XVIII.

Δηιάνειραν τὴν Οἰνέως ἐβούλετο μὲν γαμεῖν Ἡρακλῆς: εἶχε δὲ τὸν ποταμὸν Ἀχελῶον ἔρως κόρης. ὁ δὲ ἀμφότερα δεδοικὼς οὐδέτερον χαρίζεται, στήσας οὖν ἆθλον τὴν θηγατέρα διαγωνίζεσθαι ἐκέλευε, καὶ Ἡρακλῆς ἐν ἱκα παλαίων, τὸ κέρας ἀνασπάσας τοῦ ποταμοῦ, καὶ τὸ αἷμα ἔῤῥει ἀφ' οὗ Σειρῆνες ἐγένοντο. Deianira Oeneus.

Deiani-

DEianiram Oenei filiam petebat vxorem Hercules: at fluuius Achelous tenebatur amore virginis. Oeneus in vtroque timidus, in neutro gratificari: Iubet igitur, proposita filia, præmij loco, illos decertare: Vicit tum Hercules in lucta, defregitque cornu fluuij, de cuius profluente cruore natæ fuerunt Sirenes.

ALIA.

Hyacinthus

ΑΚούεις ἄνθος ὑάκινθον; τοῦτο ἦν πάλαι μειράκιον Αμυκλαῖον, καὶ καλὸν, ἐραστὰ δὲ αὐτοῦ γεγόνασι δύο, Ζέφυρός τε, καὶ ὁ Λητοῦς· ἐπεὶ δὲ ἐχαρίζετο τῷ θεῷ, βουλεύει φόνον ὁ ζέφυρος ἐπ' αὐτῷ, καὶ τηρήσας ἀφιέντα δίσκον, (ἐπαιδεύετο γὰρ Υάκινθος Απόλλωνι τὰ τοιαῦτα,) πνεῖ τε ἀπὸ τοῦ Ταϋγέτου, καὶ περιτρέπει τῷ μειρακίῳ τὴν βολήν· καὶ τὸ μὲν ἔκειτο· ἡ δὲ γῆ ἠλέει τὸ πάθος, καὶ ἀνήει τὸ ἄνθος.

AVdistin', de flore hyacinthi? Fuit olim adolescens ille Amyclęus formosus, habuitque amatores duos, Zephyrum, & Latonæ filium. Cùm autem Deo inseruiret, insidias illi struit, vt interfecturus, ventus, & obseruato tempore, quo discum eiecerat, (nam docebat hæc Hyacinthum Apollo) flat de Taygeto, & conuertit in adolescentem iactum, qui quidem ipse concidit: terra verò miserta illius florem produxit.

ALIA.

Alpheus. Arethusa.

ΕΡως ἅπτεται ποταμοῦ· πόθον οὖν ἐμβέβληκεν Αλφείῳ Σικελικῆς πηγῆς, Αρεθούσης τοὔνομα· πληγεὶς δὲ ἔρχεται δι' Ιονίου παρ' αὐτὴν, φυλάττων ἀμιγὲς καὶ ἐν θαλάττῃ τὸ ῥεῖτρον.

AMor tetigit amnem, immisitque cupiditatem Alpheo fonti Siciliæ, nomine Arethusæ. Itaque ille saucius fertur per Ionium mare ad ipsum. In mari etiam ipso inpermistum flumen seruans.

Typus narrationis ciuilis, in tenui charactere.

Cic lib. 2. de inuentione.

CAPVT XIX.

Est item elegans in

IN itinere quidam proficiscentem ad mercatum quendam, & secum aliquantùm nummorum ferentem est comitatus: cum hoc, vt ferè fit, in via sermonem contulit, ex quo factum est, vt illud iter familiarius facere vellent. Quare, cum in quandam tabernam diuertissent, simul cœnare, & in eodem loco somnum capere voluerunt; cœnati discubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur post inuentum, cum in alio maleficio deprehensus esset) cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animaduertisset, noctu, postquam illos arctius, vt fit, iam ex lassitudine dormire sensit, accessit: & alterius eorum, qui sine nummis erat gladium propè appositum è vagina eduxit, & illum alterum occidit, nummos abstulit, gladium cruentum in vaginam recondidit, ipse sese in lectum suum recepit: ille autem cuius gladio occisio erat facta, multo ante lucem surrexit, comitem illum suum inclamauit semel, ac sæpiùs, illum somno impeditum non respondere existimauit: ipse gladium, & cætera, quæ secum attulerat: solus profectus est. Caupo non multò post conclamauit hominem esse occisum, & eum quibusdam diuersoribus, illum qui ante exierat, consequitur: in itinere hominem comprehendit, gladium eius è vagina educit, reperit cruentum: homo in vrbem ab illis deducitur, ac reus fit.

hoc genere lib. offic. m. 58.

Typus narrationis historicæ, suauis, & Philologicæ.

Narratio de Leonibus, & Vrsa.

CAPVT XX.

Aelia. l. 3. de ani. c. 21.

ΛΕ'γει Εὔδημος, ἐν Παγταίῳ τῷ Θρακίῳ, κοίτῃ λέοντος ἐρήμῳ φυλακῆς, ἐπιστᾶσαν ἄρκτον, σκύμνους τοῦ λέοντος διαφθεῖραι, διὰ τὸ μικροὺς εἶναι ἔτι καὶ ἀμύναι σφίσιν ἀδυνάτους. ἐπεὶ δὲ ἀφέκετο ἔκ τινος ἄγρας ὅ, τε πατὴρ, καὶ ἡ μήτηρ, καὶ εἶδον τοὺς παῖδας ἐν τοῖς φόνοις, οἷα εἰκὸς ἤλγουν, καὶ ἐπὶ τὴν ἄρκτον ἴεντο· ἡ δὲ δείσασα εἴς τι δένδρον ἢ ποδῶν εἶχεν ἀνέθει, καὶ ἐκάθητο, τὴν ἐπιβουλὴν τὴν ἐξ ἐκείνων ἐκκλῖναι πειρωμένη. ὡς δὲ ἐδόκκυν τοῦ τῇ τιμωρήσασθαι τὸν λυμεῶνα, ἥκειν δεῦρο ἐνταῦθα· ἡ μὲν λέαινα οὐ

λείπει τὴν φολακὴν, ἀλλ' ὑπὸ τῷ πρέμνῳ ἑκάθητο ἐλλοχῶσα, καὶ ὕφαιμον ἄνω βλέπουσα· ὁ δὲ λέων οἷα ἀδημονῶν, καὶ ἀλύων, ὑπὸ τῆς ἀχθηδόνος, ὡς ἄνθρωπος, ἔτι καὶ τοῖς ὄρεσιν ἤλατο, καὶ ἀνδρὶ ὑλουργῷ περιτυγχάνει. ὁ δὲ ἔδεισε, καὶ ἀφῆκε τὸ πέλεκυν· τὸ δὲ θηρίον ὁ λέων ἐσαίνετο, καὶ ἑαυτὸν ἀνατείνας ἐπεδείκνυτο ὡς οἷός τε ἦν, καὶ τῇ γλώττῃ τὸ πρόσωπον ἐφαίδρυνεν αὐτῷ: καὶ ἐκεῖνος ὑπεδάρσησεν, ὅ, τε λέων περιβαλὼν οἱ τὴν οὐρὰν, ἦγεν αὐτὸν, καὶ ἀφιέντα τὸν πέλεκυν οὐκ ἔα, ἀλλ' ἐπήμανε τῷ ποδὶ ἀνελέσθαι· ὡς δὲ οὐ συνίει, ὁ δὲ τῷ στόματι ἐλάβετο, καὶ ὤρεξεν οἱ, καὶ εἵπετο ἐκείνῳ, ἄγει τε αὐτὸν ἐπὶ τὸ αὐλίον, καὶ ἦλέαρα ἦν, καὶ αὐτὴ προσελθοῦσα ἐπεσήμανε. καὶ ἔωρα οἶκτον, καὶ ἀνέβλεπεν εἰς τὸν ἄρκτον. συνιεὶς δὲ ὁ ἄνθρωπος, καὶ συμβαλὼν ἠδικῆσθαί τι τότε ὑπ' ἐκείνης, ὡς εἶχε ῥώμης τε καὶ χειρῶν, διέκοψε τὸ δένδρον, καὶ τὸ μὲν ἀνεζάπρη· ἡ δὲ κατωλίσθη, καὶ διεπάσαντο οἱ θῆρες αὐτίκα τόν τε ἄνθρωπον ὁ λέων ἀπαθῆ τε καὶ ἀσινῆ πάλιν ἐπανήγαγεν εἰς τὴν χῶρον οὗ πρότερον ἐτύγχανεν αὐτῷ. καὶ ἀπέδωκε τὴν ἐξ ἀρχῆς ὑλοτομίαν.

IN Pangæo, Thraciæ monte, Eudemus ait, vrsam, quo tempore leonis lustrum non ignorabat à defensoribus vacuum esse, huius catulos, qui se per ætatem nondum tueri poterant, interemisse. Mox parentes cùm alicunde ex venatu reuertissent, & leunculorum cædem factam vidissent, acerrimo, vt par erat, dolore pressos, vrsam insequutos fuisse: Hanc verò summo cum metu, quantùm potuit itineris contendentem, in primam quamque arborem conscendisse, ibi vt ab illorum insidijs declinaret, consedisse: Eam aurem illi cùm se viderent vlcisci non posse, leænam quidem continenter summa diligentia ad arboris trũcum insidias molientem excubasse; sursumque versus intentis oculis sanguinariam aspexisse: leonem verò, similiter atque hominem ex liberorum morte mœrentem, longè latéque summo cum dolore totis montibus errasse, dum materiarum fabrum offendisset: cuius è manibus magnopere exterriti, securim vbi is excidisse perspexisset, sese attollens, illum blandè & suauiter amplexabatur, linguáque illi faciem abstergebat: quam benignitatem homo sentiens, suis rebus fidere cœpit; leo hunc caudæ amplexatus ducebat: neque securim, quæ huius è manibus effluxerat, illum relinquere permittebat, sed pede suo securim tollendam esse ostendebat; cúmque eius significationem homo non intelligeret, securim leo ore accepit, mordicúsque tenens illi porrexit, ac denique illum ad lustrum suum, vbi constrati catuli iacebant, perduxit: id quod leæna videns, ipsa quoque ad eos profecta homini significabat, cladem miserabilem respiceret; atque postea sua significatione hunc impellebat suspicerer vrsam, vnde homo coniectura assequutus, aliquam hos ex hac grauem iniuriam accepisse, omnes neruos ad excindendam arborem contendit; quam cùm euertisset, vrsam præcipitem in terram delapsam feræ distraxerunt; hominem illæsum leo reduxit in locum, vbi priùs ei occurrisset; atque materiæ, quam à principio cædebat, illum inuiolatum reddidit.

Narratio de Elephanto, qui pro nutritio pugnauit.

CAPVT XXI.

Elephantus pro nutritio pugnat. Aelian. 4. l. 3. de animalib.

ΕΛέφας πάλαι περιτυγχάνει λευκῷ πωλευτῆς ἐλέφαντος Ινδός· καὶ παραλαβὼν ἑζόμενος ἔτι νεαρὸν, καὶ κατὰ μικρὰ ἀπέφηνε χειροήθη, καὶ ἐπωχεῖτο αὐτῷ, καὶ ἦρα τὸ κτῆμα, καὶ ἀντηρᾶτο· ἀνθ' ὧν ἔζεψε τῷ ἀμοιβὴν κομιζόμενος ἐκεῖνος. ὁ τοίνυν βασιλεὺς τῶν Ινδῶν πυθόμενος ἤ τι λαβεῖν τὸν ἐλέφαντα, ὁ δὲ, ὡς ἐρώμενος ζηλοτυπῶν, καὶ μὲν τοι περιαλγῶν εἰ ἔμελλε δεσπόσειν αὐτῷ ἄλλος, οὐκ ἔφατο δώσειν, καὶ ὤχετο ἀπιὼν εἰς τὴν ἔρημον, ἀναλεὼς τὸν ἐλέφαντα· ἀγανακτεῖ ὁ βασιλεὺς, καὶ πέμπει κατ' αὐτοῦ τοὺς ὑφαρπασομένους, καὶ ἅμα τῶν Ινδῶν ἐπὶ τῶν δίκην ἄξοντας· ἐπεὶ δὲ ἦκον, ἐπειρῶντο πεζῇ προσφέρειν. οὐκοῦν καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐβάλλεν αὐτοὺς ἄνωθεν, καὶ τὸ θηρίον ἀδικούμενον συνημύνατο· καὶ τὰ πρῶτα ἦν τοιαῦτα. ἐπεὶ δὲ βληθεὶς ὁ Ινδὸς κατώλισθε, περιβαίνει μὲν τὸν ζοφέα ὁ ἐλέφας, καὶ κατὰ τοὺς ὑπερασπίζοντας σὺν τοῖς ὅπλοις, καὶ τῶν ὁπόσων πολλοὺς ἀπέκτεινε, τοὺς δὲ ἄλλους ἐζέψατο· περιβαλὼν δὲ τῷ ζοφεῖ τὸν πρό-

προβοσκίδα, ἄρει τε αὐτὸν, καὶ ἐπὶ τὰ ἄυλια κομίζει, καὶ παρέμεινεν ὡς φίλῳ φίλως πιστὸς, καὶ τὴν εὔνοιαν ἐδείκνυτο. Ω ἄνθρωποι πονηροὶ, καὶ περὶ τράπεζαν μὲν καὶ ταγήνου ψόφον ἀεὶ, ἐπ' ἄριστά τε χορεύοντες, ἐν δὲ τοῖς κινδύνοις προδόται, καὶ μάτην καὶ εἰς οὐδὲν τὸ τῆς φιλίας ὄνομα κραίνοντες!

CVm Indus quispiam elephanti album pullum offendisset, atque hunc etiam tunc tenerum aluisset, & paulatim mansuefecisset, eóque deinde veheretur, & belluam amaret, & vicissim redamaretur ipse, ac simul suam elephantus educationem cum maximis amicitiæ officijs huic Indo compensaret: Indorum rex id intelligens, muneri poposcit sibi elephantum mitti: Is, vt vehementi riualitate flagrans amatoris, dolebat si hunc alius quàm ipse esset habiturus; itaque negans se daturum, vnà cum elephanto in desertissimam regionem perfugit: Rex autem id ægrè ferens, ad eum insequendum misit, qui Indo auferrent simul, & illum comprehensum ad pœnam reducerent. Cùm igitur eò venissent vbi erant transfugæ, comprehenderéque aggressi fuissent; ex superiori loco lapidibus eos homo appetebat, paritérque elephantus, vt iniuria insigni accepta, illorum impetum repellebat. Vbi autem Indus lapidatione facta percussus præceps deiectus fuisset, elephantus, hominum more acerrimè se tuentium, pro suo nutritio, quem corpore tegebat, cùm propugnauit, tum verò ex inuadentibus partem occidit, partem in fugam impulit: tum altorem promuscide circumplexus ad stabula inuexit, ac tanquam amicus permansit fidelis, amico beneuolentiam ostendens, qua admirabili suùm educatorem prosequebatur. O sceleratos homines, qui mensas, culinas, & sartaginum stridores sequuntur, & prandia quærunt in periculis autem amicitiæ iure temerè violato pollutóque, amicos deserunt.

Typus narrationis politicæ, stylo sublimi, & magnifico.

CAPVT XXII.

SEd vna apud Ciceronem Regina cæterarum Verrina 3. quæ incipit à topographiæ descriptione Lampsaci vrbis, in quam Verres aduenit.

Deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem, comitesque eius apud cæteros hospites collocantur; Vt mos erat istius, atque vt eũ suæ libidines flagitiosæ facere admonuerant, statim negotium dat illis suis comitibus nequissimis, turpissimisque hominibus, vt videant, & inuestigent, eequæ virgo sit, aut mulier digna, quamobrem iste Lampsaci diutius commoraretur. Erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines, qui miro artificio quocumque venerat, hæc inuestigare omnia solebat: is ad eum rem istam defert; Philodamum esse quendam genere, honore, copijs, existimatione facilè principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quòd virum non haberet, mulierem eximia pulchritudine, sed eam summa integritate, pudicitiáque existimari. Homo, vt hæc audiuit, sic exarsit ad id, quod non modò ipse nunquam viderat, sed ne audierat quidẽ ab eo, qui ipse vidisset, vt statim ad Philodamum migrare se diceret velle. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in se offenderit, hominem summa vi retinere cępit. Iste, qui hospitis relinquendi caussam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad stuprum cœpit: Rubrium, delicias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum, & conscium, parùm lautè diuersari dicit: ad Philodamum deduci iubet, quod vbi est Philodamo nunciatum, tametsi erat ignarus, quantùm sibi, ac liberis suis iam tum mali constitueretur, tamen ad istum venit, ostendit munus suum illud non esse: se cùm suæ partes essent, hospitum recipiendorum, tamen ipsos tantum prætores, & Consules, non Legatorum asseclas recipere solere. Iste qui vna cupiditate raperetur, totum illius postulatum, causamque neglexit, per vim ad eum qui recipere non debebat, Rubrium deduci imperauit. Hic Philodamus, posteaquàm ius suum cinere non potuit, vt humanitatem con-

suetudinem que retineret, laborabat. Homo, qui semper hospitalissimus, amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium inuitus in domũ suam recepisse: Magnificè, & ornatè, vt erat imprimis inter suos copiosus cõuiuium comparat, rogat Rubrium, vt quos ei commodum sit, inuitet, locũ sibi soli, si videatur, relinquat: vt etiam filium suum lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quendam mitteret ad cœnam. Tum Rubrius istius comites inuitat, eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. Maturè veniunt, discumbitur: fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur; hospes hortatur, poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone, lætitiaq; conuiuium. Posteaquam satis res Rubrio calere visa est: Quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intrò vocari iubes? homo, & qui summa grauitate, & id ætatis, & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto. Instare Rubrius: Tum ille, vt aliquid responderet, negauit moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius, ex alia parte; Enimuerò ferendum hoc non est, vocetur mulier, & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterent imperat: quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filiæ suæ vis afferretur, seruos suos ad se vocat, his imperat, vt se ipsum negligant, filiã defendant, excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nunciet. Clamor interea fit tota domo, pugna inter seruos Rubrij, atque hospitis, iactatur domi suæ vir optimus, & homo honestissimus, pro se manus quisque affert, aqua deinde feruenti à Rubrio Philodamus perfunditur. Hæc vbi filio nunciata sunt, statim exanimatus ad ædes contendit, vt & vitæ patris, & pudicitiæ sororis succurreret: omnes eodem animo Lampsaceni simul vt hoc audiuerunt, quod eo tum Philodami dignitas, tum iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes noctu conuenerunt. Hic lictor istius Cornelius, qui cum eius seruis erat, à Rubrio quasi in præsidio ad auferendam mulierem collocatus occiditur, serui nonnulli vulnerantur. Ipse Rubrius in turba fugiatur, iste qui sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua euolare, si posset, &c.

Hæc vna, vt optimum iuuentuti exemplar proponi potest.

Narratio, & hypotyposis pulchra, de pauperis filio, qui pro diuite amico pugnauit vsque ad necem in certamine gladiatorio.

CAPVT XXIII.

Pauperis filius pro diuite pugnat.

ALebat deuotum corpus grauior omni fame lagina, & inter debita noxæ mancipia contemptissimus tyro gladiator, vt nouissimè perderem calamitatis meæ innocentiam, discedebam quotidie scelus. Hæc tamen omnia sustinui, tuli, adeò difficile est etiam sua causa mori. Et iam dies aderat, iamque ad spectaculum supplicij nostri populus conuenerat; iam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant, sedebat sanguine nostro fauorabilis dominus, cùm cuiuis, vt interiecto mari, non fortunam quisquam nosse, non natales, non patrem poterat, vna tamen res faceret apud quosdam miserabilem, quod videbar, iniquè comparatus, certa enim arenæ destinabar victima, nemo munerario vilius steterat.

Quint. decl. 9. f. 26. p. 2.
Sagina gladiatoria.
Gladiatores tyrones discunt quotidie scelus.
Pompa gladiatoria.

Fremebant vbique omnia apparatu mortis, hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas, Hinc virgæ, inde flagella afferebantur, omnes piratas putares.

Gladiatorũ apparatus.

Sonabant clangore ferali tubæ, illatisque Libitinæ toris funus ducebatur ante mortem. Vbique vulnera, gemitus, cruor, totum in oculis periculum.

Si quid est in me abdicatione dignum, iudices, agnosco, quod in hæc amicum meum misi. *Est quidem felicibus diffimilis vera miserarum æstimatio*: figurate tamen qui tunc animus mihi, quæ cogitatio fuerit. Namque & natura redit in extremis tristis præteritæ voluptatis recordatio, & mihi cum generis conscientia, cum fortunæ conscius aliquando fulgor, cum liberales artes, cum omnia quondam honestiora munerario meo, domus, familia, amici, cæteraque nunquam videnda in vltima mortis expectatione succurrerent, tenenti seruilia arma, & ignominiosa morte perituro, tum (si vlla miseris fides est) quid horum omnium ignari agerent propinqui? nihil peius de fortuna mea suspicantes, quàm quod scripseram, illud tamen grauissimum, quòd patrem, qui tandiu non veniret, captum putabam. Ergo tota cos-

Voluptatis recordatio in miseris grauis.

ea cogitatione intentus in mortem expectabam cruentum illum confectorem. Quis enim dubitet quid futurum fuerit, si ego pugnassem: ille quoque occisus est, qui inter nos, vt apparet, fortior fuit.

His cogitationibus attonito, & in mortem iam pene demerso, inopinata subitò amici mei species effulsit. Obstupui, totumque corpus percurrit frigidus pauor, neque aliter, quam si vana obijceretur oculis imago, mente captus. At vbi primùm dux redijt, laxatumque est iter vocis, Quid tu, inquam, quo casu peruenisti huc miser? numquid & te vendidere piratæ? *Amicitiæ fidelis exemplum.* At ille complexus ceruices meas, effusis in pectus meum lachrymis solutus, intercepto propè iam spiritu, sero, iam trepidante me, primam vocem, & diu solam edidit, *satis vixi.* Et verò causas itineris reddidit, & venisse se ad redimendum indicauit. Et, vnde, inquam, tibi pecunia? nisi redieris in gratiam, & te pater meus misit?

Pulchra sustentatio. Audite gentes, audite populi, non solita iudicium nostrum corona circumsteti; sed si patitur natura rerum, totus ad cognitionem talis exempli orbis circumfluat. Tacete priora sæcula, in quibus tamen à primordio generis humani, pauci simæ amicitiæ paria admirabiliora fecerat longa temporibus nostris fides intercepta. quicquid historiæ tradiderunt, carmina finxerunt, fabulæ adiecerunt, sub hac comparatione taceant.

Amici pauperis generositas. Quis crederet, (si dubitari posset) inter duos amicos, quorum alterum immunem malorum omnium fortuna fecerat, alterum piratis, ac lanistæ tradiderat, meliorem conditionem fuisse captiui? si dues essem, inquit, pecuniam pro te attulissem. Quod vnum pauperibus præsidium est, manus habeo, piratis has daturus fui, has pro te in pugnam vicarias dabo.

Ignosce pater, quòd nimia contentione affectus, penè tibi orbitatis vulnus impresserim. Testor Deos, non per me stetisse quod viuo. Neque enim ita me efferarat ludus, aut in tantum durauerat animum longa cædis meditatio, vt eum amicum vellem occidi, qui pro me mori poterat. Vindicabam mihi fortunam meam, & adhuc necessitatis gladiator depugnare etiam volebam, neque vllis precibus poteram euinci, quanquam se non superfuturum alioqui minabatur, idque vnum affirmabat interesse, vtrum vicarium vellem habere mortis, an comitem.

Non vici: quid igitur actum sit quæritis? Duxit me ad munerarium, iudices. Quas ego illius preces, quam pertinaces lachrymas, quàm miserabilem obstinationem vidi! Nemo vnquam sic rogauit missionem. Transferuntur in illum detracta corpori arma, & malè aptatis insignibus festinatum par producitur. Quid me admonetis supremarum amici mei precum? quibus hæc alimenta, carò empta, inopi patris senecturi petita: adiutorium hoc ad causam putatis? me pudet, quòd rogatus sum; Per hanc, inquit, mihi, lucem vltimam, *Parentum cura.* per notissimam amoris nostri fidem, non sinas mendicare parentem meum, sustineas, adiuues, præstes affectum, si mereor, tu sis illi vicarius meus. Nec plura dicendi tempus fuit, iamque suprema per galeam dederam oscula, digressisque in diuersum ministris permissus Mars erat.

O quàm sollicitus spectaui, quàm attonita mente, quàm simili corporis motu. Quoties ad infestum mucronem, quasi ipse peterer, me submisi? Quoties ad conatus erectus sum.

O misera cogitatio, ô crudelis natura metus! meritò tu, amice, pugnare maluisti: Facinus indignum, illum animum, illum ardorem non contigisse castris, non bellicis certaminibus, vbi vera virtus, nulla pugnandi lege præmium scribitur.

Qua vi prælium inuaserat, iratus etiamnum tanquam aduersario meo, ad omnes callidè veterani gladiatoris æstu impetus excipiebatur, omnes contra se erant. Nec difficilem tamen sub illo præsertim auctoramento habuisset missionem, sed noluit gladiator viuere.

Igitur iam nudum corpus vulneribus offerens, vt totam propè mercedem semel solueret, stans perijt, cui licuit in patria, in domo, inter propinquos, securo consenescere æuo, cui tranquillam sine reprehensione, agere vitam, iacet confectus vulneribus, & primo iuuentutis flore perijt miser, fato meo:

At ego qui debebar illi fortunæ, quem mors sibi destinauerat, emissus ludo nocentior, quàm venditus, etiam viatico illius infelicis reuertor.

Narratio de Caio Canio.

CAPVT XXIV.

C. Canius, eques Romanus, nec infacetus, & satis litteratus, cùm Syracusis, otiandi causa, non negotiandi, vt ipse dicere solebat se contulisset, dictabat se hortulos aliquos emere velle, quò inuitaret amicos, & vbi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cùm percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusius, dixit, venales quidem se hortos non habere, sed licere vti, Canio, si vellet, vt suis. Et simul ad cœnam hominem in hortos inuitauit in posterum diem. Cúmque ille promisisset, tum Pythius, vt argentarius, qui esset apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se conuocauit, & ab ijs petiuit, vt ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam venit Canius, erat opipatè à Pythio apparatum conuiuium. Cymbarum ante hortulos multitudo, pro se quisque quod ceperat, afferebat; ante pedes Pythij pisces proijciebantur. Tum Canius: Quæso, inquit, quid esto Pythi? tantúmne piscium? tantumne cymbarum? Et ille: quid mirum, inquit? hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium; hic aquatio; hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit à Pythio vt venderet, grauatur ille primò. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus, & locuples, tanti quanti Pythius voluit, & emit instructos, nomina facit, negotiũ conficit. Inuitat Canius postera die familiares suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt, quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quòd eos nullos videret. Nullæ quod sciam, ille inquit, sed hic piscari nulli solent. Itaque mirabar heri quid accidisset. Stomachari cœpit Canius. Sed quid faceret, &c.

Cic. 3. Offic.

Narratio de Morte Socratis.

CAPVT XXV.

Hæc ille locutus, surrexit, & contulit se in conclaue quoddam ad lauacrum. Crito autem illum sequebatur, sed nos iussit expectare. Mansimus igitur disserentes de ijs, quæ disputata fuerant, eaque considerabamus inter nos. Interdum & commemorabamus calamitatem nostram, quanta nobis illa accideret; videbamurque planè non secùs ac parente priuati, reliquam vitam in orbitate traducturi esse. Posteaquam verò ille lauisset, apportatique essent ad eum liberi (habebat enim duos paruulos filios, & vnum grandem) adessentque iam familiares mulieres, collocutus cum illis præsente Critone, & datis mandatis, quæ voluerat, iussit mulieres & pueros discedere, venitque ipse ad nos. Atque erat iam propinquus occasus solis, diutius enim intus fuerat cõmoratus. Vbi autem aduenit, totus assedit, neque sanè multa posthæc locutus est. Tum affuit minister vndecimuirorum, coramque illo assistens: Non accusabo te, ô Socrates, inquit, eo quo alios nomine accusare soleo, qui irascuntur mihi & malum imprecantur, cum denuncio illis hauriendum esse venenum, coactus à magistratibus. Te verò cum toto hoc tempore cognoui constantissimum simul & mansuetissimum, & fortissimum virum omnium qui vnquam hoc in loco fuere: tum satis scio, non irasci mihi, sed illis quos scis esse authores huius rei. Proinde nunc (cur enim assim, nosti) & vale, & operam da, vt quæ ferre necesse est, quam minimè iniquo feras animo. Interque hæc lachrymans se auertit ac discessit. At Socrates adspiciens ad illum. Etiam tu vale, inquit, & nos faciemus quæ mones. Et mox ad nos: Quam vrbanus inquit hic homo est? Atque is toto hoc tempore me inuisere, & sæpè mecum colloqui, fuitque planè vir optimus. Quam verò constanter me nunc deplorat? Nos verò, Crito, pareamus illi, afferatque aliquis venenum, si iam est tritum. sin minus, terat ille. Ibi Crito; At ego inquit, ô Socrates, solem adhuc in montibus esse, neque penitus occidisse arbitror. Quin etiam scio, accepto nuncio quosdam valdè sero bibere, atque post cœnam demum, & potum largiorẽ, ac coniunctionem eorum, quorum quisque maximo desiderio tenetur. Quare ne festines, adhuc enim satis temporis suppetit. At Socrates, Iure hæc, inquit, Crito, ab istis fiunt, quæ commemorasti: lucrum enim inesse arbitrantur, egoque iure facturus non sum. Nihil enim lucri facturus videor, cum paulo tamen post bibero, nisi vt ipse me ridiculum esse iudicem ob vitæ cupiditatem, quique iam parcam illi deficienti. Ito igitur, & morem mihi gere, caueque aliter facias. His auditis, Crito innuit propè astanti puero; qui egressus, & plus-

culum

culum temporis foris commoratus, redijt, adducens eum, qui oblaturus venenum erat, quod apportabat in calice tritum. Eum conspicatus Socrates, age, inquit, vir oprime, nam tu harum es peritus, quid nunc agendum est? Nihil aliud, inquit, quam potus vt obambules, donec grauari crura senseris, deinde accumbes, atque reliqua ipsum aget. Simulque porrexit illi calicem. Hic verò accepto illo, mi Echecrates, minimè turbatus, sineque trepidatione, immutato & colore & vultu, sed vt consueuerat, toruum obtuens ad illum: Quid narras, inquit, de hoc poculo? Verum alicui hinc libare quicquam licet, an nõ licet? Tantum, inquit, ô Socrates, miscemus, quantum ad mediocrem hanstum satis esse existimamus. Intelligo, inquit ille, Deos quidem certe precari licet, vt hæc hinc migratio illuc felix eueniat, id quod & precor & ego opto. Atque hæc locutus, paululumque moratus, admodum expeditè sineque omni difficultate exhausit. Nostrum quidem plerique ægre hactenus lachrymas continere potueramus. Vbi verò & bibentem vidimus, & exhaustum iam venenum esse, vincebamur plane, mihiq; ipsi adeo vi lachrymarum flumen quoddam erumpebat. Itaque obnolutus deplorabã me ipsum; non enim illum sane, sed fortunam meam, qui tali amico priuatus essem. At Crito ante me cum lachrymas continere non posset, surrexerat. Sed Apollodorus dudum etiam lachrymari non cessauerat. Tum verò inter lachrymas fremens & indignans, nemini non fletum mouit, præter quidem Socratem, qui, Quid agitis, inquit, inepti? Ego enim certè, non minimam hanc habui causam, cur mulieres ablegauerim, ne in hunc modum delinqueretur. Nam audiui fauendum esse linguis, mortis tempore. Proinde quiescite & perdurate. Quæ cũ audiuissemus, pudore affecti repressimus lachrymas. Ille verò cum aliquantisper obambulasset, cumque iam diceret crura grauari, reclinauit se supinum: id enim minister veneni iusserat, isque attrectans simul cum, paulo post inspiciebat pedes & crura. Deinde vehementius premens pedem, rogauit an sentiret; hinc perueniit ad tibias, atque ita ascendens, demonstrauit eum iam frigescere & rigescere. Iterumque attrectans. Postquam, inquit, cor attigerit, tum interibit. Iamque adeò propemodum frigus supra inguinem euaserat, atque ille remotis vestibus, quibus fuerat obuolutus, quod quidem postremum fuit locutus, Æsculapio, inquit, ô Crito, gallum debemus: quem videte vt reddatis, atque cauete ne hoc negligatur. Ita erit, inquit Crito. Sed nunquid aliud imperas? Hoc interroganti nihil magis ille respondit. Hic finis ô Echecrates, fuit amici nostri, viri, vt dicere possum, eorum qui nobis noti fuere, omnium & fortissimi & sapientissimi, & iustissimi.

Sunt & aliæ narrationes perelegantes. quales sunt de fraudibus Philænis apud Sallustiũ, & de Zopyro apud Liuium.

De Confutatione, & Confirmatione.

CAPVT XXVI.

DIctum est superius satis copiosè de argumentis, nunc confutationis modum doceamus. Confutantur argumenta multis modis, vel ipsius Aristotelis testimonio. *Confutationis quinque modi.*

Primò, ἐξουθενισμῷ, hoc est, contemptu, quãdo contemnimus, & nihili facimus aduersariorum dicta: sic ferè totam Cœlij accusationẽ Cicero voluit videri magis iras & iurgia diffidentium in amore, & amantium querimonias, quam vera crimina.

Secundò, *hypocrisi*, hoc est, actione, vultu, gestu, & vocis sono: tale est illud:

Cantando tu illum, aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit?

Tertiò, *increpatione*, vbi crimen aliquod maximè alienum, vel ipsa iudicum opinione, cum indignatione reijcitur, vt, Dij te perdant fugitiue, qui ista obijcis.

Quartò, *antistrophe*, seu compensatione, cùm afferimus rem, vel parem, vel maiorem: talis est disputatio pastorum apud Virgilium, vbi vnus quidem mouet quæstionem:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius vlnas.

Alter non dissoluit, sed noua quæstione aduersarium capere nititur.

Dic quibus in terris, inscripti nomina regum,
Nascantur flores?

Quintò, *apoplanesi*, hoc est, deductione, & fallacia, cùm Iudicem vel auditorem à re nobis

contraria deducimus, quando pollicemur de eo quod obiectum est, nos alio loco esse dicturos, & ita sensim elabimur, auditorumque animos ab eo, quod nos premebat, ad aliarum rerum vtilem consideratione traducimus, quod sæpè facit Cicero.

Sextus est communis confutandi modus, si negentur falsa, vt à nostra opinione, consuetudine, à personis, à rebus, à testimonijs aliena, ostendanturque absurda, repugnantia, contradicentia, distinguantur dubia, illustretur obscura, caussæ & rerum, & factorum afferantur.

Prudentia in confutationibus seruanda.

Quæres, quis tandem vsus, aut modus confutationis optimus censeatur: Habenda est in eo rerum, personarum, & temporum non leuis ratio. Multa indignatione, multa risu, multa interrogationis alicuius vrbanitate tela aduersariorum sunt persæpè feliciter heberata, quæ rationum multitudo nunquam euicisset: imò ea sæpè obijciuntur, in quibus refellendis, si te pugnacem ostenderis, altiùs facti suspicionem defiges mentibus auditorum: Prolepses etiam, & excusationes non petitæ, sæpè accusationes fuerunt.

Videndum igitur diligenter, quid oratoria prudentia præciperet.

Nonnunquam personæ sunt tantæ authoritatis, & sanctitudinis, vt vel silentio, vel vno saltem verbo satis luculentam per se faciant apologiam.

Liu. l. 8. bell. Mac. Scipionis Africani auctoritas admirabilis.

Scipio Africanus, cùm ab accusatore quodam importunè, & præseruidè posceretur, multisque insuper delictis oneraretur, ad longam accusationem respondit:

Confutatio qua vsus Scipio, mirabilis.

[Hoc die, Tribuni plebis, vosq; Quirites, cum Annibale, & Carthaginensibus, signis collatis, bene, ac feliciter pugnaui. Ego hinc extemplò, in Capitolium, ad Iouem optimum maximum, Iunonemque, & Mineruam, cæteros que Deos, qui Capitolio, atque arci præsident, salutandos ibo, vsque gratias agam: Vestrum quoque, Quirites, quibus commodum est, ite mecum, & orate Deos, vt mei similes principes habeatis.]

Nihil obiecit, nihil purgauit, totam tamen secum traxit multitudinem, & calumniatorem nequicquam latrantem, luculenta plaga percussit. Hæc authoritatem Scipionis decebant, qui, vt generosissimus leo, canem non putauit sua dignum iracundia.

Confutatio Sophistarũ.

Alij procaces Sophistas, & omnibus infestos, arguta nonnunquam interrogatione, aut parasyllogismo cœperunt, ijsque frustrà captioso orationis ambitu nitentibus securim iniecerunt. Iuuant talia nonnunquam, si commode stant, & pro decoro personarum. Sed istis omissis, vbi res ea indicatur, quæ legitimum certamen requirat, tum confutationi pugnaciter insistendum.

Et primum quidem intentatæ ab aduersario petitiones sunt proponendæ, quas nonnulli sæpè de industria dissimulare, eleuare, & in amb guas sententias trahere solent, quod ego malæ fidei, & apud acutos auditores, nanumque aduersarium, minus securum arbitror. Is enim statim iustam querelam infert, sua infert, sua inuerti, se obtorto collo trahi, non esse hanc suam mentem, parum fideliter agi. Itaque ipso statim limine refutantis perichlitatur fides, & quicquid malè iactis fundamentis astruitur, leuissimo ictu concidit. a Leoni (inquit Apologus) homo quispiam picta, fictaque leonum simulachra ostendebat, valentissimi cuiusdam bestiarij calcata pedibus, & sui generis robur prædicabat. Tum verò leo; Fabulæ sunt, inquit, ista, quid si leones pingere, fingereque didicissent, quot homines videres leonum pedibus compressos, atque subiectos. Haud dissimiliter euenit in ijs, qui leues quasdam, & ficulneas aduersarijs rationes affingunt, de quibus ipsi nunquam cogitarunt: Hinc in confutando diserti sunt, & planè magnifici.

In confutationibus sunt falsa aduersarijs imponenda. Confutatio multiplex. Simile de ijs qui affingunt ea quæ confutent.

Sed hæc præuaricationis potiùs sunt, quam iusti certaminis, nec apud graues viros licent, ne in eos quidem, *Quorũ Flaminia tegitur cinis atque Latina.*

Confutatio syncera.

Hanc ob rem, qui suæ in refutando syncerit atis plenius dare volunt indicium; ipsa plerumque aduersariorum verba ex scripto recitant, & præfigunt, deinde confutant, sed non est semper necesse in eosdem iurare apices, modò fideliter sensus assequamur. Postquam obiecta peritio est, sequitur confutatio, quæ tota ex locis argumentorum coalescit. Ea censetur autem optima, cùm excurrit per ea capita, quæ Græci Rhetores ἀναχόλυθον ἀδύνατοι, ἀσαφὲς, ἀπίθανον, ἀπρεπὲς, ἀσύμφορον appellant. Ἀναχόλυθον robustissimum est confutandi genus, quo velim primùm si fieri possit aduersarium feriri. Dicitur enim inconsequens, seu repugnans: quod fit, cùm ex aduersarij oratione multa passim dicta colliguntur, quæ conciliari nullo modo possint, sed

Confutandi genera multa.

sed manifestam inter se contentionem habeant. Tum certè non leuis plaga infertur, cum is non tantum nobiscum, quam secum pugnare ostenditur.

Eiusdem generis est ἀδόνατον, vbi quod factum obijcitur, fieri non potuisse, aut esse, firmis rationibus addicitur, quæ à natura, & caussis rerum, cæterisque similibus sumuntur, si hæc probari non possunt, enitendum est, vt saltem ἀπίθανον, res minus probabilis hoc loco, hoc tempore, his personis fuisse videatur.

Item, si ab aduersario minus dilucidè collecta sunt argumenta, exagitandæ erunt eius coniecturæ, quod incerta pro certis, obscura pro notis, falsa pro veris afferat. Non esse rem, quæ geritur, tam parui momenti, vt leuissimis figmentis sit permittenda.

Accedunt ἀπρεπὲς & ἀσύμφερον, quæ non tantam vim habent, ac superiora, commodè tamen nonnunquam adhibentur, vbi res, quæ obijcitur, primum à dignitate personæ aliena, deinde minimè lucrosa, aut commoda.

Cassius. Postremò etiam damnosa ostenditur, solebat enim Cassius vetus illud quærere; *Cui bono.*

Confutationis ordo. Ordo autem confutationis à prudentia Oratoris melius præscribetur, sæpè minuta quędam obiecta, quasi leuioris armaturæ milites, in primo agmine conciduntur, mox ad grauiora deuenitur. Sæpè quæ maioris sunt ponderis, prius confutatur: quibus expugnatis, tenuia quæque facilè concidunt. Nonnunquam caput illud percellitur, cui cætera, quasi per annulos catenarum nexa cohærent, exinde reliqua nullo negotio dissuuntur.

Pugnatur aliquando cæsim contrà multas, & exiles rationes, aliquando diductiùs res vrgetur, & quò plus caloris, & spiritus habeat confutatio, bene tractatur per dialogismos, ironias, subiectiones, concessiones, ratiocinationes, ἐνστάσεις concisè vibratas propositiones, & similia, quibus vis, & ardor oratoris magis incalescit.

Confirmatio. In confirmatione contraria est ratio eorũdem argumẽtorum, cæteroqui per idem propè filum extenditur, quanquam magnum discrimen habendum est confirmationis demõstratiuæ, & iudicialis: Illa siquidem, cum de ijs rebus agat sæpius, quæ omnibus probatissimæ sunt, florem, ornatum, & gratiam spectat potius, quàm contentiosam probationẽ.

Hæc magis instat rebus, & argumentis, & prudenter quidem facit, si minuta, & quæ facilè ab aduersarijs vellicari possunt, amputat.

Ea autem maximè in primis, & vltimis ordinibus opponit; quæ robustissima sunt, quæque primas aggressiones, vt plurimum vehementiores, firmè sustinent.

Vtitur autem vtraque, tum confutatio, tum confirmatio, telo argumentationis, cuius variæ sunt species.

NN.

a *Hoc Diuus Dionysius Areopagita, capite octauo de diuinis nominibus vocat* πρὸς τοὺς ἀπόντος ἀνδρείως συναμαχεῖν.

De ratiocinatione, & inductione.

CAPVT XXVII.

RAtiocinatio disputatorum telum est proprium; & si ea minus expressè oratores, magna tamen dexteritate vtuntur. Nam, & orationes plerunque totas in syllogysmo fundatas esse videas. Itaque non simpliciter, & nudè propositiones exeant oportet, sed alijs insuper argumentis confirmentur, passimque figurarum illustrentur ornamentis, ipsa denique conclusio satis per se intellecta latenter per varios motus, quasi per cuniculos in animum irrepat.

Inductio familiarissima est oratoribus, & ad ornandum illustrissima. Audi illam Senecæ, quam magnifica est.

Nauis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis, ac opibus regiis pressa est, sed stabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & consentiens vento. *Sen. ep. 76. Inductionis insigne exemplum.*

Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui & ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. *Virtus solè hominem facit.*

Regula non quam formosa, sed quam recta sit quæritur.

Eo quodque laudatur, cui comparatur quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis salutetur,

quàm pretioso incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, sed quàm bonus sit.

Hæc suauiter instillantur, probantque simul, & delectant: tum si rerum, quæ inducũtur, magna sit multitudo, latissimum præbent campum orationis.

Talem inductionem inuenies apud Tertullianum, libro de pallio cap. 2. vbi à cœlo, elementis, hominibus, &c. probat omnia mutari.

Eiusdem generis sunt exempla, quorum vsus frequens, probatio facilis, & efficax, nec impar delectatio, vt non immerito dicatur longum iter esse per præcepta; breue, & efficax per exempla; & vt ait Petrus Diaconus apud D. Gregorium, dialog. l. 1.

Exempla vtilia. *In expositione virtutum qualiter inuenienda, atque tenenda sit virtus agnoscimus, in narratione verò signorum cognoscimus inuenta, ac retenta, qualiter detineantur: Et sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cœlestis plus exempla, quàm prædicamenta succendunt.*

In omni genere orationis hæc argumentatio plurimum valet. Nolim tamen quod plerique faciunt, multorum exemplorum farraginem afferre, sed delectu, & parcitate temperare.

De enthymemate.

CAPVT XXVIII.

ENthymemata & epicheremata Rhetorum sunt iacula: Atque enthymematis quidem magnus est vsus, cum præsertim omnes ingenii notiones, & sensa à Græcis vocentur enthymemata. Nec alia fuit mẽs Alcidis, cùm ἐνθυμάτων & συνθημάτων εὐτοκίαν nominauit, inuentionum fœcunditatem sermonisque vberem facilitatem.

Cic. in Topicis. Magis arctè dicuntur Enthymemata, quæ sunt ex contrarijs conclusa, vt enim illa acutissima sunt, sic enthymematis nomen κατ' ἐξοχὴν sibi vendicant. At verò, nec pressius sumpta, nec latius, vulgò vocantur enthymemata argumentationes ex propositione, & conclusione conflatæ, vt, insidiator fuit Clodius, igitur iusta nex homini illata.

Oratores qui circa hypotheses versantur, plerumque maiorem propositionem, vt notam, & communem omittunt, in minori verò toti sunt, & sic syllogismos traducunt ad enthymemata.

De epicheremate.

CAPVT XXIX.

EPicheremtis nomen, si ratio ipsius spectetur, omni argumentationi commune est, & Alexander quidem in Topic. li. 8. ἐπιχείρημα ait esse syllogismum dialecticum. Valgius aggressionem vocat: Celsus autem indicat, non nostram argumentationis tractationem, & œconomiam, sed ipsam rem, quam aggredimur, id est, argumẽtum, quo aliquid probaturi sumus, etiamsi nondum verbis explanatum, iam tamen mente conceptum ἐπιχείρημα dici. Verùm discrimen istud tenue est, & imbecillum, cùm non inchoatas tantum, sed omni ex parte perfectas argumentationes epicheremata nominari constet. Vsus obtinuit apud Rhetores, vt dicatur breuiter comprehensa ratiocinatio: cuius tres partes in vnius veluti propositionis corpus coalescant. Neque enim opus est omnia semper dilatare multis. Verbum intelligenti sat est. Epicheremma quid?

De dilemmate.

CAPVT XXX.

DIlemma quod definitur à Suida, τὸ διχῶς λαμβανόμενον ἐρώτημα. argumentum ab vtraque parte concludens aduersarium, plurimum ad confutationes valet, vt, Si improbus est, cur vteris? sin probus, cur accusas? Ad hoc genus pertinet ἀντιστρόφους, quæ ex vtraque parte conuertuntur.

Dilemma Aristotelis. Aristoteles Rhetoric. li. 2. huiusmodi proponit exemplum;

Sacerdos quædã dissuadebat filio, ne quando verba faceret ad populum. Nam si iniusta, inquit, suaseris, Deos habebis iratos; sin iusta, homines. Id hoc pacto retorsit adolescẽs, Imò expedit orationem habere apud populum, quandoquidem si iusta dixero, Dij me amabunt: si iniusta, homines.

Dilemma Protagoræ. Talis Protagoræ, & Euathli captio. Hic cùm se illi in disciplinam Rhetorices tradidisset, grandi mercede pactus, ea lege, vt primo dicẽdi tyrocinio apud iudices cuinceret; iam bellè eruditus mercedem negat. Dicẽ illi dicit

Protagoras. Euathlus.

dicit magister. Et debes, inquit, Euathle, mercedem, si vicero, vt condemnatus; si viceris, vt pactus. At versutus discipulus, *Mali corui malum ouum*, ἀντιστρέφον reddidit: Imò si vicero, ex iudicum sententia solutus, & liberatus sum; si vincor, ex pactis nihil debeo, ea condtione tibi obstrictus, vt in prima caussa palmam referam.

De Sorite.

CAPVT XXXI.

Cauillatio quid?

SOrites, quem Cicero acerualem syllogismum lib. 2. de diuinatione appellat: minus est apud oratores frequens, & ad captiosas quæstiones magis accedit. Quin inter cauillationes numerat Vlpianus de verborum, & rerum significatione.

Natuta Cauillationis (inquit) quam Græci σωρείτην appellauerunt, hæc est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

Hipparchia. Fraus Hipparchia.

Sic Hipparchia Cratetis Cynici vxor Theodoro ἀθέῳ illusit. Potest Hipparchia præstare quod est honestum. Annuente illo, Quicquid est iustũ, inquit, & honestum est: quo vicissim concesso, quod non est iniustum, hoc iustum proculdubio est: Esto, inquit Theodorus: Tum virago, quod faciens Theodorus nõ diceretur iniustè agere: idem si faciat Hipparchia, non diceretur iniustè agere. Quũ annuisset ille, subiecit: Sed Theodorus seipsum percutiens, non diceretur iniustè agere. Nec igitur Hipparchia, si idem faceret. Ad hoc Theodorus nihil respondit.

De Cornibus, Crocodilo, & Electra.

CAPVT XXXII.

Est in hoc genere σοφισμάτων τοῦτις Apud Homerum 9. Odyss. Lucia. in vitar. auction.

INter captiosas argumentationes numerãtur Cornua, vt, Quod non amisisti, habes: Centum aureos non amisisti, igitur habes.

Crocodilus ἄμαγος, καὶ βίαιος συλλογισμὸς, per irrisionem tamen, vocatur in Vitarum auctionibus: de quo ita Chrysippus disserit cum Mercatore.

Vide ergo, estne tibi puer? Quidni? Quid si hunc ad flumen fortè ambulantem Crocodilus rapiat, posteà severò redditurum polliceatur hac lege, vt illi verum dicas, quidnam de puero reddendo apud se decreuerit: quid tu dices ipsum in animo constituisset πρίων siue serra aliter appellatur.

Has igitur nugas profitebatur huiusmodi Syllogismus.

Electra verò dicitur, Captio, vbi quis quidpiam arguitur simul nosse, & non nosse; facere, & non facere. Dicta est ab Electra filia Agamemnonis, quæ eandem rem simul & notat, & non notat. Astante enim illi Oreste adhuc incognito, sciebat quidem Orestem suum esse fratrem, ipsum autem præsentem ignorabat. Illæ sunt sutelæ compositionis, & diuisionis, amphibologiæ à dicto secundum quid, & similia à pueris iam irrisa, quæ nihil ad oratores attinẽt: inter quos, & dialecticos magnum discrimẽ est. Hi enim ἀκανθολογοῦντες punctim tractant omnia. Illi vestiunt ornamentis, & animant motibus.

In deliberatiuo porrò, & iudiciali genere tota fermè confirmatio petitur ex adiunctis.

In demonstratiuo motum spectat potiùs, & delectationẽ, quam probabilitatem, quod plerumque de ijs rebus agitur, qnas negare possit nemo, vel quæ saltem multis honestæ, & laudabiles videantur.

Exempla confutationis.

Exemplum ex Gorgia Leontino, acutum, & velox, antea libatum, nunc expressiùs notatum.

Palamedes crimen proditionis diluit.

CAPVT XXXIII.

E Græco expressum.

PRoditionis initium aliquod fieri oportuit, & id per colloquium, occultarum enim rerum index est oratio, quo pacto autem colloquium fuisset inter nos sine congressu? qui verò congressus esse potuit, cùm nec ego ad illum venerim, nec ipse ad me vnquam venerit, nec literæ sine tabellario vllæ a nobis vltrò, citroque mitti potuerint? sed finge congressum, finge etiam inter nos mutuum colloquium. Quid deinde collocutus est Græcus cum barbaro? quomodo dicẽs, & audiens, an solus cum solo? sed nul-

lum est nobis linguæ commercium. Atqui factum est per interpretem: iam tertium nobis statuis iudicem eorum, quæ maximè occulta esse oportebat. Sed esto, factum fuerit, quod tamen est infectum; fidem dare, & accipere vicissim nos oportuit; & quænam ista fides? Iusiurandum dices? quis verò mihi proditori, vel iurato credidisset? ac obsides dati: qui? frater vnum habeo, præterea neminem, quem neque imprudentibus vobis dare, neque ab hoste vllum filium, aut affinem accipere potui. Esto, pecunia, inquit, tentata res est, & perfecta; virum grandi, an exigua? exiguam tanta res non capiebat, grandem: multos asportare oportuit, & tot cõiurationis testes fieri, verum & de istis scire velim, pecuniam an interdiu tulerint, an noctu? noctem variæ, & multiplices vallant custodiæ, quas ne musca quidem declinaret: die, opinor, sed lux istis sceleribus aduersatur. Esto & illud, quanquam absurdum, & iniquum concedatur: in castra hostium penetraui, pecuniam cœpi, aut ad me ab hoste delata est, qui potui ego circumstantem exercitum, & sexcentos oculos latere? age iam, quo pacto istam, quam dicis, pecuniam recondidi, quo pacto seruaui? vsus ego sum? non latuissem, defossam reliqui: nihil profuisset: concedantur tamen omnia, quæ assumis, quãquam inceptissima sunt; conuenimus, colloquuti sumus, pecunias accepi, latui, recondidi: oportebat me, quod caput est rei, proditionem perficere? solus ego perfecissem, nõ est opus, vt scitis, vnius. Conspiratum mecum alij: qui? seruine, an liberi? si quis vestrum, quotquot estis ingenui, resciuerit, ante iudices deferat; seruorum igitur opera vsus sum? infida res, Dij boni! & non satis efficax: quid tum? cum seruili manu mille naues prodidissem: alios, inquit, induxisses, difficile est vobis superiores inueniri, sed vnde adduxissem, quomodo intromisissem? per portas? Principes claues habent, & seruant vigilantissimè, per scalas? quàrum sint omnia propugnacula militibus circumsepta? diruissem, inquit, murũ; & tum credo custodiæ, quasi statuæ æneæ me spectassent otiosè? omninò incredibile est.

Hactenus arbitror absolutum confutationis exemplum esse propositum.

Expenduntur varia exempla confutationum.

Ex Cicerone, cuius mirifica cum pugnacitate notatur suauitas.

Modus confutationis, per conglobatas rationes, magna vi, & celeritate vibratas, ad persuasionem, & motum efficax.

CAPVT XXXIV.

CIcero, pro Cœliõ.

Quid expectatis amplius? an aliquam vocem putatis, ipsam pro se causam, & veritatem posse mittere?

Hæc est innocentiæ defensio, hæc ipsius causæ oratio: hæc vna vox veritatis. In crimine ipso nulla suspicio est, & in re nihil est argumenti: in negotio, quod actum esse dicitur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis; nemo testis, nemo cõscius nominatur: totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinorosa, ex libidinosa domo: domus autem illa, quæ tentata scelere isto nefatio dicitur, plena est integritatis, officij, religionis, ex qua domo recitatur vobis iureiurando deuincta authoritas, vt res minimè dubitanda in contẽtione ponatur, vtrum temeraria, procax, irata mulier finxisse crimen, an grauis, sapiens, moderatusque vir religiose testimonium dixisse videatur. Reliquum est igitur crimen de veneno: cuius ego, neque principium inuenire, neque euoluere exitum possum. Quæ fuit enim causa, quamobrem isti mulieri venenum vellet dare Cœlius? ne aurum tederet? num petiuit, ne crimen hæreret? num quis obiecit? num quis denique fecisset mentionem, si hic nemini nomen detulisset? quin etiam Herennium dicere audistis, verbo se molestum non futurum fuisse Cœlio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Credibile est igitur, tantum facinus, nullam ob causam esse commissum: & vos non videtis, fingi sceleris maximi crimen: vt alterius causa sceleris suscipiendi fuisse videatur? cui denique commisit: quo adiutore vsus est: quo socio: quo conscio? cur tãtum facinus, cui se, cui salutem suam credidit: seruisne mulieris? sic enim obiectum est. Et erat tam demẽs hic, cui vos ingenium certè tribuitis. Etiamsi cætera

cera inimica ratione detrahitis, vt omnes suas fortunas alienis seruis committeret? At quibus seruis? refert enim magnoperè idipsum: hisne, quos intelligebat, nō cōmuni conditione seruitutis vti, sed licētius, liberius, familiarius cū domina viuere? quis enim hoc nō videt, iudices? aut quis hoc ignorat, in eiusmodi domo, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit: in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia versentur: hic seruos non esse seruos? quibus omnia committantur? per quos gerantur? qui versentur ijsdem in voluptatibus? quibus occulta credantur? ad quos aliquantum etiam ex quotidianis sumptibus, ac luxuria redundet? Id igitur Cœlius non videbat? si enim tam familiaris erat mulieris, quam vos vultis: istos quoque seruos familiares esse dominæ sciebat. Sin ei tanta consuetudo, quanta à vobis inducitur, non erat: quæ cum seruis potuit esse familiaritas tanta? Ipsius autem veneni, quæ ratio fingitur? vbi quæsitum est? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? habuisse, aiunt, domi, vimque eius esse expertum in seruo quodam, ad rem ipsam parato: cuius perceleri interitu esse ab hoc comprobatum venenum. Pro Dij immortales! cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conuictis, aut præsentis fraudis pœnas in diem reseruatis?

N. N.

1. Primùm nota vt ipse aditu acer est, & sibi instans, hoc exemplar esse poterit initiorum confutationis. II. Vt subiectio in istis multum habet acrimonia, & γοργότητος, ea præclarissimè vtitur. III. Telorum sit turbo, & velox quadam emissio, vt tanto oratori iure quis acclamet Cάλλ' οὕτως. IV. In hoc pugnacitatis calore, afferguntur etiam ornationi, compti quidam sales, hominis ingenio accommodatissimi.

Modus confutationis per expeditionem.

CAPVT XXXV.

OCcurrunt nonnunquam multa leuia confutanda, in quibus diu non est immorandum, sed singula carptim perstringenda, quo in genere nexus, & transitiones sunt, plerunque difficiliores, exempla talia sunt in Cicerone pro Plancio. Quæsisti vtrum mihi putarem, equitis Romani filio, faciliorem fuisse, ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari? Ego verò quanquam illi omnia malo, quam mihi, tamen illi honorum aditus nunquam feliciores optaui, quam mihi fuerunt, quin etiam ne fortè ille sibi me potius peperisse iam honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putet. Hæc illi sòleo præcipere (quanquam ad præcepta ætas non est gnati) quæ ille à Ioue ortus suis præcipit filijs: vigilandum est semper. Multæ insidiæ sunt bonis. Nostis cætera, quæ nonne, id quod multi vident, quæ scripsit grauis ille, & ingenioſus poëta: scripsit, non vt regios illos pueros, qui iam nusquam erant, sed vt nos, & nostros liberos ad laborem, & laudem excitaret? Quæris quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius? Magis ædilis fieri non potuisset: sed hoc præstare, quod ei minus inuideretur. Etenim honorum gradus summis hominibus, & infimis sunt pares: gloriæ dispares. Quis nostrum se dicit M. Curio, quis C. Fabricio, quis P. Duellio parem? quis Atilio Calatino? quis C. & P. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo eosdem summos honorum gradus, quos illi assecuti. Est enim in virtute multis ascēsus: vt in gloria maximè excellat, qui virtute plurimum præstet. Honorum populi finis est, consulatus: quem magistratum iam octingenti ferè consecuti sunt. Horum si diligenter quæras, vix decimam partem reperias gloria dignam. Sed nemò vnquam hic egit, vt ea. Cur iste sit Consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui ciuitatē dominatu regio liberauit? Honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius, nihilominus quæstor est factus, & tribunus plebis, & ædilis, quàm si esset summo loco natus, sed hæc pari loco orti, sunt innumerabiles alij consecuti. Profers triumphos Ti. Gracchi, & C. Marij, & quæris quid simile in Plancio. Quasi verò isti, quos commemoras, propterea magis laude fuerint digni, quod triumpharunt, & non quia commissi sunt ijs magistratus, in quibus rē bene gesta triumpharent?

Rogas, quæ castra viderit: qui & miles in Creta, Metello hoc Imperatore, & tribunus in Macedonia militum fuerit, & quæstor tantũ ex re militari detraxerit temporis, quantum in me custodiendum transferre maluerit. Quæris num disertus? Imo, id quod secundũ est, ne sibi quidem videtur. Num Iuriscõsultus? quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in ijs reprehenduntur, qui cum professi fuerint, satisfacere non possunt: non in ijs, qui abfuisse ab his studijs confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Vt nos in mancipijs parandis, quãuis frugi hominem, si pro Fabro, aut pro textore emimus, ferre molestè solemus, si eas artes, quas in emendo secuti sumus, si fortè nesciuerit: sin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam, esse curamus: sic pop. Rom. deligit magistratus, quasi reip. villicos. In quibus, si qua præterea est ars, facile patitur, sin minus, virtute eorum, & innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus: quotus quisque iuris peritus est, vt eos numeres, qui volunt esse? quod si præterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis, & ornatissimis ciuibus est futurum? Iubes Plancium de vitijs Laterensis dicere. Nihil potest, nisi cum minus in seiracundum putabis fuisse. Idem effers Laterensem laudibus, facile patior, id te agere multis verbis, quod ad iudicium non pertineat: & id te accusantem tandiu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Et ibidem n. 30. Hic tu vitæ splendorem maculis aspergis istis? lacis adulteria, quæ nemo non modo nomine, sed ne suspicione quidem possit agnoscere; maritum appellas, vt verba fingas, non solum crimina. Ductum esse ab eo in prouinciam aliquem dicis, libidinis caussa, quod non crimen est, sed impunitum in maleficio mendacium; raptam esse mimulam, quod dicitur Atinæ factum à iuuene, vetere quodam in scenicos iure, maximeque oppidano. O adolescentiam traductam eleganter! cui quidem cum quod licuerit, obijciatur, tamẽ id ipsum falsum reperiatur. Emissus aliquis è carcere, & quidem emissus (vt cognouistis) necessarij hominis; optimique adolescentis rogatu: idem postea præmandatis requisitus. Atque hæc nec vlla alia sunt coniecta maledicta in eius vitam, de cuius vos pudore, religione, integritate dubitetis. Pater verò, inquit, etiam obesse filio debet. O vocem duram, atque indignã tua probitate, Laterensis! Pater vt in iudicio capitis, patet vt in dimicatione fortunarum, pater vt apud tales viros obesse filio debeat? qui si esset turpissimus, sordidissimus tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices, & misericordes: valeret, inquam, communi sensu omnium, & dulcissima commendatione naturæ.

N. N.

I. *In hoc exemplo nota quomodo tractanda sit confutatio, quæ multis rebus, usque laudibus refellẽdis est occupata, & qua dexteritate transuolando, plura nonnunquam sint dissingenda, ne si in rebus parui momenti diutius versetur, intepescat oratio.* II. *Animaduerte in tota hac confutatione velocitatem acrem, & expeditam, qua fit per ipsa nauiter quasi amento vibrata, nihil spissum, nihil productum, nihil attritum & languidum, sed tota oratio quasi flamma, noua, & continenti pabulo diutius alitur.* III. *Vrbanitas quoque permixta salsitatem additi orationi, à qua Ciceronis ingenium nunquam recedit.*

Modus confutationis mixtus seriis rationibus, & ironijs aculeatis.

CAPVT XXXVI.

CIcero Pisonem confutat, qui se triumphum spreuisse profitebatur: n. 56. At audistis, Patres conscripti, Philosophi vocem, negauit se triumphi cupidum vnquam fuisse. O scelus! ô pestis! ô labes! cum extinguebas senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas tribuno plebis consulatum tuum, rempub. euertebas, prodebas caput, & salutem meam vna mercede prouinciæ: si triumphum non cupiebas, cuius tandem rei cupiditate arsisse defendes? sæpe enim vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores prouinciæ viderentur, triumphi nomine tegere, atque velare cupiditatem suam. Hoc modo D. Silanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiã collega dicebat, neque enim quisquam potest exercitum cupere, aperteque pete-

petere, vt non præterat cupiditatem triumphi. Quod si te senatus, populusque Roman. aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum susscipere, exercitum ducere coegisset, tamen erat angusti animi, atque demissi, triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. Nam vt leuitatis est, omnem aucupari rumorem, & omnes vmbras, etiam falsæ gloriæ consectari: sic leuis est animi lucem, splẽdoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Cum verò non modò non postulante, atque cogente, sed inuito, atque oppresso senatu, non modo nullo pop. Rom. studio, sed nullo ferente suffragium libero, prouincia tibi ista manupretium fuerit non cuersæ per te, sed perditæ ciuitatis: cumque omnium tuorum scelerum hæc pactio exstiterit, vt si tu totam remp. nefarijs latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur: cum exhauriebas ærarium: cum orbabas Italiam iuuentute: cum mare vastissimum hyeme transibas, si triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentissime, nisi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat? Non est integrum Cn. Pompeio consilio iam vti tuo, erauit enim, non gustarat istam tuam philosophiam. Ter iam homo stultus triumphauit. Crasse, pudet me tui, quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream, tibi tantopere decerni volueris à senatu? P. Seruili, Q. Metelle, Ca. Curio, P. Africane, cui non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quam in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontino, necessario meo, iam non est integrum. Religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Maximos! ô amentem Paulum, rusticum Marium, nullius consilij patres istorum amborum consulum, qui triumpharunt! sed quoniam præterita mutare non possumus, quid cessat hic homulus ex argilla, & luto factus, Epicurus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ, clarissimo, & summo Imperatori, genero suo: fertur ille vir, mihi crede, gloria: flagrat, ardet, cupiditate iusti & magni triumphi, non didicit eadem isti, quæ tu, mitte ad eum libellum: sed iam, si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensum illius cupiditatem comprimas, atque restinguas, valebis apud hominem volitantem cupiditate gloriæ, vir moderatus, & cõstans, apud indoctum eruditus, apud generum socer. Dices enim vt es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus politus è schola: Quid est Cæsar, quod te supplicationes toties decretæ, tot dierum tantoperere delectent? in quibus homines errore ducuntur: quas Dij negligunt: qui (vt noster ille diuinus dixit Epicurus) neque propitij cuiquam esse solent, neque irati. Non facies fidem, scilicet, cum hæc disputabis: tibi enim, & esse, & fuisse Deos videbit iratos. Vertes te ad alteram scholam: disseres de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum, captare plausus, vehi per vrbem, conspici velle: quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis. Quin tu me vides, qui ex qua prouincia T. Flaminius, L. Paulus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij, leui cupiditate commoti triumpharũt: ex ea sic redij, vt ad portam Esquilinam, Macedonicam lauream conculcatim, ipse cũ hominibus quindecim malè vestitis, ad portam Cœlimontanam sitiens peruenirem? quo in loco mihi libertus præclaro imperatori, domum ex hac die biduo ante conduxerat: quę vacua si non fuisset, in campo Martio tabernaculum mihi collocassem. Nũmus interea mihi, Cæsar, neglectis vehiculis triumphalibus, domi manet, & manebit. Rationes ad ærarium retuli continuò, sicut tua lex iubebat: neque alia vlla in re legi tuæ parui, quas rationes, si cognoris: intelliges, nemini plusquam mihi literas profuisse. Ita enim sunt perscriptæ scitè, & literatè, vt scriba, ad ærarium, qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput finistra manu perficãs, commurmuratus sit. Ratio quidem Hercle apparet, argentum ἀνάλωτον. Hac tu oratione non dubito, quin illum iam ascendentem in currum possis reuocare. O tenebræ! ô lutum! ô sordes! ô paterni generis oblite, materni vix memor! Ita nescio quid istuc fractũm, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quam vt Mediolanensi præcone, auo tuo dignũ esse videatur. L. Crassus homo sapientissimus nostræ ciuitatis spiculis prope seru-

per scrutatus est Alpes vbi hostis non erat, ibi triumphi caussam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir sumnio ingenio præditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagrauit, eorum neuter triumphauit, quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa abs te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, à qua te longè diuisti abhorrere: qui etiam si minus magnum bellum gesserat, vt abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putauit. Tu eruditior, quam Piso, prudentior, quam Cotta, abundantior ingenio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, vt tu appellas, præclara duxerunt. Quod si reprehendis, quod cupidi laureæ fuerint, cum bella, aut parua, aut nulla gessissent: tu tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. Neque verò contempsisti, licet Themista sapientior, sed os tuum ferreum senatus conuicio verberari noluisti.

Vide item præclarum eius exemplum de diuin. n. 53.

Est & illa confutatio ironica, & artificiosa, cum debile aliquod aduersarij præsidium oratores extollunt per iocum, & derisum, vt facilius infringant, sic res militares Verris confutat Cic. 7. Verr. n. 3.

Non possum dissimulare, Iudices: timeo, ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia quæ fecit, inpunè fecerit. Venit enim mihi in mentem, in iudicio M. Aquilij, quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonij habuisse existimata sit: qui vt erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, caussa propè peroratâ, ipse arripuit M. Aquilium, constituitque in conspectu omnium; tunicamque eius à pectore abscidit, vt cicatrices Pop. Rom. iudices; aspicerent aduerso corpore exceptas: simul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit: eoque adduxit eos, qui erat iudicaturi, vehementer vt vererentur, ne quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi Rom. laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse seruatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio, viaque tenetur: idem quæritur, sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps: at est bonus Imperator, & felix, & ad dubia reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure tecum: non dicam id quod debeam fortitan obtinere: cum iudicium certa lege sit constitutum, non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecunijs abstinueris, abs te doceri oportere: non, inquam, sic agam, sed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quę tua opera, & quanta fuerit in bello. Quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam virtute ibi tua liberatam? magna laus, & honesta oratio: sed tamen quo bello? nos enim post id bellum, quod M. Aquilius confecit, sic accepimus, nullum in Sicilia fugitiuorum bellum fuisse. At in Italia fuit. Fateor, & magnum quidem, ac vehemẽs, num igitur ex bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio communicandum putas? non arbitror hoc etiam deesse impudentiæ tuæ, vt quidquam eiusmodi dicere audeas. Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiæ possent: vbi? quando? qua ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere: nos enim nihil vnquam eiusmodi audiuimus, & illud audiuimus, M. Crassi fortissimi viri, virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis, freto fugitiui ad Messanam transire possent: à quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si vlla in Sicilia præsidia ad illorum aduentum opposita putarentur.

N. N.

1. *Hæc ad apparatum valet, & pompam, vbi tenentur iam auditorum animi, nec res tam probationem desiderant, quam delectationem. itaque in isto argumento Cicero mirificus artifex in sinuosis laciniosa orationis flexibus ludens, totum illud ostentat apparatissimæ eloquentiæ choragium, hypotyposes facit, inducit sermocinationes, modo ridet, modo serio pungit, modò vellicat, & nihil non præstat ad ornandum.*

Modus confutationis per interrogationem.

Cicero pro Quinctio nu. 36. Ita rotundè aggreditur.

CAPVT XXXVII.

NEgo fuisse caussam, cur postularet: nego ex edicto possidere potuisse; nego possedisse:

dísse, hæc tria cum docuero, perorabo. Non fuit caussa, cur postulares. Qui hoc intelligi potest? quia Sexto Nævio, neque ex societatis ratione, neque priuatim quicquam debuit Quinctius, quis huic rei testis est? Idem qui acerrimus aduersarius. In hac re te, te (inquam) testem, Næui, citabo. Annũ, & eo diutius post mortem C. Quinctij fuit in Gallia tecum, simul Quinctius; doce, te petijsse nũ eo istam nescio, quam innumerabilem pecuniam, doce, aliquando mentionem feciſse: dixisse deberi; debuisse concedã. Moritur C. Quinctius, qui tibi, vt ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit, hæres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipsum venit in agrum communem: eo denique vbi non modo res erat, sed ratio quoque omnis, & omnes literæ. Quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, quis tãamui, Sexte, dissimilis, quis cum res ab eo, qui contraxisset, recessisset, & ad hæredem peruenisset, non hæredem cum primum vidisset, certiorem faceret? appellaret, rationẽ afferret? si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? itane? quod viri optimi faciunt, si qui suos propinquos, ac necessarios, caros, & honestos esse, atq; haberi volunt; id Sex. Nævius nõ faceret, qui vsq; eo feruet, ferturque auaritia, vt de suis commodis nolit aliquam partem amittere, ne quam partem huic propinquo suo vllius ornamenti relinquat? Et is pecuniã, si qua deberetur, nõ peteret, qui, quia quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modò, verum etiam hominis propinqui sanguinem, vitamque eripere conatur? Huic tu molestus esse, videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non sinis, quem nunc interficere nefarie cupis, eum tu prudenter appellare nolebas? Ita credo hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, prudentem, maiorem natu nolebas, aut non audebas appellare. Sæpè vt fit cum ipse te confirmasses, cum statuisses de pecunia mentionem facere, cum paratus, meditatusque venisses, homo timidus virginali verecundia, subito ipse te retinebas: excidebat repente oratio cùm cuperes appellare, non audebas, ne inuitus audiret, id erat profectò. Credamus hoc Sex. Nævium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse.

N. V.

Nota argutum initium, & velox, in quo pugnacitas iuuenilis exercetur. Tetodeinde cursu non ludit, vt in superius commemorati, an fallationibus, sed acerrimis vegetationibus, & geminum nauiter infigit aduersario.

Modus per Subiectionem frequentissimus, & optimus.

Cic pro Quinctio nu. 41.

CAPVT XXXVIII.

APpellandi tempus non erat? at tecum anno plus vixit. In Gallia agi non potuit at & in prouincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant. Restat vt summa negligentia tibi obstiterit, aut vnica liberalitas: si negligentiam dices, mirabimur; si bonitatem, ridebimus: neq; præterea quid possis dicere inuenio. Et pro Sexto Roscio n. 37.

Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur: scelestum, Dij immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo vno maleficio scelera omnia complexa esse videantur? Etenim si (id quod præclare a sapientibus dicitur) vultu sæpè læditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina, atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit, vt si quando auditum sit, portenti, ac prodigij simile numeretur; quibus tandem te C. Eruci argumentis accusatorem censes vti oportere? nonne & audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam virijs flagitijsque omnibus deditam, denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obijciendi quidem caussa, contulisti. Patrem occidit Sex. Roscius: qui homo adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpè in cæde versatus: at hoc ab accusatore, ne dici quidẽ, audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates, ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgauit Erucius, cũ dixit, hũc ne in cõuiuio quidem vllo ferè interfuisse. Nihil autẽ vnquam debuit: cupiditates porrò, quæ post-

sunt esse in eo, qui (vt ipse accusator obiecit) ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quę vita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta. Quæ res igitur tãtum istum furorem Sex. Roscio obiecit? patri, inquit, non placebat, patri non placebat? quã ob caussam? necesse est enim eam quoque iustam, & magnam, & perspicuam fuisse. Nã vt illud incredibile est, mortẽ oblatã esse patri à filio, sine plurimis, & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium, sine caussis multis, & magnis, & necessarijs. Rursus igitur eodem reuertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint vnico filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est nullum fuisse. Pater igitur amẽs, qui odisset eum sine caussa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud iam perspicuũ profectò est, si neque amens pater. neque perditus filius fuerit, neque odij caussam patri, neque sceleris filio, fuisse. Nescio, inquit, quæ caussa odij fuerit: fuisse odium intelligo: quia antea cum duos filios haberet, illũ alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse: hunc in prædia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in malâ, nugatoriaque accusatione, idem mihi vsu venit in caussa optima. Ille quomõdo crimen commentitium confirmaret, non inueniebat: ego res tam leues, qua ratione infirmem, ac diluam reperire nõ possum. Quid ais Eruci? tot prædia, tã pulchra, tam fructuosa, Sex. Roscius filio suo relegationis, ac supplicij gratia, colenda, ac tuenda tradiderat?

Modus per coaceruationem exemplorum, in quo diligenter notandi sunt nexus.

CAPVT XL.

EFficax quoque genus confutationis, quo aduersariorum ora prima aggressione obturantur, cum facti, quod ipse obijciunt, statim luculentum exemplum in graui auctoritate profertur, vt pro Milone: num. 7.

Negant intueri lucem esse fas ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandẽ vrbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatij fortissimi viri: qui nondum libera ciuitate pop. Roman. comitijs liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. An est quisquam, qui hæc ignoret, cum de homine occiso quæratur, aut negari omnino solere esse factum: aut rectè, aut iure factum esse defendi? Nisi verò existimatis dementem P. Africanum fuisse, qui cũ à C. Carbone tribuno plebis, in concione seditiosè interrogaretur, quid de T. Gracchi morte sentiret, respondit, iure cæsum videri. Neq; enim posset, Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, nõ sine caussa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderũt, eum, qui patris vlciscendi caussa, matrem necauisset, variatis hominum sententijs, non solum humana, sed etiam deæ sapientissimæ sententia liberatum. Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem, quoquo modo: diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cùm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? Atqui si tempus est vllum iure hominis necandi, quæ multa sunt, certè illud est non modo iustum, verum etiã necessariũ, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam cùm eriperet militi cribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perperi turpiter maluit: atque hunc illis vir summus, scelere solutum, periculo liberauit. Insidiatori verò, & latroni, quæ potest afferri iniusta nex? Quid comitatus nostri? quid gladij volunt? quos habere certè non liceret, si vti illis nullo pacto liceret: Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex: quam nõ didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: nõ instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniusta pœna luenda sit, quã iusta repetenda. Etsi per sapienter, & quodammodo tacitè, dat ipsa lex potestatem defendẽdi: quæ nõ modo hominẽ occidi, sed esse cũ telo hominis occidẽ-

di

di causſa vetat: vt cum causſa, non telum quæreretur, quisui defendendi causſa telo esset vsus, non hominis occidendi causſa habuisse telum iudicaretur.

Vide item, quæ habet Cicero pro Amer. 42.44.45.48.52.54. Cæcinn. 82.84. Muren. 67. Haruſp. 17.

Confutatio.

Pro cœco reo parricidij per ἀναχόλυθον, & ἀπὸ κοινοῦ.

CAPVT XL.

VOlo nunc scire quemadmodum dicat explicitum, tam difficile facinus: cœcus parricidium cogitauit, cũ quo? cuius se commisit oculis iturus per totam domum? Quem ducem elegit ille, qui erat in cubiculo suo solus? Secum, opinor, secum deliberat. Sufficit sibi, cum homine expeditissimo loquitur. Cur enim socium conscientiæ quærat? omnia potest scire. Primum nox quando sit: Deinde prospicere sollicitè, an omnis familia dormiat. Gradu suspenso ponere certa vestigia, & in omnem timoris sui partem sollicitum circumagere vultum. O quàm parum est in metu, ipsos etiam oculos habere. Ita nõ iste sibi dixit: Occidere quidem patrem volo, sed quem sequentur hæ manus? Nocte solus egrediar, sed quando perueniam? putas non iunctis habitare limimibus? domus inter patrem, filiumque media. Quantum erroris, quantum moræ! spatium ingens, & vix metiendum. Cæcitas inconsulta quid agis? nox antè deficiet. Quid si deinde vterque vigilauerit? quid si nouercæ? Age, limen inueniam, cardinem sine strepitu mouebo dormientis cubiculum intrabo, quiescentem feriam patrẽ, semel satis erit, nec nouerca vigilabit. Securus egrediar, sciente nullo reuertar. Vota sunt ista, sed oculorum, cœcus desperaret etiam, si tam multa nox polliceretur. Hoc loco quæram necesse est, quæ ratio fuerit, vt iuuenis ad parricidium suo potissimum gladio veteretur. Nimirum illud in mentem venit, quia erat relicturus. Nam si alienum, & ignotum in vulnere patris gladium reliquisset, poterat de percussore dubitari. Hic attulit suum, vt etiam si cuasisset, tamen ferro suo teneretur. Cur ergo, inquis, gladium in cubiculo tuo habebas? quia habueram semper, quia vsurus illo non eram. Ferrum ego parricidio meo, tot antè annos præparaui, & sedum illum, quem minabar, patri tandiu nocens fui. Ego eram ferro, ac mente paratus, & tot abiere noctes, antè gladiũ illum familiarem oculis tuis feci, antè omnibus seruulis notum. Pependit in cubiculo meo, tanquam testis conscientiæ meæ, palam in medio, negligenter, sic vt subtrahi posset. Non illud conscientia trepida velauit, tam notus in cubiculo fuit, quàm cæcitas domini.

Quinti. decl. 1.

Confutatio in qua explicatur lex.

Lex, qui parentes in calamitate deseruerit, insepultus abijciatur.

Filius, vt patrem redimeret è vinculis, matrem cœcam reliquit.

Pater alligatus est, mater cœca est. Vnus vtrique filius, magna locorum distantia. Haberlex in medio debitorem. Duc ad vtrum mauis, ad vtrumque non potes, nisi hanc misero conditionem imponimus, vt quicquid fecerit, proijciendus sit. Si exierit, mater sepeliri vetabit: si remanserit, pater.

Quin. declam. 6.

De peroratione.

CAPVT XLI.

PEroratio, quasi extremus actus restat, oratori strenuo, & diligenti minime negligendus: Et eo quidem magis excolendus, quod, quæ vltimo loco dicuntur, aculeum mentibus auditorum potissimum infigere, atque relinquere debeant. HENRICVS ille MAGNVS, cuius, vt & Regis optimi, & suauissimi Parentis sæpius iucundissimè recurrit memoria, vt magnum, & in omnibus rebus elimatum fuit eius iudicium, dicebat se oratores ex perorationibus agnoscere, quod initio artificiosis illigata verborum structuris, ad numeros ferretur oratio: sub finem natura ipsa, se in suis motibus promeret frequentius. Euenit vsu plerunque multis, vt initia habeant splendida, lentos, & iacentes exitus. Cum enim toti in illud, quod primum occurrit, in exornãda scilicet proœmia, acerrima mentis cogitatione ferantur, extrema, vel iam hebescentibus ingenij, & industriæ aculeis, vel certè temporis penuria, perquam neglecta, atque arida esse patiuntur. Itaque initio, cum elaboratæ orationis, veluti pennis innixi rapiuntur, placent: sub finem, deficiente iam arte, cum parum naturæ habeant,

Perorationis momentum.

Henrici Magni iudicium de oratoribus.

Causſa frequentis perorationis.

aut licet habeant, cum grauissimas sententias, & motus, ex tempore tractare difficillimum sit, quisi exutæ pennis aues corruunt, & deformi lapsu ad terram, eo maximè tempore, quo alacrius eminere debuerant. Quamobrem prudentis est oratoris, initio, non ita magnificis illis eloquentiæ propylæis, & Ionicæ structuræ delicijs capi, quin maturè consideret, qua porta commodissimè excedere, viriliterque se expedire possit. Hoc magnus artifex Tullius, perquam solerter nouerat, cuius vt omnibus, sic in perorationibus eximia fuit felicitas, nec sine caussi, vbi plures cum eo oratores dicebant, hanc illi partem exarandam communi omnium consensu deferebant.

Prudẽtia in prouidendo epilogo.

Locus perorationis.

Vt verò quis perorationē nauiter vtatur, spectandum est caussæ genus. Occurrunt enim plerumque caussulæ, quæ nec orationem merentur, nec perorationem; vel etiam breues oratiunculæ, in quibus si perorationem labores contentius, videaris rudis, & inornatæ domunculæ, cæteris incuria neglectis grande, & locuples posticum astruere. Vbi perorationem non desiderat oratio, saltem conari oportet, vt aliqua virili, & expedita conclusione claudatur. Si longior fuerit, & grauior, tum erit Epilogus summa diligentia adtexendus, ne in portu, quod aiunt, naufragium faciat oratio. Quanquam verò, sæpè in multis orationis locis, post res confirmatas frequententur epilogi, in fine tamen præcipuum regnum obtinent.

Pariet.

Atque cum tota ratio perorationis in duabus potissimum sita sit rebus, in enumeratione, & motu: Vtrumque considerate spectandum, nec leui industria tractandum erit.

Enumerationis dexteritas.

P. Emũdus Augerius.

Enumeratio illa, & ἀνακεφαλαίωσις rerum, plurimum desiderat industriæ. Nostra memoria Pater Emundus Augerius, vt erat magnus in cæteris orator, sic in ea parte, non mediocriter excellebat. Erat illi semel concio iam prouecta, cum derepentè adfuit HENRICVS TERTIVS, Galliarum Rex Christianissimus, cui Pater multis erat nominibus charus, & periucundus. Cœpit ille, quæ antea dixerat, relegere, & per sua vestigia recurrere tanta dexteritate, tam concinna dispositione, tam facili sententiarum claritate, tam distincta varietate verborum, vt qui aderant permulti graues viri, & in eloquentia bene versati, hoc vnum perfecti oratoris opus, & præstantissimum, & difficillimum esse dicerent.

Dunda est igitur opera singularis, vt hæc enumeratio non sit Crambe repetita (quod ait Satyricus) sed veluti subtilissimum industrij pictoris opus, qui in exiguam quandam tabellam, rem magnam, & antea diffusam, collegerit.

Gemma in qua casus Phaet. & Phaetontis casus in gẽma. Descriptio Phaetontis. Galen. Lib. de vsu part. cap. 1.

Casum Phaetontis in gemma annuli expressum, admirabili, vel potius stupendo artificio memorat Galenus. Videbatur adolescens solis filius, crinito radijs capite flagellum tenens, in aurea curru sedens, quem celeres quadrigæ rapiebant, tanta subtilitate iculptæ, vt sedecim pedes equorum minutissimis lineolis distincti eminerent. Hinc rubentis ardoribus cœli facies, Iouis iræ, infelicis patris desperatio, & attoniti casus nouitate cœlestes hærebant. Illinc decrescebat mare, ebulliebant aquæ, terra continenti incendio flagrabat, & longè, lateque sparsi flammarum globi syluas, montes, prata, pecudesque absumebant. Ingentis illud artificij, & delicatissimæ manus. Pari profectò ratione præclarum censetur oratoris opus, vbi per totam orationem variè dispersa vno aspectu ponit ob oculos, & aptis motibus animat, atque incendit.

Perorationis præcepta. Ex ea perorat. pro Milone nu. 91. pro Cluent. nu. 188. pro Flac. num. 44. pro Sylla. pro domo. pro Mur. pro Planc. &c.

Curabit in eo ne nimius sit, & inutiles minutias exquirat, quæ à grauioribus facilè rebus absorbentur. Deinde, vt coquus cibos varijs condimentis, ita nouum orationis ferculum, & sententiarum nouitate, & verborum varietate prudenter aspergat. Tertiò, vt illud potissimum frequentet, quod caussæ fundamentum est, & auditorum animis relinquere nititur. Deinde, vt aptos motus accommodet, qui toti sunt in affectibus, & figuris, de quibus consequentibus libris agendum est. Exemplorum cùm passim in Cicerone præstantissima quæque affluant, nihil opus fuit multitudinem percensere: nihil vetat tamen, quo minus hoc ex Quintiliano audiamus, cætera ex figuris, & affectibus, satis abunde peti, commodeque poterunt.

Pero-

Peroratio miserabilis pro filio, qui cum sua captiuitate, & morte patrem redemisset, mortuus in vinculis à matre sepeliri prohibetur.

CAPVT XLII.

Quint. decl. 6. Affectus miserationis in mortem filiorum. Miseria imago.

VBi virtus? vbi pietas? periſti miſer, & malè audis. Non morienti pater aſſedi, non ægri caput molliori ſede compoſui, non fatigatum latus mutaui, non ſpiritum excepi. Abſens, extinctus, euerſus mortem tuam inueni. Nemo ægro vincula laxauit, nemo manus ferro ſordidas ad accipiendos remiſit cibos. Tãtum catenarum cauſſa ſolutus eſt, neglectus, deſpectus. Quidni vilis ſenis vicarius? inter tot ardentiſſima febrium deſideria, non habuiſti, quem poſceres: quomodo te vincula compoſuerãt, iacuiſti, matrem, patrem, propinquos tantum cogitaſti. Nũquid indulgeo mihi, quod te puto inſpiraſſe in carcere meo? Nondum matri ſatis factum eſt. Quoniam pœnas à cadaueribus exigis, audi ſequentia tempora, mors ipſa filij tui naufragium fecit, per tot fluctus volutatum corpus intumuit, tot colliſum ſcopulis, tot ſpatioſis tractum arenis, nunquam tamen infelicius, quàm cum venit in terram. O quam graue eſt mori! quanto grauius, quod ego viuo ſuperſtes filij me? Viuo omnibus dijs, hominibuſque, ſed ante omnes mihi, & inuiſus, & infeſtus, & vxoris quoque pietatem perdo. In funere filij diuortium fecit, video hæc rerum naturæ bona, quæ filio abſtuli. Omnis me ætas, mei admonet luctus, ſenectus, ad quam non peruenit, miſera pueritia, quam nunc tranſiuit; adoleſcentia, in qua perijt. Superſum, vt ſi feliciſſimè ceſſerit, rogum meum videam, & edaces circa corpus filij mei flammas. Si hoc non contigerit, nigrum cadauer, & deforme etiam ignotis ſpectaculum, inter hæc mala credetis, puto, ſi dixero, vellem oculos non habere. Quid nunc amplius? Ad te vxor preces conuertam irritas, malè tentatas? Tu verò perge, & bono tuo vtere, felicem te, quod in hac fortuna tua iraſceris. Ad hoc cõfugiendum eſt. Per commũnes caſus, per calamitatem meam, humanæ calamitatis exemplar, ita vos coniuges veſtræ ament, non ſic deſiderent, ita hoc orbitatis meæ vltimum exemplum ſitę, ita vos habere tam pios filios non neceſſe ſit, miſeremini. Si vicarium accipitis, me proijcite, non inuidioſę preces ſunt, nihilominus impero. Non læta ſententiam veſtram ſequetur gratulatio, non ad templa deducar, ſed ad ſepulchra. Etiam cum vicero, flendum eſt: Si verò vincimur, ibo in littus miſer, planctibus aues abigam, aut me corpori filij mei, velut tumulus imponam. Iacebimus duo inſepulta cadauera, me feris obijciam, aut circa ſingulorum domus, ad genua prætereuntium ibo, & recepto iam miſeris more ſupplex, non cibos petam, non ſtipem mendicabo, terram, & collatas miſerantium manu glebas, aut, quod certè licet, filium in mare proijciam. Iam crudeles aquæ, & venti malè ſecundi, reddo vobis veſtrum beneficium. Ferte quolibet, licet ad barbaros, licet ad hoſtes, licet ad piratas. Forte aliquis iubebit ſepeliri, certè (quod ſciam) nemo prohibebit.

Crudelitatis eſt exigere pœnas à cadaueribus.

Sepulturæ.

Oculi magnã pent dolorẽ.

Item in cauſſa adoleſcentis ad remedium fraterni morbi, exſecti iuſſu patris, & occiſi.

Peroratio flebilis per Apoſtrophen ad animam mortui.

Quint. decl. 8.

Conuertitur hoc loo, iudices, mulier infelix, & velut ad quandam præſentiam amiſſi iuuenis, Siue, inquit, tardem ſecuritate mortis explicitus, in aliquo ſedis æternæ pudore requieſcis, ſiue excluſus, ac vagus, & inter fabulоſa ſupplicia metuendus, adhuc laceratione per ſtupentes, horrenteſque manes vmbra diſcurris, audi miſerrimæ matris iniquiſſimã complorationem. Non quidem licuit mihi in illud cubiculum conditorium tuæ mortis irrumpere, nec ſupra chariſſima membra proſtrata meis vulnera tua tegere viſceribus, quod ſolum tamen potui, corpus, quod medicus, quod reliquerat pater, hoc ſinu miſera collegi, ac vacuum pectus frigidis, abiectiſq; viſceribus rurſus impleui, ſparſos artus amplexibus iunxi, membra, diducta compoſui, & de triſti, terribilique facie, tandem ægri cadauer imitata ſum. Hoc eſt tamen, quod de triſtiſſima orbitate præcipuè ferre non poſſum, propter fratrem videris occiſus, nec tamen vnquam conſtare poterit, an tu ſanaueris fratrem.

Manes.

Affectus Matris in morte filij.

Item, Ecce ſuper, lectulum effuſa feralem, laceros artus, & peruſtum complexa corpus exclamo, teneo vnicum meum, velit, nolit inuidia, meum miſera formoſum. Hoc erat,

quod infelicissimam matrem vltra solitæ charitatis exagitabat affectus, amabam marite periturum. Infames quantumlibet hanc impatientiam, ego mihi videor defuisse, cessasse, multum de lætitia, multum perdidisse de gaudijs. Nemo vnquam filium nimis amauit. Excuso tibi, inquit, iuuenis innocentissime, quod supremis tuis nondum præstitisti misera comitatum. Viuere quidem te defuncto continuò non debui, sed mori marito tacente non potui. Rumpam tædium lucis inuisæ, sed prius licuerit coram ciuitate manibus tuis iusta persoluere, cum damnato supra callidissimum silentium parricida; nihil te dixisse constiterit. Ignosce quod ad iudicium istud orbata duraui. Timui, ne si ad exitum impatientia, si præcipiti pietate properassem, faceret aliam parricida de mea morte rumorem. (?)

Finis Libri Sexti.

DE ELOCVTIONE, LIBER SEPTIMVS.

De Elocutione.

CAPVT PRIMVM.

QVAE ad elocutionis virtutes attinent, sunt à nobis in prima eloquentiæ parte diffusius exposita. Sed tamen, quoniam semel ad præceptiones defluximus; nonnulla de huius ipsius virtutis Rhetoricæ cultura, saniorum Rhetorum placita trademus. Sunt enim in hac parte (vt liberè fatear) infinitæ, vel etiam aliquot veterum Rhetorum ineptiæ, qui cum ad sublimes illas eloquentiæ vires assurgere non possent, toti in literulis, syllabisque aucupandis, & in tornanda periodo hæserunt. Quæ res, etsi in suo genere non sunt negligendæ; Tamen eas consectati morosius, & præ istis heroicos sensus parui facere, hominis est intemperanter abutentis otio, & literis. Ego enim sic arbitror, eloquentiam ex sensibus, & verbis, quasi ex animo, & corpore conflatam esse. Qui contemptis grauibus sententijs, omnes in verborum structuram curas, & cogitationes intendunt, similes illis videntur, qui neglecto spiritu, *cælestis auræ particula*, solam cutem impensius curant. Cauent enim vehementer, ne collidantur literæ, ne hiatus incurrant vocalium, ne asperos auribus sonos contumaces syllabæ efficiant: Dant singularem operam, vt trahantur periodi, vt comptius interstincta particulis cola, vt oratorij pedes concinant, vt post longos circuitus frequens sit illud intercalare Epiſodium, *esse videatur*.

In minutijs elocutionis eo dandus scrupulosius immorari, puerilis est ingenij.

Interim præclaris sensibus exhausti, ieiuni, macilenti, totas orationes Græculorum nugis, & literarum obseruationibus complent. Hoc quidem misera vanitas est, & ea opinor, quæ sanctorum virorum scriptis castigatur, puerilis loquentia, inanis rerum, plena ineptiarum.

Quanquam non hæc à me ita dici velim, vt omnem verborum ornatum, contemnendum putem: Nam vt corporis honestam curam

ram gerunt etiam sapientes, sic & in graui oratione culturam elocutionis esse volo; sed eam grandem, & cum maiestate decoram. Duo tantum reprehendo, primum, quod ista putidius à plerisque, magno cæterorum eloquentiæ ornamentorum dispendio, curentur: Deinde, quod ad sacras conciones, & serias orationes, in quibus pugnare oportet, non ludere, iuuenilius traducantur.

Quinct. l. 9. Cauendum est omninò, ne oratio, quę ferri debet, ac fluere, dimetiẽdis pedibus, ac perpendendis syllabis consenescat. Nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neque enim, qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus vacabit, si quidem relicto rerum pondere, ac nitore contempto, tesserulas (vt ait Lucilius) struet, & vermiculatè inter se lexes committet. Quamobrem, & cùm de hac tota re scriptum sit a nonnullis, etiam abundantius, quàm oratoria grauitas postulet; quæ leuiora sunt, omittam, aut certè perstringam. Quæ verò melioris notæ fuerint, à veteribus præsertim animaduersa, non præteribo.

Elocutionis diuisio, & eius prima pars: Elegantia:

CAPVT II.

ELocutionis omnium clarissima diuisio est, quæ traditur à Cicerone quarto ad Herennium, in *Elegantiam, Compositionem, & Dignitatem.* Elegantia est, quæ facit, vt vnumquodque purè, & apertè dici videatur. Hęc distribuitur in Latinitatem, & Explanationem. Latinitas sermonem purum conseruat. Duos Grammaticorum scopulos, solœcismum, & barbarismum declinat, & honestam in omnibus consectatur orationis munditiem. Primum igitur, vt latinè loquamur, videndum est, sed & verba afferamus ea, quæ nemo iure reprehenderit, & ea sic casibus, & temporibus, & genere, & numero conseruemus, vt ne quid perturbatum, ac discrepans, aut præposterum sit. Hæc ex Grammaticorum petuntur officina, in qua procudenda sunt accuratius puerorum ingenia; ne cruda adhuc studia in grauiores scientias propellant, & congrui sermonis imperiti præbeant se deridendos. Diuus Basilius legatum sibi à Valẽte Rhetorem, Demosthenem nomine, haud satis Δημοσθενικῶς in Grãmaticos errores impingentem, castigauit vrbano dicto: Δημοσθένης σολοικίζει.

Cic. 3. de Orat.

Demosth. Valentis Legatus.

Sozom. l. 16. c. 16.

Quo verò risu exceptum est apud Athenienses DATIS Melos? qui, vt vir Parsa, & miles, minus ad Atticas factus elegãtias, Græcè loqui conatus, dixit ἥδομαι καὶ χαίρομαι. Erat hoc hospiti, & duci militiæ condonandum. Sed minus tolerandi sunt, qui cum istis vitijs laborent, profitentur tamen elegantias, & in alios, si quid fortè titubarint, sunt impensè dicaces. Nec infacetè lusit Ausonius in eiusmodi farinæ Rhetorem, qui scripserat actiua voce Reminisco.

Suid. in voce Δάτις. Aristoph. in pace.

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, imò Rufus non habet.

Haud dissimilis quispiam legatus, qui ad Alexandrum Tertium missus, contra S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, sparsurus querimonias; illud identidem in oratione vsurpauit, *oportuebat.* Ex quo grauissimo cœtui risum propinauit non mediocrem.

Hilarius Cisterensis Legatus σολοικίζει. Eius oratio.

[Pater (inquit) & Domine, interest beatitudinis vestræ, quid perperam actum est in perniciem vniuersitatis, ad pacis, & debitæ concordiæ statum citius reuocare, ne nimis huiusmodi immoderata præsumptio multorum stragem, & Catholicæ Ecclesiæ scissuram possit procreare. Id parum attendit Dominus Cantuariensis, dum relicto maturiori consilio, se solum consuluit, vt sic sibi, & suis, Regi, & regno, populo, & clero grauiores labores procrearet, & angustias: & certè virum tantæ auctoritatis non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat.] Addit, qui scripsit historiam: Ita grammatizabat Hilarius Cicestrensis, dicens *oportuebat, insuper suos si saperent. non oportuebat sibi in tabulis præbuisse consensum.* Hic vnus ex cœtu prorumpens in vocem: *Male,* inquit, *tandem venisti ad portum.*

Baron. ad Chri. 1164 Sec. 34.

Altera pars elegantiæ est explanatio, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, vsitatis verbis, & propriis. Vsitata sunt ea, quæ versantur in sermone, & consuetudine quotidiana: Propria, quæ eius rei verba sunt, aut esse possunt, de qua loquemur. Hæc virtus elocutionis fundamentum est, qua qui non fuerit imbutus, frustra nititur ad superiora. Quantus est enim error eorum, qui nihil proprijs verbis efferẽtes, in omnibus translationum consectantur delicias?

Cic. 4. ad Heren.

delicias? quod plerumque faciunt, vt humilitatem verborum vitent, vt illis, qui in Actione *Ibericas herbas* se solo nequicquam intelligente, dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Seuerus, *spartum* eum dicere velle indicasset. Solent hic in delectu verborum Rhetores nonnulla tradere de factis, protractis, substractis, commutatis, sonantibus, exilibus, sordidis, grãdibus, vastis, quæ pluribus prosequi superuacaneum esse arbitror. Nam puri, dilucidique sermonis ratio, in linguis præsertim antiquis, tota ex veterum scriptorum imitatione, & magistro vsu dicendi, petenda est: Ac demum bona verba habenda sunt, quibus locupletissimi quique dictionis authores, & magistri vsi sunt, quibus nisi fueris contentus, frustra sonantes literulas, & syllabas aucupabere.

Quint. l. 2. c. 8. De verbis oratorijs. vide Cic. 3. de Orat. sect. 150.

De Compositione, secunda parte elocutionis.

Eius definitio, officium, gratia.

CAPVT III.

COmpositio est structura partium orationis (vt definit Halicarnasseus) θέσις παρ' ἄλληλα τῶν τοῦ λόγου μορίων, ἃ δὴ καὶ στοιχεῖά τινες λέξεως καλοῦσι. Eius officium est, verba inter se connectere, vt ne quid asperum, aut vastum, ne quid obscuratum negligentius, ne quid expressũ putidius. Deinde singula inter se concisa colis distinguere, mox etiã numeroso periodorum ambitu vincire.

Compositionis artifices comparantur cum Phrygibus.

Eius vis moderata, maxime vero in exornationibus plurimum obtinet suauitatis, & vt ait citatus author, ἐφορίσιν λόγῳ περιτίθησι. Atque, vt artifices, qui versicolore ornatu vestimenta distinguunt (Græci ποικιλτὰς, Latini Phrygiones, & plumarios appellant) plurimum rei vestiariæ decoris addiderunt: Sic, qui eleganti verborũ textura conficiunt orationem, exornatinum illud genus, quod totum penè in delectatione situm est, magna voluptate profuderunt. Verba quantumuis lecta sint, & nobilia, plurimum suauitatis, & ornamentorum amittunt, nisi aliqua structuræ ratio, & concinnitas accedat. Res enim perinde se habet, atque in mentis sensibus, quantumuis illi generosi fuerint, emarcescunt, nisi orationis perspicuitate copia, felicitate promantur: sic lepor ille verborum, sine structuræ lenocinio deflorescit.

Hoc Dionysius Homericorum versuũ exemplo declarat, qui cum verbis constent humilibus, tamen ex iuncturæ concinnitate plurimum iucunditatis hauserunt, sunt autem illi:

Τὼ δ' αὖτ' ἐκκλισίης Ὀδυσεὺς καὶ Διὸς ὕφορβος,
Ἐντύνοντο ἄριστον ἅμ' ἠοῖ κειαμένω πῦρ,
Ἐκπέμψαν τε νομῆας ἅμ' ἀγρομένοισι σύεσσι.
Τηλέμαχον δὲ περίσαινον κύνες ὑλακόμωροι,
Οὐδ' ὕλαον προσιόντα, νόησε δὲ Διὸς Ὀδυσσεὺς
Σαίνοντάς τε κύνας· ὑπὸ δὲ κτύπος ἦλθε ποδοῖν.

& cætera, quæ, vt ait Ille, διὰ τῶν εὐτελεστάτων, καὶ ταπεινοτάτων ὀνομάτων πέπλεκται. Sed totam ex iunctura gratiam mutuantur. Hæc si latinè reddantur, nõ possunt suos numeros retinere. Cũ ijsdem cõparari possunt, quæ in Moreto incerti authoris leguntur.

Membra leuat sensim vili demissa grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum: læsus quem denique sensit.
Paruulus exusto remanebat stipite fumus.
Et cinis obducta celabat lumina pruna:
Admouet his pronam summissa fronte lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes.
Excitat, & crebris languentem flatibus ignem.

Deinde.

Inde abit, assistitque molæ, paruaque tabella,
Quam fixam paries illos seruabit in vsus.
Lumina fida locat. Geminos tunc veste lacertos
Liberat, & cinctus villosæ tegmine capræ
Peruertit cauda silices, gremiumque molarum.
Admouet inde manus operi, partitus vtramque:

Laua

Laua ministerio, dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduè gyris, & concitat orbem
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu,
Interdum fessa succedit laua labori.
Alternatque vices: modò rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.

Et quæ toto illo poemate continentur Homericis ab Halicarnasseo allatis non dissimilia.

Hæc igitur, inquit, cum de humili materia, & per se humilia sint, ex decore numerorum mirificas habent veneres. Neque verò id, tantum in versibus contingit, sed in soluta oratione, exemplum citat ex Herodoto.

Γύγη οὐ γάρ σε δοκῶ πείθεσθαι μοι λέγοντι ἃ περὶ σοῦ ἴδες τὴν γυναικὸς ὥτα γὰρ ἀμ τυγχάνει ἀνθρώπους ὄντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν. ποίερ ὅπως ἐκείνην θεάσηι γυμνήν. ὁ δὲ μέγα ἀναβοήσας εἶπεν. Δέσποτα τίνα λέγεις λόγον οὐχ ὑγιᾶ. κελεύων με δέεσθαι νὴ ἐμὲ θεάσασθαι γυμνήν, ἅμα ἐν χιτῶνι ἐκδυομένην σωικὺλα καὶ τὴν ὑδὼ γυνή. Hæc, & similia, quæ ex Cicerone infinita possunt afferri, si dissoluas, μικρόμερα, ἀγαγή, μαλθακά, facias necesse est. Porrò tota structuræ ratio continetur in periodis, de quibus dicendum est.

De præstantia numerosæ orationis, & eius ortu.

CAPVT IV.

MAgni illius Augustini vox est, mundum Dei canticum esse, & rectè quidem dixit, is enim est omnium musicorum, sine controuersia princeps, cuius nutu numerosissimus vniuersi concentus, perpetuas concordiæ seruat leges. Atque vt omnia certo quodam pondere, ac mensura condidit, sic illa videntur ab ipsis cunabulis instillatam retinere numerorum suauitatem. Quid mirum igitur, si animus aurium nuntio naturalem quandam in se retinet omnium vocum mensuram? Homo profectò animal est natura musicum, & musicæ vis per aurium sensus, quasi per animæ vestibula, si quando potẽtius illapsa est, tum delicato titillationis lenocinio mentẽ surripit, & miti quodam de modo vendicat. Agrestes ipsi belluarum sensus, hac dulcedine mulcentur, & Iouis quidem Aquila apud Pindarum, vbi Apollinis lyram audiuit, prædarum, & fulminis oblita, iam conniuentibus oculis mergitur in soporem. Tum fulmen ipsum hac illecebra delinitum confidente paulatim flammarum ardore langueſcit

Musica laus.

Quod si omnia, vel numerosa sunt, vel ipsis numeris delectantur, non oportuit orationem, egregium quoddam opus hominis, in quo pulcherrimæ mentis cælata est effigies, numerorum legibus esse destitutam. Quamobrem, primum quidem nata sunt poetarum ingenia, quorum ars exquisito quoddam flore dicendi luxurians mirifica suauitate eloquentiam, vitamque perfudit. Ipsi deinde oratores, cum poetarum viderent artes florere laudibus, certos cursus, conclusioneſque verborum inuenerunt, quibus illigata non modo ferretur contentius, sed etiam blandius se insinuaret oratio. Itaque cum plerique veterum infracta, vt sæpius, atque amputata loquerentur, claudicarent, insisterent, & quasi inter saxa fractis, & reluctantibus aquis obstreperent, emersit deinde illa scitissimè tornata circumscriptio, cuius primi auctores fuere Trasymachus, & Gorgias, in quorum scriptis vidisses sublimia ingredi, leuia duci, acria currere, delicata fluere, ad summum omnia ferri enucleata quædam ratione modulatiùs.

Ortus numerorum.

Hoc verò dicendi genus, vbi oppressis suauitate mentibus, perplacere cœpit vehementius, non erubuit quidem fori subsellia, quanquam in iusta pugna, vt in verborum delectu tranquilliores, sic etiam in numeris sedatiores esse oratores solent. Verùm omnibus glorioſum, postea visum est, fluentem largiùs orationis impetum vincire moderata lege numerorum, cum id præsertim eloquentiæ palæstram, & vltima quasi lineamenta conferat.

Qualis enim Vlysses apud Homerum Palladis opera, alius, atque alius apparet. Modo enim paruus, rugosus, sordibus videbatur.

Numerosa orationis præstantia illustratur eleganti similitudine.

πλοκῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιος ἠΰτε γέρων τις.

Mox cum eundem ipsum virgula tetigisset Minerua, augusta, & spectabili specie, hyacintinoque capillo cernebatur.

Μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι
Καὶ δὲ κάρητος
Οὔλας ἦ κε κόμας ὑαγκινθινῷ ἄνθεϊ ὁμοίας.

Haud dissimili ratione, sine numeris quasi pannis, & centonibus hispida videtur oratio: mox eorum decore temperata, læta, florens, illustris emicat.

Tantum in periodis ad exornatiuam præsertim orationem momenti situm est, vt quadrigæ albæ videantur, quibus Regina triumphat eloquentia. Has si omni ex parte sustuleris, Rhetoricam peditem, humilem, & abiectam facias necesse est. Neque verò cum periodon laudo, grandes illas vbique verborum circumscriptiones probari velim, cum etiam contractiores multum habeant venustatis. Exempla affert Halicarnassensis ex Platone, Demosthene, & Æschine.

PLATO.

Plato ἐν ἐπιταφίῳ λόγῳ

Εργων γὰρ εὖ πραχθέντων λόγῳ καλῶς ῥηθέντι, μνήμη, καὶ κόσμος γίνεται τοῖς πράξασι παρὰ τῶν ἀκουσάντων. Quæ licet breuis sit, habet tamen additamenta, ad explendum numerum.

DEMOSTHENES.

Ὁ γὰρ οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ, κἂν μήπω βάλλῃ, μηδὲ τοξεύῃ.

ÆSCHINES.

Ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς, ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς, ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς.

Hæc, inquit, quamuis contorta, & rotunda, numerosæ suauitatis verbis augentur, quæ si dissoluas, florem gratiæ sustuleris.

* * *

De Nomine, & definitione Periodi.

CAPVT V.

Periodus dicta est metaphora ducta à cursu circulo, quem cursores obibant in stadio. Definitur à Demetrio Phalereo.

Demetrius Phaler. l. de eloc. Arist. 3. Rhetoric.

Σύνθεσις περιηγμένη, & σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων εὐκαταστρόφων, πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ὑπηρτισμένον. Ab Aristotele tertio Rhetoricorum λέξις ἀρχὴν ἔχουσα καὶ τελευτήν. Plenius, & clarius à Cornificio describitur. Densa, & continens frequentatio verborũ, cũ absolutione sententiarũ. Cicero modo ambitũ, modo comprehensionem verborum, alias complexionem, nonnunquam circuitum, conuersionem, orbem, clausulam, continuationem nominar. Ex quibus satis apparet, quid sit periodus. Talis autem videtur iusta, in oratione pro Cæcinna. (Si quantum in agro, locisque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret. Non minus in caussa cederet Aulus Cæcinna, Sexti Ebutij impudentiæ, quantum in vi facienda cessit audaciæ.) Hæc 4. Colis satis apertè distinguitur.

Quid sit cauendum in periodo.

Cauendum est porro vehementer, ne iustæ periodi explendæ gratia, quo melius cadat, aut voluatur oratio, inania quædam verba inculcemus, quasi complementa numerorum. Nihil frigidius est, puerilius, & à vera, germanaque eloquentia magis alienum, quam vbi materia non patitur, sed res est pressè, & rotundè (qualia multa in tertia dicendi figura occurrunt) efferenda, periodorum tractu inanem distendere orationem. Præterea notandum aliam esse vinctam, aliam solutam orationem. Vincta propriè dicitur, quæ periodis decurrit, soluta, quæ licet suos pedes, & numeros habeat, non est tamen his circunscriptionibus certa lege recurrentibus illigata: Talis est Herodoti vt plurimum locutio: Talia etiam in Demosthene, & Cicerone multa occurrunt διαλύτως dicta, in quibus non est periodorum ratio requirenda.

Duplex oratio vincta, & soluta.

Arist. l. 3. Rhet. c. 9.

Aristoteles fusam elocutionem comparat cum Dithyramborum Anabolis, quæ sunt longæ sermonis excursiones, stata lege minime re-

recurrentes. Versam verò, quæ dicitur periodus, cum strophis, & antistrophis Lyricorum.

De diuisione Periodi.

Pneumate, Claui, Chiasmo, &c.

CAPVT VI.

PEriodorum variæ traduntur à Rhetoribus diuisiones, quarum aliæ ad sensum verborum, aliæ ad structuram pertinēt. Ego, vt omnem ambiguitatem submoueam, grauiores primum diuisiones afferam, minutias deinde suo loco discutiam.

Quid pneuma Periodus. Primum, vna est, quæ ab Hermogene appellatur πνεῦμα, spiritus, & definitur σύνθεσις λόγου διάνοιαν ἀπαρτίζον ἐν κώλοις, καὶ κόμμασι μεγέθυνον πρὸς τὴν διάρκειαν τοῦ πνεύματος κατὰ τὴν φωνὴν τοῦ λέγοντος; Structura orationis, quæ sensum membris, incisisque definitum, ad oratoris spiritum, & vocem accommodat. Talis dicitur iusta periodus.

Quid Clauis. Alia dicitur Clauis, ἡ κλεὶς τόπον τινὰ, καὶ ἀληθινὴ περίοδος τοῦ ὅλου ἐπιχειρήματος ἀναγκαστικὴ σύνοδος. Decursus totius argumenti breuiter comprehensus, Et hæc tam communis est Rhetorum, quàm dialecticorum. Appellatur autem clauis, quod vt clauis ostium, sic expeditè referat vim argumenti.

Aliæ nomen habent à diuersis figuris, quibus contexuntur, inter quas nobilis est χιαζομένη.

Quid περίοδος χιαζομένη. Est autem periodus χιαζομένη, cùm in quadrimembri circuitu, vtrisque propositionibus ambæ redditiones respondent, & contra, vt apud Demosthenem Olynth. 2.

Ο μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίκε τὴν αὐτοῦ, τοσούτῳ θαυμασότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται. Υμεῖς δὲ, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, ὅσῳ χεῖρον ἢ προσῆκε κέχρησθε τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνην ἀφλήκατε; Etenim Philippus, quo plura supra suam ipsius dignitatem fecit, eò plus habet apud omnes admirationis. Vos autem, viri Athenienses, quò peius, quam par erat, rebus vsi estis, eò maiori dedecore afficimini.

Dicitur autem χιαζομένη, quasi decussata à χ litera, quæ crucis in modum intersecantibus seipsas duabus obliquis lineis figuratur. Vnde & χιασμὸς figura, quando quatuor propositis, tertium secundo respondet, & conuenit quartum primo. *Chiasmus*

Alia ἰσοσκελὴς & ἰσόπλευρος, hoc est, quadrata, quatuor membris æqualibus constans.

Alia rotunda στρογγύλως ἀποτετορνευμένη, rotundè, & concinnè, quasi torno facta, vt loquitur Plutarch. de auditione. Itaque nomen potius est omnium elegantium periodorum generale, quàm speciale.

Alia ἐπιτιμητική, siue increpatoria dicitur, breuis, & expedita, vt Φίλιππος ἂν εὔξαιτο τοῖς θεοῖς, ταῦτα ὑμῶν τινες ἐνθάδε ποιοῦσιν, Philippus quidem à Dijs postularet, ea ipsa, quæ vestrum plerique faciunt. *Demost. Olynth. 1.*

Alia γνωμικὴ, sententiosa, vt εὐπράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Prosperis rebus vti supra meritum, stultis occasio est malè sentiendi.

Alia ἀποφαντικὴ, enuntiatiua, quæ fit per rectos casus, vt ἀλλ' ὁ τὴν εὔβοιαν ἐνεῖνος σφετεριζόμενος.

Alia per interrogationem, vt τὶς γὰρ ὁ τὴν εὔβοιαν σφετεριζόμενος: τὶς ὁ καταλαμβάνων Ωρεὸν, Quis Eubœam sibi vendicat? quis cepit Oreum?

Alia ἐλεγκτικὴ, redargutoria, vt si dicas, num hic ipse est, qui Eubœam sibi vendicauit, qui cepit Oreum.

Affert & δεικτικὰς, & ἀρνητικὰς, & ἀπογορευτικὰς, demonstratiuas, negatorias, prohibitiuas. Sed Græculæ sunt istæ diuisionum minutiæ, nunc ad cæteras partitiones veniamus, quæ ex periodi partibus, & membris colliguntur.

De partibus Periodi.

CAPVT VII.

DVæ sunt periodi partes, Colon, siue membrum, siue intermissio, & Comma, quod intercisio pariter, & articulus nominatur.

Membrum est oratio sensus perfecti, sed suspensi, è toto corpore periodi abrupta: vel res breuiter absoluta, sine totius sententiæ demõstratione. Hoc Demetrius cum manu comparat, quæ ita pendet à corpore, vt in se cumulatam habeat naturæ suæ perfectionem. Id si longius fuerit σχοινοτενὲς appellatur, vt auctor est Hermogenes.

Quid σχοινοτενὲς.

Est igitur colon, *Antequam P. C. dicam ea, quæ hoc tempore dicenda arbitror.* Vides sensum suspensum: Assume reliquam partem, & confice periodum. *Exponam vobis breuiter consilium profectionis, & euersionis meæ.*

Articulus, siue comma dicitur, cùm singula verbis interuallis distinguuntur: cæsa oratione hoc modo: *acrimonia, voce, vultu, aduersarios perterruisti.* Est igitur comma pars coli, siue membri, vno, vel pluribus verbis constans.

Hinc multiplex periodus secundum varia interualla distinguitur; alia oratoria, alia historica, alia simplex, alia composita, alia magna, alia parua, alia mediocris, alia etiam perigraphe appellatur.

Oratoria amplior est, & fusior, qua vtuntur Oratores

Historica strictior, ad vsum historicorum.

Simplex, quæ vnico longiori membro constat. Tale est exordium pro Cluentio; Animaduerti omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes.

Composita, quæ fit ex nexu plurium membrorum, vt superior; (Antequam, Patres conscripti, &c.)

Magna, quæ maioribus colis, aut pluribus, quàm quatuor constat.

Parua, quæ paucioribus, quàm quatuor.

Mediocris, quæ quatuor intermissionum ambitu definitur.

De pedibus Periodi.

Ex Halicarnassensi.

CAPVT VIII.

Dionysius Halicarnassensis, Rhetor quidem præstantissimus, in libro de compositione nominum pedes orarorios sic enumerat, & probat.

Primus est Spondeus aptus, & grauis.

Iambus non omninò est ignauus, sed aptus humili, & attemperato sermoni.

Trochæus mollior est, & humilior.

Pyrrichius est tenuis, & planè demissus.

Tribrachus nihil habet venustatis, & grauitatis.

Molossus ex tribus longis, vt *errores*, planè grauis est.

Amphibrachus ex duabus breuibus, & media longa, vt *amare*, non est adeò heroicus.

Anapæstus grauis, & aptus ad seria, atque affectus exprimendos.

Dactylus optimus est, & heroicus, aptusq; rebus amplioribus.

Creticus, siue amphimacer ex duabus longis, & media breui, vt *castitas*, non est repudiandus.

Melior tamen Bacchius ex duabus longis, & vltima breui, vt *laudare*.

Hyperbachius ex prima breui, & duabus longis, vt *hæberem*.

Dochimus quoq; pes est insignis, ex quinque syllabis, prima breui, duabus longis, breui, & longa, vt *amicos tenes*.

Dichoreus ex duobus trochæis, vt *sempiternus*, volubilis, & aptus maximè in clausulis.

Item Pæon primus, ex prima longa, & tribus breuibus, vt *conterere*. Pæon secundus, ex tribus breuibus, & vltima longa, vt *temeritas*.

Et hi frequentiores sunt apud Oratores.

De numero, & Mixtura pedum.

Ex Cicerone.

CAPVT IX.

Non est hic meum consilium varias de numeris, & pedibus arcessere sententias, & in ista labyrinthi perplexitate sine fructu ludere iuueniliùs.

Equidem existimo totam illam tractationem à M. Tullio tanto iudicij pondere, & sententiarum nitore descriptam, vt qui in hoc opere videatur laborasse contentiùs, cæterorum scriptorum vel studia restinxerit, vel ingenia sua claritate presserit. Quamobrem, ne gestum coram Roscio agere in scena videamur, faciam quod mei est instituti. Primùm, quid præcipiat exponam: deinde quid de to-

de tota numerorum præceptione sentiam, paucis indicabo. Sic igitur ille.

Cicero in Oratore. { Fluit omninò numerus à primo, tum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardiùs cursum contentiones magis requirunt: expositiones rerum, tarditatem. Insistit autem ambitus modis pluribus, è quibus vnum est secuta Asia maximè, qui dichoreus vocatur, cùm duo extremi chorei sunt, id est, è singulis longis, & breuibus. Explanandum est, quòd ab alijs ijdem pedes alijs nominantur vocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis, sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclarè, quò etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo, C. F. Tribunus plebis in concione dixit his verbis, O Marce Druse. Hæc quidem, duo binis pedibus incisim, dein membratim: Tu dicere soiebas, sacram esse Rempublicam. Hæc item membra ternis: post ambitus, Quicunque eam violauissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. Dichoreus, nihil enim ad rem extrema illa longa sit an breuis: Deinde, Patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit. Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, vt admirabile esset. Quæro, nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta, sic fic. Comprobauit filij temeritas: iam nihil erit, etsi temeritas ex tribus breuibus, & longa est: quem Aristoteles vt optimum probat, à quo dissentio. At eadem verba, eadem sententia, animo istuc satis est, auribus non satis, sed id crebrius fieri non oportet. Primùm enim numerus agnoscitur, deinde satiat, posteà cognita facilitate contemnitur. Sed sunt clausulæ plures, quæ numerosè, & iucundè cadant. Nam & Creticus, qui est è longa, & breui, & longa, & eius æqualis pæan, qui spatio par est, syllaba longior, quàm commodissimè putatur in solutam orationem illigari, cùm sit duplex, nam aut è longa, & tribus breuibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo; aut è totidem breuibus, & longa, in quem optimè cadere censent veteres: ego non planè reijcio, sed alios antepono. Ne spondæus quidem funditus est repudiandus, etsi, quòd è longis duabus hebetior videtur, & tardior, habet tamen stabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum; in incisionibus verò multò magis, & in membris; pauckatem enim pedum grauitatis suæ tarditate compensat. Sed hoc cum in clausulis pedes nomino, non loquor de vno pede extremo: adiungo (quod minimum sit) proximum superiorem, sæpe etiam tertium. Ne Iambus quidem, qui est è breui, & longa, aut par choreo, qui habet tres breues, sed spatio par, non syllabis, aut etiam dactylus, qui est è longa, & duabus breuibus, si est proximus à postremo, parum volubiliter peruenit ad extremũ, si est extremus choreus, aut spondæus: nunquam enim interest, vter sit eorum in pede extremo, sed ijdem hi tres malè concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi cùm pro cretico postremus est dactylus, nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus: quia postrema syllaba breuis an longa sit, ne in versu quidem refert. Quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parùm: quoniam nihil ad rem est, postrema quàm longa sit. Iam pæan, quòd plures habeat syllabas, quàm tres, numerus à quibusdam non pes habetur. Est quidem, vt inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorũ, vnus aptissimus orationi, vel orienti, vel mediæ, putant illi etiam cadenti: quo loco mihi videtur aptior Creticus. Dochimus autem è quinque syllabis, breui, duabus longis, breui, lõga, vt est hoc (amicos tenes) quouis loco aptus est, dum semel ponatur: iteratus, aut cõtinuatus numerum apertum, & nimis insignem facit. Duo enim, aut tres sunt ferè extremi seruandi, & notandi pedes, si modò nõ breuiora, & præcisa erunt superiora, quos aut choreos aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in pæane illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari creti o. Horum vicissitudines efficient, vt neque ij satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id quod faciemus, opera dedita facere videamur. }

Hæc Cicero. ex qua oratione fluentibus cincinnis diffusa laxius fermè istud colligas, probari ab eo dichoræum, sed cum temperamento ad vitandam satietatem, creticum orationi cadenti aptissimum; pæana vtrumque in principio, & medio, spondæum, choræum tribrachyn, dactylum, quem ait parum volubiliter iungi cum choreo, aut spondæo extremum locum tenente; quare si isti tres pedes concurrant, dactylus, qui instar cretici censetur in fine, in extremo erat collocandus: Ad summum dochimum omni loco congruum, sed malè affectari.

Neque verò hic erit alienum Strebei, & aliquot recentiorum, in Ciceronianum numerorum vsum obseruationes, & exempla notare, quibus conformari faciliùs imitatio possit. Cùm igitur periodus tota debeat à capite ita fluere, vt ad extremum veniens ipsa consistat, non modo ambitus clausulæ, sed etiam principia, atque media notanda sunt.

IN PRINCIPIIS HI FERmè probantur pedes.

Creticus.

Vt (Neminem vestrum ignorare arbitror a Iudices.)

Pæan.

Vt (At beneficio sum vsus tuo. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina.)

His adijce dichoreum, & bacchium, & palimbachium; vt non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc vno scelere esse contenta. Vehebatur in essedo tribunus plebis. At quanta merces Rhetori data est.

Dochimus.

Vt (Catenas habebat hospes tuus.)

Molossus.

Vt (Idem Verres, qui fuit semper.)

Anapæstus.

Vt (Patior, Iudices, & non molestè fero.)

IN MEDIO.

Amplissimus est vterque pæan, primus, & quartus. Nec solùm dignitatem affert, & amplitudinem, sed etiam volubilitatem, atque celeritatem, quæ animi concitati affluente voluptate recreantur, vt, *Vincat aliquando cupiditas, voluptasq; rationem, dummodo illa in hoc genere præscriptio, moderatioq; teneatur.*

In hac oratione breui sex pæanas primos accipere possis: ex quibus incitatior est cursus, atque magnificentior amplitudo. *Item,* Fieri enim non potest, vt animus libidini deditus amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid est, quod nos facimus, in dicendo, in modo agendo, verùm etiam cogitando sustinere possit.

IN FINE.

Probantur Creticus, & Dichoreus.

Vt (Verrem non vt hominem, cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria; sed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum, & iurisdictionem cum ferro, & armis, aduentum, & comitatum cum exercitu, & victoria conferatis.

Choreus, & Molossus.

Vt (Fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse subleuandam, quæ maximè laboraret.)

Dochimus.

Vt (Quos amisimus ciues, eos Martis via perculit, non ira victoriæ.)

Creticus duplex.

Vt (At quæ ipse cogitans sentio, in communionem tuorum temporum contuli.)

Aliquando Creticus triplex.

Vt (Facere enim probus adolescens periculosè, quàm perpeti turpiter maluit.)

Creticus & Dactylus.

Vt (Omnis oratio moribus consonet.)

Tribrachus cum Spondæo.

Vt (Diu, multumque Brute, dubitaui.) Et (Maximus est fructus, iucunditasque sapienti.)

Choreus, & Dispondæus.

Vt (In monumentis maiorum suorum sit interfectus.)

Iambus, & Dispondæus.

Vt (Sed etiam gloriam per tales viros insugiendam.)

Tres Spondæi.

Vt (Victorijs illustratæ sunt.)

Quid de istis numerorum obseruationibus, & tota compositione sit sentiendum, & de cauendis vitijs.

CAPVT X.

HÆc igitur, si fuerint moderatè obseruata, lætioribus nonnunquam numeris exhilarant orationem. At contrà, si putidius discutiantur, sermonis nitorem non mediocriter artis infelicitate corrumpunt.

Atque vt Callimachus nimis affectatæ diligentiæ statuarius fertur infausto expolitionis studio suorum operum decus inquinasse, dictus inde κακοζήλος, quod artis violenta quadam tyrannide naturæ florem opprimeret; sic videas plerosque, qui dum syllabis aucupandis insistunt morosius, ab illo currentis amnis alueo, in transuersa deterius abripi.

Rhetores morosius numero studentes sunt sæpe κακοζήλους

Etc.

Etenim, ne quis putet istas numerorum leges à certa quadam, & immutabili lege fluere, certè, qui de pedum bonitate scripserunt, dum omnia suarum aurium iudicio metiuntur, pugnantia nonnunquam inter se dicunt, vt in custodiendo numero, parùm numerosè videantur concinere. Vitat Ephorus spondæum, & trochæum, quos tamen, vt generosos pedes passim alij permiscent orationi.

Ab Aristotele dissentit nonnihil Cicero, à Cicerone Quintilianus: sed quid mirum? cùm ipsi, qui hæc accuratius sunt consectati, suis præceptis non semper inhæserint.

Hieronymus sophistia notauit 30. versus in orationibus Isocr.

Certè Hieronymus ex Isocratis aliquot orationibus triginta fermè versus collegit, quos Sophista in hac numerorum gloria triumphanti iuueniliter obtrudit, atque is correctior importunus in eo ipso loco, quem reprehendit, senarium imprudens immittit. Ipsæ Ciceronis orationes, si ad præscriptos semper exigantur numeros, inuenientur aliquando deflectere, non quòd hæc ignorarit, sed quod præ sententiarum grauitate maluerit aliquando contemnere. Quamobrem & in eo grammatica ingenia versus aliquot inter orationes deprehenderunt, vt in Pisonem; *Prob Dij immortales! quis hic illuxit dies?*

Et Liuianæ historiæ initium ab Hexametro, à quibus non est vellicatum?

Facturusne operæ pretium, quanquam nemo melius collocare potuit.

Quomodo discendi numeri.

Quid igitur ad hanc numerorum rationem consequendam facere oportet? Primùm quidem arbitror lectissimis auctoribus, maximè verò vni Tullio diutius insistendum, vt eius stylo, quasi coloratus animus generoso fœtu impleatur, tum haud ita multum erit laborandum de numeris, quod enim accidit scribentibus, vt non de singulis literis cogitent, sed ipsæ vltro ad verborum textum veniant, sic vbi fuerit circumscripta mente sententia, confestim verba ea etiam numeri suauitate, qua fuerint instillata concurrerent.

Vitio, quæ obrepunt numeris. Cic. in orat. sect. 229.

Ne quia igitur imperiti in hac numerorum lege consectanda peccent deterius, rectè monet Cicero.

Sed magnam exercitationem res flagitat: ne quid eorum, qui hoc genus secuti non tenuerunt, simile faciamus, ne aut verba traijciamus apertè, quò melius aut cadat, aut voluatur oratio: qua traiectione verborum vtitur Cælius Antipater, & nihilo tamen aptius explet concluditque sententias: aut inania quædam verba inculcemus, quasi complementa numerorum. Quo vitio Asiatici maximè numero seruientes laborant.

Sunt etiam, qui illo vitio, quod ab Hegesia maximè fluxit, infringendis, concidendisque numeris, in quoddam genus abiectum incidant Siculorum simillimum. Tertium est, in quo fuerunt fratres illi Asiaticorum Rhetorum principes Hierocles, & Menecles, apud quos varietas non erat, quòd omnia ferè concludebantur vno modo: quæ vitia qui fugerit, vt neque verbum ita traijciat, vt id de industria factum intelligatur, neque inferciens verba, quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens concidat, delumbetq; sententias, nec sine vlla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum, is omnia ferè vitia vitauerit.

Quid in genere obseruandum in numeris.

In genere autem hæc erunt obseruanda, in dicendo nihil esse propositum, nisi aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaq; non sunt in ea tanquam tibicini percussionis modi, sed vniuersa comprehensio; & species orationis clausa, & terminata est, quod voluptate aurium iudicatur.

Cauendum ne oratio multis breuibus exiliat, neue longiorum continuatione languescat, ne continuentur ij pedes, ex quibus efficiuntur triti, vulgatique versus, quod voluit Cicero, cùm dixit;

Neque tamen hoc tanti laboris est quanti videtur: nec sunt Rhytmicorum omnia, ac Musicorum acerrima norma dirigenda: efficiendum est illud, modò ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, nec excurrat longius, vt membris distinguatur, vt conuersiones habeat absolutas: neque semper vtendum est perpetuitate, & quasi conuersione verborum, sed sæpe carpenda membris minutioribus oratio est, quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda.

De vsu periodi.

CAPVT XI.

Numerus & numerosum differunt.

OPeræpretium est, de vsu quoq; periodorum monere discentem, ne quis ob imperitiam putet orationem perpetuis numeris adstringendã, numerosum esse quic-

quid

quid dicitur, & concinnum nihil vetat, numeros vbique habere frigidum est. Nam numerosum est in structura dictionum ; numerus autem est interuallorum longorum , & breuium varietas : bene construere minus habet curæ , interuallis distinguere , operosioris est apparatus, qui non est vbique necessarius. Idcircò rectè præscribit M. Tullius.

Genus autem hoc orationis , neque totum assumendum est ad causas forenses , neque omninò repudiandum : si enim semper vtare, cum satietatem affert, tum quale sit , etiam ab imperitis agnoscitur. Detrahit præterea actionis dolorem , aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem, & fidem. Sed quoniam adhibenda nonnunquam est , primùm videndum est, quo loco, deinde quandiu retinenda sit, tum quot modis commutanda.

Adhibenda est igitur numerosa oratio , si aut laudandum est aliquid ornatius , vt nos in accusationis secundo de Siciliæ laude , aut in senatu de Consulatu meo , aut exponenda narratio qua plus dignitatis desiderat , quàm doloris , vt in quarto accusationis , de Ennensi Cerere, de Segestana Diana , de Syracusarum situ diximus.

Sæpe etiam in amplificanda re , concessa omnium funditur numerosè , & volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus , conati quidem sæpissimè sumus , quod plurimis locis perorationes nostræ voluisse nos , atque animo contendisse declarant.

Id autem tum valet, cùm is qui audit, ab oratore iam obsessus est, ac tenetur. Non enim id agit, vt insidietur, & obseruet, sed iam fauet, processumque vult, dicendique vim admirans non inquirit, quod reprehendat.

Hæc autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione , quam ipse includit, sed in orationis reliquis partibus: nam cùm sis his locis vsus , quibus ostendi licere, transferenda tota dictio est ad illa , quæ nescio cur, cum Græci κόμματα & κῶλα nominent , nos non rectè incisa, & membra dicamus.

Hæc Cicero, cuius vestigia relegens Quintilianus addit quoque de suo multa.

Vbicumque acriter erit , & instanter , pugnaciterque dicendum, membratim , cæsimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet : adeoque rebus accommodanda compositio , vt asperis, asperos etiam numeros adhiberi oporteat , & cum dicente, æquè audientem inhorrescere: Membratim plerumq; narrabimus , vt ipsas periodos maioribus interuallis , & velut laxioribus nodis resoluemus, exceptis, quæ non dicendi gratia , sed ornandi narrantur , vt in Verrem Proserpinæ raptus. Hæc enim leuis , & fluens contextus decet. Periodus apta proœmijs maiorum caussarum, vbi sollicitudine, commendatione , miseratione res eget. Item communibus locis, & in omni amplificatione: sed poscitur tum austera , si accuses: tum fusa, si laudes. Multum & in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est quo sit amplius compositionis genus, cùm iudex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione , & se credit actori , & voluptate iam ducitur.

Historia non tam finitos numeros , quàm orbem, contextumque desiderat. Namq; omnia eius membra connexa sunt , quoniam lubrica est, ac fluit, vt homines, qui manibus inuicem apprehensis , gradum firmant , continent, & continentur. Demonstratiuum genus omne fusiores habet , liberioresque numeros. Iudiciale, & concionale, vt materia varium est, sic etiam ipsa collationale verborum.

De mensura periodi.

CAPVT XII.

AMbitiosus est plerunque nimis periodorum tractus , atque in ipso , quod moderatum esse oportet , & numerosum, modum omnem , numerumque excedit, quod ne contingat prudenti ratione prouidendum summi Rhetores decreuere.

Demetrius quidem Phalereus libro περὶ ἑρμηνείας eos irridet , qui eiusmodi periodos frequentes congerunt, quos ait capite , non secus ac ebrios malè consistere, auditores verò, propter affectationem nauseare τῶν τε τὰς πυκνὰς περιόδους λεγόντων, ὧν αἱ κεφαλαὶ βαδίως ἴσασιν ὡς ἐπὶ τῶν οἰνωμένων. οἱ δὲ ἀκούοντες τοιούτων διὰ τὸ ἀπίδανον.

Ille autem delicatus orator hunc modum statuit, ex ambitibus autem ij, qui sunt minores, ex duobus membris constituuntur. Maximi verò ex quatuor. Qui quatuor membra excedunt, hi modum, atque mensuram periodi transeunt. Fiunt etiam quædam circumscriptiones, quæ tribus membris , quædam , quæ vno

vno (quas simplices continuationes nominamus) continentur. Quando enim membrum longitudinem, & flexum in fine habuerit, tunc vnius membri ambitus efficitur, vt Ἡ γὰρ σαφὴς φράσις πολὺ φῶς παρέχεται τοῖς ἀκροάταις διανοίας, vbi autem multa iunguntur membra, enitendum est, vt in colon amplum, & dignitatis plenum cadat circunscriptio.

Vt verò periodus sit moderata, cautio adhibenda est, ne membris longius excurrentibus vtamur, alioquin compositio immoderata, & ad intelligendum difficilis efficitur; Nam, neque ars poëtica vltra hexametrum progressa est, nisi alicubi in paucis.

Atque vt redundantia orationem non decet, sic, neque exiguitas ob ieiunam, & angustam nominum structuram, qualis hæc est, vita breuis, ars longa, præceps occasio, quam ille κεκερματισμένων καὶ τὐκαταφρόητον vocat.

Hæc fermè nobilis sophista, qui profectò, dum maiores periodos omnes, quatuor hexametris circunscribit, videtur mihi de vestis magnitudine, aut paruitate decernere, antequam corpus nouerit. Primum concipienda est mente sententia, deinde ille periodus, vt vestis accedet. Itaque, cum quis orator versetur in illo tenui, & elimato genere dicendi, nec habet amplam rerum congeriem, molliorib. fermè numeris explet sententias, at verò, cum in rebus exaggeratis adiunctorum obuersatur multitudo, læpissimè extra istas delicatiorum Rhetorum ripas, vibratus orationis impetus efferuescet.

Rectè dixit Xenophon Φρίκωνα οἱ Ἕλληνες ἐπὶ τὸν τηλεβόαν ποταμόν. οὗτος μὲν οὖν ἦν μέγας μὲν οὐ, καλὸς δέ. *Venerunt Græci ad Teleboam fluuium, hic magnus quidem non erat, amœnus tamen.* & peruertit gratiam periodi, qui ita extulit, *erat quidem ille magnitudine multis inferior, at cæteros amœnitate longè antecellebat.*

Peruertit, inquam: quorsum? quia pygmæo grandiores cothurnos aptare voluit, quàm pedis mensura pateretur.

At verò, si mihi non Teleboas, sed Tigris, aut Ister extra ripas efferuescens sit describendus, qui se vasto quodam impetu restagnans efferat petulantius, qui agros antea alendis frugibus mites, nunc desolatos obruat, qui sudatos tot mensibus agricolarum labores proterat, qui segetes in culmum iam erectas, & læto partu luxuriantes decutiat, qui boues hauriat cum suis laboribus, qui supra miserorum agrestium mapalia feratur elisus, & torrens, qui obstantes frustra moles, per nexus operum manans exscindat, qui insepulta etiam mortalium capita, & abreptos à complexu matrum paruulos communi ruina sepeliat, quis tunc me iubeat quatuor hexametris orationem circumscribere?

Prima igitur lex magnitudinis in periodo est circunscriptio sententiæ, & notionis, quæ est in mente; hæc si grauis est, & multarum rerum comitatum habet, longiores amat tractus verborum; sin contra breuis, vel modica, vt in attenuato, & mediocri genere fieri solet, puerilis est ingenij diffusius extendere.

Deinde etiam in graui genere videndum est, ne longiores illæ periodi irrepant ex affectatione, sed necessitate quadam fluere videantur, ne multæ grandiores continuentur, ne elidant spiritum dicentis, ne ramentis, & quisquilijs, hoc est, minutis sensibus sint oppletæ, & quasi bullatis nugis intumescant.

De artificio implendæ periodi.

CAPVT XIII.

AMplificandę igitur periodi artificium plurimùm confert ad eloquentiam, de quo hic pauca subiungam. Amplificatur autem periodus quinque modis.

Primò, per definitionem.
Secundò, per enumerationem.
Tertiò, per interpretationem.
Quartò, per congeriem, siue incrementum.
Quintò, per adiuncta, siue per circunstantias.

I. Per definitionem: vt pro Milone Cicero, cum posset dicere, vidimus curiam incendi. Verbum illud definit, & ita amplificat: Vidimus templum Sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput vrbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab vniuerso populo Romano concessam vni ordini, inflammari, excindi, funestari.

II. Per enumerationem partium. Vt cùm esset latis dicere, omnes lugent Clodium, tamen partibus ita enumeratis exornat: Publij Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest. Luget Senatus, mœret equestris

ordo, tota ciuitas confecta senio est, squalent municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipsi, tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum ciuem desiderant. Hæc dilatandi ratio pulcherrima est, & præstantissima, cum totum in partes diducimus.

III. Per interpretationem. Ex verbo protrahitur oratio, cum, quod semel vno verbo dictum, idem alijs verbis eiusdem significationis repetitur: Sed magnus esse debet dictionis delectus: vt, An verò, iudices, vos soli ignoratis: vos hospites in hac vrbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato sermone ciuitatis versantur? Cicero 2. Philippic. Tu ingredi illam domum ausus es, tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Dijs penatibus os illud importunissimum ostendere? Huius generis apud Ciceronem innumerabilia penè sunt exempla, & plura, quam apud Demosthenem.

IV. Per incrementum, siue congeriem, vt, abijt, excessit, euasit, erupit: & ita multa sinonyma à Cicerone congeruntur, quæ nihil faciunt ad interpretationem, ad amplificationem multum.

V. Per adiuncta, quæ septem enumerantur. *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.*

Naturalia vel fortuita.

Quis, significat personam, cuius adiuncta sunt, vel à natura, vel à fortuna. A natura, homini insunt animi, aut corporis bona, vel mala; animi bona sunt, virtutes, & scientiæ: mala, vitia, & ignorantia.

Ad eadem quoque pertinent omnes artes, & scientiæ, quibus quisque potest præditus esse, & quarum vsus, aut bonus est, aut malus: præterea vis naturalis, & ingenium, indoles, memoria, & alia. Affectus, ira, odium, lenitas, amor, cupiditas, lætitia, metus, spes, dolor, misericordia, clementia, & alij. Corporis bona sunt, proceritas, forma, dignitas in viris, venustas in fœminis, velocitas, pulchritudo, vires, valetudo, robur, sexus, & cætera.

Corporis mala sunt, nimia paruitas, enormis proceritas, deformitas, infirmitas, tarditas, mutilatio, claudicatio.

Fortunæ bona, aut mala sunt, nomen, genus, propinqui, affines, liberi, amici, educatio, studium, opes, honores, potestas, magistratus, libertas, diuitiæ, nobilitas, mores, &c. ex quibus quæuis notatio duci potest.

Quid, rem notat, factam, dictam, cogitatam, opus, quod fit, fiet, aut factum est.

Vbi, designat locum, in quo res est, fuit, erit, fit, fiet, aut facta est.

Habet locus varias species exprimendas, quas commemorat Cicero in partitionibus oratorijs, vt, si fit facer, profanus, publicus, priuatus, commodus, incommodus, augustus, amplus, apertus, clausus, inferior, superior, munitus, immunitus. Tempora sunt, pacis, & belli, induciarum: anni quoque partes enumerat: hyemem, ver, æstatem, autumnum, menses, hebdomadas, dies festos, nefastos, noctem, diem, &c.

Auxilium complectitur, præsidia, vires, causas adiuuantes, corporis & fortunæ bona, instrumenta animata, vt seruos, administros; inanimata: vt ficam, gladium, hastam, tormenta. Quoties, significat numerum quemcunque, aut iterationem rei factæ, aut faciendæ.

Cur, Caussam maximè efficientem exprimit, aut finalem, aut facti, aut dicti: vt, quo consilio, cuius respectu, reipub. religionis, amicorum, rei priuatæ, tyrannidis, lucri, qua spe? quo metu? quo dolore? qua lætitia? &c.

Quomodo, indicat modum, quo res facta est aut fit, aut facienda est, qui modus aliquando designatur breuiter per aduerbia, per ablatiuos, per comparatiuos, per similitudines; aliquando, latè, & copiosè per alias circunstantias explicatur, vt, si mortis, aut pugnæ modus referatur.

Quando, tempus refert, quo quidpiam fit, fiet, aut factum est: in hoc genere sunt, tempora pacis, & belli, induciarum, anni partes, autumnus, hyems, ver, æstas, mensis, hebdomas, dies festus, nefastus, serenus, pluuius, nox, vesper, mane, meridie.

Nunc illustre exemplum subijciam, quo artificium Ciceronis in eo deprehendas. Vis intueri quid possit ista amplificatio? finge tibi hanc periodum: Quæ precatus sum, cum consulem L. Murænam renuntiaui, eadem precor, & vt vos cum populo Rom. consentiatis. Age, perspice nunc, vt est immutata per adiuncta, congeriem, &c.

Quæ precatus sum à Dijs immortalibus, iudices, more, institutoq; maiorum: illo die, quo auspicato comitijs centuriatis Lucium Murænam Consulem renuntiaui, vt ea res mihi, magistratuique meo, populo plebique Romanæ, bene, atque feliciter eueniret, eadem

dem precor ab ijsdem dijs immortalibus, ob eiusdem hominis, consulatum vnà cum salute obtinendum: Et, vt vestræ mentes, atque sententiæ, cum populi Romani voluntate, suffragijsque consentiant, eaque res vobis, populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque adferat: Et ex eo licet videre, quæ sit iusta periodi amplificatio, habenda enim est ratio perspicuitatis, nec multa sunt cum obscuritate promiscuè agglutinanda. Cauendum quoque, ne dum amplificationis studio abducimur, periodus in nimiam magnitudinem excrescat, nisi fortè sit distributio, aut enumeratio, & similes amplificationis figuræ.

De delectu, & compositione nominum, ad venustandam periodum.

CAPVT XIV.

Cic. 3. de or. n. 169.

AGe nunc, quoniam protrahendæ periodi rationem habes, quæramus venustandæ modum; is autem est duplex, in delectu scilicet, & compositione verborum: legenda sunt, vt præcipit Cicero, consonantia, grauia, lenia, nitida.

Consonantiora sunt superlatiua positiuis, in graui præsertim genere dicendi: vt pro lege Manil. [Quanquam mihi frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus est visus, Quirites.

Item verbalia præstant plerunque, vt, *Dominatrix animi cupiditas*, consonantius est, quàm si *dominam* dicas; *regnatorem Asiæ* grauius protulit Virgilius, quam *regem*.

Ad summum composita, vt grandiora sunt, sic vocaliora, pro Roscio Amer. [Parentum pœnas à conscelleratissimis filijs repetunt. Sic, constuprare, permouere, excruciare, meliora sunt, quam stuprare, mouere, cruciare.

Grauiora sunt, quæ maiorem vim, aut bonitatis, aut malitiæ ostendunt, quæque magis aut prodesse, aut nocere videntur.

Leniora sunt, si vitentur sordida, & abiecta, licuit Martiali inquinato vocabulo vti, quod Cicero melius expressit per detractionem confecti, consumptique cibi; nolo dici, morte Africani castratam esse Rempub. nolo stercus curiæ dici Glauciam, quamuis sit simile, tamen est vtrobique deformis cogitatio similitudinis.

Cic. de or.

Hæc vbi lecta fuerint vocabula, magno deinde artificio sunt coniungenda: siquidem felicissimus est dicendi modus, cui rectus ordo, aut apta iunctura, & cum his numerus oportunè cadit: quod si negligatur, plurimùm de oratione detrahitur suauitatis. Sex vitia contra compositionem notat Cicero.

Primum est concursus, & hiatus vocalium, quæ vastam, & incomptam orationem reddunt, vt; *Vacca anea amantissima*, Et, *Ego omni officio*, quanquam Ciceronianum est, sed in familiari collocutione toleratur.

Secundum, eiusdem literæ nimia assiduitas, quæ rixetur in orationis commissura, vt; Rex Persarum Xerxes pontum pedibus pertransiuit. Aspera sanè, & iniucunda hæc oratio, propter asperos consonantium concursus: melius, si quis ita commutet; [Xerxes opulentissimus Rex Persarum, cùm in Græciam venire decreuisset, super Hellespontum fabricato ponte, pedibus ipsum mare pertransiuit.

Tertium, eiusdem verbi nimia assiduitas, vt; Nam cuius rationis ratio non extet, ei rationi ratio non est fidem habere.

Quartũ, nimis crebra Homœoptota, vt; Veniunt flentes, plorantes, lachrymantes, obtestantes.

Quintum, traiectio verborum, & transpositio inconcinna, quo in vitio est Lucilius poëta, vt sæpè, tum in hoc versiculo:

Has res ad te scriptas Luci misimus Aeli.

Nec mirum, si stans pede in vno recentes versus similes componebat. Affectata est autem ista compositio Mœcenatis, *inter sacra mouit aqua faxinos*, & ideò peruersa.

Sextum, longa verborum continuatio, & nimis prolixa periodus, quę & auditoris aures, & oratoris spiritum lædit, nisi tamẽ necessaria videatur aliquando perigraphe, quæ est excessus supra iustam periodum, propter multiplicem partium enumerationem.

His adde amphibologiam orationis, & collidẽtia nomina, vt, *res inuisa visa*, & multa monosyllaba leuius subsultantia, & si quæ ex postrema syllaba antegressæ dictionis, ac prima consequentis fiat nominis deformitas.

Ordo, & collocatio.

Ordo, & collocatio verborum hoc exigit, vt in simplicibus leuiori postponatur grauius,

us, cum oratio amplificatur, cum imminuitur; grauioribus leuiora succedant. Sic 2. Philipp. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate.

Secundò, vt rerum naturalis ordo, & dignitas seruetur; Nam viros, & fœminas, diem & noctem, ortum & occasum dicas potius, quàm secùs.

Tertiò, ne permutato ordine, quædam sint superuacua, vt, *filius, priuignus*, Dionysius Halicarnasseus, hæc nimis quidē accuratè & morosè initio obseruauerat, nam nomina verbis semper anteponenda, verba aduerbijs censebat, & hoc confirmat Homeri testimonijs, ἀνδρά μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. & μῆνιν, ἄειδε θεά. & κτεῖνε δ' ἐπιτροπάδην. Sed propter alias obseruationes sententiam mutauit.

Obseruationes in Ciceronē.

CAPVT XV.

NEque verò sunt contemnendæ obseruationes, quæ ex Cicerone afferuntur.

Prima, Ablatiuus absolutè positus, aut ante verbum, aut initio ponendus. [Stulti autem, malorum obuersāte memoria torquentur: sapientes bona præterita renouata delectant.] Initio, vt, [Re intellecta in verborum vsu faciles esse debemus, 4. Tusc. n. 19.

Secundò, Adiectiuum dissyllabum substantiuo plurium syllabarum postponitur elegantius. Cicero de Oratore: [Quid enim est maius, quàm cum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, iudicare, quę sit optima species, & quasi figura dicendi] & 1. de diuinat. num. 52. [Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur: quæ res habet inflationem magnam.

Tertiò, adiectiua multitudinem significantia ornatius substantiuis postponūtur, vt, [Definitio primum deprehenso verbo vno, aut addito, aut dempto, sæpe extorquetur è manibus, Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est.

Quartò, Adiectiuum polysyllabum in fronte orationis, & fine, non inuenustè ponitur, vt Miseri qui sunt inglorij. Et pro Quin. Nihil enim facilè persuaderetur inuitis.

Quinto, adiectiuum à substantiuo positione venustè subiungitur, vt [est omninò patriæ charitas meo quidem iudicio maxima, sed amor, voluntatisque coniunctio plus habet suauitatis.

Sextò, cognomina interdum proprijs nominibus præponuntur. Sic Marcus Tull. Phalereus Demetrius meo quidem iudicio, præstitit cæteris.

Septimò, cognomen interim à proprio seiungendum, vt, Marcum verò Cethegum. Cic. de Claris Orat.

Octauò, comparatiuus, & superlatiuus postponitur elegantius substantiuo, vt [Cultura animi Philosophia; quæ extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat ijs; & vt ita dicam, serit, quæ adulta fructus vberrimos ferant.] Et 2. Philip. Intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.

Nonò, comparatiuus initio orationis vsitatè ponitur. Idem finem periodi decorat, atque exornat. Quintilianus. Decentior equus, cuius astricta sunt ilia, si idem velocior. Et Tuscul. 5. Nihil visum est illo planè iucundius.

Decimò, Nomina propria, & ea polysyllaba, periodi initium honestāt, vt: Neoptolemus ille quidem, & Antiochiam locum nobilem.

Vndecimò, nominibus proprijs, quod additum est ad laudem, aut vituperationem, id est sæpius proponendum. Tantus amator secreti Demosthenes.

Duodecimò, in pronominibus, vt, satis est comprobatum illud, refert rem prius dictam hoc posterius.

Nullus, elegantius substantiuo postponitur. Sic apud Ciceronem. Ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla datur. Et in epistolis, Mauis mihi dare beneficium nullum potes.

Pronomen primitiuum participio, & nonnunquam nomini adiectiuo postponitur: vt, Pythagoras non sapientem se, vt qui ante eum fuerunt, sed studiosum sapientiæ vocari voluit.

Tertio decimò, verbum modi finiti, quod multis syllabis constat, in orationis principio non ineleganter ponitur: vt, Solet in mentem venire illius temporis: &, Excitat eos magnitudo, & varietas.

Decimoquartò. Item finem sæpius implet, & venustat. Sed tamen errant, qui semper vltimo

timò loco ponendum præscribunt.

Nam polysyllaba nomina verbis nimis simplicibus sunt ornatiora.

Decimoquinto, verbum substantiuum *Est*, rectè initio post aliam dictionem ponitur, vt apud Cic. sæpè. Ea est enim.

Decimosextò, Sum verbum præcedente cōparatiuo, aut superlatiuo, eleganter finem orationis occupat, vt Tuscul. 2. num. 69. Nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

Decimoseptimò, Infinitum passiui verbi vsitatius, quàm actiui, cum verbo componitur. In pueris oratio perfecta nec exigi, nec sperari potest: Quintil. Et Cic. pro Milone; Insidiatori verò quæ potest inferri iniusta nex.

Præsentis temporis verbum, quàm præteriti, in historia, fabulâve narranda, elegantius dicitur.

Decimooctauò, aduerbia adiectiuis nominibus, aut aduerbijs ex adiectiuis nominibus factis, postponuntur, aut si præponātur in medio, aliquid non ineleganter ponitur, vt: Stylus intermissione paulum admodum de celeritate perdit: Quintil. Cicero, Multò tamen pauciores oratores, quàm boni poëtæ inueniuntur.

Coniunctio, & articuli periodi.

Decimononò, Coniunctiones frequentissimæ periodorum faciunt initium, & orationis corpus, veluti quibusdam aureis catenulis vinciunt.

Vsitatiora sunt ista: Ac illud quidem, Ac mea quidem sententia, Neque verò, Iam verò, Sed etiam, Etsi, Quamobrem, Itaq;, Vt enim quisque, Quinetiam, Verùm ego, Verum enimuerò, Num igitur. &c.

In Aduerbijs.

Nunquam meherculè, Primùm, Deinde, Nunc autem, &c.

In Pronominibus.

Quis enim, Quis autem, Quod quidem, Quidquòd, Hoc enim, Hoc profectò, Hæc autem omnia, Quibus de caussis, Illud profectò, Ego verò, Mihi verò.

(***)

De dignitate elocutionis, & definitione figuræ.

CAPVT XVI.

Restat tertia, eaque nobilissima pars elocutionis *Dignitas*, quæ tota consurgit ex figuris. De quibus nunc plenius agendum videtur.

Atque, vt id maiori fiat perspicuitate, primum varia figurarum nomina, & exempla ex veteribus, Hermogene, Longino, Aquila, Rutilio Lupo, Rufiniano, & cæteris, ordine alphabetico subijciam. Mox de vsu, & accommodatione dicam. Tertiò earundem epartesin, seu permixtionem, & variam in varijs authoribus, & stylis tractationem breuiter ostendam. Nota porrò, figurarum nomine tropos etiam vulgò contineri: quanquam, si propriè, & signanter loquamur, Ὁ μὲν τρόπος περὶ ἓν ὄνομα γίνεται ἀρετὴ, τὸ δὲ σχῆμα περὶ πλείω ὀνόματος κόσμησις, vt declarat Alexander Rhetor de figuris: Tropus est virtus in vno duntaxat verbo; figura, lumen, & ornatus in pluribus. Accedit, quòd tropus immutatis à propria significatione verbis fiat, ἀλλότριον ἀντὶ τοῦ ἰδίου ὄνομα ἔχει; figura verò propria retinet rei significationem, τὸ ἴδιον ὄνομα τοῦ πράγματος σώζει. Deinde alia est figura dictionis, quæ fit duntaxat in verbis, quibus immutatis ipsa dissoluitur. Talis est allusio; non enim, si βουλεύειν, & βουλεύειν alludunt apud Græcos, latinè eandem vim retinent. Figura autem sententiæ, cum in sensu, & notionibus mentis sit constituta, verbis etiam immutatis non tollitur.

Alexand. Rhetor. Græc. p. 574.

Definitur ab eodem Alexandro figura ἐξ ἀλλάξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον, *Mutatio orationis in melius*; hoc est, ornatior quędam forma dicendi. Cæcilius Calendites eandem sic definit, τρόπος εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν. Molon. Μεταβολὴ εἰς ἡδονὴν ἐξάγουσα τὴν ἀκοὴν.

Nomenclatura figurarum, ordine alphabetico.

Ex antiquis Rhetoribus expressa.

CAPVT XVII.

Acyron, siue, Acyrologia.

IMproprium, vt; sperare, pro timere. Terent. Nam, quòd tu speras propulsabo facilè. Et Herod. lib. 8. ἀνυπάλους γὰρ ἔξειν ἤλπιζον. Aduersarios se habituros sperabant.

Aetiologia.

P. Rut. Hoc schema efficitur ratione breui, & sententiosa. Ita vt, quod dubium est visum, ad certam fidem adduci videarur, vt; Etsi acerbum vobis, quod dicturus sum, videbitur, tamen æquo animo audiendum est: nam ferè, verum consilium, quod initio auditu grane est; in posterum cognita vtilitate fit iucundum. Lycurg.

Aganactosis.

Indignatio, quæ fit maximè pronunciatione, vt: Fero ego te Torquate, iam dudum fero, Cic. pro Sylla.

Iul. Ruf. Et, *Cantando tu illum, aut vnquam tibi fistula cera*
Iuncta fuit Virg.

Allœosis.

In hoc schemate diuisio, & separatio est personarum, aut rerum, & demonstratio quantum intersit, vt: Diuersa studia in adolescentium animis aduerteramus, tametsi fratres erant, vno, atque eodem sanguine orti, alter in studio laudis versabatur, & industria virtutis, vitam gloriosam, sed laboriosam sequebatur; alter in augenda pecunia occupatus, & habendi cupiditate deprauatus, summas diuitias, summam virtutem existimabat. Hic nimirum magis erat laboriosus, qui laborem condendi, non vtendi causa suscipiebat. *Hegesia.* Item, Non enim simile est viuere in æqua ciuitate, vbi ius legibus valeat: & deuenire sub vnius tyranni imperium, vbi singularis libido dominatur. Sed necesse est, aut legibus fretum, meminisse libertatis, aut vnius potestati traditum, quotidianam commentari seruitutem, Hyperidis.

P. Rut. *Alij enim antithesi confundũt.*

Allœosis apud Alexandrum Rhetorem aliud sonat, scilicet mutationem numerorum, casuum, personarum.

Amphidiorthosis.

Apud Alexandrum Rhetorem; ὅταν πρὶν εἰπεῖν, καὶ εἰπόντες ἀσφαλιζόμεθα τὸν λόγον, cùm dicti alicuius acerbitatem, & antequam dicatur, præmunimus, & postquam prolatum fuerit, mitigamus.

Anaclasis.

Hoc schema fieri solet, cùm id quod ab altero dictum est, non in eam mentem, quæ intelligitur: sed in aliam, aut contrariam excipitur. Huiusmodi est vulgate illud Proculeianum. Proculeius, cum filium suum moneret, & hortaretur, audacter ex bonis ipsius sumptum faceret, quas in res vellet, atque opus esset: nec tum denique speraret libertatem, licentiamque vtendi futuram, cum pater discessisset, cui, viuo patre promiscuè omnia licerent: ac filius respondisset non esse opus sæpè eadem oratione moneri, nec se patris mortem expectare. Ei Proculeius pater subiecit, Immò verò minimè meam mortem expectes, nec properes moliri, vt velocius moriar.

Rut. Lup. *Reflexio dicitur & commutatio.*

Plato interrogatus, qui Respubl. beata fieret? respondisse dicitur; Si aut qui sapiunt, imperare, aut imperant, sapere discant.

Item Theophrastus dicitur dixisse, Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.

Item Aristoteles dicitur dixisse, Eius esse vitam beatissimam, cuius & fortunę sapientia, & sapientiæ fortuna suppeditet.

Anacœnosis.

Communicatio est, cùm aut ipsos aduersarios consulimus, aut cum iudicibus deliberamus. Cicero in Diuinatione. [De te iam, Cœcili, mehercule extra hanc contentionem, certamenque nostrum, & reliqua. Est & idiotismos.] Item pro Quinctio] Si de prædijs tuis ageretur, Sex, Næui, si in paruula re captionis aliquid vererere: non statim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, cucurrisset? cum ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur, &c. idem ibidem. Ego pro te nunc hoc consulo post tempus in aliena re, quod tu in tua re, cùm tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te, C. Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obijt quidam socius, & affinis meus, quî cum mihi necessitudo vetus, controuersia de re pecuniaria recens intercedit, &c. Item pro Sext. Si rectè vestram bonitatem, atque prudentiam agnoui, non multum me fallit: si conq. R. S. primum expectari. Cato, Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis. [& alibi] Communem rem putare, ac vos huic propositos. Virgilius.

Iul. Ruf.

—fuit

— fuit & tibi talis
Anchises genitor, Dauni miserere senectæ.

Anadiplosis.

Aquila. Reduplicatio. Rarum apud oratores figuræ genus, frequentius apud poetas; si quando tamen, & in ciuilem orationem incidit, mediocrem dignitatem habet. Interest autem inter hoc, & palilogiam, ac epanalepsin, quòd hic ea, quæ in superiore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur, ad hunc modum. Concurrerat ad tantæ rei nuntium, sicut commune ciuitatis periculum monebat, senatus frequens, equester ordo vniuersus. Tale est & illud Terentianum, Negat, Phanium esse hanc sibi cognatum. Demipho negat esse cognatam.

Iul. Ruf. Anadiplosis item est eiusdem verbi continuatim repetitio, vt,

Et longum formose vale, vale inquit, Iola.
Et, O Corydon Corydon, quæ te dementia cepit?
Et, *Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum*
O Rutuli.

Latinè dicitur hæc figura *duplicatio*, Vide Palilogiam.

Anæresis.

Huius figuræ meminit Hermogenes, & exemplum affert illud Demosthenis, οὐ λίθοις ἐτείχισε τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγὼ, οὐδ' ἐν τούτοις, videtur grauis quædam responsio, nam ἀναίρεσις, est consulta respondere.

Analepsis.

Eadem ratiocinatio & antistasis. Repetitio eiusdem sententiæ, vt ostendam primùm causam non fuisse, cur à Prætore postulares, vt bona P. Quinctij possideres, deinde ex edicto te possidere non potuisse, postremò, non posse disse. Differt ab anaphora quòd hæc sit repetitio in principijs sententiarum.

Anancæon.

Rut. Lup. Hoc schema tunc prodest, atque omnis eius vtilitas in eo est: cum volumus ostendere necessitudinem aut naturæ, aut temporis, aut alicuius personæ: quemadmodum fecit Myron, Amicus meus fuit Cremonides, & opinione omnium magis familiaris: & pro salute eius, quæcunq; potui feci: sed postea quàm maior vis legis, nostrum auxilium ab illius periculo remouit, calamitatis, ac luctus eius particeps eram. Nam opitulandi facultas omnis erepta iam fuerat. Item Democharis. Nihil enim valebat assidua pro fratre, ac misericors deprecatio, cum iudicaret tyrannus: cuius crudelitas omnem naturæ necessitudinem extinguebat. Democh.

Anascene.

Iul. Ruf. p. 36. Est superiorum proxima figura (scheseos, anthypophoræ, &c.) qua ab aduersarijs maxima proposita distribuimus, ac redarguimus, velut falsa, vt

Nunc Lycia sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuum fert horrida iussa per auras.

Latinè dicitur *destructio*, vel *euacuatio*.

Anastrophe.

Ἀνάστροφή ἐστι λέξεως θέσις ἐν δευτέρᾳ τάξει, vt ἡμῶν μέτα. Vetus scholiast. Græcus, Annominatio in paronomasia.

Anthypophora.

Iul. Ruf. p. 38. Prolepsis & subiectio. Est figura sententiæ, qua aduersariorum nobis sententias ac dicta proponimus, ac substituimus, in hoc tantùm, vt illis respondeamus, vt:

Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna, fuisset. Si perijsse satis semel est, peccare fuisset ante satis. Latinè dicitur *oppositio*, vel *obiectio*.

Antimetabole.

Commutatio, vt [Non viuo, vt edam, sed edo, vt viuam, 4. ad Herenn.] Hæc eadem *Diallelon*, & *Anaclasis*.

Antisagoge.

Aquila p. 16. *Compensatio.* Est autem huiusmodi, vbi aliquid difficile, & contrarium confitendum est: sed contra inijcitur non minus firmum: qualia sunt hæc de rege Ptolomæo apud Ciceronem.

Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Et si dicas, magnus labor, multa pericula proponuntur: at gloria ex his immortalis est consecutura.

Ὅταν ἐτέρων ἀντ' ἐτέρων ἀντίθεσις. Alexand. Rhetor.

Antiphrasis.

Iul. Ruf. p. 37. Est figura sententiæ, cum quædam negamus nos dicere, & tamen dicimus: vt apud Lucilium, [Non tango quod auarus homo est, quodque improbus, omitto. Et apud Virgilium.

Quid memorem portus, Lucrinoque addita claustra?

Latinè dicitur *omissio*. Alias antiphrasis est:

est in abusu nominis, & etymologiæ, vt, bellum, quod minimè bellum.

Antistasis.

Est, cùm idem verbum reperitur in contrario sensu, vt,

Iul. Ruf. p. 53. *Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Et] *Ex illo Corydon, Coryden est tempore nobis.*

Hæc Latinè dicitur *intentio*. Eadem *traductio*, & *analepsis*.

Antistœchon.

Α' ντίστοιχον, Athen. lib. 2. est *oppositio literarum*, vt, φιάλη, πιάλη.

Antistrophe.

Aquila 20. *Conuersio.* Species huius figuræ cùm eandem ferè vim habeat, contraria est epanaphoræ, eo quod ibi ab eadem parte orationis sæpius incipitur, hic in eandem partem definitur: cuiusmodi est hoc, pro Fonteio.

Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus amplissimę copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia. Eadem *epistrophe*, & *conuersio*, & *epiphora*.

Antitheton.

P. Rutil. p. 11. Hoc pluribus modis fieri solet, & habet in omni genere orationis summam vtilitatem. Quare separatim demonstrandum est de vnoquoque genere eius.

Carisius. Vnum est, cùm contrariæ res inter se conferuntur. Charisij.

Alter eorum erat in dando benignus, alter erat in accipiendo astutus. Hunc omnes conquirebant: illum vitabant, ne ab eo viderentur. Huius enim pudor erat omnibus iucundus: illius autem impudentia, ipsi suauis, cæteris amara.

Hoc idem fieri potest in vna persona, ita, vt fecit Dinarchus, cum ipse de se diceret; Olim in adolescentia sedulò omnem gloriam sectabar: at nunc in senectute summum me ambitionum inuasit odium: tunc facile multis opitulabar, nunc iam meipsum tueri vix possum: tum mihi beatissimus videbar, si quampluribus benefecissem; nunc contrà vereor, ne quid mihi desit ad necessarium ætatis meæ cultum; tunc ego ipse pro republ. fortiter arma capiebam, nunc præter quàm laudare eos, qui rempublicam armati defendunt, nihil valeo.

Isidorus. Est etiam genus huiusmodi, quod in eadem sententia, priori verbo contrarium quod est, infert, & coniungi solet. Isidori. Non ille stultitia, aut furore impulsus, tam graues labores frustra subiret: sed ex acerbitate laboris, iucundos voluptatis fructus sibi parabat.

Aliud est item, quod superiori infert, sed consequenter ita, vti fecit Demetrius Phalereus.

Nobis primùm Dij immortales fruges dederunt: nos quod soli accepimus, per omnes terras distribuimus. Nobis maiores nostri rempublicam reliquerunt: nos etiam socios nostros de seruitute eripuimus. Itaq;, & amplissimus nobis honos ab omnibus habetur, & propter huius honoris dignitatem superbiæ nostræ nemo vestigium experitur.

Antitheton, oppositum ex contrarijs. Hæc figura constat ex eo, quòd verba pugnantia inter se paria paribus opponuntur. Cuiusmodi breuissimum est illud Ciceronis:

Domus deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. In pace ad vexandos ciues acerrimus, in bello, ad expugnandos hostes inertissimus.

Antizeugmenon.

Siue *iniunctum*. Hoc genus enumerationis diuersam habet vim à *Diezeugmeno*: ibi enim copia verborum iactatur, hic breuitas. Nam, vt in superiore singulis membris singula diuersa reddimus: ita hic plura in vno coniungimus, quale est hoc: Aquila p. 22. Adiunctio.

Quorum ordo humilis, fortuna sordida, natura turpis ab oratione abhorret. Hoc enim postremum, abhorret, ad tria refertur. Sin autem hæc figura ita fit, vt in postremo sit pars orationis, quæ duo, aut plura membra coniungat, tum in primo, tum in medio *iinectionem*, seu ἐπιβολὴν vocemus licet.

Præstat autem vim orationi pluribus verbis in eandem rem collocatis, non idem significantibus, sed maius aliquid: hoc modo, Verberatur, eruciatur, necatur.

Antithesis.

Est cùm verbum verbo pari potestate per contrarium redditur, vt [Seque nouo veterum deceptum errore locorum.] Et [Voluitur ille vomens calidum de pectore flumen Frigidus. Latinè *contrarium*, vel *oppositio* potest dici. Iul. Ruf. p. 31.

Antonomasia.

Est *pronominatio*, vt, nouus Arpinas, pro Cicerone.

Aparethmesis.

Annumeratio, quæ fit perspicuitatis gratia. Vt πρῶτον μὲν τὸ ϛ, δεύτερον ϛ τὸ ϛ. Hermog. lib. 1. περὶ ἰδεῶν.

Apho-

Aphorismus, vel Diuisimus.

Descriptio rerum per reprehensionem, quæ exprimit, & corrigit vim sententiæ, & potestatem. Quare potest videri species emendationis: nam quæ temerè dixeris, reprehendit. Tullius [Quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit.] Aut alias [Ciues, inquam, si hoc nomine appellare fas est. Eadem *correctio, & epanorthosis.* Idem, p. 27.

Ἀπὸκοινοῦ, vbi dictio semel posita sæpius intelligitur, notatur à Græco quodam scholiaste, περὶ σχημάτων, estque Grammaticorum.

Apodioxis, siue Apoplanesis.

Reiectio, vel reprobatio quarundam rerum, quasi in quæstionem non venire dignarum: neque oportuisse, aut ab aduersarijs poni, aut à nobis quæri, aut à iudice postulari. Quod schema mirè facit ad acceleratè fugiendum, vt & tacuisse, & tamen non timuisse videamur, vt in re difficili, & contraria, non hæreamus: In qua figura breuiter morati, ad aliud statim transire debemus. Cicero pro Cœlio, [Equitis Romani autem esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Idem, p. 26.

Apophasis, siue Aetiologia.

Venustum schema, vbi, quasi alio interrogante, nobis ipsis respondemus, & rationem reddimus. Cicero. Si quis furem occiderit, iniuria occiderit. Quamobrem? quia ius constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? non iniuria. Quid ita? quia constitutum est. Cæsar pro Bithynis. Quid ergo? syngraphæ non sunt, sed res aliena est. Et hactenus, vbi nobis respondemus: alias, vbi alijs: quod nisi arte procedit, causam prodit: vt apud Virgilium, interrogante altero, quod negare non poterat, subtiliter occurrit, ne furtum fecisse existimetur: Idem, p. 25. Ratiocinatio,

An mihi cantando victus non redderet ille:
Quam mea carminibus meruisset fistula caprum?

Et testis interrogatus à reo, Num fustibus vapulasset, Innocens, inquit. Aut cùm dicitur, Quæro an occiderit hominem: & respondetur, latronem, vt confessionem præcurrat defensio.

Apophonisma.

Sententia responsiua, vt apud Cœlium, Fac velis, perficies. Apud Tullium, Litterarum radices amaras, fructus dulces. Iul. Ruf. p. 27.

Apoplanesis.

Est, aut iudicis à re contraria nobis auocatio, quam cùm desiderat, aut ab aduersario commonetur, vt quærat, nos obscurando, & miscendo, & promittendo quidem dicturos nos, sed suo loco, ad aliam rem auocamus: & rursum dum dicimus, sensim ad aliud transimus, & ab eo, quod contra nos est, auocatur, & suspenditur iudex: vel coniuncta rerum multitudine implicatur, vt non de vno, sed de pluribus putet sibi sententiam esse dicendam: vt pro Cluentio fecit Cicero; in qua oratione tenebras se offudisse iactauit iudicibus Cluentianis: Intelligant nihil me, nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo; ego me, iudices, ad eam causam accedere, quæ iam per annos octo continuos, vsq; eò, efficiam profectò. Deinde: Versatam esse in iudicio pecuniam cõstat; per totũ caput. Deinde: Vnum quidem, nemo erit tam inimicus Cluentio, vsque ad finem ipsius. Idem, p. 26.

Aporia.

Hoc schema efficitur, cùm quærimus, quid? aut quemadmodum pro rei dignitate dicamus: nec reperire ostendimus. Lysiæ. Nec iam rationem inuenimus, qua flecti posse speremus: ita nos omnibus modis tentatos, acerba, ac nimium tua faculras affligit. P. Rut. Lup. p. 10. Lysias.

Item Hegesiæ: Non hæc est, vt vulgari verbo appellatur, calamitas: quid igitur? quod proprium imponam nescio, nisi illud vnum, tantam esse ærumnæ magnitudinem, vt omnem fortunæ superbissimam erudelitatem ingenij miseria superarit. Hegesias.

Aporia eadem est, ac Diaporesis, addubitatio quædam; cum simulamus quærere nos vnde incipiendum, quid potissimum dicendum, an omninò dicendum. Cumq; artificialiter simulamus, non res inuenire, non paratos venisse. Cicero in Verrem. Quem? quemnam? rectè admones, Polycletum esse dicebant. Et de domo sua apud Pontifices, tibi literas ille misit, quas? aut nunquam misit: aut si misit, in concione recitari noluit. Itaque siue ille misit, siue tu protulisti, certè consilium tuum de honore Catonis nudatum est. Iul. Ruf. p. 25

Aposiopesis.

Reticentia, cùm intra nos supprimimus ea, quæ dictari videmur, quòd aut turpia, aut inuidiosa, aut alioquin nobis grauia dictu sunt: vt est Demosthenicum illud proœmium, Non Aquil. p. 14.

pari ego, & aduersarius periculo ad iudicium venimus: sed mihi quidem, nolo autem quicquam initio dicendi ominosius proloqui. Interdum etiam vtimur hac figura, quasi ad alia properemus. Tale est Virgilianum illud:

Quos ego: sed motos præstat imponere fluctus.

Definitur ab Alexandro Rhetore λόγον ἐπιτείνων τὸ παρασιωπώμενον, ἢ παραλείπων τὸ γινωσκόμενον, ἢ σιωπῶν τὸ αἰσχρόν. Oratio extendens, quod reticetur, vt apud Demosthenem. Μήτηρ μὲν ὑπῆρχε πολίτης πατὴρ δὲ οὐκ ἐρωπόθεν. Plus auget silendo, quàm si enarrasset: Alias, vel omitrit, quod notum est, vel reticet, quod obscœnum est.

Apostasis.

A nonnullis separatio dicitur, quod permixtos sensus separat, atque dilatat. Videtur æqualibus membris, & interuallis distincta oratio, metaphora ducta à consitis arboribus. Nam Theophil. lib. 3. de caus. plant. consitarũ arborum interualla vocat ἀποστάσεις. Meminit eius figuræ Hermog. lib. 1. περὶ ἰδεῶν, & Philostr. in epist. ad Iulian. αἱ δὲ ἀποστάσεις, εἴτε προβολαί, τῶν λόγων Γοργίου ἐπεχωρίαζον πολλαχοῦ μὲν, μάλιστα δὲ ἐν τῷ τῶν ἐποποιῶν κύκλῳ. Apostases verò, seu proiecturæ orationum Gorgiæ in familiarem vsum, & consuetudinem veniebant, sæpissimè quidem, maximè verò in poetarum circulo. Tale est illud, seruiebat forum cubiculo, Prætor meretrici, carcer conuiuio, dies nocti. Murrhedius apud Senecam. Meminit quoque Philostratus in Gorgia ὁρμῆσε καὶ τοῖς σοφισταῖς ἦρξε, καὶ παραδοξολογίας, καὶ πνεύματος, καὶ τοῦ τὰ μεγάλα μεγάλως ἑρμηνεύειν, ἀποστάσεων σε καὶ τριβόλων. Aristides περὶ σεμνότητος, ait, ἀπόστασιν fieri, ὅταν τοῦ συμπλέκειν κατὰ τὸ ἑξῆς καὶ συναντᾶν ἀλλήλοις ἀποστάντες, εἰς ἀρχὴν ἰδίαν ἐπανάγωμεν ὥστε τὸ σεμνημμένον τῶν νοημάτων χωρισὲν ἀποστῆναι. Rhet. Græc p. 642. Cuius definitionis satis obscuræ, hic est sensus, Apostasis est amplificatio quædam sententiæ, per variam rerum inter se copulatam seriem, in idem principium reuoluta. V. G. *grauia patrat Philippus.* Simplex est sententia, & minimè figurata. At si diffundas hoc pacto, *Thessaliam subiugauit, Euboeam sibi mancipauit, in Hellespontum proficiscitur*, sensibus & colis inter se distincta, ac separata, tunc fit ea, qua à Græcis Rhetoribus dicitur ἀπόστασις. Omnia enim declarant, & explanant, quod initio positum est, *grauia patrat Philippus.*

Fortè προβολῶν

Apostrophe.

Auersio. Necessaria plerumque figura, vbi, quæ ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur. Sic plerunque conuertimus orationem in reum ab iudice, cum illa tamen, quibus aduersarium alloquitur, iudici alligentur. Acutissimum exemplum in Philippicis Demosthenis, vbi, quibus verbis populum Atheniensium monitum vult, eadem se dicit apud Græcos, & Arcadas, & Messenios concionatum inuidiosè. Et M. Tullius cum sæpè alius, tum pro Roscio conuertit orationem ad Chrysogonum, ab illo loco, rogat, oratque te Chrysogone, &c. Aquil. p. 19.

Aria.

Execratio oratoria apud Ciceronem, ô scelus! ô portentum in vltimas terras exportandum! Apud Virg. Iul. Rufini p. 27.

At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Dij, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persoluant grates dignas.

Eadem Catara.

Astysmus.

Vrbana dictio. Hac figura fit exercitatis alijs ingenua festiuitas, vt apud Ciceronem, respicite, respicite iudices, hominum fortunas, respicite Fabritij senectutem: cum hoc respicite ornandæ orationis causa sæpè dixisset, respexit ipse: at Frabritius à subsellijs demisso capite discesserat. Et aliàs, negabat ius tam nequã esse Verrinum. Et idem alibi, execrabatur Sacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquisset. Iul. Rufini p. 24.

Asyntacton.

Quum consueta orationis structura, siue syntaxis immutatur, quod multis modis contingit, quos in Homero obseruat Plutarchus de schematibus.

Asyntheton.

Est, vel dialylon, cum oratio nulla coniunctione connexa, velut solutæ sententiæ regulam seruat. Vt, consilium, patriã galea, clypeoque resultant. Irrita deflexit, partim stringentia corpus. Et, ipsi, numerumque modumque carinis, Nos æra, manùs, naualia demus. Iul. Ruf. p. 32.

Lati-

Latinè dicitur *dissolutio*, vel *inconnexio*. Asyntheton autem, modo per singula verba fit, æra, manus, naualia demus. Et, hæc eadem Aenea, terram, mare, sidera iuro. Modò per plura verba, & per ea, quæ Græci vocant κῶλα.

Denique, quid vesper serus vehat, vnde serenas
Ventus agat nubes: quid cogitet humidus auster,
Sol tibi signa dabit.
(Et) —— *nube caua speculantur amicti,*
Quæ fortuna viros, classem quo littore linquant.
Quid veniant, &c.

Auxesis.

Vehemens rei amplificatio. Vt 2. Philipp. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu, si inter cænam in tuis illis immanibus poculis, hoc tibi accidisset, &c.

Brachyepeia.

P. Rut. Lup. p. 9. Hoc fieri solet, cùm orator breuitate sententiæ præcedit auditoris expectationem. Lysiæ, Quæres à me, qui iure obtinere possim, quo iure mihi Polienus reliquit, quo iure prætor dedit possessionem. Leges me defendunt, ad te non pertinent, hi veritatem sequantur. Item eiusdem. Sed nos æquum est voluntatem dispicere. Nam consilio valuit, fortuna lapsus est: homo fuit, fatetur, concedendum non omnia posse; hoc enim Deorum est proprium.

Charactrismus.

P. Rut. Lup. p. 8. Quemadmodum pictor coloribus figuras describit: sic orator hoc schemate, aut vitia, aut virtutes eorũ, de quibus loquitur, deformat. *Lyconis*, quid in hoc arbitrer bonæ spei reliquum residere, qui omne vitæ tempus vna, ac desperatissima consuetudine produxit? Nam simul atque ex prioribus horis diei, nimia cibi, ac vini satietate vix meridiano tempore, plenus crapula est experrectus: primum, oculis mero madidis, humore obcæcatis, visu grauidis, lucem constanter intueri non potest: deinde confectis viribus, vtpote cuius venæ non sanguine, sed vino sunt repletæ, se ipse erigere non valet: tandem duobus innixus, languidus, qui cubãdo sit defatigatus, tunicatus, sine pallio, soleatus præ lectulo, palliolo frigus à capite defendens, flexa ceruice, summissis genibus, colore exangui, protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur. Ibi præsto sunt quotidiani, pauci eodem studio excitati conuiuæ. Hic verò princeps paulùm illud reliquum, quod habet, mentis ac sensus, poculis extrudere festinat, & eos bibendo prouocat, & lacessit, perinde, ac si in hostium prœlio, quam plurimos superarit, atque afflixerit, amplissimam sibi victoriam paratam existimans. Interea procedit simul, & illud tempus, & potatio: oculi vinum lachrymantes caligant, ebriosum ipsi, vix ebrij cognoscunt: alius sine caussa iurgio proximum lacessit: alius somno deditus, vi cogitur vigilare: alius rixari parat: alium turbas vitantem, ac domum reuerti cupientem retinet ianitor, pulsat, exire prohibet domum, interdictum demonstrans. Interim alium contumeliosè extra ianuam eiectum, vacillantem puer sustentat, ac ducit, pallium per lutum trahentem. Nouissimè solus in triclinio relictus, non prius poculum ex manibus emittit, quam somnus oppressit bibentem, ac dissolutis artubus, ipsum poculum suapte natura dormienti excidit.

Catachresis.

Abusio vocis, vt, equum ædificant.

Catara.

Κατάρα, execratio, vt, Dij te perdant, fugitiue. Eadem Ara.

Charientismus.

Siue *scomma*. Hac figura fit festiua dictio, cum amœnitate mordax, vt apud Ciceronem, infirmo corpore, atque ægro colore, vt ipse iudicare, &c. Et apud eundem: facite enim, vt vultum ipsius, & illam vsque ad talos demissam purpuram cogitetis. *Iul. p. 24.*

Κισσὸν.

Apud Scholiasten Aristidis eadem est figura, ac *chiasmus*, decussatarum, scilicet sententiarum textura, vt, Doctorum sanctissimus, & Sanctorum Doctissimus.

Chleuasmus.

Siue *epicertomesis*. Hæc figura risum excitat, & scuerè proposita vafrè excutit, eludens personarum, aut rerum comparationem. Vt apud Virgilium, meque timoris Argue tu Drance. *Idem.* Apud Ciceronem. Quasi verò, ego de facie tua catamite dixerim: vel alias potuisset contumeliosius facere, si tibi hoc Parmeno peraliquem, ac non ipse Parmeno nuntiasset. Est vt apparet ironiæ species.

Cleticon.

Κλητικὸν σχῆμα est inuocatio, vnde κλητικοὶ ὕμνοι, hymni ad Deorum opem inuocan-

dam; Facit, inquit Hermogenes, hæc figura Apostrophen, & καταφορὰν, hoc est vehementiorem quendam impetum sermonis.

Climax

Aquil.p.28. Quod Græci vocant, *ascensus* nominetur à nobis. Malo enim ascensum, quam scalam, aut gradiculos, vt quidam dixere. Est autem figura, perquam decora, & à Demosthene commendata: in qua postremum quodque verbum in priore membro, aut parte aliqua elocutionis positum, in inferiorem rursus assumptum iniicitur: atque ita, velut gradibus quibusdam, cõnectitur oratio: ad hunc modũ: Ponam enim ipsum Demosthenicum versum: Et non dixi hæc quidem, non autẽ scripsi: nec, scripsi quidem, non profectus sum autem ad legationem: nec profectus quidem, non persuasi autẽ Thebanis. Hic animaduertis quanto elatius dicta sint, quam si simpliciter enuntiasset, & dixi hæc, & scripsi, & in legationem profectus sum, & persuasi Thebanis. Sic M. Tullius pro Milone. Neque verò se populo solum, sed etiam senatui commisit: nec senatui modò, sed etiam publicis præsidijs, & armis: neque his tantum, sed etiam eius potestati, cui senatus totam Remp. commisit. Parcè autem vsus est figura. Nam in tertio gradu contentus fuit dicere, neque his tantum, ne rursum totum illud repeteret, neque solum publicis præsidijs, & armis tantum: videlicet, quia & longum, & insuaue futurum erat. Egregiè autem, & (vt mihi videtur) feliciter, Licinius Caluus in Vatinium, non ergo pecuniarum magis, quam repetundarum; neq; maiestatis magis, quam Planciæ legis: neq; Planciæ legis magis, quam ambitus: neque ambitus magis, quam omnium legum omnia iudicia perierunt.

Iul. Rufini. 33. *Climax est*, cum ex re in rem gradum tibi sententiæ faciunt, vt, quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit, &c. Et,

Torua leæna lupum, sequitur lupus ipse capellam:
Florentem cytisum sequitur lasciua capella.

Latinè hæc figura dicitur gradatio.

Cœnotes.

P. Rutil. p. Xpanalepsis Hoc duorum schematum coniunctionem habet: quod & ab vno verbo omnes sententiæ incipiunt, & in vno nouissimè acquiescunt. *Strateclu*, Quæritis nouam rationem administrandæ reip. at reperire meliorem, quàm à maioribus accepistis, non potestis. Quæritis maximis sumptibus faciendis, quomodo tributa ne conferatis? at consilijs captas ærarij opes, quas cupitis, augere non potestis. Quæritis quemadmodum scelere contaminatis hominibus parcatis? at ignoscendo nocentibus, innocentium salutem custodire non potestis.

Compar in Isocolo.
Commoratio in Epimone.
Commutatio, vide in Anaclasi.
Communicatio, vide Anacœnosis.
Concessio in Paromologia.

Deesis.

Obsecratio, vel obtestatio, qua Deos oramus, aut homines. Cicero pro Deiotaro, Per dexteram istam tuam ego obtestor, Per ego has lachrymas. Pro Roscio, *μετὰ ἐμφανείας*, rogat, oratque te Chrysogone, Apud deos, Virg. Per superos, atque hoc cælum. Per ego has lachrymas, dextramque tuam te. Plautus, ita Deos obtestor per senectutem tuam. Iul. Rufin. p. 2.

Diabole.

Criminatio, & quasi denuntiatio eorum, quæ futura sunt. Cicero pro Milone, Erit, erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille dies, cum tu salutaribus, &c. Terent. Videre videor iam illum diem, quo hinc egenus profugiet aliquò militatum. Apud Virg. Iul.p.22.

Sed non antè datam cingetis mœnibus vrbem,
Quàm vos dira fames, nostraque iniuria cædis,
Ambesas subigat malu absumere mensas.

Diacope,

Siue *diaffole* est, cum inter duo eadem verba diuersum ponitur aliquid mediũm, vt, Culpatusue Paris, diuûm inclementia diuûm. Et, Ducage, duc ad nos. Et, Scis Proteus, scis ipse. Latinè dicitur *separatio*. Species est, vt apparet Anadiplosεos. Iul.p.31.

Diaresis.

Est figura sermonis, cum rerum distributione. vt, Iul.p.31.

Hic Delopum manus, hic sæuus tendebat Achilles:
Classibus hic locus, hic acies certare solebant.
(Et) *Hic portus alij effodiunt.*
(Et) *ferit ense grauem Thymbræum Osirim.*

Hæc latinè dicitur *distributio*, vel *designatio*: clara, & subtilis apparet in copula verborum cum

Cyprian. de bono patientiæ.

cum nominibus. vt, [spirare ventos, fontes flueie, grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et versus ille Licentij de Proteo ad D. Augustinum, quam tersus est,

Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.

Diallage.

Improprio nomine dicitur Instantia ἔνστασις: tractus est potius orationis, quàm figura.

Diallelon.

διάλληλον est sententiarum reciprocatio, commutationi similis. Vt, inter pueros senex, inter senes puer. idem Enagonion, & χιασὸν,

Dialogismus.

Iul. p. 27. Hæc ita fit, cum quis secum disputat, & volutat, quid agat, vel quid agendum putet. Apud Terent. Quid igitur faciam? Virg.

En quid agam? rursusne procos irrisa priores
Experiar?

Cicero pro Cluentio, dein iudicibus? mihi igitur nihil quæretur. In Verrinarum libr. 1. Si populo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Quod est igitur remedium? quod?

Dialysis.

P. Rutil. p. 5. Hoc Schema contrarium est Polysyntheto.

Asyntheton. Nam demptis omnibus articulis sententiæ diuisæ pronuntiantur. Daphnidius, Quid autem me conuenit facere Byzantij? subire publicæ caussæ iudicium, magno nomini aduersariorum fortiter resistere, non veteri periculum, diligenter posteritatis * crescere, nominas extimescere, constanter in causa pro vobis perseuerare? omnia feci, vestrum commune commodum spectans: tamen non desunt, qui ex tantis meis officijs aliquid velint vituperare. Item Lysiæ, Omnibus in rebus suam confidentiam ostentabat: debitum petebamus? non dissoluebat, minabamur? contemnebat. lex nihil valebat: magistratus negligebat. Venit hoc tamen nobis nouissimè tempus vlciscendi.

Diancea

Iul. p. 27. Hæc figura fit propriè, cum præponitur non id, quod fieri oportet, sed quod fit. Tullius, Dolabella autem, quemadmodum homines nobiles decet, vlcisci iniuriam fortissimè perseuerat. Virg. Furor arma ministrat. Applicatur huic figuræ etiam chria sententia necessaria. Vt Cato in Thermum post censuram. [Qui ventrem suum, non pro hoste habet, qui pro Republ. non pro sua obsonat: qui stultè spondet, qui cupidè ædificat.]

Diaphora.

Hoc Schema cum verbum iteratum, aliam sententiam significat, ac significauit, primò dictum. Id est huiusmodi. Hunc tu, frater, eiusdem sanguinis particeps, in hac fortuna deserere potuisti: cuius ærumnæ quemuis extraneorum hominem, modò hominem, commouere possent? Item, In vniuersum mulierem, quid potius dicam, aut verius, quàm mulierem. Eadem est cum traductione. P. Rutil. p. 4.

Diaporesis.

Addubitatio. Hac vtimur, cum propter res aliquas volumus videri dubitare, & quasi ab ipsis iudicibus consilium capere, quo potissimum genere orationis vtamur. Quale est pro Cluentio proœmium: Equidem, quo me vertam, iudices, nescio: negem fuisse illam rem, &c. Item, pro Cornelio: Pugnem apertè contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia, cogitationes que eorum aperiam? &c. quæ quasi dubitans, an sibi facienda sint, dicit. Vide in Aporia. Aquil. p. 18

Diasceue.

Apud Hermogen. libr. 3. de Inu. eadem cum διατυπώσει

Diasyrmus.

Hæc figura fit, cum rem aliquam, aut personam eleuamus. Vt apud Tullium. Est adhuc (quod admirari vos video) non Verres, sed Quintus Mutius. Et in eodem. Sed repentè è vestigio, ex homine, tanquam ex aliquo Circeo poculo, factus est Verres: redit ad se, atque ad mores suos. Et alibi, Quid ad hæc Næuius? Ridet, scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officij desideremus, & instituta bonorum virorum requiramus. Iul. Rup. p. 25.

Diasyrmus, eleuatio, vel irrisio. Ea figura est, qua ludentes, quæ dicuntur ab aduersarijs, dissoluimus. Qualis est ille locus pro Muræna in Sulpitium, totus de iure ciuili. Aquil. p. 16.

Diatyposis.

Descriptio, vel *deformatio*, vbi rebus derelictis, personarum, & formas ipsas, & habitus describimus, & exprimimus, vt Tullius hoc modo: Ponite ante oculos vobis Rullum, in Ponto inter vestra, atque hostium castra, hasta posita cum suis formosis finitoribus auctionantem. Item, plenius pro Milone, Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, vter esset insidia- Aquil. p. 15. προσώπων ἢ πραγμάτων ἀναγωγή. ab Alexandro.

tor. Et deformat Milonem in theda sedentem penulatum cum vxore. Item, Clodium cum equo, & cum delectis villa egredientem. Eodem modo pro Roscio de Glaucia: Nonne vobis, hæc, quæ audistis, oculis cernere videmini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem à cœna videtis? non positas insidias, non impetum repentinum? non versatur ante oculos vobis ipse Glaucia? & quæ sequuntur.

Dicæologia.

P. Rutil. p. 7. Hoc schema fieri solet, cum æquitatem caussæ, quam maximè breui sententia complectitur. Id est huiusmodi, Quod si me reprehendis, cum homo adolescens lapsus sim: vehementer erras, qui quid natura valeat, ignoras: acerbusque, & iniquus es, qui quod æqualiter omnibus putes ignoscendum, vni imputas, & in vno arbitraris vindicandum. Item Lysiæ, Nam ego huic, iudices, quicquid ad superius tempus attinet, nihil succenseo: nihil enim deliquisse cognoui, sed in hoc nouissimo facto, cum plenum malitiæ perfidiæque inuenirem, meritò reprehendere, atque odisse cœpi. Quæritis fortasse, quid acciderit caussæ: quamobrem eundem, & laudem, & vituperem: quod idem, commutata voluntate non est qui fuerat: neque idem nunc de se audire debet, quod prius consueuerat, cum sine noxa se gerebat. Non arbitratus es igitur, rursus eum reuersurum ad officium, atque amicum tibi futurum? Quo modo? quem sciam tantum facinus in se admisisse, vt in reliquum tempus, neque beneficio locum, neque beneuolentiæ spem relinqueret?

Diezeugmenon.

Aquil p. 22. Disiunctio. Siue *disiunctum*. Hæc figura ita ornat, & amplificat orationem: vt diuersis redditionibus verborum membra, quæ vocamus κῶλα disiungat, ac seperaret, siue duo, siue plura. Hoc modo, Capuam colonis deductis occupabunt, Atellam præsidio communient: Nuceriam, Cumas, multitudine suorum obtinebunt: cætera oppida præsidijs deuincient. Tale est illud: Veniet igitur sub præconem tota Propontis, atque Hellespontus: addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicum, Mysia, & Phrygia. Venies Propontis, atque Hellespontus sub præconem, id est, conditioni, legique parebunt. Animaduertere autem potes, nihil interesse, vtrum in postremis partibus membra disiungantur, necessitate verborum, an in primis, an hoc vicissim fiat.

Dilemmaton.

Annumeratur ab Hermogene inter figuras, sed vt apparet inter argumentationes est referendum, non differt enim à communi dilemmate. H. lib. 4. de inuentionibus.

Distributio.

Vide Diæresin, ea est, quæ vnumquodque proprio circunscribit verbo. vt, apud Ambrosium Hexam. lib. 3. c. 15. de aqua. Inter arenas flaua, inter cautes spumea, inter nemora viridantior, inter florulentia discolor, inter lilia fulgentior, inter roseta rutilantior, in gramine liquidior, in palude turbidior, in fonte perspicua, in mari obscura. & Iulius Firmicus libro de errore profanarum religionum, de Ioue. In cygno fallit, in Tauro rapit, ludit in Satyro. Sic Minutius felix.

Pluuias fluere, flare ventos, grandines increpare, nimbis collidentibus tonitrua mugire.

Ecbasis.

Digressio. Excursio à proposito.

Ellipsis.

Aquil. p. 23. Id est *detractio*, contraria Pleonasmo. Ornatur oratio, cum verbum aliquod detrahimus à sua significatione, hoc modo, & illi quidem, qui à se contumeliam morte inimici repulit, ignosco. Videntur autem mihi, iudices, qui sententias pro illo tulerunt; nam multos fuisse audio. Hic apparet tum illud deesse, videntur autem mihi, & iudices idem sensisse, vel ignouisse: sed quia intelligebatur, ideo detractum est, vt ipsa celeritate commotior esset enunciatio.

Emphasis.

Altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per se ipsa declarant.

Enagonion.

Figura, qua contrariorum sensuum inductione, pugnæ quoddam simulachrum exhibet. Definitur à Scholiaste Aristidis apud Photium, in Aristidis Panathenaico σχῆμα δοκῶν ἔχει ἀγῶνα τῇ τῶν γωγῇ τ νοημάτων, est species Antithesis, vt iustis fortior, fortibus iustior. Eadem διαγώνιον ibidem appellatur. Scholiasta Aristidu.

Energia.

Est figura, qua formam rerum, & imaginem ita oratione substituimus, vt lectoris oculis Inl. p. 31.

lis præsentiæque subijciamus. Eadem *Hypotypposis*, *Diatypposis*, *Charactérismus*, *Descriptio.*

Enthymema.

Fit, cum periodus orationis ex contrarijs sententijs astringitur. Apud Lucilium, [Si me nescire, hoc nescis, quod quærere dico, Quare diuinas quicquam, aut quærere debes] ipse. Et si scis q. b. e. scire hoc. t. Cicero in diuinatione, tamen hic operam tuam pollicebere, qui te neque velle sua caussa, nec si velis, posse arbitrantur.

Epagoge.

Fit hæc ex rerum similium collatione, vel argumentorum, salua tamen similitudine rerum. vt Virg.

Improuisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens.

Et Cic. pro Rosc. comparat occupationes Iouis opt. maximi, Syllæ rebus gestis propius. Argumentorum autem, vt Lucretius, [Nã si tu fluctus, vndasque è gurgite salso Tollere decreueris, ventum prius Hęmatium tu, Ventum, inquam, tollas.] &c.

Epanadiplosis.

Est, cum idem verbum in eadem sententia & primum est, & extremum, vt, [Cæsaris, & famam, & nomen tot ferre per annos, Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar. Et, Antè nouis rubeant quam prata coloribus, antè. Et, Vnum illud tibi nate dea, proque omnibus vnum. Et, Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso.] Latinè dicitur *inclusio.*

Epanalepsis.

Hoc schema fieri solet, cum id, quod dictum semel est, quo grauius sit, iteratur. Id interdũ fit vno verbo: interdum plurium verborum coniunctione. Verbum sic iteratur. Pythiæ, Quid contra tot res, tamque euidentes dicere potes Demosthenes? cognitum enim est te rempublicam venalem habuisse, cognitum est. Item, Hegesiæ. Sed instigabat multitudinis animum ad bellum, inferendũ concitatus iracundia furor. Furor, inquam, non ratio, sine qua nihil vnquam populus ex sententia gessit. Sed plurium verborum iteratio est huiusmodi. At ego in his ærumnis amicis sum spoliatus omnibus, iudices: qui non, quòd me odissent, sed quod inimicorum factionem pertimuissent, me in malis deseruerunt.

Epanalepsis, repetitio. Hæc figura tantum à Palilogia distat, quod in illa quidem vna pars orationis bis repetitur, tum coniunctim, tum interposito vno, aut altero verbo, quo vehementior elocutio videtur fieri: at in hac ex plurium verborum continuatione repetita, idem quæritur: vt, si dicas, Patrię suæ quisquã, ô dij immortales! exitium est machinatus? Hęc non potest: iam non potest, inquam, libera hęc ciuitas esse.

Epanalepsis, repetitio sententiæ propter aliã necessariam caussam, non vt fit in figuris elocutionis, sed apud Lucilium: vel consilio vestrũm, quod dictis olim cœlicolæ adfuissemus priore concilio. Cic. pro Rabirio, Libenter, si esset integrum, profiterer idem, Saturninum C. Rabirij manu interfectum, nihil me iste clamor commouet, Vsque hucne libenter, inquam, profiterer.

Epanalepsis, est eorumdem verborum simul positorum, eiusdemque sententiæ, post multa interiecta, cum aliqua periodi conclusione facta repetitio, vt,

Huc pater ô Lenæe, tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris:
Huc pater ô Lenæe veni!

Et, *Pastorum musam Damonis, & Alphesibœi,*
Immemor herbarum, quos est mirata iuuenca
Certantes, quorum stupefacta carmine lynces:
Damonis Musam dicemus, & Alphesibœi.

Latinè hæc figura dicitur *resumptio*, vel *repetitio.*

Epanaphora.

Est, cum ab eodem verbo plures inchoatæ sententiæ incipiunt, vt,

Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori,
Hic nemus, hic ipso tecum consumerer ævo.

Et, *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?*
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Et, *bellum ô terra hospita portas,*
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Et, *Ver*

Epanalepsis, repetitio. Aquil. p. 20.

Iul. Ruf. p. 299.

Idem p. 30.

ὅταν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ κόμματος δύο ἢ πλείω κῶλα ἄρχηται. Alexander Rhetor. Iul. Ruf. p. 31.

Epanaphora seu repetitio, & Epibole. Aquil. p. 20.

Et, *Ver adeo frondi nemorum, ver vtile syluis.*
Et, *Nocte leues stipulæ melius, nocte arida prata.*
Tondentur, noctis lentus non deficit humor.

Latinè hæc figura dicitur *regressio.*

Epanaphora, quod relatum vocant. Hæ figura, vel frequentissimè, & Demosth. & M. Tul. & omnes vehementes oratores vtuntur: quando præcipuè, & ipsi commoti videri volunt, & iudicem commouere. Constat autem ex eo, quòd eadem pars orationis sæpius per singulos ambitus, aut per singula membra, interdum etiam breuius per cæsa, quæ κόμματα appellant, reperitur hoc modo: Verres calumniatorem apponebat, Verres de causa cognoscebat, Verres pronuntiabat. Aut si dicas: Ille venire hostes nuntiauit, ille vos in motum belli compulit, ille in tumultu, vt ciuitas esset, effecit. Per ambitum autem repeti potest eadem pars orationis sic: Tamdiu Tib. Gracchus populo gratus fuit, quandiu leges ad voluntatem eius, non ad vtilitatem reip. compositas ferebat: Tandiu C. Gracchus, quamdiu legibus agrarijs, & frumentarijs, & cæteris profusionibus ærarijs multitudinem imperitam promerebatur: Tandiu Saturninus plurimum potuit, quamdiu easdem illas frumentarias largitiones, & agri diuisiones pollicebatur.

Epanodus

Iul. Ruf. p. 32. Est, cum duobus breuiùs, pluribusue propositis, ad singularem enarrationem recurritur. Vt,

—— diuellimur inde,
Iphitus, & Pelias mecum, quorum Iphitus ano
Iam grauior.
Et, *Protinus Orsilochum, & Buthen, duo maxima Teucrum*
Corpora. sed Buthen auersum cuspide fixit
Loricam, galeamque inter, qua colla sedentis
Inuenit. Latinè dicitur *euersio*, vel *egressio.*

Epanorthosis.

Iul. Ruf. pag. 32. Est, cum supradictum verbum verbo sequenti corrigitur. vt, Non subripere, hoc est furari. Latinè dicitur *correctio.* Sic Cestus Pius. Erat nauigium, imo fuerat. Eadem Aphorismus.

Epembole.

Hermog. Ἐπεμβολὴ *intercalatio.* Apud Hermogenem figura est non dissimilis Parenthesi, ἐπεμβάλλειν enim est *interserere*, & *intercalare.* Sic vsurpauit Plato in Timæo οὐδὲ ἐπὶ μῆκει λόγῳ, πάρεργον ἄλλο μῆκος ἐπεμβλητέον. Neque ad orationis prolixitatem, otiosa quædam alia longitudo interserenda.

Epenthymesis.

Ἐπενθύμησις melius inter argumentationes collocatur, quam inter figuras. Est rationum, atque enthymematum acrior quædam, & contorta volubilitas. Vnde Hermogen. περὶ περιεργίστητος.

Epexegesis.

Enarratio potius est, quàm figura, de qua in narratione.

Epexergasia.

Ἐπεξεργασία expolitio, cum in eodem loco manens orator aliud dicere videtur. Cicer. 4. ad Heren.

Epibole.

Hoc schema dupliciter fieri consueuit, cum pluribus, & diuersis sententijs, aut vnum, aut idem verbum singulis præponitur: aut varietas verborum; quæ tamen eandem vim inter se habent: quæ ab vno verbo sæpius proficiscuntur, sunt huiusmodi. Lycurgi, Nam cum iuuentus concitata temerè arma caperet, & quietos Thessalos manu lacessere conaretur: iure senatum coegi, authoritate sua comprimere adolescentium violentiam. Ego quæstoribus interminatus sum, ne sumptum stipendio præberent. Ego armentario patefacto restiti, atq; efferri arma prohibui. Itaque mea vnius opera compressum, non concitatum bellum, non necessarium scitis. Item Hegesiæ, Miseremini mei, iudices, quem coniurata tanta vis inimicorũ oppugnat. Miseremini solitudinis, cui ne in summo quidem tempore periculi liberos adhibere ad communem calamitatem decernendam licitum est. Miseremini senectutis, quæ me etiam sine cæteris malis grauiter defatigat. Varietas verborum, quæ eandem vim habet, huiusmodi est. Demosthenis, Dolui, viri Athenienses, vbi illum clandestinum hostem impunè intra murum vidi vagari: ægrè tuli, quòd omnium vestrûm facilitatem vnius fallaciâ tentatam intellexi: commouit me, quòd in accipiẽda iniuria pleroſque lætitiam ostentantes cognoui.

P. Rutil. p. 2 Eadem Epanaphora & Epanaphora

Epicrisis.

Ἐπίκρισις, cuius meminit Hermogenes in capite περὶ ἀληθινῦ λόγυ c. 2. id. Definitur ab ipsius Hermogenis Scholiaste λόγου ῥητὴν

ῥηθέντος ἐπικύρωσις καὶ βεβαίωσις sermonis dicti confirmatio & corroboratio: vbi statim sentẽtiæ, seu propositionis allatæ subijcitur ratio, vt apud Demosthenem, de corona, Δεινὸν μὲν γῆ καὶ θεοὶ πῶς γὰρ οὐ, κατὰ τῆς πατρίδος. Graue illud quidem, ô terra, & Dij! quomodo enim non esset graue contra patriam?

Epidiorthosis

Alexander. Ab Alexandro Rhetore à Prodiorthosi discriminatur, quod hæc ante dicti cuiusdam acerbitatem præmuniat auditorem: Illa orationem iam durius prolatam corrigat & mitiget.

Epimone.

Commoratio, cum in loco firmissimo, quo tota caussa continetur, imanetur diutius. Cic. 4. ad Heren. ἐπὶ πλεῖον, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ νοήματος ἐπιμονὴ μετ' αὐξήσεως. Alexander Rhetor.

Epiphonema.

Iul. Ruf. p. 28. Hæc sententia in fine expositæ rei cum affectu enuntiatur. Cicero in Verrinis, non vitam liberam, sed mortis celeritatem precabantur.

Epiphora.

P. Rut. p. 3. Epistrophe & Anastrophe. Inter hoc schema, & Epibolen, hoc interest, quod in superiore vnum pluribus sententijs anteponitur: in hoc autem omnium sententiarum, vnum, atque idem nouissimum verbum. Sosicratis, Nõ enim alius, quis est, cuius opera in has difficultates inciderimus: Sed initio ad bellum suscipiendum vos primum impulit Philippus. Deinde in ipso belli labore ac periculo deseruit nos Philippus. Nouissimæ nunc calamitati nostræ, atque culpæ, succensuit idem Philippus.

Epiplexis.

Iul. Ruf. p. 27. Siue epitimesis Fit hæc figura cum iurgamur, aut coarguimus. Cic. in Catilinam, Parêre tua consilia non sentis? quem nostrum ignorare arbitraris? Teren. Non ego te vidi manum, &c. Virg.

Non ego te vide Damonis pessime caprum
Excipere insidijs?

Epipocle.

P. Rut. p. 4. In hoc ex prima sententia, secunda oritur, ex secunda tertia, atque ita deinceps complures. Nam quemadmodum catenam multi inter se circuli coniuncti vinciunt; sed huius schematis seriem complures sententiæ inter se connexæ continent. Lysiæ, Constant igitur, iudices, Simonem domo sua, ab suis Dijs penatibus, vi cum summa iniuria esse exturbatum. Nam Cheremenes cum hominibus armatis ad eum venit, cum venisset, sine vlla religione domum eius expugnauit: expugnata vi domo, familiam abstraxit: abstractam, tormentis omnibus excruciauit: cruciatam, vinxit: vinctam, in publicum proiecit: opinor ne suum maleficium tacitum lateret, sed vt cum prætereuntes prostratam familiam viderent, & à vicinis rem gestam audirent, simul & oculis, & auribus, scelus illius vsurparent. Item, Lycurgi. At mihi mirum videtur, quòd tam excelsum boni gradum, homo summi laboris exceperit? Nam cui præsto est sua volũtas, industrius sit necesse est: industriam verò scientia consequitur: ex scientia, copia & facultas ingenij nascitur: ex qua facultate vera, & facili, felicitas laudis oritur. Neque enim temerè diligens studium virtutis, fructus fortunæ fallit.

Epistrophe. Iul. p. 30.

Est, cum in eadem verba plures sententiæ desinunt. vt, Horatius,

Si curtatas inæquali tonsore capillos
Occurri, rides: si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ, vel si toga diffidet impar,
Rides.

Quale forsitan sit, — *similis si cura fuisset,*
Tunc quoque fasnebis Teucros armare fuisset,
Et, *Impius ante aras, atque auri cœcus amore.*

Latine dicitur reuersio.

Epitheton.

Etiam inter figuras numerari solet, quod appositè collocatum, venustè colorat orationem.

Epithrocasmus.

Percursio. Hæc rursum figura differt à coaceruatione: quod cum illa res diuersas plures in eundem locum conferat, hac distantia plura inter se percurrens velocitate ipsa circumponit: vt si velis dicere, Cæsar in Italiam euolarat, Cornificium præsidio desertum ceperat, vrbe potiebatur, Pompeium persequebatur. Idem Alexander Rhetor τὰ πολὺ διεστηκότα σαυάγει καὶ ἀξιόπιστα.

Alia species Epistrophos artificiosa, cum non eadem quidem verba repetuntur. Sed tamen periodi per certum & destinatam aliquam dictionem cõcluduntur. Vide exemplum apud Method. homil. de hypapante p. 30. vbi per Epitheta claudic. Aquip.

Epitimesis.

Est etiam proxima figura, cum aduersarium ipsdē verbis, quibus ab eo lacessiti sumus, percutimus. Vt in illo, *Quæ dens in fraudem, quæ dura potentia nostra* Egit? vbi hoc Iuno, quia scilicet, Venus dixerat, si nulla est regio Teucris, quam det tua coniux dura. Et, Bis capti Phryges. Latine dicitur obiurgatio. *Iul. Ruf. p. 37.*

Epitrechon.

Hermog. Ἐπιτρέχον percursio, vbi res, & sententiæ summa velocitate percurruntur, & discutiuntur. Eodem est cum Epitrochasmo. Herm. lib. 2. de formis dicendi.

Epitrope.

P. Rusil. p. 19. Hoc fieri solet, cum alicui rei vehementer confidimus, & nostro iure iudicibus largimur: vt quemadmodum videtur illis, constituant, atque ei pareamus. Hyperidis, sed ego iam iudices summum, ac legitimum, quod exposui, meæ caussæ ius omitto: vobis, quod æquissimum videatur, vt constituatis, permitto. Non enim vereor, quin etiam si nouum vobis instituēdum, libenter id, quod postulo, propter vtilitatem communis consuetudinis sequamini. *Permissio.*

Iul. Rufini p. 28. Epitrope. Hæc fit, cum figuratè concedimus, quod velit, quis faciat. vt, Virg. AEneid. 1.

I, Sequere Italiam ventis, pete regna per undas.

Et Cic. in Catilin. Quid expectas? proficiscere: nimium iam diu te Imperatorem illa tua Manliana castra desiderant.

Epizeuxis.

Siue Diplosis, geminatio vnius verbi, vel plurium in eadem sententia duplicatio. vt, Vos appello fortissimi viri. Quint. lib. 9. c. 3. distinguitur ab Anadiplosi, quod hæc sit in diuersis sententijs. Anadiplosis eadem, & reduplicatio.

Erotema.

Aquil p. 15. Interrogatum. Eo vtimur, vbi exacerbando aliquid interrogamus, & augemus eius inuidiam, hoc modo: Fuitne illo in loco? dixitne hæc ita gesta esse? renuntiatne ea quibus decepti sumus? Hæc enim si sine interrogatione dicantur, ad hunc modum, hic fuit illo in loco, & ita esse gesta dixit, & falsa renuntiando nos decepit: hæc si prolata minus inuidiosè proferentur.

Errorum inductio.

Numeratur à Cicerone inter figuras, quam Scaliger refert ad ironiam l. 3. c. 91. *P. Rut. p. 6.*

Ethologia.

Morata oratio, qualis est ista Lysiæ.

Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, vix sufferens viæ molestiam, tamen his verbis egomet me consolor: fer fortiter demum laborem; iam breui domum venies expectatus: excipiet te defatigatum diligens, atque amans vxor: ea sedulo, ac blandè præministrando detrahet languorem, & simul seniles nutriendo recuperabit vites. Hæc me in itinere cogitatio prope confectum confirmabat. Postea verò, cum domum veni, nihil earum rerum inueni: sed potius bellum intestinum ab vxore, contra me comparatum. Item Demosthenis, At medius fidius, iudices, ego sic arbitrabar, filium ad patrem dissoluto vultu venturum, lachrymis patrium sinum oppleturum, supplicem precaturum, obsecraturum, blanditia sua, quod petisset, à patris mollitie impetraturum. Sed hic longe aliter: namque incredibili confidentia armatus, ad patrem aduolauit sicut hostis: atque initium sermonis, cum iurgio sumpsit.

Ethopeia.

Moralis confictio. Hæc figura differt à *Aquil p. 4.* Prosopopœia, eo, quòd & ibi personas fingimus, quæ nusquam sunt: hic certis quibusdam personis verba accommodatè adfingimus, vel ad improbitatem earum demonstrandam, vel ad dignitatem. Tale est illud pro Quinctio. Quid Sex. Næuius ad hæc? tidet nostram amentiam, scilicet, cum ab eo officia boni viri desideramus. Et quemadmodū natus, inquit, & quemadmodum educatus sum memini. Vetus est, de scurra diuitem facilius multò, quàm patrem familias fieri posse, &c. *Iul. Rufini p. 36.*

Ethopœia, est alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumq; imitatio, non sine reprehensione. Latinè dicitur figuratio, vel expressio.

Euche

Precatio. Virg.

Da nunc Tymbræ pater ferro, quid missile libro. *Iul. Ruf. p. 38*

Cic. in Catilinam, cum inuocat Iouem ad pœnam coniuratorum, atque ita concludit, AEternis supplicijs viuos, mortuosque mactabis.

Exallage.

Ἐξαλλαγή immutatio, & diuersitas. Vbi

varia

varia subinde cursim inferuntur. vt, Primum Amphipolin cepit, deinde Pydnam, mox Potidęam, postea Methonem: Exinde ingressus in Thessaliam. Demost. 1. olynth.

Exartosis.

Ἐξάρτυσις suspensio. Annumeratur etiam à nonnullis inter figuras, quæ fit, vbi figuræ figuris implexæ sunt, sicut annuli in catena, vnde plena, grandis, & suauis decurrit oratio, quod in Cicerone, & Demosthene passim occurrit. Hermog. lib. 1. de formis.

Excitatio.

Ἔγερσις quoties languentem auditoris animum, aut tædio affectum excitamus. vt,

Non mihi si linguæ centum, oraque centum
Ferrea vox. Scalig. lib. 3. poët.

Expeditio.

Appellatur ratiocinatio à partium enumeratione volubilis, & sibi instans, de qua inferius.

Exuthenismus.

Iul. Ruf. p. 25. Figura hæc fit, cum rem aliquam extenuamus, & contemptam facimus. vt apud Lucilium. At magnum fecit, quod verbis Græca latinis miscuit. Apud Tullium pro Cecinna, Eieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus, non in æquitate iuris, sed in vna litera latuisse videatur. Item in Philippicarum secunda, Nunc quod quærebas quomodo redissem: prima luce, non tenebris: Deinde cum calceis, & toga, nullis caligis, nec lacerna. Cato apud Athenienses, Antiochus epistolis bellum gerit, calamo, & atramento militat.

Iul. Ruf. p. 32. FIGVRA per casum genitiuum. Vt si dicamus, constans vir animi. Item alia: vt se habent ista;

Isque amens animi, & rumore accensus amaro.
Et, *At non infelix animi, F hœnissa.*
Et, *Actutum pius Aeneas, atque integer ævi*
Ascanius.
Et, *Hic annis grauis, atque animi maturus Aletes.*
Et, si quis dicat, pecuniæ dives: vt,
Insula dives opum.
Et, *Dives equum, dives pictaï vestis, & auri.*
Item, *quas illis lata bonorum.*
Et, *Expediuni fessi rerum.*
Et, *Ille mihi ante oculos felix, functusque laborum,*
Egregiusq; animo.
Et si qua sunt talia. Ibidem.

Figura per datiuum. Si quis dicat, timeo illi, pro timeo pro illo, & talia: vt,
— *& pariter, comitique, onerique timentem.*
Et, *Tunc decuit metuisse tuis.*
Et, *Hæc cum Dardanio AEneæ mirabilia dantur.*
pro ab AEnea. Et quæ antiquè dicta sunt.
— *cui nomen asylo Romanum est,*
Et, — *cui nunc cognomen Iulo*
Additur &, *Cui Romulo cognomen erat.*
Et, — *cui nomen Amello fecere agricolæ.*
Item si qua sunt talia.

Figura per accusatiuum. vt si quis dicat, Togam fusus, pro fusam togam habens. vt se habent ista, P. 345

— *nodoque sinus collecta fluentes.*
Et, *Scissa comam.*
Et, — *vestem laniata genas.*
Et, — *tumidusque nouo præcordia regno.*
Et, *Inflatum hesterno venas, vt semper, Iacchо.*
Et, *Ecce manus iuuenum interea post terga reuinctum.*
Et quæ antiquè dicta sunt,
— *forsan, & hæc olim meminisse iuuabit.*
Et, — *numeros memini si verba tenerem:*
pro numerorum memini. Item si qua sunt talia.

Figura per ablatiuum. Si quis de quopiam dicat Magnus virtute, bonus bello, pro in bello. Et, erectus capite incedit. Vt se habent ista. Ibidem.

Purpureis cyrtis iuuenes, auroque coruſci.
Et, *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ*
Et, *Vnde prius latum siliqua quassante legumen.*
Et, *Teveti subnexit fibula gemma.*
Et, *qui force tapetibus altis*
Extructus.
Et, *Quam tua ne spolianta armis, excussa magistro*
Deficeret.
Item si qua sunt talia.

Figura Græca, aut casuum varietas. vt, Ibidem.
Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
Et, — *placidone etiam pugnabis amori.*

pro tecum certat, & cum amore pugnabis.
Et, *Reddidit vna boum vocem,*
pro vna è bobus. Item similia. Aut propositione detracta. Vt
— maria aspera iuro.
Et, *Thyrrhenum nauigat æquor.*
Item quæ sunt talia.

Ibidem. Figura per personas. Vt si quis dicat, vos superi Iupiter precor. Vt sunt ista.
Vos ô Calliope precor aspirate canenti.
Et, *Vos ô patricius sanguis, quos viuere fas est.*
Item si qua sunt similia.

Ibidem. Figura per numeros. Vt si quis dicat, populus locuti sunt. Vt
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.
Et, *Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis*
Expediunt.
Et, *sauitque animis ignobile vulgus,*
Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum, quem
Conspexere, silent.

Ibidem. Figura per præpositionem ad, modo semel, & simplicem positam. Vt si quis dicat, aduoluor illum, pro ad illum voluor. Et accedo illum, quasi ad illum accedo. Vt
Explorare locos, quos vento accesserit oras.
Et, *Nuntia fama ruit, matrisque adlabitur aures*
Euryali.
Et, *Electra vt Graij perhibent Atlantide creatus,*
Aduehitur Teucros.
Modo simpliciter relatam. Vt quin adeat ad eum? aggrediar ad illum. Et si qua sunt talia.

Ibidem. Figura per præpositionem in, modo semel simplicem elatam. Vt
Inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.
Et, *Tu calamos inflare leues.*
Quasi in calamos, ebur, flare. Et apud Salustium, atque eos à tergo incurrerunt, quasi in eos incurrerunt. Modo dupliciter elatam. Vt
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.
Et, *Induit in florem, & ramos curuauit olentes.*
Et, *Hunc in prona iugo loeuum incumbebat in amnem:*
Et si qua sunt similia.

Ibidem. Figura per verborum qualitatem. Vt caput velor, pro caput velo, aut capite velor. Vt,
Capite ante aram Phrygio velabar amictu.
Et, *Elaua caput nectuntur oliua.*
Et, *-- peplum fuluis velatur pectora setis.*
Et, *-- aut pacem Troiano ab rege petendum.*
Et, *-- populare penates,*
pro populari.

Figura per modos temporum. Vt cum dico, libens fecero, pro faciam, vt
-- donec me flumine viuo,
Abluero.

Figura per aduerbiorum qualitatem. Vt cum dicimus, Ad illum cœno. Ad villam moror, pro apud villam. Et, terræ iacet, pro in terra. Et, Domi, militiæque res gestas. Et, cuius domo nota est annos sexaginta natus. Et, tot annos bella gero. *Pag. 53.*

Figura per Pleonasmum. Vt, Antiquum obtinens. Vt, Mortem occumbere, & obire diem, & viuere vitam, & pugnare pugnam, & ire iter, & oculis videre, & *Ibidem.*
— voce vocans Hecaten.
Et, *Hunc oro sine me furere ante furorem:*
ac si qua sunt talia.

Figura per eclogam verborum. Vt cum enuntiamus bonos dicere, fortes pugnare. *Ibidem.*
Item, da bibere, da cœnare. Et,
Donat habere viro,
Et, *Constaturque metu, lethumque instare tremiscit:*
Et, *Da sternere corpus.*
Et, *-- da iungere dextram.*
Et, *-- quale per æstum*
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.
Et, *Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vnde*
Iliade.

Figura per eclogam aduerbiorum, Vt, cum dicimus, magnum tonat, tumidum loquitur. *Ibidem.*
Magnumque fluentem nilum.
Et, *-- vtque volutus ad terras.*
Et, *Immane sonat per saxa.*
Et, *-- nec longum latabere.*
Et, *graue olentis Auerni.*
Et, *-- horrendum intonat armis.*
Et, *Nauibus infandum, amissis.*
Et si qua sunt talia. *Ibidem.*

Figura per pronomina. Vt, nullus dixeris, pro ne dixeris. Et, Quis mulier. *Ibidem.*

Figura per eclogam nominum. Vt cum dici-

dicimus, bonum est virtus, malum infamia. vt.

Dulce satis humor depulsis arbutus hædis.
Et, Tale tuum carmen nobis diuine poeta,
Quale sopor fessis in gramine.

Gradatio.

Climax, & κλημακωτὸ σχῆμα ab Hermogene. Vide Climax. Bis tantum in Demosthene inueniri hanc figuram notat item Hermogen. lib. 1. de formis.

Heterogenes.

Heteroptoton, Heteroptosopon, Heterarithmon à vetere quodam Scholiaste Græco annumerantur inter figuras grammaticas, satis ex notione sui nominis perspicuę sunt.

Homœon.

Iul. Ruf. p. 25. Hæc figura fit, cum ex partibus aliqua similitudo colligitur. vt, Virg.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora tenebat.

Etiam in actu fit homœon. vt idem Virg.

Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago aut antiqua Tyrus.

Cic. in Verrinis ait, succinctam Scyllam lupis, & canibus, cum pube tenus virgo sit, similem esse Verris, & comitum illius, quibus quasi canibus succinctus sit.

Homœoptoton.

P. Rut. p. 50. Hæc in duobus verbis eundem habet casum, aut eandem nouissimam syllabam. Id est huiusmodi. In rebus aduersis, cui præsto est consilium, non potest deesse auxilium. Item Sosicratis, nam qui secundis rebus libenter assentiuntur, ijdem simul, ac si fortuna contristauerit, primi insidiantur.

Aquil. p. 19. Homœoptoton simile in casibus. Hoc ex eo nomen accepit, quod membra illa, id est κῶλο in eosdem casus cadunt ad hunc modum: huic igitur socios vestros criminanti, & ad bellum vos exhortanti, & omnibus modis, vt in tumultu essetis, molienti. Hæc enim tria in eundem casum determinata sunt.

Homœosis.

Iul. Ruf. p. 28. Est, cum per similitudinem res præstantur. Cuius species sunt primæ duæ, paradigma, & parabole. Horum distantia est, quòd paradigma facit vera exempla. parabole ficta ostēdit.

Homœoteleuton.

P. Rutil. p. 10. Hoc minus euidens est, quàm homœoptoton, & minorem affert auribus iucunditatem. Nam neque tam paria duo verba sunt: neque eundem habent casum, & sonum vocis, quam Græci προσωδίαν appellant. Id est huiusmodi. Nam respub. nostra ad hunc statum gloriæ peruenit, non multitudine hominum, sed seueritate legum.

Horismus.

Hoc schema fit, cum definimus aliquam rem nostræ caussæ, ad vtilitatem, neque tamen contra communem opinionem. Id est huiusmodi. Nam virtutis labor, vera voluptatis exercitatio est. Sed fieri solet hoc schema nonnunquam ratione supposita, tum denique magis illustratur, ita vt fecit * diues auarus. In villa ædem feci fortunæ. Crimen arguitur temeritate illius, quæ tam locupletis copias dederit ei, qui odisset vti. P. Rutil. p. 8.

Hyperbaton.

Quod opportuna ordinis mutatione aliquid ex significatione mutando numerosam reddit orationem. Fab. lib. 8.

Hyperbole.

Alijs schema, alijs tropus videtur. Cæterum fit, cum excedit veritatem sententia. apud Virg.

Qui candore niues anteirent, cursibus auras.

Hypexaropsis.

Ab Alexandro Rhetore nominatur inter figuras, fitque cum in comparatione rerum, aut personarum aliquas excipimus, cum quibus comparationem nullam inire volumus. ὑπεξελόμενον τὴν πρόσωπον ἢ γένος. Sic apud Homerum.

Ἀνδράσι μὲν προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω.
Οὐδ' Ἡρακλεῖ οὔτ' Εὐρύτῳ.

Hypobole.

Subiectio, cum interrogamus aduersarios: aut quærimus, quid ab illis, aut quid contra nos dici possit: Deinde subijcimus id, quod dici oportet è contrario. vt, Amplum patrimonium relictum est? At patris bona vænierunt, &c. Cicer. 4. ad Herenn. Iul. Rufin. p. 30.

Hypocrisis.

Est figura sententiæ, cum aduersarium gestu, & pronuntiatione extollimus, vel abijcimus, & spernimus. Vt, in illo, Iul. Rufin. p. 37.

Cantando tu illum? aut vnquam tibi fistula cera.

Iunctæ sunt?

Additur enim, Tu nullus alioqui, illum autē magnum in canendo. Et,

— non ego Daphin

Iudice te metuam.

Qui, scilicet mihi iniquus es, & non rectè iudicaturus. Latinè dicitur pronuntiatio.

Hypomone.

Et παράδοξον, quo suspenduntur auditorum animi. Arist. Rhet. lib. 3.

Hypostasis.

Est præstantia quædam animi, & fiducia orationis. Vt, ἐξήλεγξα τὸν φίλιππον φανερῶς οὕτως, ὥστε τοὺς ἐκείνῳ συμμάχους, αὐτοὺς ἀνεσταμένους ὁμολογεῖν. Hermog. περὶ ιδ. libr. 1. p. 283. Redarguit Philippum tam apertè, vt eius socij exurgentes faterentur.

Hypozeuxis.

Tul. Ruf. p. 30. Est, cum singulis rebus, sententijsque singula debita verba iunguntur: vt,

Procumbunt picea, sonat icta securibus ilex.

Fraxineæque trabes, cuneis, & fissile robur

Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos.

Et, *Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,*

Glandē sues redeunt lati, dant arbuta syluæ.

Et, *Varios ponit fœtus autumnus, & alte*

Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Hæc figura latinè vocabitur subiunctio, vel subinsertio, vel subnexio,

Hysterologia.

Beda Presby. p. 350. Vel. Ὕστερον πρότερον, est sententia cum ordo in verbis mutatur: vt,

Torrere parant flammis, & frangere saxo.

Et, *Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit*

Prius enim franguntur fruges, & postea coquuntur, & ante ad æquora venit, & sic tetigit fluctus. Tale est, & illud. Hic accipiet benedictionem à domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Prius enim dominus misezando iustificat impium, & sic benedicendo coronat iustum.

Hanc figuram peculiarem Homero fuisse indicat M. Tullius ad Attic. Ὕστερον πρότερον ἱμερικῶς.

Icon.

Fit cum perfectæ formæ similes conferuntur. Virg. Tul. Ruf. p. 28.

Talis amyclei domitus Pollux hebenis.

Cicero de L. R. Mare quod sua natura tranquillum sit, ventorum vi agitari, & conturbari solet: sic populus Romanus.

Ironia.

Simulatio. Frequentissima apud oratores, qua figura aliud verbis significamus, aliud re sentimus. A quo genere figuræ proœmium pro Ligario sumptum est: Nouum crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, & cæt. Aqui. p. 14.

Ironia, sententiæ figura, quàm hoc modo enuntiabo: hic enim egregius author communium commodorum, custos, & defensor reip. salus, & columen ciuitatis, de quo contraria, scilicet intelligi velim. Mutabo verba ordine eorum verso, vel tota locutione aliter explicata, sic: namque iste cuius ope, & auxilio, videlicet ciuitas nititur. Mane vtique Ironia eadem, neque læditur verborum immutatione. At verò si figura elocutionis sit; quam repetitionem, Græcè ἐπαναφορὰ vocamus, quæ est huiusmodi. Ille author discordiarum, ille dux seditionum omnium, ille tumultuosus proditor in bello: & illam partem orationis repetitam sæpius in initio membrorum, aut cæsorum sustulero, & tantum semel dixero, subiungens, &c. hoc modo: ille, qui seditionum author, discordiarum concitator, in pace tumultuosus, in bello proditor fuit: figurā elocutionis sustuli. Nonnunquam autem, imo plerunque conturrere potest, vt sententiæ figura coniungatur cum elocutionis figura: qua hoc modo enuntiatum est: Ille amator patriæ egregius, ille reip. custos, ille defensor libertatis, ac legum. Cum hoc de eo dicatur, de quo contraria intelligi volumus, & Ironiam esse, quæ figura sententiæ est, & epanaphoran, de qua, cum maximè diximus, quæ est elocutionis. Nunc ad instituta pergamus. Sunt igitur figurarum elocutiones aliæ, ad ornandum tantum, & quasi ad pingendam orationem accommodata: quibus princeps Gorgias Leontinus vsus est, sed sine modo. Et ideo illius oratio, quæ initio audientes nouitate permouerat, fastidium meruit. Isocrates autem, post eum parcius, nec non etiam ipse Demosthenes, sed tanta moderatione, vt nusquam in tædium incurrat.

Tra-

Ironia. Elocutiuncula Sallustiana commodissimè exprimitur, cum aliud in pectore reclusum, aliud in lingua promptum habemus, & sententia enunciattionis in contrariam averbis accipitur, vt apud Virg.

Iul. Ruf. p. 24.

Scilicet is superis labor est.

Apud Tullium pro Ligario, nouum crimen Cai Cæsar, &c. in Clodium, & in Curionem, tu verè festiuus, tu elegans, tu solus vrbanus, quem decet muliebris ornatus, &c.

Ironiæ autem species sex. Chleuasmus, siue epicertomesis, Charientismus, siue scomma, Astismus, Diasyrmus, Exutenismus, Sarcasmus.

Isocolon.

P. Rut. p. 19

Hoc autem duabus, aut pluribus sententijs breuibus, & inter se paribus exigitur: ita vbi hoc est. Nequaquam mihi diues est, quamuis multa possideat, qui neque finem haber cupiendi, neque modum status vtendi. Nam & multum desiderare, egentis est signum: & nihil parcere, egestatis est initium. Seorsum est, beneficium dare libenter, & iniuriam facere nolle. Nam dando beneficium, extemplo beneuolentiam acquirimus: non faciendo iniuriam, duntaxat odium vitamus.

Aquil. p. 18.

Isocolon, exæquatum membris. Fit autem, quoties non pugnantibus inter se, sed paribus tantummodo verbis, duo, vel etiam plura membra, quæ κῶλα dicimus, explicantur: vt si dicas hoc modo; Classem speciosissimam instruxit, exercitum pulcherrimum, & fortissimum delegit. Addere etiam licet; Sociorum maximam, & fidelissimam manum comparauit. Et longius eodem modo progredi, dum ne in fastidium incurras.

Leptologia.

Alexander Rheter. p. 378.

Rei cuiusdã per minutias absoluta expositio, ὅταν ἑνὸς ἑκάστου τῶν συμβεβηκότων, ἢ συμβαινόντων τὴν ἀκριβῆ, καὶ ἐπὶ λεπτῷ ἐξεργασίαν ποιώμεθα. Hæc figura plerumq; officit grauiori eloquentiæ, vbi minuta quæque non sunt percensenda.

Liptote.

Λειπτοτὴς, malim λιτότης quũ minus dicitur, & plus intelligitur, vt Georg. 3. Nec mihi displiceat, id est, valde placeat, Notatur à Seruio. Eadem ferè cum μειώσει.

Lyton

Eadem est figura apud Scholiastem Aristidis, ac διάλληλον, de quo superius.

Merismus.

P. Rut. p. 33. Sinathroismus & congeries.

Hoc schema singulas res separatim disponendo, & suum cuique proprium tribuendo, magnam efficere vtilitatem, & illustrem consueuit. Lycurgi. Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ, oculi ad petulantem lasciuiam, manus ad rapinam, venter ad auiditatem, virilis naturæ membra, quæ non possumus honeste appellare, ad omne genus corruptelæ, pes ad fugam, prorsus, vt aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitijs ortus videatur.

Item Aristotelis. Alexandro enim Macedoni, neque deliberando consilium, neque in præliando virtus. neque in beneficio benignitas deerat, sed duntaxat in supplicio crudelitas: Nam cum aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus: cùm autem confligendum esset cum hostibus, fortissimus: cùm vero præmium dignis tribuendum, liberalissimus: at cum animaduertendum, clementissimus.

Meiosis.

Diminutio. Attenuatio orationis per modestiam. Cic. 4. ad Herenn. in Liptote.

Metabasis.

P. Rut. p. 7. Apostrophe.

Hoc schema duobus modis fieri solet. Ex quibus vnum genus est eiusmodi: cum ab ea sententia, quam proposuimus, conuerrimur ad aliquam personam, aut rem, vt fortunam, & tanquam præsentem appellamus, ita vt is fecit. Myron. Hæc mulier nuper fuit locuples, & potens in amore, atque delicijs necessariorũ; ornatus eius opibus abundabat: manus ancillarum, quæ sequebãtur, comitatus appellabatur. Nunc contra subito, & graui casu afflicta, vix mediocris ancillulæ dignitatem retinet. O fortuna, quam vehementer te rerum varietas oblectat, & quam magno odio est tibi beatæ vitæ perpetuus, & constans fructus!

Alterum genus est, cum ad id, quod demõstrare instituimus, ab alia re, & actionem, & orationem nostram reuocamus.

Demosthenis. Sed nimirum inopinans incidi in caussam temporis huius alienam, de qua posterius dicẽdum. Quapropter ad illud, quod paulò prius agendum reuertor.

Metanœa.

P. Rut. p. 5.

Hoc schema fieri solet, cum ipse se, qui loquitur, reprehẽdit: & id quod prius dixit, posteriori sententia cõmutat. Ita vti facit Demosthenes. Hunc quoniam de me, vt volui cognoui-

gnouistis, iudicium per ipsius vitia constituam. Nam dū opus est, parentes appellat, quos scitis non ignotos fuisse, sed huiusmodi, vt omnes hos execrarentur. Sed hic bonus vir grandis natu, atque sero, sero loquor: imò verò nuper, atque his paucis diebus simul & Athenienſis, & eloquens est factus.

Item. At hic omnium sceleratissimus, nouo more, atque exemplo alieni facinoris vindex, ipse considentissimè, non criminibus, sed armis tecum facessere conatus: conatus! nimium remisse loquor: Nam qui tantam cædem perfecerit, huiusmodi incepti duntaxat arguere, penè maleficij largitionem est facere. Congruit cum epanorthosi, & aphorismo.

Metaphora.

Ad vnum verbum contracta similitudo. Definitur à D. Augustino, lib. contrà mendaciū, ca. 10. de re propria ad non propriam verbi alicuius vsurpata translatio.

quil. p 16

Metastasis.

Metastasin, transmotionem quidam inter figuras nominant, cùm rem à nobis aliò transmouemus, non ita vt ibi causſam constituamus, alioquin iam non figura erit, sed species quædam eius status, quem qualitatis, aut ex accidenti appellant, secundum Hermagorum. Cæterum alibi in parte aliqua orationis sententiam hoc modo figuramus: quale est apud Demosthenem, initio defensionis pro Ctesiphonte:

Cum bellum, inquit, Phocense conflatum esset: non per me, nondum enim ego ad remp. accesseram.

Tale & aliud pro Cornelio videri potest de erario:

Refertum, inquit, tribunitijs legibus, exhaustum à quibus sit, ipsi sciunt.

Metastasis est, vel metabasis, cùm à loquentis persona ad personam transitum facimus, ratione aliqua, vel defectu, vt;

Non hæc Euandro de se promissa parenti
Discedens dederam. Deinde;
Et nunc ille quidem spe multum captus inani,
Fors, & vota facit.

Deinde;

Infelix, funus nati crudele videbis.
Hic nostri reditus, expectatique triumphi:
Hæc mea magna fides: at non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies.

Hæc figura dicitur variatio, aut transitus. Vide in Merabasi.

Metathesis.

Est, cùm quod antè dictum est, postponitur, & quod post dictum est: anteponitur, vt;

Eripu vt perdas, perdis vt eripias.

Conuenit cum diallelo, commutatione, & anaclasi superius dictis.

Metonymia.

Nominis pro nomine positio, adinuentor pro re inuenta, possessa pro possessoribus, & contrà contenta pro continentibus, effecta pro efficientibus referuntur.

Mezeugma.

Coniūctio cum interpositione verbi, & superiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores hoc modo: formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetustate.

Mimesis.

Morum, affectuumque imitatio, in Ethologia, & Ethopia.

Mycterismus.

Irrisio, ἀπὸ τοῦ μυκτηρ&, à naso, qui est irrisionis symbolum. Vnde Horat.

——naso suspendit adunco.

Necessitas.

Ἀνάγκη, cùm factum aliquod in suas causſas, vt naturam, leges, mores, vel etiam fatum refunditur, vt:

Sed me fata Deum, &c.

Noema.

Νόημα intellectus, dicitur sententia, quæ obscurè vult intelligi, quod non dicit, vt in eum, quem sæpius à ludo redemerat soror, agentem cum ea talionis, quòd ei pollicem dormienti rescidisset. Eras dignus, vt haberes integram manum. Sic enim auditur, vt depugnares. Fab. lib. 8. *Fabian.*

Occupatio in Paralepsi.

Omoticon.

Schema, quod per iusiurandum effertur, vt οὐμοτὸς ὃν Μαραθῶνι παροχενηέσσατας. Demosth. pro Corona. Obseruat. Dion. Long. in li. de sublimi eloquentia.

Onomatopeia.

Nominis fictio, vt, Syllaturit, Syllam imitatur. Hæc nominatio 4. ad Herenn.

Oxymoron,

Seu contentio, figura ex periculo petita, atq; ita affectatè, & acutè enuntiata, vt ad insaniā accedere videatur, vt ait Quintilianus, vt, in nuptæ nuptiæ, impia pietas.

Palin.

Palindromia.

Relatio, qua plura verba verbis pluribus vna serie, eodemque ordine referuntur. Vide Cic. 3. de Orat. sect. 205. tale illud vulgatum.

Pastor, arator, equos, paui, colui, superaui:
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Palinlogia.

Iteratio. Hæc figura repetito eodem verbo, aut nomine, non diuersa vult intelligi, sed idem quod significatur efficere vehementius. Cuiusmodi est hoc: ferrum, ferrum, inquit, & hoc in iudicio dicit ter, eijcianturq; proterui: repetitum enim hoc ferrum indignitatem rei, atque audaciam eius, in quem dicitur impensius significat. Nec solum nomen, aut verbum, sed omnis pars orationis iterari ad eundem vsum potest: vt cum dicitur, Tu, tu Antoni, Cæsari ruenti, atque omnia permiscere cupienti, caussam belli ciuilis dedisti.

Palinlogia est, cùm verbum, quod in prima sententia est vltimum, in sequente fit primum, vt

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

Et, *Addit se sociam, timidisque superuenit Aegle,*
Aegle Naiadum pulcherrima.

Et, *Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,*
Ora, manusque ambas.

Et, *Concurrunt Tyrrhena acies, atque omnibus vni,*
Vni, odijsque viro, telisque frequentibus instant.

Latine dicitur iteratio.

Paradiastole.

qua dissimilia discernuntur: vt, cùm te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem.

Rut. Lup. p. 2.

Paradiastole, hoc schema plures aut duas res, quæ videntur vnam vim habere, distingit: & quantum distent, docet, suam cuiq; propriam sententiam subiungendo. Hyperidis, Nam cùm cæterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustratis: non enim probas te pro astuto sapientem intelligi: pro confidente fortem: pro illiberali diligentem rei familiaris: pro maleuolo seuerum: nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.

Hoc idem schema solet illustrius fieri, cùm ratio proposito subiungitur. Id est, huiusmodi. quapropter nolo te sæpius parcũ appellare, cùm sis auarus. Nam, qui pareus est, vtitur eo quod satis est: tu contra, propter auaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quam inopiæ miseria te consequitur.

Iul. Ruf. p. 33.

Paradiastole est, cùm similes res discernuntur contrarijs redditis, vt

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.

Et, *Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis,*
Lenta salix fœto pecori: mihi solus Amyntas.

Latinè dicitur discriminatio.

Paradigma.

Idem p. 25.

Paradigmatis quidem triformis est ratio. Nam exemplum, aut personas tantum exhibet sine sermone, aut sermonem sine personis, aut simul vtrumque. Personam sine sermone, vt Cic. in Milon.

Neque enim potuisset, aut Hala ille Seruilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interimere nefas esset.

Sermonem sine persona. Catonis est dictum, pedibus compensare pecuniam.

Sermonem pariter, & personam, Cic. pro Roscio, Estne hoc illi dicto, atque facto Fimbriano simillimum? Rursum parabola & ipsa tripertita est, per icona, homœon, epagogen.

Paradoxon.

Idem p. 29.

Siue hypomone, sustentatio, vel inopinatum. Hoc scema suspendit sensum: deinde subijcit aliquid contra exspectationem auditoris, siue magnum, siue minus: & ideò sustentatio, vel inopinatum dicitur. Cicero pro Ligario.

Hinc profectus, non ad Cæsarem, ne iratus: non ad domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare caussam illam, quã secutus esset, videretur, &c.

Paralepsis.

Aquil. p. 14.

præteritio. Frequens est huius figuræ vsus, vbi quasi prætermittentes quædam nihilominus dicimus, sicut pro Milone tota illa quæstio inducta est, qua docet è Republ. fuisse occidi Clodium.

quod si non possem, inquit, diluere crimen, vt dilui, tamen gloriosè hæc prædicare Miloni liceret.

— domus interior gemitu, miseroque tumultu
Miscetur.

Cic. pro Roscio, Nemo erat, qui non arbitrabatur illa omnia mallet, quàm videre in Sext. Rosc. bonis dominantem, &c.

Apud eundem in Verrem, Clamor interea fit tota domo, pugna inter seruos Rubrij, atque hospitis, &c. [Alio loco,] Cædere ianuam saxis, instare ferro, ligna, & sarmenta circumdare, flagitare, &c.

Periphrasis.

Circuitus loquendi, vel necessitatis, vel ornatus caussa adhibitus.

Permissio in Epitrope.

Perissologia.

Redundantia verbortum. Seruius, vt,

— faciem mutatus, & ora.

Plecten.

Scholiast. Aristidu. πλεκτὴν, implexarum inter se sententiarum textura, vt inter formosos sapiens, inter sapientes formosus. Scholiastes Aristidis.

Exonasmus.

Aqui. p. 23; Magis necessarius huius figuræ vsus in eo est, vt verba quidem adijciamus, non tam enuntiandæ rei necessaria, quàm vt ex his magnitudo, vel dignitas, vel moralis aliqua commentatio, aut denique species motura iudicem circumponantur. Alioquin si nihil eorum additio verbi efficiet, vitiosa erit. Itaque si dicas, M. Cato ille: quamuis sufficiat nomen tantummodo posuisse; videaris tamen plus significasse addito (ille.)

Item hoc, quæ malum! est ita voluntaria seruitus? plus quiddam habuit ex eo, quòd (malum) interpositum est.

Plethynticon.

Longinus. Longinus inter grauitatis figuras nominat πλεοναζουσαν, vbi vsurpatur numerus pluralis pro singulari.

Ploce.

Copulatio. Ea figura elocutionis, in qua idem verbum, aut nomen bis continuò positũ eandem ipsa significat: vt est illud; Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. Ita enim hoc bis positum est, vt superius quidem nomen tantum significet hominis, posterius velit intelligi eundem qui semper fuerit, ac sui similem.

Aquil. p. 15.

Iul. Rufi p. 13. Ploce, cum idem verbum sententiave ad consummationem superioris retorquetur, vt;

— Vos ô quibus integer æui
Sanguis, ait, solidaque suo stant robore vites:
Vos agitate fugam:

quale forsitan & illud accipi potest.

Pan etiam Arcadia mecum si iurices certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum,

Latinè dicitur implicatio, vel retractio.

Polyptoton.

Hoc schema solet complures sententias alio, atque alio modo, vt pronuntientur, efferre. Clocharis. *P. Rut. p. 9.*

Nam vehementer admiror, Lacedæmonij, si præter hunc quempiam existimatis esse, cui ob has causas iure succẽsere debeatis. Hic est enim, qui nobis imploratam spem victoriæ est pollicitus. Hunc vos non solum in cõsilio dando cæteris præposuistis, sed etiam in conficiendo negotio principem præfecistis. Hunc omnium vestrũm fortunas vniuersi cõmisistis. Ab hoc igitur vno priſtinæ pollicitationis, rerumque gestarum orationem reposcere debetis.

Item Charisij, Pater hic tuus nunc denique est, vt egestatem tuam debere alere videatur? Patrem nunc appellas, quem prius egentem auxilio tuo, vt alienum deseruisti? Patris tu filius es ad potiendas opes, cuius ad spectutem violandam crudelissimus hostis fuisti? Nimirum nullo cõsilio filios procreamus; nam maiorem partem ex illis doloris, & contumeliæ capimus.

Aquil. p. 10. Polyptoton, ex pluribus casibus. Hanc figuram ex eo nominarunt, quod cum sæpius initio ab eadem parte orationis stat, illa ipsa pars declinationibus casuum, aut generibus, aut numeris immutatur.

Casuum declinationibus hoc modo:

Senatus est summi imperij cõsilium: senatui reip. cura mandatur: ad senatum in dubijs periculosisque rebus omnis ciuitas respicit.

Generibus autem hoc modo:

Pulchra autem hæc fama contingit ciuitati, si optimè meritum ciuem damnauerimus: pulchrum erat exteras nationes existimare: infestiores nos esse bonis, quàm malis. Pulchrè communibus vtilitatibus consulemus, si quos oppressos, & hostes cupiere, nos circumuenerimus.

Numeris autem, sic.

Grata semper singulis fuerunt, quæ com-

mo-

ille superior Africanus Senatoribus fecit, qui primus eius ordinis subsellia à populo liberauit.

Polysyntheton.

Rut. Lup. p. 4. Hoc schema efficitur cum sententiæ multorum articulorum conuenienti copia continentur.

Ptyhiæ: Ille hunc pœna constrictum trahebat, hic autem vociferabatur, concursus verò non mediocris, cum tamen omnes opitulari vellent, sed nemo auderet: neque ibi Magistratus aderat, nec circumspicientes, quo potissimum confugeremus, reperiebamus: sed vno tempore nos, & præsens, & futurum malum perturbabat. Nam præsens tempus acerbitatis erat plenum, reliquum verò timoris.

Item Diarchi, Partim nostri silebant, partim autem ingentem clamorem excitabant. At hi socij, præclara nostra auxilia neutrum poterant, neque enim constanti silentio, neque forti clamore strenuè quid agere conabatur. Huc accedebat ignauus tubæ strepitus, qui nihil eorum mentes ad virtutem excitabat.

Procatalepsis.

Iul. Ruf. p. 36. Est schema dianœas, cum id quod aduersarius arrepturus est, aut quæ obiecturus præsumimus, ac prædicimus, vt illud,

Alexand. Rhetor. Græc. — *neque me Argolica de gente negabo.*

Hoc primùm.

Rhet. pag. 577. Et, — *Scio me Danais è gentibus vnum*

Et, — *bello Argiloces fateor petijsse penates.*

Latine hæc figura dicitur præceptio, vel anticipatio. Græcè etiam prolepsis.

Procatasceuc.

Iul. Ruf. p. 36. Est procatalepsi proxima, cum rei de qua acturi sumus, colorem præparamus, atque prætendimus, vt in illo:

Anna soror quæ me suspensam insomnia terrent:

vsque *quæ bella exhausta canebat.*

Nam primò de insomnijs questa est, demum mirari se virtutem hospitis dixit, & veram fidem esse, à dijs illum genus ducere; misereri etiam casus, & errores, vt verecundius postea de amore fateretur, quasi in affectum hospitis, vel insomnijs, vel admiratione calamitatis inducta sit. Hæc figura dicitur latine præparatio.

Alexand. Rhet. p. 534. *Prodiasaphesis.*

Aquil. p. 13. προδιασάφησις. Figura quæ perspicuitatis causa verbum aliquod licet absoluto sermone subiungit.

Οταν ἐν ὄνομα ἐπενεχθῇ πεπληρωμένῳ λόγῳ, πρὸς διασαφοῦν πλέονα, vt apud Homerum:

Αλλ' οὐκ Ατρείδῃ Αγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ.

vox θυμὸς redundat.

Prodiorthosis.

Præcedens correctio. Hæc figura, vt aliquid necessarium dictu, & insuaue audientibus, aut odiosum nobis dicturi sumus: præmunit. Exemplum apud Ciceronem frequens: quanquã sentio, quanta hoc cum offensione dicturus sum, dicendum est.

Alexander Rhetor hoc affert Demosthenis exemplum:

Καί μοι πρὸς θεῶν ὅταν ἕνεκα τοῦ βελτίστου λέγω, ἔστω παῤῥησίαν τοῦ λέγειν; Quæso vos per Deos immortales, vt cum optima de caussa dicam, mihi dicendi libertas nõ denegetur.

Prolepsis.

Hoc est, cum id, quod aut in aduersarij causa, aut in iudicis opinione esse, aut fore arbitramur contrarium nobis, præoccupamus dicere, & cum ratione dissoluere. Rut. Lup. p. 8.

Demosthenis, Atqui ego illum, iudices, arbitror Lycurgum laudatorem producturum, scilicet qui sit testis eius pudori, ac probitati: sed ego Lycurgum vobis præsentibus hoc vnum interrogabo, velitne se similẽ esse illius factis, & moribus. Quod si negauerit, satis factum vobis esse de veritate nostra debebit.

Lysiæ hac oratione sæpius apud me vtebatur, & orabat, vt suarum ærumnarum misererer, inopiæque subuenirem. Quid multa? commotus humanis precibus depræeantis, quod petebat dedi, solus soli, quo minus nota calamitas hominis esset. Sed vt paratus venisse videatur, iam se negabit accepisse, & flens vobis supplicabit, vt se à calumniatoribus eripiatis Vos autem, cum sic agentem videritis, facitote, vt & illius, & mei memineritis.

Prolepsis est schema λέξεως, id est figura elocutionis, cum ante numerus redditur verbis, quàm res personæ affiniantur, vt, Iul. Ruf. p. 30.

Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea:

Et, Interea reges ingenti mole Latinus

Quadriiugo vehitur curru &c.

Latinè appellari potest præsumptio, vel anticipatio.

Prosapodosis.

Redditio Nomen hæc figura ex eo accepit, Aquil. p. 20.

quod idem nomen postrema parte membri, aut eadem quæcunq; pars orationis redditur, est connexa, vnde id membrum. aut is ambitus cepit, vt si velis hoc modo eloqui, cùm quid quasi indignetis, aut doleas: Tibi sceleratissime omnium, imputare omnes calamitates suas debet Respub. tibi. Aut sic: Hæc ô Dij immortales, in ciuitate moliri ausus est Glaucia?

Rut p. 1

Prosapodosis. Hoc schema duobus modis fieri aut tractari potest. Nam sententijs duabus, aut pluribus propositis, sua cuique ratio vel posterius reddetur, vel statim sub vnaquaque sententia subiungetur. Quibus posterius ratio subinfertur, huiusmodi sunt, Demosthenis, Nō enim pari ratione Philippus, atq; nos, diuersis rebus medetur: sed ille vsque eò nititur, quoad restituat, atque exuperet. Nos contrà, statim vinci meditamur. Ille enim pro laude, sicut pro pœna, præliatur: nobis autem si nihil accedit mali, satis, ac nimium boni videtur. Cum singulis sententijs statim ratio subiungitur, hoc exemplo Demetrij Phalerei. Nam quod beneficium tempore, & cupienti datur, gratum est: vtilitas enim, ac voluntas accipiendi, honorem dantis facit ampliorem. At quod sero, & desideranti dari datur, ingratum est: amisso enim tempore, vtilitatis, eo dit accipiendi cupiditas.

Prosynapantesis.

Προσυναπάντησις, occursus, cùm duobus nominibus positis, iterum ad eadem fit recursus: Alexāder Rhetor, qui eiusmodi affert exēplū; τιθέντων Ἀθηναίων, καὶ Λακεδαιμονίων. Λακεδαιμονίων μὲν εὐρυβιάδεα ἡγουμένων, Ἀθηναίων δὲ Θεμιστοκλέους.

Prosopopœia.

Rut p. 8.

Hoc fit, cùm personas rebus constituimus, quæ sine personis sunt, aut eorum hominum, qui fuerunt, tanquam viuorum, & præsentium actionem, & sermonem deformamus Αἱ εἰς προσωποποιουσῆς τρέπουσαι τὸ βάλλεμα, καὶ ὁ ἦθος προσωποποιούμενα, Orig. contra Celsum l. 7. p. 366. Id est huiusmodi. Nam cum crudelitatis mater est auaritia, tum pater furor: ea huic facinori coniuncta, parit odium, inde item nascitur exitium. Hoc genere vsi sunt poetæ, qui fabulas scripserunt in prologis: nam humana figura produxerunt personas, quæ in veritate artis, & voluntatis sunt, non personæ.

Hyperid.

Alterum genus est, ita vt fecit Hyperides, cum de ado lescente impudico diceret.

Quid si tandem, iudices, apud ipsam naturā, hanc causam agerem? atque ita diuisit muliebrem, virilemq; personam, vt suum cuiq; opus, atq; officium distribueret? ei ego hunc ostenderem, muliebri illu esse suo corpore abusum? nonne vehementissimè admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur, virum se natum: sed deptauato naturæ beneficio in mulierē cōuertere se properasset?

Item Charisij, Existimate quæso Remp. hic adesse, & pro vestra libertate supplicem vobis accedere: simul & liberos vestros, & matres familias amplexā tenere: parentes vestros ætate confectos ad se applicare: redigere vos in memoriam, qualem se à maioribus acceperitis: obsecrare pro sacris, ac delubris Deorum immortalium, pro parentum monumentis, pro vobis ipsis, & salute vestra. Hæc si præsens agit, vt dixi, respub. quid animi estis habituri, quæro.

Aquilp. ré

Prosopopœia est personæ confictio. Hæc figura plurimum in se continet dignitatis, cū remp. ipsam loquentem inducimus, aut defunctos aliquos quasi excitamus ab inferis, & in conspectu iudicis collocantes, oratione hos circundamus. Talis est illa pro Cœlio, Appij cœci persona inducta contra Clodium ita dicens.

Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? Sæpè enim, quæ nos ex nostra persona dicentes vix ferant, iudices, supposita dignitate personæ liberius dici, & conuenientius poterunt.

Prosopon.

Προσωπίων μεταθέσεις alij confundunt cum apostrophe, fit vbi sermo diuertitur ad secundam personam. φωνὴς καὶ μηκέτι, καὶ ἀτεοὶς ἄλλη τοῖσι. Longin. περὶ ὕψους, diceres indefessos, & indomitos inter se.

Protimesis

προτίμησις electio vertitur à Trapezuntrio.

Prostaxis

Iussio, cum sententia imperandi modo effertur.

Protome.

προτομὴ præcisio orationis, quàm à reticentia distinguit Cic. 3. de orat. Sed nimis vrgeo, commouerī videtur adolescēs: ad me reuertar.

Protozeugma.

Cum verbum, quo res comprehenditur primum collocatur. Vt, Defloruit formæ dig-

dignitas, aut morbo, aut vetustate. Auth. ad Heren. lib. 4.

Protrope.

Iul. Ruf. p. 29. Adhortatio ad aliquam rem est, & palinlogia, Virg. Nunc, nunc insurgite ramis hortor vos socij. Cic. in Verrem 3. actionis libro, vos quod ad vestram famam, senatusque consulta pertinet iudices prospicite, atque consulite, &c.

Prupergasia.

Iul. Ruf p. 29. Vel paraseeue, præmunitio. Qua antè vtimur, vt confirmet id quod subiecturi sumus. Vt si testem producturi sumus, antè est, vt ei fidem habendam esse doceamus. Quare est velut generalis locus, & tractatus communis. Cicero pro Milone; antè præmunit licere homini occidere, & tum subito occisum P. Clodium iure, & sine inuidia: cum ita dicit, negant intueri lucem esse fas ei, qui à se esse hominem occisum fateatur. In qua tandem ciuitate hoc homines stultissimi disputant?

Pysma.

Quæsitum. Hoc genus à superiore erotematico differt, quod ad interrogatum vna voce tantum responderi potest, vel à negante, vel à confitente: quæsito autem occurri non nisi pluribus potest, hoc modo, si dicas, qua igitur ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? quis erit, qui subuenire volet, cum tã acerbè socios tractauerimus? Alexander Rhetor. cum Aquila sentiens definit, ὥρος ὁ διεξοδικῶς ἀπαιτῆσαι δεῖ, καὶ δια πλειόνων.

Ratiocinatio in Apophasi.

Sarcasmus.

Iul. Rufini p. 25. Hæc figura quibusdam videtur eadem, quæ chleuasmus, sed à perfectissimis propria significatione descripta est. Peculiariter enim fœdiora ea significamus, non tamen sine dicacitate conciuna. Vt apud Virg.

Nonimus, & quite, transiuersa tuentibus hirquis.

Apud Ciceronem, Sexte nostet bona venia, quoniam dialecticus est, & hoc quidem liguris. Et pro Cœlio, quod facerem vehementius, nisi mihi intercederent inimicitiæ cum istius mulieris viro, fratre volui dicere, semper hic erro.

Schesis.

Iul. Rufini p. 36. Proxima figura est anthypophoræ, qua aduersariorum affectum quemlibet fingimus cui respondeamus. Vt in illo.

Indignum est Italos Troiam succondere flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terra.
Quid face Troianis ariua vim ferre Latinis?

Non hæc ita Iuno proposuit, quasi manifeste Venus indignum esse dixisset, sed quasi indignum esse Veneri fingeret, vel suspicaretur. Hæc latinè dicitur affectiò.

Selutum.

Aquil. p. 22. (Sic enim voco, quod ἀσύνδετον Græci vocant) fit ita, vt demptis coniunctionibus, & propositionibus, quibus verba, & nomina connectuntur, singulatim vnumquodque enuntiemus. Cuius frequentissimum exemplum est per totas orationes M. Tullij: sed vel hoc vnũ ad exemplum sufficiet. Exspecto vim edicti, seueritatem prætoris: faueo aratori, cupio octupli damnari Apronium. In his animaduertimus nullam, neque disiunctionem, neque propositionem interpositam. Facit autem figura hæc ad celeritatem, & ad vim doloris aliquam significandam: qua plerumque cùm commoti sumus, hoc modo incidere solemus. Illud etiam præceptum habeto, actori veræ causæ nunquam timendum esse, ne nimis sit in figuris sententiarum. Si enim fieri possit, vt omnes ad aliquam vtilitatem figurentur, non vitandum.

Sereptolyton.

Vide Boetium p. 655. Huius figuræ pauci admodum meminere: Notatur à Scholiaste Aristidis apud Photium in Aristidis Panathenaico. Innuit esse figuram, quæ ex reciprocis constet magna varietate inter se contextis. Ciuitas est vt iustis fortior, si fortibus æquior, aut potius iustis omnino iustior, & violẽtis omnibus potẽtior. τῶν μὲν τὰ δίκαια μιμώντων ἰσχυροτέραν, τῶν δὲ τὰς δυνάμεις ἐχόντων ὀχυρωτέραν. Μᾶλλον δὲ τῶν μὲν τὰ δίκαια μιμώντων ἀκριβεστέραν εἰς αὐτὸν τὸ δικαίου λόγον. τῶν δὲ ἐπὶ τὸ βιάζεσθαι δυνατωτέραν εἰς τέλος, ὥστε ἀμφω τὰ γένη δὲ ἀμφοῖν νικᾶν.

Subiectio in prolepsi, & procatalepsi.

Syncrasis.

Rutil. p. 9. Hoc schema docet diuersas res coniungere, & communi opinioni cum ratione aduersari, & habet magnam vim vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi. Hyperidis. Nam hominis auari, atque sordi vnum atque idem vitium est. Vterque enim nescit vti; atque vsrique pecunia dedecori est. Qua-

re merito vtrique pari pœna afficiuntur, quos pariter non decet habere. Item Lysiæ, Quapropter pergam: in multos largitionem, abstinētię testimoniū nō credideris: multo enim confidētius hoc genus hominū furatur. Nam quo magis eget ad sumptū ambitionis, audacius facit rapinā, vt huic ipsi ambitioni copia suppeditari possit. Item Demosthenis, Cum ei quidam obiecisset, matre Scytha natum, respondit: Non miraris igitur, quòd Scytha, matre barbara natus, tam bonus, & clemens euaserit? Item eiusdem. At ego hunc propterea malum esse existimo, quia nimium se gerit seuerum. Namque ex hominibus humanitatem ac misericordiam tollere, maximum signum malitiæ videtur. Ego contrà deos precor: namque eiusmodi ciuem habemus, qui ad supplicium sumendum in omnes partes sit inexorabilis.

Sustentatio in paradoxo.

Syllepsis.

Iul. Ruf p. 30. Est, cum duabus diuersisque sententijs, & rebus vnum datur verbum minime vtrisque conueniens Vt, [inclusos vtero Danaos, & pinea furtim. Laxat claustra Sinon.] Laxat enim ad Danaos referri non potest: sicut ad claustra. Et optime Graiugenum, cui me fortuna precari, [ac vitta comptos voluit prætendere ramos.] Non enim sicut cui prætendere ramos, ita & cui precari potest videri ratione connexum Et, [his quidam signis, atque hæc exempla secuti.] Hæc latinè dicitur correptio.

Symploce.

Aquil. p. 11. Connexum: Hæc figura ex vtcaque earum, quas supra demonstrauimus, composita est: vtramque oratinis speciem circundat. Nam & incipit sæpius ab vna parte orationis, & toties in vnam, atque eandem desinit. Vt hæc se habet, quis legem tulit? Rullus. quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decem viros creauit? idem Rullus.

Synatroismus.

P. Rutil. p. 11. Hoc & singulis verbis & plurium verborum coniunctione fieri potest. Singulis verbis hoc modo.

** al. Cleocharia.* * Clearchi, sed cum ad supplicium sumendum se confirmaret, multa simul eum reuocant officia, consuetudo, tempus, existimatio, periculum, religio: quæ singula proprias ei cogitationes ad remorandum subjiciebant. Item Democharis. Nam quis hæc simul vniuersa perpeti possit, timorem, morbum, senectutem, contumeliam, inopiam, vim? quarum quæuis vna res, per se satis est grauis ad perferendum. Sed in coniunctione plurium verborum huiusmodi est. Lycurgi, nemo enim nocens sine summo mœrore est, Iudices, sed multa simul eum perturbant, quod adest sollicitudinis plenum, quod futurum est formidosum, lex paratum supplicium ostentans, vitia ex vitijs coacta, occasionem arguendi maleficij captans inimicus: quæ quotidiano vehementer eius animum excutiant. *Democh.*

Synchoresis.

Συγχώρησις cum aliquid etiam iniquum caussæ fiducia concedimus. quint. libr. 9. cap. 2.

Syncrisis.

Siue antithesis, comparatio rerum, atque personarum inter se contrariarum. Vt, ego plector, quòd tu peccas: tu relinquis, ego arguor pro malefactis: Helena redeat, virgo pereat innocens: tua reconcilietur vxor, mea negetur, filia mea. Cicero pro Murena, Vigilas tu de nocte, vt consultoribus tuis respondeas; ille vt maturè, quo intendit cum exercitu perueniat, &c. Item in Verrinis, iste multo sceleratior, & nequior quam ille Adrianus, aliquando etiam felicior fuit, &c. *Iul. Ruf. p. 29.*

Synchysis.

Confusio est hyperbatum obscurum.

Synecdoche.

Notum ex vulgaribus tropis.

Synæcieosis.

Συνοικείωσις commistio, qua duas res diuersas colligit, vt, tam deest auaro, quod habet, quàm quod non habet. Fab. lib. 8. cap. 3. à Scaligero dicitur Cinnus poet. lib. 3. cap. 46.

Synonymia.

Communio nominis. Vtimur autem eo genere, videmur dignitatem, aut magnitudinem rei demonstrare: ideoque in eiusdem significatione plura conferuntur, vt si dicas, prostrauit, affixit, perculit. *Aquil. p. 11.*

Sistrophe.

Est conuersio & conuolutio.

Tapinosis.

Cum rei dignitas verbi humilitate deprimitur, vt gurges, pro mari: quint. lib. 8. cap. 3.

Rei

Rei magnæ humilis expositio definitur à Sergio.

Tautologia.

Eandem rem pluribus verbis significat hoc
Aquil p.21. schema. Differt autem perexiguo à superiori figura, Synonimia: Ibi enim singulæ partes ex ordine idem significantes ponuntur: hic vnius nominis, aut verbi prius positi vis deinceps pluribus verbis explicatur: vt si dicas; Senatus, populique Romani summum consilium, à quo ordine iura exteræ nationes petunt. Hic enim vnum nomen Senatus prosecutionem accipit ex pluribus verbis, non aliud significantibus. Qui enim summum consilium dixit, & eum ordinem, à quo exteræ nationes iura petant, non aliud, quam senatū dixit, sed prosequendo latius ornauit elocutionem.

Traductio.

Eiusdem verbi crebrius positi quædam distinctio: vt, Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere: Cic. lib. 4. ad Heren. Eadem est cum analepsi.

Zeugma.

Iul. Ruf. Est cùm vnum verbum communiter multis sententijs iungitur ad omnes pari significatione pertinens; & adnexum, vt,

Æneas Vrbe, & socijs, & classe relicta.

Latinè hæc figura dicitur ligatio, vel annexio.

NE quid igitur à me in hac parte desideraretur, visum est istam figurarum nomenclaturam, ex Demetrio Phalereo, Hermogene, Longino, Alexandro, Aristidis scholiaste, Rutilio, Aquila, Rufiniano, Beda, & cæteris breuiter subijcere, tum propter antiquitatis auctoritatem, quam magni facio, tum propter variam, & sane non inutilem χαμέτων cognitionem. Sed quia multas in tot veterum obseruationibus esse minutias nemo non videt, nunc omissa leuiorum figurarum disquisitione, de vsu earum, quæ notiores sunt, & ad orationis ornamenta sæpius adhibentur, maximè Ciceronianis exemplis pauca dicam.

De vsu, & Varijs ordinibus figurarum.

CAPVT XVIII.

QVod vestis corpori, stellæ cœlo, pratis flores, regum coronis margaritæ, scenæ & foro tabulæ, atque insignia, hoc oratori figuræ, quibus nihil in oratorum apparatu magnificentius: sed tamen tenendus est in vsu quidam modus, ne si nimiæ fuerint, ijsdem oratio potius oblini, quàm distingui videatur.

Nescio enim quo pacto, non modò in rebus humanis, sed & in verbis contingere solet, vt summa voluptas fastidio sit vicina: & pulcherrima quæque si fuerint communiora, satietate impleant animos potius, quàm delectent. Itaque & in mundo recursantes dies, & noctis vices lucem efficiunt mortalibus iucundiorem, & annum temperant hyemis rigor, feruor æstatis, amœnus veris decor, & autumni grata maturitas, quæ à Deo in natura primum condita, orator in verbis (sint enim quasi naturæ imagines) imitabitur, nec orationem figuris faciet, potius, quàm decorabit.

Itaque nunc de earum vsu à nobis dicendum est, non eo quidem ordine, qui tyronibus tradi solet, sed qui instituto nostro, & dedolatis ingenijs sit commodior. At certè dum cõplector animo figuras omnes, vel ad docendum, vel ad mouendum fictas reperio.

Primum igitur de ijs agam, quæ ad illustre, & suaue genus dicendi, in quo potissimum effert se delectatio, attinent, deinde grauis generis ornamenta, & figuras, quibus & docere, & mouere possumus, ostendam.

Figuræ fermè omnes, quibus hæc dicendi suauitas excolitur, aut in conformatione alicuius imaginis, aut in repetitione verborum, aut in dictionum nexu, & quadam gratia concinnitatis versantur. Quæ rerum imagines efformant, vel vno, aut paucis verbis faciunt: ex quo oriuntur metaphoræ, antonomasiæ, epitheta, periphrases, synonimiæ, vel artificiosius, atque vberius expoliunt imagines, vnde descriptiones emergunt.

De primo ordine figurarum.

Quæ imagines vno, vel paucis verbis exprimunt.

CAPVT XIX.

PRima series figuratum metaphoram, antonomasiam, epithetum, periphrasim, synonimiam comprehendet. De translatione hæc præscribit Demetrius.

Metaphora est ad vnum verbum contra-

cta similitudo, quæ suauitatem, & splendorem addit orationi, vbi moderatè adhibetur, nam si frequentior fuerit dithyrambos scribemus, non orationes, neque violentas esse oportet istas translationes, sed ductas à similitudine: sunt autem hæc similia, Imperator, gubernator, auriga.

Non semper conuertuntur metaphoræ, licuit poetæ radicem montis pedem appellare, hominis pedem appellare radicem non decet: licuit Apuleio, & Plinio pediculos nominare serpentes, dracones, pediculos nuncupare insanum est. Tutior est metaphora, & iucundior, quæ fit per similitudinẽ, addita quadam particula, aut quodam simili, quod Platoni, & Xenophonti familiare est. Optimæ sunt illæ, quæ tribuunt sensum rebus inanimis, vt de telo, inaduersam aciem inuolare cupit. Incidunt aliquando ita propriæ, & claræ, vt non translatæ, sed natiuæ videantur.

Et de ijs intelligendus M. Tullius in oratore, cùm dixit:

Ex omni genere frequentissimæ translationes erunt, quod eæ propter similitudinem transferunt animos, & referunt, ac mouent huc, illuc, qui motus cogitationis celeriter agitatus per se ipse delectat.

Rem quoque augere debent metaphoræ, & conciliare admirationem: qui cœlum canere tuba dicit, cùm tonat, rem magnam tenuí metaphora deterit. Sunt enim tonitrua omni tubarum clangore vehementiora. Xenophon vndare exercitum dixit magnificè: at si vndas maris cum exercitu conferas, & exercituire, ineptè loqueris: si audaciores sint tropi, fulciuntur epithetis. Theognis arcum, lyram appellat, audax est, addit sine fidibus, temperat metaphoram.

Metaphorã necessitas genuit, delectatio, iucunditas q; celebrauit.

Metaphorarum magistra optima consuetudo sermonis, omnia sunt penè metaphorica, & nos latent, mera vox, acutum ingenium, acer homo, duri mores, hæc sunt propriis nominibus venustiora. Sed cauendum maximè in soluta oratione, ne latius ductis metaphoris parabolas poeticas faciamus, quod Xenophonti excidit, *quasi equus soluzus campo superbit exultat, & calce frit, &c.* Parabola hæc est poetica.

Antonomasia & eius vsus.

Antonomasia est pronominatio, siue significatio, voce nominis posita, vt, Adulter socerus, &, Furia religionum muliebrium Pro. Clodio, apud Ciceronem: Mundi elementum optimum. pro cœlo, apud Orpheum; Mænas quinqueuira, pro Helena, apud Lycophronem. Ex quo apparet non adeò frequentem esse bonis oratoribus hunc tropum, quorum est proprietatem verborum consectari, non ficta vbique artipere, & certè in eo ridiculus videretur Lycophron, qui nihil penè dicit sine antonomasia, nisi se ænigmata scribere profiteretur. *Orph. in hymno eleutheris. Lycophron in Cassandra.*

Primus vsus erit ad necessitatem, propter verbi penuriam, vt cùm Aristoteles Cinedias molles, & venereas cantilenas appellat. *Vsus antonomasiæ.*

Secundus ad ornatum, vt cùm Plato nominat caput, arcem corporis humani: voluptatem, malorum escam: linguam saporis magistram: hepar, coquinam corporis: domicilium cupiditatis, gynecæum: iræ sedem, andronem: aquam, Deam sobriam. Hæc digna Platonis maiestate.

Tertius ad dissimulationem, cùm de industria orationem volumus obscurare. Sic Alabarchẽ, siue Arabarchen Hierosolymitanum, Pompeium nuncupat Tullius.

Quartus ad indignationem, & aganactesim. Rarò apud Ciceronem, Clodium, semper belluam, pestem, furiam, apud Demosth. pro Aeschine ὀλίγον γράμματα audires.

Epithetum.

Epithetum, vt habet Phauorinus in lexico, ὄνομα τὸ ἐπὶ κυρίων ἢ καθ' ὁριζόμενον διαφόρως ἐπιθέτου δηλοῦν ἔπαινον ἢ ψόγον, est nomen proprijs, appellatiuisque additum, laudem, aut dedecus significans.

Vsus triplex discretionis, proprietatis, ornatus. Primus est necessitatis, vt si Bosphorum nominans Thracium appellem, aut Cimmerium: sic enim distinctionem locorum facio. *Vsus epithetj.*

Secundus est, in natura rei, & more loquendi, vt cùm Deum optimum Max. Mariam virginem dicimus, quis enim ait Epiphanius, aut quo sæculo aulus est quispiam proferre nomen sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit virginis vocem.

Tertius, ornatus, ad illustrem orationem cõducens: nam si quis dicat Bruti prudẽtia Tarquinium expulit, latinè, & eleganter dixisse videtur: sed quantò grauius, & sublimius hoc idem erit, si quis hoc modò epithetis exornet, Incredibilis, ac propè diuina Iunij Bruti prudentia, superbissimum, atque crudelissi-

mum

mum regem Tarquinium, ab vrbe Romana, dominatu regio expulit.

Vt triplex epithetorum virtus, ita triplex vitium: dehonestant enim orationem longa, intempestiua, crebra: lõga, vt domi porta (quis enim hoc in oratione ferat) intempestiua, vt si quis raras aues, & nigros olores vbique nominet, quod apud Iuuenalem inuenerit semel; opportune tamen, & loco.

Rara auis in terris, nigroque simillima Cygno.

Crebra, qualia solent esse eorum, qui epitheta consectantur frigide admodum, & pueriliter, quid opus est enim vbique nigrum corum, niuem candidam, durum adamantem decantare, & nunquam existimare colophonem periodo impositum, nisi per superlatiuum aliquod frigidum concludatur.

Synonimia.

SYnonimia est verborum idem significantium congeries, cuius vsus est in fuso dicendi genere Ciceroni perquam familiaris. His oratio modò quasi ingens fluuius affluentium vndarum accessione voluitur, modò incisis quasi iaculis armata vibratur. Hanc orationem, vt Nilum, aut Istrum fluentem admiror.

Quæ precatus sum à Dijs immortalibus, iudices, more, institutoque maiorum, illo die, quo auspicato comitijs centuriatis L. Murænam consulem renuntiaui, vt ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romanę, bene, atque fœliciter eueniret: eadem precor ab ijsdem Dijs immortalibus, ob eiusdem hominis consulatum, vna cum salute obtinendum, & vt vestræ mentes, atque sententiæ, cum Pop. Rom. voluntate, suffragijsque consentiant, eaque res vobis, populoq; Rom. pacem, tranquillitatem, otium, concordiamq; afferat.

Ecce duodecim fermè synonima in hac periodo, quibus carere potuisset, sed non sine detrimento grauitatis.

Ex alia parte quasi sagittæ infesto turbine erumpere videntur: O tenebræ, ô luctum, ô sordes! & ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem.

Quæ synonima vitãda.

Animaduerte vt anaphora, quasi amento impulsa vehementiorem habeat emissionem: atque vt ista habent admirabilitatem & quandam gradationem, qua sensim ad maiora contendunt: ita nihil putidius, quam de trinio synonyma sine vllo delectu, & neruis arripere, quæ onerant potius, quam ornant orationem.

Et illæ quidem figuræ ingerunt quandam conformationem imaginis: at quæ sequuntur longè illustriorem.

De secunda Serie figurarum, in illustri, & suaui genere dicendi, quibus icones rerum efformantur.

CAPVT XX.

VOlasianus in epistola ad Diuum Augustinum inter cæteras instrumenti Rhetorici diuitias commendat Iconismatum pulchritudinem, & iure: mentem enim validius feriunt oratores, qui hanc virtutem obtinent cumulatius.

Descriptio igitur, qua nihil in Rhetorũ thesauris opulentius, in quatuor patres diuiditur, quanta demonstratio, siue hypotyposis nominatur.

Imago est formæ, cum forma, cum quadam similitudine comparatio. Ad quod genus referuntur parabolæ, quibus nihil clarius docet, nihil mouet suauius, nihil iucundius delectat.

Vis vanum doctrinæ simulatorem multis quidẽ libris, & studiorum insignibus refertũ, sed elinguem, agnoscere in Citharœdo piscẽ.

Animaduertite, quæso, hominem, imò vanum simulatorem, & citharœdo simillimũ inuenietis. Piscis est. Auditores, in mari rubro, discriminato vertice, pennis aureis, & rutili coloris fulgore totus efflorescens, Citharam dorso gestat, nigris lineis, quasi fidiculis intentam. Expectatis fortasse, vt canat? nolite quæso, mutus enim est piscis: non dissimili modo iste magnam elegantissimorum librorum copiam circumfert, quanquam ut mutire quidem, aut hiscere in publico audeat. *Ælia. l. 11. anim. c. 21.*

Vis auaritiam intuere in dipsade. Serpens perniciosissimus est, Auditores, Dipsas, puto, vocatur: huius venenum sitim excitat ardentissimam; ex quo fit, vt qui ab eodem icti sunt, vina petant, & fõtes, sed frustra, indies enim, imò in horas exardescit sitis, quanta potest esse maxima, & nulla potione restinguitur. Dipsas est, dipsas inquam, crudelis, auaritiæ satis, & pecuniarum cupiditas, quæ nunquam explerur. *Lucian. de dipsadibus.*

Effictio est expressio corporis, vt: Hunc

dico, Iudices, rubrum, breue, incuruum, canum, subcrispum, cæsium, cui magna est in mento cicatrix. Sed vnam tibi subijciam ex Sidonio Apollinari omnibus numeris absolutam, si modò stylus plus haberet nitoris.

Sidon. lib. 1. epist. 2. Effictio. Theodoricī Regis.

Si forma quæratur, corpore exacto, longissimis breuior, procerior, eminentiorque mediocribus. Capitis apex rotundus, in quo paululum à planitie frontis, in verticem cæsaries refuga ctispatur: ceruix non sedet neruis, geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus: si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo propè peruenit: aurium legulæ, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur: nasus venustissimè incuruus, labra subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata, si casu dentium series ordinata promineat, niueum protinus repræsentat ipsa colorem. Pilis infra narium fruticantibus quotidiana succisio: barba concauis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem, stirpitus tonsor assiduus genas adusque forcipibus euellit: menti, gutturis, colli, non obesi, sed succulenti lactea curis, quæ propius inspecta iuuenili rubore suffunditur: namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ manus.

Notatio est descriptio morum ab adiunctis, quo in genere eloquentissima diuitis ostentatoris apud Cic. 4. Ad Herenn. Disertissimi itē Theophrasti characteres, vnum tibi, & alterum exemplum ex sexcentis subijciam.

Vani hominis descriptio, ex Theophrasto.

Homo verò ineptè ambitiosus is est, qui ad cœnam vocatus conuiuæ tori ipsi studeat assidere: qui filium delphos abducat, vbi comam ponat, qui operam det, vt pedisequum habeat genere Aethiopem, qui etiamsi minam argenti velit soluere, laboret vt reddat in aspero, etsi bouem sacrificarit, solet anteriorē capitis eius partem magnis re dimitam seris pro foribus in ipso introitu figere, vt intelligant quicunque ingrediantur esse ab ipso bouem mactatum. Atque vbi pompam cum alijs equitibus duxit, reliquis omnibus puero traditis, qui ea domum referat, ipse trabeatus in forum pergit, & ibi deambulat, cumque illi paruulus aliquis canis fuerit mortuus, monumentum ei faciet, ascriptis etiam in Columella his verbis.

Soboles Militensis. Iam cùm æreum annulum Aesculapio consecrarit, appensis subinde nouis coronis totum atteret, atque adeò ipse quotidie vnguentis oblinitur. Sed hæc plenius in libro hypotyposeon.

Habes in hoc exemplo illustria capita, quæ si oratorio stylo fundas, latius luculentam efficies descriptionem.

Multa huiusmodi occurrunt apud Ciceronem, vt

Descriptio deterrimi hominis, Haruspic. resp. num. 56. 57. 58.

Catilinæ, pro Cœlio num. 11.

Egentis seditiosi, pro Sext. num. 110.

Mulieris amantis, & scelleratæ, pro Cluent. nū. 12. vsque ad 19.

Diuitis splendidi, pro Rosc. Amerino, num. 133. 134. 135.

Oratoris in Bruto. num. 139.

Tempestatis in Synesio ep. Græc. 171.

Veris in epist. Græc. 235.

Virtutis, & voluptatis, Plutarch. fortun. Rom. 270. & 271.

Demonstratio est, cùm res ita verbis exprimitur, vt geri, & ante oculos esse videatur, vt in hac descriptione fulminatorum. Verba Græca sunt.

Κατὰ τὴν Λῆμνον ὑπὸ δρυῒ μεγάλῃ θερισταὶ ἐκτὰ, περὶ τὸ μεσημβρινὸν κέρας ἐνέζωτο· ὧν χωρὶς τῶν λοιπῶν ἐθεριζόντων, λαίλαψ ἐξαίφνης τὴν ὕδρον ταμέχνει Θ., κ σκληθ ἐς αὐτὸν ἐνέπεσε Θ. ἡ μὲν ἐξέλιπε. οἱ δὲ θερισταὶ ὡς ἐκπλήξεως αὐτοῖς ἐμπεσούσης ἐρρύησαν ἕκαστος ἔνθα κ πρῶτον. οὕτως ἀπέθανεν. ὁ μὲν γὰρ κύλικα ἀναρθεὶς Θ., ὁ δὲ πίνων, ὁ δὲ βάπτων, ὁ δὲ ἐσθίων, τὰς ψυχὰς ἀφῆκαν ἐκκαυθεῖσαι· καὶ μέλανες ὥσπερ οἱ χαλκοῖ τῶν ἀνδριάντων ἐγένοντο τὰς ἰδέας τῶν σωμάτων.

Philost. in Icaromen.

Eadem Latine.

In Lemno sub maximaquercu messores octo cœnabant: qui quidem locus insulæ cornu appellatur, vbi portus est, qui in cornua tenuia inflectitur. Cum ergo quercus à nube magna circumuenta fuisset, continuò demisso fulgore illa de cœlo tangitur. Messores stupore perciti, prout quisque fortè operatur, ita occubuit: hic enim poculum efferens, hic verò bibens, hic lauans, hic autem cōmedens, sydetati, mactati, & nigri omnes, non secus atque statuæ

statuæ æreæ in lacu feruentissimæ fornacis animas egerunt. Sed hæc plenissimè libro hypotyposeon, nunc satis fuerit delibasse.

Distributio.

Pollux Sophistæ.

Distributio, quæ proximè ad descriptionem accedit, est vetusta quædam partitio, in qua singulis respondent, vt in illo pollucis, quod notat Philostratus. Proteus Pharius miraculum Homericum est, multæ quidem eius diuersæq; formæ, in aquam attollitur, in ignem accēditur, in leonem excandescit, in suem ruit, serpit in draconem, assilit in pantheram, assurgit in arborem.

Item Plinij: Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes: Aer densatur nubibus, furit procellis.

Et Solinus de monte Atlante, Manat fontibus, nemoribus inhorrescit, rupibus asperatur, squallet ieiunio.

Et Tertul. Apol. ca. 10. Vani erunt homines, nisi certi sint à primordio pluuias de cælo ruisse, & sydera radiasse, & lumina floruisse, & tonitrua mugijsse.

Quid hac dictione ornatius, nescio quo pacto, vt oculus luce, sic animus perspicuitate gaudet, cuius artifex est hæc figura singulas discernens particulas, vt mens Anaxagoræ Homœomeriam.

Varius vsus distributionis.

Modò est in solis nominibus, & à simili casu incipit, vt apud Himerium audacia superat Ixionem, ferocia Salmoneum, temeritate Tantalum.

Modò casus confunduntur ad vitandā cacophoniam, vt in illo Plutarchi.

Erat quidem in eo Cyri spiritus, Agesilai temperantia, solertia Themistoclis, vsus Philippi, fiducia Brasidæ, eloquentia Periclis.

Modo per homœoptoton clauditur, orationis membris pari tenore fluentibus. Tale illud Ciceronis exemplum pro L. Muræna.

Meruisse verò stipendia in eo bello, quod tum populus Rom. non modò maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis: patre Imperatore libentissimè meruisse, pietatis: finem stipendiorum patris victoriam, ac triumphum fuisse, felicitatis fuit.

Sed præclara omnino huius figuræ temperies, cùm adiunctam habet diuisionem, epanodon, polysyntheton, anaphoram, qualis est illa pro Cœlio.

Sed ego Atratino humanissimo, atque optimo adolescenti meo necessario ignosco, quia habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. Si voluit accusare, pietati tribuo, si iussus est, necessitati: si sperauit aliquid, pueritiæ. Cæteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum.

Quid hoc artificiosius? non est ornatus puerilis ingenij, & si quæ figura iudicium requirit, hæc certè flagitat.

Antithesis.

Pro Cœl. nu. 123.

Præclarum Rhetorum κειμήλιον est antithesis, figura ad suaue, & illustre dicendi genus accommodatissima, est enim contratiorū, vel certè diuersorum oppositio, quo quidem delectationis aucupio mirificè capiuntur animi, & præclara quæque fiunt ex contrarijs. Ex concordia enim, & discordia per rerum nascentium, & intereuntium vicissitudines stat mundus, ex antiphtongis numeris in musica venustas: ex diuersis coloribus decor in pictura efflorescit: vnde fit credo, vt hac contrariorum oppositione auris delectetur, non secus ac pascitur oculus, cùm certantes videt Athletas: nec mirum, si olim antithesis docta figura appellata fuerit.

—— Crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur.

Antithesis varij modi & vsus.

Vsus figuræ varius est.

Philo de Iosepht.

Primus simplicior, vbi bina tamen opponuntur, & ea diuersa potiùs, quàm contraria, vt; Non nostri ingenij, vestri auxilij est, Iudices. [Et] ἀλλοτρίον τοῦτο, μὴ ὑπνούμει, ἴδιον τοῦτο χρῶ, μὴ παραχρώμενος.

Secundus, cum multa, multis, & ea contraria constanti ordine interiecta per poloptoton, vt in illo Himmerij aduersus Epicurum

Quomodo autem congruit voluptas laboribus, patientia delitijs, academia meretricibus, philosophia popinis, temperantia impuris adolescentibus. [Et hæc neruosa, & ad dignitatem apta.

Tertius fit nulla casuum connexorum varietate, sed continua geminorum oppositione per anaphoram, & incisa.

Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constātia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc cōtinentia, illinc libido.

Huius generis insigne est exemplum a-

pud Maximum Tyrium, orat. 4. vbi comparat amicum, & adulatorem.

Quartus, cum plura præmittuntur similia, quibus deinde contraria pari numero respondent, & ea incisa, vt;

Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, cum iniquitate, cum luxuria, ignauia, cum temeritate, cum vitijs omnibus.

Hæc erit apta conclusio post geminorum oppositionem ad varietatem, & hæc iterum ad pugnam apta.

Quintus est Synchrisis, vbi gemina quidem iunguntur, vel diuersa, vel contraria, sed numerosius, & in iustis, ac paribus membris: non tamen incisis, vt, Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas. [Ecce tibi alterum membrum par numero syllabarum, diceres à M. Tullio numeratas] Ille, vt quo intendat maturè cum exercitu perueniat.

Hæc antithesis numerosæ pompæ potius est, quàm pugnæ.

Sextus, congeries, in qua diuersa partim bina copulantur, partim plura pluribus, vt in Miloniana.

Est enim hæc, Iudices, non scripta, sed nata lex, quàm non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.

Septimus ridiculus est, dignus Neronianis versibus, quales sunt isti.

Fortia neglecti velabant colla capilli:
Et per neglectos velabant colla capillos.

Deinde:

Ah quoties vmbra porrexi brachia mota:
Ah quoties vmbra reduxi brachia mota.

Octauus fit per negantia. Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperijs, non offensionibus belli, sed victorijs, non stipendijs, sed triumphis est traducta, valet ad rem exaggerandam per οὔξησιν supra communem morem.

Oxymorum.

Proximum est Antithesi contrarium, siue Oxymoron. quod contentionem nominat M. Tull. differunt tamen nonnihil.

Oxymoron quomodo differat ab antithesi.

Antithesit potest fieri ex diuersis. Oxymoron semper ex contrarijs asserit; hoc in eodē ponit contraria: illa lenior, & ad sensus accommodatior: hoc vehementius, & ὑπερβολικώτερον, id est ad Hyperbolem magis accedens, qualia sunt illa, *innuptæ nuptiæ, insepulta sepultura, δῶρον ἄδωρον.* In quibus est, & Anaclasis, seu reflexio vocis.

Vsus Oximori siue contentionis.

Contentio tota est ad admirabilitatem, & eius vsus in rebus, virtutibus, vitijs exprimendis, quæ prodigio aliquid simile habeant, qualia sunt illa Aristidis in orat. Themistoclis de Xerxe. Mons procellosus nauigatur, fretum integrum ponte commisso pedibus traijcitur, per medium Athum nauigant tiremes, in fluctibus currentem Medorum equitatum vicit Hellespontus.

Et in mare equites, in solem tela, atque plagas, & verbera ingeres.

Epist. l. 8. l. 1.

Item Sidon. Apoll. in qua palude indesinenter rerum omnium lege peruersa, muri cadūt, aquæ stant, turres fluunt, naues sedent, ægrie ambulant, medici iacent, algent balnea, domicilia conflagrant, sitiunt viui, natant sepulti, vigilant fures, dormiunt potestates, fœnerantur clerici, Syri psallunt, negotiatores militant, milites negotiantur, student pilæ senes, aleæ iuuenes, armis Eunuchi, literis fœderati. Tu vide qualis sit ciuitas, vbi tibi lar familiaris incolitur, quæ facilius territoriū potuit habere, quā terram Philo de mundi opificio. χειμὼν φλέγει, θέρος χειμαίνει, ἔαρ μετοπωρίζει μετόπωρον ἐαρίζει.

Ad hanc quoque figuram attinet illud Ter. c. 44. Apologetico. Nam si qui fortè verè de sterilitate Christianorum conqueri possunt, primi erunt lenones, perductores, aquarioli, tum Sicarij, Venenarij Magi, item Aruspices, Arioli. Mathematici. His infructuosos esse magnus fructus est.

Antisagoge.

Affinis est qnoque antithesi *Antisagoge*, nō vulgare orationis ornamentum, quæ paria paribus pensat, aut minora maioribus, aut maiora minorib. Quale est illud Plutarchi.

Natalium splendor res est præclara sane, sed bonum à maioribus profectum, diuitiæ in pretio sunt, verum earum possessio à fortuna pendet, quæ eas sæpe numero ademit habentibus, & non sperantibus obtulit. Magnæ opes, tanquam scopus propositæ sunt ijs, qui cupiunt? loculos exhaurire, seruis, maleficis, ac calumniatoribus: & quod maximum est, etiam pessimis adsunt diuitiæ. Gloria res est, vt venerabilis, ita instabilis, pulchritudo optabilis, sed paruo durans tempore, sanitas pretiosa res est, eademque facile mutatur. Robur digna res est laude, ac voto, sed morbo, aut senectute facilè aboletur, quanquam (vt vno verbo

bo dicam) qui ob vires corporis sibi plaudit, scire debet se a vero aberrare. Quantum enim est hominis robur, cum aliorum animalium robore comparatum ? Elephantorum puta, taurorum, leonum ? Doctrina omnium, quæ nobis adsunt bonorum sola immortalis est, & diuina. D. Hieronymus egregiam habet eiusdem figuræ speciem, ad Heliodorum: Paupertatem times, sed beatos pauperes Christus appellat. Labore terreris, nemo athleta sine sudoribus coronatur, de cibo cogitas, sed famem fides non timet. supra nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere, sed Dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæsaries, sed caput tuum Christus est, infinita eremi vastitas terret, sed tu Paradisum mente deambula. Vide item D. Cyprian. ep. 16. p. 39.

Vsus antisagoges. Vsus est in argumento à partium enumeratione, & comparatis, in re exaggeranda, vel imminuenda, nec caret sua acrimonia, vt illa Himerij. Aras non euertisti, at eas frustra esse ostendisti, cum rerum prouidentiam tollis, ob quam aras extruximus: sacrificia noua non introduxisti, at omnia sustulisti.

De tertia figurarum serie, quæ sunt in repetitione.

Anadiplosis.

CAPVT XXI.

Anadiplosis nodi duo ANadiplosis, est iteratio verbi in eadem sententia aliquando continenter, vt, ô Mysis! ô Mysis. sed artificiosior cum aliquid interijcitur, vt illa Demosthenis. πονηρὸν (ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι) πονηρὸν ὁ κοφαντής. Mala res viri Athenienses, mala res columniator. Sic Cicero, non es commotu, scum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus. Et Dij immortales sine gemitu hoc dici non potest, non nemo etiam in illo sacrario reipub. in ipsa, inquam, curia non nemo hostis est.

Vsus est in affectibus, temperies cum exclamatione.

Anaphora, Epistrophe, Epanalepsis, Traductio, Allusio, Commutatio.

Vsus Anaphoræ. Anaphora est repetitio in principijs sententiarum aptissima ad enumerandum, vt nihil te nocturnum præsidium palatij, nihil vrbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, &c.

Ad insectandum, tu in forum prodire, tu lucem conspicere, tu in horum conspectum venire conaris.

Ad effectus amabiles.

Te dulcis coniux, te solo in littore secum,
Te veniente die, te discedente canebat. *Virg. 1. Georg.*

Temperatur cum Epistrophe, Synonymia, homœoptoto homœoteleuto.

Idem fere est vsus Epistrophes seu conuersionis, quæ repetitio est in fine: vt iustitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.

Vsus Epanalepseos. Epanalepsis seu complexio vtramque figuram amplectitur, repetitque in fine & principio; Figura ad exaggerationes virtutum & vitiorum aptissima; nisi statim feriret fastidiosissimas aures, & eius artificium illico nudum pateret. Idcirco non est nimis continuanda. sed Anaphora, traductione, Polyptoto cum amœnitate varianda.

Traductio. Crebra est eiusdem dictionis repetitio, sed cum casuum, aut modorum varietate, aut mutatione in sensu: vt qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere.

Cui similis est allusio, amari iucundum est, si curetur ne quid sit amari: sed hæc leuiora.

Vehementiam habent conglobati casus, & Antithetis vibrati, vt in illa imprecatione Didonis.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas,
Imprecor arma armis, pugnent ipsique nepotes.

Proxima est commutatio, sententiarum discrepantium inuersio, vt illud Simonid. Pictura loquens poesis est. Tacita poesis pictura est, & esse oportet, vt viuam: non viuere, vt edam.

De quarta serie figurarum.

Ad suaue dicendi genus pertinentium maximè in structura periodorum.

CAPVT XXII.

REstant in hoc dicendi genere figuræ, ex quibus periodi venustatem capiunt, & numerũ, quo in genere excellit Isocrates, ita eius oratio tota est continentibus vincta numeris, vt in tecto tegulæ: neque tamen eo ad pugnam aptior, vt enim si quis currentium cor-

corpora vinciat, de celeritate multum detrahat, sit ea oratio: quo pedibus, & copulis strictior est, plus suauitatis habet, minus acrimoniæ.

Ornat igitur periodos modo Asyntheta crebris ictibus, quasi vehiculis contorta. Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus, & hæc ad aculeos.

Polysyntheta ad grauitatem. Grauius enim est illud Homeri.

-- πατὴρ δ' ἀνδρῶν τε, θεῶν τε.

Vel vna coniunctiuncula.

Homœoptota similiter cadentia, quæ ijsdem casibus efferuntur. Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis.

Homœoteleuta, quæ ijsdem modis: vt turpiter audes facere, nequiter audes dicere.

Plenus est istis Apuleius, vt tibi respondent sydera, redeunt tempora, gaudent numina, seruiunt elementa, & certe nimis ab antiquis affecta respuit posteritas, cum propter artificij facilitem paterent omnibus.

Optima est vtriusque figuræ temperies: vt in illo, perditissima ratio est amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.

Sunt istis affines disiunctiones, coniunctiones, adiunctiones.

Disiunctio vnumquodque certo concludit verbo. Pop. R. Numantiam deleuit; Carthaginem sustulit; Corinthũ disiecit, Fregellas euertit. Suauis est sed fastidio obnoxa, nisi ingenium sit, & prudentia in distributione.

Coniunctio interpositione verbi prima ligat vltimis: & formæ dignitas aut morbo defloresci, aut vetustate.

Adiunctio verbo præponit, aut postponit, vt defloresci formæ dignitas, aut morbo, aut vetustate. Vel aut morbo, aut vetustate formæ dignitas defloresci.

Sed nihil æquè venustat orationem, ac illi suauitatem affundit, quam Isocolon, seu compar, in quo sunt membra orationis, quæ constant ferè ex pari numero syllabarum: vt in illo Ciceronis: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, his periodis sparsæ Isocratis orationes.

De altero ordine figurarum, quæ ad grauitatem faciunt.

CAPVT XXVIII.

SEquuntur illustriores figuræ sententiarum, quarum siue ad docẽdum, siue mouendum splendor est maximus.

Nos primum eas, quæ in demonstrando sunt positæ, deinde quæ in velitatione, & dialogismo, postremo, quæ in affectibus subijcitur.

Prima est diuisio, quæ rem in partes distribuit, & dilemmate ferit aduersarios. Si id actum est, fateor me erasse, qui hoc maluerim: fateor insanisse, qui cum illis senserim. Tametsi inermis, Iudices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento, atque emolumento reip. populoque Rom. debet esse: tum verò optimo, & nobilissimo cuique meam rationem gratissimam esse oportet. *Cic. pro Sexto Cæcin. p. 142.*

[Illa habet vim, & probabilitatem, hæc etiam affectum.]

Vnum perfugium, Iudices, vna spes reliqua est S. Roscio, eademque reip. vestra pristina bonitas & misericordia, quæ si manet, salui etiam nunc esse possumus; sin ea crudelitas, quę hoc tempore in repub. versata est, vestrosque animos (id quod fieri profectò non potest) duriores, acerbioresq; reddit, actum est, Iudices: Inter feras satius est ætatem degere, quàm in hac tanta immanitate versari. Valebit illud genus in perorationibus. *Cic. pro Rosc. am. 142.*

In principijs propositionum habet illa maiestatem. Duæ res sunt, quæ hominem locare possunt in amplissimo gradu dignitatis, vna Imperatoris, altera oratoris boni &c. *Vsus diuisionis.*

Alterum genus diuisionis est *expeditio*, cum rationibus compluribus enumeratis, quibus aliquæ res aut fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, vna relinquitur, quam nos intendimus hoc modo: necesse est, cum constet istum nostrũ fundũ fuisse, ostẽdas te aut vacuum possedisse, aut vsu tuũ fecisse, aut emisse, aut hæreditate tibi veniisse. Vacuum cum ego adessem possidere non potuisti, tuum vsu fecisse etiam nunc non potes. Emptio nulla proferrur, hæreditate tibi me viuo mea pecunia venire non potuit: relinquitur ergo, vt me vi de meo fundo dejeceris. *Expeditio.*

Tum

Tertium *Merismos*, cuius mentio est apud Rutilium Lupum, descriptio quædam rei, aut personæ, à singulis partibus. Hæc exornatio complectitur distributionem, sed habet aliquid vehementius, vt in illo Lycurgi oratoris.

Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimæ, oculi ad petulantem lasciuiam, manus ad rapinam, venter ad auiditatem, virilis naturæ membra, quæ non possumus honestè appellare, ad omne genus corruptelæ, pes ad fugam, prorsus vt ex hoc vitia, aut ipse ex vitijs ortus videatur.

Vsus erit in laudando, in vituperando, in re exaggeranda, cum ita singulæ partes sumentur, epitheticisque propijs donabuntur.

Gradatio figura est omninò ad amplificationem ficta, quę sensim à minoribus, quasi per scalarum gradus ascendit ad summa.

Decantatum est illud, Facinus est vinciri ciuem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari; quid dicam, in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus, spectet, inquit, patriam, in conspectu legum, libertatisque moriatur. Deinde apponatur aculeata conclusio, aut exclamatio cum indignatione, aut admiratione, vt res tulerit.

Habet hæc figura fastidium, si frequentior fuerit. Andocid. de industria superiorum omittit; ἐπεὶ δὲ οὐδὲν ἦν, ἐφ' ὃ τὴν ἀγορὰν τὰ ἔθνη πάσχειν κακῶς, πλὴν καλεπάτερον, ὅταν τις ὑπὸ ἁμαρτάνῃ τὰ διαφέροντα, παραλέγειν τολμᾷ. Graue quidem est ab ijs, qui æquitatem ignorant, male tractari, multò verò durius, cum quis ea nouit, quæ iusta sunt, & audet prætergredi.

Tutius occultatur artificium hoc modo: malum odit, communis virtus est: cum malo etiam bellum gessit. Hæc pulchra ratio exaggerandæ rei, dum minora sumuntur, & laudantur quidem, sed statim maioribus obruuntur.

Synatroismos, siue frequentatio, est congeries rerum, & rationum, viuida orationis celeritate decurrentium, cuius vis in suadendo aut dissuadendo maxima, & in perorationibus frequens, vt, Nemo enim nocens sine summo mœrore est, Iudices, sed multa simul eum perturbant, quod adest, sollicitudinis plenum: quod futurum, est formido-

Andocides in Alcibiad. p. 31. n. 30.

Merismus apud Rhetorem.

Vsus synatroismi.

Rutil. ex Lycurgo.

sum: lex paratum supplicium ostentans, vitia ex vitijs coacta, occasionem arguendi malesicij captans inimicus, quæ quotidiana vehementer eius animum excruciant. Et, Alexandro verò, quid supra dignitatem, quid citra sudorem, quid incruenta victoria, quid citia pulueris, vt dicitur, tactum? postremò quid inelaboratum obtigit? annes sanguine mixtos bibebat, quos cæsorum corporibus iunctos trajiciebat, herbam fame enectus edebat, quam primam offendisset: obrutas altis niuibus gentes adijt, vrbes sub terram mersas excidit, pugnantia maria nauigauit, atrida Gedrosiorum, Arachosiorum que littora permensus, in mari prius etiam, quàm in terra stirpes vidit.

Plut. de fortuna Alexandri.

Sed illud mobilius, & γοργότερον. Trophæa alia super alia eriguntur, triumphi triumphos excipiunt, arma sanguine calentia nouo subinde sanguine abluuntur, victorias numerat, non cadauerum, spoliorumve aceruis, sed subactis regnis, populisque in seruitutem redactis, insulis, continentibusque classibus suis patefactis, ea est Romanorum Imperij magnitudo. Vna pugna Philippus Macedoniam perdidit, vna clade accepta Antiochus Asia cessit, vno prælio victi Charthaginenses Lybiam miserunt, denique vir, vnius exercitus impetu imperio Armeniam adiecit, Pontum Euxinum, Syriam, Arabiam, Albanos, Iberos, & omnino quæcis Hyrcanos, Caucasumque sunt: ter illum victorem vidit Oceanus terras ambiens, Numidas in Lybia ad littora vsque meridiana repulit, Hispaniam Atlantico tenus subegit cum Sertorio desciscentem: Albanorum Reges insectans intra Caspium pelagus compulit, bella hæc omnia egregiè profligauit, publicæ fortunæ ope adiutus: ab ea verò destitutus, suâ tandem ipsius sorte cecidit. Enimuero magnus ille Romanorum genius, non vt Macedonum, ad dieculam aspirans, aut breuiculo tempore florens, nec terrestris modo, vt Lacedæmoniorum, aut maritimus, vt Athenienſium, &c. Vide item ex Saluiano. lib. 1. de gubernatione Dei, vbi res gestas Moysis perstringit.

Mobilis, & circa congeries expressa à Plutar. de fort. Roman.

Ratiocinatio est, per quam nos ipsi à nobis rationem poscimus, quare quicquid dicamus, & crebrò nosmet à nobis petimus vniuscuiusque propositionis explanationem: ea est huiusmodi;

Cic. 4. ad Herenn.

Maiores nostri, si quam vnius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio, multorũ

maleficiorum conuictam putabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam iudicarant, eam veneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? quid necesse est eam, quæ suum corpus addixerit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos? istos, virum, parentes, cæteros, ad quos videt sui dedecoris infamiam pertinere. Quid posteà? quos tantoperè timeat, eos necesse est, vt quoquo modo possit, veneficio petat.

Ratiocinatio concionibus aptissima.

Hæc figura habet multum τὸ πραγματικοῦ, & ad docendum, demonstrandumque efficacissima est, & valde popularis.

De figuris in velitatione, & certamine.

CAPVT XXIV.

Prolepseos varia genera.

PRolepsis est occupatio obiectionis, cuius varia sunt genera.

Modò concisa est, vt:

Esto, ipse nil potest, at venit paratus cum subscriptoribus exercitatis, & disertis.

Modò ampla, & magnifica, itemque irrisione amarulenta, in proponenda aduersarij oratione, qualis est illa;

7. in Verr. num. 10.

Quid agam, Iudices, quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur: noui locum, video vbi se iactaturus sit Hortensius, belli pericula, tempora reipub. Imperatorum penuriam commemorabit: tum deprecabitur à vobis, tum etiam pro suo iure cõtendet, ne patiamini talem Imperatorem Pop. Rom. Siculorum testimonijs eripi, ne obteri laudem Imperatoriam criminibus auaritiæ velitis.

Modò expeditionem habet adiunctam, vestigat, tentat, capit, omnes aduersarij rationes breuiter subijcit, diluitque cum dexteritate, vt illa:

Cic. 4 ad Herenn.

Quæro igitur vnde iste tam pecuniosus sit factus? amplum patrimonium relictum est? At patris bona vænierunt. Hæreditas aliqua obuenit? non potest dici: sed etiam à necessarijs omnibus exhæredatus est. Præmium aliquod ex lite, aut iudicio cepit? non modo id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi sponsione victus est, Ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes videtis, aut isti domi nascitur aurum, aut vnde non est licitum, pecunias accepit, & tunc appellatur *subiectio*: qua vsus Philo de legatione ad Caium, τὸ γένος ἦν ἐλαττῶν, pag. 782. &c.

Argutissima species subiectionis.

Modò per anaphoram, & homœoptota vibratur, qualis est illa omnium argutissima de Haruspicum resp. Tu meam domum religiosam facere potuisti, ecqua mente? qua inuaseras. qua manu? qua disturbaras, qua voce? qua incendi iusseras. qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras. quo puluinari? quo stupraras. quo simulachro? quod ereptum ex meretricis simulachro, in Imperatoris monumento collocaras.

Sustentatio.

Demosth. pro Coron.

Sustentatio est dicti suspensio ad maiorem attentionem, vt illud Demosthenis:

Βέλομαι δὲ, καὶ παράδοξον εἰπεῖν, καὶ μὰ, πρὸς Διὸς, καὶ θεῶν μηδεὶς, τὴν ὑπερβολὴν θαυμάσῃ. Cupio autem quidpiam admirabile dicere, & quæso per Deos, ne quis hanc miretur dicendi insolentiam.

Et Cicero, Audite, audite Consulem, Iudices, nihil dicam arrogantius, tantum dicam toros dies, atque noctes de republica cogitantem.

[Illa maiestatis plena est: hæc acris, & expedita.

Cic. 4 in Verr. nu. 106.

Cognitorem adscribit Sthenio: quem? cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem, ac nobilem? ne id quidem: at Siculum, in quo aliquis splendor, dignitasque esset? minimè. Quid igitur? ciuem Romanum. cui hoc probari potest? cùm esset Sthenius ciuitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitijs; cum præterea tota Sicilia multum auctoritate, & gratia posset, inuenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret: hoc probabitis? an ipse ciuem Romanum maluit? credo: cui Siculo cum is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus vnquam sit.

Vides, vt in ratione variatur, & venustatur. Ista minus habet acrimoniæ, sed plus expectationis.

Etiamnum mihi expectare videmini, Iudices, quid deinde factum sit? quod iste nihil vnquam fecit sine aliquo quæstu, atque præda. quid in eiusmodi re fieri potuit, quod commodum est? expectate facinus, quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium, nomine sceleris, coniurationisque

dam-

damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inspectantibus soluri sunt, & Leonidę ille domino reddiri. Alias iuuat transitiones, vt:

Quid deinde furcifer, quò progreditur? &: Venio nunc ad illud aureum nomen Chrysogoni.

Licentia.

Demosth. Philip. 3. Licentia παῤῥησία libertas, & fiducia loquendi, quo genere abundat Demosthenes, vt ὥστε δέδοικα μὴ βλασφημον μ' εἰπεῖν, ἀληθὲς δ' ἦ. Vereor ne quid dicam odiosum, sed omnino verum. Acris est, ac amarulenta.

Altera excelsa: quid: de reliquis reip. malis licetne dicere? mihi verò licet, & semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. *Cic. Philip. 1.*

Tertia, lenis est, quæ videtur exerere aculeos, cum aliqua acrimonia, quam mulcet, & mitigat, vt.

Vos enim (Patres conscripti) graue dictu est, sed tamen dicendum, vos, inquam, Seruium Sulpitium vita priuastis, quem cum videretis se magis morbo, quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis, (quid enim minus in hunc ordinem conuenit) sed cum speraretis nihil esse, quod non illius authoritate, & sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis, atque eum, qui semper vestrum consensum grauissimum iudicauisset, de sententia deiecistis. *Cic. Philip. 4.*

Quarta, adulatoria, quæ simulat libertatem, cum tamen ea dicat, quæ auditoribus scit esse gratissima, talia sunt illa pro Ligario, vide quam non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ, mihi apud te dicendi oboriatur.

Communicatio.

Vsus communicationis. Cicer. pro Quinct. Communicatio est, quasi cum ipsis, apud quos dicas, deliberatio. Apta ad purgationem figura, in qua multum est probabilitatis. Ego pro te nunc consulo post tempus in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat consulere oblitus es. Quæro abs te Cai Aquili, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle, vadimonium mihi, non obtit quidam socius, & affinis meus, qui cum mihi necessitudo vetus, controuersia de re pecuniaria, recēs intercedit: postulone à Prætore, vt eius bona mihi possidere liceat? an cum Romæ domus eius, vxor, liberi sint, domum potius denuntiem? Quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? Profectò si recte vestram bonitatem, atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: primum expectare, deinde si latitare ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire, quærere quis procurator sit, domum denuntiare: dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam, ac necessariam deuenire.

Concessio.

Concessio est in dictis, sicut permissio in factis.

His quidem figuris videmur aliquid aduersario concedere, quod tamen nihil contra rem nostram facit, immo ex fiducia nostræ æquitatis, & abundantia rationum proficiscitur.

Adiunctam vt sæpius habet paralepsim, qua nos multa, & ea aliquando grauia, præterire fingimus, vt ad maiora veniamus, sic: Verùm hoc quoque vobis remitto, negligite præterita si vultis, sed ne reliquas spes turbetis; atque omnes prouincias euertatis. *Variæ concessionis formæ. Cicero 5. Verr. nu. 219.*

Hæc expedita. Confringat iste sane vi sua consilia senatoria, quæstiones omnium perrumpat, euolet ex nostra seueritate.

Altera inuidiosa, & ironica, qua reus in inuidiam adducitur, Synathroismon enim habet magnorum criminum, quæ omnino concedi non possunt, & tamen videtur præterire, vt nocentissimum hominem ostendat. Sic, verum esto; nihil est, quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor, spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus ærarium, vt locupletatis, aut inuidiæ, aut pestilentiæ possessoribus, agri tamen emantur. Quid tum, quæ erit in istos agros deductio? *3 Verr. nu. 13.*

Tertia grauis, cum aganactesi, vt in Milone de Clodio. Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis, frangatis impetum viui, cuius vix sustinetis furias insepulti. *Cicer. pro Milone.*

Permissio est, vt illa in 7. Verrina. Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui consul fieres, quam Catonem.

Ironia, Epiplexis, Aposiopesis, Allegoria.

Ironia, vna est breuis, & faceta, vt cum Lamia deformem interpellaret. Audiamus, inquit Crassus, pulchellum puerum: at ille belle retorsit, non potui formam ipse fingere, ingenium potui. *Varij modi ironiæ.*

Cicero in Pisonem. Ironia ampla, & festiua species.

Alia fusa & magnifica, vt illa in Pisonem, qui triumphum contemnebat. Non est integrum Gneo Pompeio consilio iam vti tuo; errauit enim, non gustarat istam tuam Philosophiam, ter iam homo stultus triumphauit. Crasse pudet me tui, quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu? P. Seruili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, priusquam in illum errorem induceremini? C. ipsi Pontino necessario meo iam non est integrum: religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricos, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ô amentem Paulum; rusticum Marium, nullius consilij Patres istorum amborum consulum, qui triumpharunt. Et postquam satis lusit, mactat hominem exclamatione. O tenebræ! ô lutum! ô sordes!

Demosth. in orat. de Corona.

Tertia amaruleuta, quæ dicitur Sarcasmos ridet, & pungit, vt Vespa. Talia sunt illa Demosthen αὐλοξα ι ὸς πλήκτης, ἀχ' ὦ ἄνδρες Ὀ. νόμαϲ. παράσημοϲ ῥήτωρ. Tragica Simia, rusticus Oenomaus, adulterinus Rhetor.

Epiplexis, est grauior quædam increpatio, apta Demosthenis grauitati; qualis est illa: τί οὖν ὦ ταλαίπωρε συκοφαντεῖς; λόγῳ πλάττεις; τί σαυτὸν οὐχ ἑλλεβορίζεις, ἐπὶ τούτοις; Quid igitur ô miser calumniaris, quid mendacia fingis: quid elleboro te non purgas?

In hoc genere plerunque valet Aposiopesis, Allegoria, Epanorthosis.

Aposiopesis vsus.

Aposiopesis est reticentia, cuius vsus triplex est. Vel enim reticetur propter obscœnitatem, vt in illo Virgilij,

Nouimus, & qui te.

Vel propter δυσφημίαν, quod mali ominis esse videatur.

Sed Vlpianus 1. Philipp. notat, Demosthenem de industria Philippi verba intermittere, ne mala auis interueniat.

Vel propter grauitatem, nam, vt ait Demetrius, Quæ latent, grauiora putantur. Tale est illud Iuuenalis:

Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Demetrius valeret de allegoria iudicium.

Allegoria, ad terrorem incutiendum est aptissima, adyto, aut nocti simillima, nescio quid habet horroris quia, quæ minus videntur, magis timentur: omnia mysteria sunt. Allegorijs velata, ad grauitatem, & horrorem. Grauius dixit Dionysius, Locris vastitatem minitans, [nunc Cicadæ apud vos in nudo cantabunt solo,] quam si rem dixisset apertius iracundior vilius esset, & minus metuendus. Sed cauendum à continuata Allegoria, ne videamur ænigmata facere. Hęc Demetrius.

Correctio.

Correctionis varia species.

Correctio vna est mordax, vt: quod quidem facerem vehementius, nisi mihi intercederet inimicitiæ cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere, semper hic erro. Et: Quæ verò conuiuia honesta credo in eiusmodi domo, si domus habenda est potius, quam officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorum omnium.

Pro Cœlio n. 32. Pro Rosc. Amer. n. 134.

Alia vehemens cum Anadiplosi: cui benedixit vnquam bono? benedixit? imm ò, quem fortem, & bonum ciuem non petulantissimè infectatus est?

Pro Scaur. n. 10.

Alia leuior per addubitationem, & moderationem. Constantiam dico, nescio, an melius patientiam possem dicere. Et: patrimonium effudit, quanquam non fumus vsi eo verbo, quo decuit: non enim effudit, sed in salute reipub. collocauit.

Pro Lig. 26. Philip. num. 3.

De tertia Serie figurarum in affectibus.

CAPVT XXV.

FIguras claudent exornationes sententiarum omnium illustrissimæ. Exclamatio, Imprecatio, Sermocinatio, Prosopopœia, Apostrophe, Aporia, quibus nihil ad affectus mouendos potentius, sed tamen si frequentius adhibeantur, & in leui materia, nihil miserabilius.

Exclamationum varij modi.

Exclamatio, alia acuta, & breuis, vt, Quænam, malum, est ista voluntaria seruitus? fuerit quædam necessaria.

Alia fusa, & plena, quæ tot generibus distinguitur, quot sunt affectus.

Auersionis, & horroris, ô scelus! ô portentum in vltimas terras exportandum!

Alia admirationis cum laude, vt: ô ciuem narum reip. memorem sui generis, imitatoremq; maiorum. Et illa epistola Iuliani tota in exclamatione ὦ λόγῳ, ὦ φρένες, ὦ σύνεσις, ὦ διαῤῥ-

Epist. Iuliani tota in exclamationibus admirationu.

ὦ διαίρεσις, ὦ ὑπαγορεύματα, ὦ τάξις, ὦ ἁρμονία, ὦ λέξις, ὦ ἁρμονία, ὦ συνθήκη! O eloquentiam, ô mentem, ó prudentiam, ó distributionem, ó vim argumentorum, ó dispositionem, ó adiuncta, ó dictionem, ó numerum, ó compositionem!

Dionysii Milesii laudata exclamatio.

Doloris exclamatio Dionysius Milesius laudatur apud Philostratum ob hanc monodiam, sub persona Demosthenis, in Cheronææ cladis lamentatione. O Cheronea pernicioſus ager! ó transfuga ad barbaros Bœotia, ingemiscite heroum animæ, propè Platæas victi iumus. Ad genus accedunt deplorationes, & querimoniæ, quarum exemplum in vna valde suaui, & eleganti subijcio.

Deploratio Apum transfugarum.

Aelian. p. 41. in epist. Graec. collectaneu.

Alueraria mihi sunt apibus vacua, & discesserunt à Laribus, non hactenus fugitiuæ. Enimuero, & fideles permanserunt, & quasi in domibus, sic in suis cellulis habitauerunt, atq; pratum habuerunt roridum, & floribus copiosum, atque excepturum eas omni ferculorũ genere, illæ verò nimio penè studio laboris, nobis conuiuium præbuerant multo, & egregio melle. Et nunquam huius suauissimi partus, steriles fuerunt, nunc autem discesserunt, nihil à nobis mali passæ: non per Atistæum, & Apollinem ipsum: atque exules sunt, domusque ipsarum orba est, & flores in prato circum circa senio langueſcunt. Ego verò, cũ recordor earum volatum, & gratissimam choræam, nihil aliud me opinor, quam filias amisisse. Inascor igitur eis. Cur enim reliquerunt alumnum suum, & verè patrem, atque custodem, ac procuratorem minimè ingratum? Itaque oportet me inuestigare, quò errabundæ peruenerint, atque vbi post fugam consederunt, etiam ne quisquam eas receperit, habet enim prorsus alienas, & nihil ad se pertinentes. Deinde, cùm inuenero, multis verbis exprobrabo eis ingratum animum, & violatam fidem. Græca præclara sunt, & artificiosa.

Græca verba sunt:

Τὰ σμήνη μοι τῶν μελιττῶν κενά. καὶ ἀπεφοίτησαν αἱ ἐσίαι, οὐκ οὖσαι τέκες θρασυπέτιδες. ἀλλὰ γὰρ καὶ πίσαι διέμυρον καὶ ὥκων ὡς εἶχες εἰς τοὺς αὐτῶν σίμβλους· καὶ ἔχουσι λειμῶνα εὔδροσον, καὶ δὴ καὶ ἄνθεσιν εὔφορον. καὶ εἰσιοῦσιν αὐτὰς πανδαισία. αἰῶ ὑπὸ τῆ φιλοπραγίας τῆ ἄγαν ἀνδρείων ἡμᾶς πολλῶ καὶ καλῶ τῶ μέλιτι· καὶ οὐδέποτε τῆ τῆ ὠδίνων τῆς γλυκείας ἦσαν ἄγονοι. νῦν δὲ ὥσχοντο ἀποῖσαι, λυπηθῆναι πρὸς ἡμῶν οὐδέν. οὐ μὰ τὸν Ἀρισταῖον καὶ τὸν Ἀπόλλω αὐτόν. καὶ αἱ μὲν ἅτε φυγάδες. ὁ δὲ οἶν ὧν αὐτῶν χήρος ἔσει, καὶ τὰ ἀνθηρὰ ἐν τῶ λειμῶνι περὶ αὐτὰ γράφε. Ἐγὼ δὲ αὐτῶν ὅταν ὑπομνησθῶ τῆς πλάσεως, καὶ τῆς εὐχαρίστου χορείας, οὐδὲν ἄλλο ἢ νομίζω θυγατέρας ἀφῆχθαι. ὀργίζομαι μὲν οὖν αὐταῖς. τί γὰρ ἀπέλιπον θρέμμα αὐτῶ καὶ ἀτεχνῶς παλέρα, καὶ φρυκτόν, καὶ μελεδωνὲν, οὐκ ἀχάριστον; δεῖ δέ με ἀνιχνεύσαι τὴν πλάνην αὐτῶν, καὶ ὅποι ποτὲ ἀπεδράσαι καθίωται, καὶ τίς αὐτὰς ὑπεδέξατο. ἔχει γάρ τοι καὶ οὕτως τὰς μελίσσας προσκλάσας. εἶτα εὑρὼν ὀνειδίῶ πολλὰ τὰς ἀγνώμονας καὶ ἀπίστους.

Execrandi in rebus tragicis, clarissimarumque personarum funestis cædibus, consulta parricidam notæ sunt, & aptæ istæ formulæ.

O dementissimi furoris bellua, Hyrcanis tigribus prognatam, ad latrocinium patriæ, ad pestem Italiæ, ad totius mundi perniciem natam, & ex omnium sordium colluuie concretam! ô vltimum inferorum portentũ! ô sicam furiarum sacris initiatam, & impijs Dæmonum execrationibus deuotam, ô infaustissimam lucem, & omni nocte tristiorem, qua, hiatu discesserunt inferi, vt te cùm iam sustinere non possent, te nunquam, istis terris importunissimum animal euomerent. O si tuus ille natalis dies, in annorum redeat curriculum, extabescat protinus, aut feralibus cometarum portentis funesteturr. Non est, non est meum (auditores) in tanta doloris acerbitate exclamare, opus esset, vel ipso Caci ore flammarum globos eructanti, vel Thyestæ, aut Oedipi imprecationibus, neque tamen ad tanti criminis detestationem, pares essent. O rem funestam, terram vidisse diris simo illo parricidio incestatam, & oculum ipsum tanti sceleris aspectu contulum! &c. similia.

Deprecatio grauis pro Murænâ in peroratione. Quæ cum ita sint, iudices, primum reipubl. causa, qua nulla res cuiquâ potior debet

Cic. pro Muræn. num. 86.

bet esse. Vos pro mea summa, & vobis cognita in remp. diligentia moneo, pro authoritate consulari hortor, pro magnitudine periculi obtestor, vt otio, vt paci, vt saluti, vt vitæ vestræ, & cæterorum ciuium consulatis: Deinde ego fidem vestram, vel defensoris, & amici officio adductus, oro, atque obsecro, iudices, vt ne hominis miseri, & cum corporis morbo, tum animi dolore confecti, Lucij Murænæ recentem gratulationem noua lamentatione obruatis.

Pro Deiot. num. 8.

Pathetica pro Deiotaro. Quamobrem, hoc nos primùm metu C. Cæsar per fidem, & constantiam, & clementiam tuam libera, ne residere in te vilam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes, hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram non tam in bellis & in præsidijs, quam in promissis, & fide firmiorem. Sermocinatio orationem effingit.

Philostr. pag. 2. in Philagro.

Sermocinatio superbi. Deinde putas solem vespero inuidere, aut curæ ipsi esse, si quæ stella alia in cœlo est? Non ita se habent res ingentis huius ignis, nam videtur mihi etiam poetico more sic loqui: Do tibi septentrionē: tibi meridiem: tibi vesperum, omnes autem in nocte: omnes cum ego non videor.

Græca verba sunt.

Εἶτα οἴει ἥλιον ἑσπέρα φθονεῖν, ἢ μέλοιμ' αὐτῷ, εἴ τις ἐστὶν ἀστὴρ ἄλλος ἐν οὐρανῷ, οὐχ' οὕτως ἔχει τὰ τοῦ μεγάλου τούτου πυρός. ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖ καὶ ποιητικῶς, ἑκάστῳ διανέμειν· οἱ μὲν ἄρκτον δίδωμι, λέγοντα, οἱ δὲ μεσημβρίαν, οἱ δὲ ἑσπέραν. πάντες δὲ ἐν νυκτὶ, πάντες ὅταν ἐγὼ μὴ βλέπωμαι.

Ep. 115. ex Euripide.

Auari. *Senecæ ad Lucilium.*

Vbique tantum quisque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit quæris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut pauper mori.
Benè moritur, qui dum moritur, lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.
Qui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non facer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat.
Meritò illa amores cœlitum, atque hominum mouet.

4. ad Her. Mors viri magnanimi præclarissimè expressa.

Magnanimi in morte egregiam habet Cicero. Cum militibus vrbs redundaret, & omnes ciues timore oppressi domi continerentur: venit iste cum sago, gladio succinctus, iaculum tenens: quinque adolescentes hominem simili ornatu subsequuntur, irrumpit in ædes subito: Deinde magna voce, vbi est, inquit, iste beatus ædium dominus, quin mihi præsto fit? Quid tacetis? hic alii omnes stupidi timore obmutuerunt. Vxor illius infelicissimi, cum maximo fletu ad istius pedes abiecit sese. Parce, inquit, & per ea, quæ tibi dulcissima sunt in vita, miserere nostri, noli extinguere extinctos, fer mansuete fortunam, nos quoque fuimus beati, nosce te esse hominem.

At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare desinitis? non abibit. Illi nūciatur interea, venisse istum, & clamore maximo mortem minari: quod simul audiuit: heus, inquit, Gorgia, pedisseque puerorum, absconde pueros, fac vt incolumes ad adolescentiam perducas. Vix hæc dixerat, cum ecce iste præsto, sedes (inquit) audax? non vox mea tibi vitam ademit? exple meas inimicitias, & iracundiam satura tuo sanguine. Ille cum magno spiritu, Metuebam, inquit, ne plane victus essem: nunc, vt video, in iudicio mecum contendere non vis, vbi superari turpissimum est, superare pulcherrimum: interficere me vis, occidar equidem, sed victus non peribo. At ille, in extremo vitæ tempore, etiam sententiosè loqueris, neque ei, quem videsdominari vis supplicare?

Tum mulier: Immò quidem iste rogat, & supplicat, sed tu quæso commouere. Et tu per Deos, inquit, hunc amplexare, Dominus est, vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non desinis, inquit, vxor loqui, quæ me digna non sunt? Tace, & quæ curanda sunt, curā. Tu cessas mihi vitam, tibi omnem benè viuendi spem, mea morte eripere? Iste mulierem repulit abs se lamentantem: illi nescio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius virtute esset, gladium in latere defixit.

Vide item præclarum exemplum pro Cœlio n. 33. inorat. Appij Claudij.

Cic. 4. ad Herenn.

Prosopopœia non tantum orationem fingit, sed personam, vt cùm patria loquens inducitur hoc modo: Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victoriis, nunc vestris seditionibus, ô ciues, vexor; quam dolis malitiosa Carthago, viribus probata Numantia, disciplinis cru-

erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini, nunc ab homunculis teterrimis proteri, atque conculcari? Itē, quod si nunc L. ille Brutus reuiuiscat, & hic ante pedes vestros adsit, non hac vtatur oratione? Ego reges eieci; vos tyrannos introducitis. Ego libertatem, quę non erat, peperi; vos partam seruare non vultis. Ego capitis mei periculo patriam liberaui: vos P. liberi sine periculo esse non curatis? Hæc figura est eorū oratorum, qui canunt maioribus tibijs.

Apostrophe conuersio sermonis, modò ad Deos, modò ad homines, modò etiam ad res inanimas, vt. Nunc te Iupiter Opt. Max. Et ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετή. Quod orator Græcus obijcit Aeschini.

De corona. Cum orco, seu iureiurando coniungitur
406. Dion. Milesius. ad maiorem grauitatem, vt notat Longinus, καλῶ ὑμᾶς ἐναντίον ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς θεοὺς ἅπαντας, &c. Nunc fiat ad mortuos, vt, ingemiscite heroes, qui sub terra estis cōditi. Et, ὑμᾶς τοὺς μὲν ἐν τοῖς μνήμασι προκινδυνεύσαντας, &c. vos verò patriæ natos iudicoquorum etiam nomen à Marte est: vt idem
Philipp. 4. n. 32. Deus, vrbem hac gentibus, vos huic vrbi genuisse videatur. In fuga fœda mors est, in victoria gloriosa, etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Illi igitur impij, quos cęcidistis, etiam ad inferos pœnas parricidij luent. Vos verò qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem, & locum consequuti, breuis autem vobis vita data est: At memoria benè redditæ vitæ sempiterna, quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus, & periculis, ad summam laudem, gloriamque contenderet? Actum igitur præclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc verò etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus, nec obliuione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit, cum vobis immortale monumentum, suis penè manibus senatus populusque Rom. extruxerit. Ad res inanimas, vt. Vos enim Albani, Tinnuli, atque Luci, vos, inquam, imploro, atque obtestor.

Lib. 3. de or. n. 212. *Aporia*, dubitatio nobiscum per dialogismum, vnum pro multis erit exemplum, quo ipsis inimicis lachrymas excussit C. Gracchus. Quò me miser conferam? quò vertam? in capitoliumne? at fratris sanguine redundat? an domum? matremne vt miseram, lamentātemque videam, & abiectam?

Cicero pro Murena hanc ipsam imitatus est, fons, & origo extat apud Andocidem, *Andocid. de myst. init. init. init. p. 19. n. 15.* Τίνα γὰρ ἀναβοήσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ; τὸν πατέρα; ἀλλὰ τέθνηκεν. τοὺς ἀδελφοὺς; ἀλλ' οὐκ εἰσί. τοὺς παῖδας, ἀλλ' οὔπω γεγένηνται. ὑμεῖς τοίνυν μοι καὶ ἀντὶ πατρὸς ἐμοὶ, καὶ ἀντὶ ἀδελφῶν, καὶ ἀντὶ παίδων γένεσθε.

Quem ego supplicem vestro huic tribunali sistam (iudices?) patrem scilicet? At verò mortuus est; fratres? nulli sunt; liberos? non habeo. Vos apud me parentum, fratrum, libe- *In Homil. de Abraham.* rorum locum teneris. Basilius Seleuciæ in hac figura triumphat, maximè in ista præclarissima, Abrahami sermocinatione.

Λάβε τὸν υἱόν σου τὸν ἀγαπητὸν, ὃν ἠγάπησας, τὸν ἰσαάκ.

Πῶς οὐκ ἔφριξε τὴν φωνήν; πῶς οὐ συνεστάλη τὴν ψυχὴν, τῇ πικρᾷ τῆς φωνῆς; πῶς οὐκ ἐφλάσε τῇ τελευτῇ τὴν τοῦ τέκνου σφαγήν; ἀλλ' ὦ ψυχῆς χαρτερᾶς, οὐκ ἰσύναξεν, οὐκ ἐδάκρυσεν, οὐκ εἴασε τῇ φύσει, οὐκ ἐμερίδωσε τῆς βουλεύματος, οὐ τὸ πρόσωπον ἤμειψεν, οὐκ ἀφῆκε φωνὴν τὴν πατρικὴν, τέκνου σφαγὴν ἀπαιτοῦσαν, οὐκ εἶπεν ἅπερ ἡ φύσις ἐβούλετο. ὦ ξένων ἐπιταγμάτων. ὦ τῆς παρὰ φύσιν παραγγελμάτων. τέκνου σφαγὴν αἰτοῦμαι, καὶ γενέθλιον παιδὸς προσδέχομαι δῶρον. Πατὴρ βραδὺς, καὶ τεκνόφονος ταχύς. ὦ πόσας καὶ ποίας ἐλπίσιν ἐπήρτυτο φιλοτιμίας. ὅτε μοι τῆς ἀτεκνίας ἐλύθη τὸ πάθος, τότε πάλιν ἀτεκνίαν ὀδύρομαι. οὐκ ἦν εὐτυχὲς ἀπειρά μοι τῆς πείρας ἡ τοῦ παιδὸς ἐχθρία. οὕτω τῇ ἀπολαύσει τρωθεὶς, ἠγνόουν, ὃν οὐκ εἶχον· νῦν δὲ τῇ φύσει δεθεὶς, καὶ τῷ πάθει προσηλωθεὶς, οὐφέρω τὸν πόνον τῆς ἀφαιρέσεως. τί οὖν με καὶ πάλαι δείξας, παιδοκτόνον ἐργάζῃ; τί με τέρπεσθαι τοῖς ὠδῖσιν ἐδίδαξας, μεταδιδάξας ὀδύρεσθαι; τί μεταβάλλεις τὸν πόθον εἰς πένθος; τί μετασκευάζεις τὸ φίλτρον εἰς θρῆνον, μιανῶ δεξιὰν ἂν αἵμασι παιδὸς, ὑπὲρ οὗ πολλάκις σὲ τὰς χεῖρας ἐξέτεινα, πατρικὰς ἱκεσίας δεξάμενον ὁπλίζεις πατέρα πρὸς τὸν τοῦ βλέποντος ἀναίρεσιν. πρὸς τὰς σὰς ὑποσχέσεις ἀπόβλεψον δέσποτα. κληρονόμον ἐπαγγείλω.

λω, καὶ παιδοκτόνον ἐργάζει: καὶ θυσίαν ἀπαιτεῖς ὃν ἐχαρίσω διάδοχον, ἀλλ' ἐγὼ μὲν ὦ παῖδας περιενόουν, ὦ τέκνον, καὶ θάλαμον· ἠγνόουν δ' ἄρα πυρὶ καὶ σιδήρῳ ζέφυρον τὸν φίλτατον. ἀντὶ παστάδος βωμός, ἀντὶ πυρὸς νυμφικοῦ, φλὸξ ἐπιθαλαμίου. εἶδε μήποτε πρὸς αὖγὴν ἦλθον γαμοῦ· εἶδε μοι γέγονεν ἀπαρχὴ τῆς παιδογονίας εὐχή· εἴθε μὴ τόκον εἶδον παράδοξον, ἵνα μὴ πρὸς πόλεμον ἦλθον οὐκ ἐλπιζόμενον. ἀλλὰ μοι τὸ πάντων ἀνιαρώτατον, αὐτόργον με γενέσθαι τοῦ φόνου κελεύει, καὶ σφαγέα τὸ βρέφος ἐᾶσαι θανατοῦμεῖ τὸν γεννήσαντα. οὐκοῦν πολεμίων ἐπιδίδωμι χερὶ δυσμενεῖς σφαγὴν ἐνεργάτωσαν. πρᾶξέτω τὸν φόνον δεξιὰ μὴ δεδεγμένη τῶν πόθων· πατὴρ ὢν, οὐ φέρω τὴν ἀκοήν, οὐκ ὑποφέρω τὴν σφαγήν. ἀποθέσθαι τὸ ξίφος ἡ φύσις, ὀκνάζει πρὸς τὸ ἔργον ἡ δεξιά· ὀφθαλμοὶ τὴν θέαν ἀρνοῦνται. οἷδας αὐτὸς οἷοις πάλαι τὴν φύσιν καθώπλισας, οὐδὲν τέτων ὁ γενναῖος Ἀβραάμ, οὐκ εἶπεν, οὐκ ὠκνησεν· ἀλλ' ὡς ἀληθῶς προθύτην θυσίαν ἀπαρτίζων, πρὸς τὴν σφαγὴν ἀνεζεπίζετο, ὁ τοῖς θείοις ἐμμελετήσας προσάγμασι, καὶ οὐκ ὑπερφέρεται πρὸς τὴν φύσιν τὸν δρόμον κωλύσαι. σιωπᾷ οὖν λαβὼν τὴν σιγὴν ὅλος ἐγίνετο τῷ προστάγματι. κρύπτει τὴν σάρκαν τὸ τόλμημα, οὐκ ἐᾷ φαίνειν τῇ τεκούσῃ τὸ πρόσταγμα. πῶς ἔνεκεν; φιλόθεος μὲν, φησὶν, ἐγὼ δὲ τὴν γνώμην θαυμάζων, ᾠδοῦμαι τὴν φύσιν. ὁρᾷς τὸ φιλόθεον, δέδοικα, τὸ φιλόστοργον. φιλόθεος ἀγαθὴ, ἀλλὰ μήτηρ ἐσί· δεινὸν αἱ μητέρες ἀδυνατείαι κρατοῦσιν φύσεως· δέδοικα μὴ κρύψασα τὸν παῖδα, κλέψῃ τὸ παράγγελμα, μὴ μολύνῃ τὴν θυσίαν δακρύσασα, μὴ τὸν παῖδα θρηνήσασα, καθοσίωσῃ τὸν ἐπιταξάντα· μὴ τὴν ὄψιν ἀράξασα, ῥίψῃ τὴν θυσίαν, καὶ τὸν θεὸν ἐκβιάσηται. μὴ τὴν γνώμην ὀκλάσασα, σκληνῇ τὴν χάριν τῷ θαύματι. ἐγὼ μὲν τὰν σφαγὴν θρηνοῦσαν παραμυθοῦμαι, θεραπεύσω δακρύσαν, τοιαῦτα πρὸς αὐτὴν ἀποφθεγγόμενος. παῦσαι θρηνοῦσα, μὴ κλαῦσε τὸν παῖδα τὸν τῇ σφαγῇ τιμηθέντα. δῶρον ὁ τόκος τοῦ δόντος χαρισαμένου, οὐκ ἀνατρέπει τὸν παῖδα πατὴρ, μᾶλλον ἀφελεῖ, σὺν ἐμάτην χορδὴ μᾶλλον τὸ ξίφος τῆς φύσεως. ἐγκαίει τὴν εὐσέβειαν ἡ τὴν θυσίαν τολμήσασα δεξιά· ὃν ἔδωκας, ἔτηκεν, ὃν ἔπλασε, πάλιν ζήτησεν· ἔλαβεν αὐτὸν ἀπαιτήσας ἔδωκεν αἰτήσεις. ἀποδόσει πάλιν θαλπίδες, ὑπ' αὐδετες κολυβόμενον· ὁ γὰρ οὐκ ἔδωκε τὰ αὖθις, καὶ νεκρωθέντα χαρίσεται. ὁ νεκρωθῆσαν καὶ τὴν γαστέρα δεῖξας μητέρα, καὶ παῖδα σφαγέντα πρὸς ζωὴν μεταπέμψει. τὸ δὲ μέγιστον ἐς παραμυθίαν, ὦ γύναι, ἐς αἴτησιν ἦλθε θυσίας, ὁ τὸ βλέφος ἔχων τὴν θυσίαν. μόσχον πρόβλεπε εἰσηγέσας, Ἰσαὰκ προσειδέσατα, τί τὸ ἀγαθὸν οὐκ ἐλπίζεις τοιάτοις νεανικοῖς λογισμοῖς ὁ προφήτης ἐπισημήνας τὸν φύσιν κακίζοσαν, καὶ παραδήξας τὴν φρένα, καὶ σωμάσας τὴν χεῖρα, τὸ τοῦ σπάρχοντος θέμα λαβὼν, δρόμον ἐπὶ τὸ ὄρος ἀνέδραμε, σηραιὸν πόδα διδάξας τῷ ὄρμον ἀείζοντα, οἷκα γὰρ φύσιν καὶ παῖδα ὁ ποιῶν καὶ γῆρας, αὐσεβείας, ὁ τοιοῦτον. καὶ πάντα ἐλέγχετο ἐᾷ τὸ φιλόστοργον παραχαλᾶν, ὄντα περὶ ἀναπάδα πρὸς τὸ ὄρος, σιωπῶντα τὸ θυσίας αὐτὸ τὸ θῦμα γαλάν. αὐτός τε γὰρ τὸ πῦρ καὶ τὸ ξίφος μετεχειρίζετο· τοῖς τὸ θυσιαζῷ ξύλοις τὸ καλὸν ἱερεῖον τὸν Ἰσαὰκ ἐπεφόρτιζε.

I. Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac.

QVomodo ad eam vocem non inhorruit quomodo non fuit animus vocis perculsione contractior? quomodo filij iugulationem morte non anteuertit? ô animi firmitudinem! non gemuit, non illachrymauit, non naturæ vi fractus est, non in varias partes consilia partitus est, oris constantiam tenuit, non emisit vocem patre dignam, qua filij iugulum petere abnueret, non dixit quæ ab ingenio voluisset; ô barbaricas præceptiones! ô imperia à naturę legibus abhorrentia! filij iugulum reposcor, & filij carnifex esse iubeor. Serus cũ fuerim pater, in filij eędem propere vrgeor: ô cuiusmodi in spes natum charissimũ seruabã! infœcunditatis ma-

lo

ro solutus rursum me improlem gemo. Non vsque adeò filij orbitas ante luctuosa fuit, quam nunc experto mihi. Nondum fructu filij saucius, eum ignorabam, quo carebam. Nunc autem & naturæ obligarur, & amoris vt quasi clauo confixus interemptionis dolorem non fero. Cur tandem, cur qui me, vt genitor essem, patricidium iubes admittere? Quid me partu delectati docuisti? an vt deinde lugere doceres? quid amorem mœrore cõmutas? quid ex amore lamenta concinnas? Illiusne filij sanguine dextram inquinabo, pro quo toties ego tibi manus extendi? Patrijsne supplicationibus ante susceptis, patrem ad filij interemptionem obarmas? Domine promissa tua respice. Cui hæredem promiseras, eum hæredi percussorem submittis? quemue largitus eras successorem, mactari poscis? Ecce tibi, fili, mecum nuptiales epulas & thalamum agitabam animo, ignorans te charissimum igni ferroque ali. En aram pro thalamo, pro igne nuptiali, aræ flamma. Vtinam nunquam filium rogassem! vtinam mea generandi vota nulla fuissent! vtinam partum inopinarum nullus vidissem, vt ne ad bellum venirem insperatum! & quod mihi acerbissimum est omnium, authorem me cædis esse iubet, atque à parente filium iugulari peroptat videre. Saltem hostium manibus dedatur, hostes iugulum petant, cædem perficiat dextera, ab amoris nexibus libera. Parcus verò cum sim, id audire non sustineo, iugulari nequaquam. Ferrum natura repudiat, ad rem tam atrocem fatiscit dextera, oculi spectaculum refugiunt; quibus ipse affectibus naturam obarmaueris, nosti. Nihil horum generoso Abrahamo aut extidit, aut in mentem incidit, sed cui diuina iussa curæ erant, quasi veræ ouis alicuius sacrum exacturus ad iugulationem comparabatur, neque ad naturam, quæ retardaret impetum, conuertebatur. Silentium igitur subsidio comparans, totus erat in ijs, quæ Deus imperarat. Facinus tam audax Sara celat, neque ad matrem effert mandata. Quamobrem? illa quidem, inquit, amans Dei est, ego quidem eius animum suspicio, at ingenium vereor. Intueor matris in Deum propensionem, ac metuo affectum in liberos: Dei amans est mulier, sed mater est. Mulieres naturæ impotentia deuictæ, res importuna. Vereor ne pueri furto materiam subtrahat obsequẽdi Deo iubenti; Vereor ne lachrymis sacra fœdet, ne puero complorato iniuriam imperanti arroget, ne vultu contuso sacra disijciat, Deoque vim afferat, ne mente infracta, rei tam obstupendæ gratiam spoliet. Ego post iugulationem, lamentantem alloquar, ego colam plorantem hisce verbis, desine lamentari, ne fle puer um ipsa iugulatione cohonestatum. Donum erat vltroneum, infans non sine dolore partus. Filium non tollit parens, si plus prodest: neque temere ferrum ijt per mediam sobolem. Ausa sacrum facere dextera, beneficium spondet. Quem Deus dedit, repetijt; quem formauit, requisiuit: quem rogatus dederat, rogans recipit, nec quidquam impediet, quominus reddat cum ita visum erit. Nam qui eum, cum non existeret, dedit, vel morte prostratum vltro dabit. Qui tibi aluo effœta matrem esse concessit, & puerum iugulatum remittet ad vitam. Quodque ad solatium valet plurimum, ô mulier, is cuius in potestate est filius, vt mactaretur, flagitauit. Vitulum nuper obtulisti, Isaaco oblato ecquid bonorum non speres? Tali oratione tamque generosa ratione semper naturæ obloquenti os obstruens, mentemque exacuens, ac manum corroborans, de suis extractam visceribus victimam capit, cursu contendit in montem, pedem senescentem iuuenili cursu promouet. Naturam & afflictionem peruincebat affectio, nec non pietatis contentio senium, omniaque palam ardori in Deum inflammato cedebant. Exsiliebat in montem, sacrificij adiutricem victimam ipsam sumens. Ipse enim ignem & gladium manu tractabat, ligniſque victimarijs Isaacum victimam pulcherrimam aggraiabat.

LOCI COMMVNES PRÆCIPVARVM FIGVRArum Ciceronis indicati.

Apostrophe.

PRo domo, num.104. ODij Immortales (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat, &c. ad num. 112.

Pro Ligar.nu.9. Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius, agebat? &c.

Pro Cœlio, num.59. Proh Dij immortales! cur interdum, &c.

Secunda Tuscul. n.29. Concludunt ratiũculis Stoici, cur non sit malum, quasi de verbo, non de re laboraretur. Quid me decipis, Zeno? nam cum id, quod mihi horribile videtur, &c.

Sexta Verrina, num.79. Te nunc P. Scipio, te, inquam, lectissimum, ornatissimumque adolescentem appello, &c.

Pro domo, nu.3. vbi alloquitur Clodium. Ac primum illud à te, homine vesano, &c.

Prima Catil. initio. Quousque tandem, &c.

In Pisonem, initio. Iamne vides, bellua, &c.

Pro Quinctio.nu.91. Nunc caussa perorata, res ipsa, & periculi magnitudo, &c.

Pro Marcell.num.2. Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ, &c.

Pro Muræna, num.3. A quo tandem M. Cato, est æquius, &c. Et ibidem, n.7. Ego Serui Sulpici, me in petitione tua, &c.

Pro Ligar.n.2. Habes igitur, Tubero, quod est, &c.

Pulcherrima 14. Philipp.nu.32. Vos verò patriæ natos iudico, &c.

Verrina tertia, nu.47. Potestne tibi vlla spes salutis commoda ostendi, &c.

Verrina sexta, n.18. Ecquis pudor est, Verres? &c.

Allegoria.

PRo Roscio Amerino, nu.89. & 90. Tepugna Cănensis, &c. Nihil enim mali est, &c.

Pro Cluent.nu.72. Guttam aspergit huic Bulbo, &c. (dus, &c.

In Pisonem, num.20. Neque tam fui timi-

Pro domo, n.12. Quid, si vtrumq; fuit, &c.

Pro domo, num.27. Desinant, desinant homines ijsdem machinis, &c.

Pro Plancio, nu.94. An cùm videam nauem secundis ventis, &c. Et ibid.nu.95. Nunc venio an illud extremum, &c.

Pro Sextio, num,71. Exierunt malis omnibus, atque execrationibus duo vulturij paludati, &c.

Pro Cœlio num.51. Sed quoniam emersisse iam è vadis, &c. Et ibidem, nu.67. Prægestit animus iam videre primùm, &c.

Concessiones.

PRo Flacco, num.96. Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, &c.

Pro Quinctio, nu.56. Verum, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus.

Pro Roscio Amer.num.8. Si præter, &c. Non recusamus, quin illorum libidini Sexti Roscij vita dedatur.

Pro Marcello num.23. Sed tamen, cùm & angeamus sanè suspicionem tuam, &c.

Pro Ligario, num.36. Sed ierit ad bellum, dissenserit, &c.

Pro Deiot.n.30. Esto, concedatur, hæc quoque acerbitatis, &c.

Verrina 3.n.13. Confringat istè sanè vi sua, &c. (liquis, &c.

Verrina 5.nu.28. Verùm esto, reperietur a-

Verrina 5.n.219. Verùm hoc quoque vobis remitto, negligite, &c.

Verrina sexta, nu.19. Verùm, fac te impetrauisse, fac, &c. quid, &c.

Vltima Verr.num. 4. Hæc eadem nunc ab illis

illis defensionis ratio, &c.

Pro Cluent. nu. 133. Verùm esto, condemnat Popilium Gellius, &c.

Ibidem, nu. 146. Vt tibi concedam hoc indignum esse, &c.

Climaces.

PRo Quinctio, num. 95. Miserum est exturbari fortunis omnibus, miserius est, &c.

Vltima Verrina, num. 169. Facinus est vinciri ciuem Romanum, scelus, &c.

Correctiones sententiæ.

PRima Catil. n. 22. Quanquam quid loquor, &c.

Prima Catil. n. 24. Quanquam quid ego te inuitem, &c.

Pro Ligar. num. 24. Quæro, quid facturi fuissetis, &c.

Pro Rege Deiotaro, nu. 26. Quis prudentior? Quanquam Deiotarum, &c.

Philippica 14. nu. 22. Nunquam enim in ciuili bello supplicatio decreta est; decretam dico? &c.

Pro Rabir. nu. 27. Sed quid ego de ijs omnibus, qui, &c.

Vltima Verrina, nu. 108. Sed quid ego hospitij iura in hac, &c.

Comparationes.

PRo Fonteio, nu. 3. vsque ad 6. Est in eadem Prouincia, &c.

Pro Quinctio, nu. 93. Non comparat se teum, &c.

Pro Rosc. Amer. n. 13. Accusant ij, qui hunc ipsum, &c.

Pulcherrimè pro Rosc. Amerino, num. 88. Restat, Iudices, vt hoc dubitemus, vter, &c.

Pro Rosc. Amer. nu. 118. ad n. 120. Num iste discipulus magistro, &c.

Pro Comœdo, num. 20. Oro, atque obsecro vos, qui nostis, &c.

Pro Deiot. num. 31. O tempora? ô mores? Cn. Domitius ille, &c.

Pro Comœdo num. 7. Quid est, quod negligenter scribamus aduersarija, &c.

Vltima Verr. n. 124. vestros quondam nautas contra Carthaginem, &c. At nunc, &c.

Verr. 1. nu. 35. Ac vide quantum interfuturum sit, inter meam, tuamque accusationem, &c.

Verrina 1. nu. 61. At vide quid differat inter meam opinionem, ac tuam, &c.

Pro Marcello, num. 5. Soleo sæpe ante oculos ponere, &c. vbi fit comparatio Cæsaris cum cæteris.

Ibidem comparantur victoriæ aliæ cum victorijs Cæsaris, num. 8. Domuisti gentes immanitate barbaras, &c.

Ibidem, num. 9. Itaque C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes, &c. At verò, cùm aliquid, &c.

Vltima Verr. nu. 114. Nihil addi iam videtur, Iudices, &c.

Pro Deiot. nu. 12. Ignosce Cæsar, si eius auctoritati, &c.

Cæsaris cum Pompeio, pro Marcello, n. 17. Vidimus tuam victoriam, &c.

Gladium vagina vacuum in vrbe non vidimus, &c.

Pro Muræna, n. 22. Sed, vt hoc omisso, &c. Vigilas tu de nocte, &c. Ille, vt eò, quo incedit, &c.

In Pisonem: comparat se Cicero cum Pisone, n. 2. vsque ad nu. 9. Is mihi etiam gloriabitur, &c.

Philipp. 14. n. 9. Qua enim in vrbe tam immanis, &c.

Pro Rabir. perd. reo, num. 11. Quamobrem vter nostrûm tandem, Labiene, &c. vbi Cicero comparat se cum Labieno.

Vltimo paradoxo sub finem. O Dij immortales, non intelligunt, &c. Capit ille ex suis, &c. Ergo cætena, &c. illi aurata tecta, &c.

Sexta Verr. nu. 115. Nemo fere vestrûm est, quin, &c.

Vltima Vert. nu. 109. Catenas habebat hospes tuus, &c.

Pro Cluentio, numero 194. Quid conferã, Syllamne cum Iunio, &c. Philip. 4. n. 15. 16. 17. Nam, quod se similem, &c.

Tertia Catilin. nu. 24. ad n. 26. Etenim recordamini Quirit. &c.

Pro Sylla. nu. 72. ad 76. Agedum, conferte nunc cum illius vita, vitam P. Syllæ, &c.

Conuicia, seu Epiplexes

PRo Cęcinna nu. 14. Quam personam iam ex quotidiana cognoscitis vita, &c.

Pro Deiot. nu. 21. Dij te perdant fugitiue: ita non modo, &c.

Ibidem nu. 26. Quæ crux huic fugitiuo potest satis supplicij afferre? &c.

2. Verr. n. 2. Adduxi enim hominem, in quo, &c. depopulatorem ærarij, vexatorem Asiæ, &c.

Ibidem n. 7. Nunc homo audacissimus, atque amentissimus, &c.

Ibidem nu. 15. Quæ cum ita sint, iste homo amens, ac perditus, &c.

Verrina 3. num. 6. De impudentia singu-

lari quod adest, quòd, &c.

Ibidem n. 42. Quid hoc homine faciatis? Aut ad quam spem, &c.

Ibidem n. 113. Homo importunissime, cur tantam iniuriam, &c.

Paradoxo 4. Nunquamne homo amentissime te circũspicies. Nunquãne quid facias, &c.

Verr. 4. n. 40. Quid huic homini facias? &c.

4. Verr. vltima pag. An ab hac eius infamia, nequitia, &c.

5. Verr. num. 5. Ego in vno homine omnia vitia, &c.

Ibidem num. 23. Verris mores improbos, &c.

Ibidem nu. 41. Quibus rebus id assequutus es? &c.

Ibidem nu. 65. Hæc tu omnium mortalium profligatiss. &c.

In Pisonem num. 19. Ego istius pecudis, ac putidæ carnis, &c.

Sexta Verrina nu. 47. Quid hoc est? quod hoc monstrum, &c.

Ibidem nu. 75. Hæc cum istis sacrorum omnium hostis, &c.

Ibidem nu. 112. Quæ deprecatio est igitur ei reliqua, &c.

Ibidem n. 148. Theomastus quidam, homo ridicule, &c.

Pro Cluentio nu. 182. Mulier iam non morbo, sed scelere furiosa, & cætera.

Ibidem nu. 67. Sicut ab homine ad excogitandum acutissimo, ad audiendum impudentissimo, &c.

1. Catil. n. 13. 14. & 15. Conuiciatur Catilinę. Nemo qui te non oderit, &c.

Ibidem n. 25. & 26. Ad hanc te amentiam natura peperit, &c.

2. Catil. num. 7. ad 10. Quid enim mali, aut sceleris, &c.

Deprecationes.

PRo Deiotaro nu. 8. Quamobrem hoc nos primum metu, &c.

Pro Quinct. n. 97. Næuij lachrymans manum apprehendit, &c.

2. Verr. nu. 43. Cui loco, per Deos immortales, &c.

Pro Marcell. num. 33. Quare omnes te, qui hæc salua esse volumus, & hortamur, & obsecramus, vt, &cætera.

Distributiones.

PRo Manilia initio, Itaque neque hic locus, &c.

Ibidem num. 6. Primùm mihi videtur de genere belli, &c.

Ibidem n. 36. Ac primùm, quanta innocentia debent esse Imp. &c.

Initium orationis pro Quinctio nu. 1. Quæres in ciuitatem duæ, &c.

Pro Roscio Amerino num. 35. Tres sunt res, quantum ego, &c.

1. Verr. nu. 27. Cognosce ex me, quoniam hoc primum, &c.

Pro Cælio n. 2. Atratinus habet excusationem, vel pietatis, vel necessitatis, &c.

Pro Muræna nu. 12. Meruisse verò stipendia in eo bello, &c.

De Prouincijs Consularibus n. 43. Terror iniectus Cæsari de eius actis, &c.

Ibidem num. vltimo. Si dignitas agitur Cæsaris, &c.

Pro Milone nu. 2. Profectò nec iustitiæ suæ putaret esse, &c. Nec sapientiæ, &c.

Dubitationes.

PRo Quinctio, n. 56. Quo te nomine appellemus? Improbum? &c.

Ibidem, nu. 94. Quid agendum est? qui Deus appellandus est? &c.

Ibidem, nu. 57. Quid ergo est? vereor mehercule, ne aut, &c.

Sexta Verr. initio. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium, vt amici eius morbum, &c. Ego quo nomine appellem nescio, &c.

Pro Rosc. Amer. n. 29. Quid primum quærar? vnde potissimum, &c.

Secunda Verr. n. 32. Nunc ego, Iudices, iam vos consulo, quid mihi, &c.

Sexta Verr. nu. 88. Est crudelitatis, quod, &c. Illud verò quid sit, iam non queo dicere: quo nomine appellem nescio, &c.

Vltima Verr. nu. 2. Quid agam, Iudices? quo accusationis meæ, &c.

Pro Cluentio, num. 4. Equidem, quod ad me attinet, quò me vertam nescio, &c.

Exemplorum vsus.

PRo Deiotaro, n. 31. O tempora! ô mores! Cn. Domitius, &c.

Ibidem, n. 36. Etenim si Antiochus magnus &c.

Pro Rabirio perd. reo, nu. 20. ad 22. De te ipso, Labiene, quæro, &c.

Ibidem, n. 21. Cum ad arma Consules ex S. C. vocauissent, &c.

Ibidem, n. 24. At C. Decianus, de quo tu sæpe commemoras, &c.

Ibi-

Ibidem, n. 26. Haec quidem afferet aliquam deprecationem periculi, &c.

Ibidem, n. 27. Quid de illis honestissimis viris, &c.

Secunda Verr. num. 51. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem. &c.

Tu Pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Paradoxum 1. plenum exemplis. Neque ego vnquam illum bona perdidisse dicam, &c.

Paradoxo 2. Nec verò ego M. Regulum ærumnosum, &c.

Paradoxo penultimo. Quid enim censes, si L. Mummius aliquem istorum videret, &c.

Epiphonemata, & exclamationes.

PRo Rosc. Amerin. n. 82. Vereor, ne aut molestus sim vobis, &c. Virgilius.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Virg. 3. Aeneid. vers. 55.

—— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames?

Idem 10. Aeneidos, versu 501. vsque ad 505.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ, &c.

Cicero pro Sext. n. 93. O Dij immortales, quemnam ostenditis, &c.

Pro Fab. Postu. n. 37. Nunc verò quid agitur. &c.

Philipp. 10. nu. 8. O spectaculum illud, non modo, &c.

Ibidem, nu. 18. Quæ (malum) est ista ratio, &c.

Ibidem, nu. 11. Quæ tempestas, Dij immortales, &c.

Philipp 3. nu. 8. O ciuem natum Reip. memorem, &c.

Pro Sext. n. 27. O diem illum, Iudices, funestum Senatui, &c.

Secunda Catil. n. 10. Hunc verò, si sui fuerint &c. O nos beatos! ô remp. fortunatam! ô præclaram laudem, &c.

Pro Milone n. 95. O frustra, inquit, susceptumei labores! &c.

Pro Sylla, n. 91. O miserum, & infelicem illum diem, quo, &c.

Pro lege Manil. nu. 33. Proh Dij immortales! tantamne vnius hominis, &c.

Quinta Verr. num. 176. Quid enim est reliquum, nisi vti fateare, &c. O consuetudo, &c.

Sexta Verr. num. 8. Sed quid ego tam vehementer inuehor? &c. O Dij immortales, &c.

Vltima Verr. num. 122. Per Deos immortales, Iudices, quo tandem animo sedetis?

Execrationes.

PRo Deiotaro, nu. 22. Dij te perdant, fugitiue, &c.

Ibidem, num. 26. quæ crux huic fugitiuo potest, &c.

Philippica 6. num. 12. Igitur est patronus L. Antonius, malam quidem illi pestem, &c.

Philippica 13. num. 22. O Spartace: quem enim te potius appellem?

Ibidem, num. 48. Quin turabis in malam pestem, malumque cruciatum.

Virgilius 2. Aeneid. vers. 24.

O patria, ô diuum decus Ilium, &c.

—— *Inclyta bello*
Mœnia Dardanidum quater, &c.

Cic. pro Flacco in peroratione, nu. 102. 103.

O nox illa, &c.

Verrina 5. num. 137. Proh Deum, hominumque fidem, &c.

Verrina 6. num. 146. O rem ridiculam! ô desertum hominem, &c.

Pro Rosc. Amerin. num. 146. Per Deos immortales, quæ ista crudelitas.

Pro Rosc. Amer. nu. 77. O Dij immortales rem miseram, & calamitosam! &c.

Fictiones.

VErrina prima, n. 20. Si tibi Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent, &c.

Pro Ligar. nu. 14. Si cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &c.

Verrina 6. nu. 69. & 70. Hoc loco, Q. Catule te appello, &c.

Vltima Verrina, nu. 78. Quid si a fugisset? si vincula rupisset? &c. (ceret &c.

Ibidem, nu. 130. Hæc tibi si tuus parens di-

Ibidem num. 148. Si quis Rex, si qua ciuitas exterarum gentium, &c.

Ibidem, num. 149. Si hæc apud Scythas dicerem, &c.

Ibidem, nu. 167. Tolle hanc spem, tolle hoc præsidium, &c.

Pro Cæcinna, nu. 1. Si quantum in agro lociſque desertis, &c.

Ibidem, num. 2. Si causa more, instituto que omnium defendatur, &c.

Ibidem, nu. 5. Si mihi esset vnius A. Cecinnæ causa agenda, &c.

Pro Cęcinna, n. 35. Si Cæcinna cum in fundo esset, &c.

Pro lege Manilia, num. 50. Quod si Roma

C. Pompeius, &c.

Pro domo sua ad Pont. n. 133. Quid diceres, si nefanda, & pernicioſa labes, &c.

Catil. 4. n. 12. Etenim quæro, ſi quis paterfamilias, &c.

Pro domo ſua ad pont. n. 139. Quæ ſi omnia &c.

Pro Sext n 81. Hic quæro, Iudices, ſi illo die gens iſta, &c.

Pro Milone, n. 55. Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, &c.

Ibidem, num. 78. Quamobrem ſi cruentum gladium tenens, &c.

Ibidem, n. 8. Quin ſic attendite Iudices, &c. fingite igitur cogitatione imaginē, &c. Quid vultu exiſtimauiſtis, &c.

Hypotypoſes.

VErrina ſeptima, nu. 160. Ipſe inflammatus ſcelere, ac furore, &c.

Pro Roſc. Amer. nu. 98. Nonne vobis hæc, quæ audiſtis, cernere oculis videmini, &c.

Pro Roſc. Amer. nu. 23. 24. Interea, &c.

Ibidem, nu. 97. & 98. Etiamne in tam perſpicuis rebus, &c

Verrina tertia, nu. 141. Iſti color immutatus eſt: vultus, oratio, &c.

Vltima Verr. nu. 26. 27. 28. 29. Iterum primum laborem, &c.

Pro Cluent. Iudicij corrupti vide fraudem, à n. 71. ad 77. Capit hoc conſilium, &c

Prima Catilin n 20. Quid eſt, Catilina? ecquid attendis, &c

Secunda Catil. n. 2. Iacet iſte nunc proſtratus, & retorquet oculos, &c.

In Piſonem, nu. 25. Erant illi compti capilli, & madentes cinnorum fimbriæ, &c

Secunda Catilin. nu. 5. Hos quos video volitare in foro, &c.

Tertia Catilin. num. 13. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa cert. &c.

In Piſonem, nu. 42. 43 ad 78. An ego, &c.

Sui reditus in Piſonem, num 51 ad 53. Reditus Piſonis, à 53 ad 56.

Ironia.

SExta Verrina, nu 86. Virgis iſte cæderet ſine cauſſa, &c.

Vltima Verr. nu. 11 & 12. Quid hoc loco poſſes dicere, &c

Prima Catilin. n. 23. Ac ſic mihi inimico, vt prædicas, &c.

Ibidem, num 28. præclaram verò populo Romano refers gratiam, &c.

Secunda Catil. nu. 12. Homo enim videlicet timidus, & permodeſtus, &c.

Pro Milon n. 92. Excitate, excitate eum ab inferis, &c.

Pro Ligario, num. 26. Sed vide, quæſo, C. Cæſar, conſtantiam ornatiſſimi viri.

Pro Deiot. nu. 16. At, credo, hæc homo inconſultus, & temerarius non videbat, &c

Ibidem num. 33. Bleſamius, tyrannum Cæſarem ſcriberet? &c & num 34. Nam de ſtatua quis quæritur, &c.

Philipp 14. num 7. Gratæ verò noſtræ Dij immortalibus gratulationes erunt, &c.

Occupationes, ſeu prolepſes.

PRo Roſc. Amerino, nu. 5. Forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, &c.

Verrina prima n. 47 Eſto ipſe nihil eſt, nihil poteſt, &c.

Ibidem, n. 48. Deinde, vt opinor, habet Alienum, hunc tamen à ſubſellijs, &c.

Pro Arch. nu 20. Ac ne quis à nobis hoc ita, &c.

Ibidem num. 3. Sed ne cui veſtrum mirum eſſe videatur, &c.

Ibidem num 9. At domicilium Romæ non habuit is, &c.

Ibidem, num. 12. Quæres à nobis Gracche, cur tantoperè, &c.

Ibidem, n. 15. Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi, &c.

Ibidem num. 23. Nam ſi quis minorem gloriæ fructum, &c.

Pro Marcello, n. 22. At ſi tui nihil cogitant ſceleris, cauendum eſt, &c.

Pro Ligario, n. 20. Reprehendendo igitur? Minimè verò, &c.

Pro Deiot. nu. 16. At, credo, hæc homo inconſultus, &c.

Ibidem, nu. 33. At quàm acutè collecta crimina? Bleſamius, &c.

Philipp. 14 nu 13. Tu igitur ipſe de te dixerit quiſpiam, &c.

Pro Rabir. perd. reo, num. 23. At fuit veſter patruus &c.

Verrin. 3. nu. 118. At per Deos immortales, quid eſt, &c.

Verr. 5. nu. 117. Hic mihi etiam dicere audebit, &c.

Ibidem, nu. 188. Scio quid ſoleat fieri, ſcio quid queat, &c.

Prætermiſſiones, & præteritiones.

PRo Lege Manil num. 25. Sinite hoc loco, Quirites, ſicut poetæ, &c. præterire me veſtram

eram calamitatem, &c.

Ibidem, n. 60. Non dico hoc loco maiores nostros, &c.

Pro Quinct. nn. 13. Verùm his de rebus non necesse, &c.

Verr. 1. n. 29. Nec ea dico, quæ si dicam, tamen, &c.

Ibidem, num. 24. Hæc tu scis ad me esse delata, quæ si velim proferre, &c.

Verr. n. 26. In quo ego quid eniti, &c. Malo in aliorum spe relinquere, quam, &c.

Ibidem, num. 36. Intelligo quàm scrupulosè, difficilique, &c. quamobrem nihil dico de meo ingenio, &c.

Pro Ligario num. 24. Sed iam hoc totum omitto, &c.

Pro Ligar. n. 30. Ignoscite, Iudices, errauit, lapsus est, &c.

Pro Deiot. n. 15. Vt enim omittam, &c.

Verr. 2. num. 24. In stupris verò, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor, &c.

Verr. 2. nu. 38. Cognoscet ex me populus Rom. quid sit, &c.

Ibidem, n. 39. 40. Iam verò quomodo ego &c.

Verr. 3. n. 32. Itaque primum illum actum, &c. prætermittam, &c.

Ibidem, nu. 75. Quid eius lachrymas, & cõcursiones proferam, &c.

Ibidem, n. 128. In sartis tectis verò, &c. quid ego dicam? &c.

Ibidem n. 148. Sed ineptum est de tam perspicua re disputare, &c.

Verr. 5. n. 59. Mitto vincla, mitto carcerem. &c.

Ibidem, toto num. 103. Sentio, Iudices, moderandum mihi esse iam orationi meæ, &c.

Ver. 6. nu. 37 Non tibi obijcio, quod, &c.

Ibid. n. 48 Hic nolite expectare, dum ego hæc crimina agam, &c.

Prosopopœia.

PHilipp. 5. n. 5. Hoc qui non videt, excors, &c. & nu. 6. Meus amicus est, &c.

Philippica 7. n. 5. Faueas tu hosti? literas tibi ille mittat? &c.

Philippica 10. n. 7. Vos autem D. C. si M. Brutum, &c.

Virgilius, 2 Aeneid. vers. 430.

—— Aeneas,
Iliaci cineres, & fata extrema meorum
Testor in occasu vestro. Nec tela, nec vllae
Vitasse vices Danaum.

3. Æneid. vers. 55.

Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames.

Verrina 5. num. 205. Quid adhæc Hortensius? Falsum esse crimen? hoc nunquam dicet, &c.

Verr. 6. n. 79. P. Scipio eum, qui illa sustulit, &c.

Ibidem, n. 82. Hæc abs te non Siculorum defensor, &c.

Catil. 4. num. 2. Quæcunque mihi vni proponeretur, &c.

Pro Balbo, n. 47. Existat ergo ille vir, &c.

Pro Deiot. n. 19. At quam festiuè crimen contexitur, &c.

Ibidem, num. 21. Horum inquit, eram conscius, &c.

Ibidem, nu. 24. Addidit etiam illud, equites non optimos, &c.

Ibidem n. 25. At eo, inquit, tempore ipso Nicæam, Ephesumque, &c.

Verrina 2. n. 20. Verè loquar, Iudices, &c.

Subiectiones.

VErrina 3. n. 150. Nam quid argumentamur, quo ista pecunia peruenerit? fecit, &c.

Verrina 6. n. 27 At quomodo abiecit, non possum dicere, &c.

De Haruspicum responsis, n. 33. Tu meam domum religiosam facere potuisti? &c.

Philippica secunda, num. 2. Quid putem? contemptumne me non video, &c.

Pro Rosc. Amer. n. 131. Placet igitur in his rebus, &c.

Gorgias in Palamede, p. 188. habet egregiã.

Pro Ligario, n. 7. Apud quem igitur, &c. nempe ad eum, &c.

Pro Quintio. n. 6. Quid ergo est? primùm magnitudo periculi, &c.

Ibidem, n. 41 Appellandi tempus non erat? Ac tecum, &c.

Ibidem, n. 43. Quid igitur pugnas? an quod, &c. & n. 44. vt honestiore iudicio conflictere, At, &c

Ibidem, n. 62 At quis erat procurator, credo, &c

Ibidem, n. 74. Vbi erant cæteri creditores, &c,

Trans-

Transitiones.

VErrina 3. nu. 155. Cognoscite aliud hominis in re vetere, &c.

Ibidem, n. 123. Superbia verò qua fuerit, quis ignorat, &c.

Pro Rosc. Amer. n. 66. Quapropter vos oro, &c.

Pro Marcell. n. 21. Nunc verò venio ad grauissimam, &c.

Verrina 3. nu. 42. Nolite quæso, Iudices breuitate orationis, &c.

Verrina 3. n. 103. Verùm ad illam iam veniamus, &c.

Verrina 4. n. 34. Quantam potestatem habuerit, videtis, quas res, &c.

Verrina 5. nu. 18. Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus, &c.

De Demosthenica figurarum tractatione.

CAPVT XXVI.

DEmosthenes in tractatione figurarum sententię, grauis est, & varius: non habet illud quidem genus molle, & declamatorium, quod otiosis auribus adblandiatur: sed totus fermè est in πραγματικῷ, in quo certè vim habet prope incredibilem, quod hæc è multis pauca satis indicabunt.

INTERROGATIO.

Quis vsus interrogationis apud Demosthenem.

Sæpè vtitur hac figura, dum vult aliquid insinuare mentibus: & interrogat se, & suspendit animos: deinde respondet.

Οὐχὶ καλῶς ἔχειν ἡγοῦμαι. διὰ τί; ὅτι μοι δοκεῖ πάνδ' ὅσα ἀνέπεῖ ἰς ὑπὲρ τέτων, ἐκείνῳ μὲν ἔχειν φιλοτιμίαν ἴσως, ἡμῖν δ' οὐχὶ καλῶς πεπράχθαι. Ο μὲν γὰρ ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὑτῦ, τοσῦτῳ θαυμασότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται. ὑμᾶς δ' ὑσῳ χεῖρον ἢ προσῆκε κέχρηθαι τοῖς πράγμασι, τοσῦτῳ πλείονα αἰσχύνην ὄφλήκατε. Ταῦτα μὲν οὖν παραλείψω.

NOn consultum esse existimo: quamobrem? quia quicquid ea de re dixeris, id vt ei aliquid afferre laudis, sic à nobis non præclarè administratum esse videatur, quo enim is plura supra dignitatem suam gessit, eo admirabilior apud omnes habetur. Vos quantò deterius, quam decuerat, vsi rebus estis; tantò maiorem ignominiam suscepistis. Hæc igitur omittam.

SYNATHROISMVS.

Animaduerte hic orationis vibratam celeritatem.

Philippum diceres, quasi torrentem effusum rapi, & Græcia vrbes inuoluere mira velocitate.

Ἦρ' ἄγε λογίζεταί τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεωρεῖ τὸν ζόπορ δι' ὃν μέγας γέγονεν, ἀσθενὴς ὢν τὸ κατ' ἀρχὰς φιλιππος τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβὼν, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν ποτίδαιαν, Μεθώνην αὖθις, εἶτα Θετταλίας ἐπέβη. κατὰ

NVMQVIS vestrûm cogitat, Atheniensis, & spectat, quemadmodum magnus euaserit, infirmus cum esset initio Philippus? Primum Amphipoli capta, postea Pydna, mox Potidæa, denique Methone, postremò Thessaliam inuasit. Demùm, quum Pheras, Pagasas, Magnesiam, omnia suo arbitratu com-

ταῦτα Φερὰς, Παγασὰς, Μαγνήσαν, πάνθ' ὃν ἐβούλετο εὐτρεπίσας τρόπον, ὤχετ' εἰς Θράκην, εἶτ' ἐκεῖ τοὺς μὲν ἐκβαλὼν, τοὺς δὲ καταστήσας τῶν βασιλέων, ἠσθένησε· πάλιν ῥαΐσας, οὐκ ἐπὶ τὸ ῥαθυμεῖν ἀπέκλινεν, ἀλλ' εὐθὺς ὀλυνθίοις ἐπεχείρησε· τὰς δ' ἐπ' Ἰλλυριοὺς, καὶ Παίονας αὐτοῦ, καὶ πρὸς ἀρύμβαν, καὶ ὅπη τις ἂν εἴποι.

composuisset, in Thraciam abijt. Deinde ibi, Regibus alijs eiectis, alijs constitutis, in morbum incidit: ex eo paululum recreatus, non ad socordiam se deflexit, sed statim Olynthios est aggressus. Eius autem in Illyrios, & Pæones, & aduersus Arymbam, & quò non.

P R O L E P S I S.

Prolepses habet frequentes, est enim pugnax rationibus, & in aliorum subodorandis, refellendisq; obiectionibus sagax & industrius.

ΤΙ οὖν τὶς ἂν, εἴπει, ταῦτα λέγεις ὑμῖν νῦν; ἵνα γνῶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ αἴσθησθε ἀμφότερα, καὶ τὸ προΐεσθαι καθέκαστον αἰεί τι τῶν πραγμάτων, ὡς ἀλυσιτελές. Καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην, ἣ πρὸς ἅπαντας χρῆται, καὶ συζῇ φίλιππος. ὑφ' ἧς οὐκ ἔστιν ὅπως ἀγαπήσας τοῖς πεπραγμένοις ἡσυχίαν σχήσει.

QVid ergo, inquiet aliquis, ista nobis commemoras nunc? Vtrumque, vt cognoscatis, Athenienses, & sentiatis, tum proijcere singulatim semper aliquid rerum, quam non expediat: tum perpetuam in rebus gerendis alacritatem, qua erga omnes Philippus vtitur: præ qua fieri non poterit, vt rebus gestis contentus, in otio se contineat.

ALIVD EXEMPLVM PROLEPSEOS.

ΤΟ μὲν οὖν ἐπιτιμᾶν, ἴσως φήσαι τις ἂν ῥᾴδιον, καὶ παντὸς εἶναι, τὸ δὲ ὑπὲρ τῶν παρόντων, ὃ τι δεῖ πράττειν, ἀποφαίνεσθαι, τοῦτ' εἶναι συμβούλου. ἐγὼ δὲ οὐκ ἀγνοῶ μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦθ', ὅτι πολλάκις ὑμεῖς οὐ τοὺς αἰτίους, ἀλλὰ τοὺς ὑστάτους περὶ τῶν πραγμάτων εἰπόντας, ἐν ὀργῇ ποιεῖσθε, ἂν τι μὴ κατὰ γνώμην ἐκβῇ. οὐ μὴν οἶμαί γε δεῖν, τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦνθ' ὑποστείλασθαι.

AC reprehendere quidem, dixerit forsan aliquis esse facilè, & cuiusuis: quid autem de his rebus statuendum sit, pronuntiare, id esse consiliarij. Ego verò, quanquam illud non ignoro, sæpè vos, non ijs, qui sunt in culpa, sed his, qui postremi sententiam dixerint, irasci, vbi quid ex sententia non euenerit: non tamen arbitror meæ priuatæ salutis ita habendam esse mihi rationem, vt quicquam dissimulem, quod è re vestra futurum esse ducam.

M E O S I S.

Tanta industria plerumque vituperat, vt videatur rem minuere; callidè tamen auget, nam prætextu istius moderationis altius imprimit vulnus.

Vide, quàm molliter agit: diceres eum Philippo parcere, satis tamen indicat eum in hoc æstu se superfundentis fortunæ, praua quælibet posse committere.

Olynth. 1. ΚΑὶ ἄνθρωπος ὑβριστὴς, ὥς φασι, καὶ μὰ δι' οὐδὲν ἄπιστον ἴσως. τὸ γὰρ εὖ πράτ-

ET homo importunus est, vt aiunt: neque profectò id incredibile fortassis est: nam

τειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς γίνεται.

res secundiores, quàm par est, temeritatis occasionem incautis præbent.

SVBIECTIO.

Subiectiones contortas amat, & pugnaces, quæ totæ rigeant aculeis rationum.

Olynth. 1. Ἦν δὲ ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἔτι κωλύσει δεῦρο βαδίζειν; Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. ἀλλὰ Φωκεῖς; οἱ τὴν οἰκείαν οὐχ οἷοί τε ὄντες φυλάπτειν, ἐὰν μὴ βοηθήσητε ὑμεῖς. ἢ ἄλλος τις; ἀλλ' ὦ τὰν οὐχὶ βουλήσεται.

SIn illa Philippus occuparit: quis eum porrò huc ire prohibebit? Thebani? ne sit dictu acerbius, etiam expeditè vnà irrumpent. An Phocenses? qui ne sua quidem sine vestris auxilijs tueri possunt. Aut alius quispiam? at herculè, nolet.

EXAGGERATIO CLADIS BELLICAE.

In exaggerando non est verbosus, sed de industria concidit orationem, & vt Timantes in tabulis, plura relinquit cogitanda, quàm pingit.

Olynth. 1. Εἰ δὲ δὴ πόλεμός τις ἥξει, πόσα χρὴ νομίσαι ζημιωθήσεσθαι; καὶ προσέσται ἡ ὕβρις. ἐκ ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη, οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσι.

QVod si quæ hostiles copiæ venerint: quantæ clades erunt metuendæ? accedet proteruitas, atque insuper ipsius rei dedecus: quod nullo minus est detrimento, sanis quidem hominibus.

EPIPLEXIS.

Olynth. 3. Ἡ φρασάτω τις ἐμοὶ παρελθὼν, πόθε ἄλλοθεν ἰσχυρὸς γέγονεν, ἢ παρ' ἡμᾶς αὐτῶν, Φίλιππος; ἀλλ' ὦ τὰν, εἰ ταῦτα φάυλως, τάγ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει νῦν ἄμεινον ἔχει; καὶ τὰ ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι; τὰς ἐπάλξεις ἃς κονιῶμεν, καὶ τὰς ὁδοὺς ἃς ἐπισκευάζομεν, καὶ κρήνας, καὶ λήρους; ἀποβλέψατε δὴ πρὸς τοὺς τὰ τοιαῦτα πολιτευομένους· ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δὲ ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι· ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τὰ τούτων ἤυξηται. τί δὲ τὸ πάντων αἴτιον τούτων; καὶ τί δήποτε ἅπαντ' εἶχε καλῶς τό-

ALIOQVI progrediatur aliquis, & mihi dicat: vnde, nisi per nosmetipsos, ita sint auctæ opes Philippi? Sed heus tu, si vitiosa hæc sunt, at vrbanarum rerum status est melior. Ecquid autem dici queat? num propugnacula, quæ tectorio inducimus? & viæ, quas reficimus? & fontes? & nugæ? Eos quæso intuemini, quorum hæc acta sunt in Republica: quorum alij è mendicis facti sunt diuites, alij ex obscuris clari, nonnulli priuatas ædes publicis substructionibus splendidiores compararunt: & quantò respublica plus detrimenti cœpit, tanto res istorum factæ sunt ampliores. Quæ igitur causa est horum omnium? & cur tandem se omnia tum præclarè habuerunt, & nunc haud rectè? Primùm, quod & populus, cum ipse mili-

τε καὶ νῦν οὐκ ὀρθῶς; ὅλε τὸ μὲν πρῶτον, καὶ ἐφ' ἑαυτοῦ ἕκαστος ὁ δῆμος, διαπόντας τ' πολλοὺς ἀνθρώπους ἦν, καὶ κύριος αὐτὸς ἀπάντων τ' ἀγαθῶν. καὶ ἀγαπητὸν ἦν, παρὰ τοῦ δήμου, τ' ἄλλων ἕκαστον, καὶ ἀμῆς, καὶ ἀρχῆς, καὶ ἀγαθοῦ τινος μεταλαβεῖν. νῦν δὲ τοὐναντίον, κύριοι μὲν τ' ἀγαθῶν οἱ πολιτευόμενοι, καὶ διαλύοντες ἅπαντα πράττειν· ὑμεῖς καὶ ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι, καὶ περιῤῥηγμένοι χρήματα, συμμάχους, οὐ ὑπηρέτας καὶ προσόδους μέρει γεγένησθε, ἀγαπῶντες ἐὰν μεταδιδῶσι θεωρικῶν ὑμῖν, ἢ βοῦς ἢ πέμψωσιν οὗτοι· καὶ τὸ πάντων ἀνανδρότατον, τ' ὑμετέρων αὐτ' χάριν προσοφείλετε οἷς δεῖ σφ' αὐτῆς τῆς πόλεως χαθεῖξαντες ὑμᾶς, ὑπάγουσιν ἐπὶ ταῦτα, καὶ ἀβασανίστους, χειροήθεις αὐτοῖς ποιοῦντες. ἔστι δ' οὐδὲ ποτ', οἶμαι, μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν, μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας. ἐπεὶ ἅπερ γὰρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τ' ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ φρόνημα ἔχειν ταῦτα. μὰ τὴν Δήμητρα, οὐκ ἂν θαυμάσαιμι, εἰ μείζων ἐπόνει ἐμοὶ γένοιτο παρ' ὑμῶν βλάβη, τ' πεποιημότων αὐτὰ γενέσθαι· οὐδὲ γὰρ παῤῥησία περὶ πάντων ἀεὶ παρ' ὑμῖν ἔστιν· ἀλλ' ἐγωγε, ὅτι καὶ νῦν γέγονε, θαυμάζω. ἐὰν οὖν ἀλλὰ νῦν γ' ἔτι ἀπαλλαγέντες τούτων τ' ἐθῶν ἐθελήσητε παλαιοῦσθαί τε, καὶ πράττειν ἀξίως ὑμῶν αὐτ', καὶ τῆς περιουσίας, τῆς οἰκοι ταύτης ἀφορμῆς ἐπὶ τὰ ἔξω τ' ἀγαθῶν, χρήσησθε, ἴσως ἂν ἴσως, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τέλεόν τι καὶ μέγα κλήσαιτε ἀγαθόν, καὶ τ' τοιούτων ῥημάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τ' ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε. καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα παρέχει τινὶ, οὔτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ. καὶ ταῦτα ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν, ὡς ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτ' ἀπογνῶναι ἄλλο τι πρᾶξαι ἐᾷ. ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου θαυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα.

militare auderet, dominus erat magistratuum, & bona omnia in sua potestate habebat: & bene secum agi putabant cæteri omnes, si a populo, & magistratum, & honorem, & beneficium aliquod consecuti essent. Nunc contrà, bona omnia in potestate sunt magistratuum, & per hos geruntur omnia: vos populus eneruati, & spoliati pecunia, socijs, famuli, & additamenti vicem obtinetis: contenti theatrali pecunia, quam isti vobis impertiunt: aut bucculis, si quas fortè miserint. Et quod est omnium ignauissimum, cùm ea vobis dantur, vestia quæ sunt, gratiam etiam habetis, quasi beneficia in vos conferantur. Qui verò vos in hanc vrbem, tanquam carcerem inclusere, ad talia vos alliciunt, & cicurant, vt vos ad nutum paratos habeant. Neque verò mea quidem sententia fieri vnquam potest, vt magnos, & generosos animos sumant ij, qui paruis, & vilibus rebus occupantur. Nam qualiacunque hominum studia fuerint, talibus eos & animis esse præditos necesse est. Hæc medius fidius, haud mirabor, si mihi qui dixerim, plus apud vos nocuerint, quam ijs, qui ea fecerunt. Neque enim semper apud vos omnibus de rebus liberè loqui licet, idque ego, vel nunc licuisse miror. Quòd si nunc saltem, moribus istis relictis, militare voletis, & agere pro vestra dignitate, atque istis domesticis opibus, velut instrumentis vtemini, ad externa bona comparanda, fortassis, Athenienses, fortassis perfectum aliquod, & magnum bonum consequemini, talibus lucellis repudiatis, quæ cum cibis, quos dant ægrotis medici, conferri possunt. Etenim, vt illi neque vires augent, neque emori patiuntur: sic & ista, quæ vos nunc percipitis, neque tanta sunt, vt iustam vtilitatem aliquam afferant: neque vos ijs despectis, ad alia conuerti patiuntur, sed alimenta sunt vestrûm omnium socordiæ.

ITEM EPIPLEXIS BREVIS, ET MORDAX.

Flumen magnæ mentis est hæc oratio.

Ὀμὰ τὸν Δία, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς, οὐ δύνασθε ὑμεῖς ποιῆται, οὐδὲ βέλ-

Quod, ita me amet Iupiter alijque Dij, neque potestis vos facere, neque vultis:

ἀλλ' εἰς τοῦτο ἀφῖχθαι μωρίας, ἢ παρανοίας, ἢ σβέννυμι; ἐγὼ γάρ, (πολλάκις γὰρ ἤμουγε ἐπελήλυθε, καὶ τοῦτο φοβεῖσθαι, μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ) ὡς λοιδορίας, ἢ φθόνου, ἢ σκώμματος ἕνεκ' ἢ ἧς ἂν τύχητε αἰτίας ἀνθρώπους μιαροὺς, (ὧν οὐδ' ἂν ἀρνηθεῖεν ἔνιοι ὡς οὐκ εἰσί τοιοῦτοι,) λέγειν κελεύετε, καὶ γελᾶτε ἂν λοιδορηθῶσι· καὶ οὐχὶ τοῦτο πωλεῖσθαι, καὶ περὶ ὃν δεινόν, ἀλλὰ καὶ μέγα πλεῖστου δεῖν ἀσφαλείας πολιτεύεσθαι; ἐὰν ὦ τοιοῦτοι, ἢ τῆς ὑπὲρ ὑμῶν λέγειν.

sed in eam stultitiam veniſtis, aut delirium, aut neſcio quid dicam (ſæpe enim illud etiam veteri mihi ſubit, ne quod numen res agitet) vt conuitij, aut inuidiæ, aut dicterij gratia, quæcunque vobis cauſa in mentem inciderit; homines mercenarios, (quorum quidam haud negaturi ſunt ſe eſſe tales) dicere iubeatis: & rideatis, ſi quibus conuitia fecerint. Neque dum hoc graue eſt, quanquam graue: ſed & illud eis dediſtis, vt minore cum periculo Rempubl. gerant, quam veſtri defenſores.

ITEM OBIVRGATIO.

In qua deſcriptio antiquorum morum, quos cum nouis comparat.

Si comparentur ea, quæ Socrates habet in eodem argumento, venationis videbuntur, & ludorum: hæc iuſti prælij.

Olinth. 3. ἘΚεῖνοι τοίνυν οἷς ἐχαρίζοντ' οἱ λέγοντες, οὐδ' ἐφίλουν αὐτοὺς ὥσπερ ὑμᾶς οὗτοι νῦν· πένητες μὲν καὶ ἐπικουλαῖτη τῶν Ἑλλήνων ἦρξαν ἐκόντων· πλείω δὲ ἢ μύρια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν συνήγαγον ὑπήκοον ἢ ταύτην ἔχων τὴν χώραν αὐτοῖς βασιλεύς, ὥσπερ ὄφ' προσῆκον, βάρβαρον ἔλληνι· πολλὰ μὲν καλὰ, καὶ πεζῇ, καὶ ναυμαχοῦντες ἔστιν ἃ ἐποίησαν αὐτοὶ στρατευόμενοι, μόνοι δὴ ἀνθρώπων, κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων καταλιπόντες· ἐπὶ δὲ τῶν ἑλλωτικῶν ἦσαν τοιοῦτοι· οὐ γὰρ τοῖς κατὰ τὴν πόλιν αὐτὴν, θεάσασθε ὁποίοις ἐμ πετοίησε κτίσεσι, καὶ τοῖς ἰδίοις. δημόσια μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα, καὶ κάλλη τοιαῦτα, καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν ἡμῖν ἱερῶν, καὶ τῶν ἐν τούτοις ἀναθημάτων, ὥσε μηδενὶ τῶν ὕστερον γιγνομένων ὑπερβολὴν λελεῖφθαι. ἰδίᾳ δὲ οὕτω σώφρονες ἦσαν, καὶ σφόδρα ἐν τῷ τῆς πολιτείας ἤθει μένοντες, ὥσε τὴν ἀριστείδου, καὶ τὴν Μιλτιάδου, καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν εἴ τις ἆρα εἶδεν ὑμῶν ἑκάστοτ' ἐστὶν, ὁρᾷ τῆς τε γείτονος οὐκ ἐνδεεστέραν οὖσαν. οὐ γὰρ εἰς περιουσίαν ἐπράττετο αὐτοῖς τὰ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τὸ κοινὸν αὔξειν ἕκα-

ILli igitur, quibus non adulabantur Oratores, quos non ita amabant, vt vos iſti nunc quinque & ſexaginta annos Græcis volentibus imperarunt: ampliùs decies mille talenta in arcem congeſſerunt, & regem iſtius prouinciæ dicto audientem habuerunt, ſicut æquum eſt parere Græcis barbarum: & multa præclaraque trophæa terra, marique parta erexerunt, cùm ipſi militarent, & ſoli mortalium eam rerum geſtarum gloriam, ad quam nullus inuidiæ pateret aditus, reliquerunt. Ac in tuenda Græcia fuere tales. In ipſa verò vrbe, ſpectate quales & publicis, & priuatis in rebus ſe præbuerint. Publicè igitur ædificia, & ornamenta talia, & tanta inſtruxere nobis fanorum, & quæ his continentur donariorum, vt nihil addi poſſit à poſteris ad illorum excellentiam. Priuatim autem adeò modeſti fuerunt, & tanta cura inſtituti in Reipub. obſeruarunt, vt ſi quis fortè veſtibûm Ariſtidis, & Miltiadis, & illius ætatis illuſtrium hominum ædes nouit, cuiuſmodi ſint, vicini ædibus nihilo eſſe ſplendidiores videat. Neque enim rei familiaris amplificandæ gratia Rempublicam gerebant, ſed quiſque ſibi rem communem augendam eſſe putabat. Cum autem res Græcorum fideliter, religionem Deorum immortalium piè, commercia inter ipſos æquabiliter admi-

ςος ᾤετο δεῖν· ἐκ δὲ τοῦ τὰ μὲν ἑλληνικὰ πιςῶς, τὰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς, τὰ δ' ἐν αὐτοῖς ἴσως διοικεῖν, μεγάλην εἰκότως ἐτήσαντο εὐδαιμονίαν. τότε μὲν δὴ τοῦτον τὸν πρόπον εἶχε τὰ πράγματα ἐκείνοις χρωμένοις, οἷς εἶπον, προςάταις.

administrarent, non iniuria magnam sibi fœlicitatem pepererunt: Tunc igitur ad hunc modum, dum illi, quos dixi, summæ Reipublicæ præerant, se res habuerunt.

(Deinde ad sua tempora descendit)

Olynth 3. Νυνὶ δὲ πῶς ὑμῖν ὑπὸ τῶν χριςῶν τῶν νῦν πράγματα ἔχει, ἆρα γε ὁμοίως, καὶ παραπλησίως; καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ, πολλ' ἂν ἔχων εἰπεῖν, ἀλλ' ὅσης ἅπαντες ὁρᾶτε ἐρημίας ἐπειλημένοι, καὶ λακεδαιμονίων μὲν ἀπολωλότων, θηβαίων δὲ ἀσχόλων ὄντων, τῶν δ' ἄλλων οὐδενὸς ὄντος ἀξιόχρεω περὶ τῶν πρωτείων ἡμῖν ἀντιτάξασθαι. Ἐξὸν δ' ἡμῖν, καὶ τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ἀσφαλῶς ἔχειν, καὶ τὰ τῶν ἄλλων δίκαια βραβεύειν. ἀπεςερήμεθα μὲν χώρας οἰκείας, πλείω δ' ἢ χίλια, καὶ πεντακόσια τάλαντα ἀνηλώκαμεν εἰς οὐδὲν δέον· οὓς δ' ἐν τῷ πολέμῳ συμμάχους ἐκτησάμεθα, εἰρήνης οὔσης ἀπολωλέκασιν οὗτοι. ἐχθρὸν δ' ἐφ' ἡμᾶς αὐτοῖς τηλικοῦτον ἰσκήκαμεν.

NVNC dum leues isti præsunt, quis rerum vestrarum status est? Idémne, & similis? ac cætera quidem taceo, cùm haberem multa dicere Sed quanquam in tantam incidimus solitudinem, quantam videtis omnes, cum Lacedæmonij perierint, & Thebani occupati sint, & cæterorum nemo tantas vires habeat, vt nobiscum de principatu contendere ausit: cumque nobis liceret, & priuata nostra sine periculo tenere, & reliquorum controuersias disceptare: tamen priuati sumus nostra prouincia, & amplius mille & quingenta talenta nullo cum fructu insumpsimus, & quos in bello socios parauimus, hi pacis tempore perierunt, & hostem contra nosmetipsos tantùm instruximus.

ITEM OBIVRGATIO GRAVIS, ET SERIA.

Philipp. 4. Ὑμεῖς τοίνυν οὔτ' ἀκούειν πρὶν ἄν, ὥσπερ νῦν, αὐτὰ παρῇ τὰ πράγματα· οὔτε βουλεύεσθαι περὶ οὐδενὸς, εἰώθατε ἐφ' ἡσυχίας. ἀλλ' ὅταν μὲν ἐκεῖνος παρασκευάζητε ἐφ' ὑμᾶς, ἀμελήσαντες τοῦ ποιεῖν τοῦτο, καὶ ἀνὴ παρασκευάζεσθαι, ῥαθυμεῖτε, καὶ ἐάν τι λέγῃ τις, ἐκβάλλετε. ἐπειδὰν δὲ ἀπολωλὸς, ἢ πολιορκούμενόν τι πύθησθε, τηνικαῦτ' ἀκροᾶσθε, καὶ παρασκευάζεσθε. ἦν δὲ ἀκηκοέναι μὲν, καὶ βεβουλεῦσθε τότε καιρὸς, ὅθ' ὑμεῖς οὐκ ἠθελήσατε. πράττειν δὲ καὶ χρῆσθαι τοῖς παρεσκευαμένοις, νῦν ἡνικ' ἀκούετε. τοιγαροῦν ἐκ τῶν τοιούτων ἐθῶν, μόνοι τῶν πάντων ἀνθρώπων ὑμεῖς τουναντίον τοῖς ἄλλοις ποιεῖτε. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι, πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι. ὑμεῖς δὲ κατὰ τὰ πράγματα.

VOs autem nec audire, priusquam res ipsæ adsint, vt nunc: nec vlla de re deliberare soletis per otium: sed cum ille se contra vos instruit, idem agere, & vicissim instrui cessatis, & si quis aliquid tale dixerit, eijcitis. Postquam autem perijsse, aut obsideri aliquid intellexistis: tum demùm auditis, & instruimini. Fuisset autem audiendi tempus, & comparandi sese, tum, cum vos noluistis: rei autem gerendæ, & vtendi apparatu, nunc cùm auditis. Itaque his moribus soli mortalium omnium, contrà quàm alij solent, factitatis. Nam omnes alij homines ante negotia deliberare solent: vos post negotia.

ITEM NOBILISSIMA OBIVRGATIO MORVM recentium.

Philipp. 3.

Τί οὖν αἴτιον τοῦ τωνί; οὐ γὰρ ἄνευ λόγου, καὶ δικαίας αἰτίας, οὔτε τοῦ οὕτως εἶχον ἑτοίμως πρὸς ἐλευθερίαν ἅπαντες οἱ Ἕλλῃνες· οὔτε νῦν πρὸς τὸ δουλεύειν. ἦν ἄ τοτ' ἦν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐν ταῖς τῶν πολλῶν διανοίαις, ὃν ὃν οὐκ ἔστιν, ὃ καὶ τοῦ Περσῶν ἐκράτησε πλήθους, καὶ ἐλευθέραν ἦγε τὴν Ἑλλάδα, καὶ οὔτε ναυμαχίας, οὔτε πεζῆς μάχης οὐδεμίας ἡττᾶτο· νῦν δὲ ἀπόλωλος, ἅπαντα λελύμανται, καὶ ἄνω καὶ κάτω πεποίηκε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα. τί οὖν ἦν τοῦτο; οὐδὲν ποικίλον οὐδὲ σοφόν, ἀλλ' ὅτι τοὺς παρὰ τῶν ἄρχειν ἀεὶ βουλομένων, ἢ καὶ διαφθείρειν τὴν Ἑλλάδα, χρήματα λαμβάνοντας, ἅπαντες ἐμίσουν· καὶ χλεπώτατον ἦν, τὸ δωροδοκοῦντα ἐξελεγχθῆναι, καὶ ἀμωρίᾳ μεγίστῃ τοῦτον ἐκολάζον, καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγνώμη. τὸν οὖν καιρὸν ἑκάστου τῶν πραγμάτων, ὃν ἡ τύχη, καὶ τοῖς ἀμελοῦσι κατὰ τῶν προσεχόντων, καὶ τοῖς μηδὲν ἐθέλουσι ποιεῖν, κατὰ τῶν πάντα ἃ προσήκει παραττόντων, πολλάκις παρασκευάζει, οὐκ ἦν πρίασθαι παρὰ τῶν λεγόντων, οὐδὲ πως στρατηγούντων, οὐδὲ τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν, οὐδὲ τὴν πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τοὺς τυράννους ἀπιστίαν, οὐδ' ὅλως τῶν τοιούτων οὐδέν. νῦν δ' ἅπανθ' ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς ἐκπέπραται ταῦτα. ἀντεισῆκται δὲ ἀντὶ τούτων, ὑφ' ὧν ἀπόλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς. ταῦτα δ' ἔστι τί; ζῆλος, εἴ τις εἰ ληφέ τι· γέλος, ἂν ὁμολογῇ· συγγνώμη. τοῖς ἐλεγχομένοις· μῖσος, ἂν τούτοις τὶς ἐπιτιμᾷ· τἄλλα πάντα, ὅσα ἐκ τοῦ δωροδοκεῖν ἤρτηται. ἐπεὶ τριήρεις γε, καὶ σωμάτων πλῆθος, καὶ χρημάτων πρόσοδοι, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία, καὶ τἄλλα, οἷς ἂν τις ἰσχύειν τὰς πόλεις κρίνοι, νῦν ἅπαντα, καὶ πλείω, καὶ μείζω ἐστὶ τῶν τότε πολλῷ· ἀλλ' ἅπαντα ταῦτα ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα ὑπὸ τῶν πωλούντων γίγνεται.

QVÆ igitur caussa est harum rerum? neque enim sine ratione, & iusta caussa, vel tum adeò alacres erant ad libertatem defendendam omnes Græci, vel nunc ad tolerandam seruitutem Fuit tum aliquid, fuit, Athenienses, in populi animis, quod nunc non est: quod Persarum opulentiam vicit: quod Græciæ libertatem asseruit: quod neque naualibus, neque terrestribus in prælijs succubuit Id postquam nunc perditum est, omnia corrupit, & totam Græciam sursum deorsum permiscuit. Quid igitur fuit illud? nihil multiplex, aut artificiosum, sed vniuersale, & perpetuum odium eorum, qui à dominandi cupidis, aut etiam Græciam corrumpere conantibus. pecuniam accipiebant. Grauissimum crimen erat, si quis acceptorum munerum conuinceretur: eumque maximis pœnis afficiebant: neque deprecationi erat, aut veniæ quicquam loci. Proinde occasionem singularum rerum, quam fortuna etiam negligentibus contra attentos, & ignauissimis contra strenuissimos sæpe suppeditat, à nemine vel oratore; vel Imperatore nundinari licebat; neque etiam concordiam inter nos: neque diffidentiam aduersus barbaros, & tyrannos: neque denique tale quicquam. Nunc tanquam è foro, & diuendita sunt omnia, & contra importata ea, per quæ Græcia & perijt, & laborauit. Ea quæ sunt? Admiratio, si quis aliquid accepit: risus si confitetur: venia, si conuincitur: odium, si quis ista reprehendit: cætera omnia, quæ pendent à corruptelis. Nam & triremes, & multitudo hominum, & pecuniarij reditus, & reliqui apparatus copia, cætera denique, quibus vrbium vires æstimari solent, nunc omnia multò, & plura, & maiora sunt, quam superiori ætate: sed vniuersa hæc inutilia, irrita, manca fiunt, per eos, qui cauponantur.

SVSTENTATIO.

In qua ὑπόκρισιν quoddam in sensu, vt fiat admirabilior.

Philipp. I.

Οὐ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, τοῦτο πρὸς τὰ μέλλοντα βέλτιον ὑπάρχειν. Τί οὖν ἐστι τοῦτο; ὅτι οὐχί, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ δέοντων ποιούντων ὑμῶν, κακῶς τὰ πράγματα ἔχει. ἐπεὶ τοιγε, εἰ πάντ' ἃ προσῆκε, πράττοντων, οὕτως εἶχεν, οὐδ' ἂν ἐλπὶς ἦν αὐτὰ βελτίω γενέσθαι. ἔπειτα σὐθυμητέον, καὶ παρ' ἄλλων ἀκούσαι, καὶ τοῖς εἰδόσιν, αὐτοῖς ἀναμιμνῃσκομένοις κἀκείνων τὸτ' ἰσχόντων δύναμιν Λακεδαιμονίων, ἧς οὐ χρόνῳ οὐ πολύς, ὡς καλῶς καὶ προσηκόντως οὐχὶ ἀνάξιον ὑμῶν ἐπράξατε τῆς πόλεως, ἀλλ' ὑπεμείνατε ὑπὲρ τῶν δικαίων τὸν πρὸς ἐκείνους πόλεμον. πῶς οὖν ἐνεκα ταῦτα λέγω; ἵνα εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεάσησθε, ὅτι οὐδὲν οὔτε φυλαττομένους ὑμᾶς ἐστὶ φοβερὸν, οὔτ' ἂν ὀλιγωρῆτε, τοιοῦτον οἷόν ἐστ' ὑμεῖς ἐδόκησθε παράδειγμα σιν χρώμενοι τῇ τότε ῥώμῃ τῶν Λακεδαιμονίων, ἣν ἐκραλεῖτε ἐκ τοῦ πρὸς ἐκείνοις πράγμασι τὸν νοῦν, καὶ τῆς ἰδίας οὔσης τότε, δι' ἣν ταραττόμεθα, ἐκ τοῦ μηδὲν φροντίζειν ὧν ἐχρῆν.

NAM quod in eo superioribus temporibus fuit pessimum, id ipsum est ad ea, quæ restant optimum. Quid illud igitur est? quod propter socordiam vestram, & neglectum officij, res aduersæ sunt. Nam si vobis omnia, quæ decet, agentibus, res ita se haberent; ne spes quidem vlla relinqueretur, eas fore meliores. Deinde cogitandum id, quod partim ex alijs auditis, partim ipsi nostis: atque in memoriam reuocandum quanta aliquando potentia Lacedæmonijs præditis: idque non ita olim, quam præclarè, & conuenienter, nihil alienum dignitate vrbis admiseritis: sed pro defensione iuris bellum illorum sustinueritis. Qua igitur gratia hæc dico? vt sciatis, Athenienses, & videatis, nec quicquam præcauentibus vobis esse formidabile: neque si neglexeritis, ex animi vestri sententia quicquam successurum: vtque exemplis vtamini, potentiæ quæ tum fuit Lacedæmoniorum, quam vigilantia vestra superastis. & tunc insolentiæ Philippi, propter quam æstuamus, eò quod nihil eorum, quæ curanda erant, curauimus.

EXEMPLVM ORATIONIS CIVILIS, ET FIGVRATÆ, *per dialogismos, & sermocinationes.*

Quæ est valde practica, & efficax ad sensus feriendos.

Magna in hoc genere figurarum Demosthenis felicitas.

Philipp. I.

Πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἀχρὴ πράξετε; ἐπειδάν, νὴ Δία, ἀνάγκη ᾖ; νῦν δὲ τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖσθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι, τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι καθ' ἡμέραν, λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἂν τι καινότερον, ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίων καὶ πολεμῶν, καὶ τὰ

QVando igitur Athenienses, agenda quæ sunt agetis? Vbi aliquid acciderit? vbi credo necessitas aliqua fuerit? Quid vero de ijs, quæ nunc fiunt, est existimandum? Nam ego quidem arbitror liberis hominibus maximam esse necessitatem, susceptum in rebus gerendis dedecus. Num vultis circumeuntes alius percontari aliquid in foro: Age dic mihi, numquid affertur noui? potestne quid magis nouum fieri, quàm quòd homo Macedo subigit Athenienses, & Græciam ad-

τῶν ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκε Φίλιππος, οὐ μὰ δί, ἀλλ' ἀσθενεῖ. τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε, ἅνπερ οὕτως προσέχετε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν.

administrat? Obijt Philippus? non certè quidem, sed ægrotat. Quid verò vestra interest? etsi enim aliquid ei acciderit, celeriter vos alium Philippum facietis, si rebus ita eritis intenti.

Item hæc plena γοργότητος, habet Epiplexin, Ironiam, Prolepsin, &c.

Philipp. 1.

Οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ὑμῶν αὐτῶν δεκαταξιάρχους, καὶ στρατηγοὺς, καὶ φυλάρχους, καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσι, πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον; οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν. ὥσπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους, εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους, καὶ τοὺς φυλάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον. Οὐ γὰρ ἔχρην, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ταξιάρχους, παρ' ὑμῶν, ἱππάρχους παρ' ὑμῶν, ἄρχοντας οἰκείους εἶναι, ἵν' ἢ ὡς ἀληθῶς τῆς πόλεως ἡ δυνάμις; ἀλλ' εἰς μὲν λῆμνον τὸν παρ' ὑμῶν ἵππαρχον δεῖ πλεῖν, τοῦ δ' ὑπὲρ τοῦ πόλεως κτημάτων ἀγωνιζομένων Μενέλαων ἱππαρχεῖν, καὶ οὐ τὸν ἄνδρα μεμφόμενος ταῦτα λέγω, ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι οὗτον, ὅς κε ἂν ᾖ. Ἴσως δὲ ταῦτα μὲν ὀρθῶς ἡγεῖσθε λέγεσθαι. τὸ δὲ τοῦ χρημάτων πόσα καὶ πόθεν ἔσται, μάλιστα ποθεῖτε ἀκοῦσαι, οὗτο δὴ καὶ περανῶ. χρήματα τοίνυν, ἔστι μὲν ἡ τροφή. σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις μόνον τὰ τῇ δυνάμει ταύτῃ τάλαντα ἐνενήκοντα, καὶ μικρόν κε πρὸς δέκα μὲν ναυσὶ ταχείαις, τετταράκοντα τάλαντα, εἴκοσιν εἰς τὴν ναῦν μναῖ, τοῦ μηνὸς ἑκάστου. στρακώτας δὲ δισχιλίοις, τοσαῦτα ἕτερα. ἵνα δέκα ἕκαστος τοῦ μηνὸς ὁ στρακώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ. τοῖς δ' ἱππεῦσι διακοσίοις οὖσιν, ἐὰν τριάκοντα δραχμὰς ἕκαστος λαμβάνῃ τοῦ μηνὸς, δώδεκα τάλαντα.

NONNE verò creastis è vestris ciuibus decem centuriones, & duces, & tribunos, & magistros equitum duos? Quid autem isti plus agunt vno viro, quem miseritis ad bellum? Reliqui pompam vobis obeunt cum sacrificulis. Vt enim ij, qui luteos fingunt, in forum creatis centuriones, & tribunos, non ad bellum. An non oportuit, Athenienses, centuriones, ciues; magistros equitum, ciues; magistratus domesticos esse: vt reuerà essent copiæ ciuitatis? An in Lemnum vestro magistro equitum nauigandum est: eorum autem, qui pro nostræ vrbis possessionibus præliantur, Menelaus est magister equitum? Neque hæc hominis reprehendendi caussa dico: sed à vobis eum creatum esse oportebat, quisquis tandem sit. Fortassis autem hæc rectè dici putatis: pecunia verò quanta, & vnde comparanda sit, maximè audire cupitis: id igitur sanè expediam. Ea est pecuniæ ratio, vt ad alendum hunc exercitum, & cibaria duntaxat militibus comparanda, nonaginta sint talenta numeranda. & paulò amplius: decem celeribus nauibus quadraginta talenta, vicenæ minæ in nauem singulis mensibus: militum duobus millibus totidem alia, vt duas singuli milites drachmas in mensem pro cibarijs accipiant: equitibus ducentis numero, si tricenas drachmas in mensem accipiant singuli, duodecim talenta.

Parentum cura.

(* *)

SERMO-

SERMOCINATIO, ET ORATIO *valde morata.*

Philipp. 4. Ἀλλὰ ἐπειδὰν ἡ τῶν πρὸς φίλιππον ἐμπέσῃ, ἐνθὺς ἀναστὰς ἧς λέγει, ὡς οὐ δεῖ ληρεῖν, οὐ δὲ γράφειν πόλεμον παραθεὶς ἐνθέως ἑξῆς. τὸ τὴν εἰρήνην ἄγειν ὡς ἀγαθὸν, καὶ τὸ τρέφειν δύναμιν μεγάλην, ὡς χαλεπὸν, καὶ διαρπάζειν τινὲς τὰ χρήματα βούλονται; καὶ ἄλλους ὡς οἴονται, ἀληθεσθάτους λέγουσιν. ἀλλὰ δεῖ δήπου τὴν μὲν εἰρήνην ἄγειν, οὐχ ὑμᾶς πείθειν, οἵγε πεπεισμένοι κάθησθε, ἀλλὰ τὸν τὰ τοῦ πολέμου πράττοντα. ἂν γὰρ ἐκεῖνος πειθῇ, τά γε ἀφ' ὑμῶν ὑπάρχει.

SEd vbi aliqua Philippi mentio inciderit, statim quidam surgens dicit: non esse nugandum, nec decernendum bellum: atque ordine collationem instituit: in pace viuere quam præclarum? & magnum alere exercitum, quam difficile? & quidnam diripere volunt ærarium: aliasque fabulas narrant, vt opinantur, verissimas. Verùm, pacem, vt seruetis, non vobis certe est persuadendum, quibus persuasum est: sed illi, qui rei militari vacat. Cui persuasum si fuerit: in vobis sanè mota nulla erit.

ΠΑΡΡΗΣΙΑ.

Philipp. 11. Ἐγὼ νὴ τοὺς θεοὺς τἀληθῆ μετὰ παῤῥησίας ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι, οὐχ ἵνα εἰς λοιδορίαν ἐμπεσὼν, ἐμαυτῷ μὲν ἐξίσου λόγον παρ' ὑμῖν ποιήσω, τοῖς δὲ ἐμοὶ προσκρούσασιν ἐξαρχῆς. καινὴν παράσχω πρόφασιν τοῦ πάλιν γέ τι λαβεῖν παρὰ φιλίππου. οὐδὲ ἵνα τὴν ἄλλως ἀδολεσχῶ. ἀλλοῖμαι ποθ' ὑμᾶς λυπήσειν ἃ φίλιππος πράττει μᾶλλον ἢ τὰ νυνί.

EGo ita me Dij ament, verum apud vos liberè dicam, & non dissimulabo: non vt conuitium delapsus, efficiam, vt ego vicissim conuitijs apud vos incessar: ijs autem, qui ab initio mihi infesti fuerunt, nouam præbeam occasionem aliquid accipiendi à Philippo, neque, vt frustra garriam: sed quod aliquando nobis molestiora Philippi facta puto, quàm nunc.

DEPRECATIO.

Philipp. 11 Ταῦτ' οὖν, ὡς μὲν ὑπομνῆσαι, νῦν ἱκανῶς εἴρηται. ὡς δὲ ἂν ἐξετασθείη μάλιστα ἀκριβῶς, μὴ γένοιτο ὦ πάντες θεοί.

HAec igitur, vt admonendi gratia, nunc dixisse sufficiat: absit autem, idque Dij omnes prohibeant, ne experiũdo certissime comprobentur.

De exartesi figurarum, & figuris declamatorijs.

CAPVT XXVII.

ALiud est tractationis genus omninò pictum, effluens, & declamatorium, quale est logodædalorum, qui ad aurium potius delicias, quam ad probabilitatem elaborant orationem; cuius hic exempla nonnulla subijciemus, in quibus figuras figuris implexas, & contortulas acuminum conclusiones possis agnoscere.

Cestius. Senel. l. 1. cōt. 1.

Epanedos.

In Sacerdote debere æstimari pudicitiam, innocentiam, felicitatem, quam pudica sit, miles ostendit, quàm innocens Iudex, quàm fœlix reditus.

Subiectio.

Iidem Silo Pompeius.

Eam vobis Sacerdotem promitto, quàm incestam nulla facere possit fortuna. Potest aliquid seruitus cogere: seruiuit, & barbaris, & piratis: Inuiolata apud illos mansit Potest aliquam corrumpere prolapsi in vitia sæculi, praua consuetudo: etiam matronarum notum in libidine magisterium. Licet illam ponatis in lupanari, & per hoc illi intactam pudicitiam efferre contingit. Fuit in loco turpi, probrosè leno illam prostituit, populus adorauit: nemo non plus ad seruandam pudicitiam contulit, quam ad violandam attulerat. Multum potest ad tectum quoque pudici animi propositum: hostis gladio non succumbet: imò, si opus fuerit pudicitiam vindicabit. Incredibilem videor in puella rem promittere: iam præstitit. Adolescentem misericordia populi beneficium polluere tentantem gladio repulit. Fuit, qui illam accusaret cædis. Absoluta est. Ne qua vobis posset esse dubitatio, quæ ventura erat Sacerdotium, an pura esset, an integra: iam iudicatum est

Subiectio cum Epiphonemate, Apostrophe, ad rem inanimem, & Anaphora.

Lib. 5. cont. p. 1. n. 40.

Cui me vita reseruas? vt ædificem? Aspice incendium: vt nauigem? Aspice naufragium: vt educem? Aspice sepulchrum.

Exclamatio

Cont. 4. pa. 16.

De forti sine manibus ex Triario: *Dij boni, & has manus aliquis derisit, & controuers. 4. in forti sine manibus.*

O misera pietas, inter quæ parentum vota constitisti.

Et de olympicis fratribus, qui patris minas veriti, cū inter se pugnarent mutuis vulneribus conciderant, *iuuenes inuicti nisi habuissent patrem, pij iuuenes, nec parricidiū patri negare potuistis.*

Atelius Fuscus.

Retrò amnes fluant, & sol contrario cursu orbem reuocet cōfugiat sacrilegus ad aras, raptorem rapta vindicat.

Aporia.

Cont. 6. l. 1.

De filia Archipiratæ. Tu ibis? Quo infelix, quas petitura regiones est enim tibi aliquis locus? pater tuus nobis maria præclusit, meus terras.

Sed vincitur periturus est: si non vincitur, seruiturns est ei, à quo in crucem petitur. Ex altera parte lex est, ex altera testamentum, crux vtrimque.

Arelij Fusci p. 11. cont. lib. 1.

Iactatus inter duos patres, vtriusque filius, semper tamen felicioris abdicatus: positus inter duo pericula. Quid faciam? qui alūt, abdicant: mendicant, qui non alunt. Illud tamē pater Deos testor, diuitem te relinquo.

Anaphora mixta, cum Asynthetis, cum Anæresi, & Antithesi.

L. 3. cont. 5.

Quando ergo, inquit, optabis? Hoc tempore non possum: curo vulnera: familiam reficiam: expugnatam domum lugeo: ereptam virginitatem consolor: minātem sibi ipsi custodio. Quando optabis? cum rapta voluerit, nō cum raptor. Quando optabis, cum tu nolles: Quando, inquit, optabis? Paro me optioni, confirmo animum.

Anaphora mixta.

Blandi p. 12. li. 1. n. 40.

Venit subito deformis squallore, lachrymis. O graues fortuna vires tuæ, ille diues modo superbius rogauit alimenta, rogauit filium suum, rogauit abdicatū suum. Interrogas, quamdiu rogauerit: ne Dij istud nefas patiantur, vt diu rogauerit: diutius tamen, quam tu. Quæritis, quid fecerit? quod solebat.

Distributio.

Senec. lib. 5. cont. 1. nu. 30.

Sumpsi instrumenta mortis, solitudinem, & laqueum: alterum aptum morituro, alterum misero: quisquis interuenerit si amicus es, defle: si inimicus, specta.

Murrhedius:

Seruiebat forum cubiculo, Prætor meretrici, carcer conuiuio, dies nocti. Vbi Seneca vltimam partem dictam notat, ad implendum tetracolum: quem enim sensum habet, seruiebat dies nocti?

Albutius lib. 10. 1. cont pag. 107.

Quod sordidatus fui, luctus est: quod fleui, pietas est: quod non accusaui, timoris est: quod repulsus est, vestrûm est.

Distributio cum Anaphora.

Marillius p. 13. cont. 2. lib. 1.

Vt sciamus illam apud leonem fuisse, blanda est: vt sciamus apud piratas, cruenta est. Nemo, inquit, me attigit: domi lenonis rationes captura conueniet. Age, si quis hoc ipsum concupiuit: quod virgo eras? Age, si quis ne negare posses? ferrum appulit?

Epi-

Epiplexis. Asyntheton. Hemæroptoton.

Desertor patris, inimici cliens, vxoris mancipium, non fleuisti patrem, non quæsiuisti, sic inimico placuisti.

Concessio.

De vestali accusata, quod scripsit Ex hunc versum:

Felices nupta, moriar, nisi nubere dulce est.

Vixit modestè, castigatè. Non illi cultus luxuriosior: non conuersatio cum viris licentior. Vnum crimen vobis confiteor: ingenium habet. Quidni inuideat Corneliæ? Quid ni illi, quæ Catonem peperit? Quidni Sacerdotes parientibus?

Hypotyposis.

Iulius Bassus sen. libr. 9. cont. 2 p. 92. Albutii Sili.

De reo occiso in conuiuio à Flaminio. Inter temulentas reliquias sumptuosissimæ cœnæ, & fastidiosos sub ebrietate cibos, modò excisum caput humanum fertur, inter purgamenta, & iactus cœnantium, & sparsam in conuiuio scobem humanus sanguis euertitur. Si quis autem est, iudices, qui desideret, vt Prætoris referam crudelitatem, quot præter hunc iugulauerit, quot innoxios damnauerit, quot carcere incluserit: huic ego me satis facturum polliceor. Vno conuiuio, cum sua prætura reum euoluam, instituuntur ab isto in prouincia epulæ, & magnifico apparatu extruitur conuiuium, distinguuntur argenteis poculis aurea.

Quid multa? è carcere in conuiuium prætoris, cui stupenti misero meretrix arridet, interim virgæ promuntur, & victima crudelitatis ante mensam, ac Deos trucidatur. Me miserum, imperij Romani terrore lusisti! ô qui crudelitate superasti omnes tyrannos, soli tibi inter epulas voluptati fuit morientium gemitus.

Hic vltimus apparatus cœnæ fuit. In eodem triclinio video Prætorem, amatorem, scorta, cædes. Meretrix, Prætori, Prætor prouinciæ imperat. In conuiuio constituitur catenatus: qui cum languentes Prætoris istius aspexit oculos, existimans ipsum Prætoris beneficium dimitti, gratias isti agere, & vtrisque manibus mensam tenent: Dij, inquit, immortales tibi parem gratiam referant. Quicunque in eodem triclinio accubabat, alius vbertim demisso capite flebat: alius auertebat ab illa crudelitate oculos: alius ridebat, quo gratior esset meretrici. Hic iste inter varios conuiuarum vultus submoueri iubet: miserum stare ad præbendas ceruices immotum. Interim distinguitur morapoculis: nec sobrij quidem carnificis manu, ciuis Romanus occisus est. Non peto, quo minus securi percutiatur: illud rogo, legi potius, quam scorto cadat. Memento terrorem imperio quæri, non oblectamenta mulierculis. Quid ego nunc referam, iudices, ludorum genera, saltationes, & illud dedecoris certamen, Prætor ne se mollius moueret, an meretrix?

Exsurgite nunc Bruti, Horatij, Decij, & cætera decora imperij. Vestri fasces, vestræ secures, in quantum, Prô bone Iupiter! dedecus reciderunt. Istis obscœnæ puellæ iocantur. Quid si per Deos immortales, nullo solemni die, populo inspectante, in foro conuiuium habuisses, non minuisses maiestatem imperij nostri. Atqui, quid interest conuiuium in forum, an forum in conuiuium attrahas? (Deinde describit qualiter in foro decolletur,) Ascendit prætor tribunal inspectante prouincia, noxiæ post terga ligãtur manus, statim intento, ac tristi omnium vultu, fit à præcone silentium. Adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte classicum. Nunquid vobis videor describere conuiuiales iocos? Heu! quàm dissimilis exitus initijs adest. Accusauit te: quis? iudicarunt te: quis? Prætor damnatum pronuntiauit: occidit meretrix. *Capite.*

Descriptio mutilorum.

Huic cæci innitentes baculis vagantur, huic truncæ brachia circumferuntur, huic conuulsi pedum articuli sunt, & torti tali, huic elisa crura, illius immolatis pedibus, cruribusque fœmina contudit: aliter in quemque sæuiens ossifragus iste, alterius brachia amputat, alterius eneruat: alium distorquet, alium delumbat, alterius diminutas scapulas in deforme tuber extundit, & risum in crudelitate captat. Produc age dum familiam semitruncam, tremulam, debilem, cœcam, mancam, famelicam, ostende nobis captiuos tuos volo, mehercules, nosse illum specum tuum, illam humanarum calamitatum officinam, illud infantium spoliarium, sua cuique calamitas, tanquam ars assignatur. Huic recta membra sunt, & si nemo obstet naturæ, proceritas micabit, ira frangatur, vt humo se alleuare non possit, sed pedum, crurumque resolutis vertebris reptet: *Sexti Senecæ lib. 10. cont. 3. p. 112. nu. 40. & 50.*

huic extirpentur radicitus : huic speciosa facies est: potest formosus mendicus esse ; Reliqua membra inualida sint , vt fortunæ iniquitas in beneficia sua sæuientis , magis hominum animos peruellat. Sine satellitibus tyrannus calamitates humanas dispensat.

Gradatio mixta, cum Epanodo.

Cornelij Hispani P. 11. cont. 1. n. 30.

Homo est: non vis ali hominem? Ciues est: non vis ali ciuem? amicus est : non vis ali amicum? propinquus est : non vis ali propinquum ? sic peruenitur ad patrem. Homo est , ciuis est , amicus est, propinquus est. Ergo non erit vitium porrexisse stipem , nisi dixero pater est.

Pompeij Silonis p. 14 n. 40. l. 1. cont. 2.

Tu Sacerdos: quid si tantum capta? quid si tantum prostituta? quid si tantum homicida? quid si tantum rea fuisses?

Interrogatio.

Argentar. sen lib 1. cont. 1 p. 2. n. 50.

Accessit, inquit, ad me pater obrutus, sordidus, tremens, deficientibus membris : rogauit alimenta. Interrogo vos , iudices, quid facere oporteat ? Nam istum non interrogo? scit quid facturus sim : nam patrem , vt alteri patri faciam iniuriam , alteri inuidiam. Cum vetuisset me alimenta præstare , si qua est fides , non putaui illum ex animo vetare. Lenocinatur, inquam, gloriæ meæ , vt videar etiam prohibitus aluisse.

Ad significandum fraternum odium Emphasis.

Syriac. li. 1. p. 1. n. 20. cont. 1.

Vos, iudices, audite, quàm valdè eguerim, fratrem rogaui.

Figura constans obscuris sententijs per Mœsim.

Fuluij Sparsi Senecæ p. 14. n. 10. l. 1. cont. 2.

Quid inclusa feceris, nec quærere debemus, nec scire possumus.

Epistrophe nobilis cum Antithesi:

Cornelii Hisp. cont. 2. p. 14. n. 10. l. 1.

Sacerdoti pro libertate vota facienda sunt: captiuæ mandabitis ? pro pudicitia vota facienda sunt : prostitutæ mandabitis ? pro militibus vota facienda sunt : isti mandabitis? Id enim deerat, vt templa eas reciperent, quas, aut carcer, aut lupanar eiecit.

Antith.

Memo Senec. cont. 2. p. 14. li 1. n. 30.

Non potest in ea sperari Sacerdos, in qua sperari meretrix potest: Alijs oculis virginem leno æstimat, alijs pontifex.

Paralepsis cum descriptione, & Aposiopesi.

Describam nunc ego pendentem fluctibus carcerem , & catenas macie mea laxatas, & detritam lateribus meis consciam malorum carinam , & obrutam perennibus tenebris feralis loci cruentam cœcitatem ? Ista verò , si quid pudoris habeo , tacenda sunt. Hypotyp. per Paralepsim. Quintil. decl. 6. p. 17.

Prosopopœia, cum Hypotypose, & reticentia.

Hypotyp. cum prosopopœia. Quintil. decl. 6. p. 17.

Non dignum illud spectaculum latronibus erat, cum pater, filiusque de vinculis contenderent , & sibi quisque carcerem vindicaret. Ego iam vsu defendebam meum, & in his annis iam maturam mortem asserebam. At ille contrà , ego te in calamitatibus deseram ? Ego alligatum relinquam? & quodammodo ad matrem redibo , quæ misera desiderio tui dies , noctesque fletibus iungit, quæ viuere sine te non potest ? Non dicebat tamen omnia , & cum assiduos planctus, & irrequietas diceret lachrymas , adijciebat , iam pœnè cœca est, fortasse si redieris, videbit. In summa , non recedo : fas est m.. etiam inuitis parentibus bene facere. Non recedo , si perseueras , domus piratis lucrum. Aut vicarius ero , aut comes. Quantum inter hæc fleuit ? Quandiu cecidit oculos suos ? Si perseuerassem, deos excœcaueram. Obstupuerunt pietate tanta , etiam latrones , & per immobiles ante vultus fletus cucurrit. Non tenuissent fortasse iuuenem , nisi redempturos parentes talem filium credidissent. Ipse in se transtulit ferreos nexus; & hilarior alligatus est filius , quam solutus est pater. Supremum tamen, & nefas in æternum , me iam catenatis manibus amplexus, postquam mei cura discesserat , matrem , inquit , tibi per hæc merita commendo. Tu illam tuere, defende, ama, ne relinque, sic paria faciemus.

Item decl. 8 p. 25.

Abacta est à perituro prima mater , & modò sedula ministeria seruorum repentè mutata sunt in mortis officia. Detrahuntur trementibus velamenta membris , & vt grassaturas manus totum corpus admitteret, nudatur miserabilis , ac defienda macies. Toto deinde tenditur toro , & ad immobilem, rigidamque patientiam per omnia lecti spacia duraturus exponitur. Accipit carnifex ille telum , non quo dextra statim totum vulnus imprimeret , sed quod leuiter, paulatimque descendens , animum in consi-

nio

nio mortis, ac vitæ librato dolore suspenderet. Hæc exhortatio, hoc fuit perituri iuuenis alloquium: fortiter dura, patienter admitte, sanabitur frater. Non est quod exanimeris metu, dolore deficias. Caue viscera exclamatione ne lasses, anhelitu, gemituque concutias, ne remedium pereat alienum.

Passus est miser discurrentem per omnia reserati pectoris improbum vagæ artis errorem. Contentum fuisse medicum, toto homine discentem primo putatis aspectu? Egesta sæpe vitalia, pertractata, deducta sunt, fecerunt manus plura, quam ferrum. Stat iuxta medicum pater, apertis visceribus, inhians stillantem animæ cædem cruentis manibus agitantem, ne festinet, hortatur, iubet altius, diligentiusque scrutari, interrogat, dubitat, contendit, affirmat, & accipit de filij morte rationem. At mulier infelix clusis aduoluta foribus, cruentumque secretum toto corpore effringens, velut super busta, tumulosque clamabat: Audi, miserrime iuuenis, si quis adhuc tibi supersit sensus, exaudi, non permisit hoc mater, crede orbitati meæ, crede lachrymis, nec frater hac vellet ratione sanari. Inter hæc reficiebatur miser haustibus, detinebatur alloquijs, comptimebatur residuus cruor, cludebantur aperta vitalia. Nemo vnquam tam noua pertulit commenta sæuitiæ, tanquam sanaretur occisus est.

Prosopopœia per incisa in affectibus.

Prosopopœia per incisa in violento affectu. Pater petit ab vxore sepulturam filij, quem ipsa in sepultum volebat.

Per matrimonium te vetus, & per mutuam charitatem, quæ vtrique nostrum magno constat, adijcio, per commune pignus, per annos pariter actos, & beneficio filij plures, per meum in te obsequium iam mei miserere, cuius soles. Crede mihi, hoc quod patior, carcere peius est, captiuitate crudelius. Mea ista pœna est. Quid tibi tantum mali feci? quid ostendi? *Quint. declam. 6 fo. 120. p. 2.*

Finis Libri Septimi.

DE

AFFECTIBVS.

LIBER OCTAVVS.

Affectuum vis, & præstantia.

CAPVT PRIMVM.

Vt Deus in ventis, sic orator in affectibus ambulat.

SEleberrimum est diuini vatis oraculum, Deum *super pennas ventorum ambulare*, quo dicto, eximia quædam, veluti aurigantis Dei species, humanis penè subijcitur oculis. Noster autem orator, numinis quędam portio, & excellens imago stupendæ illius maiestatis, affectibus, quasi ventis rapitur, & eos ipsos in auditorum animis excitare solet. Taceant Poetæ Aeolum suum, qui *luctantes ventos, & sonoras* (vt aiunt) *tempestates* moderatur: Et modò quidē coercet, ac mitigat, modo velut sonitu, & terroribus armatas acies emittit. Nihil oratore admirabilius, qui non modò affectuum, quasi ventorum habenas dare nouit, & restringere. Verū ipsis penè tonitruis, ac fulguribus, amplo quidem illo, & terribili satellitio circumuallatus, stipatusque esse videtur; quod de Atticæ eloquentiæ principe, non insciтè dixit Lucianus, eū pro satellibus quasi potentissimum Regem ξῳοντὰς καὶ ὀσφακὰς habuisse memorans. Atq; eius quidem eloquentiæ, quæ in affectibus dominatur, summum est imperiū, nam cætus hominū tenet, mentes allicit, voluntates impellit, quo vult, & vnde vult deducit, opem fert supplicibus, excitat afflictos, reis dat salutem, liberat periculis, ad summū, mitē quandā tyrannidē in pectoribus hominum constituit. De hac licet illud Pindari pronuntiare. *Pindar. Pyth. ilu.*

Καὶ τὸν αἰχματὰν κεραυνὸν σεννύεις
Ανάκτων πυρὸς, ἐν——
Δειδὲ ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς ἀ——
Κεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρα——
Θοὸν ἀκόντων.

Et Iouis cuspiditatum fulmen extinguit, & pertinacis vigilia Aquilam inducit in sopore, ipsum denique Iouem, intimus sensibus delenitum titillat, & potentius infiectit. Quæ rationes efficiunt, vt affectuum, in sublimi præsertim eloquentia vsus sit frequentissimus, & cognitio perneccssaria, de qua, vt quæ ad Rhetores attinent, liquidius pertractemus, nonnulla primum, de affectuum definitione, & caussis præmittenda sunt.

De affectibus Cicero legend. 2. de orat. 205.

Demosth. satellites coniurationes. & tonitrua. Cicero de Orat.

Affectuum definitio, caussa, diuisio.

CAPVT II.

Lactant. Affectus cotes virtutum.

DEus cum hominem primum fingeret, simul cum anima varios illi affectus, quasi futuras virtutum cotes indidit, quos si Stoica falce velis rescindere, stipitem facies ex homi-

Pessimum ingenium ἀσεφγγ.

homine, sine vigore, sine sensu, & quòd pessimum est omnium, ἄστοργον. Omninò quasi pennis aues, ita affectibus homines, ad destinatos cursus rapiuntur, & hos quidem, alij, quasi egregios virtutum administros, & prodromos faciũt; alij abiecto rationis clauo, eosdem intemperantes dominos, & summa crudelitate efferatos experiuntur. Ex quo fit, vt in permotionum moderata temperie, animæ perpetua quædam serenitas, magnaq; (si modo in terris haberi potest) felicitas sita sit, atq; collocata. Sũt porro affectus, quos Stoici νοσήματα, ἢ ἀρρωστήματα, Cicero permotiones; Alij motus, & passiones appellant, *sentientis animæ ex boni, vel mali opinione nata commotiones*, vel, vt D. Nemesius habet lib. de natura hominis c. 15. Affectio est motus animæ rationis expers, ob opinionẽ boni, vel mali. Fons ergo, & origo omnium affectuum est anima sentiens, neque enim ex intelligente, aut etiam vegetante dimanant, cum in plantis, & in ipsa hominis mente, atque intelligẽtia, nullæ sint affectiones. Alij motus sunt leniores, quos ἠθικοὺς Cicero nominat, alij vehementiores, qui παθητικοὶ appellantur; Etsi rectam rationem excedant, animæ οἰκονομίαν, aduersis veluti ventis labefactant, & diuellunt. Quod, quam sæpè faciant, & quam feroces ludos ludant, testis est humana natura à primi parentis lapsu, permolesta variorũ affectuum tyrannide violenter abrepta: vt non immerito quæratur Philo, veluti in arcam Noemi bestias, ita in corpus humanum affectionum motus, immanes quasdam, & indomitas feras; post hanc naturæ labem esse admissas.

Affectuum nomen, & definitio.

Affectus ἠθικὸς, & παθητικὸς.

Vt in arcã Noemi bestiæ, sic affectus in animos immissi Philo. lib. de plã. Noemi, Iuuena. Satyr. 1. Maximus Tyrius orat. 17

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.

Quæ omnia essent tolerabiliora, si modum facerent; verum vt subitis procellis crescẽtes amnes, legitimum excedũt alueum, superq; vel segetes, vel plantarum culturam pręcipites lati, rusticorum operum salubritatem, & decus euertũt; Sic animus, affectuum impetu abreptus, atque obsessus extinguitur. Sed hęc Ethicis plenius discutienda relinquimus.

Iam verò earum, quæ παθητικὰ nuncupantur, affectionum variæ diuisiones afferũtur.

Affectuum diuisio. D. Thom 1. 2. q. 23.

Diuus Thomas apex Theologiæ, affectus diuidit secundum geminam sentientis animę facultatem, concupiscibilem, & irascibilem, quam Græci, melius ἐπιθυμητικὴν καὶ θυμώδεις nominant; & in Appetente quidem collocat amorem, odium, desiderium, fugam, gaudium & dolorem. In irascente spem, desperationem, timorem, audaciam, iram. Galenus, excandescentiam, iram, timorem, mœrorem, inuidiam, cupiditatem, amorem, & odium memorat. Stoici ad quatuor fontes voluptatem, dolorem, spem, timorem, omnia referunt. Plato, sub finem Timæi, duo veluti permotionum elementa facit, voluptatem, & dolorem. Aristoteles, quem hic sequimur, 12. motuum genera recenset. Iram, mansuetudinem, amorem, timorem, confidentiam, verecundiam, & inuerecundiam, gratiam, & commiserationem, indignationem, inuidiam, & æmulationem. Omnia quidem appositè dicta, & hæc ex boni maliue præsentis, vel absentis varia ratione, & ab alijs fusius, strictius ab alijs colliguntur. Aristotelis tamen diuisio, ad ciuiles motus, & Rhetorum tractationem magis facit, quam in singulis postea plenius discutiemus, maximè autem motus amoris, lætitiæ, voluptatis, spei, metus, odij, iracundiæ, delinitionis, & miserationis, qui in hac sublimi, quam tractamus eloquentia, sæpius dominantur, sigillatim exponam.

Galenus lib. de cognos. & curis affect.

Affectuum Sedes, instrumenta, seu vehicula.

Et qui sint Dæmoniaci affectus.

CAPVT III.

AFfectuum sedes; cor humanum est, mare illud magnum Danielis, in quo quatuor venti (tot scilicet perturbationum fontes) aduersis motibus in sese plerunque feruntur infesti. Nec sine caussa פלג מים *Palge Maiim diuisiones aquarum*, cor Regis appellauit sapiens. Mirum est quomodo vna particula, tantos, & tam varios fluctus capere possit: Quod autẽ cordi aptius insideant, ratio est, quod spiritu, calore, & sanguine, quasi instrumentis, vehementes illi affectus, quales sunt amoris, & iracundię potissimũ, indigeant, quorum omnium cor focus est, & domicilium. Quo fit etiam, vt ad violentos affectus pronio-

Daniel 7. Affectuum sedes. Prouerb. 21.

proniores sint, quibus plurimum caloris est, & sanguinis, spiritusque ipsi subtilius elaborati intra cordis receptaculum emicant. Itaque, & in adolesentibus motus vigent acriores, qui senibus, remittente se paulatim calore, fidunt vt plurimum, & languescunt.

Affectus dæmoniaci.

Ad hæc instrumenta naturalia, plerunque externæ caussæ accidunt, vt Dæmones, qui corporis humoribus implexi, mirum quantos fluctus in humanis corporibus excitant, mentemque vitijs mancipatam, penitus labefactant. Vnde Chaldaicam illam sententiam, quæ ex Zoroastis disciplina manauit, Σὸν ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι, explicans Psellus, & post eum Augustinus Eugubinus, Vas, inquit, est composita vitæ nostræ constitutio. Feræ terrestres; qui circum terras vagantur Dæmones. Igitur nostram vitam, scatentem malis affectibus, eæ feræ inhabitãt; Siquidem hæc genera cum ipsis affectibus coalescunt, fiuntque *eadem quasi substantia*: Quocirca cum & ipsi affectionum sint pleni, ad corporeas, & incorporeas affectiones adiunguntur, & connectuntur, simile simili attrahentes, cum habeant vim mouendarum perturbationum. Hanc animam impotentissimis affectibus, quos Dæmones excitare solent, mancipatam, admirabilis Isaias sub hac pictura adumbrare visus est.

Tuum vas feræ terrestres habitabunt.

August. Egub. l. 8. e prenn. Phil. c. 28.

Isai. 13. 21.

[Sed requiescunt ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: Et habitabunt ibi Struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis, vbi per pilosos, Dœmones, vt explicat versio 70. interpretum, vel etiam satyros, vt alij volunt, satis apettè innuit.

Nec dissimilia, de permotionibus Dæmonum ope excitatis, sentit Mercurius Trismegistus.

Mercur. Trismog.

Μηδενὸς μέρους τοῦ κόσμου κενοῦ ὄντος δείμονος, ὅστις ὑπεξελθὼν, ἔσπειρε τῆς ἰδίας εὐεργείας τὸ σπέρμα, καὶ ἐκύλησεν ὁ νοῦς τὸ σπαρὲν, μοιχείας, φόνους πατροτυπίας, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, ἀγχόνας, κατὰ κρημνῶν καταφορὰς, καὶ ἀλλὰ πάντα ὅσα δαιμόνων ἔργα.

Cum nulla mundi pars vacua sit Dæmone. Qui subiens tacitè mentem, propriæ operationis inseruit semen, & peperit ipsa mens, quod satum fuerit, videlicet adulteria, cædes, parentum verberationes, sacrilegia, impietates, strangulationes, per præcipitia impulsiones, & alia omnia, quæ sunt Dæmonum opera. De his portentosis affectibus, non est nobis futurus sermo, sed de ijs, qui humanitus concitari, commouerique solent.

Quid spectandum in ijs, qui mouent affectus.

CAPVT IV.

Cur tanta in excitandis motibus difficultas.

PRimum statuendum est, non esse cuiusuis hominis affectus illos, præcipuè vehementes, & intonsos excitare, vel remittere; quippe donum Dei est: cuius, vt in sensus, & mentes summum est imperium, ita pro sua voluntate mortalibus impertit. Auida est sui iuris, & regni, quælibet natura, neque alium in suo dominantem facile patitur. Itaque in ijs permotionum incitamentis, longè dispar est Dei, & hominum ratio.

Dei opus est excitare affectus.

Deus enim, (quod à Theodoreto præclarè dictum est) vt sine vectibus, & ferramentis, hanc præclaram vniuersi constructionem sapienter est machinatus: Contra homines, si quid moliantur; tot, & tam diuersis egent instrumentis, vt in eo ipso, in quo comparatio naui, & potentes videri volunt, suam fateri cogãtur imbecillitatem. Pari omnino ratione in mouendis affectibus oratores, nisi diuina ope suffulti fuerint, frustra verborum strepitu, quasi malleorum aures confundunt, animam porrò minimè attingunt. Deus verò, sine turba, sine murmure, sine voce subtiliter penetrat, & intimis sensibus illabitur.

Hæc fuit Christi Domini efficax permouendorum hominum ratio, qui cum vnctione spititus intimas perfunderet mentes, & copiosa cœlestis parentis luce collustraret, plus tacendo, (vel si loqui oportebat) plus vna efficiebat vocula, quam sexcenra verborum, & quisquiliarum humanarum volumina.

His nixi præsidijs Apostoli, & quotquot sacri oratores, & doctores extiterunt, eas permotiones animis intulerunt, quas, nulla vnquam leno cinantis facundiæ ratio expressisset. Sit igitur hæc prima lex, ad bonos motus in hominum pectoribus excitandos, opus esse Dei mouentis spiritu, & quò plus cum Deo commercij habuerint oratores, eò in excitan

citandis affectibus fore vehementiores. Sed vt præsidia quoque humana exequamur, statuunt Rhetores, primam, & omnium potentissimam in humanis rebus, motus excitandi rationem, in similitudine affectuum esse positam. Quos enim impressos habent motus oratores, eos facilius in auditorum pectus transfundunt. Ardere te oportet, si vis incendere, tristari cum mœstis, cum lætis gaudere, cum iratis excandescere. Nihil æque flexibiles trahit animos, ac tota ratio similitudinis. Ferunt ab ipsis primordijs, vt corporibus, sic certis animis indita quædam simulachra, & vestigia similitudinis, quo fit, vt illi in primis etia congressibus, cum sese antea nunquã agnouerint, statim ad beneuolẽtiæ coniunctionem, ipsa quæ in eis est similitudine prolẽctati, velocius emicent, tenaciusque sibi mutuo inhæreant, quod de Theagene, & Chariclæa narrat Heliodorus lib. 3. Aethiopicon; qui vbi primum in mutuum conspectum venerunt, statim animæ, quæ se ijsdem ferè à Deo notis, & characteribus impressas agnouerunt, totæ in vultũ varijs motibus perfusũ prosiluerunt ὁμοῦ τε γὰρ ἀλλήλους εἶδον, ὥσπερ τῆς ψυχῆς ἐκ πρώτης συντεύξεως τὸ ὅμοιον διαγνόσης, καὶ πρὸς τὸ κατ' ἀξίαν οἰκεῖον προδραμόσης. inquit ille.

Rationes humanæ. Prima similitudo affectuum, & animorum. Vide Cic. 2. de orat. sect. 189. Veterum de similitudine animorum opinio.

Heliod. li. 3. Æthi.

Hæc est animorum συμπάθεια, & cognatio, ad excitandos quos libet motus efficacissima, & vbi similes occurrunt animæ, haud difficile mutuis colloquijs, quasi beneuolentiæ vehiculis, statim, & ipsæ affectus in alios deriuant, & ab alijs deriuatos suscipiunt, atque instar sulphuratorum quamprimum inardescunt.

Anima sulphurata, vt vocantur à Plinio.

Tales fuerunt Castoris, & Pollucis, Achillis, & Patrocli, Orestis & Pyladis, cæterorumque, qui inter amicorum paria recensentur animæ, quæ tanto affinitatis nodo erant agglutinatæ, vt in iudicijs, & seriis pari voluntate concinerent: eadem vellent, vel nollent, quasi mens vna (vt a Minutio felice dicitur) in duobus esset diuisa. Adulatores quoque qui hanc similitudinem non habent, vt eos, quibus insidiantur facilius decipiant, eosdem prorsus sibi motus affingunt.

Minutius in Octauio.

Rides, si mœrore rachinno
Concutitur pectus, si lachrymas conspexit amici,
Nec dolet. Iuuenalis.
Iuuenalis. Ignaviam bruma si tempore posces,

Accipit Andromidem: si dixeris æstuo: sudat.

Er hæc quidem prima ratio ducta est à natura.

Secunda est; motus efficax ratio, sapientia, vel sapientiæ existimatio, siquidem ea mitius tractantur, & in omnem partem inflectuntur animi. Tantum est, & tam augustum sapientiæ nomen, de qua non immeritò canit Synesij lyra.

Secunda sapientiæ maiestas.

Σοφία δέ μοι παρείη
Ἀγαθὰ μὲν νοήσαι,
Ἀγαθὰ δ' ἔργα ἔλκειν,
Ἀγαθὰ δ' ἀνασσα. πάντα
Σοφία, γελῶσα τοιχᾶις
Ἀβατον βίᾳ μερίμνας

Synes. in hymnis.

III. Virtus, maximè verò sanctitas, & iustitia, vel etiam sanctitatis, & iustitiæ opinio. Nihil enim maculosa vel vita, vel fama, cum hominibus commodè geri potest: Ipsi, qui toti sunt in flagitijs, vel sceleribus volutati, improbitatis nomen auersantur. Contra, omnes libenter se, ac sua promittunt ijs, quos innocentiæ, & sanctimoniæ gloria florere putant. Non immeritò Andocides orator, suadens ei, qui alios promouere velit, vt primum vitã suam rectè instituat, quod amissa probitatis existimatione, omnes persuasionis nerui succidantur. Quæ causa impulit Lacedæmoniorum grauem consessum, vt ab improbo homine probã sententiam fortè prolatam, eandem à frugi viro dici iuberent, quo plus haberet roboris.

Tertia vitæ tuæ & famæ sanctum.

IV. Conditio, & authoritas dicentis vehemens quoque animorum est incitamentum. Vt amento iacula, sic robustius authoritate dicta vibrantur. Byssina verba sordescunt in diphtera, in bysso, & purpura, vilia quæque collucent. Magni omnino refert, sit ne qui loquitur Thersites, an Agamemnon. Scipio, an Sextus Clodius, aut Barbalio. vnum enim verbum Viri auctoritate grauis, efficiet, quod longissimæ obscuri hominis orationes præstare non poterunt. M. Scaurus, verbosa oratione a Vario Sucronensi accusatus, quod acceptæ à Mithridate pecuniæ Rempublicam prodidisset, vno verbo respondit. Iniquum est (Quirites) quum inter alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos interrogare. Varius Sucronensis ait, M. Aemilium Scaurum mercede corruptum populum prodidisse. A. Aemilius Scaurus huic culpæ

Quarta authoritas.

Plin. de viris illustr.

se affinem esse negat: vtri creditis? Nominato tantum authore, & reo, permotus rei indignitate populus, accusationem repulit: Tantum, vel muta eloquentia, cum authoritate coniuncta, semper habuit ponderis.

Quinta ætas.

V. Huic auctoritati plurimum fauet ætatis maturitas, cui honor, & imperium naturæ ipsius calculo videtur attributum. Satis fuit Augusto ad tumultum inter nobilissimos iuuenes excitatum, protinus compescendum, dixisse. *Audite iuuenes senem, quem iuuenem senes audiuerunt.*

Plutarch. in apoph.

Hæc omnia eloquentiæ mirum in modum inseruiunt.

Sexta eloquentiæ vis.

VI. Iam quod caput est rei, qui ad sublimes illos motus assurgere cupit, grandem esse oportet eloquentiam, acrem, neruosam, incitatam, non quæ primo impetu sidat, & collabatur, sed quæ perpetuis innutrita rebus crescat, & fœcundetur. Accedere oportet vocem, neruos, & latera, quæ contentionem illam ferant, & inardescentis animi, velut flammas commodè sustentent. Si quis ita est comparatus, vt hæc subsidia, quam promptissima habeat, poterit dubio procul in ratione affectuum versari non infeliciter: sin contra, & authoritas deest, & eloquentia, periculosum est aggredi: sunt enim è pelui (quod aiunt) fulgura, fulgores videlicet, ex vasculorum nitore vibrati, qui pueros tantum territant, nocendi vim nullam habent; quin post speciem quandam, & inanem pompam grauitatis, soluuntur in risum. Sed ipsa licet eloquentiæ vis magna sit, desit tamen doctrinæ, & virtutis, ac cæterorum, quæ auctoritatem conciliare solet opinio, nescio, quo pacto grauiores personæ, non aguntur his motibus; quod indignum sua amplitudine existiment. Alienum, quo superiores vbique videri volunt, in suo pectore regnantem, & quasi triumphamtem admittere. Itaq; succensens, quod ait Longinus, ὡς παῖδες ἄφρονες ὑπὸ τεχνίτου ῥήτορος σχηματίοις κατασυφιζόμενοι, quod Alexãder Phereus declarauit, qui Poetam multauit, à quo in tragœdia Hecuba παθητικώτερον conscripta, nonnihil commotus, & ad miserationis affectus, à quibus ob singularem ingenij sęuitiam abhorrebat, fuerat inflexus.

Quid spectandum in personis, quæ mouendæ sunt ad affectus.

CAPVT V.

SPectandi verò sunt imprimis auditores, quos cupis permouere, à quibus rei permagnum pendet momentum; qui cum natura plerunque disiunctissimi sint, varias quoque, & multiplices sortiuntur affectiones. Alij ad iras, & odia faciles miserationibus non magis mouentur, quam cautes Marpesiæ. Alij viri boni, & ἀριδάκρυτοι nec non pueri, & fœminæ ad doloris, & misericordiæ affectus, facillimè impelluntur, ad iras, & odia languescunt. Alij tenero quidem ingenio præditi, sed longo rerum vsu, atque assuetudine firmati, vt nihil multum mirantur, sic neque miserantur. Alij toti sunt in rerum intelligentia, & eruditione perquirenda, graues, austeri, difficiles, à mollissimis illis affectionibus longè remoti. Alij denique naturæ ipsius, & educationis vitio, quasi *corneis fibris* (quod ait Poeta) *coaliti*, stupore magis, quam crudelitate nihil sentiunt. Dici non potest, quot sint hominum genera, & quam variè se habeant ad affectus: Idcirco prudentissimo oratori, diligenter erit obseruandum, quod cuiusque ferat stomachus.

Variæ animorum descriptiones ad affectus.

Cognoscet autem, si inspiciat quale sit hominum, apud quos agat ingenium, qua educatione à tenero formati, quibus persuasionibus imbuti, quibus instructi moribus, qua ætate, quo sexu, qua conditione, & nonnunquam in priuatis, qua valetudine, habitudine corporis, denique, quo loco, quo tempore, accedat ad mouendum.

Ingenium cognoscendum.

Primum igitur ingenium (vt superiori libro ostendi) infinitas habet varietates, vt non vnum quidpiam homo videatur, sed multiplex, & in omnem partem versatile, vt ait Synesius.

Synes. ad Arcad. Imper.

Οὐκ ἁπλοῦν τι χρῆμα οὐδὲ μονοειδὲς ἄνθρωπος. Ἀλλὰ συνώκισεν ὁ θεὸς εἰς ἑνὸς ζώου σύστασιν, ὄχλον δυνάμεων παμμιγῆ τε καὶ πάμφυνον, καὶ ἐσμὲν οἶμαι ὕδρας θηρίον ἀποπώτερον, καὶ μᾶλλόν τι πολυκέφαλον.

Non enim simplex quidpiam, & vniformis naturæ homo est. Sed huius vnius animalis constructionem, turbam quãdam facultatum miscellaneam, atque omnigenam coag-

dagmentauit Deus, & fumus (opinor) monstrum Hydra prodigiosius, pluribusque capitibus præditum: quæ varietas, siue æqualitate animæ, siue ab astris, siue ab humoribus corporis profluat, haud leuiter consideranda est.

II. Educatio, & consuetudo vitæ, altera prorsus, &, vt ait D. Augustinus, *affabricata natura* quam consequitur obfirmata de rebus opinio, ad affectus, vel suscipiendos, vel repudiandos incredibilem vim obtinet. Difficile est contra torrentem niti, & inueteratas longo temporum curriculo consuetudines euellere. Contra, facillimum est ad ea homines impellere, quibus prima educationis cunabula assueuerunt. Spartanum sudori innutritum, & pulueri, ægrè ad otium literarum compelles: Atticum Philologum libris immersum, haud facile in solem, & puluerem pertrahes. Vt pisces aquâ, sic familiarissimis quique rebus, quasi proprio elemento, delectãtur. Quãquam si peruersa est consuetudo, non semper credendum est, sed eo firmius obluctandum, quo expugnatur difficilius. Sic D. Cyprianus in desides Christianos, qui vim prauæ obtendebant consuetudinis. *Consuetudo* (inquit) *sine veritate, vetustas erroris est.* *Cyrian. ad Pomp.*

Tertio loco, sexus, ætas, conditio, perpendenda, atque examinanda sunt. Fœmina, quã Philo cum appetitu comparat, plerunque affectus suscipit facilius, tenacius seruat, difficilius deponit, atque eijcit, rationibus obluctatur, res semel apprehensas, obingenij imbecillitatem, obfirmata fouet pertinacia. *Ætas, & conditio Phil. l. 1. Allegor.*

Pueri, voluptarijs sensibus maximè titillantur. Iuuenes ad iras, & gaudia proniores sunt: Senes difficilius mouentur. Adhæc conditio, & vitæ studia, vehementer habent in hanc, aut illam partem emissiones.

Postremo habitudo corporis, ex Physiognomia considerata, indolis speciem præfert: iuuat, & ipsa quoque constitutio, cum præsertim alij affectus sint sanorum, alij ægrotantium, & nonnulli certis temporibus, & horis turbentur. quo fit, vt omnia circumstantiarum momenta, mature discutienda sint, & ad personas diligenter accommodanda. *Habitudo corporis, & constitutio.*

Apud doctos istos, & politicos viros, non sunt adhibendi molles & teneri affectus; vel etiam dolore incensi, ne solus videaris inter frigidos, & quietos furere, & bacchari. Licuit Marco Tullio in Milonianã, apud populum, qui tuchis capiebatur illecebris, flebiles illos quos scimus affectus miscere. Apud viros graues, in curia, hoc præsertim veteratorio sæculo, si idem facere coneris, risum magis, quam lachrymas excitabis. Affectus potius sit, acrimoniæ, & viuidi doloris, si quando adhibendus est, quam inclinati, & vlulantis. Apud feros agrestes, & stupidos, si suaues, & lacrymabiles affectus, etiam numerosè profundas, idem facias, ac si apud tigres citharam pulses, aut immanes balænas acu pungere, atque excitare velis. Hic voce, hic lateribus, hic vasta quadam iracundia opus est. [vt ipsa Pontem indignari videatur oratio.] Soli animi simplices, & adhuc rerum rudes, profusiores illas misserationes lubenter admittunt, grauioribus vero iracundiæ motibus plus æquo consternantur.

De duabus affectuum radicibus, voluptate & dolore, & ratione mouendi.

Caput VI.

QVi solent in quotidianis orationibus occurrere, frequentius affectus sunt voluptatis, miserationis, doloris, & iracundiæ. Voluptas, & lætitia, floridas exornatiui generis orationes comitantur, in iudicijs, plerumque misserationes regnant, & iracundiæ.

Duobus autem modis comparantur voluptas, verbis, & rebus. Res eæ delectant auditores, quibus ipsi innutriri solent, & habent aliquod cum eorum natura commercium: Et ita graues exsculptis sententijs, probi exemplis virtutum, studiosi arcanis artium, quas tractant, quoad fieri poterit, pascendi sunt. Omnes, quantum occurret, rebus magnis, nouis, admirabilibus, insolitis excitandi: adhibenda quoque oratio lenis, mollis, sonora, numerosa, florida, varia, succulenta, carnosa, arguta, læta; & cum res occurrit, sermo festiuitatis leporibus aspergendus, quibus multum voluptatis conciliare solent oratores. Satis quidem humana natura ad risus, & delectationes prompta est, nec multum in eo genere stimulanda: Ne quæ debet esse grauitas oratoris, in scurrilem quandam dicacitatem degeneret. Permittuntur oratoribus ridicula nonnunquam, quibus tamen in *Quomodo comparetur voluptas, & lætitia.* *Admiratio mater est voluptatis.* *Ridicula in motibus lætitiæ temperanda.*

ſtar Comicorum abuti minimè debent, ſed omnia prudentię, & honeſtatis ſale condire.

Cicero in Orat.

Talis in Lucio Craſſo oratore vrbanitas fuit, & cum grauitate iunctus facetiarum oratorius non ſcurrilis lepos, quem plurimum Cicero commendat. Nec minoris apud Græcos nominis fuit Leo Byzantius, auditor Platonis, & Sophiſta nobilis, qui vno vrbanitatis dicto apud Philippum Regem confecit, quod Demoſthenes longa oratione apud Athenienſes fruſtra tentauit. Philippo, enim contra Byzantium venienti feſtiuus occurrens. Dic age, inquit, Philippe, quæ te cauſſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille, amor, inquit, tuæ patriæ, qua vt potiar veni. Leo excipiēs, atqui reſpondit, non inſtrumento bellico, ſed muſico amantibus opus eſt, quo dicto, ducem à bello Byzantino auertit. Orationis verò mollis, & vernantis ad hos ſenſus accommodata iucunditas, blandiſſimè mulcet pectora. Qualis eſt iſta Ηγεῖτο μὲν γὰρ ἐφ' μάξης ἀπὸ συνωρίδος λεύκης βοῶν ὀχουμένη, χιτῶνα δὲ ἀλουγὸν πυθήρη χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαστον ἠμφίεστο. Ζωνὴν δὲ ἐπεβέβλητο τοῖς στέρνοις ἣν ὁ τεχνησάμενος εἰς ἐκείνην τὸ πᾶν τῆς ἑαυτοῦ τέχνης κατέκλεισεν, & cæteræ ſimiles orationis deliciæ, quæ ſine vllo externarum rerum apparatu ſuapte natura delectant.

Leonis facetū dictū. Philoſt in Leone.

Aethiop. l. 3.

De dolore & miſeratione in genere.

Et quibus moueantur rebus, ſintne externæ ſpecies, præter orationem adhibendæ.

CAPVT VII.

PRimum vt affectiones ſunt permotiones ſenſuum, ea in mouendis affectibus ſunt proponenda, quæ ſenſibus vicina ſunt. Qua de cauſſa res vniuerſales (vt notat Ariſtoteles) minime voluntatem mouent, nec dialectici ſunt ad motus eliciendos apti, nec ad eoſdem ſuſcipiendos parati, qui plus intelligentiæ, & ſpeculationi tribuunt, quam ſenſibus, perſuaderi quidem poſſunt, motibus verò, & affectionibus inardeſcere difficilius poſſunt. Mens enim ex arce tantiſper euocanda, vt eorum ardore inflāmetur. Atque vt oculorum ſenſus omnium acerrimus eſt, ſic quæ oculis ſubijciuntur, validius irritant animos, quam quæ demiſſa per aures influunt. Miſerabile quidem fuit. In laudatione Cæſaris, Marci Antonij Epicedium. *Heu canos ſanguine cruentatos: Heu veſtem laceram! Cæſar inuictiſſime, inuictiſſime Cæſar! Hanc ideo togam ſumpſeras vt in ea morereris.* Verum anima iſtorum verborum fuit veſtis cruenta ante oculos Populi Romani, explicata, hæc vel infantem feciſſet eloquentem. Hoc conſilio nudata etiam ſæpiſſimè militum, ad oſtendendas cicatrices, corpora, prolati ipſorum, qui periclitabantur parentes ſquallidi, filij parui mœrentes, vxores luctu confectæ; quarum rerum, inquit Quintilianus, ingens plerunque vis eſt, in rem præſentem animos ducentium.

Ea in motibus proponenda, quæ ad ſenſum magis accodunt. Species oculis oblata ad motū efficaces. Dio. Caſſ. in orat. funebri Cæſaris.

Zonaras. Aſpectus infantis ſeditionem mitigat.

Seditionem Romæ inter plebem, ac milites excitatam, in qua permultum ſanguinis effuſum erat, ſenior Pupienus Imperator, non oratione, non imperij maieſtate frænare potuit. Quamprimum autem infantulum Gordianum ſeditioſis oſtendit, vim omnem, atque infenſorum pectorum furias mitigauit.

Fulgoſ. l. 8. c. 10. Gregor 9. ad placandos P. Romani animos, capita SS. Apoſtolorum manibus deportans oſtendit. Sabellic. l. 7. cum. 9.

Similiter Gregorius IX. cum populum Romanum inclinare in partes Friderici cerneret, Apoſtorum Petri, & Pauli capita, religioſis manibus deportans, & lachrymabili voce ſanctorum reliquias populo commendans, ita de repentè omnium animos immutauit: vt qui ante rebelli in Pontificem animo ſæuierant, contra Federicum vltro arma caperent. Non diſpari ratione Franciſcus Dandulus, ad deprecandam ſuæ reipublicæ culpam, auertendūque anathematis fulmen, ad Clementem V. miſſus catena ferrea collo iniecta, itaque ad Pontificis pedes peruolutus, eo miſeratione commoto, veniam impetrauit, & patriæ fuliginem deterſit.

At dices, ſi tantum momenti ad mouendos affectus in corporeis imaginibus, ob oculos poſitis ſitum eſt, atque collocatum: quorsū Fabius Quintilianus oratoris conſilium irridet, qui depictam tabulam ſtatuit in imaginem rei, cuius atrocitate iudex commouendus erat. Quæ enim eſt (inquit) Actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis, quā orationem pro ſe putat loquuturam. Reſpondeo, præclaram fuiſſe Quintiliani animaduerſionem. Et ſi enim gladius, & cruenta veſtis, & ſuppliciorum tormenta, & cicatrices, & filij

Fab. l. 6. c. 1.

Species externæ nimis apparatæ mouent.

& filij parui lugentes prolati, nonnunquam iudicum oculos inflexerunt: Est tamen istis modus adhibendus, vt cum natura negotij congruere, non foris accersita esse videantur. Qualia sint, quæ picturis, & hominum artificio sunt comparata; Ipsa enim apparatus molitione motum extinguunt, dum animus ad ea, quæ ficta manifestè perspicit, aduersus fidem, dominatus sui iure validius oblectatur. Itaque in ipsis tragœdijs, in quibus maior esse solet licentia, non probantur, apud eruditos præsertim oculos expressa rerum, per simulachra, & species figmenta, quæ plerunque, vt satis rei maiestati non respondent, multum de actionis dignitate detrahũt. Dixi apud eruditos oculos, nam rudis populus, qui parum valet mente, & intelligentia, in theatris, oculorum magis delicias desiderat, quam aurium. Sed quia non frequenter cadunt in orationes, expressæ rerum ad motum oculorum imagines, alia via ineunda nobis erit, de qua statim dicemus.

Auditus vis & efficacitas. *Ælian. varia hist. l. 2.*

Alius sensus est auditus, qui plerunque vehementer sonis percellitur, ex quibus totus animus inardescit, ideoque apud multos populos receptum, vt musicam adhibeant in prælijs. Lydi tibijs, & fistulis, Cretenses cithara, & fidibus Marti præluserunt, Lacedæmonij carminum concentu animati, mirabiles pugnas ediderunt: Timotheus, vt est apud Dionem Prusæum, in Alexandrum Macedonem suis modulis pro arbitrio transfundebat affectus, vt alias pœnitentem incitaret, alias incitatum, atque adeo furentem mitigaret.

Dio. ora. 1. de regn.

Empedocles Agrigentinus, furibundum adolescentem, stricto gladio hospitem impetentem, mellitis cantionibus reuocauit.

Cassiod. l. Varr. l. 1. Musica suæ in quadam tyrannis.

Illi sunt admirabiles Musicæ effectus, de quibus diserte Cassiodorus. Hæc cum de secreto naturæ, tanquam sensuum Regina, tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt: omniaque facit ejici, vt ipsam solummodo delectet audiri. Tristitiam noxiam iucundat: tumidos furores attenuat, crnentam sæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, vitiatam turpi amore, ad honestum studium reuocat, castitatem sanat, mentis tædium bonis cogitationibus semper aduersum, perniciosa odia conuertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatissimum curationis genus est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones, incorpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu, ad quod vult deducit, quam tenere non prævalet, verbo tacito manibus clamat, sine ore loquitur, & per insensibilium obsequium prævalet sensum exercere dominatum.

Hæc Cassiodorus, in quibus vim Musices plane admirabilem commendat, nec sine fructu olim nonnulli oratores, & salutis, ac vitæ deprecatores, Musicam precibus admiscuerunt: siquidem Theodulphum è vinculis Ludouicus peius liberauit, postquam ab eo plena voce cantari audiuit hymnum, quem in vinculis recens meditatus fuerat. *Gloria laus, & honor tibi sit, Rex Christe Redemptor.* Quæ ratio, impulit etiam antiquos illos Getas, vt cum Citharis legationes de pace, & cõcordia obirent, rati illud ad mulcendos animos potentissimum esse incitamentum. Neque verò ad concitandos furores, minus habet virium: Testis est illa historia, quam de Erico II. Daniæ rege narrat. Saxo grammaticus. Apud Ericam, inquit, cognomine bonum, Daniæ regem, Citharœdus quidam, haud ignobilis, admirabiles, & propè stupendos artis suæ commendabat effectus, maximeque illud ipsum, quod in humanos sensus, mentesque obtineret imperium. Rex verborum nouitate perculsus, qui neque tantam vim Musicæ arbitraretur, continuò hominem artis specimen edere iubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset accendere. Annuit ille, & ne qua nocendi ansa daretur, arma ex aula omnia efferri præcipit, custodesque in atrio collocari, quo furentes, si qui fortè in insaniam agerentur, compescerent. Dictum factum. Tum ille, qua plurimum pollebat cantandi peritia, primum quidem inusitatæ seueritatis concentum edidit, quo stupore quodam, & mœrore, omnium quotquot aderant auditorum mentes cernebantur oppressæ. Deinde adeò suaues, & mellitos cantus effudit, vt toti iactatione corporis, intemperantem proderent lætitiam. Tandem verò, vbi actioribus modulis intonare cœpit; continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma, & gladios inclamare. Nec mora, accurrunt custodes vt Regem, cum alijs furentem contineant: Sed ille effractis atrij foribus, arrepto ense, quatuor transfodit, & vt actus in rabiem taurus, totis bacchatur ædibus. Vix tandem puluinarium, &

Cræz. l. 1. c. 27 Metrop.

Saxo l. 12. Daniæ. Mirabilis effectus musicæ.

lectulorum mole vndique oppressus contineri potuit. Postquam menti restitutus est, relicto procuratore regni filio, Hierosolymã expiandorum homicidiorum, per pios cruciatus, gratia profectus est, atque in Cypro defunctus.

Sunt omnino, & sonorum, & earum rerum, quæ corporis subijciuntur oculis admirabiles effectus, & stupendi nonnunquam magis, quam imitandi. Rarus est enim istorum locus, neque apud prudentes viros probantur illi concionatores, qui in concionibus de venerãdis Domini cruciatibus, fictas personas, & corporeas suppliciorum imagines, cum nouitate subijciunt oculis, inter quæ, ridicula nonnunquam possunt occurrere, quæ tantum abest, vt dolorem concitent, quin risum potius eliciant. Quam ob rem, & ab huiusmodi dramatibus cauendum est, & oratione magis, qua nihil homini nobilius datum est, quam istis signorum figmentis vtendum; quanquam, & lugubris Musica, hic moderate apposita, non erit importuna.

Quæres ad motum adhibendæ.

CAPVT VIII.

Ratio mouendi ab hypotyp.

QVoniam igitur hæ figmentorum species, rationem in oratione obtinent locum, tenendus est modus, qui ad has effigies propius accedat. Valebunt imprimis viuæ rerum descriptiones, quæ acutissime sensus intimos ferire solent. Exemplum affero. Smyrnâ vrbe nobilissima terræ motu collapsa, perorat Aristides Legatus apud Antoninos, vt instaurationem promoueat. Nõ defert ruinarum picturam, quod facere solebant, qui naufragio fortunarum iacturam fecerant, sed ipse luculenta descriptione, miseræ vrbis fatum pon t ob oculos, *Aristid. in ora. Smyr.* Κεῖται Σμύρνα κατὰ τὴν Ἀσίας ἄγαλμα, τὴν ὑμετέρας ἐγκαλλώπισμα ἡγεμονίας, πυρὶ καὶ σεισμοῖς ὁμοῦ ξυμπεσοῦσα, &c. Deinde postquam eius pulchritudinem, quam nuper ipsi Imperatores viderant commemorauit, exclamat. *Suauis Aristi. metus.* Νῦν πάντα σὺν κόσμῳ μέμυκε μὲν ἐκεῖνα λιπὼν, οἴκεται δὲ ἀγορᾶς κάλλη. Κόσμοι δὲ οἴκων ἀφανεῖς. Γυμνάσια δὲ αὐτοῖς ἀνδράσι καὶ παισὶ διέφθαρται. Ναοὶ δὲ οἱ μὲν κεῖνται οἱ δὲ κατέσυνται. Ἡ δὲ πρὸς θεὰν ὡραιοτάτη πύλεων, καὶ τὸ κάλλος ἐκείνων ἀνθρώποις ἅπασιν ἀμφότερα θεάματα ἀποπέφαται κολωνὸς ἐρειπίων καὶ νεκρῶν. Ζέφυροι δὲ ἔρημον σήνιστσι. Iacet Smyrna ornamentũ Asiæ, vestri decus imperij, igni, ac terræ motibus contrita (mox narrata eius pulchritudine) hæc nunc omnia sunt incinere. Clausus est portus ille, perierunt fori ornamenta: Viarum decora euanuerunt: gymnasia cum ipsis vitis, & pueris collapsa: templa partim iacent, partim hausta sunt. Iucundissima denique spectatu vrbs, & pulchritudinis apud omnes insignis cognomento, iniucundissimum effecta est spectaculum, ruinarum, & cadauerum tumultus. *Nunc vero desertam perflant Zephyri.* Ad has voces Imperatores lachrymas non tenuerunt. Suauis est enim omnino motus. Hic Ciceronis, grauis est, & efficax. Ponite igitur ante oculos, P. conscripti, miseram quidem illam, & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam: nocturnum impetum in vrbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cum miser ille prius latronum gladios videret, quam quæ res esset audisset: furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atque eos illud infame, vincula, verba, eculeum, carnificem tortoremque famarium. Hęc Hypotyposeos species. Sic apud Euripidem euisceratæ flammis Creusæ, & infelicissimi parentis lacerato filiæ corpori pertinacius adhærescentis species, licet per nuntium narretur, potentissima est ad affectus.

Ciceronis motus in morte Trebonij Philip. 11.

Euripid. in Medea.

Quid Q. Haterius? cùm de filia Archipiratæ diceret, quam captiuus adolescens abduxerat: omnia terrore compleuit. Deinde ad adolescentem conuersus. quid exhorruisti? socer tuus venit.

Narrationum rerum in quarũ nuda & simplex motus.

Secundo, non modò descriptiones, sed ipsæ pene nudæ rerum narrationes, in rebus maxime tristibus, sufficiunt ad motus eliciendos, modò cum ea, qua par est, fiant dignitate.

Cic. ob in Verrem.

Narratio de supplicio Gauij Cossani apud Ciceronem, in qua simplicem rei gestæ expositionem profitetur, plus me afficit, quam si omnia exaggeratione, & clamoribus *Cossani puppilli ad ius.* constreperent: quantam enim vim habent ipsa.

Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus, Iudices, cum interea nul- *ad tortum* lus

Descriptum Figura, sententiæ sublimes aptæ ad motum, vt sermocinationes.

lus gemitus, nulla vox alia, istius miseri inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc. Ciuis Romanis sum: Et cætera planè admirabilia.

Tertiò, multum valent ad incendendos affectus, figuræ sententiæ graues, admirabiles, inflammatæ, vt exclamationes, detestationes, diræ aporiæ, conuersiones, quærimoniæ, lamentationes, quarum illustria exempla alibi subiecta sunt. Maxime autem aptæ personarum sermocinationes, quales sunt apud Iosephum in Eleazari, & Machabæorum supplicio.

Ioseph. de Machab. Multum valent sermocinationes cum hypotyposi coniunctæ.

Οὐ ψεύσομαί σε παιδευτὰ νόμε, οὐδὲ ἀξομοῦμαί σε φίλη ἐγκράτεια, οὐδὲ καταισχύνω σε φιλόσοφε λόγε, οὐδὲ ἀξαρνήσομαί σε ἱεροσύνη ἡμία, καὶ νομοθεσίας βαπτήμη, ἀγνόν με οἱ πατέρες προσδέξονται, μὴ φοβηθέντα σου τὰς μέχρι θανάτου ἀνάγκας.

Nunquam te mentiar, ô lex vitæ moderatrix, nunquam te violabo dilecta temperantia: nunquam te, sancta Philosophia, dedecore afficiam: nunquam te denegabo, venerabile sacerdotium, & sacrarum legum scientia: purum me, & intaminatum parentum manes accipient, nec vllus me mortis, & suppliciorum timor infringet.

(Deinde cum miserabili affectu describitur carnificina.)

Eleazari supplicium ex Iosepho expressum.

Cum hæc Eleazarus, ea, quâ erat libertate, & iustitia præditus palam diceret, armatorum, qui circumstabant manibus trahitur ad pœnam, nudatur, suspenditur, flagellatur: quo eos vtroque latere ictus impios perferente, Præco clamabat, Expugna tandem pertinaciam senex, & Regi obtempera. Magnanimus autem Eleazarus, nec flagellis, nec tormentorum ictibus fatigabatur, quasi per quietem, somniumque acerbissima quæque pateretur: securus igitur, & intrepidus pœnarum ferebat dolores, & venerandos erigens ad cœlum oculos, sciebat cui se crederet, cui animam dedicaret, & hinc, atq; inde respiciens corporis sui frusta dissolui, cruorem etiam exundantem latere vtroque profluere: mirabatur ipse suam, quam Deo nouerat deberi patientiam. Tamen fragilitatis humanæ conditione, quæ cruciatus tam exquisitos ferre vix poterat, in faciem semilaceram ruit, eas gratias stratus agens Domino, quas paulò antè stando egisset. Vnus verò ex armigeris percitus furore, atque insania, vt Regi se fidelem in re tam prophana, tamque sacrilega ostenderet, iacentem calcibus suppressit, & quò ad acerbiorem supplicij carnificinam tractaretur, exegit: ille verò & animo fortis, & corpore, ac summi Dei verus vbique Athleta, dolorem omnem intrepidus ferebat, tortoresque omnes patiendo debellabat.

Summa interim lacerantium admiratio, quod viribus (vt existimabatur) destitutus senex, omnem suppliciorum diritatē tam patienter toleraret. Inclamabant interdum; Quousque, Eleazare, obfirmatum aduersus omnes animum retinebis? nec te huius lucis vsura capiet, nec tot suppliciorum immanitas terrebit? gusta porcinas carnes, & exi in libertatem.

Eleazarus qui in pœna tacuerat, in tam sinistra persuasione non tacuit, & hoc verbo grauius laceratus, quàm supplicio; Non ita (inquit) non ita ignaui, & imbelles Hebræorum filij sumus, vt viam salutis, quam vsque ad canos istos sine labe seruauimus, tam perfidios è mortis impendentis meru deseramus, in tuis, sanctissime parens Abraham manibus, & in sinum tuum, gremiumque venturi, gratissima voluntate moriemur. Hoc robur intuentes armigeri, sanctissimum senem, iussu regis, instillatis prius in nares fœtidis liquoribus, in ignem imposuere.

Quæ omnia vir admirabilis fortissimè pertulit, tum semiustulato corpore, morientibus oculis cœlum respiciens, exclamat. Tibi, rerum omnium parens optime, & sanctissime, fragiles has exuuias depono: tibi, & tuæ legis amore, hanc quam dedisti animam lubens, volensque profundo: Accipe me pro cunctis, & dona mihi cunctos, sit mors mea laborum, & ærumnarum omnium finis: miserere gentis, quam hucusque sub alis clementiæ tuæ seruasti.

Hæc, & his similia Græcus author persequitur, quæ (vt apparet) etiamsi simpliciter narrentur, miram habent affectus suauitatem, nec dissimilia sunt, quæ in eodem argumento habet D. Ambrosius l. 2. de Iacob, & vita beata, vbi sic de Machabæis.

Amboos. li. 2. de Iacob c. 12.

Nemo timuit, nemo trepidauit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes, tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia concurrerunt: & mater consona cernens filiorum agmina,

agmina, tanquam pia anima, sui membra corporis in filijs offerebat, & per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebantur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita exsecabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit, aut ora morientis clausit, non lauit vulnera, sciens gloriosiores esse, si cuiscerati, & concreti pariter puluere, & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, qualia solent trophæa ex hostibus reportare. Quæ cythara dulciores ederet cantus, quam morientes filij in tam grauibus supplicijs ediderunt, erumpebat enim naturæ gemitus etiam inuitis.

Hæc vir diuinus: Suam verò Agnetem, quo affectu exprimit? num tubis omnibus hęc vox potior est?

Narratio D. Amb. de sancta Agnete motus efficax libro 1. de virginib.

Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? & quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit unde vinceret. At istius ætatis puellæ, torpos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere, quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, *mori adhuc nescia, sed parata*, vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis, trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manusque ambas inserere nexibus: sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus! *nondum idonea pœna & iam matura victoria*: certare difficilis, facilis coronari, magisterium virtutis implenti, quæ præiudicium ferebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret; vt ad supplicij locum læta succederet, gradu festina virgo processit, non intorto crine caput compta, sed Christo, non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. [Deinde tribuit illi orationem.]

Sponsi iniuria est expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet: quid percussor moraris? *Pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo*? Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora, alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo. Hæc magnam, & planè illecebrosam vim habent ad amoris, miserationis, odij, iracundiæ, & cæteros affectus excitandos, & si sæpius ita gloriosa illa martyrum certamina, victoriæ, triumphi, ea, qua par est, dignitate narrarentur, fructus parerent infinitos.

Ad istas autem, quę fingũtur, prosopopeias, iuuerit appositè, prout fert rei narratæ natura, nonnullas subtexere exclamationes, vt in supplicio Gauij prętitit Cicero, postquã enim miseri istius repetitum clamorem, *Ciuis Romanus sum* commemorauit, statim erumpit in mitem exclamationem.

Exclamationes optimè magnu narrationibus subiunctæ sunt valde efficaces.

O nomen dulce libertatis! ô iura eximium nostræ ciuitatis! ô lex Porcia, legesque Semproniæ! ô grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas.

De qualitate affectuum lenium, & violentorum.

Et quomodo ijs vtendum.

CAPVT IX.

AFfectuum alij lenes sunt, alij violenti, & illi quidem suauiter influunt, hi citato quodam impetu vibrãtur. Hi dolorem moderatum decent, illi quasi iracundiæ satellites ad subita excubant, & vehementius exiliunt: illi tractantur securius, hi in tumorem plerũque degenerant. Exemplum lenis, & moderati affectus tale est apud Quintilianum, vbi ipse filij mortem deflet.

Fab. lib. 6. Affectuum lenium exemplum.

Illum, inquit, de quo summa conceperam, & in quo spem vnicam senectutis meæ reponebam, reperito vulnere orbitatis amisi. Quid nunc agam, aut quem vltra esse vsum mei Dijs reprobantibus credam? Nam ita fortè accidit, vt eum quoque librum, quem de caussis corruptæ eloquentiæ emisi, iam scribere aggressus simili ictu ferret. Tunc igitur optimum fuit infaustum opus, & quicquid hoc est, in me infelicium literarum, super immaturum funus consumpturi, viscera mea flammis injcere, neque hanc impiam viuacitatem, uouis insuper curis fatigare. Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderim hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius vsus vocis, quam vt incusem Deos, superstes om-

nium

nium meorum? nullam terras despicere prouidentiam tester? si non meo casu, cui tamen nihil obijci, nisi quod viuam, potest. At illorum certè, quos vtique immeritos mors acerba damnauit, erepta mihi priùs eorundem est mater, quæ nondum expleto ætatis vndeuicesimo anno, duos enixa filios, quamuis acerbissimis rapta fatis fœlix discessit. Ego vel hoc vno malo sic eram afflictus, vt me iam nulla fortuna possit efficere fœlicem. Nam, cùm omni virtute, quæ in fœminas cadit, functa sit, insanabilem attulit marito dolorem, tum ætate ea puellari, præsertim meæ comparata, potest & ipsa numerari in vulnera orbitatis, liberis tamen superstitibus oblectabat, & quod nefas erat, sæua, sed optabat ipsa: me saluo maximos cruciatus præcipiti vita effugit. Mihi filius minor, quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis, nec augere lachrymarum caussas volo, vtinamque esset ratio minuendi, sed dissimulare qui possum, quid illi gratiæ in vultu, quid iucunditatis in sermone, quos ingenij igniculos, quam præstantiam placidè, & (quod scio vix posse credi) tantum altæ mentis ediderit? qualis amorem quicunque alienus infans mereretur. Illud verò insidiantis, quo me validiùs cruciaret, fortunæ fuit, vt ille mihi blandissimus, me suis nutricibus, me auiæ educanti, me omnibus, qui sollicitare solent illas ætates, anteferret. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos ante menses ceperam, gratulor. Minus enim est, quod flendum meo nomine, quàm quod illius gaudendum est. Vna post hæc, Quintiliani mei spe, ac voluptate nitebar, & poterat sufficere solatio. Non enim flosculos, sicut prior, sed & decimum iam ætatis ingressus annum, certos, atque deformatos fructus ostenderat. *Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes, numina doloris mei*, has me in illo vidisse virtutes ingenij, non modò ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognoui, plurima expertus, studijque iam tum non coacti, (sciunt præceptores) sed probitatis, humanitatis, pietatis, liberalitatis, vt prorsus possit hinc esse tanti fulminis metus, quòd obseruatum ferè est, *celerius occidere festinatam maturitatem*, & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat inuidiam; ne videlicet vltrà quam homini datum est, nostra prouehantur. (Deinde) Tuosne ego, ô meæ spes inanes, cum labentes oculos, cum fugientem spiritum vidi? corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus, quos fero, dignus his cogitationibus. Tene consulari nuper adoptione, ad omnium spes honorum patris admotum, te auunculo Prætori generum destinatum, te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens habiturus est tantum ad pœnas? Et si non cupido lucis, certè patientia vindicet te, reliqua mea ætate.

Pueri laus.

Iurare per manes.

Hactenus Quintilianus, cuius affectus (vt apparet) sunt valde ciuiles, & humani: comparentur nunc, ea quæ in eodem argumento scripsit Himerius famosus ille sophista, qui Iuliani temporis floruit, Christiano nomini perinfensus. Inuenientur quidem vehementiora, sed quæ persæpe degenerent in frigidum. Sic igitur ille de morte filij.

Himerij affectus cũ Quintiliani affectibus comparati.

Ὦ πάθος τῆς Αἰχύλου μεγαλοφωνίας ἄξιον! Ἡρακλεῖ μὲν ἐδέησε, πολλῆς περιόδου, καὶ τῶν ἄθλων, οἶμαι, δώδεκα, ἵνα μάρτυρας τῆς ἀρετῆς τὴν ὑφ' ἥλιον πᾶσαν κτήσαιτο· σὺ δὲ εἴσω τοῦ κύκλου μένων ὑπέβης τὰς στήλας ἡμῖν τὰς ἡρακλείους τοῖς θαύμασι. τὶς ἀπέκειρε δαίμων τῆς ἐμῆς ἑστίας τὸν χρυσοῦν βόστρυχον; τίς τὸν πυρσὸν τῆς ἐμῆς δόξης ἔσβεσε; τίς ἐρινύων τὸ παρειῶν ἔρευθος, καὶ τὸ προσηνὲς, καὶ ἡδὺ μειδιαμάτων σῶν προσώπων ἐσύλησεν; οἴ μοι, Διόνυσε, πῶς ἤνεγκας ἐκ τοῦ σοῦ τεμένους παῖδα τὸν ἱερὸν ἁρπαζόμενον, & cætera, quæ extant apud Photium. Latine hunc sensum habent. O dolor AEschyli dignus cothurno! Herculem terras peruagari, & duodecim adeo labores subire, vt terrarum orbem, veluti virtutis suæ testem relinqueret. Tu verò intra tuos commoratus terminos, egregie factis nobis columnas Herculis superasti! Quod quæso numen auream cæsariem familiæ detondit meæ? quis gloriæ meæ splendorem exstinxit? Quænam furia genarum ruborem, blandum, iucundumque vultus tui risum eripuit? Qua ratione, heu me! passus es, ô Liber! ex delubris tuis sacrum diripi iuuenem? Commune hoc aduersum te, meamque familiam, Erinnyes trophæum fixerunt. Cui ei thalamum nuptialem inferiorem non apparaui, quandoquidem su-

Edit. P. Steph. P. 20. 11.

Peiorem ei Parcæ inuidêrunt. Heu quibus, quam tristibus seruatus sum luctuosis sermonibus? Omnia cum orationum argumenta tractarim, vnum luctus semper declinaui, nesciebam enim me meis lamentis seruari. O qui antea statis terminos virtutum dotibus transijsti, iam verò morte commutasti, qui fraterno amore, etiam Dioscuros superasti. Illi quidem pro Helena bellum gesserunt, captum tamen non profiibuerunt. Tu verò fratris tui germani custos, omni muro eras fortior, tu omnibus morbis, solo animi robore restitisti. Improbus fortasse dæmon, & crudelis, ideo tecum contendit, & multis prælijs superatus, tandem aliquando clandestinis, & fallacibus machinis te prostrauit. Neque verò cessisti ad extrema vsque dæmoni, vt possumus audire, sed corpore licet cesseris, animo non cessisti. Verum strangulauit ille, perque vim abstulit; Tu verò in ipso laqueo animam agebas, amabilem tibi nutricem voce inclamans, te omni ope destitutum, sic laqueo conclusit. Nouerat enim, quod sæpè victus, patre præsente, & iuuante discesserat. Viceras, & obstinatos, immobilesque iudicum animos: & tum primum seuerum illum consessum risisse apparuit Desiderio tui mentes illas flexisti, quas Dij ipsi, iudicio disceptantes, flectere nequierunt. Occlusisti mihi portas vrbis, occlusisti Eleusina. Qua ratione Mineruæ sacrificabo quæ pro te furiam contra Dæmonem illum non excitauit? Quomodo Deum patrium colam, pater ob filium contristatus? ò audaces sermones! iacet Rufinus, & vos adhuc floretis! ò infelix lingua, Musarum prius instrumentum, nunc verò turpis Dæmonis! ò qui clarius Lucifero splenduisti, qui lætissimum mihi tum diem ostendisti, cum te primum Sol conspexit iam verò rursum tristissimum, quo acerbum illum, & tragicum nutium percepi.

Affectus frigidi, & tragici, aliquando etiam pueriles.

Hactenus Sophista Ethnicus, & quidem satis verbosè Vehementiores videntur illi affectus, non sunt tamen graues, pluris vnum illud Quintiliani facio.

[Iuro per illos manes numina doloris mei] quam toram istam monodiam. Primum enim, & Baccho, & Mineruæ vehementer iratus nuncium remittit, Eleusinæ, & patriorum Deorum cultum auersatur, nihil nisi furias, & dæmones, in se stimulis inuidiæ concitatos loquitur, linguam ipsam suam Alastoris cuiusdam instrumentum confitetur, quæ omnia doloris sunt tragici, furiosi, & desperati. Deinde, cuius amentiæ est, scholasticum adolescentem cum Hercule, Castore, & Polluce comparare, eius desiderio mentes inflexas prædicare, quas Dij flectere nullo modo potuerant?

Certè & in ijs affectibus, quanquam poesim fermè scribit, longè prudentior est author Aethiopicon. Nam ecce Theagenes Charicleam velut mortuam luget, quæ tamen adhuc erat in viuis: erumpunt affectus, satis quidem vehementes, sed non insani.

Theagenis Charicleæ velut mortuam deflentis affectus satis vehementes.

Ὦ παῖδες ἁπάντων, φησὶν, ὦ σωφροσύνης δεκτικὸν ἀνθρώπων γένος! πῶς οὕτως ἀκόρεστος Ἐρινὺς τοῖς ἡμετέροις κακοῖς ἐπεβάκχευσε, φυγὴν τὸ ἐναγὲς ἐπιβαλοῦσα, κινδύνοις θαλασσίοις, κινδύνοις πειρατηρίων ὑποβαλοῦσα, λῃστῶν παραδοῦσα πολλάκις, τῶν ὅλων ἀλλοτριώσασα; ἓν μόνον ἀνὴρ πάντων ὑπελείπετο, καὶ τοῦτο ἀνήρπασεν κεῖται Χαρίκλεια, καὶ πολεμίας χειρὸς ἔργον φιλτάτη γεγένηται. δῆλον ὡς σωφροσύνης ἀντεχομένη, καὶ ἐμοὶ δῆθεν ἑαυτὴν φυλάττουσα. κεῖται δ' οὖν ὅμως ἡ δυστυχὴς, οὐδὲν ὠφελοῦσα ἐμοὶ γενομένη. ἀλλ' ὦ γλυκεῖα προσφθέγξαι τὰ τελευταῖα, καὶ εἰωθότα, ἐπίσκηψον, εἰπὲ καὶ μικρὸν ἐμπνεῖς. Οἴμοι, σιωπᾷς! καὶ τὸ μανικὸν ἐκεῖνο καὶ θεηγόρον σῶμα σιγᾷ καλεῖ; καὶ ζόφος τὴν πορφύραν, καὶ κὰδ τὴν ἐκ τῶν ἀναπτύρων κατείληφεν; ὀφθαλμοὶ δ' ἀργεῖς οἱ πάντας τῷ κάλλει καταθέλγοντες, οὐδὲν ὁρῶσιν; οἶδεν ὁ φονεύσας, οἶδα ἀκριβῶς. Ἀλλ', ὦ τί, ἂν σε μὴ ὀνομάσω; νύμφην; ἀλλ' ἀνύμφευτος γαμετὴ; ἀλλ' ἀπείρατος. ἵνα οὖν ἀναβοήσω, τίνα προσφθέγξομαι λοιπόν; ἢ ἅπερ τὸ πάντων ὀνομάτων ἥδιον, Χαρίκλεια, ὦ Χαρίκλεια, θάρσει. πίσον ἔχεις τὸν ἐρώμενον· ἀπολήψῃ με μικρὸν ὕστερον, ὃν ἄδυ γὰρ χοὰς ἐπάξω, τὰς ἐμαυτοῦ σφαγὰς, καὶ πείσομαι τὸ σὸν φίλτρον αἷμα τοῦτο. ἔχει δ' ἡμᾶς αὐτοσχέδιον μνῆμα τὸ τοῦ πάλαι.

Animaduertes quàm (vel in isto argumento in quo rarus est modus) compositi sint, & non pueriles affectus.

O do-

Pulcherrima lamentatio.

O dolorem (inquit) intolerabilem; ô calamitatem diuinitus immissam! quænam adeò insatiabilis furia in nostris bacchabatur funeribus? quæ exilium nobis à patria imposuit, sexcentis maris, prædonumque periculis obiecit, omnibus fortunis spoliatos. Vnum erat pro omnibus reliquum solatium, sed & hoc ereptum est. Iacet Chariclea, & hostili manu dilecta peremptа est, haud dubiè pudicitiam propugnans, & mihi se asseruans. Nihilominus tamen iacet infelix, neque ipsa quenquam ex forma fructum cepit, neque mihi vlli vsui fuit. Cæterum, ô dilecta, alloquere me iam vltimò, solito more: manda quippiam, si quid adhuc spiras. Heu me miserum! taces? fatidiculum illud, & diuino lepore præditum os, silentium premit? Caligo igniferam, & ex sacrario Deorum ministram, chaos occupauit? Oculi verò lucis expertes, qui nuper gratissima pulchritudine fulgurabant, hos non vidit interfector, certo scio. Cæterum, quo te nomine quispiam appellet? sponsæne? at desponsata non es: an nuptæ? enimuerò expers es coniugij. Quam igitur appellabo? quam nouissimis verbis alloquar? An omnium suauissimo nomine Charielea? O Chariclea, adesto animo, fidum habes amatorem: haud ita multò post me acceptura es; iam enim tibi inferias peragam mea ipsius cæde, amico tibi sanguine faciam, & ambos capiet nos hæc spelunca, rude, & tumultuarium monumentum.

Vtinam hic auctor in grauiori argumento versatus fuisset, ingenium illi candidum, politum, & ad maiora eloquentiæ decora natum. Cauendum est omninò, vt postea ostendemus, ne istis miserationibus, quod persæpè contingit, excidat oratio, alioqui in frigidos, & pueriles dissoluetur affectus: satius est moderatè lugere, quàm istas ineptissimas næuias ridentibus occinere.

In iracundia felicius vehementiorum affectuum fræna laxantur, vt patet in Ciceronis Pisoniana, quæ flammas, ac faces iaculatur; tragicas etiam imprecationes vsurpat, quibus ait se diriora imprecari.

Exempla motuum in iracundia.

Quæ est igitur pœna? quod supplicium? id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti, susceptа fraus, impedita, & oppressa mens conscientia, bonorum omnium odium, nota iusti Senatus, amissio dignitatis.

(Deinde) neque verò ego, si vnquam vobis mala precarer, quod sæpè feci, in quo Dij immortales meas preces audierunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer.

Thyestæa ista execratio est Poëtę, vulgi animos, non sapientum mouentis.

Vt ut naufragio expulsus, vspiam saxis fixus asperis,
Euisceratus latere penderet, saxa spargens tabo.
Sanie, sanguine atro.

Sed neque nimis exaggeranda res est, nam qui in tenui argumento Thyestæos clamores fundit, ineptus est, & risum magis efficit quam iracundiam.

De immoderatis, & nugatorijs affectibus:

Deque Aristidis, & Libanij in hoc genere erroribus.

CAPVT X.

NEscio quo pacto rerum humanarum vitio fit, vt quæ eximiè pulchra, aut iucunda sunt, quasi venerint ad summum facilè deflorescant, & in fastidium, contemptumque defluant.

Nihil præclarius in tota eloquentia, quàm ratio affectuum, nihil æquè fragile est, nihil erroribus magis obnoxium, quibus tota illa gratiæ, & honoris pompa marcessit, & quæ antea pulchra, & speciosa videbantur, in risus, ineptiasque pueriles dissoluuntur. Hoc sæpè contingit in affectibus, dum humanos limites, modumque prudentiæ transiliunt. Exemplum sit ex Aristidis monodia, de Smyrna, in qua multa quidem satis appositè dicta, vt;

Ω Ζεῦ τί χρήσομαι, πότερον σιωπῶ Σμύρνης κειμένης; τίνος μεταλαβὼν ἀδάμαντος φύσιν; ἢ τίνα ταύτῃ καρτερίαν καρδίας ῥῶμι; ἀλλ' ὀδύρομαι; ποίαν ἁρμονίαν ἁρμοσάμενος;

Proh Iupiter quid agam? vtrùm taceo collapsa Smyrna? cuius adamantis, si taceam, hoc ingenium est, quis stupor tolerantiæ? an lugebo? quàm verò adaptans harmoniam, &c.

Aristidis lamentatio de euersa Smyrna.

Hoc initio deinde satis grauiter vrbis dignitatem commendat, commemorans Corybantum choros, educationes, ac natales Deorum, Peloponesi coloniam, Theseum conditorem locorum sub Sipylo, Homeri ortum, certamina, trophęa, victorias, deinde suburbia, portus, bases, campos, prospectus, maria, fontes, templa, theatra, forum, & cætera ornamenta, quorum iactura grauis est ad mouendos affectus. Mox ingenio suo plus æquo indulgens, totam orationem conuertit in exclamationem.

O fontes, ô theatra, ô vici! ô curricula partim sub tecto, partim sub dio! ô splendidissimam fori formam! ô vias auri, templorumque cognomine, singulas quadras, & fori vicem singulas exhibentes! ô portus carissimam desiderantes vrbem, ô gymnasiorum decora, ô templorum, & septorum amænitates! ô marina ornamenta! ô cuncta hæc somnia! ô casus Asiæ, ô reliquæ ciuitates, ô terra omnis, & omne, quod intra, atque extra Gades est mare, ô orbis astrorum! ô qui cuncta vides, sol, quale sustinuisti videre spectaculum? Et cætera, quæ longissimo tractu continuantur, vt oporteat omninò, & exhauriri dicentis spiritum, & audientium animos satietate compleri. Postremò addit ridicula quædam, Gorgones si reuiuiscerent, non iam Medusam, & suum oculum, sed Smyrnam communem Asiæ oculum defleturas, auibus ferè inuidet, quæ ruinam euaserint; Oportebat, inquis, eas in commune bustum ciuitatis insilire, amnes lachrymis manare, totam terram detonderi, & vbique naues cum nigris velis solui. Hæc puerilia sunt, & nimia: sunt tamen eius verba:

Ἦπου καὶ Γεργόνες εἰ περιῆσαν, οὐκ ἂν τὴν Μέδουσαν, οὐδὲ τὸν αὐτῶν ὀφθαλμὸν, ἀλλὰ τὸν τῆς Ἀσίας ἐπένθησαν. &c. Νῦν ἔδει μὲν πάντως οἰωνιοὺς εἰς πῦρ ἅλλεσθαι· παρέχει δὲ ἡ πόλις ἀφθονον· πᾶσαν δὲ τὴν ἤπειρον ἀποκείρασθαι· πάντως αὐτῆς ὁ βόστρυχος οἰχεται. νῦν ποταμοὺς δάκρυσι ῥυῆναι, νῦν ὁλκάδας ἐκπλεῦσαι, μέλασι τοῖς ἱστίοις.

Haud dissimilis est Libanij sophistæ nænia de incendio Daphnitici templi, quam lepidè exagitat D. Chrysostomus, in oratione de S. Babyla Martyre. Nonnullorum hic sensum attingemus, incipit:

Viri, quorum oculis, æquè ac meis caligo offusa est, in posterum neque pulchram, neque amplam ciuitatem hanc vocemus.

Libanij sophistæ nænia de incendio Daphnitici templi.

(*Deinde conuersus ad Apollinem*)

Ad hæc, cùm iræ tuæ sanguinem sentirent, sedulus Daphnes custos, vel contemptus cum esses, permansisti, ô Apollo, aliquoties etiam iniuria lacessitus, atque externo spoliatus ornatu, patienter tamen tulisti; Nunc verò multis ouibus, multis item bobus ad aram tuam mactatis; postquam sacrosanctum Imperatoris os pede excepisti, intuitus quæ prædicabas, visus liberatus esse mortuo quodam [S. Babylam Martyrem intelligit] quem tu iudicaueras malum tibi vicinum esse, ac tibi obstrepere: de medio statim cursu solum vertisti. Vndenam hoc tempore gloriabimur apud eos, qui memores sunt sacrorum, statuarumque tibi erectarum? [Mox] Quale, ô Iupiter, laborantis animi laxamentum perdidimus! Quam Daphnes regio tumultibus vacua erat, quanto etiam templum ipsum magis vacuum, vtpote, in quo natura, ex sese quasi portum in portu fecerat: ambobus quidem admodum tranquillis, altero tamen maiorem tranquillitatem præstante. Quis non ibi mortem, quis non ibi timorem, quis non ibi luctum deposuisset? Quis præterea fortunatas insulas inibi desiderasset?

[Hæc tolerabilia: quæ sequuntur, puerum magis sapiunt, quam consummatum Rhetorem.]

Puerilis affectus.

O dexteram malignam, ô iniquum ignem! quonam primum dilapsus est? quodnam mali huius exordium? nam à tecto exortus ad reliqua deinceps serpsit: ad illius caput, ad faciem, ad phialam, ad Cydarim, & talarem vestem: Vulcanus enim ignis arbiter, non comminatus est igni huic detrimentum afferenti, cum beneficio deuinctus Apolli deberet, ob indicium olim sibi ab illo factum: sed neque Iupiter, qui imbrium habenas tenet, aquam in ignem dimisit; qui præsertim olim Lydorum Regi periclitanti aquam extinxerit. [Pergit insanire.] Viri, trahitur mihi mens ad Dei Apollinis speciem, ac mihi ob oculos cogitatio typum ipsum repræsentat, formæ læuitatem, colli mollitiem, idque in lapide cingulum, quo aurea tunica circa pectus sic colligebatur, vt partim subsideret, partim subsurgeret. Denique totus Dei habitus, cuius iram vel feruentem non sedauisset, vt qui similis esset cantilenam occinenti? Et herculo audiuit hunc olim aliquis (vt aiunt) in meridie:

die cythara ludentem? aures beatas! Cæterùm cantus erat terræ laudatio; cui quidem de aureo cyatho libare mihi videtur, quod puellam occuluerit dehiscens, ac sese deinde contrahens.

Tandem describit incendium, in quo ridiculum est, quod ait, Iulianum Imperatorem, vbi de templi incendio rumor auditus est, Mercurij talaria quæsiuisse, vt ad flammam restinguendam properaret, Nymphas è suis fontibus egressas, ingentem luctum excitasse. Postremò concludit:

Præsta te mihi talem, Apollo, qualem te reddidit Chryses, dum Græcis imprecaretur, iræ plenum, & nocti adsimilem: quandoquidem tibi ornamenta cùm redderemus, & quicquid olim de templo tuo ablatum fuerat restitueremus: præceptum est, quod colamus simulachrum, haud aliter, quàm si sponsus aliquis interim dum corollæ contexuntur, moriatur.

Hi non sunt affectus, sed deliramenta, vt præclarè animaduertit D. Chrysostomus.

De languidis affectibus, & ijs, qui vocantur ἀπάλαιστοι.

CAPVT XI.

Dorionis egregium dictum. Athe. l. 8.

DOrion ille quidem tibicen haud ignobilis, & præ cæteris facetus, vt multas in omne genus hominum, sic in poëtas, & oratores plerasque contorsit argutias, qui in rebus magnis describendis fuissent argumento longè inferiores. Itaque cùm tempestatem à Timotheo descriptam in nauta legeret, liquidò affirmauit, se in feruenti cacabo vidisse vehementiorem. Hoc plerisque oratoribus accidit, qui in ijs affectibus effingendis, qui vehementiam habent non mediocrem, ita ipsi remissi sunt, & languidi, vt multum de rei maiestate detrahant. Quis enim fingere non putet, qui in grauissimis iniurijs languorem orationis simul habeat, & actionis? Natura ipsa in istis sua sponte prosilit satis, nec acrioribus indiget incitamentis, nam & imperiti & barbari, dum suas, aut propinquorum lamentantur iniurias, ita voce, vultu, & tota actione se gerunt, vt appareat eos, quod agunt, imis sentire medullis, ac visceribus, si quis igitur orator ita est naturæ imbecillitate constitutus, vel etiam voce, & lateribus ita tenuis, vt nec possit indignari, nec irasci, nunquam huiusmodi argumenta tractare debet.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè dixerit, aut puluere Troico
Nigrum Merionem, aut ope Palladis
Tydidem superis parem.

Horat. carm. ode 11.

Qui genium habuerit potentis naturæ, quanquam non omnino in hac re cedendum est naturæ, sed si vehementius, quàm par est, incitata fuerit, restringenda est nonnunquam, & ardoris cursus compescendus, ne in eos motus incidamus, quos Rhetores ἀπαλαίστους nominant, inconditos scilicet, & agrestes, nec palæstræ cultura perpolitos. Sit Oratori modestia, quod C. Graccho Erycinus seruus: quæ non fistulâ eburneâ, sed rectæ rationis lege, modò inconditi motus vastitatem colligat, modò intemperantis vehementiam reprimat, modò lasciuientis luxuriem amputet, ad summum, omnia iuxta decori leges & iura componat.

De mixtura affectuum.

CAPVT XII.

DElectationis mater est varietas, quam, vt natura in rebus, sic in oratione ars, & ipsa quæ conficitur ex arte ratio, prudenter obseruat: Non erunt igitur omnia vno affectu pertexenda, sed prout rerum, actionumque dissimilitudo postulabit, grata disparitate miscenda, quam necessario actionis excitata quædam species, atque admirabilitas consequitur. Et hoc ipsum in Sapphone Poetria de meliore nota commendat Dionysius Longinus, quod vt sublimis artifex, diuersus motus summa varietate, nec minus eleganti pulchritudine temperaret, vt in istis versibus:

Φάνεταί μοι κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
Εμμεν, ἦ μὲν ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει, καὶ πλησίον ἀδυφώνου
Σοῦ ὑπακούει.
Καὶ γελώσας ἱμερόεν, τό μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
Ὡς ἴδον σ' ὡς βρόγχον· ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
Οὐδὲν ἔθ' ἥκει.

Et cæteri, quos Latinos habes apud Catullum.

Sed quis in eo Euripidis, & Senecæ Medeam non miretur? quanta dexteritate miscent affectus, quam admirabili varietate distinguunt. En motus doloris, quam aptè expressus.

Doloris motus aptè expressus.

Ὦ τέκνα, τέκνα, σφῶν μέν ἔστι δὴ πόλις,
Καὶ δῶμ' ἐν ᾧ λιπόντες ἄθλιοι ἐμὲ,
Οἰκήσετ' ἐρῆμοι μητέρος στερηθέντες·
Ἐγὼ δ' ἐς ἄλλην γαῖαν εἶμι δὴ φυγάς,
Πρὶν σφῶν ὄναθαι, κἀπιδεῖν εὐδαίμονας,
Πρὶν λέκτρα, καὶ γυναῖκα, καὶ γαμηλίους
Εὐνὰς ἀγῆλαι, λαμπάδας τε ἀναχθεῖσ'·
Ὢ δυστάλαινα τῆς ἐμῆς αὐθαδίας, &c.

Suauis est iste motus, moderatè tristis, & leniter in intima pectoris influens, statim tristitiæ immisceet mollem risum innocentissimarum animarum, quæ matri abblandiuntur, ex quo ignescit dolor.

Φεῦ φεῦ τί προδέρκεσθέ μ' ὄμμασιν
τέκνα;
Τί προσγελᾶτε τ' ἀκύσαπον γέλωτ!

Et inter hæc horror, & deliquium animæ.

Αἰαῖ τί δράσω; καρδία γὰρ οἰχεται,
Γυναῖκες, ὄμμα φαιδρὸν ὡς εἶδον τέκνων.

Mox auersatur consilia de cæde liberorum concepta.

Οὐκ ἂν δυναίμην, χαίρετω βουλεύματα
Τὰ πρόσθεν, ἄξω παῖδας ἐκ χαίας ἐμοῦς.

Statim resumit dolorem, misericordiam, metum in furiosam lætitiam, crudelitatem, iracundiam, audaciam commutat.

Καίτοι τί πάσχω, βούλομ' ἐλθὼν ὀφλεῖν
Ἐχθροὺς μεθεῖσα τοὺς ἐμοὺς ὀργῆς δίκης;
Τολμητέον.

Deinde subitò ista affectuum moles, quasi fluctus ad saxum allisi frangitur, & post inanes ventos, veluti ridentis cœli clementior aura succedit.

Ἃ μὴ δῆτα θυμέ, μὴ σύ γ' ἐργάσῃ τάδε,
Ἔασον αὐτοὺς, ὦ τάλαν, φεῖσαι τέκνων.

Sed quam breuis est bonorum portio Ecce qui inter doloris, & iracundiæ cæcitatem, veluti radius lucis emicuerat, iterum densissimis tenebris circumfunditur:

Μὰ τοὺς παῤ ᾅδου νερτέρους ἀλάστορας,
Οὔτοι ποτ' ἔσται τῦθ', ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ
Παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς χαυβρίσαι.
Πάντως σφ' ἀνάγκη καὶθανεῖν.

Vehemẽs omnino motus, etiam addito per manes, & inferos iureiurando: sed tamen quasi torrens ad robustissimum obicem fidit, postquam liberos dissuauiata est, intimis φιλοσοργίας aculeis lancinata.

Δότ', ὦ τέκνα,
Δότ', ἀσπάσασθε μητρὶ δοξιὰν χέρα
Ὦ φίλτατη χείρ, φίλτατον δέ μοι σόμα;
Καὶ σχῆμα, καὶ πρόσωπον εὐγενὲς τέκνων
Εὐδαιμονοῖτον, ἀλλ' ἐκεῖ, τὰ δ' ἐνθάδε
Πατὴρ ἀφείλετ', ὦ γλυκεῖα προσβολὴ,
Ὦ μαλθακὸς χρὼς, πνεῦμά θ' ἡδὺ τέκνων,
χωρεῖτε, χωρεῖτ', οὐκέτ' εἰμὶ προσβλέπειν.

Nec inferior in his affectibus miscendis Seneca, quam artificiosissimè enim Medæam de nece liberorum cogitantem exprimit.

Non statim tam demens, & furiosus exurgit affectus; sed vt cruenti, & horribiles cometæ ex vario halitu paulatim concrescunt, ita ex varijs motibus, præuiaque rerum aptissimè cõnexarum dispositione, vehementissimus ardor pectoris incitatur.

Comparatio breuis progressus cometarum cum motu.

Primum, vt leones singulari certamine congressuri, ilia idẽtidem cauda percursantes, robur excitant, ita languentem animum ad maiorem iracundiam irritat.

Incumbe in iras, teq; languentem excita:
Penitusq; veteres pectore ex imo impetus
Violentus hauri: quidquid admissum est adhuc,
Pietas vocatur.

[Deinde]

Medea nunc sum, creuit ingenium malis.

Ita proludit furori, & veluti classicum canit. Mox quàm artificiosè, quamque per varios anfractus, in vehementissimum illum, quem intendit motum delabitur, nescio quid animo iam delibauit, tamen ad primos tam atrocis malitiæ impetus, bonæ indolis semina quædam restiterunt, subtimuit, & refugit:

——— *Nescio quid ferox*
Decreuit animus intus, & nondum sibi
Audet fateri.

Dissimulat igitur pudore confusa, quod primum cogitauerat, & aliud proponit haud multum dissimile.

——— *Stulta properami nimis:*
Expellica vt inam liberos hostis meos

Alios

Aliquos haberet.

Statim excludit illam moderationem, & vela permittit furori, etiam specioso, vt opinatur, & æquo prætextu.

—Quicquid ex illo tuum est,
Creusa peperit, placuit hoc pœnæ genus.
Meritoque placuit Vltimum magno scelus
Animo parandum est: liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.

Apertè lusit audacia. Mox succedunt in scenam verecundia, metus, misericordia.

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectusq; tremuit, ira discessit loco:
Materq; tota coniuge expulsâ redit.
Egone vt meorum liberum, ac prolis meæ
Fundam cruorem? me'ius: ah demens furor!

Statim, vt in alternis vndis recursant furores.

——Occidant: non sunt mei.

Et derepente.

——Mei sunt, & culpa carent.

Et quæ sequuntur prorsus ab Euripide expressa.

Heu cara proles! vnicum afflictæ domus
Solamen: huc vos ferte, & infusos mihi
Coniungite artus.

Postremò serenum illud, doloris, & furoris turbine confunditur.

——Rursus ignescit dolor,
Et feruet odium: repetit inuisam manum.
Antiqua mentis ira, quà ducis, sequor

Placet etiam Iosephum in eodem argumento audire, vbi matrem Hierosolymitanam describit, se ad filioli necem accingentem.

Ioseph. l. 7. de bello Iud. c. 11.

Βρέφος (εἶπεν) ἄθλιον, ἐν πολέμῳ, καὶ λιμῷ, καὶ στάσει, τίνι σε τηρήσω; τὰ μὲν παρὰ ῥωμαίοις δουλεία, καὶ ζήσομεν ἐπ' αὐτοὺς, φθάνοι δὲ καὶ δουλείαν ὁ λιμὸς, οἱ στασιασταὶ δὲ ἀμφοτέρων χαλεπώτεροι. ἴθι, γενοῦ μοι τροφὴ, καὶ τοῖς στασιασταῖς ἐριννὺς, καὶ τῷ βίῳ μῦθος, ὁ μόνος ἐλλείπων τῷ Ἰουδαίων συμφοραῖς.

Misera (inquit) soboles, cui te reseruo in bello, & fame, & seditione? Apud Romanos si vixeris, seruiturus es, vel certè fames præueniet seruitutem: sed omni seruitute, & fame crudeliores sunt seditiosi: Morere, & esto matri cibus, seditiosis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus Iudæorum.

Iosephum cum Euripide, & Seneca, in Roma capta ab Alarico sic expressi, & miscui: vbi Romana mater ad eandem lanienam acuitur:

Cui te reseruo, matris infelix puer,
Cui dira Erynnis tortili primas iuba
Amplexa cunas, oris afflauit nigri
Lethale virus? dure Lucina labor!
Cui te reseruo? cur reseruo? ad quas neces?
Ad gladium, an ignes? ad famem? an pestem, & feras?
Morere Leona, morere, sis matri cibus,
Solare rabiem ventris incesti, miser,
Miser Leona morere, sis matricibus.
Te, dulce pondus, mensibus denis tuli,
Clausum sub aluo visceribus auctum meis;
Et nunc repende gratiam matri, puer.
Relicta pridem viscera introrsum subi.

Motus ex Iosepho, Euripide & Seneca expressi.

Deinde, vt fert istorum motuum ratio, spectris furialibus incitatur ad nefas.

Incesta facies Diræ ineluctabilis,
Quid fœda gyro membra ferali rotas?
Ad omne facinus non rudem dextram affero:
Feriam, peribit, glutiam carnes meas.

Mox succedit miseratio, & ad pueri vocem grauiter commota exclamat:

O dulce germen matris: ô sanguis meus!
Eheu repentes proluunt lachrymæ genas!
Pietas recursat, corda mitescunt fera.
Rursusque mater, tigride eiecta, redit.
O tenera membra, ô dulce caput, ò flos tener!
O labra mellea, ò manus, ò lumina!
O parce nate, parce genitrici tuæ.
Animula dulcis viue, morietur parens:
Morietur audax, impium & vecors caput:

(Iterum stimulant miseram furiæ)

Seruabo Gotthis liberos! iterum furor:
En iterum Erynnis corde bacchatur fero,
Lymphata versat pectora, exagitat, coquit:
Omnes in illo corpore excepi rogos,
Quoscunque sæui busta Typhonis crepant.
Non ibo inulta, quodlibet possum malum,
Fidem, pudorem, numen, exturbo ocyus.

Hinc præliantur affectus:

Morietur insons? sed lupæ sontis puer.
Meus est, & isto ventre condetur meus.
Nati sepulchrum fiet hic matris sinus.

Hæc

Hæc sola restat fabula, & magna venis
Spectanda scena, defer audaces manus.
Perge ira, perge.

Subsidit statim, & intepescit:

— Vincor infelix parens,
Heu cor vigescit, membra torpescunt gelu!
Perimere natum, fundere cruorem meum?
Comedere carnes? melius: Ah demens furor!

Resilit statim motus, quasi violentus satelles, & miseram rapit:

Morietur: esto, quid moror? pia, impia!
Morietur: esto.

Hæc mixtura affectuum plurimum habet virium, & suauitatis.

At dices? si dolor, & iracundia solo excitanda sit, eruntne lætæ species adhibendæ? id omninò cum dexteritate præstandum est. Solent plerumque læta præmitti, quo ex eorum iactura grauius postea stimuletur dolor, quod in Aristidis exemplo docui, vbi nobilissimæ vrbis amœnitatem, & delicias commemorans, viam sibi sternit ad monodiam. Cauendum est tamen, ne cùm doloris aguntur partes, facetæ quædam, & iucunda intempestiuè misceantur, quæ glisscentem plerumque motum elidunt, & seria conuertunt in risum.

De modo, & ratione mouendi.

CAPVT XII.

IN modo, & ratione mouendorum affectuum hæc præcipuè sunt obseruanda.

Captanda occasiones mouendorũ affectuum.

Primò, postquam orator, & personarum, quas constituit permouere, & suarum virium exploratam habet rationem, debet omninò rerum cætera quæque adiuncta diligentissimè examinare. Contingunt enim aliquando tempora, vbi repentino aliquando casu iam commoti animi flexibiles sunt, & in eam, in quam semel inclinarunt partem, facillimo ictu impelluntur. Itaque tunc feliciter cadunt oratorum tali, cum eis locus, & ratio temporum; cæteraque id genus famulantur. Contrà, difficilius est mouere, vbi iam senio ad similes affectus pectora obduruerunt, aut contrarijs etiam affectibus occupata, impeditaque sunt: tunc certandum rationibus, instandum, colluctandum, nihil enim inanes motus efficient, nisi peruicax aduersus ea, quæ dicuntur, iudicium, dextro Marte expugnatum fuerit. Docendus est, atque eruendus etiam imperitorum intellectus, antequam motus inardescant, & nunquam ex abruto incipiendum, nisi iam mutæ rerum circumstantiæ egerint, quod erat ab oratione expectandum: licuit Ciceroni ita exordiri.

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? &c.] Et prudenter quidem in eo fecit, iam enim ita partim metu, partim iracundia, & dolore incitati erant omnium animi, vt magis ipse, nascentibus veluti affectibus obstetricari videretur, quàm nondum natos generare, ac deformare. Quod plerique malè arripientes in frigidis, & fœdatis argumentis, statim in acutissimos erumpunt sonos.

Secundò, Etsi comparare animos ad motum oporteat, magnâ tamen curâ prouidendum est, ne ipsi accersiti, aut intrusi videantur affectus, si enim comparati, si affectati, si nimis artificiosi appareant, quasi detecti hostium subterranei cuniculi, aut eluduntur, aut minus habent virium. Elicienda est permotio latenter, non autem cum ea aperto marte pugnandum. *Motus non debent videri accersiti.*

— Nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incruasse querela.

Qua in re lepidissimum est, quod narrat Quintilianus de adolescentulo causidico, qui apud Cassium Seuerum dicturus, inter cæteros motus comparauerat, *Quid me toruo vultu intuetur, Seuere?* Ad hæc frigidè vir grauis: *Non mehercules, inquit, faciebam, sed sic scripsisti.* Ecce & quàm potuit truculentissimè eum aspexit. Alius transtulit aliquando puellam, quæ soror esse aduersarij dicebatur: (nam de hoc lis erat) in aduersa subsellia, tanquam in gremio fratris relicturus. At is præmonitus iam decesserat. Tum ille alioqui vir facundus, inopinatæ rei casu obmutuit, & infantem suam frigidissimè reportauit. Alius imaginem mariti pro rea proferre magnum putauit, & ea sæpius risum fecit; nam & hi, quorum officij erat, vt traderent eam ad epilogum, ignari quid esset epilogus, quoties respexisset patronos, offerebant palam, & prolata nouissimè deformitas ipsa imaginis, præteritam quoque gratiam orationis perdidit. *Tab. l. 6. c. 3* *Festiua narratio de motibus cõparatis.*

Tãtum est ininsulsis motibus periculi. Quid igitur? nihil erit apparandum? quid, & quomodo dicas non erit meditandum? Absit: Affectibus enim proprias sententias, & verba a-

ba aptare, res vna est omnium difficillima, & magnorum peculiaris laus ingeniorum, quam tentarunt multi, præstiterunt pauci: quo fit, vt rarò temerario ingenij calore, satis feliciter excutiatur. Comparanda est opinor, motio, sed ita comparanda, vt naturaliter influere, non intrusa esse videatur, nisi fortè exercitatissimis in dicendo hominibus contingat, vt in eo etiam repentino furore sunt fœlices.

Motus vt corrumpitur.

Tertiò in rebus prouidendum est, ne ijs, quæ proponuntur opus sit intentione iudicij quàm acuta: nam, vt superiùs monui, quò magis inuestigando laborat intellectus, eò magis in sensu minuitur permotio: ex quo vitiant, & corrumpunt affectus, qui vbi primùm mouere incœperint, statim erudita quædam, & recondita commiscent, quibus dum auditoris adhærescit intellectus, motio præterfluit.

Quæ argumenta requirantur in motibus.

Quartò, argumenta debent esse mista, & confusa, sapientique quodam errore vagari, vt videantur ab incensa potius mente subijci, quàm vlla artificij exquisitione comparari. Sic apud Virgilium Dido, apud Senecam Medea, coloribus, & confusis cogitationibus raptim per omnia desiliunt.

Sententiæ in motibus crebræ. Affectus sidit diffusa oratione.

Quintò, Debent esse in affectibus crebræ, acutæ, & vibrantes sententiæ: sidit enim affectus diffusa oratione, non secus ac tẽpestas; cum ventus spargitur fit imbecillior. Bene igitur apud Ciceronem, mulier ad victoris abiecta pedes exclamat; Miserere nostri, noli extinguere extinctos, fuimus aliquando felices, memento te esse hominem.

Hæc si periodicè dicerentur, prius gladius hostis feriret, quam esset absoluta periodus.

Dictio quæ ad motus apta.

Sextò, in mitibus affectionibus, dictio erit mobilis, & cita: sed tamen honesta, & grauis, in vehementibus, & valdè incensis, erit stylus, qui saxa deuoluat, vt, [*Pontem indignatus Araxes.*] idcirco in tragœdijs plerumq; cothurnata verba, & translationes longè petitæ conceduntur.

Motus tẽperantiæ.

Septimò, vt nerui in cithara, neque nimiũ intendendi, neque inertius remittendi, ita in affectibus, maximè verò ab oratore, adhibenda quædam est in modo, in rebus, & verbis mensura: atque, vt curandum est, ne sint iacentes, infirmi, inclinati: ita etiam non nimis acuendi, ne in parenthyrsum transeant: nam permotiones vbi nimiæ fuerint, speciem habent vitiorum, & eos ipsos, qui ita affecti sunt oratores, contemptos faciunt, suique impotentes.

Ad summum sapienti prouidendum erit, lachrymulas citò arescere, & ardorem animorum extingui, non istis tantùm sensuum permotionibus insistendum, sed firmissimis præsidijs mentem, rationemque muniendam, quibus conceptas affectuum flammas alere, conseruareque possit.

Magni motus sæpe tegendi silentio.

Octauò, Occurrunt etiam nonnunquam res adeò magnæ, & graues, vel adeò diræ, funestæ, lætæ, iucundæ, insolitæ, inauditæ, vt melius (non secus ac Timantis Agamemnon) videantur silentio premi, quàm mediocri oratione exprimi. Has ob res, Aiacis, & Didonis silentium in Necya Homeri, & Virgilij, meritò omni oratione grauius sapientes iudicauerunt.

Parui siquidem affectus sæpius loquuntur, magni stupent. Itaque in hoc gaudij veluti torrente, Theagenes, & Chariclæa non loquuntur apud Heliodorũ, nisi paucissimis, & in ijs interruptis vocibus ἐχωσεζῆς. Ad summum, stupore defixi concidunt, & toti superefluentis gaudij vortice obruuntur.

Nonò, prospiciendum est, vt non in sola peroratione (quanquam præcipuus est in ea locus) sed per totam etiam orationem, vbi res postulat, diffundantur affectus; neque vt Musica odiosa, atque importuna præter rem ingerantur, neq; etiam locis necessarijs desint, sed prudenti quadam œconomia dispensentur.

De remissione affectuum.

CAPVT XIII.

FEstiuam narrat historiam Suidas de ignis, & Nili certamine. Chaldæi (inquit) Ignis cultores, Deum illum suum per omnes terrarum oras exultantem, cæterorumque domitorem circumferebant, quod vi ignis cætera quæque idola dissoluerentur. Vbi ventum est in Ægyptum, sacerdos quispiam callido vir ingenio, hydriam quandam in Dei speciem efformatam, vel vt alij volunt, ingentem Nili statuam cauam, aquæ plenam, & innumeris foraminibus, quæ tunc cera obduxerat concisam producit. Nec mora, dato signo Dij congrediũtur, ignis statuæ Nili subijcitur, qui postquam afflare cœpit, liquefa-

cta certa, statim per rimulas ingens aquarum vis erupit, qua ignis extinctus est, & Chaldæorum superstitio derisa. Simile quidpiam in affectu contingere non rarò cernitur. Is enim semel emissus, volat ferox, alacer, & incensus, pugnat, vincit, triumphat, quod si in aduersarium inciderit hominem frigidum, vasrum, subtilem, vt ignis à Nilo extinguitur. Oratori igitur, qui mouet affectus, non tantum inanis calor, qui statim effluat, sed animorum solida persuasio, quæ in posterum etiam remaneat, quærenda est. Contra, ei qui cupit remittere, & frangere. Primùm aperienda est ars mouentis, quod est omnium ad contemptum motus efficacissimum. Ostendendum quippe auditori, comparatam de industria hanc in eius simplicitatem machinam, vanis illum vmbris agitari, & quasi Panico terrore moueri, quod vbi intelligit ipse, suos irridet affectus, & suspectum habet eum, qui mouere conatus est; imò persæpe quasi fraudulentum deceptorem auersatur.

Argumenta deinde, aut apertè, aut tacitè oppugnanda, res extenuandæ, verba minuenda, leones, & Elephanti in culices, & formicas efformandi. Si non leuiter impressus, sed tenacius insidens pectori colluctetur affectus, aliò quantum fieri poterit, auertendæ erunt, & deducendæ cogitationes.

Ad summum, comparato iam auditoris animo, aliæ motiones erunt excitandæ, vt clauus enim clauum, sic motus motum pellit; colliduntur etiam nonnunquam tanquã vndæ in mari, alius alium auget, vel minuit, vel tollit. Odium misericordia mitescit, fauor inuidia diluitur, ira amore, vel reuerentia intepescit. Risus denique vel exhilaratione animi, vel conuersa in se cogitatione excitatus, magnos sæpè, & atroces motus composuit, & verbum appositè, ac festiuè dictum omnem motuum doloris, iracundiæ, miserationis, & cæterorum apparatum, viresque confudit.

De amore.

Amoris nomen.

CAPVT XIV.

VT cœlestes orbes, is qui omnium supremus est, suo ambitu contentos, motu pariter versat, & rapit: sic omnes affectus vnius amoris complexus comprehensi, vnius quoque amoris conuersione mouentur. Spes, metus, iracundiæ, voluptates, inuidiæ, æmulationes, odia ipsa, quod miretis, ex amore proficiscuntur: Qui cùm adeò latè pateat, & tantùm sibi in humanis actibus vendicet dignitatis, nihil mirum, si in Theologorum, Philosophorum, Rhetorum, poëtarumque scriptis, vtramque sæpe paginam facit. De hoc igitur affectu pauca imprimis, & lecta dicenda sunt. Ordior à nomine.

Mortalium virio qui præclara quæque in prauos vsus verterunt, factum est, vt castis auribus vox amoris sit plerumque suspecta, & nonnihil inuisa, quæ caussa Diuum Dionysium mouit, vt ἔρωτος nomen vsurpatus in Theologicis, pias mentes ad cœlestis amoris satus accipiendos, præpararet, & nihil in hac amoris voce subtimendum esse ostenderet. *Dion. c. 4. de diuinis nominibus.*

Ὥστε τοῦτο δὴ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα μὴ φοβηθῶμεν. μηδὲ ἐς ἡμᾶς θοροβείτω λόγος περὶ τοῦτο δεδιττόμενος, addit S. Ignatium ante se hac eadem voce in sacris vsum, & esse nomine τὴν ἀγάπης θειότερον; quo fit, vt nihil habeat suspicionis. Græci porrò ἔφωτα dixerunt, ἀπὸ τοῦ εἴρειν τὸ δεσμεῖν, ὃ συνδέων γὰρ ἡμᾶς πόθος, à nectendo, quod animas desiderijs, quasi laqueis implicet, vel amantiũ pectora, mentesq; coniungat; an etiam, inquit, παρὰ τὸ εἴρω, τὸ λέγω λάλοι γὰρ οἱ ἐρῶντες, à loquendo, quod laquaces sint, qui amant, vnde & amorem ab Hebræo nomine אמר *amar*, hoc est loqui, deriuant nonnulli; quanquam latinas voces ab Hebræis raro deduci velim: sed hæc Grammaticis disceptanda relinquamus. *Magnum etymolog. in voce ἔρως.*

Amoris definitio, & de triplici animæ motu.

Ex S. Dionysio præclarè.

CAPVT XV.

PRæclara vox Xenophanis Colophonij, qui auidum diuinitatis humanum ostendens ingeniũ, homines nõ modo se Diis similes facere, sed ipsos sibi Deos assimilare con- *Scitum Xenophanis dictũ.*

contendit, quando eos humana ſpecie, & ea, qua vel plurimùm delectantur, pingere, fingereve ſolent.

Hoc ipſum (inquit) facerent boues, & leones, ſi manus haberent, & eas artes noſſent, quibus humanum ingenium nobilitatum eſt: equi quidem equos, & ſimiæ ſimias in diuinam ſimilitudinem efformarent.

Εἰ χεῖρας ἔιχον βόες ἢ λέοντες, ἢ γράψαι χείρεσι, καὶ ἐργάσασθαι ἃ περ ἄνθρωποι; ἵπποι μὲν τ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοίους, καὶ θεῶν ἰδέας ἔγραφον, καὶ δέμας τοιοῦτον οἷον περ αὐτοὶ δέμας ἔιχον.

Hoc quidem in cæteris, maximè verò in picturis, & imaginibus amoris perſpicuum eſt, quas ad ingenium ſuum vniuſcuiuſque finxit, & accommodauit affectus: Nihil hic opus eſt infinita poetarum deliramenta in eo genere perſequi, ſatius eſt ad ſaniores recurrere ſententias.

Ariſt. in topicis.

Ex Ariſtotele diſcimus, Amorem nihil aliud eſſe, quàm propenſionem appetitus in bonum, ſiue illud ſit verum, ſiue cogitatione duntaxat amantis deſcribatur. Plenius magnus, & admirabilis Dionyſius amorem

S. Dionyſ. l. 4. de diuinis.

definit; συγκρατικὴν δύναμιν ἐν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ διὰ τὸ καλὸν καὶ ἀγαθόν; Vim quandam, qua animus pulchro, & bono adhæreſcit, qua pulchrum, & bonum eſt. Quæ definitio non modò materiale, ſed etiam ipſum formale amoris obiectum (vt Theologi appellant) eruditè comprehendit: Atque in eo longè præſtantior eſt, quàm quæ à Theophraſto affertur, cum amorem eſſe dicit animi concupiſcentiam, quæ celerem habet ingreſſum, tardum verò regreſſum: aut eius, qui definit; πάθος ψυχῆς σχολαῖόσης. Ex hac autem Dionyſij definitione colligimus, Animum motum quendam eſſe animæ, quo fertur in rem dilectam, quanquam non ambulando fit hic motus, (vt ait D. Auguſtinus) ſed amando. Pergit idem ſublimis auctor, & in diuinis nominibus triplicem animæ, ſiue potius mentis conſtituit motum, circularem, rectum, obliquum, quorum vim, rationemque ſic deſcribit. καὶ κινεῖσθαι μὲν αὐτοὺς λέγομεν τοὺς νόες κυκλικῶς μὲν συμβάλλοντας τοῖς ἀνάρχοις, καὶ ἀτελευτήτοις ἰλάμψεσι τοῦ καλοῦ, καὶ ἀγαθοῦ, κατ' εὐθεῖαν δ' ὁπόταν προϊῶσι, εἰς τὴν τῶν ὑφειμένων πρόνοιαν, τὰ δεύτερα τὰ πάντα περαίνοντες. ἑλικοειδῶς δὲ ὅτι, καὶ πρὸς τοὺς ὑπ' αὐτοὺς, τῶν καταδεεστέρων, ἀνικφοιτήτως μένουσιν ἐν ταυτότητι περὶ τὸ τῆς ταυτότητος εὔτιον καλὸν, καὶ ἀγαθὸν, ἀκαταλήκτως περιχορεύοντες.

Maximus Tyrius eũdem animæ vernigium appellat.

Idem Dionyſ. p. 299.

Triplex animæ motus.

Intellectus, inquit, diuini, circulo quodam moueri dicuntur, dum pulchri, bonique ſplendoribus, principio, & fine carentibus coniunguntur. Recta verò linea, quando ad inferiorum curam prodeunt, recta omnia peragentes, obliquè verò, quando inferioribus ita prouident, vt tamen à propria identitate (hoc enim verbo ταυτότητι vtitur) non diſcedant circa pulchrum videlicet, atque bonum, identitatis cauſſam, indefeſſam choream exercentes. Quæ verba ſatis obſcura ſunt, nec qui Dionyſium enarrauerunt ſanctus Maximus, & Pachymera, multò liquidiùs explicant. Arbitror ego cum Marſilio Ficino, Animæ Deum diligentis, veluti quoſdam ſaltus fuiſſe expreſſos. Et Angeli quidem aciem generoſæ illius mentis intendentes in Deum, circulari quodam motu mouentur, dum infinitas perfectiones, in ſeſe veluti per orbem annuli recurrentes, contemplantur, & (vt ait ille) æternos quoſdam obeunt circulos, ex bono in bonum veluti deſilientes. Vbi autem Dei præpotentis imperio delabuntur in terras ad rerum humanarum curam, recta fieri incipiunt, à cœlo, quaſi ad hęc infima lineam ducentes. Verùm, quoniam ita gerunt impoſitas à Deo in terris prouincias, vt ad originem ſuam, & fontem vſque quaque redeant, imò illi ſemper adhæreant, non ſecus, ac radij ſolis, qui in terras effuſi cælo tamen copulantur: ex eo ἑλικοειδῶς moueri, & in ſe veluti conuolui dicuntur.

Explicatur D. Dionyſ.

Circularis motus angelorum quid ſit rectus.

Alia ratio noſtri amoris eſt: primùm enim recta ferimur, & per res creatas, quaſi per ſcalarum gradus, ad præpotentis Dei perfectiones contemplandas rapimur, in quibus deinde circulum æternum obeuntes ſuauiſſime conquieſcimus. Mox à Deo in amorem proximi, & à proximi amore in Deum delati, ſemper tamen vtrique hærentes, κίνησιν ἑλικοειδῆ gyri, voluminiſque modo mouemur.

Quid ſit ἑλικοειδὲς, in ſe conuolutus.

Ratio noſtri motus, ſiue moris.

Qui rerum naturas, & mundi œconomiam ſpeculantur Philoſophi, nec ad vniuerſi principem, & moderatorem Deum vſquam deueniunt, recta quidem mouentur, ſed nuſquam in illo amabiliſſimo rerum diuinarum

Qui tantam mouentur recta.

circulo conquiescunt. Contrà, qui sublimibus contemplationis pennis subnixi, ad illam Moysis lucidissimam caliginem sese extulerunt, choream suauissimam ducunt, diuinis, amoribus delibuti. Qui verò ita hærent Deo, vt proximorum etiam salutem nauiter promoueant, illi sunt qui mixtam, vt vocant, vitam delegere, Deo gratissimam, & terrarum orbi vtilissimam, siquidem, vt ait vir Ethnicus Plinius. [Deus est mortali, iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via.]

De quinque amorum generibus.

CAPVT XVI.

SAnctus Hierotheus apud Dionysium, Amorem in quinque genera partitur, in θεῖον, ἀγγελικὸν, νοερὸν, ψυχικὸν, φυσικὸν, diuinum, angelicum, intellectualem, animalem, physicum.

Diuinus is est, qui in Deo, & ipse Deus est, quo nihil ad maiestatem augustius, nihil ad sanctitatem purius, nihil ad constantiam firmius, stabiliusque esse potest. Hoc ipso res creatas, infinitæ suæ maiestatis stillas maternis plusquam visceribus amplectitur, & quasi nouiter quotidie creans omnia, in suæ prouidentiæ gremio sustentat, fouet, fœcundat. Nec mirum, si Iouem Tigillum antiqui illi dixerunt, quod prouidæ mentis cura, non secus ac æternis columnis inconcussas mundi partes stabiliret. Accedit ipsa dilectionis teneritas, qua rebus magnis ita voluit esse prouisum, vt ne infima quidem negligeret: siquidem eo suauiter dispensante, minima quæque nascuntur, crescunt, resoluuntur.

Amor angelicus proprius ad Deum accedit, quando Angeli copiosius æterno gloriæ fulgore illuminati, Deum longè ardentius & firmiùs, quàm nos diligunt, res deinde humanas, Deo ita iubente, summa caritate procurant, in hominum salute promouenda, alacres, magni, & constantes administri.

Amor intellectualis, nostræ mentis est, cum ratione diligentis in verum bonum propensio: qui si talis semper esset, nunquam tantas in terris miseret tragœdias, quibus miserè lacerator, & labefactatur genus humanum.

Amor animalis, impulsio quædam vehemens est in sensu, ad rem amatam, plerumque cæca, importuna, temeraria, animali, & voluptuario homini cum brutis animantibus communis.

Amor denique naturalis, est rerum, quæ intelligentia, & sensu carent, ad cumulatam sui absolutionem decursus: de quo D. Augustinus libr. 11. de ciuitate Dei sic loquitur; Amores corporum momenta sunt ponderum, siue deorsum grauitate, siue sursum leuitate nitantur. Hanc enim ἕρωτην, ad sui conseruationem, perfectionemque, Dei prouidentia rebus indidit vniuersis. Et ita quidem amore inconcussus stat mundus, dum suprema ad curam inferiorum, suaui quadam delectatione descendunt, infima verò superiora, à quibus omninò pendent, redamant: ipsa denique paria, mutuò inter se conciliantur, vel mente, & ratione, vt in hominibus: vel solo sensu, vt in brutis; vel denique momento, & muta quadam impulsione, vt in rebus inanimis fieri solet, sic catenis amoris conglutinantur, & cohærent vniuersa. Quæ causa mouit Hesiodum, vt in ipsis mundi incunabulis, è chao, & nocte, primùm volucribus alis exilientem Amorem depingeret, eo siquidem vinculo coalescit rerum vniuersitas, sed præter hanc vsitatam amoris rationem, qua corpora in suum quæque locum feruntur, & plantæ nutrimentum trahunt; Insunt etiam plerumque rebus admirabiles sympathiæ, & antipathiæ: sic mala gemella, quæ germanitatis poma vocantur, semper cohærentia sunt, & nunquam singula in fœtu: sic palma Syagrorum, eiusdem cum Phœnice nominis, cum Phœnice quoque moritur, & renascitur: sic magnes, ferrum electrum paleas trahit. Contra aquilæ pennæ, cæterarum auium plumis immiscere se nõ ferunt. Pantheræ quoque, & Hyænæ immortale odium, in ipsas cadauerum transit exuuias, siquidem pelles simul suspensæ adhuc bellum exercent, tanti sunt naturalis amoris, & odij effectus. Et hæc quidem amoris secundum subiecta diuisio.

Sympathia & antipathia naturales.

Plin. l. 15. c. 14. & l. 14. c. 4. lib. 8. c. 8.

Aliam rationem sequutus est D. Thomas cum ratione motiui, quod est in amante, duplicem amorem constituit, vnum concupiscentiæ, alterum amicitiæ. Diuersus est, inquit, amor concupiscentiæ ab amore amicitiæ, quod amore concupiscentiæ, quis in bonum magis, quod alicui vult fertur, quàm in illum, cui vult: sed amore amicitiæ, magis in illum, cui bonum volumus, inclinamur. Amore igitur concupiscentiæ diligunt, qui se magis,

D. Thom. 1. 2. q. 24.

Amor amicitiæ, & concupiscentiæ.

se magis, quam rem amatam quærunt: Amore verò amicitiæ, qui non sua commoda, sed amicorum bonum appetunt.

Sapiens, inquit Seneca, etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult, si ob nihil aliud, vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat, non ob hoc, quod Epicurus dicebat, vt habeat, qui sibi ægro assideat succurrat in vincula coniecto, vel inopi: sed vt aliquem habeat, cui ipse ægro assideat, quem ipse circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: & mox, qui vtilitatis caussa assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes, amicorum turba circumsidet, circa euersos ingens est solitudo, & inde amici fugiunt, vbi probantur. Hac re, ista tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. (Deinde) Ista, quam tu describis, negotiatio est, non amicitia.

Ad summum, D. Augustinus, rem secundum obiecta metiens, duos amores facit, Dei, & mundi, quod nomine Erotis, & Anterotis veteres expresserunt.

De Erote, & Anterote.

Deque turpis amoris vesania.

CAPVT XVII.

Dionys. l. 4. de diuinis nominib⁹.

DIVINE, vt cætera, magnus ille Dionysius turpem amorem, *Idolum amoris*, & lapsum à vero amore describit: ἔρως αἰσχρὸς οὐκ ἔστιν ἀληθῆς, ἔρως, ἀλλ' εἴδωλον, ἢ μᾶλλον ἐκπτώσεις τοῦ ὄντος ἔρωτος. Vt igitur magnum scelus admittunt, qui præpotentis Dei maiestatem nullis terminis circumscriptam, in Muris corpusculum colligunt, vel etiam in piscis, aut vulpis, aut simiæ figuram deformant: sic & eos culpa non mediocri teneri fatendum est, qui affectum illum amoris, quem Deo dari, consecrariq; oportebat, in putidi corpusculi, mundi, & rerum humanarum quisquilias conuertunt. Inde natum est hoc portentum Cupidinis, ab inanibus Poëtis, tam variis carminibus celebratum.

Impurus amor idolũ est amoris.

Alexis apud Athẽ. l. 13.

Sed opinor Alexis omnium solertissimè depingit, monstrum enim facit ex omnium naturarum, ingeniorumq; præpostera quadam congerie agglutinatum, viriliter audax, muliebriter timidum, furore, atque amentia præceps, callida ratione cordatum, labore infractum, prodigalitate dissolutum, ambitione prodigiosum. Aristophon autem in Pythagorite, narrat eundem è cœlo præcipitem datum, & iis, quibus ante micabat pennis, indutam fuisse victoriam. Melius Antisthenes, apud Theodoretum, irridet eos, qui obscœni amoris, quasi Dei alicuius picturas faciunt, & infinitas in eum nugas comminiscuntur. Non est, inquit, non est Deus amor, sed naturæ corruptæ vitium, à quo, dum vincuntur miseri homunciones, turpissimum animæ morbum, Dei nomine consecrant.

Aristoph. ibid.

Theodoretus orat. 3.

Τὸν δὲ ἔρωτα κακίαν ἐλάλει τῆς φύσεως, ἧς ἤττοις ὄντες· οἱ κακοδαίμονες θεὸν τὴν νόσον καλοῦσι. Inde inuectus in Venerem. Vtinam, inquit, eam tenerem, quam ipsi sibi Deam fingunt, certè sagittis conficerem, quando tot lectissimas nobis matronas corrupit. Quamobrem disertè monet Maximus Tyrius, verum amorem à falso secerni oportere, more nummulariorum, qui nummum legitimum discriminant ab adulterino. Proclus verò, & ipse Philosophus Platonicus, in amoribus, idem contingere dicit, ac in sacris, & expiationibus. Qui se expiant (inquit) aut Deos consulunt, antequam puriori numinis præsentia fruantur, in varios terrenorum Dæmonum impetus, atque terriculamenta nonnunquam incidunt, à quibus à sinceris bonis, ad materiæ fæcem abripiuntur. Sic, & in vita instituenda, tot popularium amorum turba impedimento est, quo minus liquidiore cœlestium voluptate perfundamur. Hæc ratio plerosque Ethnicorum mouit, vt Anterotem terreno amori contrarium facerent, quorum pugna expressis imaginibus describitur, apud Pausaniam in Eliacis. Cupido enim palmam tenet, quam Anteros infringere, atque extorquere de manibus nititur. De hoc Anterote intelligendum Mariani scholiasti Epigramma.

Max. Tyr. orat. 8.

Proclus l. de anima, & dæmon.

Pausan. in Eliacis l. poster. Marian. Anthol. l. 4.

De hoc ipso vide Lucian. in Encom. Demosth. t. 1. p. 893.

Οὐκ ἀπὸ πανδήμου ξένε κύπριδος, οὐκ ἀπὸ γαίης:
Εἰμὶ καὶ ὑλαίης ἔγκονος εὐροσύνης.
Ἀλλ' ἐγὼ ἐς καθαρὸν μερόπων φρένα πυρσὸν ἀνάπτω
Εὐμαθίης, ψυχὴν δ' οὐρανὸν εἰσανάγω.

Ἐκ δ' ἀρετῶν στεφάνους πισύρων πλέκω ὧν ἀφ' ἑκάστης,
Τοὺς δὲ φέρων, πρώτῳ τῆς ὀφίης στέφομαι.

Non ex vulgi vaga (Hospes) Venere, non è terra
Sum, nec corporeæ soboles lætitiæ:
Verum ego in pura mortalium mente facem accendo
Probæ eruditionis, mentem in cœlum educo.
Ex quatuor autem virtutibus totidem coronas decerpo,
Quas omnes fero, sed prima me coronat sapientia.

Idiota lib. de amore diuino.

Hæc Ethnici per nebulam duntaxat viderunt. Quanto melius Christiani, inter quos sapiens ille idiota, in libello de amore diuino, vtriusque pugnas non inani verborum fuco, sed Dei mouentis spiritu describit, vbi de impudico amore hæc habet: Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suauis, blanda percussio, interfectio liniens, mel felleum, pernicies delicata, mali natura boni colore depicta, domus tempestatis, dulce venenum, malum spontaneum, sapida iugulatio, & omnium rerum calamitas. Nam Adam, & Euam de Paradisi deliciis eiecit, cœlestes terrenos fecit, humanum genus in infernum demersit, vitam abstulit mundo, laborem, & pressuram inuenit, & malum quod ad mortem perducit; fœdat pueritiam, perdit iuuentutem, incitat, ac inquietat emortuam carnem, & senectutem.

De caussis amoris in genere.

CAPVT XVIII.

Plato in conuiuio.

FAbulam narrat Plato in conuiuio de amoris natalibus. Quando nata est, inquit, Venus, parato conuiuio discubuerunt Dij cæteri, & Concilij filius Porus, affluentiæ Deus. Cum cœnati essent, Penia, (siue Latinè Paupertatem malis dicere) mendicatura cibum, vt pote epulis illic abundantibus, venit, & circa fores obuersabatur. Porus quidem nectare ebrius (vinum namque nondum erat) Iouis hortum ingressus est, & somno grauatus dormiebat. Penia verò inopia compulsa, quo pacto filium, quasi quibusdam insidiis ex Poro conciperet, excogitauit. Quare iuxta illum accubuit, amoremq; concepit. Habet igitur amor ex matris ingenio, vt pauper sit, pulchrumque, & bonum, quasi naturæ suæ cumulatam absolutionem appetat. Hoc amoris obiectum, hæc caussa, & origo, vnde omnes eliciuntur amores.

Amoris natales.

Pulchri verò, boniq; magna est affinitas, ingens amicitiæ nodus, vnde pulchrum, & bonum Hebræi vno vocabulo טוב *tob* appellarunt, Græci ἐκ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ vnione καλοκαγαθιαν fecerunt. Hæc pulchritudo cum bono semper copulata, illex est amoris, & fax ipsius cupiditatis. Vna est autem perfecta, & absoluta omnibus numeris species, splendor gloriæ penes patrem luminum, & figura substantiæ eius.

Illex amoris καλοκάγαθον.

Pulchrum & bonum.

Triplex pulchrum.

Ex ea, tanquam ex lucis fonte, triplex emicat pulchritudo, vna quidem per Angelicos intellectus, puras illas, & ab omni labe detersas mentes. Altera per intellectuales animas, atomos quasdam stupendæ illius maiestatis. Tertia denique cæteris longè inferior, per varia corpora, quibus inest, longe, lateq; spargitur, atque diffunditur; Non secus, ac si lumen vnum, per tria quædam vitra, coloribus inter sese dissimillima, in oculos nostros desiliat.

Quomodo circa pulchrum amor fallitur.

Quod si eos aspectus haberemus, qui diuina liquidò contemplari possent, rerum cœlestium pulchritudini, quasi purissimo fonti sẽper affixi, nunquam diuelleremur, sed miseri, & hebetes, propter naturæ nostræ partim imbecillitatem, partim etiam peruersitatem, per species corporeas, quasi vitra, crassa plerunque, & sordida, pulchritudinis, ac lucis riuulos consectamur, ad quam etiam mentis corruptæ vitio, & contagione sæpius hallucinamur.

Secũda ad amorem illecebra φῶς νοητὸν lumen & cognitio.

Ex quo præclarè Diuus Dionysius, ad veri amoris faces, in animis excitandas, post pulchrum, & bonum, statim collocat φῶς νοητὸν lumen intellectuale, quod cum ipsa pulchritudine coniungit. Φῶς νοητὸν λέγεται, καὶ ὑπὲρ πᾶν φῶς ἀγαθὸν, ὡς ἀκτὶς πηγαία, καὶ ὑπερβλύζουσα φωτοχυσία, πάντα τὸν ὑπερκόσμιον, καὶ ἐγκόσμιον νοῦν ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτῆς καταλάμπουσα, lumen intellectuale appellatur, quod supra omne lumen bonum est, tanquam fontis radius,

dius, & superfluens luminis diffusio, omnem, quæ supra, & intra mundum est, mentem, sua plenitudine illustrans. Hoc igitur nos primum, ad boni cognitionem, intelligentiamq; promouet, deinde etiam ad amorem suis quodammodo facibus irritat.

Tertiò. Conciliatricula est amoris similitudo, & ingens ad vinciendas, simulq; retinendas mentes incitamentum. Similia quippe gaudent similibus, & Simia Simiæ, Gracculus Gracculo iucundissimus, vel, vt est in vetere prouerbio:

Τὸν ξὸν μὲν τέτηγε φίλον, μύρμηκι δὲ μύρμηξ.

quod Ouidius expressit his versibus:

Scilicet ingeniis aliqua est concordia iunctis,
Et seruat studij fœdera quisque sui:
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

Quarta mutuus amor. Sen. ep. 9.

Quartò. Vetus amatorium affertur à Seneca, sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine, *Si vis amari, ama.* Et verè, pretium amoris accommodatissimum, est amor, nullumq; videtur adeo rigidum, & ferox ingenium, quod amoris illecebra non pelliciatur ad redamandum. Contingit tamen nonnunquam, vel naturæ arrogantia, vel arcana quadam antipathia, vel vitiosi amoris corruptela, qui luctam quandam, & discrimen appetit, vt homines, quos videant ad amandum procliues, minimè redament, quinimo eorum magis amore capiantur, qui minus amori respondent, secundum vulgatum Ausonij versum:

Hanc volo, quæ non vult, illam quæ vult, ego nolo.

Hæ ferme sunt præcipuæ amoris causæ, quas enucleatius persequutus Aristoteles, in quindecim genera diuidit.

Quindecim Amoris caussæ in specie, ex Aristotele.

CAPVT XIX.

PRima, est beneficentia, vel benefica voluntas, amant enim omnes eos, qui benefecerunt, aut quos putant velle benefacere. Quæ affectio, tam naturalis est, vt ipsis belluarum ingeniis coaluerit.

Secunda, habere res communes, de iisdem lætari, in iisdem periclitari; simul in societatem laboris, simul in præmiorum, & fructuum contubernium venire.

Tertia, est iustitia, amant enim iustos, & innocentes, quales sunt, qui non ex aliorum damnis viuunt, sed honestis artibus, suaq; sibi industria victum comparant.

Quarta, esse bonum, & integra fama. Talibus eum volunt omnes amici fieri, quum & ipsi improbi amant hoc speciosо glorioſæ amicitiæ titulo, rerum suarum infamiam tegere.

Quinta, non aduersari. Itaque amant, in communi vita, & consuetudine, affabiles, qui neque sunt exprobratores beneficiorum, neque vitiorum censores. Qui crimina minimè obseruant, qui non maledicunt, irascentibus non aduersantur, aut si irati fuerint, facillimè conciliantur.

Sexta, studiosè se gerere. Amant enim omnes bene affectos, qui admirantur, qui fauent, qui insigni beneuolentia prosequuntur, cùm omnes amari, & suspici lubenter velint.

Septima, similitudo, amant quippe similes, & eadem profitentes si non impediant, neque ex eodem sit vita. Etsi enim similitudo per se pariat amorem, tamen propter aliquod impedimentum gloriæ, vel lucri, gignit indignationem, & inuidiam, iuxta Hesiodi dictum:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Octaua, familiaritas, amant enim apud quos, sic se habent, vt non afficiantur metu, nec pudore, maximè in his, quæ sunt ad opinionem: Alia enim ad veritatem turpia sunt, quæ nemo vnquam probus admiserit. Alia sunt ad opinionem, quæ potest, sine culpa, quilibet facere.

Nona, nimia reuerentia, nam amant etiam eos, apud quos pudore afficiuntur, eorum qui sunt πρὸς ἀλήθειαν, propter eam, quam aduersus ipsos habent obseruationem.

Decima, æmulatio, aut enim amant eos, aut iis amici esse volunt, quibus, cum de amore concertant, & quorum æmulationem appetunt, & non inuidiam.

Vndecima, Procuratio bonorum. Nam amant

mant eos, quibus bona procurarent, nisi in ipsos maiora mala redundarent.

Duodecima, beneuolentia fidelis. Volunt enim amici esse iis, qui amant similiter absentes, & præsentes, ac etiam mortuos.

Decima tertia, nulla fictio. Itaque amant eos, qui non fingunt apud ipsos: Tales autem sunt, sua ipsorum vitia dicentes.

Decima quarta, nullus metus. Amant enim non metuendos, idcirco, qui popularitati studuerunt Principes, libenter audiuere, quod de Theodorico dixit Sidonius, *timet timeri*.

Decima quinta, fiducia. Amamus enim ipsos, quibus confidimus.

De effectu & vsu huiusce Affectus.

Amor & beneuolentia oratori necessaria.

FVlmineus est hic affectus, sed blandè fulminat, & intimas auditorum mentes, sensusq; peruadit. Hanc vnam machinam, si nactus est orator, Helepolin quandam nactus est, qua sine violentia, sine strepitu, sine vllo tumultu in animos possit inuadere. Si contra laboret odio, flagret inuidia, & multitudinis oculis sit inuisus, nulla sunt ingenij, & eloquentiæ præsidia, quæ satis eum fortunare, atque corroborare possint. Quid igitur faciet, & quem in vsum hanc de amore tractationem conferet? Primum, opinor dabit operam, vt amicos, & beneuolos eos habeat, apud quos agat? Sed non inanibus verborum illecebris, & mellitis, (vt ait ille globulis) paratur beneuolentia, imò apud viros graues, & sinceros, his artibus male audit amicitia. Vitæ sanctimonia, virtute, sapientia, bonitate, cæterisq; præsidiis excitari, corroborariq; amores oportet. Quod luculente docet D. Ambrosius.

Amb. li. 2. de offic. c. 7

Nihil tam vtile, quã diligi.

Primum, inquit, nouerimus, nihil tam vtile, quam diligi: nihil tam inutile, quam non amari. Popularis enim, & grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæq; adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit, ad cumulum dilectionis. Iam, si quis consilio, vsu, ministerio, officiis popularem comprehendat gratiam, aut quis periculum suum, pro vniuersa plebe offerat, non est dubium, quin tantum charitatis in eum à plebe refundatur, vt populus, salutem eius, & gratiam sibi præferat. Hæc sunt amatoria potentissima, quæ oratores persæpe de se, cum suauitate tamen modestiæ, & liberius de iis, quos in iudiciis tuentur, commemorare solent, & hæc de humano amore.

Diuini amoris excitandi ratio ex sacris literis petẽda.

In sacris concionibus, aliæ diuini amoris faces, alia incitamenta, & fomenta quærenda sunt, quibus pleni sunt libri, & sapientum voces. Imò mundus, quantuscunque est, ingens quoddam volumen est, in quo, quot res visuntur, tot leguntur characteres, qui diuinam sapientiam, & bonitatem, expressis verbis commendant, & ad redamandum prouocant. Neque verus, piusq; amator, res creatas ob aliam caussam diligit, quam quia creatoris Dei, quem amat, vel imagines sunt, vel vmbræ, & quanto similiores apparent, tanto magis admiratur, & laudat. Nunquam deerit excitandi amoris campus ei, qui Dei infinitas virtutes, & profusissima in humanum genus beneficia expenderit. Veruntamen, nisi radius cœlestis luminis, animos ad præstantis illius doctrinæ satus accipiendos comparauerit, nullius quicquam valebit oratio.

Amoris remissio.

Alius præterea vsus est in remissione, cum videlicet, aut amor nimis acer temperandus est, aut etiam prauus è corde, & medullis euellendus. Hoc opus, hic labor est, cum valentissima quippe bellua luctandum, apud quam, sæpe tantum valent petitæ è Philosophia rationes, quantum apud cæcum colores. Bene tamen in hac re præcipiunt sapientes, cogitationes amantium aliò traducendas, & vsus, ac consuetudinis remissione, vim amoris intemperantis esse infringendam. Vt enim rei dilectæ præsentia, quasi fomite, sustentatur amor, sic vbi ista ex oculis erepta est, & aliis iam curis animus assuenit, languescunt quotidie desideriorum faces, & paulatim extinguuntur. Plerumque etiam ipsa satietate obruitur cupiditas, & vehementissimis voluptatibus, vicinum irrepit fastidium. Quò fit, vt viri prudentes, etiam honestas amicitias temperent, ne cum acriores fuerint, & assidua consuetudine satiatæ, atque oppletæ, facilius intepescant. Iuuerit etiam, rei intemperanter dilectæ vitia, & deformitates, ob oculos amantis ponere: Cum enim omnes, in amore pulchrum, bonumq; appetant, in quo variis quasi spectris, & figmentis

nis falsæ pulchritudinis eluſi, quam ſæpiſſimè deflectunt à vero, ſi apertis ſemel oculis turpitudinem agnouerint, in eo ipſo, quod pulcherrimum mente, ac cogitatione deformabant, ſtatim incipiunt odiſſe, quod antea flagrantius deperierunt.

Ad ſummum amor amore, quaſi clauus clauo depellendus, & animo fœdis amoribus obſeſſo, alia ſtudia, quibus ipſe delectari honeſtè poſſit, inſtillanda ſunt, multos literæ, alios venatio, alios aliæ exercitationes, variaque oblectamenta ſanarunt; ſed nihil homini præſertim Chriſtiano præſtantius eſt, quam ad diuina orationis, & abſtinentiæ præſidia recurrere, hæc eſt enim *armatura fortium*, qua coniurata in omnium perniciem tela, potentius infringuntur, vel remiſſa nocendi diritate, penitus hebeſcunt. Sed horum remediorum tractatio, ad aliud pertinet inſtitutum.

Affectus amoris exempla.

CAPVT XX.

D. Ambr. l. de obitu Satyri fratris. Affectus amoris.

QVanta vis ſit honeſti amoris, quamque ſuaues eius affectus, à nullo commodius, quam a Diuo Ambroſio, in ea oratione, quam in obitum Satyri fratris habuit, arbitror eſſe delineatum.

Nunquam totus in me fui, ſed in altero noſtri pars maior amborum. Atque vtinam, vt memoriæ, vt gratiæ, ita etiam vitæ tuæ hoc quicquid eſt, quod ſpiramus, aut ſpirare poſſemus: dimidiumque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret vſum.

Ego te frater hæredem feceram, tu hæredem me reliquiſti.

Ego te ſuperſtitem optabam, tu me ſuperſtitem dimiſiſti: Quid mei ſucceſſor hæredis? quid agam meæ vitæ ſuperſtes? quid agam exſors huius, quod cupio luminis?

Ego te, frater, non requiram, aut poſſim vnquam obliuiſci tui? Quas grates? quæ munera referam tibi? Nihil à me præter lachrymas habes. Aut fortaſſe ſecurus meriti tui, quas ſolus ſuperſtites habeo lachrymas non requiris. Nam etiã cùm adhuc viueres, fleri prohibebas, mœrorem que magis noſtrum, quàm tuam mortem tibi eſſe teſtabaris dolori.

Habeo planè pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio iam poſſit auellere: Habeo quas complectar reliquias: Habeo tumulum, quem corpore tegam. Vtinam potuiſſem aduerſus mortem tuam, meum corpus obijcere. Si gladijs petitus eſſes, me potius pro te obtuliſſem. Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti. Putabam enim, quod, aut tuam mortem ipſe ſuſciperem, aut meam vitam in te transfunderem.

An ego poſſum, aut non cogitare de te, aut vnquam ſine lachrymis cogitare? Quid mihi ſine te, aut tibi vnquam ſine me voluptati fuit?

Ades, inquam, & ſemper oſtenderis, & te toto animo, ac mente complector, aſpicio, alloquor, oſculor, comprehendo: Ipſæ iam noctes, quæ quaſi moleſtiores viuente te videbantur, quod mutui conſpectus copiam denegarent, ipſe iam ſomnus colloquiorum noſtrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis eſſe cœpit, quia te mihi reddidit.

Teneo igitur te, frater, nec mihi te mors, aut tempus auellet. Ipſæ dulces lachrymę ſunt, ipſi fletus iucundi, quibus reſtinguitur ardor animi, & quaſi relaxatus euaporat affectus. Neque enim ſine te eſſe poſſum, aut tui non meminiſſe vnquã, aut meminiſſe ſine lachrymis. O amari dies, qui interruptam copulam perditis! ô flebiles noctes, quæ tam bonum conſortem quietis, & indiuiduum mihi comitem perdidiſtis! *Lachryma. ſuaues.*

Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hic nobis omnia fuere communia: Ita illic quoque diuiduum neſciamus, nec quæſo cupientem tui deſeras, properantem expecta, feſtinantem adiuua, & ſi diutius tibi morari videor, accerſe. Neque enim vnquam prolixius abſumus à nobis, tu ſolebas reuiſere; nunc quoniam redire non potes, nos ad te ibimus, æquum eſt, vt officium rependamus.

Mellei planè, & vt vno verbo dicam, ambroſij affectus, quibus ſi celeberrimam Origenis de S. Magdalenæ in Chriſtum amore, homiliam conferas, nihil inuenies amantius. Sed hæc in priuata amicitia. Alij ſunt affectus, ad publicam beneuolentiam conciliandam valde compoſiti, quibus propter ſummam morum ſuauitatem, refertus eſt M. Tullius, neſcio enim, quo pacto blandiſſimè ſe in animos inſinuat, longè aliter, quam Demoſthenes, qui in ſtis, ex ingenij ſui conditione, durior eſt, & auſterior. Quid eſt magis illecebroſum hac oratione? *Cic. 4. in Catil.*

Video P. C. in me omnium veſtrum ora, atque

atque oculos esse conuersos. Video vos non solum de vestro, ac reipublicæ, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis, & grata in dolore, vestra erga me voluntas. Sed eam per Deos immortales quæso deponite, atque obliti salutis meæ, de vobis, ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si hæc conditio consulatus data est, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusque perferrem: feram non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis, P. R. dignitas, salusque pariatur. Ego sum ille Consul P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur: non campus, consularibus auspicijs consecratus: non curia, summum auxilium omnium gentium: non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus, &c.

Affectus beneuolentiæ.

Hæc intimos sensus, voluntatesque deuinciunt, vbi scilicet nostra caussa, sollicitum, & ærumnosum virum grauem videmus, qui omnia sua pericula negligit, vt nostris rebus prouideat.

Hoc idem ipsum eloquentissimè tractat D. Chrysostomus, vbi suum in Constantinopolitanos studium, amorem, & charitatem intimam declarans, ait, se omnium nomina cordi, & visceribus impressa gerere, eorum perpetuo meminisse, de vniuersorum salute sollicitum: quo fit, vt dum de aliorum commodis noctes, diesque cogitat, sui penè obliuiscatur. Item:

D. Chrys. in erat. antequam iret in exilium.

Ὑμεῖς ἐμοὶ πατέρες, πῶς ὑμῶν δύναμαι ἐπιλαθέσθαι; ὑμοῖς ἐμοὶ ζωὴ, ὑμεῖς ἐμοὶ εὐδοκίμησις· ἐὰν ὑμεῖς προκόψητε, εὐδοκιμῶ. ὥστε ἐμοὶ ζωὴ, πλοῦτος ἐν ἡμετέρῳ κεῖται θησαυρῷ. ἐγὼ μυριάκις ὑπὲρ ὑμῶν σφαγῆναι ἕτοιμος, καὶ οὐδεμίαν χάριν παρέχω, ἀλλὰ καὶ ὀφειλὴν ἀποδίδωμι, &c.

Adulatorij affectus vitandi.

Quàm alieni sunt isti affectus, ab illa Georgij Corcyræorum Episcopi fœda adulatione, qui vt Imperatoris Emanuelis Ducæ beneuolentiam captet, ita eum alloquitur:

Georgij Corcyrensis ad Emanuel. Ducam epist.

Eodem die, quo ab oculis meis discessisti, Domine Imperator, discessit etiam à me modica illa corporis valetudo, quam fueram adeptus: Fortasse enim, quemadmodum audimus de Apostolis Dei præconibus factum, quod sola ipsorum vmbra, infirmorum ægritudines curabat, ita etiam de mea corporis infirma valetudine, ego possem in Christo gloriari, quod tua vmbra, Imperatoris scilicet mei à Deo custoditi, mea membra quamprimum firmat, & corroborat, & quasi cadauer quoddam, corpus meum in vitam reuocatur, & quasi paralyticus alter ego exulto, idque non semel, aut iterum mihi euenit, sed etiam tertiò: Vt hinc apertè conijciam, quod gratia quædam diuina, corpus tuum (potentissime Domine) consequatur, quod etiam de Elisæo, duplici videlicet Elia, quia duplicem spiritum habebat Eliæ, in sacris habetur literis, quod viuificum illud Elisæi corpus, cadaueri cuidam cũ accessisset, illud in vitam quamprimũ reuocauit. Quid igitur ego animo voluam? aut quid dicam, nisi quod magna fultus spe, quam habeo de recuperanda salute, sequor te, Imperator, quocunque ieris? Hæc oratio tam Græcula, nunquam altos, & generosos animos pelliciet ad amorem, quin potius auersionem, & stomachum ingenerabit, mallem dixisset cum Poeta:

Calphurnius.

Te sine, væ misero mihi, lilia nigra videntur;
Nec sapiunt fontes, & acescunt vina bibenti:
At tu si venias, & candida lilia fient,
Et sapient fontes, & dulcia vina bibentur.

quod fusius postea dixit Olympius.

Te sine, væ misero mihi, lilia nigra videntur,
Pallentesque rosæ, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores:
At tu si venias, & candida lilia fient,
Purpureæque rosæ, tum dulce rubens hyacinthus,
Tum mihi cum myrtho, laurus spirabit odores.

De affectibus lætitiæ, & spei.

CAPVT XXI.

Amor, lætitia, & spes quomodo differant.

Vicini sunt amori, voluptatis, & lætitiæ affectus. Amor enim circa bonum, tam futurum, quàm præsens versatur. Spes, sola futuri ratione definitur: Lætitia, motus est animi, ex iudicio præsentis iam boni. Nihil autem attinet, an ipsum sit verum, an opinione duntaxat deformatum, neque enim minus afficit rerum iucundarum imago, quas sibi quis certissimè tenere persuadet, quàm si iam præsentes forent.

Talis erat Argiui illius lætitia, qui cum eximi-

eximios sibi comœdos audire videretur, gestiebat gaudio:

In vacuo solus sessor plausorq; theatro.

Non est autem difficile, ex ijs, quæ de amore dicta sunt, excitandæ lætitiæ modum, rationemque colligere. Nam vbi res quæpiam vehementer adamata, in vsum, potestatemque nostram deuenit, tum influit lætitia, motus quidem ille calidus, & plerunque vehemens, vt quo pulsantur viscera, cor dilatatur, existit risus, exultatio, hilaritas, & gesticulatio. At si moderatior fuerit, vocatur hilaritas, quæ mentem serenat, sanguinem purgat, vultum grato, florentique colore perfundit. Vbi ex lætitiæ motu tanti per resedit animus, sedatior iam factus, oriri solet delectatio, & voluptas, quæ est voluntatis in bono suauissimè conquiescentis, tranquillitas. Is est lætitiæ & voluptatis cursus Sed cum varia sint voluptatum genera, varij quoque earum concitandarum modi exoriri solent. Aliæ sunt viles, corporeæ, momentaneæ, sæpius etiam turpes, & fœdæ Aliæ nobiles, delicatæ, diuturnæ, ad summum puræ, & cœlestes. Qui sensibus omnia metiuntur, non secus ac spongiæ aquâ per suos meatus trahunt, atque illorum anima, sanguini, & carnibus immersa, per quinque duntaxat sensus, quasi per tot poros, & fistulas, voluptates elicit.

Latitiæ vis

Delectatio & voluptas.

Duplex voluptas.

Voluptates sensuum, quales

Ludouic. Viues l. 3. de anima.

Hi sunt visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Infima omnium est, quæ ad sensum tactus pertinet delectatio, plane bruta, & terrestris, paulo honestior, quæ ad gustum, sed nihilominus contempta Leuis est in odoratu, qui sensus in homine hebetissimus est, nec tã est odor suauis gratus, quam teter fœtidus est, & molestus. Aures, quæ ad aërem pertinent, aliquid habent pulchrius; oculi, qui ad igneam illam naturam, & æthereæ proximam accedunt, cæteris longè præstant sensibus. Et tactus quidem ac gustus voluptate defatigatis sensibus cito extinguuntur, multumque molestiæ, & grauitatis, vt Nilus luti, secum trahunt. Cæteri sensus, diutius suam hauriunt voluptatem, habent tamen admixtam vmbram aliquam vanitatis. Diuturniores sunt phantasiæ voluptates, quam sensuum, quæ enim de diuitijs, honoribus, & gloria insedit felicitatis opinio, tenacius inhæret, sed inani bono decipit.

Voluptates mentis omnium maximæ.

Liquidiores sunt inferiores, quæ vocantur animi delectationes, excelsissimæ omnium, & purissimæ, quæ ad mentem, mentisque, & voluptatis præcipuum munus, contemplationem, & amorem Dei referuntur: habent enim cum æternis illis, quæ nos beatos efficiunt, perpetuum quoddam commercium.

Dulcis hora, breuis mora.

Norunt, qui sunt experti, quique supra reculas humanas instar aquilarum euecti, ad illius aureæ tranquillitatis sacrarium, & lucidissimam omnipotentis Dei caliginem deuenerunt.

Hæc igitur, cum tam varijs inter se discriminibus, voluptatum genera sint distincta, & vnusquisque suum bonum sui ingenij, indolis, ac cupiditatis modulo soleat metiri; difficile est, pari ratione in omnibus, sensum excitare voluptatis. Si quis orator, cum Pandoræ pixide, bonorũ omnium genere refertissima, conscenderet in suggestum, & ambitioso purpuras, auaro aurcorum missilia, Helluoni epulas, & vina, voluptuario denique, amores, & delicias largiretur, Is non modo apud plebeios homines, sed apud ipsos chlandydatos, & purpuratos, Orpheo, vel ipso etiam Mercurio eloquentior haberetur, nulluſque ad excitandos lætitiæ motus, aptior foret, aut fœlicior, sed

Nobis non licet esse tam disertis.

Quis erit igitur lætitiæ in eloquentia vsus? nemo suadebit oratori, vt ad exhilarandos auditores musicam canat, aut pulcherrimos colores spectandos proponat, aut etiam antiquorum more, bellaria, & tragemata spargat in populum, hæc ad theatralium actionum delinimenta pertinent. In oratoria facultate, alijs rationibus captatur iucunditas. Delectant, vt dixi, philologi, auditores suos exquisitis argumentis, nouis, ingeniosis, doctis, inusitatis, vtilibus, oratione culta, molli, facunda, vernanti, picta, variè figurata Hæc enim fermè sunt, quibus aurium excitantur delicię. In ciuilibus orationibus occurrunt malorum fugæ, bonorum fructus, commodorum accessio, ludi, pompæ, triumphi, celebritates, à quibus, & eiusdem generis rebus, lætitiæ motus excitari, fœcundarique solent. Est autem illud vsitatum, vbi rerum aduersarum prosperis successibus detersa est fuligo, ad lætitiam augendam, superiorum laborum refricare memoriam, & cum præsentium bonorum fructibus, & voluptate comparare Hoc præstitit Marcus Tullius, in oratione ad Quirites post reditum, vbi sui exilij memoria, sibi reditus fructum iucundio-

Lætitiæ vsus in re oratoria.

rem redditum esse declarat.

Cic post reditum ad Quirit.

Etsi (inquit) homini nihil magis optandum, quàm prospera, æquabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitæ, sine vlla offensione, cursu: Tamen si mihi tranquilla, & placata omnia fuissent: incredibili quadam, & pene diuina, qua nunc vestro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruissem.

Deinde enumerat ea, quæ lætitiam vulgo in vita ciuili creare possunt, liberos, affines, fortunas, amicitias, consuetudines, vicinitates, clientelas, ludos, dies festos, dignitates, locum, ordinem, patriæ charitatem, speciem prouinciæ, celebritatem oppidorum, formam regionum, agros, fruges, & cætera, quorum voluptatem, carendo se magis, quam fruendo, intellexisse dicit.

At secunda Catilinaria triumphat, & exultat, vt ait ipse, hæc oratio.

Cicer. 4. in Catil.

Tandem aliquãdo, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex vrbe, vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem vrbe prosecuti sumus. Abijt, excessit, euasit, erupit, nulla iam pernicies à monstro illo, atque prodigio, mœnibus ipsis, intra mœnia comparabitur, &c. In quibus profecto grauis est, & heroicus, ad excitandam lætitiam motus. Videas enim ripudiare gaudio oratorem, muros verò, & ipsos vrbis parietes, grauissimo antea terrore perculsos, (sicut olim ad Amphionis lyram lapides) vehementer exultare.

Consequens affectus, qui pompas, & ludos decet, minus quidem habet grauitatis, sed plurimum festiuitatis. Decerptus est autem ex Panegyrista Maximiniani Imperatoris.

Panegyr. Max.

De te igitur, Cæsar inuicte, hodiernæ gratulationis exordium ducimus, ille vestræ maiestatis ortus, isto quo illuxit auspicio veris illustrior, cui dies serenus, atque vt celebrantes sensimus, vltra rationem temporis, Sol æstiuus incaluit, augustiore fulgens lumine claritate, quam cum originem mundi nascentis animauit: Siquidem tunc, inter illa rerum tenera primordia, moderatus dicitur ne noceret: nunc ardentior, ne maiestate vestra videretur obscurior. O felix, beatumque ver, nouo partu, iam non amœnitate florum, nec viriditate segetum, nec gemmis vitium, nec ipsis tantum fauonijs, & luce serenata lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæsarum Maximorum. O tempus, quo meritò quondam omnia nata esse credantur, cum eodem nunc confirmata esse videantur. O Calendæ Martiæ, sicut olim annorum voluentium, ita nunc æternorum auspices Imperatorum.

Sed omissis exclamationibus, præclara est quoque lætitiæ excitandæ ratio, cum res per se hilaris, & læta, quales sunt pompæ, supplicationes, triumphi, ingressus regum, & amplissimorum virorum in ciuitates, populi occursus, acclamationes, encomia, & panegyres describuntur. Obijciuntur tunc cogitationi coronæ, flores, odoramenta, aurum, argentum, pictæ vestes, chori delicatissimi musicorum, collucentium facium globi, & cætera id genus, quæ vernanti oratione explicata, necessario lætitiam ingenerant. Num tota florida est, & læta, hæc D. Gregorij oratio, qua ingressum magni illius Athanasij ad Alexandrinos, celebrat his verbis?

D. Greg. orat. in Athanasium. pag. 791.

Πῶς ἂν παρασήσαιμι τῷ λόγῳ, τὸ μέγα ἐκεῖνο θέαμα; Ποταμὸς ἦταν εἷς. ποικτὸ δὲ ἦν ἄρα καὶ τὸν Νεῖλον εἰπεῖν τὸν χρυσορρόαν ὄντως καὶ εὔσαχυν, ἐμπαλιν ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὴν Χαρὲβ ῥέοντα, ἡμερησίαν ὁδὸν οἶμαι καὶ περαιτέρω. δότε μοι μικρὸν ἔτι σφῦσαι τῷ διηγήματι. ἐκεῖτε γὰρ εἰμὶ, καὶ οὐδὲ ἀπαχθῆναι τῶν λόγον τῆς τελετῆς ἐκείνης ῥάδιον. πῶς δ' μὲν ἦγεν αὐτὸν, (χ μή μοι τῆς ἀπονοίας μέμψησθε,) ὡς μικροῦ τὸν ἐμὸν Ιη-

QVonam verò modo spectaculi illius magnitudinem oratione referre queam? Fluuius vnus omnes erant. Nilum etiam Poeta quispiam diceret, illum, inquam, verè auriflum, & spicis vberem, ab vrbe ad Chæreum retroacto cursu fluentem, diei vnius itinere, atque eo amplius. Liceat mihi per vos, quæso, paulum adhuc in hac narratione lasciuire. Illic enim animus versatur, nec sermonem ab ea solemnitate reuocare facilè possum. Pullus ipsum vehebat (ac peto à vobis, ne me-

οὖν ὁ πῶλος ἐκεῖνος· εἰ δὲ οὖν ἡ ἐθνῶν λαός, ὃν εὖ ποιῶν ὁ σπεύσας τῶν τῆς ἀγνοίας διασπάσαι λυόμενον, εἴ τέ τι ἄλλο βούλεται παραδηλοῦν ὁ λόγος. κλάδοις δὲ αὐτὸν ὑποδέχονται, καὶ ῥάκεσιν ἱματίων πολυανθῶν καὶ ποικίλων προβριπτουμένων τε καὶ ὑποβριπτουμένων. ἐνταῦθα μόνον ἀτιμαζόμενος τὸ ὑφηλὸν καὶ πολυτελὲς, καὶ τὸ ἴδιον μὴ ἔχων· εἰκὼν καὶ αὕτη τῆς ὑπερηφανείας Χριστοῦ, καὶ οἱ προβοῶντες καὶ προχορεύοντες· πλὴν οὐχ οὐ πάντων ὁμιλοῦσι μόνον τὸ εὐφημοῦν ἦν, ἀλλὰ καὶ πᾶσα γλῶσσα σύμφωνος καὶ ἀντιτείνουσα, νικᾶν ἀλλήλας ἐπιγομένη. ἐῶ γὰρ λέγειν κρότους πανδήμους, καὶ μύρων ἐκχύσεις καὶ πανυχίδας, καὶ πᾶσαν φωτὶ καταφαιδρυνομένην τὴν πόλιν, καὶ δημοσίας ἑστιάσεις καὶ οἰκιδίας, καὶ ὅσις αἱ πόλεις τὸ φαιδρὸν ὑπερβολῇ ἐκείνῳ καὶ παρὰ τὸ εἰκὸς ἐπιδείκνυνται; οὕτω τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ὁ θαυμάσιος ἐκεῖνος, καὶ μετὰ τοιαύτης καταλαμπόμενος τῆς παννυχίδος.

me audaciæ accuſetis) non ſecus ferè ac Ieſum meum pullus ille: ſiue Gentilis populus, quem ignorantiæ vinculis ſolutum percommodè conſcendit, ſiue quid aliud nobis hoc ſermone deſignetur. Hoc vnum interfuit, quod Chriſtum rami ſuſceperunt, & varia indumenta, multiplicique florum genere conſtrata, ante ipſum proiecta ſunt: excelſo autem, & magnifico viro Athanaſio nihil tale factum eſt. Incoque vno impares honoris partes habuit. Iam hic quoque aduentus Chriſti expreſſam imaginem videre licet, quod erant etiam, qui præeundo clamarent, ac chorum agerent: niſi quòd non puerilis duntaxat turba, fauſtis illum acclamationibus excipiebat, verùm etiam omnis lingua concors, & aduerſaria hominum ſeſe mutuò ſuperare contendentium. Nam quid publicos plauſus commemorem, & vnguentorum profuſiones, & totam vrbem lumine coruſcantem, publica item, & priuata conuiuia, cæteraque, per quæ vrbes lætitiæ, atque hilaritatis argumenta edunt, quæ tum illi ampliſſimè, & ſupra, quàm credi queat, conferebantur? Sic vir eximius, ac cum tali pompa, & celebritate, ciuitatem ſuam ingreditur.

Affectus lætitiæ cœleſtis.

Habent, & orationes ſacræ, ſuos lætitiæ affectus, & illos quidem graues, & vehementes, quos à rerum diuinarum ſplendore, maieſtate, & iucunditate hauriunt. Quo enim gaudio delibutus hæc dicit Auguſtinus?

Auguſt. ſerm 136. de temp.

Non queo fratres chariſimi, quod mente concipio, ore proferre, & cordis mei lætitiam lingua non explicat. Hoc autem non ſolum ego patior, qui cupio narrare, quæ ſentio, ſed etiam mecum vos patimini, plus exultantes in conſcientia, quam eloquio profitentes. Videtur enim mihi hæc dies, cæteris diebus eſſe lucidior, Sol mundo clatior illuxiſſe, aſtraque omnia, vel elementa lætari, & quæ patiente Domino proprium lumen retraxerant, & noluerant creatorem ſuum aſpicere crucifixum, ecce nunc victorem illum, & ab inferis reſurgentem, nouo claritatis ſuæ venerantur obſequio.

Hilarius homil. 1. in Paſcha.

Quid Hilarius? quam acutè eandem lætitiam pingit? Exulta cœlum, & lætare terra. Dies iſta amplius ex ſepulchro radiat, quam de Sole refulſit. Quet infernus, quia reſolutus eſt: gaudeat, quia viſitatus eſt: exultet, quia ignaram lucem poſt ſæcula longa vidit, & in profundæ noctis caligine reſpirauit. O pulchra lux, quæ de candido cæli faſtigio promicaſti, & inter fluenta purpurea, ſedentes in tenebris, & vmbra mortis ſubita claritate viſitaſti, vel veſtiſti. Confeſtim igitur æterna nox inferorum, Chriſto deſcendente reſplenduit, ſiluit ſtridor ille lugentium, & catenarum diſrupta ceciderunt vincula damnatorum. Attonitæ mentis obſtupuere tortores, omnis ſimul impia officina contremuit, cum Chriſtum repentè in ſuis ſedibus vidit. Et hic D. Nazianzeni affectus, num gaudio ſubſultans ferri videretur, cum ait:

Χριστὸς γεννᾶται, &c.

Chriſtus gignitur: glorificate. Chriſtus è cœlo: obuiam prodite. Chriſtus in terra: ſubſidete. Cantate Domino omnis terra. Atque vt hæc duo in vnum contraham: Lætentur cœli, & exultet terra, propter cœleſtem, ac poſtea terreſtrem. Chriſtus in carne: tremore, & gaudio exultate: tremore, propter peccatum; gaudio propter ſpem. Chriſtus ex Virgine, Mulieres, virginitatem colite, vt Chriſti

Gregor. Nazianz. orat. 37.

matres sitis. Quis eum, qui à principio est, non adorat? Quis eum, qui postremus est, non laudat, ac celebrat? Rursus tenebræ soluuntur, rursus lux creatur, rursus Ægyptus tenebris vexatur, rursus Israel per columnam illuminatur. Populusque qui in ignorantiæ tenebris sedet, magnâ cognitionis, & scientiæ lucem inspiciat. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Litera cedit, spiritus superat, vmbræ prætereunt, veritas ingreditur, &c.

D. Chrys. in epist ad Rom. 32.

At Chrysostomus num iam cernere futura, num extra se rapi, num totus lætitia perfundi videtur, cum hæc de SS. Apostolis perorat?

Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: considerate, & horrete, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa, cum Petro resurgentem, in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus vrbs ista splendescit? Quibus catenis plane aureis cincta est? quales habet fontes? Quis mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius prædicationem Euangelij vbique seminantis? puluerem, inquam, oris illius, per quod Christus loquutus est, per quod lux emicuit, quouis fulgure clarior, & vox exiluit dæmonibus, quouis tonitru terribilior?

Referta sunt istis affectibus Patrum scripta, maximè, vbi diuina salutis nostræ mysteria, aut futuræ vitæ commoda percensent. Adhibent etiam nonnunquam honesta blandimenta, ad auditores grauiter, & suauiter permulcendos, quales sunt apud D Gregor. Nazianzenum, & D. Chrysost. nobilissimæ veris, & mundi descriptiones; quibus in sacris concionibus opportune vsi sunt, vt postea dicturi sumus.

Spes.

Germana est lætitiæ spes, quæ circa bonum futurum versatur, motus plane blandissimus, cuius miseri suauitate deliniti recreantur, languentes excitantur, incalescunt frigidi, mortui pene reuiuiscunt. Nihil fermè hoc motu frequentius habent oratores, dum hortari, consolari, impellere animos student,

Iucundissima est spei persuasio.

quod facilius quidem præstant, quam cætera, nam iucundissima est spei persuasio, & nihil ferè adeo leue, ac minutum, ad quod credula ingenia non adhærescant.

Animaduerti autem oportet nonnullorum errorem, qui ad spei motus excitandos, ijs vtuntur rebus, quibus cupiditas, & amor irritari spes autem minime fulciri possit. Quod enim res sit præclara, spectabilis, fructuosa, nihil ad sperandum facit, quanquam magnas ingerat amoris faces. Quid igitur spem formar, & sustentat? adminicula sunt, & subsidia, quæ ad rem obtinendam plurimum valent: qualia sunt in genere, rem fieri posse, factum esse aliquando quid simile in pari caussa, credibile esse futurum hoc tempore, hoc loco, hoc negotio: deinde per singula discurrens orator, exponit certa ad rem efficiendam præsidia, vt ad bellum gerendum pecuniam, milites, arma, machinas, commeatus, ad magistratum, & dignitatem obtinendam fauorem, & beneuolentiam ciuium, gratiosos amicos, benè nummatum marsupium, & cætera id genus.

Quid inducat ad sperandum.

Is motus est ad spem compositus.

Cicer. 4. Philipp.

Iam enim non solum homines, sed etiam Deos immortales, ad remp. seruandam arbitror consensisse, siue enim prodigijs, atqi portentis Dij immortales nobis futura prædicũt: ita sunt apertè denuntiata, vt illi pœna, & libertas nobis appropinquet: siue tantus consẽsus omnium, sine impulsu Deorum esse non potuit, quid est, quod de cœlestium voluptate dubitare possimus? & cætera, quæ consequuntur. Simili modo Galgacus, apud Cornelium Tacit. ab adiumentis ad bellum necessarijs, suis terrorem minuit, & fiduciam instillat his verbis:

Cornel. Tacit. in vita Agricolæ.

Ne terreat vanus aspectus, & auri fulgor, atque argenti, quod neque tangit, neque vulnerat, in ipla hostium acie inueniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam caussam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vsipij reliquerunt. Nec quicquam vltra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter male parentes, & iniuste imperantes ægra municipia, & discordantia, &c.

Præclaro artificio duo præstat, hostium vires minuens, suas verò exaggerans. Frequens est autem in eo genere à cœlestium fauore, auspicijs, ominibus, portentis, bene sperandi materiam capere, quod religione flexibiles promptius animi ducantur. Quamobrem, & belli duces, ab ominibus plerunque etiam fictis, & conquisitis, apud historicos

ticos sæpissimè milites suos animant.

Dio. l. 62. Insigne exemplum est, apud Dionem libr. 62. Vbi Bunduica excellenti plane robore Heroina, Britannos suos ad bellum aduersus R.P. incensa admodum oratione cohortata, postremo etiam leporem è gremio demisit, ominis capiendi caussa, qui cum prosperè processisset, vniuersa multitudo lætis animis acclamauit: Illa autem ad Andrastem, Viraginũ, opinor, & Martij operis Deam χάριν τε σοι ἔχω ὦ Ανδράστη, καὶ προσεπικαλοῦμαί σε γυνὴ γυναῖκα, &c. quæ omnia magnam fiduciam militibus indidere. Innumera sunt eiusdem argumenti exempla, de quibus nihil attinet hic pluribus dicere. Cauendum est autem apud graues, & cordatos viros, leuia quædam spei momenta &, vt aiunt, mera vigilantium insomnia proferre, quæ nihil addunt fiduciæ, sed risum potius, & contemptum pariunt. Quod indicauit Ciceronis ille iocus in Pompeianum, qui redintegrandum bellum esse aiebat, & bene sperandum, quod in castris Pompeij septem Aquilæ repertæ essent. Rectè moneres, inquit Cicero, si pugnandum esset nobis cum Graculis. Vbi vanis spei figmentis semel decepti sunt animi, difficilius postea tractantur, & pelliciuntur.

De metu.

CAPVT XXII.

Metus dirus satelles. OPpositus est fiduciæ metus, dirus quidam tortor, & satelles, quo meticulosæ animæ grauissimè vexantur. Est enim animi concussio in expectatione mali, quæ plus aliquando officit quam ipsius mali præsentia. Siquidem multos impendentium malorum formidine, & opinione exanimatos esse constat. Vsus est huius motus, cum ab instituto aliquo, vel consilio, vel opere deterrendi sunt animi, nec satis bonorum illecebra capiuntur; Tunc enim malorum metus necessario incutiendus est.

Plurimum autem iuuat oratorem, natura, constitutioque corporis eius, cui metum cupit inurere. Plerique enim sunt adeo meticulosi, vt frondium instar, ad leuissimum quemque venti impulsum contremiscant.

Qui meticulosi. Tales sunt à natura, qui parum calidi sanguinis habent circa cor diffusum, qui se atra bile macerant, alacritatemque, & vigorem in dies extinguunt, qui obscuræ vitæ, & meticulosæ institutioni assueuerunt, qui se, & alios tenerrimè diligunt. Ijs enim timeant, quos amant, necesse est. Adhæc, timoribus facilius pulsantur prudentes, & considerati, qui pericula longius prouident, nisi ea sint, quibus se facile expedire posse credant. Item improbi, conscientiæ terroribus exagitati; & ad omnia (vt aiunt) fulgura expallescentes: Par est enim mullos timere, qui multis segetem timendi præbent, nisi eos, à quibus male timentur, imbecillimos putent. Apud ingenia mollia, & natura meticulosa, facilius est excitare terrorem, dura, & versuta, nunquam, nisi magnis commouentur rebus.

Tria autem sunt genera, vt animaduertit Aristoteles, rerum metuendarum. Res metuenda.

Vnum earum, quæ interimunt, vt fulmina, incendia, eluuiones, ferarum impetus, hostium concursiones.

Alterum earum, quæ magnam molestiam afferunt, vt amissiones parentum, coniugum, liberorum, fratrum, fortunarum, ignominia, carcer, exilium.

Tertium earum, quæ signa sunt rerum eiusmodi, & certius indicant periculum. In quo etiam genere portenta, & prodigia, quæ præter communem rerum cursum accidunt, grauissimos terrores inurere pectoribus solent. Neque verò satis est mala esse, ad deterrendum proposita, nisi enim ea proximum damnũ minentur, non æque facile commouere valent. Timentur enim non omnes, qui nocere possunt, sed qui cum possint, velint, & cum velint, promptissime faciant. Maximè verò, vbi, qui læsi sunt, armatam habent potentiam, suntque ipsi iniusti, & contumeliam suo iudicio perpessi, quique timorem faciendum, aut habendum decreuerint, tum formidolosi cuique prudenti redduntur.

Industria concitandi timoris prima est, nosse quid quisque amet, hac enim pungendus est, quæ diligit; hic vis acrior, hic sensus mollior est; sic ambitioso, honorum iactura; Auaro, pecuniarum amissio; amatori, deliciarum ereptio proponitur. Industria timoris excitandi.

II. Res, quæ meritò timeri possunt, & ex ijs emergentes casus, graui oratione sunt proponendi, vt pene ipsis subijciantur oculis.

Qui quò plures, & atrociores fuerint,

eò

eò maior erit timoris grauitas, vt si ciuium animi, ad deditionem essent compellendi, mouerentur ab ipso futuræ calamitatis (si vrbs in hostium manus deueniret) metu. Depingerentur, Ciceronis more, arces subito vno incendio concidentes, cruor exundans, sepulta patria, miseri, atque insepulti ciuium acerui, lamentationes matrum familias, fuga virginum, atque puerorum, & cætera, quæ simul collecta, ingens quoddam facerent ærumnarum omnium incendium.

III. Iuuat proxima pericula subijcere, & eorum, qui eadem, in eodem negotio perpessi sunt, exempla percensere.

Mouentur enim omnes periculi similitudine, maximè cum totius negotij adiuncta paria sunt: quod Demosthenes grauiter, & magnificè præstat, cum Athenienses hortatur, ne Philippum quasi suis viribus imparem, & proinde nulla damna importaturū, despiciant. Quod vt obtinet, vicinas vrbes, & prouincias totas iam à Philippo vastatas, per συναθροισμὸν commemorat, vt alienis malis faciat suos cautiores.

Demosth. Philipp. 3. num. 30.

Ὁλωδὸν μὲν δὴ καὶ Μεθώνην, καὶ Ἀπολλωνίαν, ἃς δύο καὶ δέκοντα πόλεις ἐπὶ Θράκης ἅπασι, ἃς ἁπάσας οὕτως ὅμως ἀνήγκεμ, ὥστε μηδένα μηδ' εἰ πώποτ' ὠκιδήκαμ, εἶναι ῥᾴδιον προσελθόντα εἰπεῖν, καὶ τὸ Φωκέων ἔθνος τοσοῦτο ἀνῃρημένον σιωπῇ· ἀλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει, &c.

IV. Nihil nimium minari oportet; habent enim minæ muliebris aliquid iracundiæ, nec immeritò, δῆλον ὄμνον ἀπειλῆς, dixit Nonnus Poeta. Canes, qui crebrius latrant, minus sunt formidolosi, & qui perpetuo garriunt riuuli, nunquam naues haurient. Sic qui assiduis minis perstrepunt, minus incutiunt timoris; incipiunt enim, quæ sæpè huiusmodi sine euentu audiunt, assuescere, & vt fabrorum ferratiorum canes, iuxta incudem dormire.

Nonn. Dionys. lib. 12.

V. Iracundia ita expromenda est, vt semper aliquid videatur habere reconditum: Qui enim se totos effundunt, quasi apes exciso iam aculeo, minus sunt metuendi. Pleraque etiam, quæ prolata minus haberent grauitatis, aut per aposiopesin sunt reticenda, aut allegoriarum inuolucris tegenda, quo formidinis plus habeant. *Quæque latent, maiora putat*, plus incutit terroris à graui persona dictum. *Quos ego* αὐτμώων ἐπιπαῖξαι, aut aliquid simile, quàm multæ, & frendentes minæ. Et rectè Demetrius Phalereus eum Ducem laudauit, qui ad timorem hostibus incutiendum dixit ænigmaticè; *Faciam vt in eorum agris, cicadæ in nuda canant humo.* Hoc enim, quid velit, plenè nescitur, & dum in varias trahitur interpretationes, plus metus incutit, & terroris.

VI. Diligenter prouidendum est oratori, apud quos agat, & quid ex eo motu velit, si enim salutarem metum esse cupit ijs, quibus imprimit, non debet apud molles præsertim animos, vehementius agere, ne ex metu in pauorem, stuporem, desperationemque veniant. Alij sunt, qui nauiter suppliciorum metu terrendi sunt, alij veneratione, & reuerentia continendi, vt filij apud parentes, discipuli apud præceptores. Habet quidem veneratio aliquid metus, sed plus pudoris admistum. *Est enim compressio quædam animi ex opinione magnitudinis bonæ, at certe nobis innoxiæ, quam in alio reueremur.* Ex ea temperie magni, & boni, nascitur amor, & pudor: Vnde experimur, quod non inscite dixit quispiam apud Cæsarem: *Qui apud te audent Cæsar dicere, magnitudinem tuam videntur ignorare: quin audent, bonitatem.* Venerationem autē istam tuetur admiratio, quæ vt familiari consuetudine deperdi solet, cum præsertim, quæ leonem antea vix intueri audebant vulpes, incipiant paulatim cum eo lusitare: Ita enim reuerentiæ quidpiam facile minuitur, nisi solida sit, & magna, & nouum quid promens in dies, ac demum tanta, vt se a contemptu facile vendicare possit: quod præstant verba, & facta grauia, vitilia, constantia, sublimia, sine vanitate, & fuco. Hæc qui norunt, admotam sibi venerationem impensius, & ardentius colunt. Hanc contra eleuant verba, & facta puerilia, ludibunda, scurrilia, leuia, vana, inconstantia, demissa, abiecta, quibus tollitur ipsius excellentiæ, quæ animos perfuderat, opinio.

Veneratio quid differat à metu.

VII. Et postremo, ad terrorem valentissima sunt portenta, & prodigia, vel eorum etiam opinio, quæ credulos multitudinis animos, in omnem partem versare solent. Quam multi enim defectione Solis, & Lunæ, quam ignorabant, accedente, tunc ad cœlestes minas oratoris voce, à suis consilijs prorsus reuocati sunt, & deterriti.

Portenta plurimum valent ad terrorem.

Nicias ipse dux Athenienſium, cum exercitum XL. millium, circa Syracusas muratis castris seruare poterat, cum Luna deliquium pate-

pateretur, quasi periculi aliquid portenderet, superstitiosè à motione castrorum, suadentibus nonnullis, abstinuit; ex quo florentissimũ exercitum in lanienam apertam coniecit. Quin & populum, sua memoria, adeò amentem refert Viues, vt Lunam ab asino epotam, vanis terroribus inductus crederet: cùm asino de fluuio, vt assolet, bibente, Lunæ imago renidens in fluuio, ad obiectam nubem subitò se condidisset. Quamobrem & miser asinus in carcerem actus, & post legitimam quæstionem fectus est, vt Lunam mundo redderet. Dici non potest quantum in eo superstitionum genere luserint oratores, & quàm graues inde terrorum affectus incusserint, quos prodita calliditate, sedare, & in risum vertere facillimum fuit.

Polyb l. 9. & Diod. l. 13.

Viues in lib. 10 de ciuit. Dei. c 6.

At in sacris concionibus, alia habemus non vana terriculamenta, sed firmissima iracundiæ Dei in improbos argumenta, in quibus cœlestis illa eloquentia, vt aliàs videbimus, triumphare solet.

De metus remissione nihil hîc attinet pluribus dicere, cùm ex contrario affectu spei & fiduciæ satis sit manifestum.

De Odio.

Eius definitio.

CAPVT XXIII.

QVæ de amoris natura dicta sunt hactenus, commodiorem ad omnes odij affectus cognoscendos sternunt viam. Vt enim amor, est ad rem dilectam naturalis quædam propensio, sic odium, est animæ ab eo quod malum sibi esse sentit, auersio. Nonnulli cum ira confundunt: si quidem D. Augustinus in libro definitionum, Odium, veterem iram ex pluribus causis collectam, & diuturno tempore perseuerantem, definit; haud multum à Marco Tullio dissentiens, qui odium iram inueteratam esse dixit. Sunt ista quidem inter se magno affinitatis vinculo coniuncta; differunt tamen nonnihil, vt ingeniosè obseruat Aristoteles in Rhetoricis. Primum enim, Ira propriè ex priuatis aut communibus, quæ ad nos quoquo modo spectant, iniurijs, ebullire solet: Odium ex fontibus magis vniuersis oritur, vt ex improbitate, licet ipsa minimè nos læserit: improbos quippe omnes auersamur, non autem omnibus iratcimur; sed singulis, à quibus nos læsos esse arbitramur. Deinde ira, cum molestia quadam & dolore coniuncta est, cùm præsertim perturbationis quasi fluctus intumescunt: Odium sine molestia est & dolore eius qui odit.

Tertiò, ira studet dolorem & cruciatum inferre ei cui succenset: Odium, malum potiùs quàm molestos sensus machinatur. Postremò, ira mitigatur facilius, & malis illius cui irascitur, satiata, statim deferuescit: Odium sanatur difficilius, & nulla fermè mali magnitudine superatur.

De quatuor odij generibus.

CAPVT XXIV.

NOn vna est Odij natura, sed in multos veluti concisa ramos, qui videntur ad quatuor capita posse referri commodiùs. Vnum est odium melancholicum; Alterum, ferinum; Tertium, humanum. Quartum denique, naturale. Melancholicum, ex atræ bilis redundantia oriri solet: quæ ita plerunque miseros agit, & versat, vt omnes honestas voluptates, lucem, homines, se denique ipsos oderint. Itaque conscios fugiunt oculos, vitæ ciuilis auersantur studia, & in vastas penetrant solitudines, in quibus hominum odio & vitæ tædio contabescunt. Talis fuit Timon μισάνθρωπος, in omne genus humanum singulari odio teter, & funestus, qui se nullum suculentius populo Atheniensi largiri posse credebat beneficium, quàm si ad mortis compendia, patibula & funes suggereret. Hanc odij vesaniam *morbum Bellerophonteum* antiqui nominarunt, quòd ea ipsa tristitiæ tabe laborasse Bellerophon crederetur, vt indicat Rutilius Lupus.

Odia quatuor.

Rutilius Lupus in itinerario.

Hunc nimia bilis morbum assignauit Homerus
Bellerophonteis sollicitudinibus.

Sed homo Ethnicus, Christiano nomine perinsensus, impie Anachoretarum & Monachorum institutum sugillat, quos *Lucifugas viros* nominat, & Bellerophonteo morbo pereitos, in solitudinibus degerere existimat. Si quem habuisset rerum diuinarum sensum, homo ad cœnum magis aptus, quam ad cœlum, agnouisset nullos esse lætiores, nullos tranquillioris animi, vitæque commodioris, quam qui remisso vanissimis rebus nũ-

cio, totos se Deo tradiderunt; & ad hanc vitam excolendam, non tristes, seueros, melancholicos, sed iucundos, faciles, lætósque requiri.

Ferinum odium est rabiosa quædam nocendi auiditas, quæ nullis expletur pœnis: sed in ipsa mortuorum sæuit cadauera. Tale fuit Achillis in Hectorem odium. Neque enim eius quem oderat, morte & sanguine expletus, etiam abiectum, supplicem, animam agentem diris simis verbis alloquitur, quibus Homerus hanc odij immanitatem exprimit:

Iliad. X.

Μήμα κύων γούναν γουνάζεο, μηδὲ τοκῆων
Αἵ γάρ πως αὐτόν με μένος καὶ θυμὸς ἀνείη
Ὠμὰ ἀποταμνόμενον κρέα ἕδμεναι.

Ne me canis per genua deprecare, neque per parentes,
Vtinam me & robur & animus sineret,
Tuas carnes dissectas in partes crudas mandere.

Dion. in Traiano.

Hæc odij ferini sunt indicia, ab heroico ingenio alieniſsima. Talis est lycantrophorum atque anthropophagorum immanis quædam sæuitia, & diritas, qui in humano sanguine tripudiant. Hoc sub Traiano nonnulli Iudæi incitatisimis furore animis præstitere: nam post ingentem Romani exercitus lanienam, carnes occisorum sunt epulati, & intestinis adhuc cruore stillantibus præcincti. Nec mitior fuit Dionysius Pannonum dux, qui victo Gabra, & Branna, trophæum ex ossibus interfectorum erexit; aut Alboinus, qui sibi Cunimundi interfecti caluariam, in vas efformauit. Hæc humanum excedunt modum; quæ non nisi à tetra, immani portentosáque natura proficiscuntur. Tertium odium humanum est, quod humano more & modo concipitur, & adhibitis etiam remedijs, deponitur & sanatur.

Nicetas.

Vltimum naturale est, ex arcana quadam antipathia proficiscens; qua fit, vt alij ad res alias minus sint affecti, sed naturæ quodam instinctu auersentur, licet odij materiam & segetem non videant. Sic in naturalibus, lupina tympana, dissoluunt ea quæ ex agnino corio sunt conflata, & aquilarum pennæ alias deterunt, brassicæ denique ac rutæ inimicitia quædam est, & aliorum haud dissimilium.

Causse odij, & fomenta.

CAPVT XXV.

CAussæ odij & fontes non sunt hic latiùs inquirendi, cum ex amoris cognatione intelligentiáque satis pateant. Contrariorum enim contraria ratio est, & quæ amoris causis aduersantur, hæc omnia ad odium excitandum, haud mediocriter faciunt. Nam vt odium melancholicum, ferinum, ac naturale mittamus, & humanum, quod huius est instituti, breuiter attingamus, mali siue veram siue fictam rationem habet, ex qua nascitur, & fœcundatur. Tria autem in specie Aristoteles enumerat, è quibus frequentiùs odij natura coalescit, iram, detractionem, incommodum. Nam si odium inueterata est iracundia, omnino ex residuis irarum flamma succrescit odium, & temporis diuturnitate in pestiferum quoddam malum concrescit.

Calumnia porrò, vna est magnorum odiorum fomes & sentina: siquidem cùm omnes honoris & famæ apperentissimi sint, haud æquo animo patiuntur se aduersis linguæ telis impeti. *Calumnia ipsum conturbat sapientem.* Nam & Basilius, ep. 82. ad irrogatam sibi de hæresi calumniam, ait se, & corde palpitasse, & lingua defectum, & pene aduersus omne genus humanum, ob morum & linguæ peruersitatem, odium concepisse. Dici non potest quanta plerunque & quàm terra odiorum incendia, vnius susurronis lingua improbè ventilata, excitarit. Quòd si præter calumniam, incommodum in bonis, vel animæ, vel corporis, vel etiam fortunis accedat, eo magis odium stimulatur, & in magnam quandam molem indignationis coalescit. Itaque vehementer oderunt, qui bonorum iacturas, exilia, corporis mutilationes, structas nomini atque honori suo insidias ab aliis agnouerunt, & difficilè, nisi ipse qui intulit, resarciat iniurias, conquiescunt.

manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ.

Viues de anima. Qui adhæ prens.

Adhæresc unt autem odia præcipuè meticulosis; nam, vt ait Ludouicus Viues, Suspicio magnum hic regnum obtinet, in qua vel meticulosum nostrum ingenium sequimur, vel

vel coniecturam ex ratione aut experimentis; quòd alios quis læsit, quòd eius parentes & propinqui læserunt, quod qui tales sunt, solent lædere, vt qui robusti & animosi absque mente, & feræ famelicæ, vel irritatæ.

Item ignauii homines in odium sunt proni: Quippe qui vndique imminere sibi damnum metuunt, itaque oderunt omne genus virium ac potentiæ a qua lædi possunt. Vnde tam cruenta & vecors in principibus illis suspiciosis, vt in Caligula & Nerone, extitit sæuitia. Præterea odium ex siccis est & frigidis; idcirco eiusmodi personis, locis, temporibus inualescit, vt melancholicis, hyeme, morbo, egestate, fame, infamia. Agit quidem in his altius radices odium, sed iners & segne, acuitur autem ad acerbitatem calore. Iam qui tenerrimè sese amant, leuibus de causis oderunt alios; semper enim lædi se autumant, & omnia in duriorem partem interpretantur. Hæc, odij vt sæpius causæ sunt, & fomenta. Mali verò cornu malum est ouum: nam ex eo suppullulat maledicentia, & rabiosa quædam dicacitas; quæ vbi incanduit, in acerbitatem, sæuitiam, immanitatem denique commutatur.

De odij concitatione, & remissione.

CAPVT XXVI.

ODiorum flammam excitare facile est, restinguere difficillimum. Siquidem vitio humanæ naturæ, omnes fermè ad odia promptiores sunt, quàm ad amores: Vbi autem animo insederunt, altius sui vestigium imprimunt, vt non nisi ægrè postea moueantur. *Cui dolet, meminit; cui placet, obliuiscitur.* Amores plerunque & beneficia, pluma sunt leuiora: Damna & odia, plumbo grauiora, cordi tenacius adhærescunt.

Quomodo excitetur odium.

Excitatur autem vulgo odium, si quid ostenditur factum ab aduersarijs spurcè, superbè, fastidiosè, crudeliter, confidenter, malitiosè, flagitiosè: si à persona sordida, impura, illiberali, sæua, arroganti, idque, aut dolo, & rapina, aut vi, & ferro, iniquissimis consilijs; si in priuata damna, & publica, si præter metum, suspicionem, expectationémque nostram.

Hæc & similia oratores commemorare solent: deinde his capitibus inflammant animos in vltionem facinoris: Huiusmodi crimina maiores seueriùs coercuisse: Non in paucos, sed in superiores, atque adeo totum reip. corpus labefactandum, tendere, latius impunitate manatura, nisi vis mali maturè rescindatur.

Dementis audaciæ exitum permultos expectare, qui aliorum impunitate corroboratam suam ipsorum exerant audaciam. Maleficium tale esse, vt neque imprudentia excusari, neque leniore manu corrigi possit; id non modò ab hominibus, sed à barbaris & feris esse remotum. Talia sunt quæ in parentes, liberos, coniuges, consanguineos, hospites, in patronos, præceptores, in homines claros & nobiles, ipsos denique mortuos, iniuriosè committuntur.

Deinde hæc ipsa ex loco comparatorum augentur, illustrantur, exaggerantur. Dira, horrida, truculenta, ipsis hostibus, feris, saxis & solitudinibus deploranda ostenduntur: quorum exemplis plenæ sunt Demosthenis ac Ciceronis orationes. Et mox aliqua in capite de iracundia proferemus. Odij remissio licèt sit ipsa difficilior, non omnem tamen excludit medicinam, vbi præsertim eminet aliqua mentis celsitudo & generositas.

Odij remissio.

Primùm hebetatur rebus calidis atque humidis, rebus lætis ac valde prosperis, vt animaduertit Viues; cùm scilicet tristitia, & rigor, quidam pectoris odiorum comes ferè perpetuus, paulatim se frangit. Secundò adimitur misericordia, quæ solet in magnis calamitatibus, vel ferreis animis irrepere; tollitur etiam spe, aut cupiditate certa aliquid ab inimico adipiscendi, quod vtile, aut iucundum credamus fore; multò verò rectius præsentis boni lætitia atque voluptate. Tertiò, diluitur maiore aliquo & grauiore odio, aut aliarum rerum magni momenti cura & sollicitudine.

Quartò, sublatis causis, quibus odium concitatum fuit, ipsum quoque aboleri contingit; vt cùm qui odio habebatur, repentè in alium mutatus est, aut alia amandi causa emergit, vt quòd propinquus, necessarius, bellicosus, eruditus, reipub. vtilis.

Quintò debilitatur odium, si quis quæ alij dixerint, bellè interpretari, & in meliorem partem deflectere assuescat: sed nullum præsentius remedium, quàm rerum terrenarum

contemptus, Christianarum decor, & mansuetudo virtutum, Christique Domini heroica quædam imitatio.

De motibus iracundiæ, & doloris.

Eius motus vim arduam, & præstantem esse, primordia à poetis data.

CAPVT XXVII.

FVlmina sub Ioue sunt (inquit ille) Enimuerò, non omnium est oratorum, graues illos, & accensos iracundiæ motus, heroicis viribus, & lacertis intorquere.

Hic *Martem tunica tectum adamantina* ostendere oportet, hic tonare, fulminare, & permiscere oportet omnia. Et quis hoc satis dignè præstiterit, nisi cui ingenium acre, velox, igneum, sublime, excitatum: vox, lacerti, vires, pondus, vultus, frontis rigor, fulgor oculorum, & cætera, quæ ad huiusmodi affectus concurrunt.

Metus iracundiæ heroicæ difficiles.

Multi fortasse Alexandrum in pueritiæ rudimentis lyra proludentem depinxerunt, pauci fulminantem expressere, ludicra quædam amatoria, vel etiam mites honestæ amicitiæ blanditias, & suaues illos, atque, vt ita dicam, byssinos affectus, satis bellè permulti reddere solent: At frementis iracundiæ tonitrua, flammas, & ignes aptè fingere, paucorum est, & magnum sublimis eloquentiæ argumentum. In quo certe dicendi genere quantum posset magnus vbique dicendi artifex Homerus, in Achillis iracundia effingenda satis declarauit. Quàm enim sublimis est, & heroicus, vt cæteros omittam, hic motus Achillis aduersus Agamemnonem,

Homerus in iracundia exprimenda generosus.

Ὦ μοι ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρων, &c.

Erumpunt ista ex intimo pectore planè lacertosa: Primùm, quàm aptè grauem, & heroicum gemitum exprimit in dolore iracundiæ: deinde, quod in ciuili vita apud veteres summum habebatur probrum, statim impudentiam obijcit admodum ἐμφατικῶς: neque enim impudentem duntaxat, sed ἀναιδείην ἐπιειμένον, impudentia, quasi veste indutum dicit: Ad summum grande illud vocabulum κερδαλεόφρων sententiam claudit, quo ira tanquam maiori vehiculo rapitur, vt fortius in aures, & pectus Agamemnonis euibretur.

Ista verò quem genium habent, quàm excelsè, quàm acerbè, quàm heroice collecta!

Οἰνοβαρὴς, κυνὸς ὄμματ', ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.
& Δημοβόρος βασιλεὺς, ἐπεὶ οὐτιδανοῖσιν ἀνάσσεις.
Ἦ γὰρ ἂν Ἀτρείδη νῦν ὕστατα λωβήσαιο.

Vino grauis, probrum Regi quam ignominiosum, quod verò subsequitur, quàm opportunè, & loco, *Canis oculus habens, & cor cerui*, canis scilicet oculos, ob inuidentiam alienæ felicitatis, & rapacitatem: Cor cerui, ob animum in prælijs, & congressibus deiectum. Hęc iuuenem iræ, & zelotypiæ stimulis percitum præclarè exprimunt. Agamemnonis verò ira grauior est, & plane regia. Nam cum discessũ Achilles minaretur, generosè respondet:

Φεῦγε μάλ' ἐποὶ θυμὸς ἐπέσσυται, οὐδὲ σ' ἔγωγε
Λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν παρ' ἔμοιγε· καὶ ἄλλοι
Οἵ κε με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μηλιέτα Ζεύς.

Fuge citò quocumque animus impulerit, Nunquam te deprecabor, vt mei gratia maneas.

Hæc ad contemptum ambitiosi Principis, qui totam Græciam suis armis sustentari existimabat, sufficiunt. Iam illud quantæ est dignitatis,

----- *Apud me sunt alij, qui me honorent,*
Maximè verò omnium Consiliarius Iupiter.

Ex Homeri fonte Tragici poetæ, Græci, Latini hauserunt, qui in istis affectibus exprimendis, admirabiles, vt posthac videbimus, habent emissiones. Quo spiritu enim Medæa Euripidis intorquet:

Euripid. in Medæa.

Οὐ γὰρ μὰ τὴν δέσποιναν, ἣν ἐγὼ σέβω
Μάλιστα πάντων, καὶ ξυνεργὸν εἱλόμην
Ἑκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας ἐμῆς,
Οὐ χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγύνει κέαρ.
Πικροὺς δὲ ἐγώσφιν καὶ λυγροὺς θήσω γάμους,

& cætera, quæ ibidem fusiùs.

Non per Dominam, quam ego veneror supra omnes Deos. Hinc iusiurandum, excelsam ostendit iracundiam in heroina: deinde sublimius quod adiungit, *operum adiutricem meorum*, quasi ipsa Hecate in eius foret ministerio:

sterio: iam illud, quàm toruum, & minax:

Nemo cum suo gaudio meum contristabit animum:
Illis ego acerbas, & funestas præparo nuptias.

& cætera. Eodem spiritu Sophocles,

Ιτ' ὦ ταχεῖαι ποίνιμοι Εριννύες,
Γεύεσθε, μὴ φείδεσθε πανδήμου στρατοῦ.

Ite, ô veloces, & vltrices furiæ,
Gustate, nec parcite vniuerso exercitui, & reliqua.

Sed, qui omnium tragicorum ingenia expressit, & sæpè vicit Seneca, quantus est, & quàm felix in istis imaginibus? quis hic poetæ mentem vehementi quodam turbine afflatam rapi, & torqueri non dicet?

——— Audite hoc scelus,
Quocunque diffugistis, audite inferi:
Audite terra, nexq; Tartarea grauis.
Et atra nube, vocibus nostris vaca.

Senec. in Thyeste.

Et, *Conuolue mundum, bella ventorum vndique*
Committe, & omni parte violentum intona.

Et, *Non sic furore cessit extinctus pudor,*
Populos vt omnes impio aspectu fugem.
Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi,
Referte manibus tela: si remanet furor,
Pater recede; mortis inueniam viam.

In Hercule furente.

& cætera infinita.

Neque verò istis etiam aculeis, quanquam mitiori vir ingenio, vacat Virgilius. Hæc generosam, & amarulentam iram sapiunt.

Sanguine Troiano, & Rutulo dotabere Virgo;
Et Bellona manet te pronuba: nec face tantum
Cisseu prægnans, ignes enixa iugales.
Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæque iterum recidiua in Pergama tædæ.

Virg. 7. AEneid.

Certè excellunt in istis motibus poetæ, tum furore infito, tum argumenti libertate.

Non omnia licent oratoribus, qui Musas colunt seueriores, multa tamen à poetarum gente in isto genere expressere: & Marcus quidem Tullius, Tragicorum assidua lectione pectus compleuit suum: Demosthenes tantus in affectibus poetarum imitator fuit, vt illi etiam interdum versus graues, & iracundi exciderẽt. Atq; ita ingenium formatur à poetis, sed postea oratoria falce resecanda sunt permulta, & ciuilis prudentiæ adiumentis eliminanda, quæ affectuum cognitio, & tractationis modus suggeret.

De natura Iræ.

CAPVT XXVIII.

IGneus hic est, & vehemens affectus, ἄμαχος καὶ ἀκίνητος, vt appellatur à Platone, qui nisi rationis frænis coerceatur, quantas solet excitare tragœdias! Hæc autem erit optima iracundiæ ratio, si à virtutis amore proficiscatur, & in improborum vitia potiùs, quàm ipsos homines excandescat.

D. Augustinus epist. 115. ad Nebridium, ita de hoc affectu est philosophatus.

[Ira, est turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus, atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuique instrumento quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur. Hac autem assiduitate irascendi fel crescere etiam medici affirmant. Cremento autem fellis, rursus, & facilè, & prope nullis caussis existentibus irascimur.]

Definitur ab Aristotele appetitio cum dolore coniuncta, eius quæ sperari potest vltionis, propter apertum, aut certè existimatum nostri, nostrorumque contemptum. Arist. 2. Rhetor.

Primùm appetitio est, & ea vehemens, atque incitata. Deinde cum dolore: Grauiter enim intimis præcordijs affliguntur irati, vt ipsa videantur pectora rumpere, quod disertè notat Lucretius.

Sed calidi plus est ollis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens facilè efferuescit in ira:
Quo genere in primis vis est violenta leonum:
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Lucr. libr. 3.

Quem dolorem satis indicat vultus teter, nunc subitò retrorsum sanguine fugato expallescens, nunc in os omni colore, ac spiritu verso subrubicundus, & cruento similis, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hæ-

rentibus, &c. quæ à Seneca lib. 9. de ira, & D. Gregorio Nysseno, de octo beatitudinibus, fusius describuntur.

Seneca l. 1. de ira. D. Greg. Nyss. de 8. beatitud.

In hoc tamen doloris æstu titillat spes vltionis, aliquo sensu iucunditatis: quam ob caussam Homerus nonnihil etiam mellis tribuit iracundiæ.

Homerus Iliad. 18.

Diuiditur porrò ira à Diuo Damasceno in tres species: Prima appellatur χολὴ, & χόλος, quam bilem & indignationem vertit, quæ excitari solet, cum quis ob leue dictum aut factum statim exardescit; qui affectus cum cupiditate vltionis mixtus est, placatúrque facilius.

D. Damasc. l. 2. Orthod. fid. c. 16.

Secunda est μῆνις (vbi perperam nonnulli μανίαν legunt) Iracundia est permanens & diuturna; qualis ea quæ in Achille describitur ab Homero, tot heroum funeribus, & miserrima Græciæ ingemiscentis clade vix satiata.

Tertia ab eodem appellatur κότος, ἀπὸ τῆς κοιλίας. quæ (inquit) ira est reposita, ac recondita, vlciscendi occasionem captans; in quo certè eadem fermè est, ac μῆνις.

Alij non κότον, sed μανίαν tertio loco ponunt, quam Eustatius φρενῶν ἔκστασιν iram prorsus à mente alienatam, præcipitem, insanam; Latini, furorem nominant: & talis est ea quæ à Gregorio Nysseno cum energumenorum affectibus comparatur.

Eust. in l. 1. Iliad. initio.

Eadem enim (inquit) iratis, quæ Energumenis accidunt. Sanguine diffusi ac distorti eorum qui à Dæmone torquentur, sunt oculi, lingua præceps, voces præruptæ, ac latranti similes, quassatio capitis, manuum stolidi motus, pedes instabiles, totius corporis concussio. Hæc sunt iratorum & dæmoni communia. Hoc vno duntaxat differunt, quòd vnum voluntarium malum est, alterum non est.

De caussis iræ, & qui ad iracundiam procliues.

CAPVT XXIX.

IRacundiæ caussas, ingeniosè, vt solet, & feliciter, est persequutus Aristoteles, libro secundo Rhetoricorum.

Sex sunt (inquit) præcipuè, quæ iratos afficiant, dolor, impedimentum, vehemens cupiditas, despicientia præsentis status, offensio præter expectationem, quædam circumstantiæ. Vnde sex genera eorum colligit, qui facilius irascuntur:

Primùm est, eorum qui dolent propter aliquam despicientiam; quæ caussa iræ maxima est, & cæterarum omnium origo. Quò autem quisque vel dignitate clarior est, vel gloriæ cupidior, eò magis despectus irritatur.

Hinc illæ querimoniæ Iunonis apud Senecam in Hercule furente, & apud Virgilium.

Aſt ego, quæ diuum incedo regina!

Cuius rei memorabile est ira Narsetis argumentum: cùm enim ille animosus Eunuchus, & rei militaris gloria præstantissimus, Totilam Gothorum Regem, Martio vigore & spiritu planè ingentem debellasset, mox inconstantis fortunæ ludo iactatus, non modò Italiæ præfectura spoliatus, sed à Sophia Imperatrice impotentis animi fœmina probris concissus est: Quippe illa dictitabat,

Baronius ad annum Iustini iuniores cundum.

Narsetem ad pensa & lanas esse relegandum.

Quæ vox nimis petulanter effusa, egregij spiritus & roboris ducem, mirum in modum efferauit. Nec mora se Iustino Imperatori, & Sophiæ eius vxori eam telam orturum dixit, quam nulla eorum vis aut industria posset retexere: quod præstitit, cùm Longobardos à regionis suæ squallore, ad fertiles Italiæ campos euocauit: quorum armis magna Italiæ pars Imperatori detracta est, tantum veneni habuit muliebris calumnia.

Secundum: qui in rebus suis aliquo afficiuntur impedimento, siue apertè quis obsistat, & refragetur, siue cùm possit, minimè faueat: vt si quis sitienti potum denegat, aut famelico panem.

Tertium: Ad iram propensissimi sunt, qui vehementi aliqua cupiditate trahuntur, vt ægrotantes, paupertate laborantes, sitientes, amantes; *genus irritabile.*

Quartum: quorum præsens status despicitur, vt ægrotans, in ijs quæ pertinent ad morbum: paupertate laborans, in ijs pertinent ad paupertatem: Bellator in his quæ ad bellum. Cuius contemptus manifestissima sunt exempla. Quibus enim furijs agitur Philoctetes apud Poëtas, ob morbum despectus, & à Græcorum exercitu seiunctus? Quibus iræ motibus obnoxij sunt, qui ob vitium aliquod corporis, aut notam deformitatis, irridentur? Cornelius Senator, cùm à Domitio Corbulone struthiocamelus depilatus vocaretur,

Vitia corporis obiecta iram inflammant.

in con-

confessu grauissimo Senatus lachrymas non tenuit.

Hipponax Poëta cùm esset singulari oris deformitate, ideóque à ludibundis pictoribus depictus, & in derisum publicum propositus, adeò excanduit, vt derisionis authores impulsoréque, furioso carmine ad suspendium adigeret. Pauperes verò grauius contemptum ferunt, si antea diuites extiterint, & eò miseriarum delapsi, à suis etiam despiciantur. At milites, & poëtæ, cæteríque scriptores, ipsi etiam opifices, facillimè stomachantur, si in ijs quibus florere se laudibus cupiunt, parui pendantur. Sub Boleslao III. Polonorum Rege, Palatinus quidam Polonus, cui Rex in opprobriũ ignauiæ, leporis pellem, colum, & fusum miserat, tam iniquo tulit animo, vt sibi ipsi violentas afferret manus. *Cromer. l. 6.*

Herodes Atticus; cùm adhuc adolescens coram Antonino Imperatore perorans, præ timore & conturbatione mentis obmutuisset, contemptum veritus, pene se in Istrum desperatione proiecit. *Philost. in Herode.*

Titus Labienus ingenio suo superstes (vt ait Seneca) esse noluit, sed eius libris ex S. C. combustis, vltrò se in maiorum suorum monumenta ferri atque includi voluit. Tanta crux est gloriæ cupidis despicientia. *Magna crux gloriæ, despicientia.*

Quintum; vehementius irritantur qui præter expectationem offenduntur, maximè ab ijs quos sibi beneuolos & amicos fore existimabant. Sicut enim insperata boni species, vbi primùm obiecta est, maiori iucunditate sensus perfundit: sic etiam doloris minimè expectati, grauius percellit iniuria.

Ad summum enumerantur, qui certis quibusdam horis & temporibus turbari, &, vt maria, ventis cieri commoueríque solent. *Causa iracundiæ 17. ab Aristotele.*

Nec satis fuit Aristoteli, hæc in genere enumeraſſe: septemdecim deinde causas specie prosequitur, è quibus excitari conflatíque solita est iracundia. Hæ sunt, subsannatio, illusio, detrimentum contumelioſum, maledictum, amicitia despiciens, consuetudo honorandi omissa, ingrati animi signum; nulla existimatio, officium spretum, gaudium in aduersis, neglectus, auscultatio aut inspectio malorum, despicientia in rebus caris, nulla gratiarum actio, dissimulatio, beneficentia in alios, & non in ipsos, obliuio; ad summum contemptus apud eos à quibus gratiam & famam colligere qui irascuntur, vehementer cupiunt.

Ad hæc cuiusque ingenium, natura, tempories, ætas, conditio, diligenter erunt consideranda, è quibus plurimùm momenti in iram deriuatur. Non opus est in his immorari pluribus, nimis multę causſæ sunt, & nimis promptæ, quæ iratos faciunt; longè opportunius est de tractatione, & moderatione huius affectus differere.

De concitando odio, & iracundia.

CAPVT XXX.

HÆc erunt igitur capita, per quæ odij & iracundiæ vis facilè inardescet: nunc autem modos & exempla, affectuúmque in eo genere varietatem exequamur.

Primum artificium est Oratoris ad animos iam suspicionibus exulceratos, & mediocriter inflexos, accedere quo facilius motum concipiant. Vt enim in corpore humano, si ad humores malè affectos, ipsa cœli ratio atque intemperies accesserit, tantò citius vis morbi inualescit: Sic animum præuijs iam simultatibus leuiter occupatum, vel ad eas ipsas suscipiendas, natura atque ingenio dispositum, acrioris flammæ vis corripit, correptúmque facilius incendit.

Hoc M. Tullius in accusatoribus Deiotari animaduertit; qui cùm ad vlceratas Cæsaris aures accessissent, eas in tranquilla etiam mente simultates excitârunt, quas vix disertissimi oratoris facundia potuit restinguere.

Secundò: Ipsius personæ quæ damnum intulit, species quædam indigna, atrox, crudelis, funesta, quantum res patitur, exprimenda est, quo iniuria quæ inde profecta fuerit, grauior & minimè toleranda videatur.

Tertiò, eius ipsius qui læsus est, vt occurrerit, comparanda erit innocentia, virtus, sapientia, conditio, dignitas, cum personæ quæ læsit, improbitate, scelere, barbarie, indignitate.

Quartò, iniuria illata per graues hypotyposes oculis subiicienda, sublimibus figuris, vt exclamationibus, apostrophis, prosopopœiis, aganacteſi, & cæteris erit excitanda.

Quintò, comparatione minorum factum erit exaggerandum, & varia exempla etiam magnarum iniuriarum colligenda, quæ cum hac vna improbitate collata, longè minora videantur. Sextò,

Sextò, non modò præsentis mali vis erit erit commemoranda, sed etiam futuri, si talis iniuria fuerit impunita; terror ex varijs adiunctis incutiendus.

Septimò, si qua externa species animos irritare acriùs potest, tempore & loco erit adhibenda.

Octauò, si suspicio sit affectati motus, aut animi priuato odio iniquè affecti, tum lentè, remissè, callidè oratores progredi solent, & simplicem magis rei narrationem quàm vllam amplificationem pertexere.

Nonò, permagna habenda est rerum, personarum, locorum, temporùmque ratio, vt pro istorum varietate motus aut sint acuti, aut lenes, aut mediocres: nec sint comicè iracundi, nec muliebres, nec tragicis minis & doloribus intemperantes.

Decimò, curandum est vt orator decorum personæ retineat, neque ipse actione intemperanter abutatur: quæ omnia pleniùs exemplis illustro.

Quomodo à personis, rebus, & signis, concitetur iracundia.

CAPVT XXXI.

Cic. de Harusp. resp.

PErsona in odium adducitur à vitijs animi & corporis, atque ipsius conditionis indignitate. Is Ciceronis modus quam optimus mihi videtur. Etenim si vnum hominem deterrimum, poëta præstanti aliquis ingenio, fictis conquisitisque vitijs deformatum vellet educere, nullum profectò dedecus reperire posset, quod in hoc non inesset, multaque in eo defixa, ac penitus hærentia præteriret. Appositum initium, pergit, & ad commouendos animos deterrima affert vitia, contra Deos, patriam, parentes, quæ homo ille perpetrauit: *Dijs, (inquit) immortalibus*, & patriæ nos primùm natura conciliat: eodem enim tempore, & suscipimur in lucem, & hoc spiritu cœlesti augemur: & in certam sedem ciuitatis ac libertatis ascribimur: Iste parentum nomen, sacra, memoriam, Fontiano nomine obruit, Deorum ignes solemnes, mensas, abditos ac penetrales focos occultat, & manibus non inuisa solùm, sed etiam inaudita sacra inexpiabili scelere peruertit; idémque earum templum inflammauit Dearum, quarum ope etiam alijs incendijs subuenitur. Quid de patria loquar, quæ primum eum ciuem vi, ferro, periculis, vrbe, omnibus patriæ præsidijs depulit, quem vos patriæ conseruatorem esse sæpissimè iudicaueritis, &c.

Hæc oratio grauis est, distributa, & pedetentim exaggerata. Audi iam Gregorianæ eloquentiæ fulmen, vt Cappadocem describens, in odium adducat.

Gregorius Nazianzenus Orat. XXI. in Athanasium.

ΤΈρας τὶ Καππαδόκειον, ἐκ τῶν ἐσχαλιῶν ἡμετέρων ὁρμώμενον, πονηρὸν τὸ γένος, πονηρότερον τὴν διάνοιαν, ὀνδὲ παντελῶς ἐλεύθερον, ἀλλ' ἐπίμικτον, οἷον τὸ τῶν ἡμόνων γινώσκομεν· τὰ μὲν πρῶτα τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον, καὶ μάζης ὤνιον, πάντα καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν ἐπὶ τῇ γαστρὶ μεμαθηκὸς, τὰ τελευταῖα δὲ, καὶ πολιτείᾳ παρεισφθαρὲν, καὶ πιστευθὲν ταύτης τὰ ἔσχατα, ὅσον θείων κρεῶν ὑποδοχέα γυνέσθαι, οἷς τὸ στρατιωτικὸν τρέφεται. εἶτα κακὸν περὶ τὴν πίστιν γενόμενον, καὶ τῇ γαστρὶ πολιτευσάμενον· ἐπειδὰν τὸ σῶμα ὑπελείπετο μόνον, δρασμὸν ἐννοεῖ, καὶ ἄλλην ἐξ ἄλλης ἀμείβων χώραν, καὶ πόλιν. (οἷα τὰ τῶν φυγάδων) τέλος

Improbi scriptio.

CAppadox quoddam monstrum, ex vltimis terræ nostræ finibus oriundum, malum genere, animo peius, ne omni quidem ex parte liberum, sed dubium ac permixtum; cuiusmodi mularum genus esse constat; primùm alienæ mensæ mancipium, atque offa vænale, sicque comparatum & edoctum, vt omnia ad ventris gratiam tum faceret, tum loqueretur; tandem cùm ad Rempubl. gerendam pestiferè se contulisset, atque extremo & sordidissimo illius muneri, hoc est, suillis carnibus, quibus turba militaris alitur, suscipiendis præfectus fuisset, atque in commisso sibi negotio infidum se præbuisset, totamque muneris sui administrationem ad ventrem retulisset, posteaquam nihil illi præter corpus reliqui fuit: profugiendi consilium capit, atque aliam ex alia regionem, ac ciuitatem (vt fugitiuorum

mos

ἐπὶ κακῷ τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας. οἷόν τις Αἰγυπτιακὴ πληγὴ, τὴν Αλεξανδρέων καταλαμβάνει, ἐνταῦτα τῆς ἄλης ἵσταται, καὶ τῆς κακουργίας ἄρχεται, καὶ ἦν τἆλλα μὲν οὐδενὸς ἄξιος, οὐ λόγων ἐλευθερίων μετεσχηκὼς οὐ τὴν συνουσίαν σωμύλος. οὐκ εὐσεβείας σχῆμα γ' οὖν τι καὶ πλάσμα κενὸν περικείμενος, κακουργῆσαι καὶ συγχέαι πράγματα πάντων δεινότατος.

mos est) subinde permutans, postremò ad communem Ecclesiæ perniciem, instar cuiusdam Ægyptiacæ plagæ. Alexandriam inuadit. Hic vagari desinit; improbitatem autem, & versutiam auspicatur. Ac cætera quidem nullius pretij erat, nō liberalibus disciplinis imbutus, non in congressu, & colloquio facetus, non pietatis laruam saltem, & inanem speciem præferens, verùm ad suscipienda facinora, resque perturbandas appositissimus.

Item Iuliani orat. IIII.

Ἀλλ' ἐποίει με μαντικὸν ἡ τοῦ ἤθους ἀνωμαλία, καὶ τὸ περιττὸν τῆς ἐκστάσεως. εἴπερ μάντις ἄριστος, ὅς τις εἰκάζειν οἶδε καλῶς. οὐδενὸς γὰρ ἐδόκει μοὶ σημεῖον εἶναι χρηστοῦ, αὐχὴν ἀπαγὴς, ὦμοι παλλόμενοι, καὶ ἀνασηκούμενοι. ὀφθαλμὸς σοβούμενος, καὶ περιφερόμενος, καὶ μανικὸν βλέπων, πόδες ἀστατοῦντες, καὶ μετοκλάζοντες, μυκτὴρ ὕβριν πνέων, καὶ περιφρόνησιν προσώπου σχηματισμοὶ καταγέλαστοι, τὸ αὐτὸ φέροντες γέλωτες ἀκρατεῖς τε, καὶ βρασματώδεις, νέυσεις καὶ ἀνανεύσεις, σὺν οὐδενὶ λόγῳ, λόγος ἱστάμενος, καὶ κοπτόμενος πνεύματι, ἐρωτήσεις ἄτακτοι, καὶ ἀσύνετοι, ἀποκρίσεις οὐδὲν τούτων ἀμείνους, ἀλλήλαις ἐπεμλαίνουσαι, καὶ οὐκ εὐσαθεῖς, οὐδὲ τάξει προϊοῦσαι παιδεύσεως. τί ἂν καθ' ἕκαστον γράφοιμι: τοῦτον πρὸ τῶν ἔργων ἐθεασάμην, ὃν καὶ ἐπὶ τῶν ἔργων ἐγνώρισα.

SEd me morum, ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat; siquidem vates ille optimus est, qui rectè conijcere nouit. Neque enim mihi boni quicquam significare videbantur, ceruix minimè firma, humeri, quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus, & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles, & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula, idem significantes risus proterui, & æstuantes; nutus, & renutus omni ratione carentes; sermo hærens, spirituque intercisus; interrogationes præcipites & imperitę, responsiones his nihilo meliores; alię in alias insultantes, non autem graues, & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid singula describere necesse est! Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. *Iuliani descriptio.*

Sidon. Apol. ep. 13. lib. 3.

Eodem genio, sed impari stylo, Gnatonem improborum signiferum, Sidonius Apollinaris efformat, de quo plenius in libro descriptionum, post multa eius crimina addit;

Fœculentiæ omninò par cloacali, quæ quò plus commota, plus fœtida est. Ita viuens, paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui, vesicarū ruptor, fractorque ferularum, bibendi auidus, auidior detrahendi, rabido pariter ore spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi, putidior, temulentior, an facinorosior existimetur.

[Subiungit de corpore.]

Enimuerò ille sordidior est, atque deformior cadauere rogali, quod facibus admotis semicombustum, mexque sidente strue torrium deuolutum, reddere pyræ iam fastidiosus pollinctor exhorret. Præter hæc lumina gerit idem lumine carentia, quæ Stygiæ vice paludis voluunt lachrymas per tenebras, gerit & aures immanitate barrinas, quarum fistulam biforem pellis vlcerosa circumuenit saxeis nodis, & tofosis humore verrucis; per marginem curuum protuberantibus, portat & nasum, qui cum sit amplus in foraminibus, & strictus in spina, sic patescit horrori, quod angustatur olfactui, prætendit os etiam labris plumbeum, rictu ferinum, gingiuis purulen-

tum, dentibus buxeum. Et cætera, quæ ille grandi, & horribili oratione.

Omitto quæ habet Demosthenes in Æschinem, Aristogitonem, & Midiam: Cicero in Pisonem, Vatinium, Clodium, Antonium & cæteros.

Iam vbi hac & simili proposita immanitate, obiecta est eius, qui in odium adducitur species, si contrà læsæ personæ dignitas opponatur, consurgit indignatio, vt,

Cic. 4. Philipp. Est igitur, Quirites, P.R. Victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco.

Salust. in orat. Philippi. Et apud Sallustium. Proh Dij boni, qui hanc vrbem, omissa cura adhuc regitis: Marcus Æmilius omnium flagitiosorum postremus, qui peior, an ignauior sit, deliberari non potest, exercitum opprimendæ libertatis habet, & se è contempto metuendum effecit? vos mussantes, & retractantes verbis, & vatum carminibus, pacem optatis magis quam defenditis?

In facto demùm proponendo, & aptissimis verbis, atque sententijs explicando, permagna totius affectus vis consistit.

Greg. Nazianz. orat. 3. in Iulianum. Quid illud Marci Arethusij martyrium, quod narratur à D. Gregorio Nazianzeno, sine iusto iracundiæ dolore in authorem supplicij, & singulari in Martyrem miseratione, audiat?

Ducebatur senex sacerdos, Athleta voluntarius, per mediam ciuitatem, omnibus, præter persecutores & carnifices, tum ob ætatem venerabilis, tum ob vitæ probitatem venerabilior. Ducebatur porrò ab omnibus cuiuslibet ætatis, & conditionis, ac fortunæ, æquè vrgentibus viris, & fœminis; adolescẽtibus, & senibus; tam qui publica negotia administrabant, quàm qui honoribus, ac dignitatibus prędití erant? atq; hoc vnum certamen cunctis propositum erat, vt furoris aduersus senem immanitate sese mutuò superarent, omnibusque pietatis pars esse censebatur; quamplurimis eum malis afficere, pugilemque senem, aduersus totam ciuitatem decertantem superare. Raptabatur per plateas, volutabatur in cloacis: crinibus, & quauis alia corporis parte admixta, nempe cruciatibus, contumelia ab ijs trahebatur, qui in Mithræ sacris huiusmodi supplicijs iustè cruciantur. A pueris ad pueros pendulus remittebatur, qui cultris pennatijs generosum illud corpus certatim excipientes, instar ludi diram agebant tragœdiam.

Tormentis etiam tibiæ illius ad ipsa vsque ossa comprimebantur, lineis filis amputabantur aures, tenuissimis quidem illis sed firmissimis. Ipse interim sporta in altum sublatus, melle, & insculo vndique perfusus, apibus, & vespis meridiano tempore pungebatur, ardentissimo sole lucente, atque huic quidem carnes colliquante, illis autem beatarum carnium, non enim dixerim miserarum, esum acriorem efficiente.

Hæc è Græcis Latinè expressa, ne Græcis vsq; testimonijs paginas oneremus: quæ vel liquidè, simpliciterq; narrata, ad motus concitandos vim habent non mediocrem.

Corn. Tacit. in vita Agricolæ. Sic Galgacus apud Cornelium Tacitum, Britannorum suorum animos, odijs aduersus populum Romanum irritans, quam excelse, & Romanorum crudelitatem, & suorum miserias narrat?

Raptores (inquit) orbis, postquam cuncta vastantibus defuere, terras & mare scrutantur: si locuples hostis est, auari; si pauper, ambitiosi: quos non oriens, non occidens satiauerit. Soli omnium opes, atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque vbi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique, ac propinquos suos natura charissimos esse voluit: hi per delectus alibi seruituti auferuntur. Coniuges, sororesque, & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum, atque hospitum polluuntur. Bona, fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum, corpora ipsa, ac manus syluis, ac paludibus emuniendis, verbera inter, ac contumelias conterunt. Nata seruituti mancipia semel veneunt, atque vltrò à dominis aluntur: Britannia seruitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Hæc ad mouendam iracundiam grauiter, & amarulentè dicta. Quid si iam accedant vehementium figurarum emissiones, vt; *Demosth. de falsa legatione.* Καὶ τοιαῦτα συνειδὼς ἑαυτῷ πεπραγμένα ὁ κατάρατος τολμήσει βλέπειν εἰς ὑμᾶς. Deinde tot criminum sibi conscius impurus ille audebit in nos intueri, Et contra Aristogitonẽ; Καὶ οὐδεὶς ὑμῶν χολὴν οὐδ' ὀργὴν ἐχωνφανήσεται ἐφ' οἷς ὁ βδελυρὸς οὗτος καὶ ἀναιδὴς ἄνθρωπος οὑτοσὶ βιάζεται τοὺς νόμους. Nullus deinde vestrûm succensere, & irasci videbitur, in ijs quibus execrandus ille, & exhausti pudoris homo leges violat.

Hæ sunt faces, & classica. Quid Cicero? quo genio in odium, & iracundiam rapit? *Cic. in Pisonem.*

Cum

Cum quidem tu, ô vecors, & amens, cùm omnes boni, abditi, inclusique mœrerent, tẽpla gemerent, tecta ipsa vrbis lugerent, complexus es illud funestum animal, ex nefarijs stupris, & ciuili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum: Atque eodẽ templo, eodem in loci vestigio, & temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti. Quid ego illorum dierum epulas? quid lætitiam, & gratulationẽ tuam? quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperatissimas perpotationes prædicem? Quis te illis diebus sobrium? quis agentem aliquid, quod esset libero dignum; quis denique in publico vidit: cum collegæ tui domus cantu, & cymbalis personaret? cumque ipse nudus in conuiuio saltaret: in quo, ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat. Hic autem, non tam concinnus helluo, non tam musicus, iacebat in suo Gręcorum fætore, atque vino, quod quidem istius in illis Reip. luctibus, quasi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum conuiuium ferebatur: quo nemo potest dicere, vtrũ iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit.

Hæc crudelitas, & turpitudo tam sublimi oratione expressa, ingentes habet aculeos. Post hæc modò vibrantur confertæ exclamationes: vt, O tenebræ, ô lutum, ô sordes! [Et alibi:] O scelus, ô portentum in vltimas terras exportandum! [Et rursus] O spectaculum miserum, atque acerbum, ludibrio esse Vrbis gloriam, P. R. nomen, in hominum conuentu, atque multitudine, piratico Myoparone, in portu Syracusarum, de classe populi Romani triumphum agat pirata, cum prætoris nequissimi, acerbissimique nauim prædonum remi aspergerent.

Modò apostrophæ, & conuersiones accedunt ad homines, ad Deos, vt,

Per Deos Immortales, Iudices, quo tandem animo sedetis, aut hæc quemadmodum auditis: vtrum ego desipio, & plusquam satis est, doleo in tanta calamitate, miseriaque sociorũ? an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus, & mœror pari sensu doloris afficit, &c. Ad Deos, vt: καλῶ δὲ ἐναντίον ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι τοὺς θεοὺς ἅπαντας.

Demosth. de corona.

Modò comparata proferuntur exempla.

Cicero in Pisonem.

Quis hoc fecit vlla in Schytia tyrannus, vt eos, quos luctu afficeret, lugere nõ sineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers insignia: eripis lachrymas, non consolando, sed minando.

Modò per prosopopœias orationes exprimuntur, mortui ipsi ad tribunal Iudicum, & consessum auditorum appellantur; siquidem Orestes apud Libanium, aptè admodum patris demortui animam, & Apollinem Pythium, tanquam innocentiæ suæ propugnatores, aduocat. Ad summum tanquam balistis exploduntur indignationes, execrationes, diræ, & cætera id genus, de quibus in figuris. Adduntur etiam minæ, & varij terrores incutiuntur, vt [Erit, erit illud tempus] & similia.

Quod si etiam signa extiterint, vt corpora spurcè tractata, liuores, cruor, vulnera, vestes, gladij, suppliciorum instrumenta

Signa externa aptè hic proferuntur.

Clotildis, Clodouæi filia, & Childeberti, Clotharij, atque Theodorici Regum Francorum soror, ab Almarico Rege Visigothorum Ariano, cui nupserat, ignominiosè, duriterque tractata, imbutum suo cruore sudarium ad fratres Reges misit, quibus veluti literis sanguine exaratis perciti, classicum tota Francia cecinerunt, & immane illud bellum confiârunt; quo res Visigothorum prorsus attritæ ceciderunt. Nec alia res magis P. R. excitauit, quàm cum Antonius Cæsaris vestem explicans exclamauit;

Paul. Æmil. l. 1. Diol. l. 44.

Ὡς τολῆς ἐσπαραγμένης, ἣν ἐπὶ τούτῳ μόνον ὡς ἔοικεν, ἔλαβες, ἵν' ἐν ταύτῃ σφαγῇς.

De varietate motuum iracundiæ, & eorum vsu.

Ac de vitiosis motibus in hoc genere.

CAPVT XXXII.

ADhibenda est à prudenti scilicet oratore permagna in hisce motibus concitandis temperies, vt insanos quosque, & ignauos reijciat: sanos contrà, & generosos studiosissimè consequatur. Primùm quidam motus sunt iracundiæ, qui vidẽtur magni, & violenti, sed re ipsa verbosi sunt, degeneres, ignaui: qui à comicis, plebeiis hominibus tribui solent: Rumpuntur enim nonnunquam iracundia, & quo magis irascuntur, eo pleniorem omnium captant risum. Talia sunt ista apud Terentium:

Tum autem Syrum impulsorem: vah! quibus illum lacerarem modis.
Sublimem, medium, arriperem, & capite primùm in terra statuerem,
Vt cerebro dispergat viam:
Adolescenti ipsi oculos eriperem: post hæc præcipitem darem:
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem.

Fulgura sunt hæc (vt diximus) è pelui.

Quin apud Plautum, quanto dolore, & iracundia hæc senex?

Plautus in aulularia.

Perij, interij, occidi: quò curam? & quò non curram?
Tene, tene, quem? quis? nescio, nihil video, cæcus, atque
Equidem quo eam, aut vbi sim, aut qui sim, neque cum animo
Certum inuestigare, obsecro vos ergo mihi auxilio,
Oro, obtestor, sitis: & hominem demonstretis, qui eam abstulerit.
Qui vestitu, & creta occultant sese, atq; sedent, quasi sint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum est, nam esse bonum te vultu cognosco.
Quid est quod ridetis? noui omnes. Scio fures esse hic complures.

Hæc tam iracunda ad risum ab ingenioso poëta sunt comparata. Homo enim dolore, & iracundia cæcus seipsum interrogat, & simul respondet, modò pugnantia secum loquitur, modò alios laudat pariter, & vituperat, quas ob caussas meritò deridetur.

Quæ sunt igitur huius affectus vitia? facilè est istud quidem prudentiæ dijudicare. Primùm vitiosi sunt nimis vehementes, atque insani. Tantum enim abest, vt iracundiam, vel terrorem inijciant clamosi isti nugatores, qui potius se ipsos præbent deridendos, quod ratione, præstantissima hominis parte, videantur destituti.

Secundò, deridentur qui licet insani nihil admodum habeant, supra rem tamen, & personam sunt elati: quales sunt, qui in caussis, & negotijs minoris momenti adhibentur ad tragœdiæ grauitatem nimis compositi. Quod vitium pueris familiare est, qui in affectibus, & iudicijs nullum persæpè tenent modum. Atqui vt res alioqui viles amplissimis extollũt laudibus, sic etiam in minora quæque crimina, æquè solent, ac in maxima, excandescere.

Motus generosos quid eneruet.

Tertiò generosi plerumque motus verbis antiquis, atque inflatis deteri, infringique solent; Num enim in risum cedet hæc iracundia Medea apud Pacuuium?

Pacuuius in Medea.

Quidnam autem hoc soniti est, quod stridunt foris?
Vbi ille est? me miseram! quoniam clamor eliminat.
Si quis me hac oratione incilet, quid respondeam?
Vtinam nunc matrescam ingenio, vt meum patrem vlcisci queam.
Ego ne tyranni noui temeritudinem,
Me caluitur suspicio.

Quartò, cauendum est serijs iracundiæ motibus, misceantur ioci, & ridicula. Neque enim licet irasci oratori, vt Ballioni.

Plaut. in Pseudolo.

Forum coquinum qui vocant, stultè vocant:
Nam non coquinum est, verùm furinum est foris.
Nam si ego iuratus peiorem hominem quærerem,
Coquum non potui, quàm hunc, quem duco ducere.
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Vt esset hic, qui mortuus cœnam coquat:
Nam hic solus illis coquere quod placeat, potest.

De generosis iracundiæ motibus,

CAPVT XXXIII.

EXtant plerique generosi iracundiæ motus, qui, quasi liberi, paterni corporis similitudinem, sic animæ ipsius Oratorum, à quibus fluunt, effigiem quandam præferunt, vt non immeritò, illustrium parentum sobolem possis appellare. Qua in re præ cæteris admirabiles Diuus Gregorius Nazianzenus, Demosthenes, & Cicero extitere. Quo enim spiritu, hæc aduersus Iulianum.

MOTVS IRASCIBILIS.

Gregorius Nazianz aduersus Iulianum Orat. III.

Ἠγνόησας, καὶ ἀσεβέστατε, καὶ ἀπαιδευτότατε τὰ μεγάλα, σὺ κατὰ τοσοῦτον κλήρου, καὶ τοιᾶδε μυστικῆς καρποφορίας, καὶ τὰ πάντα διαλαθόντα τὰ τέρατα, διὰ τὴν εὐτελείας τοῦ λόγου, καὶ τὰ μυρία, ὡς ἂν αὐτοὶ φαίητε, τοῦ κηρύγματος, ὃ θρῆσις ἐνίκησε, καὶ δαίμονας ἔπαυε, καὶ χρόνον ὑπερκόνλασε, τὸ αὐτὸ παλαιόν τε ὁμοῦ τυγχάνον, καὶ νέον, (ὡς ὑμεῖς τῶν θεῶν τινὰ τερατεύεσθε,) τὸ μὲν τοῖς ὀλίγοις, τὸ δὲ τοῖς πολλοῖς· καὶ τὸ μὲν τῇ σκιαγραφίᾳ, τὸ δὲ τῇ τελειώσει τοῦ μυστηρίου χαρισαμένου ἰδίοις ταμιεύεται; σὺ καλὰ τὰ μεγάλης τοῦ Χριστοῦ κληρονομίας, ὁπόθεν, καὶ πόσου, καὶ πόθεν, μεγάλης, καὶ οὐ παυομένης, εὐδὲ ἂν πλέον ἢ σὺ μανῶσί τινες, ἀλλ' ἐπὶ πλεῖον ἀεὶ βαδιζομένης τε καὶ ἀρθυνομένης; (πιστεύω γὰρ τοῖς προρρήσεσι, καὶ τοῖς ὁρωμένοις,) ἣν ὁ θεὸς ἐποίησε, καὶ ὡς ἀνθρωπος ἐκληρονόμησε, ἣν νόμος ἐτύπωσε, καὶ χάρις ἐπλήρωσε, καὶ Χριστὸς ἐνεχείρισεν. ἣν προφῆται συνέπηξαν, καὶ ἀπόστολοι συνέδησαν, καὶ εὐαγγελισταὶ κατηρτίσαντο; καλὰ τὰ τοῦ Χριστοῦ θυσίας, τοῖς θείοις μιάσμασι, σὺ καλὰ τοῦ τὸ κόσμου καθήραντος αἵματος, τοῖς θείοις αἵμασι; σὺ πόλεμον καλὰ τὴν εἰρήνης; σὺ χεῖρα καλὰ τὴν ὑπὲρ θεοῦ πλωθείσης τε καὶ διαστείσης; σὺ καλὰ τὴν χολὴν τὴν σὴν γεῦσιν; καλὰ τοῦ σαυροῦ βόπαμον; καλὰ τοῦ θανάτου καλάλυσιν, καλὰ τῆς ἀναστάσεως ἐπανάστασιν; καλὰ τοῦ μάρτυρος, οὐ μάρτορας; μετὰ Ἡρῴδου διώκης, καὶ μετὰ Ἰούδαν προδότης· (πλὴν ὅσον οὐκ ἀγχόνην τὴν μετάνοιαν ἐδείξας ὥσπερ ἐκεῖνος·) καὶ χριστοκτόνος μετὰ Πιλᾶτον, καὶ μετὰ Ἰουδαίους μισόθεος; οὐκ ἠδέσθης τὰ ὑπὲρ Χριστοῦ σφάγια; οὐδ' ἐφοβήθης τοὺς μεγάλους ἀγωνιστὰς, τὸν Ἰωάννην ἐκεῖνον, τὸν Πέτρον, τὸν Παῦλον, τὸν Ἰάκωβον, Στέφανον, τὸν Ἀνδρέαν, τὴν Θέκλαν, τοὺς ἐπ' ἐκείνοις τε, καὶ πρὸ ἐκείνων, τὰ ἀληθείας προκινδυνεύσαντας; οἱ πυρὶ καὶ σιδήρῳ, καὶ θηρσὶ, καὶ τυράννοις προθύμως ἀντηγωνίσαντο, καὶ πα-

HOmo stultissime, & impijssime, & in magnis rebus imperitissime, túne aduersus tantam sortem, ac per totum orbem fusam oblationem, quæ per sermonis vilitatem, prædicationisque, vt ipsi fortasse dixeritis, stultitiam, omnes terræ fines complexa est, quæ sapientes vicit, & dæmones oppressit, & tempus superauit, eadem vetus simul & noua, (vt vos Deorũ quendam portentosè confingitis,) illa paucis, hæc promiscuæ multitudini; illa adumbratione, hæc perfectione mysterij ad sua tempora reseruati? Túne? quis autem, & quantus? & vnde profectus? Aduersus magnam Christi hæreditatem, magnam, inquam, illam, nec etiam si quidam maiori quàm tu, furore atque insania præcipites ferantur, finem habituram, verùm longius progressuram, altiusque assurrecturã: (mihi enim & Prophetarum oracula, & ea quæ cernimus, fidem faciunt; quam, vt Deus, creauit; & vt homo, hæreditate consecutus est: quã lex adumbrauit, & gratia expleuit: quam Prophetæ coagmentarunt, & Apostoli, quasi vinculis constrinxerunt, & Euangelistæ numeris omnibus absoluerunt? Túne aduersus Christi sacrificiũ, cum tuis piaculis: túne aduersus eum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? túne bellum aduersus pacem? túne manum aduersus eam, quæ & pro te, & propter te, clauis transfixa est: túne aduersus fel gustum tuum: aduersus crucem trophæum: aduersus mortem oppressionem: aduersus resurrectionem, insurrectionem, & rebellionem: aduersus martyrem, ne martyres quidem: post Herodem persecutor, & post Iudam proditor, (nisi quòd non laqueo, vt ille, pœnitentis animi significationem dedisti;) post Pilatum, Christicida; post Iudæos, Dei hostis: non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui & post illos, & ante illos, pro veritate periculis se obiecerunt: qui cum igni & ferro, & belluis & tyrannis, & præsentibus malis & denunciatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporũ expertes, dimicarunt?

ρῶτι κακοῖς καὶ ἀπειλημένοις, ὥσπερ φὸ ἀλλοζίους σώμασιν ἢ ἀσώματοι; τίνος ἕνεκεν: ἵνα μὴ προδῶσι μηδ' μέχρι ῥήματος τὴν εὐσέβειαν· ὧν αἱ μεγάλαι ἡμαὶ, ἡ παιηγύρεις. παρ' ὧν δαίμονες ἐλαύνονται, καὶ νόσοι θεραπεύονται ὧν αἱ ἐπιφάνειαι, καὶ ὧν αἱ προρρήσεις, ὧν καὶ τὰ σώματα μόνον ἴσα δύνανται ταῖς ἁγίαις ψυχαῖς, ἢ ἐπαφώμενα, ἢ ἱμώμενα· ὧν καὶ ῥανίδες αἵματος μόνον, καὶ μικρὰ σύμβολα πάσης, ἴσα δρᾶσι τοῖς σώμασιν.

curine pietatem, vel verbo tenus proderent: Quibus præclari honores & festa constituta sunt: a quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones; quorum vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur; quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque suppliciorum signa idem possunt quod corpora. [Hæc etiam trucis habet aliquid festiuitatis admixtum.

ΟΥ, φασιν οἱ τὰ ἐκείνου σέβοντες, καὶ τὸ νέον ἡμῖν θεὸν ἀναπλάττοντες, τὸ ἡδύ, καὶ φιλάνθρωπον. ἀλλ' ὅτι οὐ δημοσίᾳ, διωκόμενοι χριστιανοί, πεφύκασι, καὶ πάντα πεπόνθασι, ὅσα δοκεῖ τοῖς διώκουσιν, ἀφιέντες αὐτὸν τὸ διώκειν κελεύειν. τὴν Ὕδραν ἴσμεν, οὐδεὶς πώποτε εἶπεν ἥμερον, εἰ μὴ πολλὰς κεφαλὰς ἀντὶ μιᾶς πρόβαλλετο· εἰ τῷ μύθῳ πιστέον οὖν τὴν Παταρικὴν χίμαιραν, εἰ ζῷα, καὶ ἀνομοίους, ὥστε εἶναι φοβερωτέραν. ἢ τὸ ἄδυ Κέρβερον, εἰ τοσαύτας τε καὶ ὁμοίας, ἢ τὸ θαλάττιον χαλκὸν τὴν Σκύλλαν, εἰ ἐξ ὧν κύκλῳ, καὶ ψευκτόλατας· καὶ τοίγε τὰ ἄνω φασὶν αὐτῆς χρηστὰ καὶ φιλάνθρωπα, καὶ εἰς ὄψιν οὐκ ἀηδῆ. (κόρη γὰρ ἦν, πρὸς ἡμᾶς τὸ συγγενὲς ἔχουσα·) αἱ δ' ἀπὸ τούτων κυνώδεις κεφαλαὶ, καὶ θηριώδεις, οὐδενὸς ἦσαν ἀγαθοῦ, σῶν ὅλων ἁρπάζουσαι, καὶ μηδὲν εἰς κίνδυνον διαφέρουσαι, τοῖς ἀνιδέᾳ χαρύβδεως. ἢ καὶ τὸ τοιοῦτον σὺ, καὶ τῶν σφενδονητῶν τὰ βέλη, καὶ τοὺς λίθους κολαπάσῃ, ἀλλ' οὐ τοὺς σφενδονᾶν, καὶ τοὺς τοξεύοντας; εἰ δὲ καὶ κυνηγετικοὺς κύνας, καὶ τὰ φαρμακέων τὰ θηλήρια, καὶ τὰ κερατούντων βοῶν, καὶ παραπαιόντων θηρίων τὰ κέρατα, καὶ τοὺς ὄνυχας· οἱ δὲ χρώμενοι τούτοις, ἐκτὸς ἁμαρτίας, καὶ οὐ μετέχουσι τῆς ὠμότολμίας, αἰτίας πολλῆς ταῦτα τῆς ἀλογίας, καὶ ὄντως σοφιστοῦ, δόλημα, τοῖς ἑαυτὸ συνηγορεῖν καὶ κακοῖς καὶ τῇ τῶ λόγω δυνάμει τὸ ἀληθὲς συγκαλύπτον. ἀλλ' οὐκ ἔστιν ὅπως ἑαυτὸν ἀποκρύψει, οὐδ' ἂν πολλὰ γράφῃ, καὶ παντοῖ γένηται τῆς ὑπονοίας, οὐδ' εἰ τὴν Αἰδοῦς

NOn ita est, inquiunt, qui res illius venerantur, nouumque Deum illum nobis effingũt, suauem, inquam, illum, & benignum: verum quia nequaquam aperte promulgauit, vt Christiani vexarentur, atque ea omnia paterentur, quæ persecutoribus collibitum esset, idcirco eum à persecutionis crimine vendicant. Atqui Hydram nemo vnquam lenem, & mansuetam dixit, quòd nouem capita pro vno proferret, si quid fidei poëtis habendum est: nec Pataricam Chimæram, quòd tria, ac diuersa, vt terrorem maiorem afferret: aut illum apud inferos Cerberum, quòd tonidem, & similia: aut Scyllam, æquoream pestem, quòd sex in orbem, maximeque horrenda, & tamen superiores ipsius partes suaues, & humanas fuisse narrant, nec aspectu iniucundas (virgo enim erat, cognationis cuiusdam necessitudine nobiscum deuincta:) at reliqua capita canina erant, & belluina, atque omnino perniciosa, classes totas corripientia, nec, quantum ad periculum, ab opposita Charybdi quicquam differentia. An tu etiam sagittariorum, & funditorum sagittas, ac lapides, non autem funditores ipsos, & sagittarios accusabis? an venatorum canes, veneficorum toxica, & cornupetarum boum, & dilaniantium ferarum cornua, & vngues: qui autem his vtuntur, extra culpam ponentur, nec criminis earũ rerum quas perpetrârint, participes erunt? Magnæ profectò hæc stultitiæ fuerint, ac sophista proculdubiò opus habuerint, qui vitiorum suorum patrocinium suscipiat, viribusque eloquentiæ veritatem obtegat. Sed nulla vnquam ratione seipsum occultabit, ne si in omnem quidem partem se vertat, ac per vafri-

Hydra. Chimæra. Cerberus. Scylla. Charybdis.

καυλέω, ὁ δὲ λέγεται, περὶ τὸ μυδᾶν, ἢ τῷ δακτυλίῳ Γύγου, ᾧ τὴν τροχὸν ἐστρεψόμενος χρυσοῦν, ἐαυτὸν ἀποκλέπτειν τοὐναντίον φασὶ οὖν, ὅσῳ φεύγειν δοκεῖ, καὶ διαδιδράσκειν, τοσούτῳ πλέον ἁλίσκεται παρὰ δικαίοις δικαζόσι, καὶ τοῖς συνετωτέροις τῶν κριτῶν· ὡς ταῦτα πράττων τε καὶ τοιαῦτα, οἷς οὐδὲ ἀναύτοις ὡς δικαίως παραιτουμένοις ἔχησιν ὁρᾶν. οὕτως εὐάλωτόν ἐστιν ἡ πονηρία, καὶ παντὶ χαλεπὸν ἑαυτὴν περιπλέξασα.

vafritiem ſuam in omnes formas immutet, atque Orci galeam, vt dici ſolet, induat, aut Gygis annulo, & palæ conuerſione ſeſe ſuffuretur. Imò contrà, quò magis elabi, atque effugere tentat, hoc magis comprehenditur, & conuincitur apud veritatis tribunal, ac prudentiſſimos quoſque earum rerum iudices, vtpote hæc faciens, atque committens, quæ ne ipſe quidem, vt iuſta defendere queat. Adeò expugnatu facilis res eſt improbitas, atque vndecunque ſecum ipſa pugnat. *Orci galea. Gygis anulus.*

Quanam ad odium commune excitent, & pudorem afferant.

HAec quæ turpitudinem habent admixtam, vt libidinum, potationum, obſequiorum infamium, non modò commune odium excitant, ſed ei ipſi, in quem dicuntur, pudorem afferunt non mediocrem, qualia ſunt, quæ in nobili Philippica, Antonio de vomitu, & amoribus: Æſchini in oratione pro corona, de comica opera, de obſcuritate familiæ, & viliſſimis miniſterijs in ſacris Cereris obijciuntur.

Nunc ſingula expendamus. Vnde tantus, & tam grauis conſurgit motus, paucis ad imitationem notandum eſt.

Prima emiſſio fit per amarulentam exclamationem; *homo ſtultiſſime, & impuſſime.* Subijcit vltimo loco, quod grauius ambitioſum Iuliani pungebat ingenium: *in magnis rebus imperitiſſime* Mox, qua maieſtate orationis, Eccleſiæ pingit maieſtatem? *Aduerſus tantam ſortem, quæ ſapientes vicit, Damones oppreſſit, tempus ſuperauit* Hæc & cætera magnifica. Iam ex aduerſo perſonam Iuliani, quo carbone delineat: *Túne? quo autem, & quantus? & vnde profectus?*

Hæc ad contemptum grauiora ſunt, quàm ſi longum verborum circuitum texeret: nam & innatam animi generoſitatem indicant, quę ne dignetur quidem omnes minutias excutere, vt genus, vt educationem, & pueritiam, *& vnde profectus?* Suſpicionem tamen animis auditorum relinquit, verbis ipſis longè grauiorem.

Tertiò, ex antitheſi, & oppoſitione contrariorum, pugnam Chriſti, & Iuliani ſubijciens oculis, ingentem motum excitat. *Túne manum aduerſus eam, & quæ, & pro te, & propter te clauis tranſixa eſt.* Quæ omnia vim habent maximam, & altiſſimam eloquentiam.

Tandem iſta, verbane videntur, an potiùs fulmina, quæ epiphonematis vice ſubijciuntur. *Poſt Herodem perſecutor, poſt Iudam proditor*: & quod amarulentam habet ironiam, *niſi quod non laqueo, vt ille, pœnitentiæ animi ſignificationem dediſti: poſt Pilatum Chriſticida, poſt Iudæos Dei hoſtis.*

Poſtremò, quæ conſummatæ malitiæ eſt, arguit in Iuliano effrænatam audaciam, omnis timoris, tam diuini, quam humani, expertem, à quo luculentæ plerunque ducuntur amplificationes. *Non victimas pro Chriſto caſus veritus es, nec magnos pugiles extimuiſti, Ioannem illum, Petrum, Paulum*: quæ magnificè, & pro rei dignitate dicuntur. Addit falſam, & aculeatam ironiam: *Hæc non colis, ſed contemnis qui Herculem rogum*; vbi de induſtria Herculeſ Oetheos, & Pelopas, & humeros eburneos, & cætera id genus commemorat, quo magis aduerſarium irritet, qui poetices, ac fabularum cognitionem Chriſtianis hominibus abſconditam eſſe cupiebat. Is eſt igitur Gregorij character in motibus iracundiæ, & ex vngue leonem licet agnoſcere.

Demoſthenes multum habet calidi, & incenſi: atque in his profectò motibus longè felicius, quam in miſerationibus domina tur, quanquam non eſt fuſa eius, vt ſolet, ira- cundia, ſed conciſis vibrata locutionibus, quas tela ignea meritò quis poſſit appellare. Videtur autem nonnunquam, præ ve- hementia oratoris incluſus colluctari ſpiritus, & non *Demoſthenis* *nu iracun- dia acris & generoſa, fulmini cō nubę collu- ctanti com- paratur.*

& non secus, atque halitus in ardenti nube circumrotari, strepere, minari, nondum tamen exilire, vt terror ipse quolibet exitu grauior sit, & formidolosior. Nunquid enim in istis videtur ignes parturire, necdum tamen edere? ἐφ' οἷς ἀποπνίγομαι, cum de Æschinis audacia, & facinoribus loquutus, vt plura suis auditoribus cogitanda relinquat, & eorum tantam esse turpitudinem ostendat, vt sine nausea, & animi cruciatu dici non possint.

In his ego, inquit, *strangulor*. Nondum fulmen cecidit, & eo terribilius est: &, οὐχ ὃ ἂν εἴποι ἄς: postquam multa eructauit in aduersarium? *Nunquid hic est barbarus? num execrandus? num?* Hic intercidit, quasi præ atrocitate nomen vix inueniẽs, deinde transilit: *Num ipse est, quod quisq; dixerit mali?* Curtum quidem illud, sed grauis, & generosi stomachi.

Ciceronis motus in iracundia.

Quid Cicero πεντάθλος, summus in omnibus: huius strictæ, & fastidiosæ iracundiæ, vbi modo vult, multum habet: vt, tuæ coniugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo cõtemptius, qui propter hæsitantiam linguæ, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At auus huius nobilis, Tuditanus nempe ille, qui cum palla, & cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat: Vellem hanc cõtemptionem pecuniæ suis reliquisset, haberetis nobilitatem generis gloriosam. (Grauis dubio procul, & amarulenta oratio, quæ plus celat, quam promit. Nam quo artificio, M. Antonij auaritiam perstringit? *Vellem hanc contemptionem*: Est istud, Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbaro Epicuræo, cum altero Catilinæ laternario, quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi: & ego istius pecudis, ac putidæ carnis, consilio scilicet, aut præsidio niti volebam? ab hoc eiecto cadauere, quidquam mihi opis, aut ornamenti expectabam? [Quæ plena sunt acerbi contemptus. Iam vbi habenas laxat iracundiæ, quantus, & quàm admirabilis est!)

Cicer. in Pisonem.

O Dij immortales, tune etiam, atque adeò vos geminæ voragines scopulique Reipublicæ, meam fortunam deprimitis, vestram extollitis. [Et] O familiæ! [hic tantisper moratur] dein, non dicam Calpurniæ, sed Cluentiæ: neque huius vrbis, sed Placentini municipij: neque paterni generis, sed bracchatæ nationis dedecus.

Et contra Antonium: Tu mentis es compos? tu non constringendus?

Iam ista sunt incensa fulmina.

O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum ædium Dijs penatibus os importunissimum ostendere? quam domum aliquamdiu aspicere poterat, nemo sine lachrymis præterire, hac te in domo tamdiu diuersari non pudet? in qua, quamuis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum. An tu illa vestibula, rostra, spolia, cùm adspexisti, domũ tuam te introire putas? fieri non potest: quamuis enim sine mente, sine sensu sis, vt es; tamen & te, & tua, & tuos nosti. Nec verò te vnquã, neque vigilantem, neq; in somnis, credo mente posse consistere: necesse est, quamuis sis, vt es, violentus, & furens, cùm tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum de somno excitari, furere etiam sæpè vigilantem. *Philipp. 2.*

Et pro domo. O Dij immortales. (Vos enim hæc audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat. [Deinde.] Quid tibi necesse fuit anili superstitione, homo fanatice? &c. *Pro domo.*

Tum: Quid homini teterrimo, crudelissimo, fallac[illegible]imo, omnium scelerum, libidinũque maculis notatissimo, &c.

Quid de me, quod tulisse te dicis, patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinẽ tulisti, &c. [Hoc demùm stomachũ eructare est.] Et: O cænum! ô portentum! ô scelus! hanc tibi legem Clodius scripsit, spurciorem lingua sua.

Grauis hic stomachus, si quisquam alius: Vbi verò stimulandi sunt ad iracundiam iudices, quis illo potentior?

Si hæc non ad ciues Romanos, non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, non ad eos, qui populi Romani nomẽ audiuissent: denique, si non ad homines, verùm ad bestias, aut etiam, vt longius progrediar, si in aliqua disertissima solitudine, ad saxa, & scopulos hæc conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta, atque inanima, tanta, & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. Nunc verò, cùm loquar apud Senatores P. R. legum, iudiciorumque, & iuris authores, timere non debeo, ne non vnus iste ciuis Romanus illa cruce dignus, cæteri omnes simili periculo indignissimi iudicentur. Paulò antè, iudices, lachrymas in morte misera, atq; indignissima nauarcho- *Verr. 7. Iracundia & conquestionis motus.*

chorum non tenebamus Quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? nam ciuium Rom. sanguis coniunctus existimandus est. Et quæ habet in Verrem, initio actionis 2.

Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Roman. quos partim secuti percussit, partim vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis, & ciuitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium Dij patrij: quod iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentis pretium pro sepultura liberûm posceret. & cætera, quæ longè, lateque exaggerata, ad incendendam iudicum iracundiam plurimum valent. Etiam illud 4. ad Herenn. ad incitandum validum est

4. ad Herenn.

Quod si istum, Iudices, vestris sententijs liberaueritis, statim sicut à cauea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis, volitabit, & vagabitur in foro, acuens dentes multos (an potius inultos?) in cuiusque fortunas, in omnes amicos, atque inimicos, notos, & ignotos incursans, aliorum famam depeculans, aliorum domum, atque familiam perstringens, rempubl. funditus labefactans. [Quanquam istud, nondum consummatæ, vt apparet, eloquentiæ. Mitto cætera prope innumerabilia, quæ passim occurrunt.

Innata est fermè omnibus oratoribus hæc ingenij celsitudo, sed in diuinis hominibus eò clarius elucet, quo sanctitatis armis freti, in vitia liberiùs inuehuntur. In quo admirabilis est, sicut in cæteris, D. Chrysostomus, maiestas: quo enim spiritu dixit aduersus Eudoxiam:

Vid. Baro. tit. 5. p. 243.

Rursum Herodias furit, rursum bacchatur, rursum ab Herode caput Ioannis iniuriâ petit abscindi: Rursum Iezabel Nabute vineam eripere satagit, & sanctum Eliam ad montes compellere.] Horribilis planè oratio, quæ licet in historiam de cæde Ioannis Baptistæ diceretur, omnes tamen in Eudoxiam quæ tunc acerbissimè Ioannem Chrysostomum persequebatur, dictum existimarunt. Hoc initium, quod inuenitur in oratione ab Antonio Agellio ex veteri codice decerpta, immutatum est homil. decima quinta in Matthæum, vbi his verbis exoditur; Heu me, quid agam? vnde sermonis exordium faciam? quid dicam? vel quid taceam?

Cætera planè conueniunt: habent autem amarulentam in ambitionem, & crudelitatem mulierum inuectiuam.

Quid inter agrestes feras leone sæuius? sed nihil ad mulierem. Quid draconе atrocius? sed & hoc, muliebre superauit ingenium.

[Deinde.]

Danielem leones in lacu reueriti sunt, iustum verò illum Nabuten Iazebel interfecit. Cetus Ionam in ventre custodiuit; Dalila autem Sampson circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum, hostibus tradidit. Dracones, & aspides, & feræ cornutæ, Ioannem Baptistam in solitudine degentem, immanitatis oblitæ tremuerunt, Herodias verò eidem caput amputauit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit.

Tom. 2. hō. 15. in Matt.

Motus crescit ex comparatis, quæ superius notauimus: iam quo impetu ardentes sagittæ vibrantur in Herodem?

Adulterium Herodes committis, & in carcerem pergit Ioannes; sic iudicat sedens in loco Iudicis reus, in loco vindicis, innocentiæ persequutor. Rogo vbi rerum facies? vbi forma? vbi pudor? vbi existimatio publici cognitoris? vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipsius iura naturæ? Simul omnia iunt, Herodes, te agente, te iudicante, te viuente confusa.

Hom. 16. in Matth.

Et ista, quàm grandi, & neruosa dicuntur eloquentia?

Mensa migrat in ferarum caueam: in arenam funerum Regia conuertitur: fiunt de cõuiuis lanienæ spectatores: mutatur furore conuiuium, fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem. Versus est dies natalis in funebrem, ortus in occasum, cœna in homicidium. Neruorum cantus nænias concinunt, & tragœdia personat, quam omnium sæculorum intuebitur memoria.

[Quid deinde?] Ingreditur bellua, non puella; cruorem sitit, non choreas: discurrit per aulam imagine duntaxat muliebri fera importuna, per collum iubas spargit, non capillos, varijs torquet membra flexibus, crescit interim immanis sæuitia, fit grandis crudelitate, non corpore, fremit ore, dentibus frendet, ferrum non suscipit, sed producit.

Sed omnium planè ingenia, mordaci quadam acrimonia, stylique volubilitate superauit S. Hieronymus. Nam, vt cæteros omittam, Heluidium, Iouinianum, Vigilantium, qua oratione Rufinum veterem amicum exagitat?

Illud verò ridiculum, quod post triginta annos ad parentes se esse reuersurum iactat: homo, qui nec patrem habet, nec matrem, & quos viuentes iuuenis dereliquit, mortuos senex desiderat, nisi fortè parentes militari, vulgarique sermone cognatos, & affines nominat. [Mox:] Periclitatur Romæ illa probatissima fides eius: & hic supinus, & lassulus, post triginta annos per mollissimum Flaminiæ iter essedo venire non potest: sicque prætendit longi itineris lassitudinem, quasi triginta annis semper cucurrerit, aut biennio Aquileiæ sedens, præteriti itineris labore confectus sit.

[Et alio in loco.]

Hæc taces, quæ omnes flagitant, & ad illa respondes, quæ nullus inquirit: Fumos quoque meos frequenter irrides, eo quòd simulem scire me, quod nesciam, & enumeratione doctorum rude illudam vulgus. Tu videlicet flāmeus, imò fulmineus: qui in loquendo fulminas, & flammas ore conceptas tenere non potes. Atque vt ille Barthochabas auctor seditionis Iudaïcæ, stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, vt flammas euomere putaretur: ita & tu nobis alter Salmoneus, omnia per quę incedis, illustras, & nos fumosos arguis, de quibus fortè dicatur, qui tangis montes, & fumigant; nec intelligis, quid fumus in Propheta significet, locustarum, & quòd pulchritudo oculorum tuorum amaritudinem fumi nostri ferre non potest.

Sed hæc eius, mel & rosæ, si cum istis conferantur.

Hieron. in Sabin. At tu bonæ spei columen, excetræ stimulis inflammatus, factus es mihi in arcum prauum, & contra me conuitiorum sagittas iacis; inimicus tibi factus sum, vera dicens: Non doleo de maledictis: quis enim nesciat nihil nisi flagitiosum tuo ore laudari? Hoc plango, quod te ipsum non plangis, quod te non sentis mortuum; quod, quasi gladiator, paratus Libitinæ in proprium funus ornaris, &c.

Claudam riuos, si iracundiæ adhuc muliebris generositatem annotauero.

Bunduica, Britannica fœmina, regio planè spiritu, & genere, cum aduersus Romanos exercitum ad centum & viginti hominum millia comparasset, in tribunal ex terra palustri excitatum conscendit, procero corpore Heroina, forma honestissima, vultu seuero, voce aspera, capillo fuluo, & admodum promisso, versicolori tunica induta, & insigni lorica munita, tam hastam manibus ferens sic locuta est.

Πέπεισθε μὲν τοῖς ἔργοις αὐτοῖς, ὅσον ἐλευθερία τῆς δουλείας διαφέρει. [Deinde animos ad bellum concitans, appositè, & grauiter Romanorum iniurias exaggerat:] τί μὲν γὰρ οὐ τῶν αἰσχίστων, τί δ' οὐ τῶν ἀλγίστων, δ' οὗπερ εἰς τὴν Βρεταννίαν οὗτοι παρέκυψαν, πεπόνθαμεν, &c. Mox: καὶ πόσῳ κρεῖττον ἦν ἅπαξ ἀπὸ πεπρᾶσθαι μᾶλλον, ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ' ἔτος λυγοῦσθαι; πόσῳ δὲ ἐσφάχθαι, καὶ ἀπολωλέναι μᾶλλον ἢ κεφαλὰς ὑποτελεῖς περιφέρειν; καί τοι τί οὗτο εἶπον; οὐδὲ γὰρ τὸ τελευτῆσαι παρ' αὐτοῖς ἀζήμιόν ἐστιν. Ἀλλ' ἴσε ὅσον καὶ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τελοῦμεν. παρὰ μὲν γὰρ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, καὶ τοὺς δουλεύοντάς ἐστιν ὁ θάνατος ἐλευθεροῖ. Ῥωμαίοις δὲ δὴ μόνοις, καὶ νεκροὶ ζῶσι πρὸς τὰ λήμματα. Postquam igitur incommoda grauiter enumerauit, addit At quantò melius fuit, semel vendi, quàm falsis nominibus libertatis singulis annis redimi? Quanto verò honestius generosa morte defungi, quam misera, & tributaria capita circumferre. Verum quid dixi? etiam apud Romanos, sine pensione tributi, mori non licet. Nostis enim omnes, quot, & quanta mortuorum nomine pensitemus. Quumque eos, qui apud alias gentes seruitutem seruiunt, Mors asserat in libertatem, *soli populo Romano mortui viuunt in quæstum.* Hæc mascula. Sed quæ sequuntur omnes habent numeros grauitatis: cum Romanos insectans ait. κιθαρῳδῷ καὶ τούτῳ κακῷ δουλεύοντες, *Citharœdo, & quidem malo* (quod minimè Nero audire auebat) seruiunt. Postremò: Μὴ γάρ τοι μὴ ἐμοῦ μήθ' ὑμῶν ἔτι βασιλεύσειεν ἡ Νερωνὶς, ἢ Δομιτία, ἀλλὰ ἐκείνη μὲν Ῥωμαίων ἄδουσα δεσποζέτω· καὶ γὰρ ἄξιοι τοιαύτῃ γυναικὶ δουλεύειν ἧς τοσοῦτον ἤδη χρόνον ἀνέχονται τυραννούσης; tum conuersa ad Adrasten, ἡμῶν δὲ σὺ ὦ Δέσποινα ἀεὶ μόνη παραστατοίης. Absit enim, vt in posterum, & mihi, & vobis imperet *Neroina, aut Domitia.* (Ita Neronem effœminatum generoso plane fastu appellat) sed illa psaltria dominetur populo Romano. Dignus est enim, qui huic mulieri seruiat, cuius tyrannidem, tam longo temporis spatio sustinet.

Dio. l. 62. initio, p. 702.

De

De vastis motibus iracundiæ.
De que lenibus, & moderatis.

CAPVT XXXIV.

Motus iracundiæ in obiurgationibus.

DIstinguendi sunt etiã nonnulli motus grandes, & vasti, quorum apud rusticos homines duros, & ceruicosos, vel etiam apud alios inueteratæ malitiæ viros, nonnunquam oportunus est vsus: Neque enim compositis ad eloquentiam motibus plus mouentur, quam cantilenis: Atque vt ipsi vasti sunt, & vegrandes, ita etiam atrocibus plerunque, & incompositis motibus, sine tamen prudentiæ dispendio tractandi, quod mihi videtur Gilda sapiens in arca illa, contra Ecclesiasticum ordinem corruptione, cùm apud feros, & plumbeos homines res ageretur, præstitisse. Ita enim incipit:

Gilda sapiès in correptione. Bibliothss. t. 5. p. 387.

Britãnia habet Sacerdotes, sed nonnullos insipientes: quamplurimos ministros, sed multos impudentes: Clericos, sed quosdam raptores, subdolos: Pastores, vt dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos. Quippe non commoda plebi prouidentes, sed proprij plenitudinem ventris quærentes.

Deinde, Pinguedinis gratia taurorum more raucos, & ad illicita infeliciter promptos, vultus arroganter in altum habentes, & sensus conscientia remordente ad ima, vel tartarum demersos.

Mox, quid ad hæc dormitantibus animæ oculis aspicitis? Quid talia surdis sensuum auribus auscultatis?

Ita vir prius, in tota illa inuectiua homines tractat non molli articulo blandiens, sed quasi robustiori turba classicum canens, non curat autem, quam dispositè dicat, aut lectè, aut quibus figuris illuminet affectus, videt enim cum crassis ingenijs agendum, quibus si molliùs propinet iracundiam, cogeris dicere: *Me miserum! non intellexerunt.*

Obiurgationum vsus apud generosos animos.

Alia prorsus in obiurgationibus agendi ratio est, apud generosos animos, qui non temerè irritandi, sed leni quadam, & honesta iracundia stimulandi sunt, quod prudentissimè, & disertissimè præstitit M. Tullius Philipp. prima in nobili illa Dolabellæ, & Antonij reprehensione. *Sed per Deos immortales.* Te enim intuens Dolabella, qui es mihi charissimus, non possum de vtriusque vestrum errore reticere. Credo enim vos homines nobiles magna quædam spectantes, non pecuniam, vt quidam nimis ereduli suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, sed charitatem ciuium, & gloriam concupisse, &c. quæ alibi fusius.

Hæc plane prudens, excelsa, & moderatè iracunda obiurgatio. Habes eiusdem rei præclarum exemplum in oratione Germanici, vbi militem ob concitatam seditionem obiurgat. *Quod nomen huic cœtui dabo?* (non enim eos dicit ingratos, improbos, conceleratos, quibus ipse adhuc egebat.) *Cornel. Tacit. l. 1. Ann.*

Milites-ne appellem, qui filium Imperatoris vestri vallo, & armis circumsedistis? an ciues? quibus tam proiecta est senatus authoritas Hostium quoque ius, & sacra legationis, & fas gentium rupistis.

Crimen proponit, conuitijs abstinet, stimulat etiam pristinæ virtutis recordatione: *Prima ne, & vicesima legiones*, sub finem quoque asperitatem melle diluit: *Tua Diue Auguste cœlo recepta mens. Tua pater Druse in age, tui memoria*, ijsdem istis cum militibus, quos iam pudor, & gloria inflat, eluant hanc maculam. Similia sunt, quæ habet Liuius in obiurgatione Scipionis, de quibus suo loco. In hoc certè genere grauis, & honestus, & suauis est Basilius Magnus, in epistola ad virginem lapsam. Crimen enim exponit magna verborum, & figurarum amplitudine, abstinet tamen acerioribus conuitijs, nam vult corrigere, non insultare. *Basil. ad virgin. lapsam 546.*

Vbi est ille reuerendus tuus habitus?

Vbi honesti mores, & vestis frugalis virginem decens? & honestus ex pudore rubor, & decorus ex continentia, & vigilijs affloresçens pallor, omni coloris suauitate præstantior? Quoties in orationibus impolluta lachrymas effudisti? Quot literas ad sanctos sæpè exarasti, quid postulas: non, vt nuptias humanas, aut hanc plenam ignominiæ, & dedecoris corruptionem contraheres, sed ne à Domino IESV excideres. Quot verò munera à sponso accepisti, quid opus est dicere? conuictum cum virginibus, progressum cum ijsdem, encomia virginitatis, virgineas benedictiones, literas velut ad virginem scriptas. At nunc modica aura rebellis afflata spiritus conturbasti, & venerandam illam hæreditatem breuissimæ voluntatis momento commutasti, quæ si faucibus aliquando placuit, felle tamen

post hac amariorem experieris. Hæc ferè ad verbum è Græco expressa. Deinde,

Corrupta est autem, non solum mens tua, sed cum eadem virgineum corpus fœdissima libidine contaminatum. Et horrendum illud, quod pudet me dicere, sed tamen piget tacere, ardet enim velut ignis ossibus ipsis, & medullis adhærescens, nec diutius sustinere possum, *sublata membra Christi, feci sti membra meretricis.*

Ambr. ad virgin. lapsam cap. 2.

In eodem genere longè acerbior est D. Ambrosius. *Vnde incipiam?* quid primùm? quid vltimùm dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti. An mala defleam, quæ inuenisti? Eras virgo in paradiso Dei, vtique inter flores Ecclesiæ, eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et quotiens dico eras, necesse est, vt totiens ingemiscas, quia nõ es, quod fuisti. Incedebas in Ecclesia, tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri: splendebas, vt argentum, fulgebas, vt aurum, quando cum syncera conscientia procedebas. Eras tanquam stella radians. in manu Domini, nullum ventum. nullas nebulas pertimescebas. Quæ ista subitanea conuersio? Quæ ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio sathanæ, de sponsa Christi scorcum execrabile, de templo Dei fanum immunditiæ, de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli. Deinde,

Si modo eius est, quod vix credibile.

Ambros. in reprehensionibus Basilio acrior.

Væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona parui temporis luxuria perdidisti. Quam tibi spem apud Christum Domini reliquisti, cuius membra tollens, fecisti membra meretricis? Mox ad corruptorem conuertit orationem:

C. 9.

De te autem, quid dicam, Fili serpentis, minister Diaboli, violator templi Dei, qui vno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium vtique, & sacrilegium: Sacrilegium planè, vbi vas Christo oblatum Domino dicatum, dementi temeritate polluisti Baltasar ille Rex Persarum, qui in vasis Domini, quæ de templo Hierosolymis fuerant à Patre eius ablata, bibere cum suis amicis, & concubinis vsurpauit, ipsa nocte Angeli manu percussus crudeli morte punitus est. Quid de te arbitraris perdite pariter, & perditor, & cætera.

Baltasar cur punitus.

Hæc verò etiam aduersus lapsam grandia sunt, & horroris plena. *Cessat, cessat* iam violentiæ figmentum, cesset ruboris argumentum, vbi toties membra illa dicata Christo, scelesto mœcho suis visceribus polluenda præbuisti. Horret animus, mens tabescit, cum ad adytum sceleris peruenitur. Nam, & Medicus, quamuis fortis sit animo, cùm altius tamen secat vulnus, pato ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, iamne intelligis omnes tibi rias excusationis omnimodis clausas? Iamne sentis, quantum tibi mali, & in carne, & in anima, nefaria libido contulerit Non istam de te confusionem tuus expectauerat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Nõ hunc luctum, & has lachrymas ex te sibi nasci crediderat mater, quæ partus sui gemitum per tuam virginitatem consolabatur, &c.

C. 4.

Ad summum post increpationes adhibet salutaria remedia.

De mixtura motuum iracundiæ.

CAPVT XXXV.

MOtus iracundiæ nonnunquam cum Sarcasmo, hoc est, acri, atque mordaci risu præclarè temperatur: Et hoc quidem vehiculo subnixus affectus, aduersarios in inuectiuis vehementius afficit, atq; deridendos præbet: Minus autem ad auditorum iracundiã excitãdam valet, quam miserationis temperies Hoc genere acerbè inuectus D. Gregorius in Iulianũ.

Motus iracundiæ quæ-modo temperatur.

Orat. 4. 296.

Τὰς ὀφυσήσεις, καὶ ἀνεμφυσήσεις, ἃς ὁ θαυμάσιος ἐκεῖνος, καὶ τὰ ἡμέτερα διασύρων, τοῖς γραϊδίοις ἀνιπτοδείκνυτο, τὸ ὀπτεώμιον ὧν ἀνάπλεων, ὧ λόγω διέξιμι; ἢ καλόν γε τὸ Ῥωμαίων βασιλέως τὰς γναθους ὀιδῶντας ἀσχημονέσας, καὶ γέλωτα πολὺν παρεχέσας, οὐ τοῖς

Iam sufflationes, & reflationes, quas admirandus ille vir, doctrinæque nostræ sugillator, vetulis mulierculis in contrarium ostentabat, altaris ignem accendens, quo tandem oationis loco ponemus? Præclarum enim profecto erat, Imp. Romani buccas indecorè tumentes cernere, risumque ingentem non externis tantùm, sed his etiam, quibus hac ratione

Iracundia motus mixtura cum risu mordaci.

ἔξωθεν μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς οἷς ταῦτα ἀρέσκειν ᾤετο τὴν Ἀθηνᾶν δὲ οὐκ ἤκουε τὴν ἑαυτοῦ θεὸν, ὅτι τοῖς αὐλοῖς κατηράσατο οἷς ἐνασχημονοῦσαν ἑαυτὴν κατεμάνθανεν, ἀντ' ἐσόπτρου χρησαμένη τῷ ὕδατι, τὰς δὲ προπόσεις, καὶ φιλοτησίας, ἃς δημοσίᾳ ταῖς πόρναις ἀντιπρουπίνετο ὑποκαλύπτων τὸ ἀσελγὲς, μυστηρίου σχήματι, πῶς οὐ θαυμάζειν;

tione placere se putabat, excitantes. Mineruam autem suam tibias execratam non audiebat, postquam aquis speculi vice vsa, eas dedecori sibi esse prospexit. Propinationes verò & pocula, quibus meretrices palam, publiceque poscebat, vicissimq; poscebatur, mysterij obtentu petulantem libidinem obuelans, quis non laude, & admiratione prosequatur?

Hæc, inquam, magis fatigant aduersarios, sed non æquè odium irritant auditorum. Alia est mixtura motus iracundiæ, cum affectu miserationis. Est enim ad iram concitandam efficacissima narratio aliqua, aut deploratio rei funestæ, & crudelis. Atque ex ardore doloris animus, ad iracundiam facili nutu propensus delabitur. Hoc artificio vsus est M. Antonius, cùm ad vltionem Cæsaris P. R. sollicitaret animos, neque enim in peroratione, vbi vehementior est oratio, maledictis in interfectores sęuit, sed tragicam Cæsaris mortem, quanta potest verborum miseratione deplorat, quo modo dolorem primùm flebilem, deinde iracundiam & furorem concitauit. Sic igitur ille apud Dionem:

Oratio Antonij in funere Cæsaris apud Dion. l. 44.

Ἀλλ' οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς τέθνηκεν, οἴμοι τέθνηκεν. Vide, quo pondere ista colliguntur. Is pater: Is Pontifex: Is Sanctus: Is Heros: Is Deus mortuus est. Heu, me miserum mortuus est? Deinde modum explicat stupendæ mortis, & indignæ, ἐντὸς τοῦ τείχους ἐπιβουλευθεὶς, ὁ καὶ ἐς Βρεττανίαν ἀσφαλῶς στρατεύσας. Non morbo, non vulnere, non casu repentino abreptus, sed inter mœnia ciuitatis insidijs occisus, qui ad extremas vsque Britannię oras saluus, & incolumis bellum duxerat. Et ista plena sunt affectus, ἄοπλος, εὐπόλεμος· γομνὸς, ὁ εἰρηνοποιός· πρὸς τοῖς δικαστηρίοις, ὁ δικαστής· πρὸς ταῖς ἀρχαῖς, ὁ ἄρχων. Inermis, ille bellicosus. Nudus, ille pacificus. Ad tribunal peremptus, iudex. In curia, princeps curiæ.

Mox: ποῦ δῆτά σοι Καῖσαρ φιλανθρωπία, ποῦ δὲ ἡ ἀσυλία, ποῦ δὲ οἱ νόμοι;

Quid tibi profuit Cæsar humanitas? quid sanctitas? quid leges? Et

Σὲ δὲ οὕτως οἰκτρῶς ἀπέκτειναν οἱ φίλοι.

Tene tam miserandè contrucidarunt amici.

Iam: Καὶ νῦν ἐν ἀγορᾷ πρόκεισαι ἐσφαγμένος, δι' ἧς πολλάκις ἐπόμπευσας ἐστεφανωμένος· καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος ἐρρίψαι κατεζωμένος, ἀφ' οὗ πολλάκις ἐδημηγόρησας. Iaces in foro iugulatus, in quo nuper coronatus triumphabas: Mactatus, & proiectus ad suggestũ, è quo tam sæpè ad populum perorasti.

Postremò conuersus ad cadauer:

Οἴμοι πολιῶν ἡμαλωμένων! ὢ στολῆς ἐσσας ῥαγμένης, ἣν ἐπὶ τοῦ τῷ μόνον, ὡς ἔοικεν, ἔλαβες ἵν' ἐν ταύτῃ σφαγῇς!

Heu me, canos tuos sanguine cruentatos! Heu tunicam discerptam, & dilaceratam, quã ad id solum sumpseras, vt in ea morereris! Non fuit opus longa in interfectores oratione, satis dolor, satis lacera vestis & cruor loquebantur. Ad dices; quòd si odium in vitium aliquod sit concitandum, vbi præsertim istæ imagines externæ, casus miserabiles, noui atque inopinati, non suppetunt, quid tandem erit præstandum? Artis est eximiæ, ea plerunque suggerere, quæ rerum natura denegauit, & fictas imagines, quibus sensus interpellantur, quantum locus prudentiaque patietur, conformare. Qua in re admirabilis est D. Ioannis Chrysostomi industria; qui cùm ad detestationem iurisiurandi commouere vellet auditores, Ioannis Baptistæ caput pallidum, & cruentum, in orationis imagine producit, manibus fermè palpandum, & domum asportandum suis auditoribus prębet: Vocem deinde illi tribuit: *Me iusiurandum interfecit (inquit:) odio habete interfectorem meum.* Dignus est locus, qui integer exscribatur.

D. Ioann. Chrysostomi in motibus industria.

DE ODIO CONCITANDO IN VITIA, ET FICTIONE imaginis.

Ex D. Chrysostomo exemplum.

CAPVT XXXVI.

Ex D. Chrysost. hom. 14. p. 177.

Καὶ γὰρ παρεκάλεσα πρώην ὑμᾶς, τὴν κεφαλὴν Ιωάννου λαβόντας ἀποσταλαγμένην, καὶ θερμὸν τὸ αἷμα δεῦσαι ἀποσάξασαν, οὕτως ἀπελθεῖν οἰκαδε ἕκαστον, καὶ νομίζειν πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ὁρᾶν αὐτὴν, φωνὴν ἀφιεῖσαν, καὶ λέγουσαν, μηνήσατέ μου τὸ σφαγέα τὸν ὅρκον. ὅπερ ἔλεγχος οὐκ ἐποίησε, τοῦτο ὅρκος ἐποίησεν· ὅπερ θυμὸς τυραννικὸς οὐκ ἴσχυσε, τοῦτο ἐπιορκίας ἀνάγκη παρεσκεύασε. καὶ ὅτε μὲν ἠλέγχετο δημοσίᾳ πᾶσιν ἀκουόντων ἡμῶν, ἤνεγκε γενναίως τὴν διήγησιν ὁ τύραννος, ὅτε δὲ εἰς ὅρκων ἀνάγκην ἑαυτὸν ἐνέβαλε, τότε τὴν μακαρίαν ἐκείνην ἀπέτεμε κεφαλήν. τὸ αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ νῦν παρακαλῶ, καὶ παρακαλῶν οὐ παύσομαι, ὥστε ὅπου περ ἂν ἀπέλθωμεν, ταύτην βαστάζοντες τὴν κεφαλὴν, ἀπιέναι, καὶ πᾶσιν αὐτὴν δεικνύναι βοῶσαν, καὶ τοὺς ὅρκους κατηγοροῦσαν. κἂν γὰρ στόμα ὦμεν ῥάθυμοι καὶ ὀλίγωροι, τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς κεφαλῆς ἐκείνης ὁρῶντες, φοβερὸν εἰς ἡμᾶς βλέψουσι, καὶ ἀπειλοῦσας ὀμιοῦσι, χαλινῷ πάντες σιτονώτερον τῷ φόβῳ τούτῳ σωφρονισθέντες, ἀγχειν καὶ ἀποτρέφειν δυνησόμεθα ῥᾳδίως τὴν γλῶτταν ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τοὺς ὅρκους ὁρμῆς.

ET enim anteà vos rogaui, vt Ioannis caput abscissum adhuc calido cruore distillans sumentes, sic domum quisque suam redeatis, & puteris ante oculos habere ipsum, vocē emittentem, & dicentem: odio habete iugulatorem meum, iuramentum. Quod increpatio non fecit, hoc fecit iuramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc periurij necessitas effecit. Et quando, nempe omnibus publicè audientibus arguebatur, increpationem generosè tulit tyrannus, cùm verò se in iuramentorum necessitatem adegit, tunc illud beatum caput abscidit. Hoc ipsum igitur, & nunc peto, & petere non desistam, vt quocunque abierimus, hoc gestantes caput abeamus, & omnibus clamans ostendamus, & iuramenta condemnans. Quamuis namque valdè simus ignaui, & negligentes, capitis illius oculos intuiti, terribiliter nos respicientis, & minantis iurantibus, freno omni vehementius per timorem huiusmodi repressi, cohibere, & auertere facilè poterimus linguam à iurandi præcipitio.

PRæclarum omnino exemplum, ad quod similia multa exprimi, conformarique poterunt. Quibus efficacius peccatorum fœditas, & miseria ex effectis, ad sempiternam detestationem oculis subijcietur.

Vide etiam Ciceron. vltima Vertina. *Aspicite, aspicite iudices squallorem, sordes q; sociorum*, vbi est artificiosus locus indignationis & commiserationis.

De indignatione.

CAPVT XXVII.

EXistit & generosa quædam iracundiæ species, quam indignationem appellamus, quoties ex secundis alicuius rebus, qui lautiori fortuna maximè sit indignus, iustum dolo-

dolorem concipimus. Qua in re sæpissimè triumphant Oratores, & Poetæ, dum facinorosos homines, aut certè viles & propudiosos, ad amplissimos honores euectos esse indignantur. Quam generoso fastidio Horatius istam in Menam Pompeij magni libertum, excussit.

Horatij in Menam indignatio.

Horat. Epod. od. 4.

Lupis, & agnis, quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est.
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licèt superbus ambules pecunia,
Fortuna non mutat genus:
Vidésne sacram metiente te viam,
Cum bis ter vlnarum toga,
Vt ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi iugera,
Et Appiam mannis terit.

Apparet in istis sæua quædam generositas, & nobiles aculei, qui eò magis probantur, quòd in improbi hominis arrogantiam commodè videantur exerti. Sed non alio absynthio versus suos intingunt satyrici. Quis non miretur Iuuenalis ingenium, & excelsam acrimoniam, dum hæc effundit:

Iuuenal. satyr. 1.

Patricios omnes opibus cùm prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat:
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Crispinus; Tyrias humero reuocante lacernas,
Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ;
Difficile est satyram non scribere, Nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se,
Caussidici noua cùm veniat lectica Mathonis,
Plena ipso; post hunc magni delator amici,
Et citò rapturus de nobilitate comesa?

Cinami tõsoris descriptio.

Quam aptè Cinami illius, qui tonsor fuerat, indignitatem; Crispini annulos æstiuos ventilantis, mollitiem, & Mathonis caussidici lecticam, *Plenã ipso*, (tantum erat homini abdomen) satyrico carbone describit, & ista, quo risu dicuntur?

Sat. 4.

Montani quoque venter adest, abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera: sæuior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro,
Et qui vulturibus seruabat viscera Dacis
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa:
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visa flagrabat amore puella,
Grande & conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Cæcus adulator, dirusq; à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaq; deuexa iactaret basia rhedæ,

Vt totam illam Imperatoris cateruam exagitat: quæ ex tenui fortuna ad palatnos honores erepserat? Plane ad magna eloquentiæ decora natum erat istud ingenium. Sed ne Poetas commemoremus, quis tandem in istis Cicerone, & Demosthene felicior: cuius ista sunt indignationis pro Sestio? *Ineunt magistratum* Tribuni Plebis, qui omnes se de me promulgaturos confirmarant. Ex his princeps emitur ab inimicis meis, in quem homines in luctu irridentes, Gracchum vocabant: quoniam id etiam fatum ciuitatis fuit, vt *illa ex vepreculis extracta nitedula, rempub. conaretur arrodere* Alter verò, non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gaui Oleli horreo, calathis grauis in Calatinos, ac Lælios insitus, subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit. Et in Vatinium: *At illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ* patiar latere: Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris, habeat hoc præmium tua indignitas, vt adolescentiæ turpitudo obscuritate & sordibus tuis obtegatur.

Cicero pro Sestio.

Cicer pro Vatinio.

Pergit deinde hominis anteà obscurissimi aditum ad honores, & cursum demonstrare. totaque oratione vehementer ob eius contemptissimam vilitatem indignatur. Postremo loco addit, quod vehementis est stomachi, vt, *Te cognati respuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt: Strumæ deniq; ab ore improbo demigrarunt, & alijs iam se locis collocarunt,* quid mordacius hoc dicto, quo adeo impurum Vatinium esse ostendat, vt strumæ, quibus nihil impurius videatur, eum ob summam fœditatem ferre non possint?

Grauis & generosa indignatio.

In Demosthene verò grauissimum AEschinis contemptum, & conceptam de eius fortuna indignationem ista præferunt. Σὺ

ϑ ὀσιμνὸς ἀνὴρ, καὶ διαπτύων τοὺς ἄλλους, σκόπει πρὸς ταύτην ποιᾷ τινι κέχρηται τύχῃ, & cætera, quę à numero 442. vsque ad 445. consequuntur amarulenta, & indignationis plena.

Indignatio in quibus & quos exoriatur.

Facilè est autem colligere, quibus de causis, & in quos, & in quibus exoriri solet indignatio. Nemo, inquit Aristoteles, ob alterius virtutes, sed ob diuitias, & potentiam inuidiosam succensere, indignarique solet, maximè verò, cum quis à tenui, & macilenti fortuna, subito ad excitatam, & speciosam demigrat.

Neque verò tantum in improbos, sed etiam in bonos alioqui viros, qui tamen ea, quæ præstantioribus debentur, obtinent, incitatur aliorum indignatio, vt cum quis desultorius protrudit se in numerum, cursumque quadrigarum. Porrò ad indignationem procliues sunt nobiles, honoris cupidi, generosi, qui non æquo animo gloriæ sibi hæreditatem diripi patiuntur. Modus excitandæ indignationis erit, si per contentionem pristinæ fortunæ vilitas, cum præsentis lautitia comparetur. Deinde, variæ exclamationes, querimoniæ, redargutiones, prout argumenti ratio suggesserit, inferantur. Hæc eadem ad motum inuidiæ excitandum non mediocriter faciunt.

De remissione Iræ, seu delinitione:

Ac de eius industrijs.

CAPVT XXXVIII.

VT igni, aquam, sic iracundiæ delinitionem ingeremus, cuius munus est animum ira exæstuantem mitigare, & ad auream reducere æquitatem. Iracundia quidem non secus, ac illa *Ate* Homerica.

Remissionis iræ officiũ. Ate. Homer. Iliad. 1.

στεναρὴ καὶ ἄρτιπος οὕνεκα πάσας
Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν,
Βλάπτουσ' ἀνθρώποις.

Valentissima (inquam) illa bellua præcurrit, & per orbem vagatur, damna, & clades ingerens: Quis verò tantam pestem auerteret, nisi succurrerent venerandæ Iouis filiæ, quæ Litæ nominantur, & ab Homero insigni artificio describuntur,

Χωλαί τε ῥυσσαί τε παραβλῶπες τε ὀφθαλμῷ.

Claudæ sunt ob iacentem, & inclinatam demissionem, rugosæ ob vultus mœstitiam, strabæ oculis, ob reuerentiam, qua aduersus iratos vtuntur. Vt rectè interpretatur Eustatius. Aten igitur consequuntur, & morbis iracundiæ faciunt medicinam, de qua nunc dicturi sumus.

Non est autem huius instituti rationem præscribere, qua quisque proprios iracundiæ motus refrenet, cum de ea re disertè imprimis, & copiosè inter cæteros Plutarchus, & Seneca tractârint: Sed qua ratione excitatos in alijs iracundiæ fluctus, quasi obiectis scopulis frangat, & allidat Orator, hoc demum edocere Rhetorum est, & huius partis, quam nunc habemus præ manibus.

Primum igitur hoc spectare oportet, non omnem iracundiam esse medicinæ capacem. Vna leuissima est, quæ simul excandescit, simulque mitigatur. Atque, vt in bona corporis constitutione fieri solet, Naturâ valenti sanè ac robusta, ad conseruationem corporis semper excubante, prius insultantes morbi repelluntur, quam antidotôn, & remediorum acies sit exercenda; Ita prorsus euenit, vt qui leni admodum sunt ingenio præditi, iracundiam sua sponte citius expellant, quam aliorum egeant delinitionibus.

Alia est iræ species, quam μανίαν, seu furorem diximus, quæ in hoc perturbationum estu vinculis magis eget, quam verbis.

Tertia, quę μῆνις, iracundia permanens, nuncupatur, delinitionis expectat remedium, placaturque nonnunquam, si opportune adhibeatur. Neque tamen apud quasuis promiscuè personas rectè adhibetur delinitio, quædam enim sunt pigræ, viles, & crudeles animæ, quæ blanditijs, vt tigres musicorum cantibus, irritantur. His ego, nec occini velim, neoludos fieri, sed alijs, & seuerioribus quidem, minarum, ac terroris remedijs rem transigendam esse facilè censuerim.

At verò apud generosa quælibet ingenia, plurimum semper valuit delinitio, in qua elaboranda eximia virtus est oratoris.

Personæ ad deliniendã iram aptæ.

Personæ verò ad deliniendam iracundiam accom-

Persona ad deliniendam iram apta.

accommodatæ sunt, quæ minus habent roboris, & ad vim inferendam suspicionis, quales sunt mulieres, pueri, senes, sacri & religiosi viri, vel etiam ij qui sua authoritate tam suauiter cogunt, vt rubor sit aduersari. Atque in hoc certè genere potentissima semper fuit ars fœminarum, quibus cùm mitis inest facundia, & ipsa, quæ muta commendatio esse solet, formæ species; permagnam vim habent ad suadendum.

Plutarch. in Romulo.

Testes sunt illæ Sabinæ, quæ imperium Romanum penè in ipsis cunabulis belli furoribus extinctum, admirabili & prope stupendo fœdere composuerunt.

Polyanus l. 8. Val. l. 5.

Testis Volumnia, & Verturia, quæ Coriolanum pernicioſis consilijs in patriæ funus armatum, flexerunt, & de sententia deiecerunt.

Testes denique in sacris Estera & Abigail, quæ duos potentissimos Reges leniunt, & quos nulla hostiũ arma expugnare poterãt, illę prudentia, mansuetudine, facundia, deuinciũt, flectunt, mitigant, & ex ferocibus propè leonibus mites agnos efficiunt. Quid pueri? M. Antonius paruulum filium, ad Brutum & Cassium, qui in Capitolium confugerant, pacis obsidem misit: quæ res, & spectaculo iucunda, & ad concordiam efficax, aliquo saltem tempore extitit. Nec alia re magis Themistocles Molossorum regem sibi conciliauit, quàm ipsius filiolum pro se supplicem obtendens; tantum est in tenera illa ætate apud omnes, maximè verò apud parentes & affines, delinimentum. Senes ipsi, qui imbecillitate prope ad pueros accedunt, vt sunt per se miserandi, ita ad extinguendas iracundiæ flammas plerunque idonei. Extat nobile exemplum in Philone, vbi miserabilis ille Iudæorum Senatus canis puluere conspersis, reiectis post terga manibus, flebili vlulatu personans, ad Petronium venit, oraturus, ne Caij statua Hierosolymitani templi adytis inferatur. Itaque imprimis suam imbecillitatem ad conciliandum iudicem & seditionis suspicionem auertendam, obtendunt. Ai γαλοι (inquiunt) τοῦτ, ὡς ἔφης, & cætera, de quibus alio loco. Iam personæ sacræ, & religiosæ, maximè verò Pontificum, quantos habent aculeos! Alexander, Iudæos, quòd Dario partibus fauissent, prædæ destinabat, & cædi; Ecce Iaddus Pontifex, diuinitus somnio monitus, cum cœtu Sacerdotum byssinis vestibus amicto, ipse hyacinthina stola & Tiara præfulgidus obuiam Regi procedit; apud quem tantum valuit sanctitas religionis, & stupor ille, qui vel barbarorum mentes ferire solet, vt prædam (ita enim loqui fas est) suam adoraret. Sed & Alexandro longè ferocior Atila, Leoni Romano, & Lupo Tricassino, manus, in omnium terrarum perniciem armatas, dedit, adeo salubris est ratio eos ad conciliandos homines adhibere, qui Deum quotidie humano generi propitium reddere sacrificijs & precibus conantur. Iam quod ad modum delinitionis attinet:

Cic. Phil. 1.

Senes ad iram extinguendam idonei.

Philo de legatione ad Caium.

Captanda est imprimis opportuna temporis ratio, quæ plurimum in hac re momenti sibi vendicare solet. Atque vt iræ remedium efficacissimum est mora, sic nunquam irati, calentibus adhuc animis, iniuriæ præsentis imagine sunt deliniendi: Expectandum tantisper, donec se frangat impetus, nisi aliud alia rerum adiuncta suaserint. Quis enim leoni rugienti occurrat? Aut quis abactis fœtibus insanientem tigrim mollire studeat? Omnino *plus valet arte malum*, & suo ipsorum damno experti sunt multi, qui cum in his perturbationum fluctibus inimicos delinire studerent, priùs districtos in suum iugulum gladios senserunt, quàm liceret inualidum orationis telum aduersus Martis gladios exerere. Per-opportunum autem cum huiusmodi hominibus agendi tempus erit, vbi exorta quædam noua lætitiæ iucunditas, fel pristinæ iracundiæ nonnihil diluerit. Itaque, qui iudicio vicerunt, qui hostem debellárunt, qui insigni aliquo honore recens affecti sunt, & ludis, conuiuijs, aut alijs animorum remissionibus vacant, iam extersis doloris nubeculis, ad mansuetudinem propensiores sunt, & eo maximè tempore commodius adeuntur.

Tempus iræ remediuum.

II. Vt feræ famelicæ oblata primùm corpora comedunt auidius, tractántque diriùs; mox cruore & carnibus saginatæ, paulatim deferuescunt: quæ ratio, opinor, fuit, vt Polyphemus, magni beneficij loco Vlyssi numeraret, quòd eum postremo loco esset deuoraturus; sic enim cum eo remissius agendum fore censebat: Ita profectò in iracundia euenire solet, primos scilicet impetus habet admodum vehementes; ijdem ipsi satiati longè remissiores fiunt. Quamobrem & prudentis erit priores illas iracundiæ emissiones subterfugere, donec aliorum pœnis fuerint ex-

Polyphemi erga Vlyssem beneficium.

pletæ, & iam gliscente aliqua miseratione dissolui incipiant. Qua ratione Philocrates, vt est apud Aristotelem, cùm proditionis accusaretur, tamdiu subticuit, quamdiu recentem populi iracundiam vidit: at vbi nonnullorum supplicijs cœpit mitigari, peropportunam caussæ agendæ occasionem sibi datam ratus, quamoptime se purgauit.

Vide Arist. l. 2. Rhetor.

III. Vt ira ex suspicione contemptus, vel ipso contemptu efferuescit; ita omnis despicientiæ opinio, quàprimùm amolienda est; quo facto omnes iracundiæ fibræ mirus cuellentur. Euenit enim plerumque hominibus, vt tauris, qui rubra pila irritantur, suspicionis quibusdam imaginibus terreri concitarique; quas si sustuleris, videas repentè, iracundiam, non secus ac fluctum ad scopulos allisum frangi, atque debilitari, imò instar etiam fumi vanescere.

Quamobrem, si quæ putatur iniuria, falsa est, hoc firmissimis eomprobandum argumentis: Si vera, ex ratione mentis eius qui rem admisit, varijsque adiunctis diluenda; inter quæ prima erunt, quòd cum despicientiæ consilio minimè fecerit, quòd irato, quòd per casum exciderit: quòd in se ea quæ in alium fecerit, committere etiam soleat; quæ nunquam faceret, si quid contemptus ineesse arbitraretur.

Demissio vera ad iram placandam apta.

IV. Optima ratio est ad contemptus suspicionem, vnde innutritur iracundiæ flamma, prorsus eluendam, demissio non ficta. Satis est enim quod aiunt) leoni corpus prostrâsse, & sedentem canes non mordent. Hac ratione generosissimi quique animi placari solent, qui cum solius honoris cupidi sint, in aduersariorum demissione plenè conquiescunt. Contrà verò viles animæ, odiorum aculeis incitatæ, damna & pœnas sitiunt, nec vllis officiorum rationibus placantur.

V. Verecundia alicuius personæ honore dignæ, dona etiam & beneficia, quæ partim in promptu sunt, partim etiam sperantur, instar aquæ affusæ, iracundiæ fomites extinguunt; nec adeo ferreum os inuenitur, quod sustineat allatrare pascentem.

VI. Miseria ipsa eius in quem iræ aculei exercebantur, iracundiam plerumque vertit in miserationem. Et si is est inimicus, qui stupore aut alio casu nihil sentiat, desinit iracundia, & cum morte quidem intermoritur, odium autem, in morte, & post mortem etiam regnat.

VII. Magnæ est industriæ, & felicis ingenij, iram in risum conuertere; quod fecisse permultos læto admodum festiuóque exitu didicimus. Augustus Cæsar, vt est apud Dionem, Corocotæ famosissimo prædoni vehementer iratus, sestertium decies illi qui hominem ad se vinum adduxisset, promiserat: Venit vltro ad Cæsarem prædo, &, ea qua erat festiuitate, præmium sibi, quasi ex iure postulat. Cæsar, inaudito clementiæ exemplo, non modò homini vitam dedit, sed & nummos quos iudici proposuerat, præsentes numerari iussit. Simili quoque facetiarum industria Leo Byzantius, Philippum, Anaximenes, Alexandrum, ab vrbium & populorum clade, vt alio in loco ostendimus, auerterunt. Tantum habet roboris verbulum aliquod opportunè dictum; maximè verò, vbi amabiles sunt, & dilecti, quibus irascimur, difficile est iram diutius præcordijs inclusam continere.

Insignis ars Corocotæ in Augusto delinienda.

Verbulum opportunum illi magnæ vni.

VIII. Vbi grauitas rerum, personarum, temporumque ratio postulat, adhibentur petita ex Philosophorum officinis, sed maximè ex Christiana sapientia, remedia; quibus iracundiæ vilitas, damna, turpitudo; contra, clementiæ generositas, decus, atque in humanum genus profusa vtilitas subijcitur oculis; qua in re triumphare solent oratores: vbi præsertim apud principes viros hunc dicendi campum aperuerunt. Nunc ad exemplorum rationem veniamus.

Homeri litas ad insigne delinitionis exemplum compositas.

Item ex Plutarcho, Liuio, Dionysio Halicarnassensi exempla.

CAPVT XXXIX.

EXtat apud Homerum grande & luculentum delinitionis exemplum, in eo libro qui inscribitur, Λιταὶ, vbi ad Achillem mittuntur legati, qui eundem pertinaci iracundia obfirmatum leniant, & Agamemnoni, totique Græcorum exercitui, concilient. Ingeniosè autem omnia à Poëta videntur obseruata. Primùm delegantur personæ, quæ partim miseratione inflectere, partim amore & verecundia pellicere non mediocriter possent.

Legatio ad Achillem.

possent. Caput legationis est Phœnix, canitie venerabilis, & Achilli, apud quem moderatoris vice fungebatur, apprimè charus. Huic duo comites adduntur Vlysses, & Aiax, vnus sapientiæ gloria, bellicis alter laudibus, in toto exercitu florentissimi. Tempus præterea illud occupatur, quo Græcorum miserijs Achilli iam abundè satisfactum putabatur, dein consultò in ipsam conuiuij lætitiam incidunt, & perhonorificè à viro principe excipiuntur. Post familiaria tandem colloquia vltro, citroque iactata, cum iam conuiuij finis esset, Vlysses accepto poculo sic Achillem salutat:

Χαῖρ' Ἀχιλεῦ, δαιτὸς μὲν ἐΐσης οὔτ' ὄπι δεύεις.

Salutatio Vlyssis ad Achillem.

Hæc artificiosa ad institutam legationem delinimenta. Statim ille, qua erat facundia, summam Græcorum calamitatem aperit, quæ sola Achillis iracundiæ sufficere poterat.

Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα διοτρεφὲς εἰσορόωντες
Δείδιμεν, ἐν δοιῇ δ' ὄφρα σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι
Νῆας ἐϋσταμύους, εἰ μὴ σύγε δύσεαι ἀλκήν.

& cætera, quæ graui, copiosaque oratione amplificat. Mox, quæ est eius industria, patrem Achillis senem gloriosum, & toti Græciæ venerabilem, qui tunc aberat, tanquam præsentem, & cum filio colloquentem, inducit:

Ὦ πέπον ἦ μετὰ σεῖο πάλαι φρεσὶν ἐπιφρασσάμενος Πηλεὺς
Ἡμὲν τῷ ὅτε σ' ἐκ φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε·
Τέκνον ἐμὸν χαρίεντα μὲν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη
Δώσουσ' ἢν ἐθέλωσι, σὺ δ' ἴφι μεγαλήτορα θυμόν
Ἴσχειν· ὅ γὰρ κρείσσων ἀνὴρ ἀγαθός περ ἐών περ.
Σὺ δ' ἄλλῳ πέρι πάντα κακὰ ῥέζεις ἐλεαίρων
Τρῳὰς ἠνεμόεντας· ἐπὶ δὲ σφίσι κῦδος ἔθηκας·
Τίπτου τ'.

quippe illum instar alicuius numinis in toto exercitu honorandum fore pollicetur.

Post Achillis responsionem Phœnix senex lachrymis perfusus loquitur, & senili oratioui indulgens, multa de se, & Achillis infantia, cui admodum tenero fuerat admotus, commemorat, intimumque illum, quem à teneris vnguiculis imbiberat alumnus erga moderatorem suum amorem prætendit, quem pro nihilo haberi nefas est. Deinde ad maiora conuersus, sermonem illum, de *Ate & Litæ* summa grauitate conditum immiscet, & ex Dearum contemptu terrorem injcit. Enimuero, inquit, verendum est, ne *Preces* magnæ illæ Diuæ à te paulo durius acceptæ, ad thronum Iouis parentis conquerantur, & debitas despicientiæ pœnas exigant. Mox seruato vbique decoro, longam illam de Meleagri iracundia historiam pertexit, qui vxoris precibus delinitus fatum patriæ extremum auertit. Ingerit extremo loco, quod ab Vlysse iam dictum Achillem vehementer titillârat.

Ἶσον γάρ σε θεῷ τίσουσιν Ἀχαιοί.

Vltimo loco perorat Aiax paucis, & familiaribus verbis, plane ad ingenium militare compositis. Nam & liberè Achillem increpat:

Aiacis sermo ad Achillem.

Σχέτλιος οὐδὲ μετατρέπεται φιλότητι θοῆς ἑταίρου,
εἵνεκα κούρης
Ὅς. Νῦν δέ τοι ἑπτὰ παρίσχομεν ἔξοχ' ἀρίστας

Amanter deinde, & familiariter,

Λίσσεσθαι ἵ μειλήσεις ὑποφρίσι δέ τοι εἶμεν.

Hæc verò Volumniæ ad Coriolanum filium oratio apud Plutarchum plena est maiestatis.

Volumniæ grauis delinitio.

Ὁρᾷς μὲν, ὦ παῖ, κἂν σιωπῇ μὴ λέγωμεν, ἐδήλη, καὶ μορφὴ τὴν ἀθλίων σωμάτων τεκμαιρόμενος, οἷαν εἰς ἡμᾶς ἡ σὴ φυγὴ περιπέπτωκε. λόγισαι δ' ὡς ἀτυχέσταλον πασῶν ἀριθμεῖται γυναικῶν, ἂς τὸ ἥδιστον θέαμα φυσερώτατον ἡ τύχη πεποίηκεν, ἐμοὶ

μὲν ὑπὸ, ταύτῃ δὲ ἄνδρα, τοῖς τῆς πατρίδος τείχεσιν ἰδεῖν ἀντικαθήμενον, ὃ δ' ἔστι τοῖς ἄλλοις ἀτυχίας πάσης καὶ κακοπραγίας παραμύθιον, εὔχεσθαι θεοῖς, ἡμῖν ἀπορώτατον γέγονεν: & cætera, quæ ne longior sim, Latinè reddam, & oratoriè.

Primum exordium est valde graue & appositum: [Qualem domi conditionem (fili) tua nobis fuga reliquerit, ex veste & miserorum corporum facie, satis opinor conijcere potes. Tecum enim reputa nos omnium calamitosissimas fœminarum ad te deuenisse: Quibus quod iucundissimum natura dederat spectaculum, fortuna terribilissimum fecit. Mihi, vt filium; huic, vt virum patriæ obsessorem videat.

Quæ verò cæteris in miserijs & calamitatibus solatio esse solent, fusæ ad Deos preces, illæ nos in summas coniiciunt angustias. Neque enim licet, & patriæ victoriam, & tibi à Dijs, immortalibus poscere salutem: Sed quæ nobis ipsi hostes imprecentur, hoc miseræ postulare cogimur, vt aut patria careamus, aut te orbentur coniux & liberi.

Ego verò non expectabo vt hanc mihi fortunam decernat belli necessitas: Verùm nisi persuasero, vt tu extinctis odijs & dissensionibus, vtriusque partis benefactor esse malis quàm perditor, sic habeto tibi per cadauer demortuæ parentis ad patriæ oppugnationem esse transcendendum.

Absit enim vt ego illam diem expectem, qua vel triumphari de filio à ciuibus, vel filium de patria triumphantem videam. Si abs te postularem, vt proditis Volscis, quibus fidem obstrinxisti, patriam seruares, grauis omnino & perplexa foret deliberatio. Neque enim ciues perdere honestum, neque eos, qui tuam fidem sequuti sunt, vllo modo prodere fas est.

Hoc minimè volo. Quid igitur postulo? quod Volscis æquè ac nobis salutare est & honorificũ: illis verò gloriosius, quòd victores ea concessisse videbuntur, quæ ipsi accipient, pacem & concordiam.

Horum tu omnium author esse potes; quæ si non euenerint, in te vnum culpa vtrimque conferetur. Bellum, vt vides, incertum, hoc habet certi: vt, aut victor patriæ furia sis futurus, aut victus, per iracundiam atque imprudentiam, amicissimos homines censearis in summum discrimen adduxisse. (Deinde illa, quibus instat) Quid siles fili? An verò decorum censes iracundiæ tuæ omnia indulgere? Matri verò pro tantis rebus deprecanti nihil gratificari? Hoccine magni animi est, iniuriarum tam pertinaciter meminisse? Pietatem verò in parentes tot nominibus venerandam colere & reuereri, indignum est? Ecquem par est beneficijs gratiam rependere lubentiùs quàm te, qui animi labem adeò infensis odijs persequeris?

Et quidem infelix patria, satis iam pœnarum dedit: Matri verò nullam gratiam retulisti, adeò in vlciscendis iniurijs, quàm in remunerandis beneficijs, promptior es & acrior.

At certè oportebat imprimis mihi hanc vnam honestam & iustam petitionem concedi; quam si non obtineo, quid vltra extremam omnium miserorum spem differo?

Facunda planè mulier: nec mirum si vicit: ad hanc enim orationem reddidit illas voces Coriolanus, [Quò me adegisti mater? vicisti.] Comparentur nunc illa Titi Liuij, SINE PRIVS, quàm complexum accipio, sciam ad hostem, an ad filium venerim? Captiua, matérne, in castris tuis sim? In hoc me longa vita, infelix senecta traxit, vt exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc terram, quæ te genuit, & aluit? Non tibi quãuis infesto animo & minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? Non quum in conspectu Roma fuit, succurrit, Intra mœnia illa domus, ac penates mei sunt? Mater, coniux, liberi? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur: nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius, quàm mihi miserius, possum, nec vt sim miserrima, diu futura sum. De his videris, quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa seruitus manet.

Liuius l. 2.

Hoc ipsum argumentum nobilissimè tractauit Dionysius Halicarnasseus, in quo rationibus est pugnax, & affectibus satis vehemens. Nam inter cætera, præclarè mouet à religione Veturia, timorem numinis incutiens: Neque enim existimãdum esse ait, τὰς τῶν θεῶν ὀργὰς θνητὰς εἶναι, τὰς δὲ ἀνθρώπων ἀθανάτους.

Dionys. Halic. l. 8. Antiquit. Bo. p. 521.

Deinde affectus maternos habet valde mites:

Ἥτις ὀρφανὸν ὑπὸ τοῦ παιδὸς καταλειφθέντα παραλαβοῦσα νήπιον, διέμεινον ἐπί σοι χήρα, καὶ τοὺς ἐπὶ τῇ παιδοτροφίᾳ ἀνιώτατα πόνους, οὐ μήτηρ μόνον, ἀλλὰ καὶ πατὴρ, καὶ ἀδελφὸς, καὶ τροφὸς, καὶ ἀδελφὴ, καὶ πάντα τὰ φίλτατά σοι γενομένη.

Cùm te, inquit, tenellam admodum ætate, pupillum à patre relictum suscepissem, vidua permansi, educationis labores pertuli, nec matris tantùm, sed patris, fratris, nutricis, sororis, omnium denique carissimarum necessitudinum loco fui.

Iam illud excelsum, quod ait, se si hoc beneficio affecta moriatur, corporis solutam compagibus, in beatorum purum candidúmque domicilium esse migraturam, vbi sanctis illis & immortalibus animis, filij pietatem narret, & à Dijs meritas impetret gratias.

Contrà, si repulsùm patiatur, actum esse de sua vita, aduenisse tempus quo sibi violentas manus inferat, & filio vltrices maternæ cædis relinquat furias, quæ eum nusquam securo animo consistere patiantur. Postremo Deos inuocat, vt eam mentem dent filio, quæ cum sua gloria & reipubl. salute consentiat.

Comparantur in hac Volumnia oratione tres magni artifices.

Magni planè artifices, qui tamen in hoc argumento multum differunt: Titus Liuius acuminum studiosus, rem breuissimè constringit, pugnax, suauis, ingeniosus: Dionysius, laxior est, & in plerisque vastus, affectus tamen habet valdè graues & vehementes: Plutarchus mediocritatem sequutus, nec strictior est, nec prolixior, sermo illi grauis, honestus, efficax; qui nec lumiuibus caret, nec acumina desiderat, tractu autem, Liuio speciosior est.

De miserationibus, & lacrymis.

De variis generibus lacrymarum.

CAPVT XL.

DEuenimus ad eum affectum in quo sæpius triumphare solet maximorum Oratorum industria, siquidem dolorem ex alienis præsertim malis imprimere, miserationem concitare, lacrymas elicere, grandis est & felicis eloquentiæ, nec immeritò *Lacryma auditorum* nominantur *laudes oratoris*.

Primùm igitur, quod ab Antonino Imperatore apud Herodianum præclarè dictum est, τὸ ἄνθρωπον φύσει ἐλεεινὸν, *Homo animal est natura miscricors*; hoc eum suæ miseriæ docuerunt. Quid enim est homo, nisi quod omnium ore iactatur, mutationis imago, temporis spolium, inuidiæ & miseriæ trutina, phlegma, & bilis, imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum. Huic partim bonorum absentia, partim ingruentium malorum procellæ, partim quotidiani casus, partim etiam ipsi (si nihil aliud immineat) humores corporis, satis longam mœrorum telam texunt: quos vt aliqua ex parte alleuaret natura, lacrymas dedit, atque eas dum profundit, euaporat affectus, & inhiti doloris particula in alienum pectus deriuatur. Duo autem sunt genera lacrymarum, quas per *Irriguum superius aut inferius* significatas, in sacris agnoscit D. Gregorius. Ex irriguo superiori fluunt lacrymæ, puræ, cœlestes, liquidæ, quarum fons est Dei amor; siue ob peccatorum detestationem, siue ob Christi desiderium, dilectionisque ardorem, siue ob tormentorum Domini miserationem dimanent.

Herod. in orat. Ant.

Senec. ad Marc. c. 11.

Duo lacrymarum genera.

Ioſue 15. 19. Gregor. l. 3. dial. c. 34.

Dulces verè lacrymæ, quas *cœli margaritas* Basilius, *vinum Angelorum* Bernardus appellat. Qui has excitare conantur sacri Oratores, nisi diuinis nitantur præsidijs, aquas è pumice postulabunt.

Basil. de Magdal. lacrym. Bernard. in Cantic.

Aliæ lacrymæ sunt humanæ, & prorsus naturales, quæ ex caussis humanis & naturalibus fluunt.

Est enim lacryma, propriè, humor ex calefactione humidi ac teneri cerebri, distillans per oculos; quæ calefactio, si vehementior fuerit, ita vt cerebrum exsiccet, lacrymis est impedimento: ex quo fit, vt viri in dolore & iracundia fletus non effundant.

Lacrymæ definitio.

Alios etiam ingens animi mœstitia & stupor ita confundit, caloríque vim comprimit, vt nullus sit lacrymis locus. Contra, vbi cerebrum mediocriter calidum est, humidum, molle, ac tenerum, facilius erumpunt.

Lacrymarum causæ.

Accidunt etiam nonnunquam ex vento valido, ex fumo, ex aduersa valetudine, ex intemperanti risu, quo cerebri humiditas incalescit: Sed maximè ab affectionibus excutiuntur,

tiuntur, quales sunt amor, desiderium, ira, inuidia, pudor, lætitia, & ea, quæ hic principem locum obtinet miseratio. Extant & fictæ lacrymæ, quas tanquam ex vero affectu hypocritæ nonnunquam ciere solent, quales sunt Polydori in Hecuba, apud Euripidem. Multi enim administris cerebri humoribus, quod ait ingeniosus Poëta.

Vt flerent oculos erudiere suos.

De industrijs miserationum.

Ac primum, quid circa personas, & res considerandum.

CAPVT XLI.

Lachrymulæ vis.

LAchryma nihil fermè tenuius esse videtur, vtpote, quæ sit aquæ guttula quamprimùm exarescens; Tam violenta tamen plerunque in intimos sensus, mentesque permeat, vt ea ipsa emolliat, quæ nullis viribus expugnari posse videbantur.

Non est igitur minimi ingenij, nec industriæ, hos motus appositè concitare. Fustra sudant multi, & omnem (quod aiunt) lapidem mouent, vt lachrymas excutiant, cum tamen se potiùs deridendos in sua flebili monodia præbeant, quam vllos fletus exprimant.

Delicata est omninò hæc permotio, atque vt violentia, & imperio reprimi non potest, sic neque importunis clamoribus, & eiulatibus excitari.

Nihil opus est multum monere auditorem vt fleat, non iussus hic erumpit, sed suopte ingenio excitatus, sensim, & leniter eliquatur affectus. Loquaces illi sæpius, & flebiles nugatores siccis audientur oculis. Vna verò sententia cum affectu pronunciata, vel silentium ipsum cum decoro actionis efficiet, quod verbosa minimè poterit oratio.

Qui ad miserationes inepti.

Hoc igitur motu, vt congrua ratione vti possimus, primùm personarum, si quando alias, diligens habenda est ratio.

Vide Arist. l. 2. Rhet.

Parùm apti sunt, vt iam dixi, ad miserationis affectus, primùm summè felices, qui nihil dum in rebus humanis senserunt acerbitatis, sed cōpositis ad arbitrium omnibus, secundissimos cursus tenuere; nihil enim ad se lachrymas attinere putant, sed perpetuæ cuiusdam securitatis imagine, aliorum miserias negligunt, & nihil durius ad auriculas admittunt.

Secundum locum tenent, qui in extremas deuenere calamitates, vt iam neque timendi, neque sperandi vllam occasionem habeant, sit enim nescio quo pacto, vt diutinis malorum sensibus hebetati, ad flebiles motus obstupescant.

Tertiò numerantur homines acutuli, prudentes, ingeniosi, faceti, veteratores, eruditi, qui rarius, & difficilius istos affectus admittunt, ita sunt alijs rebus assueti.

Qui procliues ad lachrymas.

Contra ad lachrymas procliues sunt, primùm boni viri, secundum vetus Græcorum prouerbium, Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυτοι ἄνδρες. Habent enim cereas animas, & ad miserationum motus flexibiles.

Deinde, multa olim, & grauia passi, cæterorum miserijs, vbi occurrerint, promptius commouentur. Reddit enim prioris fortunæ quoddam vestigium & imago, quæ intimis implicita sensibus misericordiam in aliorum casibus, ex fortunæ similitudine facilius excitat.

His accedunt imbecilles quique, & timidi, vt senes, pueri, fœminæ, orbi, debiles, ex suo enim statu alios metiuntur, & dum timent, ne quid sibi miseriarum eueniat, ad alios miseratione subleuandos longè sunt paratiores.

Addo omnes, qui bonis artibus, & teneris studijs sunt innutriti, nisi forte rebus similibus audiendis assueti incipiunt ista negligere. Hoc igitur imprimis nauo, & prudenti oratori considerandum erit, cum quibus aget personis, ne corneas fibras frustra conetur titillare, sed eas impellat, quæ tanquam nubes aqua fœtæ, & leniter à ventis agitatæ, in miserationes & fletus facilius resoluantur.

Quæ miserationes concitare solent in genere.

Quod autem attinet ad ea, quæ vulgo miserationes concitare solent in genere, sunt omnia ἀναιρετικὰ, vt appellat Aristoteles, hoc est, quę perdendi perimendiq; vim habent: quales sunt morbi, alimenti indigentia, senectus, supplicia, cruciatus, solitudo ab amicis, deformitas, & debilitatio membrorum, mentis alienatio, & cætera, quæ in animos, corpora, & fortunas cadere solent, quorum malorum amplissima seges, & nusquam in alijs animantibus, quam in homine fœcundior.

Augentur porrò ista ab adiunctis, vel *personarum*, vel *locorum*, vel *temporum*, vel *finis*, vel *modi*.

Fundamentum misericordiæ.

Personarum, vt si maxime innocēs sit, qui miser est: si nobilis, rei militaris gloria, si sapientia,

tiã, & optimarum artium disciplinis excultus, si specie corporis, si affabilitate sermonis, si morum candore, gratia, simplicitate, & cæteris ornamentis, quibus vulgo homines commendari solent, præstiterit, si familiaris, si similis ætate, genere, dignitate: hæc sensum doloris efficiunt molliorem.

Deinde etiam augetur miseratio, si ab indignissimis hominibus, & ab ijs, quos beneficijs deuinxerat, præter omnium cognitionem illata sit iniuria.

A loco. Si eos habeat miseriarum suarum spectatores miser, quos minimè velit, si in loco, qui minimè eum deceat, & cruciatuum acerbitatem augere possit.

A tempore, si noua, si extra tempus iniuria sit illata, vt si tener flosculus ipso ætatis limine fuerit demessus, cum iam ad magnas spes pubescere inciperet, eo magis defletur: Et hoc in funere Pulcheriæ plurimum luget Gregorius Nyssenus.

Greg. Nyss. in funere Pulcheriæ.

Nostu (inquit) teneram hanc columbam, Quæ in nido regio nutriebatur, quæ iamprimum quidem nitidioribus pennis volucris euadebat, sed ætatem gratijs, & virtutibus excesserat: vt relicto nido discesserit, vt ex oculis nostris auolauerit, vt eam inuidia repentè de manibus nostris rapuerit, siue columbam hanc dicere oportet, siue recens pullulantem florem, qui nondum quidem toto suo splendore ex gemmis, ac vaginis emersisset, sed partim quidem iam enituisset, partim verò in lucem emersurus speraretur: Nec eo minus in exigua sui parte mirum in modum resplenderet, vt repentè in gemma emarcuerit, &c.

A fine. Si qui patitur, Dei amore, & virtutis conseruandæ gratia patiatur, quales sunt martyres, quorum ideo cruciatus honestatis causa susceptæ ad misericordiam mouendam efficacissimi sunt.

Multa postremo in *modo*, & cæteris circumstantijs contingunt: vt boni quid alicui euenire, multa perpesso, cum iam nullus fructus sit futurus. Qualia fuerunt regia munera ad Diophitum iam mortuum missa. Vel, viuo quidem magnam esse opulentiam, veruntamen eum in phrenesin lapsum, nihil eorum sentire. Quales esse poterant Nabuchodonosori purpuræ, Sceptra, Sellæ Regiæ, quarum rerum vsum mentis impos, errans in solitudinibus minime percipere poterat.

Hæc fere sunt miserationis obiecta, in quibus minimus labor est, occurrunt enim promptius, quam cætera, sed penes modum grauior, & impensior cura versari solet.

De concitatione miserationis per Characterismum.

CAPVT XLII.

FAcilis est omnino, & expedita miserationis, ac lachrymarum concitatio. Cum ipsi ante oculos miseri versantur, & ea doloris edunt signa, quæ in his angustijs natura solet egerere.

Quando autem hæc desunt, danda est singularis opera, vt eorum, quæ gesta sunt, characterismus, & descriptio quam artificiosissimè fiat, quo res ante oculos poni videatur.

Concitationis miserationum per descriptionem via duplex.

Notandum est autem in hoc genere duplicem iniri viam, alij enim (vt cum Quintiliano loquar) in malis sunt ambitiosi, & quicquid narrant, copiosa admodum, figurataque oratione diffundunt.

Alij in hac re parciores rem quàm aptissime, sine vllis superiectionibus exponunt, & moderatis affectibus opportunè distinguunt, in quo plerunque miserationè digniores videntur, quod minime sint queruli, & in rebus amplificandis profusi. Talia sunt illa Quintiliani commemorata superius.

Mihi filius minor, quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen. Non sum ambitiosus in malis, nec agere lachrymarum causas volo, vtinamque esset ratio minuendi, sed dissimulare qui possum quid ille gratiæ in vultu, quid iucunditatis in sermone, quos ingenij igniculos, quam præstantiam placidæ (& quod scio vix posse credi, tantum altæ) mentis ediderit?

Vide quam modesta oratio, & ideo apud eruditas præsertim aures est ad affectus magis efficax. Satis enim, & cum magno affectu expressa videtur his verbis orbitas. *Vt in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen.* Iam quàm aptè ista post verecundam orationem subiunguntur. *Sed dissimulare qui possum, quid illi gratiæ*, vt non apparatus, sed dolore expressus, reluctante etiam animi grauitate, videatur affectus. Hæc autem prudenter intexta: *Nec augere lachrymarum causas volo, vtinam esset ratio minuendi.* Dissimulat enim, &c.

se concitandi affectus iniuisse consilium, quod longè efficacius, quàm si multis verbis flere iuberet auditores: quod artificium obseruauit M. Tullius in Gauij supplicio. *Rem*, inquit, *in medio ponam*, quæ tantum habet ipsa grauitatis, vt neque mea, quæ nulla est, neque cuiusquam ad inflammandos animos eloquentia requiratur. Deinde,

Cicero vltima in Verrem.

Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus, cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem crepitúmque plagarum audiebatur, nisi hæc, *ciuis Romanus sum*. Et.

Crux, crux, inquam, infelici & ærumnoso, qui nunquam istam potestatem viderat, comparabatur. Deinde. Quam aptè ad motum interiecta exclamatio. *O nomen dulce libertatis! ô ius eximium nostræ ciuitatis! ô lex Porcia, legesque Sempronia.* Hæc etiam, si nihil aliud diceret, misera & miserabilia sunt, plusque afficiunt grauium personarum animos quàm ambitiosæ querimoniæ, maximè verò vbi sunt per se satis atroces, & funestæ, qualis est historia de cæde liberorum Sedeciæ in sacris. Si ille euulsis luminibus squallidus, & cruentus, hæc simpliciter narret, quis miseratione non moueatur?

Sedeciæ querimonia.

Continuo mittuntur ad nos in carcerem Babylonij carnifices, & me comprehensum, ijs catenis, quas ærumnosus trahebam, ad palum alligant.

Quid sceleris pararant, nesciebam, tantum exerebam iugulum, hortabar vt ferirent, mortem extremam miserorum spem, quasi iam proximam lætus amplectebar. Sed illi longe atrociores cogitabant tragœdias: filios quippe meos arripiunt, & lenta morte cruciatos, sub ipsis parentis oculis necant. Vidi, vidi, & in id tantum oculos habui; nunc eorum, vt vides, cruore iaceo respersus (Hic cùm tantisper suspirasset.) At illi teneri morientibus oculis me aspiciebant, & cùm hæreret adhuc in labellis anima, Patris, heu blandum & dulce nomen, sed perituris nihil profuturum! appellabant. Postquam miserijs meis sum abundè satiatus, ijdem carnifices, qui lucem filijs eripuerunt, mihi oculorum lumen eruunt: [fateor (dilectissimi) hoc non doluit, vestra magis vulnera doluerunt.]

Hæc simplici narratione & modicis affectibus dicta, non mediocrem tamen ad excitandas miserationes vim habent.

Alia ratio est cùm, excelsè, figuratè, magnificè, res ponitur ab oculos. Qualia sunt illa D. Chrysostomi de martyribus, vbi varia eorum tormenta non simpliciter narrantur, sed per antitheses copiosissimè illustrantur.

Ex D. Chrysost. homil. 43. p. 576.

Ἄνθρακας ὑπεστόρεσά, φησιν, οἱ δὲ ὡς ἐπὶ ῥόδα ἔτρεχον· πῦρ ἀνῆψα, οἱ δὲ ὡς εἰς πηγὰς ὑδάτων ψυχρῶν ἑαυτοὺς ἔῤῥιψαν· κατέξανα τὰς πλευρὰς, καὶ βαθείας ἀνέτεμον αὐλακας, καὶ κατήγαγον ῥύακας αἱμάτων, οἱ δὲ ὡς χρυσίῳ πάντοθεν περιῤῥεόμενοι, οὕτως ἐκαλλωπίζοντο. τοῖς κρημνοῖς ἔῤῥιψα, καὶ εἰς πέλαγος κατεπόντισα, οἱ δὲ οὐχ ὡς εἰς βυθὸν καταβαίνοντες, ἀλλ' ὡς εἰς αὐτὸν ἀναβαίνοντες τὸν οὐρανὸν, οὕτω διέκειντο σκιρτῶντες, καὶ ἀγαλλόμενοι, καὶ ὥσπερ ἐν ἱερᾷ πομπῇ χορεύοντες, καὶ ἐν λειμῶνι παίζοντες χλοερῷ· οὕτω τὰς τιμωρίας ἕκαστος ἥρπαζον, οὐχ ὡς τιμωρίας, ἀλλ' ὡς ἄνθη λαμβάνοντες ἐαρινὰ, καὶ στεφανούμενοι. καὶ τῇ τῆς οἰκείας προθυμίας ὑπερβολῇ τὰς ἐμὰς προέφθανον τιμωρίας.

Martyrum tormenta describuntur.

CArbones, inquit, substernebam: illi autem tanquam ad rosas currebant. Ignem accendebam: illi verò, tãquam in fontes frigidarum aquarum seipsos proijciebant. Latera cædebam, & profundos in eis sulcos faciebam, & riuos sanguinis deducebam: illi autem tanquam auro omni ex parte circumfluentes gloriabantur. E præcipitijs iaciebam, & in mare demergebam: illi verò, non tanquam in ipsum cœlum ascendentes, ita affecti erant, exilientes, & exultantes, & tanquam in profundum descendentes, sed tanquam sacra pompa choreas ducentes, & in herbido prato ludentes: ita arripiebat vnusquisque cruciatus, non tanquam cruciatus, sed tanquam vernos flores carpentes, & coronas contexentes; & insigni animi sui alacritate cruciatos meos præueniebant.

ITEM

ITEM DE SANCTIS MACHABAEIS.

D. Chrysostomus, homil. pag. 625.

ΕΚείοις μὲν γὰρ τὸ πολὺ τῆς ὀδύνης, καὶ ὀλιγοψυχίαν λοιπὸν ὑπετέμνετο· αὕτη δὲ ἀκεραίῳ διανοίᾳ καὶ ἀκραιφνεῖ γνώμῃ ζωηροτέραν ἐλάμβανε τῶν γινομένων τὴν αἴσθησιν, διὰ τὴν φύσιν· καὶ ἦν ἰδεῖν περιπλοῦν πῦρ, ὅπερ ἐκαυτηρίαζεν ὁ τύραννος ἐκεῖνος, ὅπερ ἐφλεξεν ἡ φύσις, ὅπερ ἐξῆψε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. οὐ τοιαύτῃ δὴ φλεγμαίνουσαν ὁ Βαβυλώνιος τύραννος ἐκεῖνος, οἵαν ἀνῆψε τῇ μητρὶ καμίνον ὁ τύραννος οὗτος, ἐκεῖ μὲν γὰρ ἡ ζωρὰ τοῦ πυρὸς ναφθα, καὶ πίσσα, καὶ τυμπίον, καὶ κλήματα ἦν. ἐνταῦθα δὲ φύσις, ὠδῖνες, φιλοστοργία, παίδων συμφωνία, οὐχ οὕτως ἐπηγανίζοντο οἱ ἐκεῖνοι ἐπὶ τοῦ πυρὸς κείμενοι, ὡς ἐπηγανίζετο αὕτη διὰ τὴν φιλοστοργίαν· ἀλλ' ἐκράτει διὰ τὴν εὐσέβειαν, καὶ φύσις ἐμάχετο χάριτι, καὶ ἐνίκα τῆς χάριτος ἦν, εὐσέβεια ὠδῖνων περιεγένετο, καὶ πῦρ ἐκράτει πυρὸς, τὸ πνευματικὸν τοῦ φυσικοῦ, καὶ τὸ παρὰ τῆς ὠμότητος τοῦ τυράννου καυδέντος. καὶ καθάπερ θαλάττια κῦμα δεχομένη κομάτων προσβολὰς, αὐτὴ μὲν ἀκίνητος μένει, ἐκεῖνα δὲ ἀφρὸν διαλύσαντα ἀφανίζει ῥᾳδίως· οὕτω δὴ καὶ ἡ καρδία τῆς γυναικὸς ἐκείνης, ὥσπερ κῦμα θαλάττιον τὰς προσβολὰς τῶν ὀδυνῶν· αὕτη μὲν ἀκίνητος ἔμεινε, τὰς δὲ προσβολὰς ἐκείνας τερπνὰς καὶ φιλοσοφίας γέμουσι διέλυε λογισμῷ. ἐφιλοτιμεῖτο δεῖξαι τῷ τυράννῳ, ὅτι ὄντως μήτηρ αὐτῶν ἐστιν ὄντως ἐκεῖνοι γνήσιοι παῖδες αὐτῆς, οὐ διὰ τὴν συγγένειαν τῆς φύσεως, ἀλλὰ διὰ τὴν κοινωνίαν τῆς ἀρετῆς. οὐκ ἐνόμιζεν ὁρᾶν κολαστικὸν πῦρ, ἀλλὰ γαμήλιον λαμπάδα. οὐχ οὕτω μήτηρ κοσμοῦσα παῖδας εἰς γάμον εὐφραίνεται, ὡς ἐκείνη καλαζομένους βλέπουσα ἐχαίρε· καὶ καθάπερ τὸν ὠμὸν πορισάλλουσα νομικῇ, τῷ καὶ στράνως πλέκουσα· τῷ δὲ παιδὰς ἰδοῦσα γαμηλίους· οὕτω τὸν ὠμὸν ἐπὶ τοὺς λέβητας, τὸν δὲ ἐπὶ τὰ τήγανα τρέχοντα, τὸν δὲ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμνόμενον ὁρῶσα ἠγάλλετο· καὶ

NAm illis quidem pars maior doloris animi deliquia succidebatur; hæc verò integra mente, iudicio illæso synceriorem eorum, quæ gerebantur, sensum ob naturam capiebat: ac videre erat ignem triplicem; quem ille tyrannus accendebat, quem excitabat natura, quem Spiritus sanctus inflammabat. Non talem Babylonius tyrannus ille fornacem excitauit, qualem matri fornacem hic tyrannus accendit. Nam illic quidem ignis fomes erat naphtha, pix, stuppa, sarmentum: hic verò natura, dolores partus, liberorum amor, puerorum concordia. Non ita illi iacentes in igne vrebantur, atque hæc ob amorem liberorum vrebatur, sed ob pietatem vincebat; & natura cum gratia pugnabat, & victoriam gratia reportabat: religio maternum affectum superabat, & ignis ignem vincebat; spiritualis naturalem, & quem crudelitas tyranni succendebat. Et quemadmodum marinus scopulus, qui fluctuum incursus excipit: ipse quidem manet immobilis, illos autem in spumam dissolutos facilè tollit; sic illius quoque mulierculi cor, tanquam scopulus, marinos fluctus excipiens dolorum incursus, ipsa quidem mansit immota, sed incursus illos firma, & philosophiæ plena mente dissoluit. Ostendere tyranno contendebat, se verè matrem illorum esse, verè filios illos suos esse genuinos, non propter naturæ cognationem, sed propter virtutis communionem. Non se ignem tormentorum, sed facem nuptialem cernere arbitrabatur. Non ita mater, quæ filios ad nuptias exornat, lætatur, vt illa, supplicijs cum cerneret excruciatos, gaudebat, & quasi hunc stola sponsali amiciret, illi coronas necteret, alteri thalamos nuptiales erigeret, ita hunc ad lebetes, illum ad sartagines currentem, alium capite truncatum cum cerneret: exultabat: Omnia tum fumo, nidoreque redundabant; ac sensibus omnibus affectis liberos suos experimento cognoscebat: per oculos eos intuens, per aures verba exaudiens, ipsis naribus fumum illum carnium suauem & insuauem excipiens: insuauem quidem infidelibus, Deo verò, ipsique omnium suauissimum.

Machabaeorum ignis triplex.

Machabaeorum matris certamen internum.

ἦν πάντα καπνοῦ, καὶ κνίσσης μεστὰ, καὶ διὰ τῶν ἀσθητηρίων ἁπάντων τὴν πεῖραν ἐδέχετο τῶν παίδων, διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ὁρῶσα, διὰ τῆς ἀκοῆς τῶν φιλτάτων ἀκούουσα ῥημάτων· αὐτῇ τῇ ῥινὶ τὸν καπνὸν δεχομένη τῶν σαρκῶν, τὸν ἡδὺν ἐκεῖνον, καὶ ἀηδῆ· ἀηδῆ μὲν τοῖς ἀπίστοις, τῷ θεῷ δὲ καὶ αὐτῇ πάντων ἥδιστον.

NEc minus in hoc genere admirabilis est D Gregorius Nazianzenus, è cuius Græco hæc expressa, vbi matrem Machabæorum filios in martyrio circumstantem describit.

De Greg. orat. 22. de Machabæis.

At verò strenua mater, non secus atque auicula, cuius pullos anguis, aut alia insidiosa quępiam fera arripuit, circumuolabat, stridebat, obsecrabat, vna in septem filijs certabat, nihil eorum omittens, quibus eos ad victoriam paratiores, alacrioresque redderet. Modò cruoris stillantes guttas rapiebat: modò lacera colligebat membrorum fragmenta, modò etiam defunctorum martyrum reliquias, sanguinem suum adorabat, alium inter suos amplexus exanimem recipiebat, alium porrigebat, alium interim ad eandem pugnam comparabat, omnibus quantum poterat exclamans:

Euge filij mei, euge strenui mei milites, euge in corporibus fermè incorporei, euge legis patriæ, canæque senectutis meæ, atque ciuitatis, quæ vos aluit, & ad eam virtutis magnitudinem euexit, præsidium, ac propugnaculum. Paulùm adhuc, & vicimus: defatigantur carnifices, hoc vnum extimesco: paulum adhuc, & ego inter mulieres beata, & vos inter adolescentes beati. At fortasse vos matris desiderium angit? Nequaquam vos deseram, hoc vobis polliceor, non tam liberos meos odi.

Quis non interesse huic supplicio, cum hæc legit, & beatam Heroinam videre se putet?

De Miseratione.

Per contentionem fortunarum.

CAPVT XLIII.

Miseratio efficax per fortunarũ contentionem.

CRebra est quoque, & efficax, quæ per contentionem fortunarum fieri solet miseratio: nam, cùm maximum sit infortunij genus, fuisse aliquando fœlicem; vbi quis ab excitata, florentique fortuna, in maximas deuenit acerbitates, optima ratio est commouendi affectus, si vtraque fortuna per insignem antithesin comparetur: quod magnificè præstitit Cicero in peroratione pro Muræna.

Cic. pro Murena. Vide perorationem orat. pro L. Flacco, & Quinctio.

Modò maximo beneficio P. Romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum consulatum attulisset: Nunc idem squallore sordidus, confectus morbo, lachrymis, ac mœrore perditus, vester est supplex, Iudices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem, atque vestras opes intuetur. [Deinde.] Si, quod Iupiter omen auertat, hunc vestris sententijs afflixeritis, quò se miser vertet? Domumne, vt eam imaginem clarissimi viri, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? An ad matrem? quæ misera, modò consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paulò post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem noua pœna legis, & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectuque priuat? Ibit igitur in exilium miser? quò? ad orientis partes, in quibus annos multos Legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? at habet magnum dolorem, vnde cum honore decesseris, eodem cum ignominia reuerti: An se in contrariam partem abdet? vt Gallia Transalpina, quem nuper summo cum imperio lubentissimè viderit, eundem lugentem, mœrentem, exulem videat? &c.

Motum verò vtrumque per characterismum, & vtriusque fortunæ contentionem complexus est Hegesippus scriptior nobilis, in illa sua Hierosolymitana monodia, quam hic ex Græco oratoriè expressimus.

Hegesipp. in Anac.

Vbi est maxima ciuitas Hierusalem? vbi decora-

Hegesippi monodia lamentabilis.

decora Sion? vbi templum admirabile? vbi sanctitatis illud sacrarium, quod semel in anno summus Pontifex rem diuinam facturus, ingrediebatur? Proh dolor! nunc idipsum in cineres conuersum, sceleratis vestigijs hostes polluerunt. Vbi es ciuitas referta populis? venerabilis Regibus? Dei domicilium, gratiarum omnium sedes! Parietum tuorum splendori pauimentorum respondebat nitor, incrustata marmoribus tecta fulgebant, partim auro, partim argento radiabant portæ: tibi vni omnes ornamentorum deliciæ afflorescebant: nunc nudata, à culminibus iaces, euersa, cremata, ab ipsis diruta fundamentis, & qui ex omni terrarum plaga, ad te confluxerant, tecum occubuerunt: mortui cum ciuibus inquilini, vt non dubium sit, totum in vna vrbe mundum perijsse. [Deinde] Cui nos scenæ fata seruatis? quo diutiùs pertinacem animam trahitis? Duri oculi! qui hæc videre possunt: immites animi! qui velle possunt vitam tot funeribus superstitem, nisi fortè eò videntur sibi felices, quod iam miseriores esse non possunt. Quocunque oculos circumferimus, vbique occursant funera. Vrbs tota vacua ciuibus, plena cadaueribus, mortuorum sepulchrum est, & ferale quoddam bustum, è quo excitatæ fauillæ solem ipsum mœstitia confundunt. Hunc patriæ communem tumulum soli nunc incolunt macilenti senes, instar laruarum, cinerulenta canitie, scissa veste, squalore, & lachrymis obruti, nudis propè filiorum mortuorum ossibus incubant; si forte auium rapacitatem cohibere possint: mulieres paucæ, incolumes è patrio solo abducuntur, quas miles non ad vitam, sed ad libidinem seruauit. Deinde nos semiuiri cœlum intueri possumus: vt sydera etiam habeamus nobis æternarum conscia miseriarum.

Regia domus descriptio.

Regia domus ruina.

Cædes.

Hæc amplificandi ratio grauis est, & vehemens, atque eò ornatior, quò antithesis ex pluribus membris composita artificiosè procedit.

Threni Niceta.

Eandem rationem sequutus est Nicetas Choniates in illa sua lamentatione, qua Constantinopolin amaris prorsus lachrymis luget. Hęc autem è multis Latinè exprimamus.

Nicetas Choniat. in deplor. Constant.

O fœcunda genitrix! bysso, & purpura imperatoria pridem amicta, nunc autem sordida, squallida, & germanis orbata liberis! ô pridem in alto dignitatis fastigio collocata, augusto vultu, regali incessu, structurâ magnifica incedens, nunc humilis, depressa, & ad terram afflicta corruisti: laceratæ sunt quippe tuæ vestes, tua illa imperiosa ornamenta profanis concisa manibus, extinctus est fulgor oculorum, & qui prius suauiter efflorescebat faciei decor, totus rugis exaratus est. Quid dicam amplius? post hanc incendij fuliginem, quæ te supra modum deturpauit, ex Regina facta es anicula caminaria, depressa es à vecordi gente, terratum sentina, & colluuie, cuius olim partem si non genuisti, at certè euexisti, & tuis sæpè visceribus saginasti, vt tibi gratiam rependeret: Iaces nunc vmbra, & cinis: At nos miseri è tuo sinu diuellimur, nec licet extremas libare lachrymas, sed quasi passerculi, quarum mater discusso nido abrepta est, timidè circumuolamus, lugubri sono pipientes, siti, inedia, & miserijs confecti.

Hæc περιφραστικῶς è multis, quorum pleraque in nimium tumorem assurgunt, vel in degeneres lachrymas desinunt. Est & hic modus in deplorandis mortuis familiarissimus, & eo vsus Meneclides in deploratione Bacchidis.

Mortuorum deplorandorum modus.

Ἡ δὲ οὐκ ἔτι με φαιδροῖς τοῖς ὄμμασιν ὄψεται μειδιῶσα, οὐδ' ἵλεως καὶ εὐμενὴς διανυκτερεύσει τοῖς ἡδίστοις ἐκείνοις σχολάσμασιν. ἑρπίως μὲν οἷον ἐφθέγγετο, οἷον ἔβλεπεν, ὅσαι ταῖς ὁμιλίαις αὐτῆς Σειρῆνες ἐνίδρυντο· ὡς δὲ ἡδύ καὶ ἀκήρατον ἀπὸ τῶν φιλημάτων νυκταρ ἔσταξεν! ἐπ' ἄκροις (μοι δοκεῖ) τοῖς χείλεσιν αὐτοῖς ἐκάθισεν ἡ πειθώ· ἅπαντα ἐκείνου γε τὸν κεστὸν ὑπεζώσατο, ὅλαις ταῖς χάρισι τὴν ἀφροδίτην δεξιωσαμένη· ἔρρει τὰ παρὰ τὰς πόσεις μνυρίσματα, καὶ ἡ τοῖς ἐλεφαντίνοις δακτύλοις κρουομένη λύρα ἔρρει, κεῖται δὲ ἡ πάσαις μελοῦσα χάρισιν, κωφὴ, λιθος, καὶ σποδιά.

Meneclides in deploratione Bacchidis.

Hæc molliusculè, sophistæ more. [Non amplius hilaritate plenis oculis, subridens me aspiciet, neque propitia, atque beneuola tempus fallet iucundissimis narrationibus. Nuper quidem qualis erat eius oratio, qualis aspectus, quot in eius colloquijs inerant Sirenes: quàm suaue, & immortale nectar ab oculis manabat; in summis, vt mihi persuadeo, eius labris Suada consederat, aut certè cestu

Veneris cincta erat, imò cum gratijs Venerem fuit amplexa. Nunc autem euanuerunt illi inter epulas mollissimi cantus, & lyra eburneis digitis pulsari solita, conticuit. Iacet omnibus adamata: proh dolor! lapis, & cinis.]

Homerus Hectorem mortuum deplorat.

Homerus quoque in morte Hectoris, vbi miserandos prorsus affectus immiscet, præclarè illud inter cætera, dum cadauer mortui ad currum Achillis alligatum, & raptatum describit:

Τοῦ δ' ἦν ἑλκομένοιο κονίσαλος, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Κνανέαι πίμπλαντο, κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσι
Κεῖτο, πάρος χαρίεν· τότε δὲ Ζεὺς δυσμενέεσσι,
Δῶκεν ἀεικίσασθαι ἑῇ ἐν πατρίδι γαίῃ.

Hoc autem raptato excitabatur puluis, circumq; verò
Cyaneæ comæ aspergebantur. Totum verò caput in cineribus
Iacebat olim gratiosum: Sed tunc Iupiter hostibus
Dedit deturpandum in eius patria terra.

Hæc quanquam obiter dicta, multum habent miserabilis affectus. Nec aliter Virgilius;

——— *Quantum mutatus ab illo Hectore.*

De miseratione per repræsentationem imaginis.

Præclara in eo Sophoclis dexteritas.

CAPVT XLIV.

Miseratio per repræsentationem efficacissima

EFficacissima omnium ratio mouendi, quæ fit per repræsentationem imaginis rerum absentium, aut aliqua monumenta mortuorum: si modo illud prudenter, & opportunè, non frigidè, & affectatè procedat, vt pluribus superius monuimus. Testis Drusi imago, testis illa Cæsaris toga lacera, quæ tantas tragœdias excitauit: Sed, vt ea, quæ iam ex Tacito, & Dione commemorata sunt, omittamus, extat apud Sophoclem nobilis locus, in quo Electra tenens, vt arbitrabatur, in vasculo fratris Orestis cineres, flebiliter lamentatur. Operæ pretium est, hunc affectum consideratius expendere: est enim præ cęteris candidus, tersus, ingenuus, multumque habet prudentiæ, & suauitatis. Sic igitur illa vasculum intuens; quæ vel soluta oratione reddita plena sunt venustatis.)

Periphrasis è Sophocle expressa.

O monumentum hominis omnium longè mihi charissimi! ó dulces fraternæ animæ reliquiæ! Qualem te, mi Orestes, accipio? quantum ab illo mutatum, quem ex paternis ædibus florentem dimiseram; nunc te infœlix istis porto manibus, cinerem, fabulam, & nihil. Vtinam potius te in patrijs ædibus vita defecisset, quam ista te infelici pietate, me, & te his funeribus reseruassem. Occidisses nondum tot miseriarum conscius, & te innocentissimam animam paterni manes, ac cineres, comitem accepissent: nunc iaces in aliena terra, post mortem etiam exul, & fugitiuus, tam longè à tua sorore, quę misera, nec morientis spiritum excepit, nec mortui cadauer lauit, nec dictis manibus inferias tulit, sed de peregrini tumultuario sepulchro, & tralatitia humanitate condiderunt. O spes inanes, ó infelicem educationem meam! quid profuit mihi, infantiæ tuæ, & matris, & gerulæ vices reddidisse, tibi cibos meo ore mansos in os ingessisse, tecum lusisse, & tibi tenellis lusibus fatigato amanter accubuisse?

Orestis deploratio.

Heu! quot delicias vna mihi dies, instar infesti turbinis, abstulit; tecum enim omnia vitæ solatia perierunt, tecum in eodem sepulchro iacent conclusa, atque composita: Quid enim aliud sperem? Consceleratæ matris cultro victimario confectus est pater: ego eruentis doloribus confecta, tu quasi somnium euanuisti, & tot spes irritæ ceciderunt; nunc in nostris funeribus tripudiant inimici. Deinde promittebas in dies, te paternarum, & mearum iniuriarum vltorem affuturum: hiccine est Orestes, quem pollicebaris? vmbra, & is, qui tribus digitis portatur cinis. Heu te miserum! heu me infelicem! ó corpus miserabile! ó frater! quam infausto hinc itinere ablegatus es! ó frater amantissime! vt te perdidisti? amantissime frater! vt me perdidisti? Actum est, suscipe me vnà tecum in idem vasculum, quid enim aliud sum, quam vmbra, & cinis? Noli sororem in morte spernere, quam tam piè in vita coluisti. Tecum mihi vna sors, vnus animus, vna omnia semper exstiterunt, & nunc vna amborum cineres miscebuntur, nec vlla nos temporum iniuria diuellet.

Hæc sanè ex ipsa oratione multum capiunt sua-

suauitatis : sed tamen nescio quomodo per imaginis repræsentationem melius animantur.

Miserabile est enim, intueri Regiam illam virginem, vasculum, quo fratris cineres contineri existimabat, toties exosculantem, suisque perfundentem lachrymis: quæ actio, licet muta esset, haberet tamen suos ad motum aculeos.

Accedit & mixtura motuum, quæ affectus longè iucundiores facit. Nam vt vasculum ab Oreste incognito Electræ est oblatum, & præsens ipse lugetur, tanquam mortuus: vnde profectò irrepit auditorum animis miseratio, quæ iam affulgente lætitia suauissimè titillatur.

De miseratione, per sermocinationem.

CAPVT XLV.

MAgnam quoque vim ad permouendos affectus obtinent sermocinationes; in quibus eorum, qui duras patiuntur calamitates, verba, & orationes aptissimè conformantur, quales sunt præcipuè moribundorum, orborum, exulum, & cæt. eiusdem generis: quod Cicero præclarus artifex non omisit in Milone.

Hominis calamitosi oratio.

Me quidem, Iudices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assiduè, & quibus interfum quotidie. Valeant (inquit) valeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc vrbs præclara mihique patria carissima, quoquo modo merita de me erit. Tranquilla repub. ciues mei (quoniam cum illis non licet) sine me ipsi sed, tamen per me perfruantur. Ego cedam, atque abibo, si mihi repub. bona frui non licuerit, at carebo mala: & quamprimùm tetigero benè moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquiescam. O frustrà (inquit) suscepti mei labores: ô spes fallaces! ô cogitationes inanes meæ! &c.

Hæc oratio calamitosi hominis tam grauiter expressa, vehementer animos, mentesque percellit.

In eo genere sunt vltima, vt dixi, virorum moribundorum ad coniuges, aut patrum ad filios colloquia, quæ vbi aprè finguntur, & pronuntiantur, vel è durissimis pectoribus miserationem excutiunt. Finge Sedeciam apud Nabuchodonosorem damnatum, sic filios postremùm alloqui.

Quid me aspicitis, dulces animæ? patrem non hodie primum amittitis: tunc desijt in humanis esse vester parens, cùm miser, & captiuus esse cœpit. Viuite fœlices amores mei, si quæ fœlicitas in seruitute esse potest. Vos fortasse melior fortuna, cùm Deo visum fuerit reuiset. Ego, qui vos simul genui, & perdidi, solus proficiscar ad mortem, meoque sanguine, quicquid est sceleris, expiabo.

Valete solatia mea, & cùm vobis ereptus fuero, Deum patrem cogitate, qui vos in tutelam suam accipiet, & nunquam desertos esse patietur. State constanter patrijs legibus, & ceremonijs, nec vllà vos temporum iniuria ab auitæ religionis sanctitate diuellat. Matrem Reginam in hac viduitate, & exilio miserrimam consolamini, fraternam inter vos concordiam sanctissimè fouete. Ego, si quid sepulti mortuorum cineres sapiunt, vestri non obliuiscar; Adero sæpè dormientibus, vigilantibus adero, & vestræ seruitutis angores, qua potero voce, mitigabo. Valete, iterum meæ deliciæ; valete liberi, quondam beati, nunc infelices; quondam florentes, nunc calamitosi; quondam Regis filij, nunc exulis, & fugitiui; Hic vester Dominus, huic supplicate, amplectimini genua, quis pudor est? Vos miseros quidem effecit fortuna: ignobiles non ideò faciet. Quid sceptra vos adhuc, & Reges cogitatis? Date fatis manus, & si vos vestra ætas dolere nondum docuit, Matris fletus imitamini. Heu nimis maturè discitis esse miseri!

Patrùm moribundi ad filios grauis oratio.

Sedecia ejus rui.

Oratio composita est ad ferreum Regis pectus commouendum, itaque miserationes habet satis flebiles, grauitate tamen conditas: Neque enim Sedecias pro sua vita supplicat, verum se, de coniugis, & liberorum salute vehementer sollicitum, vt debebat, ostendit: Hæc enim cura, in paterna viscera vehementissimè penetrat, & nullus adeò ferus est, qui huiusmodi sensibus mollissimè non titilletur. Vidi, vidi nobilissimum, & facundissimum adolescentem, cum hæc magno, vt erat imprimis ad dicendum compositus, actionis decoro recitatet, multorum lachrymas expressisse.

In Patrem orbum, quod miserabilius est, audiamus. Iacobus est ille Patriarcha, magnis, & arduis laboribus à puero exercitus, &

quem ideò generosior decet constantia, quàm Sedeciam Regem mollissimis studijs innutritum: ad hoc tamen fulmen, ex morte Iosephi filij (vt ipse arbitrabatur) contortum, ita loquitur apud Pilonem, orationem miserationibus, & grauitate condiens.

ORATIO IACOBI PATRIARCHAE, IN FICTA morte Iosephi.

Philo, lib de Ioseph.

Οὐχ ὁ θάνατος με λυπεῖ τέκνον, ἀλλ' ὁ τούτου τάφος. εἰ ἐπὶ γῆς ἐτάφης τῆς σῆς, παρηγορούμην· ἐθεράπευσα, ἐνοσιλέυσα πρότερον ἀποθνήσκοντα, τελευταίων ἀσπασμάτων ἐκοινώνησα, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνέκλεισα, ἐπεδάκρυσα κειμένῳ τῷ νεκρῷ, πολυτελῶς ἐκήδευσα, τῶν νομιζομένων οὐδὲ παρέλιπον· ἀλλὰ εἰ καὶ ἐπὶ τῆς ξένης, εἶπον ἄν, τὸ οἰκεῖον ὄφλημα τῆς φύσεως ἀπολαβούσης· ὦ οὗτος, μὴ κατήφει. πρὸς ζῶντας αἱ παστίδες, ἀποθανόντων δὲ πᾶσα γῆ τάφος. ὠκύμοροι δὲ εἰσὶ πάντες ἄνθρωποι. καὶ γὰρ ὁ μακροβιώτατος, ὀλιγοχρονιώτατος, ἀντεξεταζόμενος αἰῶνι. εἰ δὲ δὴ, καὶ βιαίως, καὶ ἐξ ἐπιβουλῆς ἔδει θνήσκειν, ἦν ἄν μοι κουφότερον κακὸν ὑπ' ἀνθρώπων ἀναιρεθέντος· οἱ κτείναντες, νεκρὸν ἂν ἠλέησαν, ὡς ἐπαμήσασθαι κόνιν, καὶ τὸ σῶμα ἐγκρύψαι· εἰ δὲ καὶ πάντων γένοιντο ὠμότατοι, τί πλέον εἶχον, ἢ ῥίψαντες ἄταφον ἀπαλλάττεσθαι; τῶν δὲ ἐν ὁδῷ παριόντων ἴσως τὶς ἐπιστὰς, καὶ θεασάμενος, οἶκτον τῆς κοινῆς λαβὼν φύσεως, ἐπιμελείας καὶ ταφῆς ἠξίωσε· νυνὶ δὲ, ὡς λόγος, ἀηθάστοις καὶ σαρκοβόροις θηρσὶν εὐωχία καὶ δοίνη γέγονας. γευσαμένοις, καὶ ἐστιασθεῖσι τῶν ἐμῶν σπλάγχνων. ἀθλητής εἰμι τῶν ἀβουλήτων, ἐκεῖ γεγύμνασμαι πολλαῖς κακοπαθείαις, ἀλώμενος, ξενιτεύων, θητεύων, ἀναγκαζόμενος ὑφ' ὧν ἥκιστ' ἐχρῆν. καὶ πολλὰ μὲν εἶδον, πολλὰ δὲ ἤκουσα, μυρία δὲ αὐτὸς ἔπαθον τῶν ἀνηκέστων, ἐφ' οἷς παιδευθεὶς μετριοπαθεῖν, οὐκ ἐγνάμφθην. ἀλλ' οὐδὲν τοῦ συμβεβηκότος ἀφορητότερον, ὅμου τὴν ῥώμην τῆς ψυχῆς νατέσταφε, καὶ καθήρηκε. τί γὰρ μεῖζον ἢ οἰκτρότερον πένθος; ἢ μὲν ἐσθὴς τοῦ παιδὸς διακεκόμισταί

NOn tam ego tuam mortem, fili mi, doleo, quàm sepulchri iacturam: nam si tibi sepulchrum contigisset in terra propria, nec mihi deesset solatium. Assedissem ægrotanti ante mortem, impendissem morienti extrema oscula, clausissem oculos, mortuum perfudissem lachrymis, extulissem magnificè, nihil omisissem è iustis funeribus, atque etiam si peregrè defunctus esses, dixissem mecum, persolutum est naturæ debitum, noli tristari, viui habent suas patrias, at mortuorum omnis terra sepulchrum est: Breuis æui sunt omnes homines, nam qui maximè longæuus fuit, quantillum temporis vixit, si ad æternitatem id conferas? vel si omninò moriturus eras per vim, & insidias, leuius fuisset extingui manibus hominum, qui mortuum saltem miserati, obruissent terra, & cadauer sepelijssent, aut vt crudelissimi fuerint, quid amplius potuissent, quàm insepultum proijcere, quem mox viator aliquis præteriens memor naturæ communis humasset, misericordia commotus. Nunc, vt fertur, immites, & carniuoras bestias pauisti, & saturasti meis visceribus. Hactenus multos labores inopinatos exantlaui: in his miserijs abunde sum exercitus errando, peregrinando, mercede seruiendo, dura ferendo imperia, vsque ad vitæ periculum exagitatus, à quibus minimè oportuit: multa vidi, multa audiui, multa passus sum grauia, quibus ad patientiam eruditus perduraui, sed nihil præsenti casu intolerabilius, qui totum animi mei robur subuertit, atque deiecit. Quis enim luctus potest esse maior, aut miserabilior? vestis pueri ad patrem perlata est; ex ipso non membrum, non frustum, non vel minimæ reliquiæ, totum deuorarunt bestiæ: nihil superest, quod sepulchro inferatur. Ac ne vestem quidem recepi, nisi vt ad eius aspectu recrũdescat doloris memoria, ne vnquam tantæ calamitatis obliuio possit irrepere.

μοι τῷ πατρὶ· τοῦ γὰρ οὐ μέρος, οὐ μέλος, οὐ βραχὺ λείψανον. ἀλλ' ὁ μὲν ὅλος δι' ὅλων δεδαπάνηται, μηδὲ ταφῆς δυνηθεὶς μεταλαχεῖν. ἡ δ' οὐδ' ἂν ἐκπεμφθῆνει μοι δοκεῖ τὸ παράπαν, εἰ μὴ πρὸς ἀνίας ὑπόμνησιν, καὶ ὧν καὶ ὑπέμεινε καίνισιν, εἰς ἀλήστους καὶ συνεχεῖς ἐμοὶ συμφοράς.

DE SERIIS MOTIBVS *Miserationis.*

Et de prudenti eorum tractatione.

CAPVT XLVI.

PLacuit hanc exemplorum copiam ex clarissimis quibusque scriptoribus explicare, quod nihil imitatione sit in hoc genere dicendi præstabilius. Cæterum mens totius eloquentiæ prudentia consulenda est, quę quid, quoue ordine, & loco dicendum, suggerat.

Alij sunt in theatris, & pulpitis, apud Philologos: alij in oratione ciuili, apud Iudices, vel etiam sacros oratores affectus. Quippe in theatrali illo genere liberius quasi dictionis habenæ laxantur. Ciuile autempro dignitate personarum parcius est, grauius, & verecundius.

Cicero non in omnibus affectibus imitandus.

Quamobrem & nimia nonnunquam affectuum teneritudine luxuriat M. Tullius, quos etsi ab eo prudenter adhibitos fuisse tanti viri authoritas credi postulat, haud tamen in omni orationis genere, & loco imitandos suaderem.

Liu. li. 5. Grauis miseratio.

Vide querimoniam Pauli Aemilij, qui intra triumphi sui celebritatem duos, totius familiæ columen, filios amiserat, quam sobria est, & excelsa.

Defunctam esse fortunam publicā mea tam insigni calamitate spero, quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum humanorum, duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et quum ego, & Perseus nunc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur: ille qui ante se captiuos, captiuus ipse duci liberos vidit, incolumes tamē habet, ego qui de illo triumphaui, ab alterius funere filij ad alterum, accurrēs ex Capitolio, prope iam expirantem, veni, neq; ex tāta stirpe liberûm superest, qui Lucij Aemilij Pauli nomē ferat.

Tacit. l. 15. Seneca morituri suprema oratio.

Grauis est istud doloris exemplum: nec minus generosa extat apud Cornelium Tacitum Senecę morituri suprema oratio: cū enim vltima viro admirabili necessitas esset denuntiata, & omnes, qui aderant, suauiter collachrymarentur, ille amicorum lachrymas coercens:

Vbi præcepta, inquit, sapientiæ? vbi tot per annos mediata ratio aduersum imminentia? cui enim ignaram fuisse sæuitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem, fratremque interfectos, quàm vt educatoris, præceptorisque necem adijceret?

Plato in Phadone.

Quid Socrates apud Platonem? qua constantia moritur? num longè melius, & ad affectus potentius est, consummatæ sapientiæ viros ita loqui, quam flebiles alias nænias occinere? Quippe virtus ipsa, & magnificentia, in qua grauitas, & auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commouendam, quam humilitas, & obsecratio.

Hoc igitur imprimis considerandum eri Oratori, apud quos dicat, & quam personam agat. Dicendum in curia, in foro, apud prudentes, & limatos homines: in oratione etiam funebri apud populum, loco sacro: facessant illæ næniæ muliebres, & quicquid est ambitiosarum lachrymarum. Tota, si opus est, graui dolore condiatur oratio. Si Domini, venerandi cruciatus, aut martyrum tormenta narrentur, motibus quidem opus est, & ijs vehementioribus: sed tamen retinere oportet maiestatem, nec vnquam in illos muliebres, inclinatos, vlulantes affectus demigrare.

Finis motuum quis esse debeat.

Secundò prospiciendum est, quò tandem enasurus sit hic motus, nam si inanis tantum spectatur profusio lachrymarum, quid hoc sterilius? Omnia, quę ex recta ratione gerūtur, ad bonum aliquod solidum collineare oportet. Si miserationes tractat patronus, ad vtilitatem caussæ faciant; si sacer orator in ijs

se

se exerceat, conetur non steriles lachrymulas, sed fletus salutares elicere.

Tertiò, nunquam videatur orator velle lachrymas ciere, & in id artis machinas componere. Audax est alienos fletus sibi polliceri, hoc qui expectant auditores, pertinacius obluctantur, ac quicquid affertur, sua expectatione minus existimant.

Quartò, infantissima eorum ratio diligenter fugienda, qui cum apparatas orationes recitent, sibi aut verba suspirijs intercludi, aut vocem lachrymis debilitari, aut ipsos etiam auditores, fletum tenere non posse, dicunt, cùm omnia frigidè, & insulsè ficta appareant. Hæc ad comicos risus, quàm ad miserationes aptiora sunt.

Apollonij rhetoris dictum.

Quintò, cùm iuxta vetus Apollonij Rhetoris dictum, citò arescat lachryma, non modò quia salsa est, ideoque ipsa acrimonia facilius consumitur, sed quia alienorum præsertim malorum leuissimus est olijs sensus, quia tenerrimè (vt solent omnes) se diligunt, nunquam diu in miseratione commemorandum est, siue enim lenta sit & iacens, ideò citius abrumpenda, quia nihil incondita miseratione infelicius, siue secundos cursus teneat, non est nimis indulgendum, ne satietate, & fastidio, quod rebus etiam optimis innasci solet, obruatur.

Sextò, vbi res per se sunt satis tristes, & funestæ, qualia sunt dira innocentissimorum hominum supplicia, non sunt adscititijs rebus, & figuris temerè exaggerandæ, ne videamur argumenti penuria, & sterilitate res alienas excogitare.

Septimò, danda est opera, vt honesti sint aditus, & recessus ad effectum, & aditus quidē talis esse debet, vt non videatur quæsitus apparatus, sed vt eius, qui repentè excitatur motus aliqua subesse ratio videatur. In quo errant pleriq;, qui antequam intellexerint auditores, quid velint, aut in quo argumento versentur, statim incipiunt furere, & insanire, cùm nulla caussa tam atrocis tempestatis appareat, ex quo conijciunt auditores, Claudiana fortè tonitrua, quæ statim in risus soluentur. Recessus verò talis erit, vt non exhaustus, nec satiatus, sed sui potens, consulto in alium sermonem, cum apta quadam digressiuncula sermonem diuertere orator videatur: nisi fortè in extrema parte orationis versetur motus, & desinere ex abrupto oportunum iudicetur, quanquam hoc rarius præstandum est, nam aut affectionem habet, aut intemperantis motus opinionem relinquit auditoribus, aut etiam inopiæ verborum, & memoriæ conturbationi, à plerisque imperitis tribuitur.

Octauò, character orationis in miserationibus esse debet minimè affectatus, non turgidus, non insolens, non festiuus, non politulis metaphoris comptus, aut periodorum strutura ambitiosus, sed candidus, sobrius, & cum generositate aliqua demissus, rebus & sententijs creber, numeris simplex, toto denique corpore ingenuus.

Nonò, accedat ad elocutionem actio, rebus, & verbis accommodata, cuius tanta vis est, in hoc præsertim genere, vt lectissimos quosque affectuum, sine eius beneficio inclinari, repere, extingui videamus: contra, vel mediocres affectus decorum actionis incendere, & in eximiam quandam dignitatem efferre solet. Sed de tota actionis ratione alibi plenius.

Quærer fortassè hic aliquis, sintne apparandi motus oratori? videtur enim hæc agendi ratio clarissimorum hominum sententijs non mediocriter auersari. Siquidem Demetrius Phalereus apertè dicit:

Demetr. Phalereus περὶ ἑρμηνείας.

Θυμὸς καὶ πάθος τέχνης οὐ δεῖται, ἀλλὰ δεῖ τρόπόν τινα αὐτοφυῆ εἶναι ὑπὸ τῶν ποιούντων: (hoc est) Motus iracundiæ, & miserationi, sarte non indiget, sed oportet eos, veluti quodam naturæ imperu fluere.

Dion. Hal. in Lysia.

Hoc est, quod Dionysius Halicarnassensis dicit,

αὐτοφυῶς, καὶ αὐτοπραγματεύτως λέγειν.

Nec immeritò videtur irrisisse Satyricus eos, qui ad misericordiam mouendam apparatissimas afferunt orationes.

—— cantas, cùm fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verùm, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruasse querela.

Persius Satyr. 1.

Quæ si vera sunt, nihil igitur erit eloquenti, quomodo, aut quid dicat, cogitandum: nam, cùm difficillima pars eloquentiæ videatur in motibus consistere, si nulla, quod aiunt, arte indigent, quid est, quod magnopere putemus Oratori elaborandum?

Verùm, nunquam hęc fuit mens eorum, qui deeloquentia syncere iudicarunt: Si quis verè iratus est, aut dolet, non solet opinor cogitare in ipso permotionis æstu, quomodo dolorem, aut iracundiam verbis depingat, faces adhibente natura.

Verùm,

Verùm, quia oratorum est, non tam irasci, aut dolere, quam aliorum iras, & dolores exprimere, summa arte prouidendum arbitror, quomodò id rectè præstare possint; alioqui, si nihil est artificij, dicamus quoque pictores, dum furiosum Athamantem, & mœrentem Antiopam depingunt, nihil artis beneficio indigere, quando rem oportet facere, quàm maximè naturalem. Nemo tamen hoc dicit, nemo ita iudicat, sed eos artificiosissimos esse putamus opifices, qui propiùs rerum naturas assequuntur.

Ita quoque se res habet in eloquentia, motuum solers quædam ratio magnifica res est, & eximiorum oratorum coloribus digna, nec dubium est, quin multum in id impendant industriæ.

Quorsum igitur contra sentire grauissimi videntur authores? Primum eos reprehendunt, qui cùm nihil opis habeant à natura, morosa quadam opera, & infœlici labore motus parturiunt, de quibus dixit Pindarus.

—— κοραικες ὡς
Γαρύετον διὸς πρὸς ὄρνιχα θείαν.

Deinde illos, qui in rebus afflictis, tristibus, calamitosis, vel certè seriis, & grauibus vndique flosculos carpunt delicatissimæ orationis; & in doloris motibus, ingenij luxuria, figurarum mollitie, periodorum denique laciniosо ambitu intemperanter lasciuiunt. Hos omnes iure Critici Rhetores ineptiarum condemnant.

Quintil. l. 11. Commoueaturne quisquam eius fortuna (inquit Quintilianus) quem tumidum, ac sui iactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorde videat? non: imò oderit reum verba aucupantem, & anxium de fama ingenij, & cui esse diserto vacet.

Quamobrem in his summa cura est egregijs oratoribus, quomodo artificium occultent, vt quod ait idem auctor. Illa, quæ dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumpsisse videamur, & oratori, & ipsi caussæ plurimum confert: nam, & magis miratur, & minus timet iudex, quæ non putat aduersus se præparata. *Idem l. 1.*

Non dicit domo non esse afferenda, quæ dicimus, sed ita agendum, vt non videamur attulisse, quod similiter Aristoteles, 2. Rhet. Διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας, καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως. *Aristoteles artem tegendam dicit.*

Oportet (inquit) artem ita obscurare, vt non ex vllo apparatu, sed omninò naturaliter dicere videamur: quod si quædam molliores figuræ in oratione transluceant, quæ sine cura, & cogitatione fluere non possunt, statim ars deprehenditur, & vis motus sidit. Nam, vt ait Dionysius in Isocrate; *Ars tegenda.*

Χαριεντισμὸς πᾶς ἐν σπουδῇ ἄωρον πρᾶγμα, καὶ πολεμιώτατον ἐλέω. Oratio nimis elegans, & festiua in rebus serijs, intempestiua res est, & miserationi contraria.

Alia plerumque ratio est Poetarum & sophistarum, qui omnia aurium delectatione metiuntur: licet enim modum in ijs quoque tenere debeant, tamen longè suas artes produnt liberiùs, quàm ij, qui non iam argenteis hastis pugnant, sed graue & laboriosum discrimen ingressi sunt. *Poetica & sophistica in motibus oratio ab oratoria diuersa.*

Nunc, quæ ad actionem attinent, etsi breuius perstringere visum est, tamen quia aliud argumentum spectant, in sequentem libellum reijcimus.

Finis Libri Octaui.

DE PRONVNTIATIONE. LIBER NONVS.

Actio corporis eloquentia.

IN Eloquentiæ potissimum exercitatione conformari solet actio, cuius vis maxima est, & ad omne momentum persuasionis, efficacissima. Est enim corporis quædam eloquentia, qua fit, vt animus optimis sensibus affluens in corpus emanet, eique sui generosam speciem imprimat. Vt igitur lumen à sole, sic ab intima mẽte profluit actio, imò mens ipsa in actione se prodit, quasi in speculo, & per vultum, per oculos, per manus, per vocem, optimum eloquentiæ instrumentum, in exteriora sese diffundit: cumque ea quæ interiora sunt, minus pateant multitudinis ingenijs, quæ omnia ex oculis metiri solet: contra, quæ videntur, & audiuntur, vehementius animos per sensum transfusa percellant, euenit, vt qui actione floruerint oratores, omne (quod aiunt) punctum semper retulerint; nec immeritò eandem eloquentiæ primariam, & pene vnam virtutem agnouit Demosthenes.

Actio vsu potius discitur, quàm præceptis.

Quamobrem, & ei qui serió decus affectat eloquentiæ, diligenter conformãda est, & omni ex parte perpolienda, quamquam superuacaneum existimo, de ijs longam præceptorum seriem texere, quæ potiùs è naturæ cuiusq; affectione, viua voce, & continua exercitatione petenda sunt, quàm ex scriptorum monumentis expectãda: Qui enim hæc scrupulosius inquirunt ex libris, & exercitationi minimè insistunt, idem mihi facere videntur, ac si quis, vt in strenuũ militem euaderet, gladiatorum dictata multa quam auidè colligeret, ludi verò gladiatorij aspectum, & rudes, & petitiones, & declinationes nunquam digladiando experiretur. Est autem cuilibet promptius actionis vitia, & deformitates notare, quàm quid optimum sit, in tanta corporum, & ingeniorum varietate definire.

De actione molli, & curata.

CAPVT I.

FAmiliarissimum est ijs, qui ex Rhetorum ludo, & præceptis adhuc calent iuuenilius, actionem nimis mollem, & curatam studiosè consectari, qua plurimum sæpe deperditur grauitatis.

Actio scholæ nimium plerumq; delicata.

Alius est Athleta in ludo, alius miles in acie, cùm ad pompam, & delectationem referantur omnia, exilire solet liberiùs actionis quædam affectata iucunditas; At vbi serió cum hoste confligendum est, defloresçit hic ab arte numerosus lepos, & plus sæpè naturæ, quàm præceptis tribuitur.

Actio nimis curata non sonat solem, & pulueremq; legitimi certaminis.

Non enim satis sani videntur, qui certantem hominem, & iam in sudata lorica deflagrantem, volunt minutulis quibusdam præceptis, & legibus illigare, qui Oratore, ad religiosam Phonascorum obseruationem reuocant, abstinentiam ciborum variam præcipiũt, liquidorum etiam plasmatum sorbitiunculas præscribunt; gestum deinde formant, quasi ex pyxide ad choreas, non ad turbarũ sonitus, armorum-

morumque terrores educturi essent oratorem, His igitur sæpenumerò contingere solet, quod Sybaritatum equis ludionibus quidem illis, sed minimè bellicosis: Quippe gens chorearum, ad insaniam vsque auida, etiam equos numerosè saltare docuerat, qui postquam ex saltationum vmbraculis, in solem, & puluerem sunt producti, Martis & tubarum ignari, nimis insulsè compositis motibus lasciuientes, se, & totum exercitum perdiderunt: ita illi ab imis vnguiculis ad verticem vsq; venusti Rhetores, qui triumphant in lusionibus, in legitimis prælijs, si eandem teneant rationem, se, & caussas in discrimen adducunt.

Simile de equis Sybaritarũ.

Itaque bene monet Quintilianus, actionem non esse delicijs molliendam: alioqui nitida illa, & curata pronuntiatio insolitum laborem recusabit, vt assueta gymnasijs, & oleo corpora, quãlibet sint in suis certaminibus speciosa, atque robusta, si militare iter, facesque, & vigilias imperes, deficiant, & quærant vnctores suos, nudumque sudorem.

De actione rudi, & vasta.

CAPVT II.

Moderata actionis cultura.

NEque tamen cùm mollis, & compta repudiatur actio, eò deueniendum est, vt cum ijs sentiamus, qui rudem illã, & qualem impetus cuiusq; animo tulit, actionem iudicant fortiorem, & solam viris dignam. Est enim profectò ab arte moderata quædam cultura capienda; Nam etsi præceptis istis in dicendo manifestè non vtimur, tamen apparet, atque extat, vtrum aliquando didicerimus.

Vt enim (quod ait M. Tullius) qui pila ludunt, non vtuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ: sed indicat ipse motus, didicerintne Palæstram, an nesciant.

Sic in orationibus iudiciorum, concionum, Senatus, etiamsi non adhibentur gestus ex schola, facilè est tamen intueri, vtrum is, qui dicat, liberaliter aliquando fuerit institutus.

Omnis quidem affectatio, ac nimis delicatus lepos inuisus est, & meritò in serijs præsertim orationibus suspectus.

At ipse neglectus actionis incidit in aliud vitium rusticitatis, quæ meritò placere nõ possit.

Itaque, vt qui formæ nimis student, elaborantque curiosius, delicatæ mollitiei suspicionem non effugiunt: contra, qui omninò negligunt rigorem quendam animi, & duram speciem præferunt austeritatis.

Non dissimili ratione, quæ nimis excolitur actio, pueriles delicias sapit: quæ prorsus contemnitur, in agrestem duritiem transit, quę auditores retinere non potest: tenendus est, vt in cæteris modus, & medium, in quo solet virtus consistere. Quanquam si in altero peccandum foret, faciliùs excusaretur simplex quædam rusticitas, quàm putidiuscula vocis, gestus, & habitus affectatio. Quod Philostratus disertè notauit in Philisco, qui adeò Antonino Imperatori ob infractam mollitiẽ actionis displicuit, vt immunitate, qua cæteri penè omnes sophistæ gaudebãt, excideret, vbi inter cætera notat, καὶ τὴν στολὴν ἀσχήμων ἔδοξε, καὶ τὴν φωνὴν μιξόθηλυς, καὶ τὴν γλῶτταν ὕπτιος, καὶ βλέπων ἐνέφασέ ποι μᾶλλον ἢ ἐπὶ τὰ νοήμενα. Veste, inquit, indecorus, voce penè effœminatus, lingua supinus, & alio quouis potius in dicendo, quàm ad sensa respiciens visus est. Quã ob rem Imperator in Philiscum conuersus, eius os continuò repressit, angustas interrogationes iugerens; ad quas, cùm Philiscus minimè responderet: τὴν μὲν ἄνδρα, inquit Antoninus, δείκνυσιν ἡ κόμη, τὸν δὲ ῥήτορα, ἡ φωνή, & cùm sibi, ob sedem Athenis datam, immunitatem quoq; concessam dictitaret, respondit Imperator, se non διὰ μικρὰ καὶ δύσηνα λογάριαι, immunitatem concedere. Ita ille vitio prauæ actionis irrisus, & mulctatus est.

Philost. in vita Philisci sophistæ.

Actionis delicata rigida censura.

De actuosa, & frigida.

CAPVT III.

IS est plebeiorum fermè hominum sensus, vt nullam putent egregiam, nisi quæ *pontem indignetur*, actionem, in qua & rigidi vultus toruitas, & clamosæ fauces, & vox vlulans, & pedis supplosiones, & brachiorum remigatio, & totius corporis dissoluta quædam, atque intemperans iactatio: quæ tamen agendi ratio, quam parum synceta sit, & prudens, declarant summorum Oratorum de pronuntiatione iudicia.

Actuosi quales sint.

Demosth. de clamosis iudiciis.

Siquidem Demosthenes eorum perstringens insciciam, qui, vt valentissimum quemque lateribus, ita optimum iudicarent Rhetorem. Præclarè monuit Oratores, non ex voce, sed ex mente dignoscendos, οὐκ ἐκ τ̃ φωνῆς ἀλλ' ἐκ τ̃ γνώμης.

At M. Tullius clamosos illos latratores claudis similes esse dictitabat: sicut enim hi ad equum imbecillitatis suæ perfugium, ita illi ad clamorem, ignorantiæ suæ præsidium concurrunt. Hoc deinde clamore, quasi robusto iumento ferocius inuecti, apud imperitos quoq; tripudiant. Sed nunquam Homerus Stentorem inter oratores numerauit, ne magis hoc nomine possunt fieri eloquentes, quam baiuli citharœdi.

Itaque, licet promptissimum sit eloquentiæ telum vox firma, & robusta, nec tamen nimia contentione politis auribus officiat, prouidendum est.

Carneades, vt clamosus arguitur.

Nec immeritò Carneadem Stoicum, nondum tantæ apud Philosophos authoritatis, in gymnasio differentem, misso quopiam gymnasiarchus monuit, vt vocem acutam remitteret: Erat enim natura vocalissimus. At cum ille respondisset, Da mihi vocis modum: Non ineptè occurrit, Do eum qui tecum sermocinatur.

Ex quo fit, vt pro locis, & auditoribus conformanda sit vox, ne aut nimis demissa sit, aut etiam sonantius, quam necesse sit, exiliat.

Multò verò magis gestus prudenter est temperandus, ne in calore orationis, præter modum subsultans efferatur.

Haterij actio vehemens. Seneca in controuers. lib.

Quintus Haterius, quem sufflaminandum Augustus Imperator, sumpta à curribus metaphora, dictitabat, seruum à tergo perorans habuit, qui ardore quodam eloquentiæ vehementius procurrentem, tactu vestis moneret, & ad æquitatem orationis reuocaret.

Dici non potest, quantum à veteribus exagitata fuerit ea, quæ in rebus etiã modicis cernitur apud complures insolens totius corporis, vbi nihil opus est, iactatio.

Titius saltatio. Cicero in Bruto.

Sextus Titius, homo loquax, & acutus, tam solutus, & mollis fuit in gestu, vt saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset, ita actuosus orator trivialibus etiam probris concisus, eius vitij deformitatem magis insignem reddidit.

Quintil. lib. II.

Nec temperatior fuit Manlius Sura, quem cum Domitius Afer multum in agendo diffi-

cursantem, salientem, manus iactantem, togam deijcientem, ac reponentem vidisset, non agere dixit, sed satagere, hoc est frustra, miserèque comari.

Oratoris est agere, non satagere.

Alij hac corporis agitatione minimè contenti, multa passuum millia, vt ille Virginij antisophista, declamant; contra quos lineam meritò Cassius Seuerus poscere solebat, vt aliquem excursionis terminum, qui in stadijs adhiberi solet, constituerent.

Alij mentum intorquent; alij femur, & frontem in nugis feriunt; alij pulpitum perpetuis ictibus terunt. Nonnulli etiam capillos vellunt, quod Socrati ardore mentis incitatissimo contigisse, narrat Diogenes Laertius.

Hæc sanè vitia sunt actionis prorsus illaudatæ, quæ cùm omnes dedeceant, maximè tamen graues personas, & sedatas orationes: etsi in oratore plurimum laudis obtineant affectus, nunquam tamen ita debent esse immoderati, vt extra se exilire orator videatur, alioqui nisi permotionis ipse potens fuerit, contemptus efficitur.

Deinde grauitati non parum officere solet crebra illa corporis iactatio, & iuuenilis motus ostentationem habet non mediocrem.

Sedata grauis persona oratio, quasi ex sacrario prodire videtur.

Contra, quæ sine hac gesticulatione sapientum voces exprimuntur, ex tranquillo mentis sacrario, quasi ex oraculo fluere videntur, & ideo ad persuasionem plus habent firmitatis.

Quanquam in eo magna est argumenti ad dicendum propositi habenda ratio, & alia sedate, alia seuerè nonnunquam, & atrociter dicenda sunt, nunquam tamen insanè, quod ijs accidit, qui in nugis tragica, & vlulanti voce lasciuiunt.

Actio frigida.

Aliorum longè dispar est ratio, qui adeò misserè, & frigidè dicunt, vt vbi irasci, tonare, ac fulgurare oporteat, non magis ardescant, quàm gallinæ madidæ, & lectoris tono Thyestæas exercitationes decurrant.

Cicero in Bruto.

Hoc vitium in M. Callidio, Q. Galló accusatore præstringit M. Tullius. Cum enim affirmaret se testibus, chirographis, quæstionibus, probaturum sibi à reo fuisse præparatum venenum, sed interim rem atrocem, remisso vultu, languida voce, ac reliquo gestu parum concitato pronuntiaret; M. Tullius, Tu, inquit, nisi fingeres, M. Callidi sic ageres? Ex actione colligens, illum non ex animo loqui.

Qui sunt ita affecti ad consolandos in valetudi-

rudinario ægrotos magis, quam ad grandiores orationes sunt idonei, quanquam occurrunt nonnunquam tempora, & auditores, apud quos ipsi sunt valdè apti, vt apud Areopagitas, qui res simplici oratione narrati, nullis verò motibus exaggerari, incendive iubebant.

In hoc genere magna, & ætatis, & personarum, & rei ad dicendum propositæ habenda est ratio: quædam enim sunt, quæ gestum nullum ferunt, sed quò simplicius dicuntur, eò plus habent ad persuadendum roboris. Contrà, gestus si quid artis oleat, de fide, & authoritate dicentis nonnihil detrahit.

Alia tempora de industria promunt eloquentiam; alia celant, & eius percallidè declinant opinionem; omnia rerum momenta prudentissimo præsertim oratori sunt expendenda, & vt styli, sic actionis quoque adhibenda est varietas.

De Cantu, & monotonia.

CAPVT IV.

SEd nos errata, quæ in actione contingere solent, plenius agnoscamus. Omninò, vt ea tota in pronuntiationem, & gestum diuiditur; ita vocis, & corporis vitia sigillatim expendenda sunt.

Cantus appellatur Caricum vitium. Suid. & Eubl. 11.

Quo in genere primum est, & familiarissimum cantus, quod inutilius sit, an fœdius dubitare se dicit Fabius: appellatur istud à nonnullis Caricum vitium, & καρικὴ μοῦσα, quod Cares, vt lamentabili cantilena supra cæteros delectati, locum prouerbio dedere: ita etiam flebiles Rhetores habuerunt, quos pene cantasse in epilogis testantur Marcus Tullius, & Fabius Quintilianus. Si quis autem quærat, quid sit cantus, dixerim esse clamosam quandam, & subsultantem vno fermè tenore næniam.

Primùm igitur animaduertas in cantoribus μονοτονίαν, hoc est vocem etiam in cantu, vnius semper tenoris, similem tabulis, quas μονοχρώματα appellant. non quod non habeant aliquam modulorum disparitatem, quam cantus necessariò solet includere, sed quod desit illis aucupium gratissimæ varietatis, qua pro argumentorum dissimilitudine suam nanci oratores perspergunt actionem.

Cantores non habẽt vocis varietatem.

Itaque, si narratiunculam quandam in submisso genere dicendi cantores percurrant, vbi minimè affectatus requiritur pronuntiationis lepos, insurgunt, inclamant, cantant, aut alio tenore dicunt, *fer vinum, fer aquam, ô puer*, vel, *nam postquam venit hic ad balneas, cœpit defricari*, quam, *O Cheronæa pernicioſua ager! ô transfuga ad Barbaros Bœotia! lingemiſcite Heroum anima, ad Plataas victi ſumus.* Deinde quicquid dicunt, tanta voce, tantaque contentione spiritus pronuntiant, vt ægrè possea submittere, & in exilem sonum deflectere possint, sed vox semel incitata, quasi effrænis Numidarum equus ruit, & nulla moderatione temperatur.

Accedit inter eosdem semper limites subsultans quidam puerilis tonus, quo vox in alijs muliebriter frangitur, in alijs perquam flebiliter vlulat, ad summum totam pronunciationem corrumpit.

Cantus fœdum pronuntiationi.

Fœdum illud quidem est in oratoribus, (vt ait Quintilianus) & inutile vitium, fœdum propter inflexiones muliebres, & vlulatus: inutile propter frugis, & fructus inopiam. Nihil magis officit persuasioni, nihil minus afficit nauum auditorem, nihil viro oratore indignius.

Cantus inutile vitium.

Quare, quicunque hanc agendi rationem sequuntur, paucis fortasse mulierculis, & auribus valdè plebeijs placent, à viris prudentibus, non secus ac declamatores pueri audiuntur, qui nec delectare, non prodesse possunt.

Quanquam euenit sæpè, vt istud, quicquid est vitij, tum sanctitatis, tum doctrinæ virtutibus nonnulli sacri Oratores tegant; tamen si hanc eloquentiæ maculam eluerent, longè gratior eorum, addo etiam vtilior in publicum manaret oratio.

Radix & ortus cantionis.

Radix vt plurimùm huius mali pullulat in scholis, in quibus pueri rebus tragicis, & grandibus assueti, quæ vocis contentiones, & alios flexus desiderant, rati omnia eodem tenore pronuntianda, & in hac vocis infractione pulchritudinem quandam extare eloquentiæ, res ciuiles, minutas etiam plerumque, vel festiuas, eodem spiritu dicunt, & pronuntiant, videre est etiam adulescentulos in infimis scholis delitescentes, (ita dulcium vitiorum illecebra trahit imitatores;) Despauterianos versus recitare, non secus, ac si Milonianæ peroration em, aut priami cædem, aut Niobes lachrymas declamarent.

Educatio cantus.

Hoc demùm vitium in theatris alitur, vbi torui, & furiosi, & vlulantes, & ad insaniam

vsque æstuosi visuntur, quæ dùm apud imperitum populum, quæ istis rebus pascitur, habeant aliquid iucunditatis, è scena transeunt, non modo in oratorum pulpita, sed in ipsas concionatorum cathedras, ex quo latius in dies blandum serpit malum.

Qua igitur ratione hæc pronuntiatio tam peruersa euelli possit? hac, opinor, si pueri primùm rebus submissis, & humilibus rotundè pronuntiandis assuescant, nec statim ad tragicas illas nænias, aut furores etiam procurrant.

Remedium aduersus cantum.

Deinde, si sensum eorum, quæ recitant, maturè animaduertant, interdum etiam vernacula, non illa inflata, & tragica, sed grauia, & sedata pronuntient. Præceptores bene monentes audiant, sua etiam vitia in alijs recognoscant.

Postremò, vbi iam ad illos palæstræ motus aptiores, & magis compositi fuerint, in orationibus exerceantur, quæ varios motus, ac vocis inflectiones admittant; vt quid submisse, ac leniter, quid festiuè, quid atrociter, quid sedatè, quid concitatiùs dicendum videant, è quibus pronũtiationis grata comparatur varietas.

Pronunciationis exilis siccitas fugienda.

Neq; vero, cum tantoperè cantus exagitatur, in eorum sectam transeundum est, qui dum Scyllam fugiunt, in Charybdin incidunt: Dum enim sibi persuadent cantionem esse ab oratore alienam, in exilem quandam deueniunt pronuntiationis siccitatem quotidiano sermoni simillimam, quam iure reprehendit Quintilianus: oportet enim esse aliquid in actione nitoris, & curæ, quod qui penitus euellere studeant, corrumpunt eloquentiam. Maximè verò illud apparet in floridis argumentis, vt in ipsa Poëmatum recitatione, in qua, qui pueros in eam conantur adducere seueritatem, vt naturaliter, quod aiunt, pronuntient, non solum quicquid in ea ætate est, rollunt gratiæ, & iucunditatis, sed eorum actionem subsurdam, exilem, languidam, & penè senilem faciunt, vt præ istis iam cantores disserti, & benè fortunati videantur. Quis enim eum ferat, qui istos versus humiliter pronunciet.

Soror tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Iouem,
Ac templa summi vidua deserui ætheris,
Locumq; cœlo pulsa, pellicibus dedi.

Non secus, ac si Danus aliquis dicat,

Here salue, aut Phœdria secum.

Dum rus eo cœpi egomet, mecum inter viam,
Ita vt fit vbi, quid in animo est molestiæ
Aliam rem ex alia cogitare.

Cantus in oratione subobscuriorem esse debet.

(Quanquam, & hæc etiam aliquid artis desiderant) planè ridiculi sunt qui ita pronuntiant, nec vident M. Tullium hoc genus improbasse, qui dixit in oratione, *cantum esse aliquem subobscuriorem*, artificiosos scilicet vocis flexus subindicans, quos, qui omnino reijciunt, dum se artificiosa dicunt improbare, fruantur sanè sua persuasione, sed cæterorum labori dent veniam, qui nihil credunt esse perfectum, nisi vbi natura cura iuuatur.

De alijs pronuntiationis vitijs.

De Coccysmo, Brancho, Suspirijs, Blæsa nare.

CAPVT V.

ALia sunt pronuntiationis vitia, & ea quamplurima, inter quæ Coccysmus, Branchus, Suspiria, & Blæsæ nares sæpius numerantur.

Coccysmus fit, cum vox supra vires vrgetur, vndè & suffocata sæpe, & maiore nisu, minus clara est, & interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græci nomen ab immaturo gallorum cantu dederunt. Quale autem illud sit, apparet ex Iulio Polluce, qui κοκκύζειν gallis tribuit, ex authoritate Demosthenis, & Hyperidis, ὑπερίδης δὲ καὶ Δημοσθένης ἐπὶ ἀλεκτρυόνων τὸ κοκκύζειν εἶπον. *Iulius Pol. lux libr. 5. c. 14.*

Fabius l. 11.

Branchus, siue βράγχος est longus, & plenus, & clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis, ideoque tremulus, vt corpora, quæ aspectu integra neruis parum sustinentur, vt ait Fabius, cuius etiam vitij meminit Pollucis Onomasticon, & βραγχώδη φωνὴν nominat.

Pronunciationis vitia.

Suspirioſi alij sunt, qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed reforbent: sunt qui crebro anhelitu, & introrsum etiam clare sonante inuitentur iumenta onere, & iugo laborantia: Quod affectant quoque, tanquam inuentionis copia vrgeantur, maiorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ emitti faucibus possit: Est alijs concursus oris, & cum verbis suis colluctatio: Iam tussire, & expuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos spargere, & maiorem partem spiritus in eloquendo, per nares effun-

effundere; etiamsi non vtique vocis sunt vitia; quia tamen propter vocem accidunt, huic loco subijciuntur. Quòd verò ad rectam spiritus & vocis œconomiam attinet, nec volubilitate nimia confundenda, quæ dicimus, qua & distinctio perit, & affectus, & nonnunquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur; cui contrarium est vitium nimiæ tarditatis. Nam & difficultatem inueniendi fatetur, & segnitia soluit animos, & in quo est aliquid temporibus præfinitis, aquam perdit. Promptum sit os, non præceps: moderatum, non lentum: spiritus quoque, nec crebro receptus, concidat sententiam, nec eò vsque trahatur, donec deficiat. Nam & deformis est consumpti illius sonus, & respiratio sub aqua diu pressi, & receptus longior, & non opportunus, vt quia hiat, non vbi volumus, sed vbi necesse est. Hæc Fabius.

De vocis naturalibus vitiis, & virtutibus.

CAPVT VI.

Vox nigra qua?

IVlius Pollux, Onomastici lib. 2. c. 26. viginti fermè vitia enumerat, quibus mala vox appellari solet.

Prima est μέλαινα, nigra, hoc est, obscura translatione ducta ab oculis ad aures. Nam vt nigrum segnius oculos afficit, ita hæc vox difficiliùs in aures penetrat, & secum minùs habet amœnitatis, imò tristis retinet quidpiam horroris.

φαιὰ, fusca, vel subnigra, differt quidem à nigra, quòd minùs habeat obscuritatis, sed tamen à puræ vocalitatis nitore longè abest.

Ἀηδὴς, inamœna; quales esse solent aliquando robustissimę voces, cum quibus rarò miscetur iucunditas. Et id in Cassio Seuero mirabile fuisse memorat Seneca, quòd valentissimæ vocis retineret suauitatem. Hæc enim inter se raro conueniunt, vt eadem vox sit suauis, & solida.

Σμικρὰ, pusilla dicitur à Quintiliano, quæ ὑπερόγκῳ, excelsæ & prægrandi opponitur. Talis est eorum qui pipire magis videntur quàm loqui.

Στενὴ, angusta, quæ veluti per arctum guttutis canalem tenuiter eliquatur, nec aures implet auditorum.

Δυσάκουστος, Quæ vel difficilè auditur, vel auribus importunè molesta est.

Ἀσαφὴς, subsurda, vocatur à Fabio, quæ vt Aspendius citharista, sonum intus retinet, nec vocales habet emissiones.

Συγκεχυμένη, confusa, nec plenè articulatis sonis distincta.

Ἐκμελὴς, absona, discrepans, & inconcinna.

Ἀμελὴς, neglecta, sine nitore, & palæstra.

Ἀνάγωγος, rudis, & intractabilis, quales esse solent pulli equorum effrænes.

Ἀπιθάνης, ad persuadendum inepta, qualis esse solet vox cantantium in oratione.

Δυσκαμπὴς, rigida, quæ ægrè flexiones admittit.

Τραχεῖα, dura, & aspera, quæ strepitu aures offendit.

Διεσπαρμένη, discerpta, quæ fit, quando sermo subsultat imparibus spatijs ac sonis, miscens longa breuibus, grauia acutis, elata summissis, & inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicat sermo: eadem varia & inconstans dicitur.

Αὐπηρὰ, tristis & acerba, quæ auribus iniucundum sonum fundit, qualis esse solet rotarum stridularum, aut inconcinnatum auium.

Βραχώδης, infirma, qua tenuis & elisus spiritus in raucam exilitatem spargitur.

Χαλκῆχουσα, ænea, quæ instar æris vehementi quodam tinnitu aures ferit.

Ὀξεῖα, acuta, quæ sonantius quàm par est, aures præcellit, & penetrat. Non enim acutissimus sonus orationibus conuenit, quòd prætenuis sit, & nimis secans, & immodicæ claritatis, contrariæ verò virtutes sunt.

Virtutes vocis.

Vox ὑψηλὴ, alta, quæ ex firmis sparsa latetibus, aures implet plenissimè.

Ὑπερογκῶσα, excelsa, & exaggerata, quæ non modò plenius auditur, sed ipsa firmitate durabilis est.

Λαμπρὰ, clara, quæ nitidiùs personat, & nullis maculis infuscatur.

Πλατεῖα, plana, fusa, explicata.

Βαρεῖα grauis, & prægrandis, qualis esse solet valentissimorum musicorum, quæ si admixtam habeat suauitatem, laudatissima vox est; at verò dulcedinis expers, plerunque in vastam enormitatem spargitur.

Λευκὴ, candida, & pura, quæ aures afficit, vt color albus oculos.

Ἐκκεκαθαρμένη, pura, puta, & quasi omnibus vitijs ac sordibus defæcata.

Πλατεῖα

Ἡδεῖα suauis, quæ gratiæ quodam flore delectat.

Ἐπαγωγὸς illecebrosa, flexibilis, & delicatis modulis affluens.

Ἐυμελὴς exquisita, culta, facunda.

Ἐυπειθὴς rotunda, simplex, & ad persuasionem aptissima.

Ἐυάγωγος tractabilis, quæ facilè ab imo citatur ad summum, à summo defluit ad imum, & in omnes conciditur varietates.

Ἐυκαμπτὴς flexibilis, & rigoris expers, quæ fingentem sequitur, vt cera mollis digitos.

Ἐυείλικτος volubilis, citata, & velox, qualis esse solet optimorum oratorum, vbi pugnat densius.

Γλυκεῖα dulcis, & molli quodam decore efflorescens.

Λιγυρὰ canora, stridula, & ad citharæ fides apta.

Σαφὴς plena, perspicua, & auditu facilis.

Διαφανὴς splendida, & molliter pellucens. Et hæc fermè sunt vocum genera, & virtutes, quæ à natura proficiscuntur, ab arte tamen culturam capiunt, & nitorem.

De quatuor virtutibus pronuntiationis.

CAPVT VII.

QVatuor sunt præcipuè pronuntiationis virtutes, Puritas, Perspicuitas, Cultus, Habilitas.

Fab. l. 11. Prima virtus pronuntiationis puritas.

Puritas est salubritas quædam vocis, in qua nihil est vitij, cui officit vox subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, varia, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effœminata. Contrà iuuat os facilè, explanatum, iucundum, vrbanum, in quo nulla rusticitas, neque peregrinitas resonet, vt ait Quintilianus, Cicero 3. de Orat. 41. pari ratione condemnat vocem mollem, muliebrem, extra modum absonam, atque absurdam, item agrestem, & rusticanam: vultque pronuntiari non asperè, non vastè, non rusticè, non hiulcè, sed presse, æquabiliter, & leniter. Accedit etiam tonus, seu accentus, quo homines vt æra tinnitu dignoscuntur. Hæc virtus, tum natura, tum consuetudine paratur, cuius vis magni momenti est. Itaque plurimum iuuabit à teneris rectæ pronuntiationi assuescere. Nam qui grandiores peregrinas linguas discunt, vix adeò purè pronuntiant, vt ab indigenis vitioso quodam sonitu non discernantur.

II. Perspicuitas.

Perspicuitas, & lux pronunciationis, est in articulata quadam expressione omnium syllabarum, legitimisque interpunctionibus: de qua ita præcipit Fabius.

Dilucida verò erit pronuntiatio, primùm si verba tota exegerit, quorum pars deuorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Vt autem est necessaria verborum explanatio, ita omnes computare, & velut annumerare litteras molestum, & odiosum. Obseruandum etiam, quo loco sustinendus, & quasi suspendendus sermo sit, quod Græci ὑποστολὴν, vel ὑπόστιγμὴν vocant, & hoc arte, vt apparet, est parabile.

III. Ornatus.

Ornatus est cultus vocis, & nitor, cui plurimum suffragatur à natura vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans, erecta, auribus sedens, & cæteræ virtutes, quas ex Iulio Polluce commemorauimus. Accedit etiam totius organi pulchra compositio, vt lateris firmitas, vt spiritus cum spatio pertinax, & labori non facilè cessurus.

IV. Habilitas.

Habilitas est in constanti quadam æquabilitate, pro argumentorum diuersa ratione, facunda pronuntiationis varietas. Vt enim optimus stylus licèt sit perpetuò æquabilis, & sibi constans, tamen pro materia subiecta nunc grauis, nunc floridus, nunc leniter demissus apparet: sic laudata vox semper eadem, & à sua bonitate non discedens, multas pro rerum conditione admittit varietates, è quibus omnis ei decor efflorescit. Dici non potest, quantam habeat gratiam ars illa variandi, quantum auditores exhilaret, & ipsum oratorem laboris vicissitudine reficiat. Contrà verò Monotonia, non modo dicentem enecat, sed ipsos exanimat auditores. Omninò vt standi, ambulandi, sedendi vices sunt, nihilque horum pati diu possimus. Ita in pronuntiatione amamus gratam vocis in iusta æquabilitate varietatem.

Varietas pronuntiationis virtus mirificè grata.

Erit igitur vox, vt præcepit Quintilianus, lætis in rebus plena, simplex, hilaris, fluens. In certamine erecta totis viribus, & velut omnibus neruis intenta, atrox in ira, & aspera, ac densa, & respiratione crebra, paulum in inuidia facienda lentior, quia non ferè ad hanc,

hanc, nisi inferiores confugiunt.

At in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis & submissa. Suadentium, & monentium, & pollicentium, & consolantium grauis. In metu, & verecundia contracta: in adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa, & flebilis, & consulto quasi obscurior, at in egressionibus fusa, & securæ claritatis, in expositione, ac sermonibus recta, & inter acutum sonum, & grauem media. Attollitur autem concitatis affectibus, compositis descendit, pro vtriusque rei modò altiùs, vel inferiùs. Hoc profectò, qui præstare poterit, pronuntiationis assequetur perfectionem.

Vocis varietas in actione commendatur in Gratiano.

Et hanc ipsam virtutem Ausonius commendat in Gratiano. Quis tenor vocis cum incitata pronuntias, quæ inflexio remissa, quæ temperatio cum vtraque dispensas. Quis Oratorum læta iucundiùs, facunda cultiùs, pugnantia dẽsiùs, aut densata glomeratius dixit? aut quod est cuique liberum cogitauit.

Ausonius in actione grat. ad Gratianum Imperat.

Cicero 3. de Orat. 216. pronuntiationem in plura genera diuidit, lene, asperum: contractum, diffusum: continenti spiritu, intermisso: fractum, scissum: flexo sono, recto: attenuatum, inflatum. Hi sunt (inquit) actori, vt pictori expositi ad variandum colores.

Iracundiæ amant acutum, incitatum, crebro incidens.

Miserationes, flexibile, plenum, interruptum, flebile.

Metus, demissum, hæsitans, & abiectum.

Vis, contentum vehemens, imminens quadam incitatione grauitatis.

Voluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum, ac remissum.

Molestiæ, graue, ac vno pressu obductum.

De gestu, & ritibus antiquorum in numerando, & loquendo per gestus.

Et de hoc curiosæ Astabasdæ obseruationes.

CAPVT VIII.

Gestus loquax silentium.

RESTAT altera pars actionis gestus, cuius loquax est quodammodo silentium, siquidem Cassiodorus in varijs, Orchestrarum loquacissimas manus, linguosos digitos, silentium clamosum nominat, & eius expositionis tacitæ meminit, quam Musa Polyhymnia reperisse narratur. His corporis, maximè verò digitorum signis in numerando plurimum vsos fuisse veteres, testatur Nicolaus Smyrnæus Astabasdas, qui libellum à doctiss. Morello editum de ea re conscripsit; ἔκφρασιν τοῦ δακτυλικοῦ μέτρου. Non erit hic à re alienum quædam capita subijcere, vt indè varios vermiculatorum digitorum flexus, vt loquitur Martianus, nec non nimis fortasse putidam in eo antiquorum inuentorum subtilitatem lector agnoscat.

Manus loquaces.

Digiti linguosi.

Nicolaus Smyrnæus Astabasdas.

RATIO ANTIQVORVM PVTIDIVSCVLA NVMERANDI, & loquendi per gestus.

ΕΝ δὲ ταῖς χερσὶ καθέξεις τοὺς ἀριθμοὺς οὕτως. καὶ ἐν μὲν τῇ εὐωνύμῳ ἀεὶ ὀφείλεις τὰς μονάδας, καὶ δεκάδας κρατεῖν. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ τὰς ἑκατοντάδας, καὶ χιλιοντάδας. τοὺς δὲ ἐπέκεινα τούτων ἀριθμοὺς χαράττειν ἐν ἄνι. οὐ γὰρ ἔχεις ὅπως καθέξεις ἐν ταῖς χερσί.

Ζυστελλομένου τοῦ πρώτου ἐν μικροῦ δακτύλου τοῦ μύωπος καλουμένου. τῶν δὲ τεττάρων ἐκτεταμένων, καὶ ἱστα μένων ὀρθίως, κατέχεις

IN manibus ita numeros continebis: & in manu quidem læua vnitates & decades tenere debes; in dextra verò centenarios, & millenarios. Numeros autem, qui hos excedunt, notare alicubi oportet. Nam integrum tibi non erit illos manibus continere.

Minimo seu auriculari digito contracto: quatuor verò reliquis extensis, & erectis, in sinistra quidem manu vnitatem solam con-

ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ μονάδα μίαν. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ, χιλιοντάδα μίαν.

Καὶ πάλιν συστελλομένου, καὶ τούτου, καὶ τοῦ μετὰ αὐτὸν δευτέρου δακύλου τοῦ παραμέσου, καὶ ἐπιβάτου καλουμένου. τῶν δὲ λοιπῶν τριῶν, ὡς ἐφημῶν, ἡπλωμένων, κρατεῖς ἐν μὲν τῇ εὐωνύμῳ, δύο, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ δισχίλια.

Τοῦ δὲ αὖ τρίτου συστελλομένου, ἤτοι τοῦ σφαρέτου, ἢ μέσου, κειμένων, καὶ τῶν ἑτέρων δύο, τῶν δὲ λοιπῶν δύο ἐκτεταμένων, τοῦ λιχανοῦ λέγω, καὶ τοῦ ἀντίχειρος, εἰσὶν ἅπερ κρατεῖς, ἐν μὲν τῇ λαιᾷ, γ'. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ, τρισχίλια.

Πάλιν συστελλομένων τῶν δύο, τοῦ μέσου, καὶ τοῦ παραμέσου, ἤγουν τοῦ δευτέρου καὶ τρίτου, καὶ τῶν ἄλλων ὄντων ἐξηπλωμένων τοῦ ἀντίχειρος λέγω, καὶ τοῦ λιχανοῦ. καὶ τοῦ μύωπος, εἰσὶν ἅπερ κρατεῖς, ἐν μὲν τῇ λαιᾷ, ἐν δ'. δὲ τῇ ἑτέρᾳ τεσσακισχίλια.

Πάλιν τοῦ τρίτου καὶ μέσου συνεσταλμένου, καὶ τῶν λοιπῶν τεσσάρων ἐκτεταμένων, δηλοῦσιν ἅπερ κρατεῖς ἐν τῇ λαιᾷ, ἑ. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ πεντακισχίλια.

Τοῦ ἐπιβάτου πάλιν τοῦ καὶ δευτέρου συνεσταλμένου, καὶ τῶν λοιπῶν ἡπλωμένων, κρατεῖς, ἐν μὲν τῇ εὐωνύμῳ ἕξ. ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ, ἑξακισχίλια.

Τοῦ μύωπος πάλιν τοῦ καὶ πρώτου ἐκτεταμένου, καὶ τῇ παλάμῃ προσψαύοντος, τῶν δὲ λοιπῶν ἱσταμένων ὀρθίων, εἰσὶν ἅπερ κατέχεις ζ'. ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ, ἑπτακισχίλια.

Τοῦ δευτέρου πάλιν τοῦ καὶ παραμέσου ὁμοίως ἐκτεταμένου καὶ κλίνοντος ἄχρις οὗ τῇ κυάθῳ τελείως προσεγγίσῃ, κειμένου καὶ τοῦ πρώτου. τῶν δὲ λοιπῶν τριῶν, τοῦ τρίτου, καὶ τοῦ τετάρτου. καὶ πέμπτου, ὡς προείρηται, ἱσταμένων ὀρθίων, τὸ γενόμενον σχῆμα, ἐν μὲν τῇ λαιᾷ δηλοῖ ἡ. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ, ὀκτακισχίλια.

Οὕτως οὖν καὶ τοῦ τρίτου ὁμοίως γινομένου, κειμένων καὶ τῶν ἄλλων δύο, τοῦ πρώτου, καὶ τοῦ δευτέρου, κατὰ τὸ αὐτὸ σχῆμα, ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ δηλοῦσιν ἐννέα, ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ ἐννεακισχίλια,

tines, in dextra verò millenarium vnum.

I. I. M.

Rursus contracto minimo, & medico, reliquis tribus, vt dicimus explicatis: in læua duo, in dextra millia duo tenes.

II. II. M.

Tertio autem, qui medius, & infamis dicitur, compresso, iacentibus alijs duobus, ac reliquis extensis, indice nimirum, & pollice, quæ contines, in sinistra quidem tria sunt, in dextra verò tria millia

III. III. M.

Porrò duobus medijs incuruatis, nempe medio, & medico: & reliquis extensis, nempe pollice, indice, & auriculari, exprimis in sinistra quidem quatuor: in dextra quatuor millia.

IV. IV. M

Rursus tertio, medióve contracto, & quatuor cæteris expansis, denotas quinque, læua, ac dextra quinque millia.

V. V M.

Præterea incuruatis infami, & annulari, & reliquis exporrectis, in sinistra tenebis senatium: in altera sex millia.

VI. VI. M.

Item minimo, auriculariue extenso, & palmæ radici, seu brachiali apposito, reliquis eleuatis, designas septem, læua altera septem millia

VII. VII. M.

Rursus annulari, medicóne pariter exporrecto, & inflexo, donec extremam volæ partem aptè contingat, adiacente etiam minimo, reliquis tribus, medio, indice, & pollice sublatis: gestus, qui fit in sinistro, exprimit octo, in dextra octo millia.

VIII. VIII. M.

Sic igitur tertio digito, siue medio pariter constituto, atque alijs duobus ita positis, primo, auriculari videlicet, & secundo, siue medico, eadem conformatione, in læua declarant nouem, in dextra nouem millia.

IX. IX. M.

Præ-

Πάλιν τοῦ ἀντίχειρος ἡπλωμένου, οὐχὶ δὲ ὑπεραιρομένου, ἀλλὰ πλαγίως πως, καὶ τοῦ λιχανοῦ ὑποκλινομένου μέχρις ἂν τῷ τοῦ ἀντίχειρος προτέρῳ ἄρθρῳ συμπέσῃ, ἕως ἂν γένηται σίγματος σχῆμα· τῶν δὲ λοιπῶν τριῶν φυσικῶς ἡπλωμένων, καὶ μὴ χωριζομένων ἀπ' ἀλλήλων, ἀλλὰ συνημμένων, τὸ τοιοῦτον, κ' δηλοῖ, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ. ρ'.

Πάλιν τοῦ τετάρτου, τοῦ λιχανοῦ καλουμένου, ὡς ἡπλωμένου ἐπ' εὐθείας ὀρθίως, ὥσπερ ἴσῃ γραμμῇ· τῶν δὲ λοιπῶν τριῶν συνημμένων, καὶ πρὸς τὴν παλάμην ὡς ἐν σχήματι γωνίας, ὑποκλινομένων μικρόν· τοῦ δὲ ἀντίχειρος ὑπεράνω τούτων κειμένου, καὶ συνεγγίζοντος τῷ λιχανῷ, καὶ τὸ τοιοῦτον, κ' δηλοῖ. καὶ ἐν τῇ δεξιᾷ διακόσια. σ'.

Τοῦ λιχανοῦ πάλιν, καὶ τοῦ ἀντίχειρος ἐκτεταμένως ὑποκλινομένων, καὶ κατὰ τὸ ἄκρον αὐτοῖς ἐγγιζόντων, τῶν δὲ λοιπῶν τριῶν ἐκτεταμένων, καὶ συνημμένων ὄντων, ὡς ἄγονται παρὰ τὴν φύσιν, λ'. τὸ τοιοῦτον δηλοῖ, καὶ ἐν τῇ ἑτέρᾳ τριακόσια.

Πάλιν τῶν τεσσάρων ἐπ' εὐθείας ἐκτεταμένων, καὶ τοῦ ἀντίχειρος ὑπὲρ τὸν λιχανὸν, ὥσπερ Γάμμα κειμένου, καὶ πρὸς τὸ ἔξωθεν ἀποβλέποντος μέρος, ἐν τῇ λαιᾷ δηλοῖ τετταράκοντα, καὶ ἐν τῇ δεξιᾷ τετρακόσια.

Πάλιν ὡσαύτως τῶν τεσσάρων ἡπλωμένων, τοῦ δὲ ἀντίχειρος ὥσπερ Γάμμα ἐπὶ τοῦ ἔξωθεν μέρους κειμένου, ἐπὶ τῷ τήθει τοῦ λιχανοῦ, πεντήκοντα δηλοῖ, καὶ ἐν τῇ ἑτέρᾳ πεντακόσια.

Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, καὶ τοῦ λιχανοῦ κυκλικῶς τῷ ἀντίχειρι ἐπιφερομένου, ἄχρις ἂν προσψαύῃ τῷ μέσῳ κονδύλῳ τοῦ πρώτου, καὶ δευτέρου ἄρθρου· τὸ δὲ ἄκρον τοῦ λιχανοῦ τῷ τήθει συμπέσῃ τοῦ ἀντίχειρος, ἑξήκοντα δηλοῖ, καὶ ἐν δεξιᾷ ἑξακόσια.

Πάλιν ὁμοίως τῶν τριῶν ἡπλωμένων, καὶ ὡς καὶ πολλάκις εἰρήκαμεν, συνημμένως, κειμένου καὶ τοῦ ἀντίχειρος τῷ λιχανῷ, καὶ κατὰ τὸ ἀκρόνυχον τοῦ ἀντίχειρος ἑλικοειδῶς ἐπιφερομένου τοῦ λιχανοῦ, ἑβδομήκοντα δηλοῖ, καὶ ἑπτακόσια.

Præterea pollice expanso non tamen eleuato, sed obliquè vtique, & indice inflexo, quo vsque in priorem articulum pollicis concurrerit, ita vt coalescat sigmatis figura, reliquis autem tribus naturaliter exporrectis, & non separatis à se inuicem, sed connexis, talis gestus in sinistra denotat decem: in dextra centum.

X. C.

Adhæc, quarto, qui index dicitur, explicato, recta tanquam æquali linea: reliquis tribus connexis, & ad palmam quasi figura anguli paulum inclinatis, pollice autem super his iacente, & ad indicem simul admoto: in sinistra talis gestus viginti designat: ac in dextra ducenta.

XX. CC.

Rursus indice, & pollice in porrectum subinclinatis, & in apice summo sibimet appropinquantibus, cæteris tribus extensis & connexis, prout à natura ducuntur: talis flexus triginta declarat in læua, & trecenta in altera.

XXX. CCC.

Item quatuor recta extensis, & pollice superinducto indici, instar literæ r. gamma, & ad partem superiorem exteriorem spectante, in sinistra notat quadraginta, & in dextra quadringenta.

XL. CCCC.

Porrò eodem modo quatuor explicatis recta, & copulatis: pollice verò instar r. gamma in interiorem partem flexo, ad pectus, siue artum indicis: quinquaginta denotat in læua, & in altera quingenta.

L. D.

Hæc cum ita se habeant, & in indice pollici circumflexo, ita vt index contingat media iunctura, primum & secundum articulum, & frons eiusdem indicis montem pollicis præcingat, sexaginta declarat in sinistra, & sexcenta declarat in dextra.

LX. DC.

Item tribus similiter extensis, & vt sæpe diximus connexis: pollice etiam super indicem immisso, & ad summitatem vnguis in gyrum coeunt, cum indice signat septuaginta in læua, & septingenta in altera.

LXX. DCC.

Πάλιν τῶν τριῶν συνημμένων ἱσταμένων καὶ ἐν σχήματι γωνίας, καὶ πρὸς τὴν παλάμην δῆθεν βλεπόντων, τοῦ δὲ ἀντίχειρος ἐπάνω τοῦ μέσου καὶ τρίτου δακτύλου, ὡς κονδύλῳ ὡς πρὸς τῇ ῥίζῃ ὄντι τοῦ αὐτοῦ δακτύλου κειμένου, καὶ πρὸς τὴν παλάμην ἡρμοσμένου, καὶ τοῦ λιχανοῦ ἐπάνω τοῦ ἀντίχειρος κειμένου ἐπὶ ὡς πρώτῳ ἄρθρῳ αὐτοῦ, ἄχρις οὗ ὡς τούτου ἄκρῳ ἐπὶ τῷ στήθει συμπέσῃ τοῦ ἀντίχειρος, ὑγδοήκοντα τὸ τοιοῦτον δῆλοι. καὶ ὀκτακόσια. ω.

Αὖθις τὴν χεῖρα παλαιστοῦ δίκην συστείλας, ὀρθίου ὄντος τοῦ ἀντίχειρος, καὶ τοὺς τρεῖς ἐκτείνας δακτύλους, τὸν δὲ λιχανὸν ἀφεὶς, ὡς ἀπὸ τῆς συστολῆς τοῦ γρόνθου ἐγένετο, τὸ τοιοῦτον σχῆμα, ἐν μὲν τῇ εὐονύμῳ χειρὶ, δῆλοι ἐννενήκοντα, ἐν δὲ τῇ δοξιᾷ ἐννεακόσια.

Rursus tribus iunctis, erectisque, ad figuram anguli, & ad palmam prospicientibus, pollice autem supra medium, & tertium digitum innitente, & incumbente curuaturæ, quæ ad radicem ipsius est, & ad palmam adaptato, atque indice super illi circunflexo ad primum articulum, donec summitate concidat in montem pollicis: talis gestus in dextra effingit octoginta, & octingenta in læua.

Denique manu palmi instar contracta, erecto pollice, ac digitis tribus extensis, dimisso indice, vt à contractione flexus assolet: eiusmodi gestus in sinistra nonaginta indicat, in dextra nongenta, LXXXX. DCCCC.

NEque verò tantum numerasse, sed & per determinatos quosdam gestus collocutos fuisse narrat Isiodorus l 1 c. 25.

Sunt quædam & digitorum notæ, sunt & oculorum, quibus secum taciti, proculque adstantes colloquuntur: sic mos est militaris, quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat. Alij quia voce non possunt, gladiatorum motu salutent. Vndè etiam Ennius, de quadam impudica, quasi in choro pila ludens datatim dat se, & communem facit. Alium tenet, alij adnictat, alibi manus est occupata, alij dat annulum spectãdum, & à labris alium inuocat, cum alio cantat, attamen alijs dat digito literas, & Salomon *annuit oculo, terit pede, digito loquitur*. Testatur id quoque saltatio Chironomica, qua motus manuum ad numerum compositus, affectus animi prodebat. Et vt aliquid ex sacris recenseamus, extat libellus Ariæ Montani, qui Hieremias inscribitur, de gestu, & actione, è quo varias gestuum significationes colligas, quas ipse ex sacro instrumento confirmat: Ego (quod huius magis proprium est instituti) Oratorum, Poëtarumque aliquot testimonijs demonstrabo.

VARIAE GESTVVM NATVRAlium significationes, ex sacris, & profanis.

CAPVT IX.

OMnis motus animi (quod præclarè à Marco Tullio dictum est) suum quendam à natura habet vultum, & sonum, & gestum, totumque corpus hominis, & eius omnis vultus, omnesque voces, vt nerui in fidibus, ita sonant, vt à motu animi quoque sunt pulsæ. Itaque non erit superuacaneum hæc de motu naturali præmittere.

Capitis demissio mœstitiam, & luctum cõsequitur; estque is habitus solemnis, ijs qui diuinæ iræ deprecandæ causa ad squallorem se abijciunt, quanquam id nonnunquam vitio hominum, simulatione magis, & imitatione veritatis, quàm certo & constanti animi proposito fiat. Sic D. Remigius Clodouæum Regem Francorum, ad Christianam demissionem hortatus, dixit,

Capitis demissio quæ significat, &c.

Mitis depone colla Sicamber.

Caput attollere, superbientium, & arrogantium gestus est, αὐχένα γαῦρον ἀείρει apud Nonnum Dionysiacon 19. *Ceruicem ferocem erigere*, id est superbire.

Caput:

Caput altum, & erectum victores ferunt, est que lætitiæ, ouationis, & victoriæ signum, & is gestus Matri Machabæorum parta iam victoria tribuitur à D. Gregorio Nazianzeno.

ὑψοῦται τὴν κεφαλὴν μάλλον φαιδρῶς.

Capitis nutus apud Homerum Iliad. 1. est ratæ promissionis signum.

Ἀλλ' ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι.

FRONS.

Frons dura, ad obstinationis, & contumaciæ, perfidiæ, impudentiæque notas refertur. Vndè, & frons perisse dicitur ijs, qui summa impudentia sunt armati, *Clames Mehercle periisse Frontem de rebus.* Persius.

OCVLI.

Oculi, per quos maxime animus emanat, sunt enim, vt ait Damascius in vita Isiodori. ἀγάλματα ψυχῆς ἀκριβῆ. *Accurata quædam animi simulachra.* Et, vt ait Plinius. Ardent, intenduntur, humectant, conniuent, hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere.

Plin. lib. 11. c. 37.

Oculi in sublime elati, arrogantiæ, atque superbiæ indicium faciunt: sicut demissi, humilitatis. Gregorius Nazianz. in odis.

Κάτω βλέπων ταπεινόν.

Oculos attollunt orantes, & petentes aliquid à Deo.

Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra. 2 Æneid.

Oculi auersi, negantis, aut fastidientis, vel dissimulantis, aut negligentis gestum ostendunt. Sic Didonis vmbra Æneam respuens apud Virgilium.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat.

Oculi nictantes malitiosos mores arguunt, cogitationesque indicant peruersas, & noxias. Vnde Comicus. *Nec illa vlli homini nutet, nictet, annuat.* Et infaustas opinor κατανύσεις ξοάνων nictationes simulachrorum, notat Plutarch. in Camillo.

Elaut. in asinaria.

Oculi lachrymis deficientes, vehementissimum, & durissimum dolorem indicant, qui leuari vel flendo nequeat.

Tristior, & lachrymis oculos suffusa nitentes. Æneid. 1.

Oculos attollere in rem aliquam, est ei attendere, cupideque animum aduertere.

Obtutuque hæret defixus in vno. Æneid. 1.

Oculi clausi meditantem, & cogitantem animum Produnt, idque non rarò in malam partem interpretamur. Vt Prouerb. 16 Qui attonitis oculis cogitat praua. Hebraice עצה id est, *claudens.*

Oculos aperire, vigilantium, & attendentium. *Cic* pro Milone. *Aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti.*

NARES.

In naribus magna, vel iræ, vel lenitatis significatio est in sacris literis. Nares enim vento, vel fumo incensæ, iram grauissimam, & præsentis vltionis auidam significant. Iob. *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis ex ore eius vorabit, carbones succensi sunt ab eo. Et gloria narium eius terror.* Contra verò summæ lenitatis indicium est narium latitudo, & facilitas respirationis. *Narium variæ affectiones.*

Atque lenitas, & patientia Dei hac imagine indicatur, qui perpetuo à Prophetis אפים ארך id est, latis naribus est appellatus, pro quo interpres noster, longanimis, vertit. Iob. 39.23.

Applicabant ramum ad nares, certa vani cultus ceremonia ad ortum Solis adorantes, quasi odoris suauitatem Soli tribuentes, & ascribentes. Ezech. 8.17.

OS.

Manus super os imposita eorum habitum describit, qui veritate redarguti, aut potestate, auctoritateque conuicti, obmutescunt, pudefactique tacent. Mich. 7.16. apud Ethnicos, adorantium gestus est, vt patet ex Apuleio Metam l. 4. *Oris affectiones & significata.*

Et admouentes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.

LABIA.

Labia contrahere, oculis innuere, ad irrisorum, & duplicum, aut malèuolorum gestum indicandum pertinet. Item etiam labia scindere, aut retorquere significat. Prouerb. 16.30.

LINGVA.

Linguam qui mordet propriam, doloris, & laboris impatientiam prodit. Apocal. 16.

DENTES.

Dentibus frendere, hoc est, dentes diductis labijs ostendere, irridentium, & insultantium est habitus.

Indignabundi etiam hominis gestus est aduersum alterum grauiter affecti, dentibus stridere Æneid 3.

Dentibus infrendens gemitu. Et Apollinaris; Οἷα λέων ὀλοὸς βρυχώμενος ἁρπαγιδωμῷ.

FACIES TOTA.

Faciem in rem aliquam conuertere, intentionem, studium, attentionem, operamque præstantis gestus est. Æneid. 2.

Contrà verò faciem auertere, vel abscondere, negligentis, renuentis, auersantis, atque detestantis habitus est.

Illa solo fixos oculos auersa tenebat,
Nec magis incepto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cauies.

Faciem demittere, eorum est, quos conscientia accusat. Æneid. 3.

Deiecit vultum, & demissa voce locuta est.

Contrà verò, faciem tollere, eorum est, quos bona conscientia, & spes, fidesq; erigunt, charitas quoque animat.

Faciem etiam in terram demittere, adorantis, & trementis diuinam maiestatem habitus est Nonnus in Ioannem.

Μάρτυρον ἱκεσίης κυρτούμενον αὐχένα κάμπτειν.

Est etiam facies superbiæ, atque arrogantiæ index. Cic. 4 Verr. Nostis os hominis, nostis audaciam.

VVLTVS.

Varia etiam, & multiplici forma vultus mutatur, quod & Latinum ipsum indicat nomen. Estque variarum animi affectionum index plerumque certissimus.

Pallidus mœstitiam, timorem, & dolorem prodit.

Obscurus & niger, miseriæ, & laboris, vehementisque animi turbationis index est.

Ad summum, vt ait Quintilianus, dominatur maximè vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus; hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam, antequam dicamus, hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus.

BRACHIA.

Brachium extensum, vel eleuatum, potentiam, & facultatem, ad rem gerendam, conficiendamque significat: estque authoritatis, roboris, victoriæ habitus. Contrà cohibere brachium, est pudoris. Cicero pro Cęlio.

Nobis olim annus erat, vnus ad cohibendum brachium toga constitutus, vt exercitatione, ludoque campestri tunicati vterentur.

Brachium sigillatum, memoriam indelebilem indicat in sacris, Cant. c. 8. *Pone me, vt signaculum super brachium tuum.*

CVBITVS.

In cubitum recumbere est immorantium, & familiariter, secureque agentium, Eccles. 9. *Nec accumbas cum ea super cubitum.*

MANVS.

Membrorum omnium totius humani corporis, manus vt habilissima, & in omnem partem motu facillima; ita etiam, & multiplicis habitus artifex, & variæ significationis est index.

Vt sunt autem binæ manus, dextera, & sinistra, interdum altera, interdum etiam vtraque, & motum, & habitum efficit, quorum præcipuas formas indicabimus.

Manus altera sublata, & erecta, vel extenta, vim, & robur, potentiamque indicat. Exo. 15.

Manus etiam altera, videlicet dextra, eleuatur ad iuramentum.

Manus extenta, pacificatoris, & silentium indicentis habitus est Pers. satyr. 4.

Fert animus calida fecisse silentia turba
Maiestate manus.

Manus ori admota, habitus est tacentis, & modestè agentis, admirantis etiam, secumque reputantis.

Tali gestu exhibebatur Harpocratis simulachrum, apud Ægyptios; Tales quoque sunt, quorum χρυσεία κληῖς ἐπὶ γλῶσσαν βέβηκεν, vt ait Sophocles. *Harpocrates.* *Clauis aurea in lingua silentium.*

Est etiam obseruantiæ erga alium habitus, & cultus signum. Iob. 31 27.

Et osculatus sum manum meam ore meo.

Manum extendere ad indicandam, & probandam, confirmandamque sententiam, aut personam. Inde χειροτονεῖν apud Græcos, idem est ac sciscere, & decernere. χειροτονεῖν

Manum dare, habitus est, fœdus & societatem firmantis cum alio, aut sese in alterius potestatem dedentis. Cic. epist. l. 7.

Totum hominem tibi trado, de manu (vt aiunt) in manum tuam istam, & victoria, & fide præstantem.

Manum alterius apprehendere, admonentis, hortantis, & robur addentis est. Sic Græci χειραγωγεῖν vsurpant.

Manus porrectio, & auxilium, opemque significat Synesius.

ἀνθρώπους, σὺ κάλει, σὺ μάκαρ ὕλας, ἄνωθεν ἐλθὼν λυχνέ.

Manes in altum sublatæ, ornantis, & miseriam suam profitentis habitus est, Virgil. 4. Æn.

Dicitur ante aras, media inter numina diuum,
Multa super manibus supplex orasse supinis.

Manus implere, in sacris est, initari ad munera, & sacrificia offerenda, vt Paral. 1. 29. *Implerat manum suam hodie.*

Manus lauare. Manus sibi lauare, innocentiam, & puritatem, atque alienationem à malo, vel opere, vel consilio profitentis habitus est, & hoc ex Iudæorum more, vt paret ex Psalm. 72. 13. *Laui inter innocentes manus meas.*

Manus tolluntur etiam ad publicam gratulationem Deo præstandam, atque ad laudem. AEneid. 2.

Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.

Manus in sinu tenere, otiosi, negligentisque habitus est, vt psal. 72. Hoc prou. 11. vocatur, עָצַל יָד

Manibus plaudere, irridentium, insultantium, explodentiumque est, apud Hebræos: aliter hoc signum Græci, Latinique interpretantur, quibus plausus gratulationis indicium est.

Manum sub femore Abrahæ posuit famulus, antiquo, & arcano iurisiurandi ritu, solis opinor Hebræis noto, idque, vt patres interpretantur, quod ex Abrahæ femore egressurus esset Messias, Genes. 24.

Manum imponere. Manus impositæ alijs potestatem superiorem significant communicatam ei, cui manus imponuntur, & officij, muneris, ac vicis traditionem, atque authoritatis etiam, dignitatisque concessionem, & hoc quidem in sacris: apud profanos verò auctores, manum inijcere, & sibi vendicare Virgil. 10. AEn.

Iniecere manum Parcæ, telisque sacrârunt,
Euandri.

Victimis mactandis manus ij, qui sacrificabant, imponere solebant: eo habitu suorum ipsorum reatuum professi, & debiti exsolutionem atque vices victimis ipsis expiationis caussa tradentes, magna arcani mysterij de Christo significatione. Hoc ex more Hebr. Leuitic. 4.

Præterea, in benedictione, atque felici imprecatione manus imponebantur.

Manuum plausus, approbationis, & laudis etiam significationem habet Isaiæ. 55. 13.

Manus super caput significant dolorem, & mœrorem, animique impatientiam. Sic apud Latinos frontem ferire iracundiæ, & angoris signum. Ingemuisse, vt frontem ferias Cic. ad Att. l. .

Manuum propriarum commissio & complicatio, aut complexus brachiorum, ad pigrorum, desidum, & stultorum notas indicandas, affertur sæpè in sacris.

Palmam alterius tangere, habitus est, fidem mutuam sibi dantium, fœdere, aut alio pacto conuenientium. Vnde apud Xenoph. δεξιὰν ἐπιδιδόναι, id est, publicam fidem.

Denique de manuum vsu hæc præcipit Quintilianus.

Manus verò, sine quibus truncа esset actio, ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant, cum penè ipsam verborum copiam prosequantur. Nam cæteræ partes loquentem adiuuant, hæ (propè est, vt dicam) loquuntur: an non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus? num eædem concitant? inhibent? supplicant? probant? admirantur? verecundantur? num in demonstrandis locis, atque personis, aduerbiorum, atque pronominum obtinent vicem? vt in tanta per omnes gentes, nationesque linguæ diuersitate, hoc mihi omnium communis sermo videatur. *Manuum in actione dignitas. Quin. l. 11.*

DIGITVS.

Digitus ori admotus silentium taciturnitatemque significat Iuuenalis:

— digito compesce labellum.

Digito loqui, arrogantium est, & imperiosum. Tibullus:

Et vocet ad digiti, me tacitura sonum.

DEXTRA.

Dextram dare, eorum est, qui amicitiam, societatemque simul ineunt, & munerum communionem profitentur. εἰς εὐνοιαν etiam dicitur, φιλοφρόνως ἔχειν.

PEDES.

Pede percutiunt irrisores, & insultantes alienis calamitatibus, in sacris: Et Ezech. 25. Significat etiam apud Plutarchum hic gestus imperiosum;

periosum: Οπου τῆς Ιταλίας ἐγὼ κρούσω τῷ ποδὶ τὴν γῆν, ἀναδύσονται πεζικαὶ, καὶ ἱππικαὶ δυνάμεις, inquit Pompeius.

Pes constans, vel rectus, certum, constans, & rectum studium, propositumque indicat.

Contrà verò, pedes moti, inconstantis, & titubantis habitus cùm sint sententiæ mutationem, aut dubitationem, metumve arguunt in arcana significatione. Vagi etiam pedes, apud Græcos præcipuè, in mulieribus flagitium significat: vnde Theognis nominat γυναῖκα περίδρομον, adulteram.

De gestu oratorio.

CAPVT X.

Legendus Cic. 3. de orat. 218.

ET ista quidem signa sunt naturalia, in quæ nullis artium instructus adiumentis, impetus prorumpere solet. Non licet tamen oratori, vbique gestus, quamuis ipsi rerum explicatissimi sint, adhibere. Nam, quæ infantia eorum est, qui nihil sine motu corporis dici volunt? Itaque, si de ægroto loquantur, pertentant venas, medicorum more, si de citharœdo, manus in modum percutientis neruos formant, si de tibicine, admotis ad os vermiculantibus digitis, parum abest, quin sibilum reddant. Hæc ne in scena quidem Comicorum sunt toleranda. Abesse enim debet plurimum (vt ait Quintilianus) à saltatore orator, vt sit gestus ad sensus magis, quam ad verba accommodatus. Non enim, aut in illa periodo. *Stetit soleatus Prætor populi Romani*, inclinatio incumbentis in sinum mulierculę Verris effingenda est, aut in illa: *Cædebatur in medio foro Messanæ*, motus laterum, qualis esse ad verbera solet, torquendus; ne vox quidem in expositionibus, qualis esse solet, aut eiulantium, aut furentium eruenda, hæc enim nimis affectatam sapiunt imitationem, & oratoris aduersantur grauitati.

Indecorum nimia gesticulationu.

Longè igitur errant in hac parte nimis actuosi, qui modò præliantur, modò poscunt pocula, modò micant argutijs digitorum, modò cubitos vtrimque in diuersum latus ventilant, iaculantur, secant, vrunt, terunt, omnium artium modos, figuras, & status exprimunt: Atque illi imperitæ fortasse plebi videntur bellè admodum agere, prudentibus autem, & sedatis furere, & insanire iudicantur. Fugiēda ceruix elata ἐξυπτιαζόντων καὶ μετεώρων. Caput incuruum, rigēs, obstipum, laxum, effluens, Κορυβαντιάζον, crespantes humeri, vultus asper, αὐθάδης, impudens, mollis, frons caperata, tristis, deiecta, oculi defixi, immobiles, κερατοποιούμενοι assiduè nictantes, nimis versatiles, Saturnij, truculenti, torui, canini, emissitij, supercilia elata, os peruersum, nares vncæ & corrugatæ, status humilis, indecens corporis filum, manus incompositæ, pedes ἀστατοῦντες.

Gestus oratorum talis esse debet, vt emineat etiam in affectibus, grauis quidem decor, de quo ita præcipiunt Alcuinus, & Quintilianus.

Alcuinus in sua Rhetorica.

Vt recta sit facies, ne labra detorqueantur, adstringantur, mordeantur, ne corrugentur nares, ne immodicus hiatus distendat rictum, ne supinus vultus, ne deiecti in terram oculi, ne inclinata ceruix, ne elata, aut depressa sint supercilia, oculi rigidi, & extenti, & languidi, aut torpentes, aut stupentes, aut lasciui, & mobiles, aut natantes, & quadam voluptate suffusi, aut limi, aut poscentes aliquid pollicentésue nunquam esse debebunt: Pectus, ac ventrem proijcere indecorum est, varicare supra modum, & stando, deforme est, & accedente motu, propè obscœnum.

Reprehendenda illa frequens in vtramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit & Iunius, quærens, quis in lintre loqueretur.

Hæc obiter Quintilianus: de manu verò, in qua plus est operæ, plura subijcit, quæ scrupulosius obseruari nolim, cum præsertim simplex, & minimè affectata manus compositio, nunc magis arrideat, ne pigebit tamen legere.

Curiosa Quintiliani obseruationes in manibus.

Est autem gestus ille maximè communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur, explicitis tribus, & principijs vtilis, cum leni in vtramque partem motu modicè prolatus, simul capite, atque humeris sensim ad id, quò manus feratur, obsecundantibus, & in narrando certus, sed tum paulò productior, & in exprobrando, & in congruendo acer, atque instans. Longius enim partibus his, & liberiùs exeritur. Vitiosè verò idem sinistrum, quasi humerum petens, in latus agi solet: quanquam adhuc peius aliqui transuersum brachium

chlum proferunt, & cubito pronuntiãt. Duo quoque medij sub pollicem veniunt, & est hic adhuc priore gestus instãtior, principio, & narrationi non accommodatus.

At cum tres contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo vsum optimè Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrãdo, & indicando, vnde ei nomen est, valet, & alleuata, ac spectante humerum manu paulum inclinatus affirmat.

Versus in terram, & quasi pronus vrget, & si aliquando pro humero est. Idem summo articulo, vtrinque leuiter apprehẽso, duobus modice curuatis, minus tamen minimo aptus ad disputandum est.

Acrius tamen argumentari videntur, qui medium articulum potius tenent, tãto contractioribus vltimis digitis, quanto priores descenderunt.

Est & ille verecundiæ actioni aptissimus, quo quatuor primis leniter in summum coëuntibus digitis non procul ab ore, aut pectore fertur ad nos manus, & deinde prona, ac paululum prolata laxatur.

Hoc modo cœpisse Demosthenem credo in illo pro Ctesiphonte timido, demissoque principio: sic formatam Ciceronis manum, cũ diceret: Si quid est in me ingenij, iudices, quod sentio, quam sit exiguum. Eadem aliquatenus liberiùs deorsum spectãtibus digitis colligitur in os, & fusius paulò in diuersa resoluitur, vt quodammodo sermonem in ipsum referre videatur.

Binos interim digitos distinguimus, sed nou inserto pollice, paulum tamen inferioribus intra spectantibus, sed ne illis quidem tensis, qui suprà sunt. Duo interim extremi palmam circa ima pollicis premunt, ipse prioribus ad medios articulos iungitur, interim quatuor remissis magis, quàm tensis pollice intus inclinato, habilem in latus demonstrando, aut distinguẽdo, quę dicimus, manum facimus, cum supina in sinistrum latus, prona in alterum fertur.

Sunt & illi breues gestus, cum manus leuiter pandata, qualis vouentium est, paruis interuallis, & subassentiẽtibus humeris moueatur, maximè apta, parcè, & quasi timide loquentibus.

Est admirationi conueniẽs ille gestus, quo manus modicè supinata, ac per singulos à minimo collecta digitos redeunte flexu simul explicatur, atque conuertitur. Nec vno modo interrogantes gestum componimus, plerunque tamen vertentes manum, vtcunque composita est, pollici proximus digitus, mediumque, qua dextera est, vnguem pollici summo suo iungens, remissis cæteris est, & approbantibus, & narrãtibus, & distinguentibus decorus.

Cui non dissimilis, sed compressis tribus digitis, quo nunc Græci plurimum vtuntur, etiam vtraque manu, quoties enthymemata sua gestu, velut cornu tundunt cæsim.

Manus lenior promittit, & assentatur, citatior hortatur, interim laudat. Est, & ille vrgens orationem gestus vulgaris, magis quam ex arte, qui contrahit alterno, celerique motu, & explicat manum. Est, & illa caua, & rara, & supra humeri altitudinem elata, cum quodam motu, velut hortatrix manus, à peregrinis scholis iam prope recepta. Tremula scenica est. Digitos cum summi coierunt, ad os referre, cur quibusdam displicuerit, nescio. Nam & id leuiter admirantes, & interim subita indignatione, velut pauescẽtes, & deprecantes, facimus. Quin compressam etiam magnum in signum pœnitentiæ, vel iræ, pectori admouemus, vbi nox, vel inter dentes expressa non dedecet: Quid nunc agam? quid faciam? Aduerso pollice demonstrare aliquid receptum magis puto, quàm oratori decorũ. Sed cum omnis motus sex partes habeat, septimusque sit ille, qui in se redit orbis, vitiosa est vna circũuersio, reliqui ante nos, & dextera, læuaque, & sursum, & deorsum aliquid ostendunt. In posteriora gestus non dirigitur, interim tamen volut reijci solet.

Optime autem manus à sinistra parte incipit, in dexrra deponitur, sed vt deponere, non vt ferire videatur; quanquam, & in fine interim cadit, vt citò tamẽ redeat, & nõnunquam resilit, vel negantibus nobis, vel admirãtibus! Hic veteres artifices illud rectè adiecerũt, vt manus cũ sensu, & inciperet, & deponeret. Alioqui enim, aut ante vocẽ erit gestus, aut post vocem, quod est vtrimque deformè. In illo lapsi nimia subtilitate sunt, quod interuallum motus tria verba esse voluerunt, quod nec obseruatur, nec fieri potest, sed illi quasi mensuram tarditatis, celeritatisque aliquam esse voluerunt, nec immeritò, ne aut diu otiosa esset manus, aut, quod multi faciũt, actionem continuò motu concideret.

Aliud est, quod, & fit frequentius, & magis fallit. Sunt quædam latētis sermonis percussiones, & quasi aliqui pedes, ad quos plurimorum gestus cadit, vt sit vnus motus, *Nouum crimen*: alter, C *Cæsar*: tertius, & *ante hunc diem*: quartus, *inauditum*, deinde, *propinquus mœ*. Et: *A te Q. Tubero detulit*. Vnde id quoque fluit vitium, vt iuuenes cum scribunt gestu præmodulati cogitationem sic componat, quomodo casura manus, sit. Inde & illud vitium, vt gestus, qui in fine dexter esse debet, in sinistrum frequenter desinat. Melius illud, cum sint in sermone omni breuia quædam membra, ad quæ si necesse sit, recipere spiritum liceat, ad hæc gestum disponere, vt puta: *Nouum crimen C. Cæsar*, habet per se finem quendam suum, quia sequitur coniunctio. Deinde: *Et ante hunc diem inauditum*, satis circumscriptum est. Ad hæc commodanda manus, idque dum irrumpit, erit prima, & composita actio. At vbi iam calor eam concitauerit, etiam gestus cum ipsa orationis celeritate crebrescet. Alijs locis citata, alijs presta conueniet pronuntiatio. Illa transcurrimus, congerimus, abundamus, festinamus, ac instamus, inculcamus, infigimus. Plus autem affectus habēt lētiora. Ideoque Roscius citatior, Æsopus grauior fuit, quod ille comœdias, hic tragœdias egit. Eadē motus quoq; obseruatio est. Itaque in fabulis iuuenum, senum, militum, matronarum, grauior ingressus est. Serui, ancillæ parasiti, piscatores citatius mouentur. Tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant, adeò à capite eam petere, aut ad imum vētrem diducere vitiosum habetur. At sinistram intra humerum promouere, vltra non decet. Sed cum auersantes in læuam partem, velut propellemus manum, similer humerus proferendus, vt cum capite ad dextram, ferente consentiat.

Manus sinistra, nunquam sola recte gestū facit, dexteræ se frequenter accommodat, siue in digitos argumēta digerimus, siue auersis in sinistrum palmis abominamur, siue obijcimus aduersas, siue in latus vtrumque distendimus, siue satis facientes, aut supplicantes.

Diuersi sunt autem hi gestus, siue submittimus, siue adorantes attollimus, siue aliqua demonstrationi, aut inuocationi protendimus: [Vos Albani tumuli, atque luci.] Aut Gracchanum illud: [Quo me miser conferā? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat, an domum?] Ludus enim affectus in his iunctæ exhibent manus. In rebus paruis, tristibus, mitibus, breues: magnis, lętis, atrocibus extensiores sunt.

Vestis ea esse debebit, quæ conditionem, & locum, & tempus deceat, in qua, vt nimia cura suspicionum habet mollitiæ, ita supina negligentia à ciuili cultu aliena est. Cęterum si quādo illud Fabij valuit, maximè in actione retinendum est. Nōrit se quisque, nec tantum ex communibus præceptis, sed etiam natura sua consilium capita formandæ actionis. Qui plura voleт, legat eruditissimum librum, Ludouici Cresolij è Societate nostra, qui actionem oratoriam accurate prosequutus est: mihi tantam rerum comprehensionē vno corpore molienti, diutius immorari in re præsertim, quæ solo pene viu discitur, non placuit.

Finis Libri Noni.

DE

EPIDICTICA ORATIONE.

LIBER DECIMVS.

Eius ortus, & character.

CAPVT PRIMVM.

Demonstrationi generis ortus.

POSTEAQVAM de præceptis orationis fusius dictum est in genere, superest vt singulas orationum species, quæ magnam habent in tractatione dissimilitudinem, eodem quo cœpimus ordinis, & rationis filo persequamur. Occurit statim in limine sub ridens *Epidictica* (sic enim vocatur) eloquentia, quæ vt plurimum habet floris, & gratiæ, sic aures, & animos suaui quadam delectatione perfundit. Narum est hoc orationis genus, si præsertim non inchoata, & rudis, sed cumulata eiusdem ratio spectetur, adulta, & iam prope corroborata eloquentia. Nam vt arma primum quidem rudia expediuit periculorum metus, ad proprij capitis defensionem, quæ deinde varijs expolire rationibus, ac ornamentis ars hominum commenta est. Sic eloquentiam concionum, iudiciorumque, quibus res ciuiles administrantur, necessitas primum effudit, vsus deinde aliquis, quanquam nondum illam grandem, & speciosam corroborauit.

Epidictica quando integro flore perfectionis eminere cœpit.

Mox cum docti homines oratoriæ facultatis rationem acrius perpendere cœperunt, & à litigioso rabularum clamore, turbulentisque concionum fluctibus, paulatim ad sapientiæ condimenta, honestamque delectationem traducere: Emersit quædam dicendi ratio, quæ licet foro, & negotiosis hominibus esset inusa, apud eruditas tamen, & vacuas aures, mirum quoddam haberet aucupium blandissimæ maiestatis. Talis est Platonis, & Isocratis eloquentia, grauissima quæque præcepta sapientiæ, & virtutis amabili flore orationis complexa, quo nihil ad egregias mentes oblectandas arbitror potentius.

Quæ species postquam mitiori literatorum seculo perplacere cœpit, multos habuit sectatores, qui hac Platonis verecunda maiestate, haudquaquam contenti, totas orationes hilarius, & liberius, ad aurium delicias varijs expolitionibus distinxerunt: Hos sophistas nondum odioso, sed honesto nomine, vel etiã λογοϊδαλους appellabant, de quorum ortu, & charactere, hæc in Oratore scribit Cicero.

Cic de Epidictico genere iudicium.

Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diuersa, neque in vnam formam cadunt omnia, laudationum, scriptionum, & historiarum, & talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum, multique alij, qui sunt nominati sophistæ, reliquarumq; rerum formam, quæ absunt a forensi contentione,

Demonstrativum genus quale esse debeat.

eiusque totius generis, quod Græcè ἐπιδεικτικὸν, nominatur, *quod quasi ad inspiciendum, delectationis caussa comparatum est*, non complectar hoc tempore, non quo negligenda sit: Est enim illa quasi nutrix eius oratoris, quē informare volumus, & de quo molimur aliquid exquisitius habere. Ab hac, & verborū copia alitur, & eorum constructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati sententiarum: Et arguti, certique, & circumscripti verborum ambitus conceduntur, de industriaquē non ex insidijs, sed apertè, ac palam elaboratur, vt verba, verbis quasi demensa, & paria respondeant, vt crebro conferantur, pugnantia, comparenturque contraria: vt pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum: Quæ in veritate causſarum, & rarius multo facimus, & certè occultius.

Thrasymachus. Theodorus Byzantius.

In Panathenaico autem Isocrates, ea se studiosè confectatum fatetur, non enim ad iudiciorum certamen, sed ad voluptatem auritum scripserat. Hæc tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, & Leontinum ferūt Gorgiam: Theodorum inde Bizantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates: Quorum satis arguta multa, sed vt modo, primumque nascentia minuta, & versiculorum similia quædam, nimiumque depicta. Idem paucis quale totum sit, id genus describit numero 42.

Synesius in Dione.

Dulce igitur orationis genus, solutum, & effluens, sententijs argutum, verbis sonans est in illo Epidictico genere, quod diximus proprium Sophistarum, pompæ, quam pugnæ aptius, gymnasijs, & palæstræ dicatum: Spretum, & pulsum foro ὑπὸ ἀῤῥητορικωτάτου χαλκιτερότατος τετριηρῶν ἑαυτοῦ, inquit Synesius.

Magnus vigor Epidictica sub imperatoribus.

Hæc eloquentia primum inter scholarum vmbras educata, postea in publicis Athenæis, & theatris, frequentissimo plausu excepta, latè persultauit, cum eam Imperatores blandius alerent, & doctissimorum hominum ingenia frequentibus præmijs, & honoribus exstimularent.

In scholis autem prima adolescentium tyrocinia tenuerunt epistolarum munditiæ, enucleatæ, propriæ, signatæ: narrationes, descriptiones, Ethopeiæ: In stricta verò oratione Eclogarum rusticitas amœnis quibusdam verborum violis intermicans, & elegiarum viror in molli petulantia lasciuiens: Deinde iucunditates lyricorum, vrbanæ iamborum amaritudines, aculeatique lusus, exitusque epigrammatum floruerunt.

Mox ad declamationes ventum est, quibus inter scholarum vmbracula iustis certaminibus proluderetur.

De declamatione contra Montanum.

CAPVT II.

Votieni declamationibus iudicium.

EPidictica illius perfectioris, & cæterorum quoque generum semper principium fuit vmbratilis inter priuatos parietes excitatio, quam non immeritò iuuentuti commendant grauissimi dicendi præceptores.

De declamationum agendi ratione, vanitate, & miseria multa.

Sed tamen Montanus Votienus, Orator haud ignobilis, in declamationum receptum, & lōga iam exercitatione corroboratum morem, graui sanè oratione inuehitur apud Senecam: cuius hic rationes, quo liquidius refutentur, ascribam.

Synesius p. 55. in Dione

Qui declamationem parat, scribit, non vt vincat, sed vt placeat. Omnia itaque lenocinia ita conquirit: argumentationes, quia molestæ sunt, & minimum habent floris, relinquit: sententijs, explicationibusque audientes delinire contentus est, cupit enim se approbare, non causam.

Stultitia grauiter periculosa.

Sequitur autem hoc vsque in forum declamatores vitium, vt [necessaria deserant, dum speciosa sectantur.] Accedit illud, quod aduersarios quamuis fatuos fingunt; respondent illis, & quæ volunt, & cum volunt.

Præterea nihil est, quod errorem aliquo damno castiget: stultitia eorum gratuita est. Vix itaque in foro futurus periculosus stupor discuti potest: qui creuit dum tutus est.

Quid quod laudationibus crebris sustinentur, & memoria illorum assueuit certis interuallis quiescere? Cum ventum est in forum, & desijt illos ad omnem gestum plausus excipere, aut deficiunt, aut laborant.

Adijce nunc, quod ab alijs nullius interuentu excutitur. Nemo ridet, nemo ex industria obloquitur, familiares sunt omnium vultus, in foro, vt nihil aliud ipsum, illos forum turbat.

Hoc quod vulgo narratur an verum sit, tu melius potes scire. Declamatoriæ virtutis Latronem Porcium vnicum exemplum cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo

pinquo suo diceret; vsque eo esse confusum, vt a soloecismo inciperet: nec ante potuisse confirmari tectum, ac parietes desiderantem, quam impetrauit, vt iudicium ex foro in basilicam transferretur. Vsque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriũtur, vt clamorem, silentium, risum, cœlum denique pati nesciant.

Gladiatorum exercitationes dura.

Non est autem vtilis exercitatio, nisi quæ operi simillima est illi, ad quod exercet: itaque durior solet esse vero certamine. [Gladiatores grauioribus armis discunt, quam pugnant.] diutius illos magister armatos, quam aduersarius sustinet. Luctantes binos simul, ac ternos fatigant, vt facilius singulis resistãt. Cursores, quod intra exiguum spatium de velocitate eorum iudicetur, id sæpe in exercitatione decurrunt, quod semel decursuri sunt in certamine.

Cursores.

Multiplicatur ex industria labor, quo condiscimus, vt leuetur, quo decernimus. In scholasticis declamationibus contra euenit, omnia molliora, & solutiora sunt, in foro partem accipiunt, in schola eligunt: illic iudici blandiuntur, hic inseruiunt, illic inter fremitum circumsonantis turbæ intendendus animus est, vox ad aures iudicis perferenda est, hic ex vultu dicentis pendent omnium vultus. Itaque velut ex vmbroso, & obscuro prodeuntes loco, claræ lucis fulgor obcęcat; sic istos a scholis in forum transeuntes, omnia tanquam noua, & inusitata perturbant, nec antè in oratorem corroborantur, quàm multis perdomiti contumelijs puerilem animum scholasticis delicijs, languidum verò labore durarunt.

Declamationum defensio.

Quæ rationes licet aliqua probabilitate percellant animos, non tamen id euincunt, vt declamationum vsum tot sæculis vsurpatum possint de medio tollere. Reclamant enim sapientum voces, qui has epidictici generis orationes eloquentiæ cunabula dixerunt, quòd his educata nutrimentis oratio se postea colorat, & roborat, vt grauior simul, ac fortior, ad publicas conciones emanet.

Sed videtur in ipso rationum limine Votienus non mediocriter aberrasse: etenim quasi vna in eloquentia spectaretur necessitas, ita direxit omnem argumẽtationem, vt declamatorium genus cõnelleret, quod speciosum esset, & plenum illecebris. Qui profectò si statuit, a ciuili etiam eloquentia speciem, & delectationem penitus esse remouendam, quantam ei maiestatem detrahit, in quod necessitatis pistrinum compingit; sin autem, & res serias eruditionis, ac humanioris etiã orationis condimentis intingi necesse est, quod summi in eloquentia viri semper vsurparunt, fateatur oportet in declamationibus plurimum esse adiumenti, è quibus illa vis efflorescit, & in ciuiles etiam orationes tacita quadam suauitatis aspergine diffunditur. Nam, quod declamatores obijcit nullo damno castigari, plausibus assuescere, mollissimis nutrimentis educari, ad summum, cum in forum venerint, loci fulgore obcæcari.

Delectationes eloquentiæ.

Num hæc vitia potius declamantium, quam ipsius declamationis? Quod si instituatur declamatio grauior, sub disciplina, & censura optimi præceptoris? Quod si ad iusti certaminis exemplar paulò seuerius componatur? Quid si aduersarij sint acres, & vegeti, apud quos languere, & dormitare non liceat? quid si frequenti auditorum consessu, & aculeis gloriæ tota exstimuletur actio? vtrum tandem paratior accedet ad forum, qui ex hac vmbratili exercitatione, magna cum ingenij commendatione discesserit; an is, qui nunquam scholas viderit, nunquam hominum vultum tulerit, nunquam os ad dicendum aperuerit? Quis adeo iniquus rerum æstimator, Vt censeat, prima statim emissione in forum ablegandos esse adolescentes, & ad hanc negotiosæ vitæ austeritatem fingendos, antequam in mansuetioribus Musis ponant rudimentum? Quod profecto si fieret, verendum esset, ne aut oppressa rerum grauitate indolis teneritas fatisceret, aut ad truculentum quendam, atque inconditum horrorem, cultus inopia rigesceret.

Declamationum vsus.

Puerorum institutio ad eloquentiam.

Discit primum canis venaticus in aula pelles allatrare, mox feras in syluis persequitur: balbutientibus modulis mellitissimis cantibus proludunt luscinię: spectant è nido solem Aquilarum pulli, antequam propius aggrediantur, & sustineant firmius? Ad legitimos congressus pugnæ simulachra sternunt viam.

Nihil prius in fructum erumpit, quam in florem. Spectanda est in declamationibus adolescentum indoles, antequam in serijs laboribus duretur: Non tamen eò dico, vt velim (quod hic, opinor, arguit. Votienus) iuuenes in declamationibus cõsenescere, vt apud Rhadamantum exerceant, quæ in scholis didicerint. Post istas prolusiones educendi sunt in campum, quo citius clamorem, silentium,

folem, puluerem, cœlum denique pati discant.

Sed ne forum, & subsellia, aut scholas etiam semper cogitemus, extant ea tempora, & loci, quibus auditores doctis, amænis, sculptis orationibus sunt permulcendi, &, vt cum Dionysio loquar, nonnihil oportet θεατρίζειν. ex istius autem eloquentiæ suppellectile petenda sunt adiumenta, quando demonstratiuum genus complexa est.

θεατρίζειν.

De genere Demonstratiuo.

CAPVT III.

Nonnus Dion. lib. 3.

DEmonstratiuum genus primum locnm obtinet, quod vt Nilus ille Nonni;

Ροθίῳ γονοέντι χεὼν ἑπτάστομον ὕδωρ,
Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἰλιγμένος εἰς ἅλα πίπτει.

Est sanè Nilus fluuiorum omnium maximus, fœcundissimus, & suauissimus. Quæ omnia demonstratiuo generi magnoperè congruunt.

Demonstratiui generis excellentia.

Magnitudo quæritur? omnium rerum laudes, & vituperia continet: fœcunditas experitur? nullum verbis, aut rebus vberius: desideratur suauitas? at tota Ciceronis, Demosthenis, Isocratis Myrothecia hoc genus exhausit.

Procopius sophista in epist.

Quod si apud Procopium χρυσῷ ῥέοντα. Nilum audiuisti; vnde χρυσορόας appellatur à Cedreno: hic quoque fontes aurei magna vbertate diffluunt: ὑπεδεικτικὸν quidem à Græcis nuncupatur, quod totum ad pompam, & magnificentiam natum videatur: nam ἐπιδεικνύω. dicebantur in laudis, & certaminibus oratores, poetæ, citharœdi, quoties de palma cũ æmulis, magna hominum frequentia certarent: nunc igitur de tam nobili, & tam spatioso genere dicendum.

ἐπιδεικνύειν quid?

Demonstrare quid?

Præcepta generis Demonstratiui.

DEmonstratiuum genus est, quod laudem, & vituperium continet: Ex quo laudationum præcepta, & vituperij hic tradenda sunt. In eo specto, quid laudandum, & vituperandum: & quomodo,

Quatuor, teste Aristotele, cadunt in laudationem; Deus, homo, animalia, inanima. Modus, & ratio patebit in singulis.

Laudatio Dei.

CAPVT IV.

In Dei laude duo spectanda.

EX Διὸς igitur, vt ait Theocritus, ἀρχώμεσθα in laudatione Dei duo spectantur: materia, & forma: Materiam hic appello argumentum laudationis, Dei puta amplissimas virtutes: formam, veluti modum, & characterem.

Deus rectè laudatur à definitionibus conglobatis.

In laudes diuinas latissimus patet dicendi ex varijs locis campus, sed in eo excellunt definitiones conglobatæ, quibus frequenter vtitur Synesius, & D. Gregorius Nazianzenus. Sic autem Synesius in hymnis Deum laudat.

Δώτορ ἐάων.	*Dator gratiarum.*
Ρίζα κόσμου.	*Radix mundi.*
Κέντρον ὄντων.	*Centrum entium.*
Αὐτόσσυτος ἀρχὰ,	*Ex se ortum principium.*
Ταμίας πατήρ τε ὄντων.	*Dispensator, & parens rerum.*
Ἑνοτήτων ἑνὰς ἀγνὴ.	*Vnitatum vnitas pura.*
Μονάδων μονάς τε πρώτη.	*Monadum monas prima.*
Πάτερ αὐτοπάτωρ.	*Pater sui pater.*
Οντων σπέρμα.	*Entium semen.*
Ἀτρέχεια σοφὰ.	*Veritas sapiens.*
Παγὰ σοφίας.	*Fons sapientiæ.*
Ομμα σεαυτοῦ.	*Ocule tuiipsius.*
Κόσμου κτιστὰς.	*Mundi creator.*
Κλεινῶν σφαιρωτὰς ἄστρων	*Inclytorum rotator syderum.*

Virtu-

Virtutes, & ornamenta quæcunque emicant in rebus humanis, illa tanquam in fonte sunt in Deo, à quibus ipse commendari potest. Expromam illustrissimum exemplum, quod præclarè omninò, & diuinè attigit Maximus Tyrius, nobilis Philosophus, & Rhetor, orat. de Deo, vbi Dei laudandi rationem quærit.

Maximus Tyrius, Orat. de Deo.

Καλὸν μὲν γὰρ εἶναι τὸν θεὸν, καὶ τὸ καλὸν, τὸ φανταλμον, ἀλλ' οὐ σῶμα καλὸν ἀλλ' οὐδὲ ἄνθρωπος, καὶ τῷ σώματι ὑπάρχει τὸ κάλλος. Οὐδὲ λειμὼν καλὸς, ἀλλ' οὐδὲ, καὶ ὁ λειμὼν καλὸς. καὶ ποταμὸς οὐκ ἄλλος, καὶ θάλαττης, καὶ οὐρανοῦ, καὶ τὸν ἐν οὐρανῷ θεὸν τὸν αὐτὸν κάλλος τοῦτο ἐκεῖθεν ῥεῖ ὃ ἐκ πηγῆς ἀενάου, καὶ ἀκηράτου. καθ' ὅσον ἑαυτῷ μετέσχεν ἕκαστα, καλὰ, καὶ ἐυρεῖα, καὶ ὠφέλιμα, καὶ κοσμεῖται, αὐτῷ ἀποκλίνεται αἰσχρὰ καὶ ἀλυσιτελῆ, καὶ φθαρτὰ, εἰ μὲν ταῦτα ἐκνικᾷ ἱεράκας τὸν θεὸν, εἰ καὶ μὴ πᾶσι δῆλος αὐτὸν ἀμύζηται· οὐδὲ γὰρ μεστὸς μήτε μέγεθος, μήτε χρῶμα, μήτε σχῆμα, μήτε ἄλλο ὕλης πάθος.

PVlchrum Deum dices, & pulchrorum omnium pulcherrimum. Haud quidem pulchrum corpus, sed vnde pulchritudo emanat in corpora: neq; etiam pulchrum pratũ, sed vnde, & prata, & amnes, & mare, cœlum ipsum, cælestes Dij pulchritudinẽ decerpunt. Eius enim pulchritudo omnis, tanquam ex perenni, purissimoque fonte, ad nos vsque delabitur, tantumq; aut fortitudinis, aut firmitatis, aut salutis, rebus in singulis ineit, quantum ab eo respiciunt. Ex quo si nihilum hauriant, cõtinuò turpes, dissolutæ, corruptæque tabescunt. Hoc tibi, si satis est, Deum ipsum inspexisti: sin minus, quænam alia poterunt eiusdem naturæ interpretationem proferre? Fac in eo, nec magnitudinem, nec colorem, nec figuram aliquam cogites: non aliud præterea quicquam, quod materia pati consueuit.

Deus omnia. Maximus Tyrius egregie de Deo philosophatur.

Diuaria nomina.

AD hæc accedunt illa Senecę Natur. quæst. lib. 3. vbi Deus appellatur custos, rectorque vniuersi: animus, & spiritus, fatum, causa, prouidentia, natura mundani huius operis, Dominus, &c. de quibus inferius.

Deus laudatur ab actionibus & effectis.

Tertia ratio laudationis diuinæ, est ab adiunctis, & effectis. in essentia laudabitur maiestas, in maiestate æternitas, in æternitate felicitas, beneficentia in creando, in regendo prouidentia, in frangendis improbis fortitudo, in puniendo iustitia, lenitas in indulgendo, in subleuandis hominum miserijs cœpta bonitas.

Apuleij locus eximius de Deo.

Hũc locum eximiè tractauit Apul. 11. Met. cuius verba, & stylum non probo, ingenium in multis non respuõ. Sic igitur ille, Deum in persona Isidis describit.

Tu quidem sancte, & humani generis sospitator perpetue, semper fouẽdis mortalibus mitificæ, dulcem matris affectionem miserorũ casibus tribuis: nec dies, nec quies vlla, ac ne quidem momẽtum tuis transcurrit beneficijs otiosum, qui mari, terraque protegis homines, & propulsis vitæ procellis, salutarem portigis dextram: qui fatorum etiam inextricabiliter cõtorta retractas licia, & fortunæ mitigas tempestates, & stellarum varios meatus cohibes, te superi colunt, obseruant inferi, tu rotas orbem, illuminat solem, regis mundum, calcas Tartarum, tibi respondent sydera, redeunt tempora, gaudẽt numina, seruiunt elementa: tuo nutu nutriuntur nubila, germinant semina, tuam maiestatem perhorrescunt aues cœlo meantes, feræ montibus errantes, serpentes solo latentes, pontò natantes belluæ. Idem argumentum attigit Mercurius Trismegistus oratione V. ὅλα ἀγαθὸς θεὸς φαντάζεται ἐστί.

Deus recte laudatur ab imaginibus.

Quartum genus est satis frequens ab icõnibus, siue similibus, vt cum Deus opt. max. cum sole, cum anima, cum oculo comparatur: Facimus in eo, quod solent, qui solem defixis oculis intueri non possunt, radios per nubem emissos sustinent. Ita nos cum tantæ maiestatis splendor obtuat, ad figurarum nubes, & vela confugimus.

Laudationis Dei modus.

Modus erit, non tanquam Panegyristę omnia aucupantis, sed tanquam religiosi encomiastæ, magnum illum rerum opificem admirantis potius, quàm laudantis, nihil enim ni-

en immimis enucleandum.

Quod si alicuius diei celebritatem, & mysterium commendemus peculiare, vt Christi natalem, resurrectionem, ascensionem; gratulabimur orbi terrarum, ob commune donũ, & insigne ergà nos Dei beneficiũ rem magna verborũ dignitate aperiemus: illustrabimus ab adiunctis, à simili, à comparatione minorum, ab exemplis. Postremò, adhibebimus faces, quæ auditores in Dei amorem inflamment. Nunc grauiorum authorum breues aliquot, & sculptas Dei laudationes, vel potius descriptiones videamus.

DEVS.

Expressus ex D. Gregorij, Philonis, & aliorum sensibus.

Deiencomium & descriptio.

DEus est (auditores) Deus est, ecquis non malit hic obstupescere, quam loqui? vos appello, purissimi animarum cœtus, qui beatas illas sedes æternis syderibus illuminatas incolitis, nõ minus in æternitate felices, quàm in fœlicitate æterni: quoties in hoc speculum oculos defigitis, toties conniuetis splendore lucis obruti, & pennas ori prætenditis, vt radios veluti per nubem emissos excipiatis: quos aliter sustinere non potestis. Quid igitur nos vilissimos homunciones facere oportebit? quoties de hoc æternæ mẽtis numine cogitabimus? latebras profectò suæ sibi gloriæ densissimas tenebras offudit, quas cùm animus perrumpere conatur, opprimitur magis, quàm lucet: mentem quippe Deus illuminat, & mentis celeritatem præteruolat, pectus accendit, nec pectoris angustijs capitur, quantumcunque percipitur, tantũdem subripitur, suaque fuga cruciat, & illectat amatores: Deinde quæris, homule, qualis Deus sit? qualem verò tibi mente, ac cogitatione depingis? corpus (opinor) excellenti partium venustate, & compositione consurgens, caue fis, ab omni concretione mortali solutus est: pedes illi dabis? quales? igneos: quorsum? vt incredibili celeritate hæc, & illa loca collustret, at implet omnia: manus illi tribues? quas? amplissimas: cur ita? vt accipiat, & donet quàm largissime? sed à nemine accipit, qui omnium bonorum delicijs circumfluit, donat verò non manibus, sed munificentia: qua mundum ipsum tã magnifico partium omnium apparatu, & tãta rerum omnium suppellectile nobilitauit: oculos assignabis? quos? celeres, flãmeos, volubiles, latè spectantes omnia, obscura quæq; tenebrarum acerrima visus acie penetrantes at ipse totus oculus est.

Deus non est corpus.

Dei manus munificentia; & munificentia manus Dei

Verum tenere in describendo aliquem modum oportet.

Pulchrum igitur Deum dices, & sapientem, & fortem, nõ errabis; est enim sapiẽtiæ, & fortitudinis exemplar: non quidem sapiens, & fortis Angelus, sed vnde sapientia, & robur in Angelos, & homines emanat. Non pulchrum pratum est, non pulcher amnis, pulchrum mare, pulchrum erat cœlum, sed vnde prata, & amnes, & mare, & cœlum ipsum, cœlestesque animæ pulchritudinem decerpunt: inde enim, tanquam ex perenni, purissimoque fonte ad nos vsque delabitur, tantumque decoris aut firmitatis, aut salutis, rebus singulis inest: quãtum ab eius copia respergũtur: ex quo, si nihil hauriunt, cõtinuò turpes, dissolutæ, corruptæque cõtabescunt. *Deus fons pulchritudinis.*

Itaque in illo felicitatis solio collocatus, placidissimè regit omnia, & fatorũ seriẽ admirabili prouidenria dispensat: quod si quando terrorem imis pectorũ medullis incutit, quis ad eius speciem non perhorrescit? hunc aues per cœlum volitantes, sparsæ per dumera belluę, & immania pharocarum corpora, maris fluctibus obruta pertimescunt. Graditur autem insigni maiestate, Cherubinis insidẽs, & celeri ventorum turbine circumquaq; rapitur, sexcenta consequũtur curruum millia, in quibus igneæ cohortes Angelorum copiosa luce circumfusæ radiant: Sol tanti, tamque stupendi nominis vmbra, potiùs quam effigies, ad eius nomen expauescit, adamantinæ cœli portæ contremiscunt, intendunt se flãmeæ unbes, & lucido horrore totum hoc spatium circumuestiunt, mugiunt interim tonitruum fragores, scintillant fulgura, volitãt procellę, ruunt fulmina, immixtique grandini rutili carbones depluunt: hinc discedit cœlum, hiant terrarum latebræ, terrore perfusi manes mortuorum regem sentiunt, qui vno temporis momento sexcentos mundos condere, cõditosq; vel tenuissimo halitu diffiare potest. *Dei timor. Maiestas. Sol vmbra Dei.*

Legendus D. Dionysius Areopagita, cap. 4. cælest. Hierach. & cap. 4. de diuinis nominibus, vbi de bonitate, pulchritudine, suauitate Dei infinita reperiuntur. Videndus item Tertull. de Trinitate, Trismegistus, Theodoretus, Synesius.

Ex

Ex Philone, Libro, Quòd Deus sit immutabilis.

Deus expers compositionis.

Ὁ δὲ θεὸς ἅτε ἀγέννητος ὢν, καὶ τὰ ἄλλα ἀναγὼν εἰς γένεσιν, οὐδενὸς ἐδέησε τῶν τῆς γεννήμασι προσόντων. ἐπεὶ καὶ τὰ φῶμεν ἐκέχρηται τοῖς ὀργανικοῖς μέρεσι; βάσεις μὲν ἔχειν τὸ προσέρχεσθαι χάριν; βαδιεῖται δή ποι, πεπληρωκὼς τὰ πάντα; καὶ πρός τίνα, μηδενὸς ὄντος ἐντίμου; καὶ ἕνεκα τίνος; ὁ φροντίζων ὥσπερ καὶ ὑμεῖς; καὶ χεῖρα μέν τι πρὸς τὸ λαβεῖν, καὶ δῶναι; λαμβάνει δὴ παρ' οὐδενὸς οὐδὲν, δίδωσι δὲ λόγῳ χρώμενος ὑπηρέτῃ δωρεῶν, ὧν καὶ τὸν κόσμον εἰργάζετο. ὀφθαλμῶν γε μὴν οὐκ ἐδεῖτο, ὧν ἄνευ φωτὸς αἰσθητοῦ καταλήψις οὐ γίνεται, τὸ δὲ αἰσθητὸν φῶς γεννητόν· ἑώρα δὲ καὶ πρὸ τοῦ κόσμου ὁ θεὸς φωτὶ χρώμενος ἑαυτῷ.

SEd Deus, vtpote ingenitus, & creator omnium, nihil opus habet ijs quæ rebus creatis insunt. Quid enim dicemus de vsu instrumentalium partium? pedes ei dabimus, progrediendi gratia? at quò ibit, cùm impleat omnia? ad quem accedat, cùm neminem honore parem habeat? aut quam tandem ob rem, cùm humanis curis careat? quid manus, ad accipiendum dandúmque? ipse à nemine quicquam accipit: donat autem verbo suo munificentiam administrante, per quod mundum condidit. Oculis certè non eget, quibus sine luce sensibili nihil comprehenditur; at sensibilis lux creata est: Deus autem propriæ lucis vsu videbat etiam ante mundum conditum.

Ex D. Gregorio Nazianz. Orat. I.

Deum abyssus operit.

Αἱ καθαραὶ φύσεις μόλις χωροῦσι θεῖ λαμπρότητα, ὃν ἄβυσσος καλύπτει, σκότος ἀπόκρυφον, φωτὸς ὄντος τοῦ καθαρωτάτου, καὶ ἀπροσίτου τοῖς πλείοσιν. Ὃς δὲ τῶν παντὶ τῷ, καὶ τοῦ παντός ἐστιν. Ὃς καλόν ἐστιν ἅπαν; καὶ ἄνω παντὸς καλοῦ. Ὃς νῦν φωτίζει, καὶ διαφεύγει νοῦ τάχος, καὶ ὕψος. ὑποχωρῶν ἀεὶ τοῦτον ὅσον καταλαμβάνεται, καὶ ὑπάγων πρὸς τὰ ἄνω τὸν ἐρασθέντα, καὶ τὸ οἷον κρατούμενος κλέπτεσθαι.

PVræ naturæ vix Dei splendorem capiunt, quem abyssus operit, cuius tenebræ latibulum sunt, vtpote luminis purissimi atque plerisque inaccessi, qui & in vniuerso & extra vniuersum est: qui & pulchritudo omnis est, & supra omnem pulchritudinem, qui mentem illuminat, & mentis celeritatem atque subtilitatem effugit, quantúmque percipitur, tantumdem semper se subducit, amantéque sui ex eo, quòd fugit, ac velut iam comprehensus se proripit, ad superna allicit.

Bernardus quoque in eo genere subtilis.

Bern. in considerat.

QVid est Deus? longitudo, latitudo, sublimitas, profundum: longitudo, propter æternitatem; latitudo, propter charitatem; sublimitas, propter maiestatem; profundum, propter sapientiam: Deus amat, vt charitas; nouit, vt veritas; sedet, vt æquitas; dominatur, vt maiestas; regit, vt principium: tuetur, vt salus: operatur, vt virtus: reuelatur, vt lux: assistit, vt pietas.

Anastasius Synaïta in ὁδηγῷ, breuiter, sed ἐμφατικῶς, θεός οὐσία ἀναίτιος, αἰτία παναλκὴς, πάσης αἰτίας αἰτία τῆς ὑπερουσίου. Deus substantia caussæ expers: Caussa omnipotens: Omnis caussæ caussa quædam supra substantiam.

Arnobius, grandis sensibus, dictione rudis.

Arnobij descriptio generosis sensibus, sed stylo rudiori.

OMaxime, ô summe rerum inuisibilium procreator, ô ipse inuise, nullis vnquam comprehense naturis: dignus, dignus es

verè (si modo te dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis, intelligensque natura, & habere, & agere nunquam desinat gratias, cui tota conueniat vita, genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare. Prima enim tu caussa es, locus rerum, ac spatium, fundamentum cunctorum, quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, sine situ, motu, & habitu, de quo nihil dici potest, & exprimi mortalium significatione verborũ: qui, vt intelligatis, tacendum est, atque ne per vmbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omninò mutiendum. Da veniam, rex summe, tuos persequentibus famulos: & (quod tuæ benignitatis est proprium) fugientibus ignosce tui nominis, & religionis cultum, non est mirum, si ignoraris, maioris admirationis est, si sciaris.

Ex Seneca, nat. qu. proem.

Dei definitio ex Seneca.

QVid est Deus? mens vniuersi. quid est Deus? quod vides totum, & quod non vides totum: sic demùm magnitudo illius illi redditur, qua nihil maius excogitari potest, si solus est, omnia, opus suum, & intra, & extra tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei, & nostram? nostri pars melior animus est, in illo pars nulla, præter animum: totus ratio est: & Plinius. Totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.

Li. 2. c. 7.

Ex eodem, 3, natur. quæst. c. 45.

Deo omne nomen conuenit.

NÆ hoc quidam crediderunt, Iouem esse, qualem in Capitolio, & in cæteris ædibus, videmus mittere manu fulmina, sed eundem, quem nos Iouem intelligunt, custodem, rectorem vniuersi, animum ac spiritum mundani huius operis dominum, & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, ex quo omnes caussæ caussarum? vis illum prouidentiam dicere? rectè dices, est enim, cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis, est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus: vis illum vocare mundum? non falleris, ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus indutus, & se sustinens vi sua.

Philo. lib. de Cherub.

Deus apex & finis omnis fœlicitatis.

Θεός ἐστιν ἀκοινώνητος κακῶν, ἀνένδοτος, ἀνώδυνος, ἀκμὴς, εὐδαιμονίας ἀκράτου μεστὸς, τελειοτάτη ἡ τούτου φύσις, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ἄκρα, καὶ τέλος, καὶ ὅρος εὐδαιμονίας.

Eadem latinè.

DEus est expers malorum omnium, semper vegetus, doloris nescius, indefessus, synceræ fælicitatis plenus, ipsius natura perfectissima, imò ipse est fastigium, extremaque linea fœlicitatis.

DEVS SEDENS IN CHERVBIN.

Apud Ezech. ex figura Villalpandi, stylo oratorio reddita.

Prophetæ apud Babylonios captiuo aperitur cœlum, & Dei magnificentissima arcana ostenduntur: ecce tibi primum ab Aquilone ventus ingruit, hinc cœlo intendunt se nubes volucribus flammis accensæ, quas aureus circumfusi circuli fulgor magna vestit dignitate. Continuò succedit ingens ille currus immanibus rotis incitatus, quas & interius arcana vis animat spiritus, & exterius micantium oculorum interstincta multitudo iucundissimè perspergit, currui impendet cœli species, & in cœlo thronus ex sapphiris pulcherrimè concinnatus, in quo sedet princeps ille mundi Deus, amplâ, quâ est præditus maiestate: iam verò currum, instar quadrigarum, rapiũt quatuor iuuenes, igneo, & fulgurante vultu, humana cæteroqui, eaque præclarissima facie conspicui, nisi quod, & pectora leonum iubis cernuntur obsita, & ad vtrumque latus pernicies, veluti aquilarum alæ, iam volatui proludentes, & pedes ad vituli plantam deformati, speciosum corpus mystica deformitate terminant.

De laude personæ in genere.

Prudentia in laudationibus adhibenda.

CAPVT V.

Ementitiæ superiectiones in laudatione.

CVm omnis laudatio ad honestatem, & decus spectare debeat, danda est imprimis opera

dationibus vitanda. Præstat ficum dicere, quam fingere.

opera, vt quicquid laudandum suscipitur, honestæ laudis fegetem & argumentum præbeat. Tum verò ita tractandum est, vt non ementitis superiectionibus, sed veris solidisque rationibus, ac laudum argumentis, tota innitatur oratio. Rarò tamen inuenias laudatores qui velint,

Τὰ σῦκα, σῦκα: τὴν σκάφην, σκάφην λέγειν.
Ficus, ficus: & scapham, scapham dicere.

Amant omnes res, quas sibi laudandas sumpserunt, supra naturam, & mores extollere, vt ipsi videantur eloquentes. In quo quantus est error eorum, qui hæc faciunt, qui non vident? tantùm enim abest, vt argumento decus, & gloriam conciliet, quin potius eruditas aures deterreant, & dum blanda quadam ac propè insana mentiendi dulcedine titillantur in multis, hoc assequuntur, vt vera etiam narrantibus minimè credatur.

Superiectiones in laudationibus sunt puerorum.

Solent autem pueri, & leues personæ, in hæc vitia potissimum incurrere, quæ cum minimè spectent, quid cuiusq; rei postulent adiuncta, volitant in locis communibus, & eos à re, & virtute militari commendant, qui hostem nunquam viderunt: ab eruditione, qui vix ἄλφα, ζῆτα didicerunt.

Hocgenus laudatorum facetè admodum irrisit Seneca in ἀποκολοκυντώσει, cum in funere Claudij Imperatoris, qui fatuus, & imbellis habebatur, poetas inducit cantantes.

Claudij imperat. Laus ridicula.

Fundite fletus,	*Editoplanctus.*
Fingite luctus,	*Resonet trifti*
Clamore forum.	*Cecidit pul hrè*
Cordatu homo,	*Quo non alius*
Fuit in toto	*Fortior orbe.*
Ille citato	*Vincere cursu*
Poterat celeres:	*Ille rebelles*
Fundere Parthos,	*Leuibusque sequi*
Perfida telis:	*Certaque manu*
Tendere neruum:	*Qui præcipites*
Vulnere paruo	*Figeret hostes,*
Pictaque Medi	*Terga fugacis,*
Ille Britannos	*Vltra noti*
Littora Ponti,	*Et cæruleos*
Scuta Brigantas,	*Dare Romuleis*
Colla catenis	*Iussit & ipsum*
Noua Romana	*Iura securu*
Trimere Oceanum	

At bonus Imperator nihil vnquam istorum cogitarat.

Vt autem plenius ostendat talium laudatorum ineptias, qui sæpè, dum se egregiè commendare aliquem existimant, ea dicunt, quibus non leuiter offendatur. Addit:

Desiste virum,	*Quo non alius*
Citiùs potuit	*Dicere causas.*
Vna tantùm	*Parte audita.*
Sapè & neutra.	

[Tum cum Minoe comparatum.]

Tibi iam cedet	*Sede relicta,*
Qui dat populo	*Iura silenti,*
Cretæa tenens	*Oppida centum.*

Hæc quidem ridicula, & adrisum composita laudatio.

Num igitur satius vnumquemque suis ornare coloribus, quàm fictos & adulterinos conquirere? Sapiebat profectò Lysippus, qui Alexandrum cum hasta finxerat, Apellem arguens, qui eundem fulminantem depinxisset.

Præclarum Lysippi apophthegma. Plut. in Iside, & Osiride.

Ego enim (aiebat) veris Alexandri virtutibus nihil affinxi, cùm eâ hasta expressi, cuius vis & gloria nunquam est interitura: At verò Apelles, qui fulmen in manu fortissimi Regis appinxit, num videtur de eius gloria detrahere? nam dum fictis ornat in signibus, spoliat veris. Fulmen posteritas non credet, hastam ignorabit.

In laudibus enim turpe est illa credere, quæ nec ille, de quo narrantur, agnoscat. Ennod. in vita Epiph.

Et prudenter illud quidem: nam quis animo non auersetur, aut rideat, cùm indignos exquisitis supra merita, vel etiam humanam conditionem, laudibus videt ornari?

Stratonices vetulæ, & calua capilli vocantur hyacinthini.

Stratonice, Seleuci vxor, deformis, & calua; à poëtis, quibus certamen talenti mercede indixerat, suas comas hyacinthinas prædicari lubenter audiuit: In quantum verò derisum cessit hæc laudatio, apud eos qui rem penitus nouerant? Num satius fuisset tacere, quàm tam flagitioso & impudenti mendacio aures inquinare?

Lucianus in imag.

At dices: Si exiguum est argumentum, quomodo assurget, nisi arte & industria expolia tur? esto, valeat industria, sed absit mendaciũ, absint ineptiæ. Si modica est materia, leni stylo pertexenda est, nec semper illa παραπαίσματα in rebus leuiculis vsurpanda: plus enim valet verbum grauiter, modestè, & opportune dictum, quàm tota farrago puerilium amplificationum.

De argumentis, & tractatione demonstratiui generis, in laude personæ.

CAPVT VI.

Genus demonstratiuum magis debet esse fluidum, quàm argumentosũ.

ARgumenta in hoc genere plus habere debent speciei, & floris, quàm pugnacis caloris. Cùm enim, vt superius demonstratum est, honesta quæque, τὰ καλὰ, in laudis argumentum cadant, non est anxiè laborandum, quomodo probes auditoribus talia esse, cùm iam omnium mentes satis consentiant, sed in eo cursus industriæ versari debet, vt quæ per se pulchra, grauia, excelsa sunt, excitato quodam orationis flore vestita ponantur ob oculos.

Demonstratiui Generis argumenta.

In quo plurimum valent definitiones congloba tæ; partium enumerationes, similitudines, adiuncta, effecta, contraria, sententiæ graues, sculptæ, eruditæ, historiæ insignes, & ex optimis quibusque auctoribus petita, cum insigni varietate doctrinæ, supellex.

Dem. constit. Gener. forma.

Atque, cùm res gestæ eius, qui laudatur, potissimam suggerant argumentorum copiã, ita sunt percurrendæ, vt multis suauitatis condimentis, in ordine, transitionibus, figuris temperentur.

Quo in genere excellit Pliniana Charis, & acutum illud in singulis penè clausulis aures vellicans, tum sententiosum elata quadam maiestate collucens. Qualia sunt ista:

Ac sicut maris, cœlique temperiem turbines, tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam illum tumultum præcessisse crediderim.

Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur: occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum, malorumque causæ sub diuersa specie latent.

Animaduerte, vt excelsè ornatur hæc oratio, tum generosa similitudine, tum sententijs exquisitis. Quid? vbi de adoptione Traiani disserit, quàm grauiter, & diserte illud infert? *Communicato enim imperio* sollicitior tu, ille securior factus est. O nouum, atque inauditum iter! *Non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor principem fecit.* Videaris licet, quod est amplissimum, consecutus inter homines, felicius tamen erat quod reliquisti sub bono principe priuatus esse desijsti.

Item.

Non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit. Nam qui vbique sunt homines, hoc idem votis expetebant, ille tantum iure principis occupauit, primusque fecit, quod omnes facturi erant, nec Hercule tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset, antequam fieret. At quo temperamento, Dij boni, potestatem tuam, fortunamque moderatus es! Imperator titulis, & imaginibus, & signis, cæterum modestia, labore, vigilantia dux, & legatus, cum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires, *neque aliud tibi ex illa adoptione, quam filij pietatem, filij obsequium afferres.* *Modestia Traiani.*

Vides igitur artificium Oratoris, quod nudè dici potuisset ab historico, adoptatum fuisse Traianum à Nerua Imperatore, magno omnium consensu, pari adoptati principis in vtraque fortuna moderatione, hoc Plinius oratoria quadam magnificentia in summum attollit orationis decus, quod consequitur morata oratione, generosis acuminibus, suauibus, & appositè temperatis figuris. Iam eius in imperio modestiam vide. *Artificium huius laudationis.*

Vidimus humescentes oculos tuos, demisso sumque gaudio vultum, *tantumque sanguinis in ore, quantum in animo pudoris.* Atque hoc magis incensi sumus, vt precaremur, ne quando tibi non eadem causa lachrymarum, vtque non vnquam frontem tuam abstergeres. *Pudor.*

O te felicem, quod cum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. *Felicitas in anim.*

Est enim demum vera fœlicitas, fœlicitate dignum videri. *Felicitas vera.*

Item.

Horum vnum si præstitisset alius, illi iamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore, augustioribusque aris, & grandioribus victimis inuocaretur. Tu delubra non nisi adoraturus intras. *Tibi maximus honor excubare pro templis* & cæt. *Pietas Traiani.*

Scis enim vbi vera principis, vbi sempiterna sit gloria, vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senecturi, nihil successoribus liceat. Arcus enim, & statuas, aras etiam, templaque demolitur, & obscurat obliuio; negligit, carpitque posteritas: Contrà contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, à nullis magis laudatur, quàm quibus maximè necesse est. *Honor vester.*

Hæc oratio, vt videre licet, generosis viua sensibus, lectissimis præterea verbis, & figura-

rum

rum exornationibus collustratur, ex quo in tantam speciem assurgit.

Figuræ demonstratiuæ.

Eius autem generis figuræ propriæ sunt, Antitheses, Isocola, Homœoptota, Homœoteleuta, Distributiones, Oxymora, sententiæ concinnæ, acutæ, vellicantes, numerosi, fluentesque periodorum exitus, vt cætera id genus, quæ efficiunt, vt alioqui communes hac varietate placeant. Nec immeritò dixit Plinius de suo Panegyrico:

Atque vtinam ordo saltem, & transitus, & figuræ spectarentur. Nam inuenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam barbari solent: disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis negatum est.

Ordo & dispositio in demonstratiuo genere quanti sit momenti.

Quod verò ad ordinem & transitus attinet, non sine caussa video notatum à Plinio. Arbitror enim hanc vnam rem esse, è qua toti orationum plurimum afflari soleat lucis, gratiæ, iucunditatis.

Nihil tam infantem prodit in his panegyricis oratorem, quam dispositio fluctuans, excursiones intempestiuæ, & transitus inconcinni. Quamobrem danda erit singularis opera, vt decenti membrorum congerie totum opus coalescat, ne quid laxius extuberans, ne quid protritum, ne quid importunè adscitum, vt faciles aditus, vt digressus prudentes, vt ex vno in aliud commodè transeatur.

Demonstratiui generis dispositio & collocatio quintuplex.

Hanc autem exornatiui generis dispositionem, paucis tradidisse videtur M. Tullius in partitionibus.

Nam, (inquit) aut temporum seruantur gradus, aut generum distributiones, aut à minoribus ad maiora ascendimus, aut à maioribus ad minora delabimur, aut hæc inæquali varietate distinguimus, cum parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus.

Primus ordo nisi gratijs aspergatur, plerumque scholaris, & nimis languidus.

Quinque hic collocationis modos animaduertit: Primus est cum gradus temporum seruantur, vt cum patria primum, & parentes recensentur, deinde educatio, studia, præceptores, mox adolescentia, iuuentus, maturitas, senectus, mors denique continuo orationis filo pertexuntur. Quem ordinem veteribus placuisse video. Nam Isocrates in Euagora Cypri Rege exornando hunc dicendi tenorem sequutus est; nec multum ab eo in Antonij vituperatione declinauit M. Tullius. Quin & Plinius in nobili panegyrico idem fermè iter aggressus est: nam Traiani laudationē ordine quodam temporum peragit, orsus ab adoptione, ad tertium eius Consulatum, in quo panegyrim pronuntiauit. Quicquid igitur moderatè interea, liberaliter, benignè, vtiliter in publicum fecit, recenset, diducit, ornat, sæpè floridè, &, vt ait Lipsius, penè Poetarum in morem.

Hæc series, vt liberè fatear, multum olet scholæ, & nisi gratijs aspergatur, acutisq; sententijs existimuletur, sidit, & languescit.

Secundus plus habet artis.

Secundus ordo est, cum generum distributiones sequitur, nulla temporum habita ratione: vt cum nostro arbitrio certa quædam capita, quasi statum totius orationis constituimus, per quæ vniuersæ laudationis ratio excurrat: qui ordo plus habet ingenij, & prudentiæ: Et eundem vsurpauit M. Tullius, cùm Magnum suum exornaturus, quatuor res esse dixit in summo Imperatore inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, fœlicitatem, & ad hæc quatuor genera, laudes omnes Pompeij reduxit.

Hi duo sunt collocationis modi præcipui: nam cæteri, qui afferuntur, possunt in eosdem incurrere.

Tertius.

Tertius igitur est, cùm minora quæque decerpimus, à quibus sensim ascendimus ad maiora, vt si Achillem laudaturus, à tyrocinio sub Chirone incipias, & eius pueriles lusus, ac venationes laudibus prosequaris; mox nullis temporum gradibus seruatis, statim ab hoc lusu, animos auditorum ad egregia herois facta traducas, eumque in bello Troiano fulminantem depingas.

Quartus.

Quartus ordo prorsus contrarius est, cùm commemoratis egregijs alicuius viri virtutibus, minutias etiam, & facta leuiora recensemus. Quod Damis præstitisse perhibetur in suo Apollonio. Nā, cū reprehenderetur, quod catellos imitatus, qui cœnantibus dominis micas de mensa colligunt, ita ille minuta quæque Apollonij operi inscripsisset suo: Respondit, de mensis Deorum analecta quoque sedulò esse colligenda: τοῦ μηδὲ τὰ πίπτοντα τῆς ἀμβροσίας ἀπολλυσθαι.

Philost. l. 1. cap. 4. Damidis argutum responsum.

Quintus modus philologorum varius & suauis.

Quintus modus, in quo inæquabili varietate res miscentur, maximè conuenit philologis, qui admirationem, & alios affectus ex inopinatis casibus aucupantur.

Heliod. ars in Æthiopicis.

Et hunc consectatus est Heliodorus in Æthiopicis: nullo enim temporum, aut rerum ordine seruato, statim incipit à medio, & lectorem

ctorem in tragicam quandam solitudinem inducit, ignoratione tristi suspensum, quonam ea, quæ narrantur, sint eruptura? Mox per episodia personas inducit, quæ præteritarum rerum quidpiam narrent, quòd antea fuerat delibatum: nouarum interim narrationum obscura quædam semina spargit, quæ suo tempore prodeant in lucem.

Quinto demum, & septimo libro, post longissimam sustentationem, intelligentiam eorum, quæ in primo libro scripserat, perficit: dum à septimo ad extremum pergens, omnia inter se quam aptissimè connexa, non secus ac ædificium varia contignatione luculentè compactum ostendit.

Sextum à recentioribus nonnullis excogitatum video, qui laudationes suas, & res, quæ laudantur, sæpè in piramides, hortos, fontes, coronas, & cætera id genus ἀλληγορικῶς efformant; quod si commode fiat, speciem habet ingenij: sin contrà, in cacozeliam, frigus, & ineptias non rarò incidit.

Sed vt res fiat clarior, & plenior, prælibabo illustria quædam argumenta, & exempla, ad quorum imitationem, insignium virorum laudationes effingi possint.

Exemplum laudationis mixtæ.

Laudatio mixta initijs accommodata.

ELegans est laudis genus, & initijs accommodatissimum, cum multa simul mixta commendantur per antisagogen.

Tale est illud Plinij in Traiano.

Dignum imitatione] hoc exemplum.

Enituit aliquis in bello, sed obtoluit in pace; alium toga, sed non arma honestarunt; Reuerentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit, ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico domi partam perdidit. Postremò, nemo adhuc extitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laderentur:

At Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit, vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Deûm festinatis senectutis insignibus, ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nonne longè, lateque principem ostentant?

Huc accedat laus Origenis eximia apud Vincentium Lirinensem. Si vita facit authoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio, quid eo nobilius? qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio? Deindè pro Christo non solum patre, sed omni facultate priuatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, vt pro nomine Dominicæ confessionis sæpius, vt ferunt, affligeretur. Neque verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenij, tam profundi, tam acris, tam elegantis, vt omnes penè multum longeque superarit, tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, penè fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur. Cuius scientiæ cum Græca cederent, & Hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam verò quid memorem? cuius fuit tam amœna, tam læta, tam dulcis oratio, vt mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimauit, &c. Et paulò post. Iam vero quanta a-

---

De laude personæ, in specie.

CAPVT VII.

Vide Ciceronem li. 2. de orat. sect. 46.

IN laude personæ quinque sunt notanda, natura, fortuna, seu conditio, institutio, actiones, circumstantiæ.

Natura comprehendit corpus, & animum.

In animo virtutes, & scientiæ commendantur.

In corpore laudantur pulchritudo, robur, agilitas, sanitas: Ingens enim bonum est mens sana in corpore sano; quanquam suus est (vt dixit Seneca) virtuti in lectulo locus. Veruntamen felix censetur à Thalete, τὸ μὲν σῶμα ὑγιὲς, τὴν δὲ ψυχὴν εὐπειθέστατος.

Fortunas, opes, natalium splendorem, diuitias, honores, affines, amicos, clientelam continet, & cætera, quæ cum imperio coniuncta sunt, aut priuata.

Institutio fidem facit naturæ, eamque illustrat.

Actiones naturam hominis perficiunt, & institutionem.

Circumstantiæ rem ornant, & per totum laudationis corpus variè distribuuntur.

Vniuersæ autem laudationis necessitas, vtilitas, & delectatio scopus esse debet.

ta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religiosior ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Christianorum non penè vt Prophetam, quis Philosophorum non vt magistrum veneratus est? Quam autem non solum priuatæ conditioni, sed ipsi quoque reuerendus fuerit imperio, declarant historiæ, quæ eum à matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt, cœlestis vtique sapientiæ merito, cuius & ille gratia & amore flagrabat. Sed & eiusdem epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Romanorum principum Christianus fuit, Christiani magisterij authoritate cōscripsit. De cuius incredibili quadam scientia, si quis referentibus nobis Christianum non accepit testimonium, saltem testificantibus Philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius excitum se fama ipsius Alexandriam fere puerum perrexisse, ibique vidisse iam senem, sed planè talem tantumque, qui arcem totius scientiæ conscendisset.

Laus generis, seu nobilitatis.

Nobilitas quid?

PRæclarum omninò locum in personæ laudatione nobilitas occupat, quæ nihil est aliud, quàm nascendi fœlicitas; Et hoc Dei quidem donum est non contemnendum; nam si illustrium virorum reliquias, & simulachra colimus, quantò magis liberos viuos, & spirantes patrum imagines suspicere debemus? Vbi parentum deest claritas, ad commune episodium recurritur. Μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν εἶναι, vel genus potius silentio premi solet.

In modo autem, & tractatione eius loci, primum laudandi parentes, deinde gratulandum illi, qui in se transfusam habeat cum maiorum fortuna virtutem. Præclarum est exemplum in Panegyrico Constantini Magni ab oratore quodam Belga, apud Treuiros recitato.

Constantini nobilitas.

A primo igitur incipiam originis tuæ nomine, quod plerique adhuc fortassè nesciunt, *sed qui te amant, plurimum sciunt.* Ab illo enim Diuo Claudio manet in te auita cognatio, qui Romæ imperij solutam, & perditam disciplinam primus reformauit, immanesque Gothorum copias Ponti faucibus, & Istri ore proruptas terra, marique deleuit, vtinam diuturnior recreator hominum, quàm maturior Deorum comes extitisset: Ab illo generis authore, in te omnis imperij fortuna descendit, deinde omnes inter participes maiestatis tuæ, hoc habes, Constantine, præcipuum, quod Imperator es, *tantaq; est nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris imperium, nec possit fortuna numini suo imputare,* quod tuum est, omisso ambitu, & suffragatione. Non fortuita hominum conuentio, non repentinus aliquis fauoris euentus te principem fecit, *imperium nascendo meruisti*, quod quidem mihi Deorum immortalium munus, & primum videtur, & maximum, in lucem statim te felicem venire, & ea, quæ vix alij totius vitæ laboribus consequuntur, iam domi parta suscipere.

Claudius.

LAVS CORPORIS, Pulchritudo.

PVlchritudo corporis nonnunquam simulachrum est egregiæ mentis. Ἀριδηλότατον ἀγαθὸν, ἥδιστον θεοῖς, ἥδιστον δ' ἀνθρώποις, vt ait Dion, & secundum Syri mimos *muta commendatio.* Maximus Tyrius pulchrum animum in pulchro corpore, rectè comparat cum amœnissimo fluuio, qui per exquisitas pratorum opes, & delicias fluit, ποταμοῦ καλλὸς λειμῶνι ἐπιῤῥέων, ψυχῆς ἄνθος ἐμπεφυτευμένων σώματι καλῷ.

Pulchritudinis laus.

Est porrò pulchritudo apta membrorum proportio, cum quadam coloris suauitate: In viris dignitas, in fœminis venustas appellatur.

Et in heroibus quidem illis sæpè laudatur proceritas corporis, maiestas capitis, oris dignitas, ætatis maturitas, fulgor oculorum, veneranda pariter, & grata maiestas, quæ perstringat simul, & inuitet aspectus.

Notantur etiam expressæ notæ corporis, vt in Seleucidis, Anchora: in Augusto, stella Capricorni, in Spartana Thebanorum familia, λόγχη, cuius meminit Dio Prus. orat. 4.

In laude pulchritudinis quid cauendum?

Constantini Magni speciem, sic eius Panegyristes expressit. Est istud exemplum graue, nihil enim nimis enucleat, cauendum est ab ineptijs eorum, qui in laude grauis personæ, vt B. Virginis, vernante styli lasciuia speciem aliquam Helenę efformare nituntur. Sic igitur ille.

Pulchrum quidem, Dij boni, & cœleste miraculum Imperator adolescens, in quo illa, quæ iam summa est fortitudo, adhuc tamen

cre-

creſcit, in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter & grata maieſtas perſtringit ſimul, & inuitat aſpectus; talem illum magnum regem, talem Theſſalum virum mente concipio, quorum ſumma virtus celebratur.

Pulchrorum corpus dignum mentis domicilium.

Non fruſtrà enim doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam, magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrârit habitator. Itaque te cùm ingredientes milites vident, admirantur, & diligunt, ſequuntur oculis, animo tenent, Deo ſe obſequi putant, cuius tam pulchra forma eſt, quàm certa diuinitas.

Alexandri forma.

Sic Alexander forma fuit ſupra hominem auguſtiore, cernice celſa, lætis oculis, & illuſtribus, malis ad gratiam rubeſcentibus, reliquis corporis lineamentis, non ſine maieſtate quadam decorus.

Alias deſcriptiones, partim dignitatis virilis, partim venuſtatis muliebris, vide in libro Hypotypoſeωn.

Laus agilitatis.

Auſonius in Gratiano.

LAudatur agilitas ab effectis, incurrendo, iaculando, luctando, venando: eandem in ſaltando apud graues viros minimè laudârim. Auſonius in Gratiano Imperatore Chriſtiano, agilitatem ita commendat; *Quis curſum tam perniciter incitauit?* quis palæſtram tam lubricus expediuit? quis ſaltum in tam ſublime collegit? nemo abductiùs iacula contorſit, nemo ſpicula crebriùs coniecit, aut certiùs deſtinata percuſsit.

Sarmenes æques, primus præcepta ſcripſit de equitatu

Mirabamur Poëtam, qui effrænes dixerat Numidas, & alterum, qui ita collegerat, vt diceret *in equitando verbera, & præcepta eſſe fugæ, & præcepta ſiſtendi*, obſcurum hoc nobis legentibus erat; Intelleximus te videntes, cùm idem arcum intenderes, & habenas remitteres, aut equum ſegniùs euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantem coërceres; qui te viſi ſunt hoc docuiſſe, non faciunt; imò, qui viſi ſunt docuiſſe, nunc diſcunt.

Laus agilitatis in venando.

NEque verò hæc erit inuenuſta laus; cuius decus etiam plerique Principes affectârunt, vt Mithridates, Hadrianus, Carolus Magnus, Henricus I. & Albertus Imperatores. Ipſa etiam, inter mulieres Euphroſyna, Alexij Angeli, Imper. Bizantini vxor, quod teſtatur Nicetas, l. 3. aurata chirotheca accipitrem ſuſtinuit, inter Aucupes, & venatores frequens. Verum adhibendus eſt in laudatione modus, eaque temperamento prudentiæ condienda. Neque enim Baiazetem in eo laudarim, quod maiorum curarum expers, ſeptem millia vitorum, qui accipitres curarẽt, haberet, aut Barnabam Vicecomitem, qui mille canum millia miſerorum ruſticorum ſumptu alenda vicatim diſtribuerat. Laudari ſolet venator, ſi venetur poſtquam pietati, & grauibus negotijs fecerit ſatis, non remiſſionis cauſſa, ſed exercitationis, ſed agreſtium vtilitatis. Si inter ſyluarum horrorem, montiũque veſtitus viridiſſimos, numen veneretur, hoc peculiari laude dignum; Ita Traianum ſuum venantem deſcribit Plinius.

Baiazetes magnus venator. Chalcondyl. l. 3. Paulus Iouius in Barnab.

Quod ſi quando cum influentibus negotijs paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris, quæ enim remiſsio tibi, niſi luſtrare ſaltus? excutere cubilibus feras? ſuperare immenſa montium iuga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adiutum, atque inter hæc, pia mente adire lucos, & occurſare numinibus? Olim hæc experientia iuuentutis: hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu, nec mediocre pacis habebatur decus ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor.

Plinius in Traian.

Commendatio venationis.

Vſurpabant iſtam quoque gloriam illi principes, qui obire non poterant: Vſurpabant autem vt domitas fractaſque clauſtris feras, ac denique in ipſorum ludibrium emiſſas mentita ſagacitate colligerent.

Luſit quoque in eo genere Claudianus ad Honorium lepidè ſuo more.

Tu cùm per altas impiger ilices
Prædæ citatum cornipedem reges,
Telis iacebunt ſponte tuis fera:
Gaudenſq; ſacru vulneribus leo,
Admittet haſtam, morte ſuperbior.

Laus agilitatis, ſiue ſtrenuitatis in re militari, & campeſtri exercitatione.

IMago eſt rei militaris, venatio: ad rem igitur ipſam veniamus. Artis militaris peritia ab imitatione Plinij ad Traianum commendari poteſt.

Traianus bellicoſus.

Quid apud milites? quam admirationem quem-

quemadmodum compatasti, cum tecum inediam, tecum ferrent sitim, cum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem, sudoremque misceres, *nihil à cæteris, nisi robore, ac præstantia differens*? cum eminus libero Marte tela vibrares, nunc vibrata susciperes, alacer virtute militum, & lætus, quoties, aut cassidi tuæ, aut clypeo grauior ictus incideret, laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque vt auderent, & audebant iam, cum spectator, moderatorque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares, ac si quid durius accipienti videretur, ipse vibrares. Sed quis disertius autem militarem extulit, quam Cicer. in suo Pomp. pro lege Manilia num. 28.

Quis igitur hoc nomine scientior vnquam, aut fuit, aut esse debuit, qui è ludo, atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est? qui extrema pueritia miles fuit summi Imperatoris? Ineunte adolescentia, maximi ipse exercitus Imperator? qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico decertauit? plura bella gessit, quam alij legerunt? plures prouincias confecit, quàm alij concupiuerunt? Cuius adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperijs: non offensionibus belli, sed victorijs: non stipendijs, sed triumphis est traducta? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reip. Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex ciuitatibus, atq; ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale, varia, & dispersa genera, & bellorum, & hostium non solum gesta ab hoc vno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in vlu militari positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Iam verò virtuti Cnei Pompeij, quæ potest par oratio inueniri? quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum possit afferre. Neq; enim illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgò existimantur, labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo, quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in reliquis Imperatoribus, quos aut audiuimus, aut vidimus, non fuerunt. Testis est, &c. De Cæsaris bellica peritia, vide Sueton. 37.

Laus à varijs artibus & scientijs.

In qua delineantur primis veluti apicibus capita, quibus scientiæ, & virtutes commendari solent.

Grammaticus.

DE laude Grammaticæ legendus Capella lib. 3. Diomedes in epist. ad Athanasium. Diodorus lib. 12. in Charondæ legibus. C. Suet. de illustribus Grammaticis, & de Criticis. Mercur. 6. variar. cap. 19.

In Grammatico verò primùm laudabuntur inuenta, si quæ in literarum figuris, potestate, vocum significatione, nominum expositione prudenter excogitarit. *Grammaticalium.*

Secundò, documenta, si viua voce, si scriptis, si vsu, & consuetudine hominum docuerit linguas, literas, authores.

Tertiò, si quam purè loquatur, & scribat.

Quartò, si linguas multas, si præstantes, vt Hebraicam, Græcam, Latinam calleat.

Quintò, si subtiliter etymologias arcessat à fontibus, ambiguas, & obscuras, magna ingenij dexteritate illustret.

Sextò, si profunda in eo historicorum, & poetarum lectio; si subtilitas in interrogando, alacritas in disputando, prudentia in interpretando. Grammatica enim, vt ait Philo, libr. de Cherub. ποιητικὴν ἐρευνῶσα, καὶ παλαιῶν πράξεων ἱστορίας μεταδιώκουσα.

Laus Rhetoris, siue Oratoris.

PHilo eodem libro de Cherub, paucis omnem vim Rhetoricæ complexus est: ῥητορικὴ δὲ τὰς τῶν ἑκάστοις δεινότητας ἀρετὰς ὅσα, καὶ πᾶσαν τὴν πρέπουσαν ἑρμηνείαν ἐφαρμόζουσα, τοὺς τε περιπαθήτεις, καὶ ἐμπαλιν ἀνέπτεις, καὶ ἡδονὰς, καὶ ὠμυλίας, καὶ τὰς περὶ γλῶτταν, καὶ τὰ φαινόμενα τέχνια ὄργανα ὑπαγορίας περιποιοῦσα. *Rhetorica quid? ex Philone.*

Explorat vim omnem dicendi, & vnicuique argumento propriam accommodat elocutionem: præterea contentiones, & affectus vehementissimos, & remissiones, & suauitates, & delicatos lepores, & pronuntiationis artificium dispensat.

Laudabitur ergo Rhetor à partium enu-

meratione Rhetorices, & in omnibus absolutus ostendetur.

Primò, si eius inuentio sit fœcunda, solers, ingeniosa, hominum sensibus accommodata.

Secundò, si dispositio apta, prudens, clara.

Tertiò, si elocutio pura, elegans, perspicua, culta, venusta, plena, mollis, florida, suauis, incitata, grauis, omni denique verborum ornatu, & sententiarum grauitate affluens.

Quartò, si pronuntiatio elegans, venusta, decens.

Quintò, si memoria felix, firma, diuturna.

Sextò, si doceat, scribat, declamet, oret, concionetur, deliberet, legatione fungatur cum dignitate, dexteritate, facilitate, grauitate, prudentia, felicitate.

Septimò, si in certaminibus eloquentiæ fuerit coronatus, ad summum si moneat, persuadeat, flectat, impellat, in animis hominum regnet, & dominetur.

Extat præclara laus viri eloquentis apud Lucanum, in poëmatio, ad Calphurnium Pisonem v. 43. Item apud Ouidium l. 2. de Ponto, Eleg. 5. ad Solanum. Apud Plinium Iuniorem l. 2. ep. 3. Apud Senecam in controuersijs de Crasso Seuero in præfatione. l. 3. apud Synesium in Dione.

Ausonius in actione gratiarũ ad Gratianum Imperatorem. Pronuntiatio commoda.

Nonnulla complexus est Ausonius ad Gratianum his verbis; *Quis aut dicenda* prudentius cogitauit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expediuit?

Deinde, quis tenor vocis, cum incitata pronuntias, quæ inflexio cum remissa, quæ temperatio cum vtraque dispensas? Quis Oratorum læta, iucundius; facunda, cultius; pugnantia, densius, aut densata glomeratius dixit, aut quod est liberum, cogitauit? Veliem si rerum natura pateretur, Xenophon Attice in nostrum æuum venires, tu qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius, quam historiam commodasti, cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videbas, sed optabas.

* * *

Laus Poëtæ.

Capita.

LEgendus est Cornelij Taciti, siue Fabij Quintiliani dialogus, qui multa habet pro Poësi, & contra Poësin. Item Sil. Italic. sub finem lib. 11. Anthol. l. 1. ἐρ'. ἐις ποιητὰς. Luciani Genethliacon, apud Statium Floridus, l. 3. succis. c. 7. in obtrectatores Poëtarum.

Poesis quid?

Poëticè dicitur à Maximo Tyrio, Orat. 28. φιλοσοφία τῷ μὲ χρονῳ παλαιὰ, τῇ δὲ ἁρμονία, ἔμμετρος, τῇ δὲ γνώμῃ μυθολογικὴ; *Philosophia tempore vetusta, consonantia metrica, argumento fabulosa.*

Laudatur Poëta, primum si varijs linguis scribit; Græcè, Latinè, Gallicè; si omnia poematum genera, vt epigrammata, elegias, odas, comœdias, tragœdias, satyras heroica.

Secundò, si ingeniosus, acutus, grauis, suauis, perspicuus, si seruat in rebus spiritum, proprietatem & elegantiam in verbis, decorum in actionibus.

Tertiò, si recitat, docet, scribit, mouet, delectat.

Quartò, si præmijs nobilitatus fuerit, dignitate, statua, corona, obsequijs, hymnis, sepulchro, & cæteris honoribus, quibus affecti veteres poëtæ leguntur.

Laus Philosophi.

PHilosophiæ laudem paucis complectitur M. Tullius, Tuscul. 5. sect. 5. Martianus verò Capella descriptionem habet Dialecticæ, lib. 4. vbi depingitur acri visu, & vibrantibus continua mobilitate luminibus, crinibus tortuosis, sub pallio viperinas insidias occultans.

Inter Poëtas Claudianus, in consulatu Mallij Theodorici, vers. 60. locum pertexuit insignem de laude philosophi. Item C. Sidonius Apollinaris, in Panegyrico Antemij, vers. 18.

Ad has quoque laudationes faces præferunt, qui Philosophorum laudes, & vitas conscripserunt, vt Eunapius Sardianus Antistitis Idolorum filius, Porphyrius, Sotio, Philostratus Lemnius, Ammonius Ægyptius, Dion Pythinius, Diogenes Laërtius, & Luciani Demonax.

In Logico igitur obiter commendabitur subtilitas in inueniendo, in dicendo perspicuitas, in disputando vis.

Lau-

Laudabitur Physicus, si inuenerit causas, effectus, res, rationes, regiones, & cætera, quibus vitæ ciuili decus, & vtilitas conciliari possit.

Secundò, si res omnes naturales, cœlum, ignem, aerem, aquam, terram, meteora, stirpes, arbores, herbas, animalia, eorumque affectus, figuram, proprietates, lineamenta, staturam complexus fuerit.

Tertiò, si in Physicis mechanicis sit versatus, vel si salinarius, hydraulicus, aquilegus, fluminum derivator.

Quartò, si naturali scientia, in medicis, bellicis, politicis, rusticis, nauticis, architectonicis, ludicris, theatris, vtiliter, fœliciterque vtatur.

Ethici verò partes sunt, de summo bono philosophari, vitia, & virtutes suis coloribus depingere, definire, distinguere, mederi affectibus, mores instituere, salubertimis præceptis vitam regere.

Laus Medici.

Ad laudem Medicinæ in genere præstat legere vitam Galeni, ex Iulio Alexandrino collectam, Andream Tiraq. in commentarijs de nobilitate, Antonium Gueuaram, in epist. ad Doctorem Melgarim Brissonium. Sunt multa Medico cum Physico communia, sed præterea laudatur medicus, si quid inuenerit in medicinæ inquisitione, ratiocinatione, obseruatione.

Secundò, si excellat, rem anatomicam cognoscendo, dispensando medicamenta, prædicendo, medendo, curando, &c.

Laudem, & conditiones *Iurisperiti*, vide l. 11.

Laus Mathematici.

DE Mathematicis disciplinis dixit Augustinus lib. de ordine: *quas multi sancti nesciunt quidem, & qui etiam sciunt eas, sancti non sunt.* Constat tamen si legitimè tractentur, earum dignitatem, & vtilitatem permagnam esse. His suffragantur Timæus Platonis, Aristoteles multis in locis, Alcinous in Isagoge ad doctrinam Platonis. Quin Plutarchus commemorabilem sententiam Platonis notat, θεὸν μᾶλλον πάντων γεωμετρεῖν.

Laudabitur Mathematicus, si musicam, perspectiuam, mechanicam, cosmographiam, geometriam calleat.

Secundò, si in astrologicis sit bene versatus, aliqua inuenerit, docuerit, scripserit.

Tertiò, si cœli motus, astrorum cursus, & conuersiones, annos, bissextum, solstitia, eclipses, plenilunia, festos dies, recta ratione indaget, aperiat, explicet.

Quartò, si astronomia feliciter, & vtiliter in vita ciuili vtatur, si non sit Genethliacus, iudiciarius, prognosticus, Criticus, Chaldæus.

Deijs intelligendis Tertull. Expelluntur Mathematici, sicut & Angeli eorum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi.

Quintò, si tempestates futuras, vbertatem, fertilitatem, celebritatem loci prædicat.

Sextò, si Arithmeticam probè teneat, nonnihil inuenerit, communicarit, eadem in temporum distributionibus, supputationibus, disciplinis, contractibus, mercimonijs, tributis bene vtatur, &c.

Laus Musici.

EXtat apud Cassiodorum libr. 2. variar. 40. ad Boëtium Patritium præclara laus Musicæ. Item apud Martianum Capellam l. 9.

Laudatur Musicus ab effectis, si musicam inuentis, exemplis, scriptis illustrarit, certarit, in publicis certaminibus coronatus fuerit.

Secundò, si fidicen, citharœdus, lyrista, tibicen, Chorauta, tubicen.

Tertiò si in sacris, in honestis spectaculis, in prælio, cum laude cantarit.

Si musica memoriam firmarit, studia graniora lenierit, agrestes cicurarit, pietatem, & cultum Dei promouerit, castitatem fuerit tutatus, temperantiæ consuluerit, ad fortitudinem incitarit, ad prælium animarit, iram sopierit, tristitiæ nubem discusserit, &c.

Laus Theologi.

IN apice scientiarum sedet Theologia, quæ propius solem æternum respicit: vera sapientia, præ cuius luce profanæ scientiæ nihil aliud videntur, quàm marcescentes vanitates, vt appellantur à D. Ambrosio, Hexam. l. 6.

Exemplar laudibus huiusmodi esse poterit, quod habet D. Greg. Nazianz. in oratione funebri S. Basilij, vbi eius sapientiam excellenti stylo commendat. Paucis, & byssinis verbis S. Augustini laudem complexus est Volusianus. *Legi deest, quicquid ab Augustino contigerit ignorari.*

Ab ea fic commendatur Theologus. Primò, si librorum sacrorum, si patrum orthodoxo-

rum, & decretorum Ecclesiæ accuratam cognitionem habeat.

Secundò, si prudenter, piè, feliciter interpretetur, viua voce, scriptis commentarijs, concionibus.

Tertiò, si sublimes quæstiones de Deo, Angelis, & Christianæ religionis mysterijs, quæ ad scholasticam attinent, disertè, subtiliter, sanctè, grauiter enucleet.

Quartò, si Theologiam, quam moralem vocant, de actionibus Christianis licitis, vel illicitis, partim vi iudicij, partim longa lectione fuerit complexus, si in huiusmodi quæstionibus discutiendis solers sit, & prudens, &c.

Laus pietatis.

A Scientia ad virtutes transeo. Primum locum obtinet pietas, de qua Synesius in libro ad Imperatorem Arcadium, de regno.

Ευσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω, κρηπὶς ἀσφαλὴς ἐφ' ἧς ἑστήξει τὰ ἄγαλμα ἔμπαλιν. Hæc basis firma est, cui imperij, & vitæ priuatæ simulachrum insistit.

Pietatis partes & numera.

Vt est autem cultus erga Deum, huius partes sunt amor Dei, timor, & honor, testatus fide, spe, charitate, & officijs iustitiæ Christianæ.

Secundò, hæreseos odium, zelus propagandæ religionis Christianæ.

Tertiò, preces, supplicationes, orationes religiosæ, cum frequentia, constantia, perseuerantia, vehementia, feruore, ardore.

Quartò, gratianimi significatio erga Deum, votiua, vel libera, corporis voluntaria afflictatio, castitas, paupertas, obedientia, peregrinatio religiosa, honores Ecclesiasticis habiti, librorum sacrorum, templorum, imaginum cultus, &c.

Ausonius in actione gratiarum ad Imperatorem Gratianum.

Nonnulla attigit Ausonius ad Gratianum. Nullum quidem diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, & voti reus, & illicò absolutus egisti, lotis manibus, mente pura, immaculabili conscientia, & quod in paucis est, cogitatione syncera (inde castitas Imperatoris) Operto conclauis tui, non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec puluinar flaminis tam pudicum.

Addit de modestia. Cuius vnquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior.

Laus prudentiæ.

PRudentia, quæ à Synesio ἁπασῶν ἀρετῶν βασιλικωτέρα dicitur, ab Aristotele definitur, ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς, κατὰ ἀγαθὰ ἀνθρώπινα, ἢ κατὰ πρακτική. Habitus cum recta ratione, in bonis, malisque actiuus.

Octo virtutes in prudentia comitatu diligenter notanda.

Laudabuntur in prudente octo virtutes administræ prudentiæ, memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio, prouidentia, circumspectio, cautio.

Memoria, est cognitio rerum præteritarum.

Intelligentia præsentium.

Docilitas notitia per institutionem comparata.

Solertia, quæ est ingenij in inueniendo, & conijciendo sagacitas.

Ratio, quæ argumentatione, & ratiocinatione concluditur.

Prouidentia, est ipsa dispositio rerum ad finem consequendum idonearum.

Circumspectio, est ad circunstantias rei ipsius, de qua agitur, attentio.

Cautio denique, molitio quædam mentis, aduersus ea, quæ sese obijciunt, impedimenta.

Et hæc de ipsa virtute considerantur.

Quod verò ad obiecta pertinet, vel est in rebus priuatis, circa coniugem, sobolem, fortunas, rei familiaris administrationem, in venditionibus, emptionibus, commutationibus, locationibus, ære alieno dissoluendo, diuitijs conseruandis.

Vel in publicis extra bellum, in legibus ferendis, non ferendis, abrogandis, seditionibus comprimendis, conseruandis ciuitatibus, reconciliandis, tributis, vectigalibus, iudicijs disponendis.

In militia, in bellis suscipiendis, non suscipiendis, tempore, loco, rei gerendæ modo, captandis, occultandis suis consilijs, hostilibus detegendis, eludendis, militibus deligendis, exercendis, animandis, parandis armis, vasis, machinis, impedimentis, classibus, commeatibus, stipendijs, acie instruenda, pugna pugnanda, victoria moderanda. Attigit nonnulla Plinius in Traiano.

Hoc veri Principis atque etiam Consulis reconciliare æmulas ciuitates, tumentesque Populos non Imperio magis, quam ratione compes-

compescere. Intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere quicquid fieri non oportuit. Postremò velocissimi syderis instar, omnia inuisere, omnia audire, *& vndecunque inuocatum statim velut numen adesse*; Talia esse crediderim, quæ ipse mundi parẽs temperat nutu, si quando oculos dimisit in terras, & facta mortalium inter diuina opera numerare dignatus est, quibus nunc per te liber, solutusque cœlo tantùm vacat, postquam te dedit, qui erga hominum genus vice sua fungereris: fungeris enim, sufficisque mandatis, cum tibi dies omnis summa cum vtilitate nostra, cum tua laude condonatur.

Laus actionum, & laboris, in tuenda republ.

Latinus Pacatus in panegyri Constantini.

LAtinus Pacatus virum egregijs districtum negotijs sic effert laudibus.

Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem, vestra natura est, vt indefessa vertigo cœlum rotat, vt maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit, ita tu Imperator continuatis negotijs, & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es.

Laus Iustitiæ.

Iust. facies aurea.

MAgna imprimis iustitiæ veneratio, nec immeritò βωμὸν, αἰδέσαι δίκας, monet Argentarius Anthol. l. 4. cuius faciem auream, & aureos oculos fecit Pindarus apud Athenæum lib. 12.

Iustitia encomiũ.

Hæc certè, (vt ait Cyprianus, li. 12. de abusionibus) est pax populorum, tu tamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, de cuius laude scripsit Libanius Oratione singulari, & præclara habet Tull. lib. 2. Officiorum sect. 39 & 40.

Est autem virtus vnicuique suũ tribuens, quæ in tres partes diuiditur: Vna naturalis est, quam ab ipsa natura accepimus; altera legitima, quæ est ex constitutione Principis, aut populi authoritate sancita; tertia posita est in consuetudine, quæ ius continet, sine lege propter antiquitatis obseruantiam vsitatum.

Iustitiæ partes & laudationis capita.

Iustitia naturalis in sex quoque partes distribuitur: Prima est religio, iustitia erga Deum; & vis quædam menti insita, quæ Dei metu, & sacrorum ceremonijs hominem regit. Δικαιοσύνης τὸ κάλλιστον ἐν τῇ πρὸς θεοὺς εὐσεβείᾳ, inquit Porphyrius, lib. de abstinentia à carnibus.

Secunda pietas, Iustitia, quà Deo, patriæ, parentibus, amicis, affinibus, diligens cultus, ac debita redditur obseruantia, & charitas.

Tertia, gratia officiorum bonorum, amicitiarum memoria, & remuneratio.

Quarta, vindicatio, qua iustitia vim, aut contumeliam defendendo propulsat, aut in scelera animaduertit.

Quinta, obseruantia, & veneratio maiorum, vt sacerdotum, & senum.

Sexta, veritas, in dictis, simplicitas, & fides.

Partes iustitiæ sunt, maximè eius, quæ in vindicando, & defendendo posita est, iustos & insontes tueri; iniustos, & noxios persequi: accusando, deferendo, cognoscendo, inquirendo, damnando, supplicijs afficiendo: Acta, contractus, leges, decreta publica, pacta iusta sancire, & sancita defendere, iniusta rescindere, antiquare, abrogare, fœnus iniustum tollere, res, & fortunas legitimis dominis reddere, nummos adulterinos tollere, mensuras, & pondera æquare, iustam distributionem facere, dignis digna tribuere, fidem seruare patriæ, principi, magistratibus, popularibus, ciuibus, externis, domesticis, hostibus, gratiam benemeritis referre.

Laus fortitudinis.

FOrtitudo murus est Semiramidis, quo vita aduersus tot impendentes malorum procellas munitur.

Duris, vt ilex tunsa bipennibus.
Nigræ feracis frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Pati quidem.

Et hoc putat esse pati, quod καθαίρειν φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν, vt ait Nazianz. in tetrastichis.

Est autem virtus, qua res mortiferas, ὅσα ἀναιρετικὰ, mortemque ipsam contemnimus.

Fortitudinis quatuor sunt species, quarum splendor est maximus, magnanimitas, fiducia, patientia, perseuerantia.

Magnanimitas est exaggerata animi quædam moderatio, qua res magnas & aggredimur, & administramus.

Fiducia est, per quam magnis, & honestis

rebus animus multum in se latere præsidij, Deo semper auspice existimat.

Patientia est rerum aduersarum honestatis causa, perpessio voluntaria, & diuturna.

Perseuerantia est continuus vitæ tenor in rebus honestis, & magnis.

Partes igitur fortitudinis sunt, moderatio in vtraque fortuna; aggressio rerum periculosarum, vt hostium, latronum, ferarum, incendionum, &c. defensio vrbium, armorum, vexillorum, &c. tolerantia animi molestiæ, dolorum corporis, inediæ, sitis, morbi, laboris, algoris, vulnerum, verberum, tormentorum, ignium, paupertatis, ignominiæ, naufragiorum, &c.

Laus Temperantiæ.

FRænum porro aureum temperantia, quę ἐν τῇ τῶν αἰσθήσεων πολυφωνίᾳ πρέχει νήφοντα νοῦν. Est enim rationis in libidinem, atque in alios non rectos, animi impetus, firma, ac moderata dominatio.

Temperantiæ partes tres sunt, continentia, clementia, & modestia.

Continentia est, qua ratione, & consilio continentur cupiditates.

Clementia, lenitas in puniendo.

Modestia est pudor honestus, & in honoribus moderatio.

Huius igitur munus est, frænare cupiditates, maximè venerem, linguam, gulam, iram: frugalitatem, & sobrietatem exercere in cibo, potuque, abstinentiam à cupedijs, & opiparis condimentis, alios præterea ad temperantiam incitare verbis, exemplo, legislatione, interdicto, frui temperantiæ commodis, flore, & integritate corporis, suauitate castimoniæ, declinare prauas consuetudines, libros obscœnos, cantiones, imagines, spectacula impudica, integrum castimoniæ florem tueri, studio literarum, labore corporis, abstinentia, siti, inedia, modesto vestitu, fuga, & latebris.

Nonnulla assequutus est Latinus Pacatus, insignis orator, in Panegyrico Theodosij.

An quis ferret moleste, ad Principis senis modum coerceri? aut substractum doleret sibi de priuata luxuria, cùm videret Imperatorem rerum potientem, terrarum, hominumque dominum, parcè, contenteque viuentem, modico, & castrensi cibo ieiunia longa solantem? Ad hæc aulam omnem Spartanis gymnasijs duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem neminem inueniri, qui auderet ad penum regium flagitare, remotorum litorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem, & cætera planè egregia.

Tandem addit: Tuæ, Imperator, epulæ mensis communibus parciores locorum, ac temporum fructibus instruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inoleuit, & quiescentibus legum sumptuariarum minis, subit quandoque priuatim sui pœnitentia.

Laus Clementiæ.

CLementia Dei natura est, virtus vna ex omnibus maximè amabilis, in cuius cōmendationem extat pręclara Themistij oratio, de humanitate Theodosij Imperatoris, habita in Senatu. *Clementia Dei natura.*

Nonnulla item attigit Chrysost. in orat. Flauiani, homil. 20. ad populum Antiochenum.

Multa quoque, & præclara habet Claudianus in Panegyri Manlij Theodorici, iuxta vers. 210.

Sed quis artifex laudem clementiæ melius tyrones docebit quam M. Tullius orat. pro M. Marcell. nu. 8.

Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, vt vinci possent, habebant.

Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique possit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem: hæc qui facit, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.

Hanc eandem virtutem egregiè laudat Aristides in panegyrico Marci Aurelij Antonini vbi ait;

Ημερότητι, καὶ ἐπιεικείᾳ διενήνοχεν ἁπάντων βασιλέων. ὥστε μικρὸν μὲν οἷα πατὴρ, μικρὸν δὲ οἷα ποιμὴν τῶν ἄλλων εἰπεῖν εἶναι.

Laus

Laus Liberalitatis.

Liberalitas.

LIberalitatis, & munificentię splendor est maximus: est enim, vt verbis Nicetæ vtar, ἐλέοις ἄβυσσος καὶ θάλμοσα φιλοδωρίαι. Laudatur autem ab effectis, in quibus considerantur & ea, quæ erogantur, & ij, in quos erogantur. Elucet igitur magnificentia in vrbibus condendis, reparandis, in aquarum, fluminum, lacuum deriuationibus, expurgationibus, in templis, monasterijs, xenodochijs, scholis, gymnasijs extruendis, theatris, amphiteatris, circis, vijs publicis muniendis, sternendis, incidendis, in pontibus, arcibus, turribus, vallis, mœnibus, aggeribus, in porticibus, balneis, thermis, viuarijs, hortis, bibliothecis, in ærarijs, portubus, naualibus, horreis, cellis, aquæ ductibus, puteis; in armis, machinis, vestimentis, pompis, ludis, nuptijs, conuiuijs, in quibus nimis plerumque munifici sunt homines.

In sepulchris, aris, baptisterijs, sacra suppellectile; imaginibus, picturis, obeliscis, colossis. Liberalitas non æque sumptum facit ac munificentia: liberalitatis tamen est dare alimenta, agros, domos, pecunias, vestes stragulas, libros, vasa, vectigalia, reditus, decimas, primitias, priuilegia varia, religiosis, pauperibus, orphanis, amicis, hostibus, exulibus, captiuis, viris litteratis.

Humilitas ab vno Ethnicorum Antisthene habita est pro summo bono.

Humilitatem Rhetores, & Philosophi prisci vix agnouerunt; quanquam Theodoretus in oratione de fine & iudicio refert Antisthenem summum bonum posuisse in ἀτυφία, quo nomine rectè designatur humilis.

Huius partes sunt sacerdotia, dignitates, regna, imperia, vestitus honorificos, triumphos, trophæa, statuas, imagines, titulos, elogia magnifica negligere, honores declinare, quod multi fecerunt latebris, fuga, morbi prætextu, mutilatione: Item de se demissè sentire, loqui, ad seruilia munia se abijcere.

Et hæc de laudibus personæ secundum virtutes animi, & corporis satis.

Humilitatis partes.

Vituperatio ex contrarijs, vt apparet, locis petitur, nec alijs, aut plenioribus indiget præceptis. Tantum illud prudentes oratores obseruant, vt ad vituperandum necessitate potius ducti, quàm sua natura incitati videantur. Deindè, vt à maledictis triuialibus abstineant: Tertiò vt nihil conuitiorum temerè effundant, sed quicquid dixerint, certis addicant rationibus.

Nam improbum, & perfidum, & impium, & cætera id genus aliquem dicere, nihil verò demonstrare, rixari est, muliercularum, aut puerorum more, quod rectè norauit Demosthenes Olynthiaca secunda, τὸ μὲν οὖν ἐπίσκοπον καὶ ἄπιστον καλεῖν ἄνευ τοῦ τὰ πεπραγμένα δεικνύναι, λοιδορίαν εἶναί τις ἂν φήσει κενὴν δικαίως. τοῦ δὲ πάνθ' ὅσα πώποτ' ἔπραξε διεξιόντα, ἐφ' ἅπασι τούτοις ἐλέγχειν, καὶ βραχέος λόγου συμβαίνει δεῖσθαι. καὶ δυοῖν ἕνεκα ἡ γοῦμαι συμφέρειν εἰρῆσθαι. Nūc quoniam hoc ipso loco nobilissimi Rhetores tradunt Panegyricarum, nuptialium, natalitiarum denique orationum methodum, hanc ex Dionisio Halicarnass. subijciam.

ARS PANEGYRICORVM, *Nuptialium, & natalitiarum Orationum.*

Ex Dionysio Halicarnassensi, De Panegyri.

Græca incipiunt πανήγυρις εὕρημα μὲν καὶ: *quæ quoniam nihil ad elegantiam faciunt, omittemus; ea tantum indicantes, quæ signanter in auctore dicta fuerint.*

Oeconomia, & distributio.

CAPVT VIII.

Panegyris quid?

IN præfatione ostendit, quid sit panegyris, & quæ eius inuentio. Ait esse, εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν εἰς ἀνάπαυσιν τῶν περὶ τὸν βίον μειζόνων παραδιδομένην. Propiè aūt Panegyres dici celebres cōuētus, & ludos, quorum finis τέρψις, καὶ ψυγαγωγία. Addit Athletas, & Musicos, Μουσῶν καὶ Απόλλωνος ὀπαδοὺς ornare Panegyres, sed maximè viros doctos, & eloquentes: deinde ad præcepta delabitur.

Panegyricæ orationis methodus.

Primò, Dij panegyris præsides laudandi, & hoc est, inquit, προσωπεῖον τῆς τοῦ γὲς προκείμενον, τοῦ λόγου, sed istæ falsorum numinum laudationes longè à Christianis exulent, qui speciosissima in Deo, & sanctis nacti sunt argumenta. Plenus est autem Aristides harum laudationum exemplis, è quibus imitatio

tatio ad sanctiora argumenta traduci poterit.

Secundò, De vrbis laudibus in istis veterum panegyricis tractabatur. Quomodo autem vrbs laudanda sit, hoc infertus doceo plenius.

Tertiò, De certamine, & ludis dicebatur, cuius laudationis capita sunt. Ortus, comparatio cum alijs certaminibus, tempus certaminis, seu anni tempestas, qua celebratur. Variæ eius species, Coronæ victoribus tributæ, vt quercus, oliua, laurus, pinus.

Quintò, Laudantur principes, & panegyris auctores.

Sextò, Elocutio panegyricorum non debet esse μονότροπος, sed ποικίλη καὶ πεπυκνωμένη, & valde figurata, in qua sint διηρημέναι distributiones, ac παραβολαὶ καὶ συγκρίσεις.

Panegyris inuentores.

non secus ac Ascræus pastor ab eisdem in Helicone poesim est consecutus. Age itaque cum huiusmodi arte orationes sequere. Deus etenim vniuersæ, quæcunque sit, panegyris aliquo modo præses, & eiusmodi est nominis: vt, Olympiorum, Olympius Iupiter: eius autem quod in Pythijs fit certaminis, Apollo. Principium igitur huiusmodi orationis, quæcumque fuerit, laus Dei nobis sit, tanquam vultus, seu persona quædam splendida in sermonis initio posita, atque constituta. Laudandi autem exordium, ab ijs, quæ Deo insunt, eique attribuuntur, prout res copiam suppeditant, sumes. Siquidem Iupiter fuerit, adducendum erit, deorum Regem, rerumque omnium opificem esse: Si verò Apollo, multices inuentorem extitisse, & eundem esse cum Sole: Solem autem omnium omnibus bonorum auctorem. Præterea si Hercules erit, Iouis esse filium: & ea quæ mortalium vitæ præbuit, connumerabis. Et locus fermè complebitur ex ijs, quæ quilibet aut inuenerit, aut hominibus tradiderit. Verum hæc breuibus narrabis: ne præcedens oratio sequenti maior euadere videatur.

Sol auctor bonorum.

Deinceps vrbis laudes, in qua publicus conuentus celebratur, vel à situ, vel ab ipsius ortu, recensere oportebit, in quo sane, qui Deus, aut heros eius conditor extiterit, aut si aliquid habebis, quod de eo in medium possis afferre: si quid videlicet ab eo, vrbi præclarum, vel bello, vel pace gestum fuerit, commemorabis. Congruet etiam de magnitudine, si ampla, vel parua sit, aliquid dicere: quòd pulchritudine excellit, quod licet parua, potentia tamen cum amplissimis est adæquata. Deinde quæcunque ad templorum, aut in his additamentorum, seu donariorum, publicorum, priuatorumque ædificiorum ornamentum attinent, non erunt silentio prætereunda: quemadmodum Herodotus quodam in loco, quinque, & sex tabulatorũ ædificia Babyloni esse dicit. Si fluuius sit magnus, si purus, & nitidus, vel regionem incolentibus vtilis. Si itidem aliqua fuerit fabula, quæ de ciuitate prædicetur. Hoc pacto multum suauitatis, plurimum leporis, atque dulcedinis habebit oratio. Ad hæc de ipso certamine dicendum erit, quodnam habuerit initium, quæ ipsius fuerit constitutio, vel quam ob causam positum, dedicatumque sit. Si aliqua sit fabula, vel aliquid aliud priscum, horum nihil erit omittendum. Ad id verò cum vene-

Vrbis laus.

De Panegyri sic Antimachus.

Ex versione Antimachi emendata.

PAnegyris, solennis scilicet quinquennalium ludorum celebritas, siue conuentus, est inuentum, & donum Deorum, ad requiem maiorum rerum, quæ ad vitam attinent, tradita (sicuti quodam in loco, inquit Plato) cum Dij humanum genus ad laborem natum miserati essent. Coacti autem fuerunt à sapientissimis hominibus conuentus, & à ciuitatibus publicè communi decreto, adæficiendos, recreandosque animos, ac ad oblectationem, atque solatium spectantium constituti. Tributus verò ad hos mutuo celebrandos est à diuitibus suppeditandarum quidem pecuniarum sumptus, à principibus circa hoc ornatus ad magnificentiam apparatus, rerumque ad id commodarum opulentia. Panegyrim athletæ corporum robore ornant plurimum: & musarum, ac Apollinis assectatores musica, qua sunt exculti. At virum, qui in literarum, & eloquentiæ studijs versatus fuerit, ac vniuersum vitæ tempus in eis consumpserit, atque contriuerit, in ornanda panegyri ita se gerere oportet, ac tanto inniti artificio, vti eius oratio à vulgari dicendi ratione abhorreat.

Age igitur, ô Echecrates, ad hoc tanquam duces viæ nequaquam tritæ, nec à multis tentatæ facti, explicemus tibi ea, quæ olim à nostratis sapientiæ Parentibus nobis tradita accepimus: illi verò, & illorum etiam superiores, à Mercurio, & à Musis habuisse dixerunt:

veneris, non erit locus simpliciter transeundi: sed cum alijs certaminibus oportebit hoc comparare. Nam id tibi suppeditabit dicendi copiam. Et hoc modo augebis orationem, vt ab anni partibus comparans. Si quidem veris tempore agatur, explicandum erit agi in maxima temperie caloris, & frigoris: si in hieme, in validissimo, atque acerrimo (vt quispiam dixerit) tempore celebrari: si in æstate, ad exercitationem, contemplationemq; spectatorum constitutum esse, & voluntatis indicium, atque probationem existere, & deficientibus athletis spectatores decertare debere. Poteris etiam autumnum a fructuum collectione, seu conseruatione, non parum laudare: & ab eo quod iam homines a laboribus cessent, atque quiescant. Deinde considerandum erit, quomodo sint disposita certamina. Etenim si musicum, & gymnicum sit, planè perfectum esse, in eoq; nihil deesse, & sine aliquo defectu, corporum robore, vocum concētu, ac reliquis musicæ partibus temperatum, existere. Si autem gymnicum sit, musicam tāquam animum mollientem, atque effeminantem abdicasse, corporum verò robur sumpsisse, atque retinuisse: & sollicitudinis, & angoris modum ad fortitudinem, qua in bellis opus est, comparandam conferre plurimum.

Coronam præterea, quæcunque sit, ne silentio negligenter prætereas. Non enim cum in hac re peragenda versaberis, tibi laudes deerunt. Nam si quercum laudare contigerit, eam Ioui sacram dices, & primum, atque antiquissimum fuisse hominibus cibum, & nequaquam mutam, aut elinguem: quippe quæ in Dodona si aliquando locuta. Si autem oliua fuerit celebrando, Palladi dicatam, laborum medelam, ex hac planta antiquos erexisse, dedicasseque trophea; hanc arborem esse signum, & notam victoriæ; Pallademq; cum superasset Neptunum, hac prima coronatam fuisse differes: & tandem certantibus esse familiarissimam: athletarum enim certamina per oleum conficiuntur: nec non orationi sociam existere, eique multum suffragari, qua publici conuentus exornantur. Laurum quoque pari ratione laudibus efferes, dum Apollini sacram, plantamque vatibus dedicatam dices: in qua planè laudanda, si Daphnes fabulam attingere volueris, non vtique alienum, nec absurdum videbitur. Similiter etiam, si quid aliud affuerit; vt Cereris fructus: vel pinus, circa vnumquodque istorum te poteris diffundere. Nec illud erit extra magnificentiam, & gloriam, si certaminis coronam cum reliquorum certaminum coronis comparandam duxeris.

Quercus Ioui sacra.

Regis verò laus, à te veluti totius orationis fastigium, inducatur, apponaturque; & quod verè omnium certaminum præses, qui pacem tuetur, propter quam certamina persici queunt. Nonnulli etiam illos, qui ludos disponunt, laudibus prosequuti sunt: siquidem hi gloria insignes sint, quod alijs antè in rebus vtiles fuerint, at in his splendidissimi, atq; ornatissimi reperti sint. Si verò nulla habeas antiquorum, quæ in medium possis afferre, explicandum erit principium gloriæ, quæ ad patriam pertineat, esse maximum, & Græcorum generi maximè innatum. Reliqua elocutio sit, vt vniuscuiusque natura, & voluntas postulat.

Regis laus panegyris fastigium.

Verùm si in dicendo præstare oportet, atque antecellere, (vt quod sentio dicam ingenuè) nunquam auctor fuerim, vti eiusmodi elocutio sit vnius tantummodi, sed varia simul, & mista: & alia sint simplicitate excurrentia, alia oppositis, & Isocolis Isocratis respondentia, alia autem distributionibus expressa.

Scio enim nostratis chori ducem, & præsultorem hanc viam, vel in pluribus (vt ita dicam) sectatum fuisse: nisi quidpiam in aliquo præcipuo genere scribere proposuisset. Cuiusque autem formæ dicendi, materia videtur facultatem præbere. Verum ijs, quæ excogitaueris, oportet etiam consequentem, & congruam elocutionem inducere: quemadmodum narrationes, & aliquid fabulæ habentia, simplici, & non fucata oratione opus est explicare. Quæcunque autem de Regibus, vel de Dijs optimis maximis litterarum monumentis mandare volueris, ac cum venustate, sententiarum grauitate, & maiestate verborum dicenda erunt.

Quæ verò ad collationes, siue similitudines, nec non ad comparationes pertinent, vrbano sermone complecteris: nisi quispiam ad hoc, dignum aliquod orationis genus in omnibus præbuerit.

Illud tamen, quod prædictum est, habet plus ostentationis, & maiorem affert delectationem, atque voluptatem.

N. N.

πίσσα. Frigidè autem hic Antimachus

vel si fide non careas, Est in Græco οἷον οἱ ναρκοὶ ἀμηχανοῖ ἢ πίστεως.

Deinde ἐυπορήσεις δέ που καὶ περὶ τούτων ἐκάστου, ex quo apparet ἐυπορήσεις non referri ad πίστεως, puto legendum cum Sylburgio πίτυος, nam pinus, vt testatur Archias, præmium quoque fuit eorum certaminum.

Præcepta de oratione Nuptiali.

Ex Dionysio Halicarnassensi.

Similia fermè habet Menander Rhetor

Περὶ ἐπιθαλαμίων.

Oeconomia.

CAPVT IX.

EXordium officiosum ad amicum, in quo ad significandam gratulationem suam vsus est verbis, συγχορεύειν, καὶ ἀναβακχεύειν Bacchari dicuntur οἱ πεπληγότες, καὶ ῥητόρων ὀθούσιῶντες. Statius in epith. Stellæ,

Multumque pares baechamur ad aras.

Epithalamia, seu Nuptiales orationes vnde.

Primum argumentum, à Dijs (inquit) inuctoribus ducetur. Christiani tanto vberius habent hoc argumentum, quanto Dei nuptiarũ auctoris manifestas, laruas omnes falsorum numinum obscurat.

Secundum argumentũ, à natura, ipsiusq; vi, & in rebus omnibus progenerandis fœcunditate, qui locus à Statio pertextus est in epith. Stellæ, versu 182. μέγα ἡ λύσιν τὸ χάος εὐθὺς ὑποτηθρώσεις ἐὸ γαμβρὸν γάμῳ. Menander Rhet.

Tertium argumentum, honestas nuptiarum.

Quartum, effectus, quædam species immortalitatis. τὸ ἀνθρώπειον ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ γάμου γένεσιν ἀθάνατον.

Nuptiarum fructus, item Matrimonium.

Quintum argum. varia adiuncta, & vtilitates, quæ ex castis nuptijs proueniunt. Temperantia ex vagis thoris coercitis. Affectus prolixior erga patriam, ob maius vinculum necessitudinis. Miseriæ humanæ tolerabiliores ex societate. Voluptates ex eodem contubernio iucundiores. Propagatio familiarum, pagorum, vrbium, affinitases, & amicitiæ, vbi exempla fœlicium connubiorum afferenda.

Sexta pars, votum pro fœlicitate nuptiarum, & coniugum concordia. Omen, & præsagiũ de liberis futuris, ac eorum honesta educatione. Filij patrum ἐικόνες ἔμψυχοι. Exempla de claritate filiorum, & eorum gloria in parentes redundante erunt proferenda.

Septima pars, laus coniugum, quæ præcipua est totius operis, & in nobilium panegyricis cæteris præponenda. Afferuntur laudationis istius capita, de quibus supra dictum est liquidius.

Octauum, Vaticinium de excellentia filiorum. Character autem huius orationis debet esse simplici cura limatus ἀφελὴς & Xenophonteus.

Sic igitur ille.

MIhi profectò iucundum admodum fuisset, tuis non solum adesse, sed interesse nuptijs, ô carissimum caput: quo tecum simul chorum ducerem, tecum baccharer, & paulò post conficiendum matrimonium iterum, atque iterum laudibus extollerem, Hymenæũque (quem in nuptijs dici par est) canerem. Verum cum vinculum hoc, quod ad litterarum studia, ad præsentemque eruditionem attinet, nos inuicem separet, (abfit enim vt mente, affectu, & cogitationibus, quæ ad animorum coniunctionem spectant, vnquam seiungamur) idcirco habeas hoc à me tãquam aliquod munus, ad vsum, atque ornamentum nuptiarum, vt nec expers, nec ignarus sis eorum, quę de his dici consueuere: seu tu id apud teipsum seruare, siue alicui tanquam symbolum ad promerendam gratiam conferre volueris, fortè igitur & tu iam à iuuentutis initio huiusmodi orationem prolusisti, dum primam apud me Rhetoricorum viam ingressus, tum cæteris conscribendis, componendisque rhetoricis exercitationibus operam nauares, tum etiam ea quæ quæstiones vocantur, & ex his ea, quæ ad orationem de nuptijs pertinent, & cohortationem ad eiusmodi res studiose admodum persequereris. In illis enim, quæ præcipua sunt, hanc etiam imprimis materiam iuuenes ad scribendum delegunt, an sit vxor ducenda. Oratio autem, quam nunc in manibus habemus, in eiusmodi locutionum genere versatur: nec ab ijs, quibus in quæstionibus Deorum vti consueuimus, dissentire videtur: quod hi scilicet inuenere, ostendereque hominibus nuptias. Iupiter enim, & Iuno, primi coniungentes, & copulan-

Iupiter Pater. Iuno iuga

lantes. Proinde hic quidem omnium pater vocatur; illa vero, iuga nũcupatur, quod marito fœminam coniungat: & ab istis dijs reliquorum Deorum, qui in nuptijs celebratur, ac nuptiales, natalesq; appellantur, cœtus in mortalium vitam prodijt. Et nuptiæ sunt in causla, vt Dij isti ita nominentur, colantur, maximoque in honore habeantur. Nam absque nuptijs, neque horum Deorum cultus celebrationesq; ad homines petueniſſent. Deinceps orationem de natura oportet inducere, quod hoc ipsius est opus, generare scilicet, concipere, & partum ferre. Idque per omnia ipsius opera, & animalia, & plantas transire.

Nuptiarum laus.

Adducemus postea differentiam, quæ est in hominum cœtu, atq; Societate. quod alia sanè imprudenter, & temere miscẽtur, homo autem ordinem quendam matrimonij, & institutum inuenit, non vt gregatim ferarum more lasciuire cõcedat, sed qui duorum maximè commodorum coniũctionem, societatemq; per vniuersam vitam excogitauerit. In qua planè re commemoranda attinges, à fera, agreſtique, ac erratica vita discessisse, & ad humanum, mansuetum, ordinatumq; victum per matrimonium deductos fuisse. Et hominũ genus cum mortale sit, ex matrimonij coniunctione, atque Societate, propter cõtinuationis seriem, immortale effectum fuisse. Nam susceptione posterorum, veluti lumen accenditur: quod & posteritati per generationem hominis permanet, ac nunquã extinguitur. Ex hoc vtique symbolum optimum, non pecuniarum, aut possessionum, sed ipsius naturæ, & generis, non iniuria quispiã dixerit. Scrutaberis, & quæ res præterea post hæc, quot bona eis contingãt, qui vxores ducũt. Primum quidem, ad glorię existimationem, Nam temperantiæ fructũ, quæ nimirũ optima virtutis est pars, statim ab ipsis nuptijs assequi incipiunt. Matrimonium enim, continuò temperantes homines reddit: quoniam ij, qui ad id sese contulere, ab illegitimo, inordinatoque coitu liberati, ad solam propriam vxorem respicere videntur. Ex hoc namq; homines honoratiores euadunt, fideliores, beneuolcutioresque omnibus in rebus erga patrias cẽsentur: eo quod suos ipsorum liberos, tanquam obsides, patrijs dederint: propter quos in primis necessarium est, vt in consilium adhibeantur, recipiãturq; Ad dolores etiam, & difficilia quæ sunt in vita,

Matrimony honesti laus & fructus.

nuptiæ sunt vtilissimæ: quippe quæ hæc tanquã onera reddant leuiora, cum molestiarum omniũ vxores faciamus participes, & ex societate, & communicatione non minimam capiamus consolationẽ. Hinc ea, quę suauia, iucũda sunt, necesse est vti videantur iucundiora: eum ipsi non nosmetipsis tantum lætemur, sed filios, vxores, alioſque consanguineos habeamus, quibuscum hęc communicemus, qui profecto hæc nobiscum celebrent, nobiscum gaudeant, ac lætitia simul efferantur. Hac de causla dies festi, solemnes celebritates, ludi, conuentus publici, iucundiores sunt: quia inter multos fiunt, & cum multis communicantur. Ex qua nimirum re affinitates augeri necesla est.

Addes etiam, quod ex hoc primum habitationes, domusque sunt ædificatæ, ædificia cõiuncta, postea pagi, viciq; facti, & deinde ciuitates constitutæ. Ex matrimonio vero quã plurimorum cognitio, & cum externis hominibus affinitas, cognitioque est cõsecuta. Ad quod comprobandum, apponendæ erunt, & commemorandæ celebres, & glorioſæ nuptiæ, vel antiquæ: & bona, quæ propterea hominibus prouenere, explicanda: & difficilia, atque molesta fere omnia matrimonio pepelli, nec non fugari, demonstrandum, & quo pacto Menelaus propter nuptias Helenæ immortalitatis factus sit, & Peleus ob Thetidis matrimonium, & Admetus propter Alcestim fatalem mortem euitauerit.

Vbi autem de his satis dictum fuerit, precibus, quæ bonorum petitionẽ pro nuptijs, ac susceptione liberorum habeãt, vteris. Præterea tibi erit effingẽda malorum auersio veluti prædicenti qualis vita sit futura cum liberis, & quod eorum chorus, si cõtingat, erit inspicienti iucundissimus, & quod rursus instaurabitur quodammodo, & vna cũ proprijs liberis iterum adolescet. Tum etiã memorare oportebit ea, quæ & ipse aliquãdo in iuuentute gesserit. Suauis enim, & iucunda eorum, quę in pueritia nostra fecerimus, recordatio: nec aliud est, quod nos rursus faciat reuiuiscere. Si verò quispiã suam ipsius imaginem inanimatã inspiciens delectatur, quãdo hanc non inanimem, verum expressam, vinã, & spirantem intuetur, & non vnam, sed multas, (si ita contingat) quanto magis lætari debebit? hinc rursus discedendũ, & attingendæ sunt, atq; commemorãdæ aliquæ historiæ, in quibus sint, quotquot mortales propter

Pueritiæ recordatio. Suauis.

beros floruerint,& propulsatis atque auersis malis,fœlices, fortunatique euaserint,vt Anchisæ,Aeneæ opera, contigit. Opus est etiam personas illorum,qui matrimonio coniunguntur,nequaquã silentio præterire, sed harum quoque laudes in medium afferre. Aliquando igitur hac dicendi forma in principio,aliquando in fine vtendum est. Si enim personæ fuerint gloria admodum celebres,in principio, si minus insignes,hæc erunt subdenda,& vltimo loco recensenda. Laus autẽ, ea quæ in laudationibus sunt,continebit, & loci ijdem ipsi erũt,à patria,à genere,à natura,ab educatione; & quod æquales,similes, certique ambo sunt. Sumes itidem laudandi argumentum ab ipsorum parentibus, atque maioribus:qui profectò si ex eadem sunt patria:quod iã diu familiares,atque peculiares ex loco sint:si autem ex diuersis,quod à Dijs optimis maximè in hanc societatem coacti fuerint:item si ex eodem genere sunt, quod incrementum, amplificatio, & familiaritas affinitatis alia ad aliam accessit: perinde vinculum multo firmius, & validius effectum est. Quando autem a varijs studijs, atque institutis sunt,vt militiæ,vt literarum,concentum hunc,cum sapientiæ sit adiuncta fortitudo,optimum esse cõsentaneum est. Addes insuper,quales par est futuros illos,qui ex his procreati suscipiũtur.si autem tu ipse, qui orationem haberes.vxorem duceres, de hoc ipso eleganter,& venuste exordiũ facieudum est:quod si amatores amores,& delicias suas laudant,multo nimirum magis te decet matrimonium laudare,quam illos suas ipsorum delicias:& quod oratione,& disciplina etiam ex hoc vtendum est,tanquam iam exordientem,& de filijs vaticinantem, quod & ipsos in ijs,quæ ad disciplinam pertinent,præstantes euasuros verisimile,ac nequaquam dissentaneũ est. A simplici verò elocutione nõ erit discedendum,sed Xenophõtis,& Nicostrati vestigijs inhærendum,in paucis ad grauitatẽ orationem effereudo, si alicubi sententiarũ cogat magnitudo.Hæc ille.

Genethliaci artificium.

Præcepta de oratione natalitia.
Partes,& cupita Genethliacæ Orationis.

CAPVT X.

PRimò occurrit, Tempus & dies, si quid in eo celebre. Calendænatalibus felices æstimabantur. Item dies septimus,& sextus. Nonus dies mensis Soli cõsecratus. Quintus decimus Mineruæ sacer & plenilunio illustris.

Secundò, Anni tempestas commendanda.

Tertiò, Dies festi,si ita contingat, commemorandi.

Quartò, Locus in quo quis natus est,considerandus.

Quintò, Familia eius, qui laudatur,commemoranda.

Sextò, Deueniendum ad partem orationis præcipuam,quæ est laudatio eius,cuius dies natalis anniuersaria memoria celebratur, vbi præscribitur modus & character istius laudationis.

Septimo,precatio & votum.

SEquitur orario quæ in puerorũ natiuitate dici consueuit: nuptias enim partus subsequatur oportet: quam & ipsam hoc modo conuenit perficere. Cum natiuitatis vniuscuiusque principium sit dies, in qua in lucem editur,pauca de die dicantur necesse est,quæ quasi laudem occasionis cuiusdã & opportunitatis,complectantur,atque contineant. Si vtique proprium aliquid insigne, vel decorũ præter alios dies habuerit:vt si calẽdis natus sit,quod est mensis principium, principium autem est optimũ,& a principio sunt omnia: & quod est totius dimidium, vel totum,auctore Platone. Si verò septimus, vel sextus sit,sacros hos dies,Dijsq; dicatos esse dicemus,& communitatẽ quandam esse cum dijs ipsis,ob natiuitatis opportunitatem. Poteris etiam de nono dicere,quod est soli consecratus:& quod consentaneum est, illum qui in eiusmodi die natus fuerit, insignem & illustrem euasurum,& forte etiam(quemadmodum est Solis natura) beneficum. Si autem fuerit quintusdecimus, hunc itidem Mineruæ attribui,& in hoc perfectum esse plenilunium:& quod par est,huius viri natiuitatẽ eiusmodi futurã, vt in ea nihil desit. Eodẽ etiã modo de reliquis diebus,quos aut principio, aut fini accommodare studebis:& consideratis ijs,quæ in medium possis afferre, sic laudem cõficere conabetis. Postmodum vero & tempus cuiusmodi sit,considerate necessarium erit: & omnem tempestatem, aut hyemis,aut veris,aut reliquarum anni partium, quem-

Dies vnus mensis Soli sacer.

Superstitiosa antiquorũ. Dies 15. Mineruæ consecratus.

quemadmodum in laudibus ad ludos attinentibus, temporum proprietates indicauimus, hyemi sanè fortitudinem, veri speciosam venustatem tribuentes, æstati agrorum fructus, & bonorum omnium copiam: reliquo autē tempori, operum vacationem, & laborum quietem.

Erunt præterea significanda, quæ aliquando accidere temporibus: vti si quis natus sit die festo, scilicet Baccanalibus, aut mysterijs, aut aliquibus publicorum conuentuum solemnibus celebritatibus. Hęc enim omnia argumenti facultatem ad prosequendas laudes tibi suppeditabunt.

Hinc autem ad ea loca, in quibus natus est aliquis, veniendum.

Primum quidem ab eo, quod nationem continet, ad Asiam, ad Europam videlicet: & hinc rursus explicandum, si natio Græca sit: vel barbara: si sapientia, aut fortitudine prædita, vel si aliquid eiusmodi insigne, atque præclarum in se habuerit. Deinde ad illud quod continetur, progrediēdum, vt quęnam sit ciuitas, & ipsorum metropolis: aut si sit ei, quæ primum dignitatis locum obtinet, in honore proxima, si ampla, & florens, si frequenti hominum multitudine referta, si ingenijs fœcunda, ac ad virtutem fertilis, aut si aliquod aliud ciuitatis strenuè factum fuerit. Tum ea, quæ in vrbe continentur, prosequeris, ex qua familia quis natus sit, quod non ex humili, & abiecta, quod non ex ignobili, sed ex præclaro genere: ex quibus auis, & parentibus, quorum laudem (prout res copiam suppeditauerit) perstringes.

Hominis laus. Ad hæc, ad laudem illius de cuius laudatione agitur, cuiusq; est natalis dies, deuenies, quamam sit natura, tum in ijs, quæ ad animi magnitudinem attinent. Si magnus sit, Aiaci: si pulcher, & fortis, Achilli similem dices, si boni, & prudentis consilij, aut iustus, aut moderatus, & temperans fuerit, cōgruentibus personis, Nestori, Themistocli, Aristidi, Phocioni illum æquiparabis. Si comis, & facilis sit, quod excandescētiam quādam laudabili mansuetudine admistam habet, & quod ad agendum est efficax. Si autem paruus sit, vt Tydeus, & Conon.

Partes. Explicabis etiam, qualis sit in ijs, quæ ad degendam vitam pertinent: si lautus, & elegans sit, si magnificus; qualis in priuatos, qualis erga ciuitatem, tum liberalitate, tum cæteris rebus, quæ ad honoris, & gloriæ studia spectant.

Item si in aliqua scientia sit eminens, vt in medicina, aut in rhetorica, aut in philosophia, apposite, vt debet laus, qui in his est, inducenda erit, ad quæcumq; horum singulavtilia videbuntur. Sic enim multiplex, ampla, & copiosa fiet oratio, vt, comprehēdi possit, qualis olim iam fuit, qualis est in præsenti tēpore, qualemque in posterum fore consentaneum est. In hoc autem cum erimus; nequaquam alienum, aut absurdum fuerit, si ram ab alijs Dijs, quam ab ijs, qui natalibus præsunt, precibus petierimus, vti præsens vita, atque futura, melior quam præterita contingat, ac vt confectis multis temporum spatijs, liceat ad maturam, fœlicem, fortunatamque senectutem peruenire. Hæc Dionysius.

PRÆCEPTA DE *Epithalamijs.*

Hoc est de orationibus, quæ ad thalamum perfectis nuptijs recitari solebant.

Œconomia.

CAPVT XI.

Epithalamij partes. HÆc oratio eadem fere est cum nuptiali. Exordium à propositione dicendorum.

Prima pars nuptiarum laus obiter percurrenda.

Secunda laus coniugum, & eius præcipua capita.

Tertia, Affectus, atque studium ante matrimonium, & diligentia in his nuptijs conciliandis.

Quarta, popularium, atque affinium lætitia ex isto connubio, ipsarumque nuptiarum celebritas.

Quinta, Variæ personarum, quæ occurrent circumstantiæ.

Sexta pars, cohortario ad mutuam concordiam. Sic igitur ille.

ANte Orationem de Natiuitate, id enim multiplex, ampla, & copiosa fiet oratio, quæ apud thalamum dici consueuit, & ea, quæ separatim dicuntur, solet attingere:

eademque est cum nuptiali oratione, nisi quod differt tantum tempore, quia perfectis nuptijs hæc recitatur: in reliquis tamen prædictæ orationi penitus respondere videtur, & post nuptias, veluti Hymenæorum loco canitur. Sunt igitur etiam apud Sappho huius formæ dicendi exempla, cum odæ epithalamij inscriptionem habeant. Verùm quia carminis, & solutæ orationis non eadem tractatio, sed lõgè dispar, & diuersa ratio, quoniam sicuti metris, ita etiam mentis notione, & sententijs hæc differunt: hoc pacto hanc itidem orationem cõmodè tractari posse cẽseo, si in exordio statim hoc significaueris, alios quidem hymenæum canere consueuisse, nos verò Hymenæi loco orationem habere, non tibijs, aut citharis, neque ædepol aliquo eiusmodi cantu, sed eorum laudibus, & hymnis, qui patrimonio copulantur.

Post hæc deinceps adducendum erit, quod hominibus existentibus nuptiæ sunt admodum necessariæ. Ex his enim vniuersa humani generis conseruatio, propagatioque dependet; & quæcunque alia bona ad nuptias pertinent oratione persequeris.

Deuenies postea ad personas, quæ ad nuptias conuenere, in eisque versantur, & quænã hæ sint, explicabis.

In quo sane de ipsarum genere, de educatione, de corporum pulchritudine, de ætate, quot fortunæ bona habeant, & quodnam earum studium, officiumque sit, differendum erit. Eas præterea diligentiam, vti matrimonium, atque cõiunctio efficeretur, adhibuisse: & quo animo sint nuptiarum causa familiares, itemque alieni, & ciuitas ipsa publicè, Et matrimoniũ planè omnibus curæ esse, ab omnibusque summo studio coli: & nuptias cupiam frequenti virorum, mulierumque conuentui, & calendarum celebrationi, & ciuitatis solemni festo similes existere.

Quemadmodum autem in nuptialibus, post reliqua illud inspicere dignum putamus, vti si ex eadem patria, si ex eodem genere: ita in his quoque eiusmodi orationis partem nõ minimi faciendam esse duces.

Post laudes verò, & laudationes cohortatio quædam nuptias celebrantibus accedat ad mutuum inter se studium exercendum, ac ad vnum, idemq; sentiendum.

Eo maximè autem, quod plurima bona ex huiusmodi cõcordia, & amore, necessario cõsingant, ab vniuersali materia, ad singularẽ, propriamq; orationẽ trahes: videlicet, quod concordia omnibus hominibus est bonorũ dux, quod ab ea omnibus maxima commoda proueniunt, incredibiles vtilitates proficiscuntur, & potissimè matrimonio coniunctis.

Ad quod comprobandum, si a celebri vsu, non abhorrere volueris, illud Homeri scitè dictum tibi adducendum erit, nullum maius bonum quam dum vir, & vxor concordes & idem sentientes, ædes habitent: Quanto ob eam rem inimici dolore, quantaq; amici voluptate afficiantur.

Postremo precibus vteris, vt quam primũ liberi procreentur, ac in lucem edantur; quo eorum nuptias inspicere, Hymenæum canere, & eiusmodi orationũ cõficiendarũ materiam, occasionemq; rursus habere valeamus.

De laudatione funebri.

CAPVT XII.

Orationis funebris origo.

ANtiquum est orationis genus laudatio funebris, de cuius ritus origine, extat elegans dissertatio apud Dionysium Halicarnassensem.

Vide superius laudationem per se.

Vtrum (inquit) Valerius, primus hunc morem apud Romanos instituerit, an institutũ à Regibus sequutus fuerit, certo affirmare non possum.

Orationis funebris vetustas antiqua.

Quod tamen hoc sit Romanorum vetus inuentum, in funere illustrium virorum, virtutes eorum laudari, neque à Græcis primum institutum fuerit, ex communis historiæ scriptis didici, quæ tam vetustissimi poetæ, quã celeberrimi historici prodiderunt.

Nam certamina quidem funebria in honorem clarorum virorum gymnica, & equestria, à necessarijs facta tradunt, vt ab Achille in Patrocli, & multò ante ab Hercule, in Pelopis funere.

Hos tamen publicè laudatos nulli prodiderunt, præter Athenienses tragicos, qui ciuitati suæ assentantes, Theseo Argiuos sepelienti hoc quoq; fabulosè attribuerunt. Sero enim Athenienses legitimis funeris ritibus hanc laudationem funebrem reddiderunt, siue ab alijs qui ad Artemisium, & Salamina, & Platæas pro patria occubuerant, initium duxerint, siue etiam à rebus gestis in campis Mara-

Marathonijs: sed ea quoque, quæ in campis Marathonijs sunt gesta, sexdecim annis Bruti funere sunt posteriora, si modò ab his primis laudes in defunctos cœpta sunt dici.

Sed si quis missa facta hac quæstione, qui nam primi laudes funebres instituerint, examinare, aut scire voluerit, apud vtros mos iste melius se habeat, longè prudentius hunc apud hos, quàm apud illos constitutum reperiet: Quia Athenienses videntur eorum causa, qui in bello cæsi sepulturæ mandantur, orationes funebres instituisse, ex vna tantum virtute, quæ in ipsa morte apparuerit, etiamsi quis cæteris in rebus fuerit nequior, existimantes viros bonos indicandos. At Romani omnibus viris claris, siue eorum ductu, auspicijsque bella fuissent confecta, siue in Reip. administratione, & gubernatione, prudentia edidissent consilia, & præclara edidissent facinora, hunc honorem haberi statuerunt, & non solum ijs, qui in bello cecidissent, sed etiam alijs, quemcumque illi finem vitæ sortiti fuissent: existimantes ob virtutes totius vitæ actæ, non solum autem ob gloriosum obitum viris bonis laudes deberi. Hæc de origine funebris laudationis.

Extant funebres orationes Gregorij Nazianz. in Basilium, in patrem, & sororem. Aristidis, in Eteoneum. Gregorij Nysseni, in Placidiã, & Pulcheriam. Ambrosij, in Theodosium, &c.

Ouationis funebris ars.

Quod verò ad modum attinet, quem idem Dionysius tractat in technicis, ad eadem capita laudationis refertur, quæ superius sunt declarata. Addit verò insuper aliquid de mortis genere, & circumstantijs, tum luget, & deplorat, tum lachrymas abstergit, & consolatur, quod plenissimè ab Aristide, in funebri laudatione Eteonei præstitum est. Nam post narratas eius virtutes, exclamat suo more ὦ κύλλοι μὲν ὀφθαλμῶν κεκλεισμένοι τὸν ἅπαντα ἥλιον χρόνον. κεφαλὴ δὲ ἢ πρότερον χαριεστάτη, νῦν δὲ κόνις, &c. quæ suo loco reddemus.

Mox inducit Deos è machina consolantes, παύσασθε ὦ ἄνθρωποι, *Silete homines, nec enim miser est puer, aut vir potius, nec miseratione prosequendus: liter. quod instituit*: & similia, quæ supra panegyrin sortitur. λόγος ἐπιτάφιος.

Epitaphia.

Ad hoc genus pertinent epitaphia, quę sunt laudationes, & lamẽtationes vno verbo comprehensæ, vt;

Vide. Brisson. in formulis.

Aniciæ Phaltoniæ Probæ Consulis vxori, Consulis filiæ, Consulum matri, Anicius Probinus V. C. Quæstor, candidatus, deuinctus maternis officijs dedicauit. Et,

Parens infœlicissimus afflictus præposteritate naturæ, filium hoc tumulo condidit, quem importuna mors ademit, præripuitque senij baculum, cui iam defessa ætas adnitens, perbreues annos suos alleuabat, nunc autem mors adsequitur, quam tristes lachrymæ deseruerunt.

De gratiarum actione.

CAPVT XIII.

VT in humana Societate, vel habendæ, vel referendæ gratiæ officium est omninò necessarium, sic neque ratio χαριστικὸν in Rhetoricis prætermittenda est: tota autem fermè ex istis locis decurrit. Quale sit beneficium, quàm amplum, quàm vtile, quàm expetendum, à quo datum fuerit, à Rege, Principe, duce, viro denique spectabili? Cui concessum? vni, an pluribus? an claro, & nobili, an abiecto, humili, immerito, vel non tam cumulata mensura promerito, quod sæpius profitentur modestiæ caussa, qui gratias agant. Quo titulo datum? & tractatur sæpè per extenuationem meritorum, & amplitudinem beneficij. Quando vel citò, vt amantius; vel tardè, vt consideratius; vel inter maxima negotia largientis, & angustias recipientis, vt carius. Quomodo? candido, & profuso animo, verbis expressis, onere nullo accipientis, commoditate maxima. Vbi? quo loco, publicone, an priuato? qua corona spectãte, qua luce, qua frequentia hominum, & similia.

Capita gratiarũ actionis.

Beneficium vt laudatur.

Partes autem fermè sunt exordium, vel propositio rei, expositio, & exaggeratio beneficij, repromissio benevolentiæ, studij, amoris, obseruantiæ, &c. quæ facilè est in Ausonij diserta sanè gratiarum actione, atque in ipsius Ciceronis orationibus, pro M. Marcello, & post reditum in Senatu, & ad Quirit. agnoscere. Auson. aperte incipit.

Exordium.

Ago tibi gratias, Imperator Auguste, si possem, etiam referrem: sed nec tua fortuna deside-

desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem. Priuatorum ista copia est, inter se esse munificos : tua beneficia, vt maiestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Cicero ad Quirites, fluenti, & ambitioso exordij tractu vtitur.

Quod precatus a Ioue optimo maximo, cæterisque Dijs immortalibus sum, Quirites, eo tempore, cum me, fortunasque meas, pro vestra incolumitate, otio, concordiaque deuoui, &c. Ad summum propositio est quædam beneficij, & gratiarum agendarum delibatio.

Exaggeratio beneficii.

Vterque beneficium cumulatè exaggerat à prædictis circumstantijs, tum præcipue M. Tullius, magna sermonis maiestate, in eo, quod sibi collatum est beneficio, omnia bonorum genera contineri ostendit, vt liberos, fortunas, amicitias, consuetudines, vicinitates, clientelas, ludos, dies festos, honorem, dignitatem, locum, ordinem, &c.

Personæ largientis.

Gratiani laus. Ausonius. Aguntur enim gratiæ, non propter maiestatis ambitum, nec sine Argumentis, Imperatori fortissimo; Testis est vno pacatus anno, & Danubij limites, & Rheni. Liberalissimo. Ostentat hoc dies exercitus. Indulgentissimo. Docet securitas erroris humani. Consultissimo. Probat hoc tali Principe oriens ordinatus, &c.

Cui concessum.

Eo amplius beneficium est, quo ad plures attinet, nec omisit illud M. Tullius in Marcello. Est verè fortunatus ille, cuius ex salute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura sit lætitia, peruenerit. Quod ei quidem meritò, atque optimo iure contigit. Quis enim est illo, aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut vllo genere laudis præstantior?

Quo titulo.

Hoc præclarè tractat Ausonius ad Gratianum. Subijciet aliquis : ista quidem adeptus es, sed effare, quo meritò? *Quid me oneras scisciuator? Rationem fœlicitatis nemo reddit.* Deus, & qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio : & beneficiorum suorum indignatus, per homines stare iudicium, mauult de subditis dedisse miraculum.

Quo, inquis merito? ego nullum scio, nisi quod tu, pijssime Imperator, debere te dicis, & hoc debere latissimè pertinet.

Quando.

Tu Auguste venerabilis districtus maximo bello, aiit ultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubij ora prætexitur, comitia consulatus mei armatus exerces.

Quomodo.

Cùm Gratianus Imperator consulatum Ausonio conferens, soluere se dixisset quod debebat, & adhuc debere quod solueret: hic exclamat Consul Rhetor.

O mentes aureæ dictum bracteatum! ô de pectore candidissimo lactei sermonis ali- *Bracteatum dictum.*
moniam! Quisquamne tam parcus est in ostentatione beneficij? quisquam pondus gratiæ suæ, vim meriti profitetur alieni? quisquam denique, quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mauult vocare, quàm donum. Certent huic sententiæ veteres illi, & Homerici oratores subtilis deducta oratione Menelaus, & iustar profundæ grandinis ductor Itachesius, & melleo delibutus eloquio, iam tertiæ Nestor ætatis.

Vbi? *Consilium ad Deum refert.*

Consilium meum ad Deum retuli, & què admodum solutus, cui præsto ad tam grande consilium? an plenius cum Senatu, cum equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, & prouincijs omnibus deliberasses?

Hæc igitur, & similia adiuncta, quæ varia in diuersis negotijs occurrunt, orationis filo pertexi solent. Postremò, repromissione tota oratio concludi solet, vt;

In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperque præstabo, mihi neque in consilijs de republ. capiendis diligentiam, neque in periculis a republ. propulsandis animum, neque in sententiam simpliciter referenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro repub. lædendis libertatem, nec in perferendo labore industriam, nec in vestris commodis augendis gratam animi beneuolentiam defuturam, &c.

De Salutationibus Principum.

CAPVT XIV.

VSitatissimæ sunt & hoc tempore orationes,

nes, quas Græci vocant προσφωνήματα, quales sunt principum virorum salutationes.

Senec a sua seria prima Antonij lepidum factum.

Eisdem à veteribus vsurpatas testatur illa celebris Atheniensium oratio ad M. Antonium, vel potius adulatio, quæ egregie deprehensa est, & castigata. Nam cum Antonius vellet se Liberum patrem dici, & hoc nomen statuis subscribi iuberet, habitu quoque, & comitatu Liberum imitaretur; occurrerunt venienti ei Athenienses cum coniugibus, & liberis, & Διόνυσον salutauerunt. Bene illis cesserat, si nasus Atticus illi substitisset, dixerunt despondere ipsos in matrimonium Mineruam suam, & rogauerunt, vt duceret. At Antonius ait ducturum, sed dotis nomine imperare illis mille talenta. Tum ex Græculis quidem ait, κύριε ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον εἶχε. *Domine, Iupiter matrem tuam Semelem sine dote habuit.* Huic quidem impune fuit: sed Atheniensium sponsalia mille talentis æstimata sunt.

Atheniensium assentatio castigata.

Hoc exemplo discant adulatores, quam sæpe noxium sit, apud Principes viros, hoc fœdissimæ assentationis genere leuius obgannire. Quod vero ad tractationem προσφωνημάτων attinet, antiquum illud Parysatidis præceptum perutile meminisse oportebit, verba esse feligenda esse byssina, addo etiam pauca. Longum esset ire per singula, & eorum ineptias recensere, qui in ea re peccant frequentius: quoties tacenda dicuntur, & dicenda prætermittuntur silentio, quoties ad gratiam conquisitæ laudes, vanæ & mendaces obtrudantur, quæ personæ non magis conueniunt quam Pygmæo Colossi crepidæ. Quoties ipsa prolixitas occupatas aures enecat, quæ istas aggressiones magis, quam prælij congressum formidant. Quamobrem sapiunt, qui omissis parergis, quod instat nauiter exequuntur. Tria autem huius ferme sermonis sunt capita

Salutationu partes.

Primum, gratulari solet aduentum, atque omnium de ea re conceptam significare lætitiam.

Secundum, rationes istius gratulationis reddit, à meritis consalutati principis, cuius laudes paucis quidem, sed summo delectu conquisitis sententiis perstringuntur,

Tertium, vouet & dedicat mentes, animos, pectora, fortunas, spes, opes, & similia.

Nunc autem, quoniam trita res est omnium pene gentium linguis prolixioribus verbis abstinebo.

De laude puerorum.

CAPVT XV.

VT prima Solis Orientis crepuscula ridere blandius solent, sic & in pueris, in quibus vis pulcherrimæ naturæ paulatim efferuescit, virtutum teneritas delectat, & gratam dicendi materiam, si non adeo locupletem suis oratoribus suggerit.

Neque enim mihi Themistius in suo Valentiniano, neque Aristides in Eteoneo, iucundum laudationis campum, aut desiderasse, aut cum obtigisset humiliter tractasse iudicandi sunt.

Pueri quibus capitibus laudantur.

Laudantur ferme pueri ab his capitibus. A paterno, maternoq; genere, à similitudine patriarum virtutum, quam viuam & spirantem in suæ vitæ pictura exprimunt, à forma corporis, & educatione. A pietate in Deum, obseruantia in parentes & præceptores: Ab ingenij acrimonia cum morum festiuitate, sermonisq; affabilitate coniuncta: A pudore, innocentia, integritate, castimonia; Ab industria, eruditione & artibus, cæterisq; animi & corporis ornamentis: Denique à spe rerum maximarum; quæ omnia authores illi in iis, quæ de pueris conscripserunt, encomiis suauissime prosequuntur. Et bene quidem Themistius incipit.

Valentiniani pueri laus.

Ὦ παῖ δυοῖν ἀστήτων πατέρων οὐκ οἶδα ὅτι σε προσαιπὼν μᾶλλον τύχοιμι τοῦ προσήκοντος πότερον τὸ μέλλον ἢ τὸ ὁρώμενον. O puer duorum inuictissimorum patrum soboles, haud satis liquet, quo pacto te pro dignitate compellem, an ex præsenti, an etiam ex futuro te appellare debeam. Mox post generis amplitudinem attingit educationem. ἔτι δὲ ἐν ἀγκάλαις περιφερόμενος συστρατεύεις τῷ πατρί, καὶ συστρατηγεῖς, καὶ τρέφει σε οὐκ ἐν θαλάμοις κατακοιμίζων, οὐδὲ δήμῳ πρωβάτων, καὶ μυελῶν ἀλλὰ ἐπὶ πῷ ἴστρῳ, καὶ τοῖς χειπῶσι τοῖς σκυθικοῖς. Iam verò in vlnis gestatus adhuc in expeditionem cum patre proficisceris, cum eo exercitum ducis, neque te in thalamis blandè somnium concilians educat, nec adipe, ac medullis ouium, sed ad Istrum, atque in media Scytharum hyeme nutrit.

At vero Aristides, vt suo loco ostendam, priuatas virtutes magis prosequitur, Non

ediſſertè hoc argumentum attigit Odapius in Eubaldo.

Prima literarum rudimenta ea ætatula hauſit, qua vix cæteri loqui ſolent. Nemo totidem annorum non ab illo puer in omnibus rebus præteritus, nemo non relictus eſt. Itaque puer illis in ſtudijs iam non pueriliter ſe gerere, ſpeique multo plus habere, & quam illa ætas daret, videbatur.

Indole autem, atque facie ea fuit, vt iurares illos Veneris pueros Amores, quos Poetæ aiunt, Matri præſto eſſe, atque illudere, aliam oris formam genarum, oculorum, non habere. Docere puerum incipio, nihil eorum, quæ in alijs eſſe ſolent video in noſtro. Non deliciarum vllas illecebras, non prauos ad licentiam mores, non adiutam impunitate audaciam, non denique arrogantis fortunæ vllum in pueri animo expreſſum veſtigium inſpicio. Non moleſtiam, ſatietatemque dicendi, aut commorandi cum ſe natu maioribus: Nihil eorum in eo fuit; grata potius, expetendaque omnia, &c.

Laus animalium.

CAPVT XVI.

DIxi copioſius de laude perſonæ; quia frequentius eſt hoc laudationis genus. Nunc propoſitum initio ordinem ſequutus, methodum, quam in laudandis animalibus ſeruant Tecnici, paucis expedio.

Laudantur animalia à pulchro, vtili, & neceſſario: ſicut & res cæteræ. Hæc ſunt enim prima laudationis fundamenta.

Capita erunt, gens, parentes, robur, pulchritudo, labor, agilitas, cantus, humani ſermonis imitatio, fidelitas, gratus animus, amor in dominos, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, & cæterarum virtutum adumbrata ſimulachra.

Exemplum habes in muſca Lũciani. Tanta enim induſtria perſecutus eſt omnia, quæ de muſca dici, aut cogitari poſſunt; vt vix aliud quicquam in hoc genere magis luculentum reperias. *Muſca laus*

Principio enim, quæcunque ad corporis habitum, compoſitionem membrorum, ſpeciem, atque vſum partium pertinent, exquiritur. Mox ad interiora progreſſus, prudentiam, fortitudinem, reminiſcentiam, in eadem commendat: ad ſummum victus, & diætæ rationem. Nomen, genus, cognomines etiam puellas oſtendit. Et hæc quidem ex varijs hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus repetenda, eruditione, & eloquentiæ ſuauitate temperanda, quo in genere plurimum valent deſcriptiones. Non ſatis eſt enim oratori accepta ab hiſtoricis nude, & ſimpliciter enũtiare, ſed præterea quibuſdam artis lenocinijs ornare decorum eſt. Exemplum ſubijcio in laude apum, & formicæ.

Extat apud Quintilianum nobilis declamatio, in qua pauper damni per iniuriam dati actionem intendit diuiti, quod eius apes veneno illitis floribus peremiſſet, vbi poſtquam ſuas narrauit fortunas, de apibus multa, & præclara commemorat.

Laus Apum.

CAPVT XVII.

CÆtera animalia videtur mihi natura, vſibus noſtris genuiſſe, hæc etiam deliciis, cum eo, quod in illis, quæ, vel ſcindendo ſolo, vel maturando itineri comparamus, multus ante redditus inſumitur labor, & cum perdomanda, cum alenda ſint, nihil tamen poſſunt ſine homine, & tantum coacta proſunt. *Ex Quint. declam. 13.*

Apes faciunt iniuſſæ fauos, ſine vllo rationis humanæ miniſterio, totus fructus vltro venit. Adijce, quod cætera animalia, aut ſatis incurrunt, aut viribus nocent, primaque, vt fama eſt, hoſtiæ cauſſa pecudi fuit læſa fruges.

Harum ita innoxius perpetuus, ſyluaſque diſcurrit labor, vt tantum factum opus appareat. Qua ſatis digna perſequar laude? Dicam animal quodammodo paruum hominis exemplar? Hoc humana excogitare non potuit ſolertia. Etiam ratio noſtra, quæ ſub terris lucrum inuenit, quæ maria inquiſitione ſua ſideribus immiſcuit, hoc tamen efficere, conſequi, imitari non potuit. Venena potius inuenimus. *Apis paruum hominis exemplar.*

Iam primum futuræ laudabilis vitę digna principia. Non illas libido progenerat, domitrix omnium animalium Venus, vtque homines in excuſationem ſui fabulis tradiderunt, etiam Deorum poſteritas, has regnis ſuis excepit: Abeſt inimica virtutum voluptas caſtis ſine labe corporibus. Solę omnium non edunt fœtus, ſed faciunt. Ipſæ paulatim ſicut ſti- *Apum caſtimonia.*

ripatæ sunt per mella viuiscunt, & vt oportet, animal laboriosum, ex opere nascitur.

Inde vt adoleuit iuuentus, & ad similes labores ætas roborata conualuit, relinquitur liber parentibus locus. Et ne coacta in augustum multitudo noua turba laboret, quasi habita verecundię ratione, cedit populus minor, suspensumque proximis ramis examen humanas manus expectat. Acceptas cum fide cohit sedes. Et cum ingenia nostra, quæ nos, scilicet ambitiosi nostri æstimatores proxima diuinis credimus, ad percipiendas disciplinas multo labore desudent, nulla apis nisi artifex nascitur. Quid credas aliud, quam diuinæ partem mentis his animis inesse? Quid præcipuum referas? Non vt cętera animalia per pastus vaga incertum quieti capiunt cubile, noctis arbitrio semper habitatura, sed tutas sedes continent, vrbes tectis, turba populos imitantur. Non vt feræ volucres, non vt præsentis modo cibi memores in diem viuunt, duraturus hyemi reponitur victus, & repletis vere cellis tutus annus est. Etiam cum ad humanos vsus opera subducta sunt, reparare amissa contendunt, & labor damno incenditur, & nunquam deficit animus, antequam locus. Quid? quod inter animalia, quę non verba coniungunt, non verba rationis inuicem negant, tantus operis consensus est, tanta difficillimę rei, laboris concordia? Non humano vitio in proprios quæque vsus lucrum ducit, in publicum viuitur, & communes opes congeruntur in medium, nec fas est delibare gustu, priusquam plena horrea securos spondeant menses. Quis porro tantus ardor operis, quę que officiorum partitio, vt aliæ congerant onera, aliæ accipiant, aliæ liniant? Quę seueritas in castiganda inertia? multa dictu, visuque miranda, præcidere tempestates, nec dubio se cœlo tradere, nec vltra viciniam nubilo tendere.

Nam si leues aura iniquior rapuit, ad dirigendos in destinata cursus modico lapilli pondere librare pennas. Illas maiorum pectorum totis pro rege castris procurrere, & inire bella, mortemque honestam pro duce oppetere. Adijce, quod si, quas, aut ætas longior, aut morbus oppressit, efferuntur prius corpora, posteriorq; operum, quam funerum cura est. Quid illigare cruribus flores? quid ore succos in publicum ferre. Me tamen ipsius operis præcipua admiratio subit, non est temere, nec fortuitam figuram, & sedes modo reponendis cibis, quæ fisse credas, rudis cera componitur, accedit vsibus inenarrabilis decor. Nam primum tenacibus vinculis fundamenta suspendunt, tum ab exordio in omnem partem opus æqualiter crescit, nec quicquam ex inchoatis paruum est, quod non sua portione perfectum sit, nec iam alia parte opus esset. Gemina frons ceris imponitur, & cum foraminibus tantum spatium detur, quantum ad generanda examina puram spem capiat (ipsi enim sibi inuicem anguli hærent, & ita muro vinciuntur, atque alligantur, vt quod vides medium sit) his textis ne vniuersi mellis effluant pondus, intercepta onera cluduntur. Quis non stupeat hoc fieri posse sine manibus? nulla interueniente doctrina hanc artem nasci? Quid non diuinum habent, nisi quod moriuntur.

Nulla apis nisi artifex nascitur.

Seueritas. Præsagia.

Miseri-cordia.

Opus.

Encomium formicæ.

Ex Basilij, Hieronymi, & cęterorum imitatione expressum nostro stylo.

CAPVT XVIII.

PHilo Iudæorum fermè omnium eruditissimus, idemque eloquentissimus: in eo cõmentario, quã de plantatione Noemi disertissimè, vt cętera, conscripsit fabulam narrat, non minus suauitate iucundam, quam sapientiæ fructu præclaram. Deus, inquit, rerum omnium opifex, cum admirabilem mundi structuram, tanta, tamque varia partium non modo congerie, sed & compositione consurgentem, diuinæ mentis solertia machinatus, oculis subiecisset: fertur ab ijs, quibus in hoc opere administris vsus fuerat, quæsisse: quidnam de tota vniuersi ratione videretur? tum vnus admodum liberè, quod sentiret, respondisse: vocem aliquam grandem, acutam, elatam, desiderari: quæ omnes mundi peruagata regiones, sine vlla intermissione, Dei laudes, & sapientiam prædicaret, & eam, quæ, vel in tenuissimis rebus cernitur, summi artificis industriam, imperitis hominibus prędicaret.

Præclarũ figmẽtum Philonis.

Quæ profectò, si res esset, non laboraremus in laude formicæ: nunc autem, & ingenij humani imbecillitas, & ipsa rerum obscuritas, tenebras dicentibus offundat, & de institutæ orationis ornamentis plurimum

Propositio.

detrahat, necesse est. Est certe formica Dei opus, tam rei dignitate præstans, artis subtilitate limatum, operis perfectione absolutum; quam humanis sensibus tenue, rude, impolitumq; videri solet. In magnis siquidem corporibus, cœlo, terra, mari: vel certe in maioribus, vt in tot animantium figuris, affluente materia perfacilis molitio naturæ fuit: in his vero, tam paruis, tam contemptis, tam prope nullis, quæ ratio? quanta vis, quam inextricabilis perfectio? Et vbi fulgentes oculos, & visum prætendit in formica? vbi odoratum applicuit, vbi inseruit gustatum? quomodo duriusculis partibus, quasi ossibus corpusculum interstinxit? qua ratione venulas instar ramulorum diffudit? quo pacto, à vertice per dorsi vertebras ad caudam, vsque diffluentem medullam produxit? qua solertia tenues membranulas distendit? qua molitione mouentem omnia spiritum, acrem, vegetum, actuosum, tam fragilibus & delicatis particulis affudit? An etiam iecur; & in iecore vasculum bilis receptaculum? cor denique, & renes, costularum interstinctione, quasi parietibus obsepserit nescio, cuncta tamen admiror; Sed nihil ingenio est admirabilius. Nam, quæ res in hac mortalium vita plurimum possunt. Prudentia, fortitudo, religio, non obscuris quibusdam in formica notis, sed tanquam in clarissimo speculo collucent.

Laus à corpore.

Ab ingenio

Audio in prudentiæ comitatu duas esse virtutes primarias, cautionem, & prouidentiam: quarum illa in malis arcendis, hæc in bonis procurandis tota est. Istas vero, quis formicis, nisi iniquus iudex fuerit, denegabit? Primum enim, quod per se maximum est, rempublicam habent, non Solonis, aut Lycurgi præscriptis: sed æternis naturæ legibus constitutam: & ne continuus in quotidianis operibus labor, distractionem afferat amicitiarum, & socialis vitæ commercia, ac voluptates minuat: certis diebus interquiescunt, nundinas exercent, & miti hilaritate celebrant: qui tunc omnium concursus, quam amicæ salutationes, quam dulcia, (si à nobis intelligerentur) colloquia; quæ animatum, quam suauis, quam iucunda consociatio.

Prudentia

Redeunt deinde in domunculas; quas sibi multis Mæandris flectuosas ad varios vsus construxerunt. Et silente quidem Luna, quasi syderis absentia contristatæ; inter cauernulas se continent; mox vbi risit cœli facies clementior, nullius rei magis impatiens, quam otij effundit se portis niger formicarum exercitus, & rura proxima pabulatur: vnus omnium ardor, vna mens, vnus spiritus, munia diuersa, & prudenter inter se distincta exercent: Aliæ prædas per calles angustos, nunc humeris obnixæ; nunc pedibus auersæ, magna corporis contentione conuectant: ferunt onera corpusculis maiora, nec tamen sub fasce succumbunt. Aliæ venientes gratulationibus excipiunt, aliæ continuis morsibus humum egerunt; aliæ constructis aggeribus meatus aquarum excludunt, aliæ grana corrodunt, & veluti forcipe diuidunt, ne in herbam exeant; aliæ fruges madidas exsiccant, & suauiter in Sole apricantur: laborat tota gens, feruent opere viarum semitæ, silices ipsæ teruntur sub itinere, ita nihil non potest continua sedulitas.

Labor & industria

Quis inter hæc spectacula, tam piger, tam solutus, tam de se parum cogitans: qui non accendatur ad labores, qui non suis rebus inuigilet, quem non pudeat vinci à formica?

Neque vero magis laboriosæ sunt; quam fortes, de nostratibus nihil dico, quæ supra corporis modulum ingentis animi robore & fortitudine sunt præditæ: Aliæ sunt Indicæ (si nescitis) aliæ sunt, quæ vt corpore longe grandiores, ita etiam valentiores sunt ad conflictus & prælia natæ. Degunt, vt sæpius, apud Indos Septentrionales, qui Dardæ vocantur, auri (non tamen) vt cæca gens mortalium, studiosæ. Ex quo, hyeme, cum ab æstiuis laboribus datur vacatio, totæ sunt in aurifodinis, ita nunquam possunt esse otiosæ: feruent; laborant; humum fodiunt, aurum egerunt; vincunt opera Gygantum. At vero æstate cum ob vapores se in cuniculos abdiderē, concurrunt ad prædas Indi latrones, vt auro sine vllo labore potiantur. Verum odore illico afflatæ prouolant formicæ, irarum stimulos exerunt; summa contentione tuentur suum, cum prædonibus decertant, & plerumque licet pernicibus camelis fugientes, assequuntur, fœdaq; laceratione contritos obtruncant. Feritatem ingenij dicet quispiam, & vesanam auri sitim? Nihil minus, mihi credite; aurum quidem ad prædicanda Dei opera egerunt: cuius, si vt Solis & syderum aspectu contenti essent homines, nihil in nostrum genus sæuirent: sed cum idem videant

Robur & generositas animi.

Formica Indorum.

ad

ad cædes, adulteria, sacrilegia, & infinita, quæ quotidie experimur vitiorum portenta exportari: quid mirum si non secus, ac summi nominis satellites, ad auertendum malorum omnium fomitem excubant. In quo non tam mihi ob fortitudinem, quam ob singularem iustitiæ amorem videntur commendandæ. Ecquid amplius postulatis à formica? religionem? (hoc enim vltimum promiseram) at certè, quod summæ pietatis est, mortuas sepeliunt, nec detrita assiduis laboribus corpuscula cum defecerunt, sepulchri honore carere patiuntur. Audio etiam eas, quæ in acie generose ceciderunt, si quando ab hostibus teneantur, maximo, quod inter eas fertur pretio, redimi: vt Iusta virtuti reddantur: & ad simile factum, similemque virtutem posterarum mens excitetur. Quid hac pietate mansuetius? Quid hac iustitia æquius, quid religione sanctius? Quod si Ægyptij accipitrem cum Deorum honore coniunxerunt, quod insepultis cadaueribus terram ingerat: quo in numero formicam de mortuorum sepultura, tam sollicitam, habendam putatis? ecquis erit tam iniustus, & imprudens arbiter, qui cæteras animantes cũ formica audeat comparare? Date, date quascunque libuerit, ipsum si vultis elephantum, & quantum superetur à formica cognoscite. Ille inutili carnium mole, & sagina grauatur: Hæc eximij corporis elegantia, & agilitate præstat. Ille languidus est ingenio, & penè fatuus: hæc semper incitata viget acrimonia. Ille vel à vili puero regitur: hæc ne regijs quidem maximi ferret dominatum. Ille si à musca stimuletur, vlcisci non potest: hæc muscas, & cætera in suam prædam conuertit. Hic ad bella, & alia onera gerenda seruiliter cogitur: hæc regnat in pace, in bello si quid opus est, dominatur. Ille seruituti mancipatus de victu sibi parando, ne in diem quidem, vel horam cogitat: hæc in annum sua sibi horrea, suas fruges comparat. Ille tota die torpet otiosus: hæc ne momentum quidem in otio patitur effluere. Ille modò draconum, modò hominum præda fit, & ludibrium: hæc semper capit, raro capitur. Ille in triumphis ad lasciuientium oculorum contemptũ lentè incedens ostentatur: hæc nonnisi mortua ad voluntatem victoris subsistit. Ille præter corpus nihil habet speciosum: Illa nihil minus, quàm corpus habet conspicuum. Quo fit, vt ad cœlestium mentium contubernium, quas Deus his corporis compagibus expeditas esse voluit, quam proximè accedat. Me quidem de formicæ laudibus dicentem, rei iamdudum fallit obscuritas, & multa necessario prætermittere cogit. Itaque aut illa, quam initio dixi: voce cœlesti ad prædicandum: aut meo, vestroque omnium silentio admirandum, opus esse video.

Formicarum religio.

Accipiter cur Ægyptijs sacer.

Formica cum Elephanto cõparatio. Itẽ Eleph. cum F.

De laude rerum inanimarum.

CAPVT XIX.

ANimalia consequuntur res inanimæ, partim naturales, vt Cœlum, stellæ, elementa, pluuiæ, grandines, coruscationes, fulmina, fontes, maria, lapilli, gẽmæ, metalla, plantæ, & cætera id genus: Partim manufacta, vt vrbes, ædificia, statuæ: Partim quæ ad mores, actiones, & πάθη hominum spectant, vt vitia, virtutes, artes, bella, conuiuia, iracundiæ, libidines, morbi, supplicia: quæ omnia fermè ad descriptiones attinent, quarum satis amplam segetem in altero tomo subijciã. Tria porrò in his descriptionibus seruanda potissimum duco.

Inanima vt laudanda.

Primum, vt rei, quæ laudanda, aut describenda occurrit, nõ modo partes præcipuæ, sed etiam minutæ quęque, acri disquisitione perquirantur, quod non nisi à rerum peritis præstari potest. Nam examinanda sunt genera, & species, caussæ, effecta, & adiuncta, quæ latum descriptionis campum suppeditant, non quod omnia sint vbique coaceruanda, sed delectus fieri debet ex multis.

Secundum, circa dispositionem descriptionis non mediocris est prudentia, vt non sit tumultuaria, & desultoria, sed leni, pellucidoque omnium partium tractu digesta, quod præstabitur ab eo, qui collocationem argumentorum prudenter animaduertent. Benè autem collocare mihi videntur, qui prius ea persequuntur, quæ rei essentiam propius attingunt, mox cætera, quæ sunt magis adscititia commemorant. Postremò etiam addunt effectus, vsus, virtutes, vtilitates, & cætera id genus.

Descriptionis dispositio.

Itaque in descriptione rerum naturalium, vt tempestatis, terræ motus, pestis, solent nonnunquam præmitti caussæ, vndè coaluerunt. In manufactis materia, & efficiens celebrantur, dein singula adiuncta notantur, si verò consequantur, effectus insignes, & luculenti

culenti non solent prætermitti: quod fusius posteà declarabitur exemplis.

Tertium, stylus descriptionum duplex est, vnus historicus, pressus, acer, & concinnus, alter Epidicticus, paulò magis pictus, & effluens. Quid cuique loco, & argumento conueniat, prudentia satis iudicabit. Nunc aliquot exempla delibemus.

Laudatio, & descriptio mundi.

Ex Theodoreto, & D. Cypriano.

CAPVT XX.

MVndi laudatio, siue descriptio præclarum est dicendi argumentum, in quo omnes omnium penè disertorum calami desudarunt. Hunc autem fermè modum tenent, vt per caussas, partes, & adiuncta filum trahant orationis. Sic Theodoretus oratione quarta de materia, & mundo, post explosas variorum Philosophorum sententias, hanc primùm rerum molitionem à sapientissimo, & potentissimo artifice commendat his verbis.

Ὁ δὲ τοῦ παντὸς ποιητὴς, οὔτ' ὀργάνων, οὔτ' ὕλης δεέται, ἀλλ' ὅσπερ ἐστὶ τοῖς ἄλλοις τεχνέταις, καὶ ὕλη, καὶ ὄργανα, καὶ μέντοι, καὶ χρόνος, καὶ πόνος, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐπιμέλεια τούτῳ τῷ θαῷ τῶν ὅλων ἡ βούλησις. Ἠθέλησε δὲ οὐκ ὅσα ἠδύνατο, ἀλλ' ὁσάπερ ἀρκεῖν ἐδοκίμασεν, ῥάδιον μὲν γὰρ ἦν αὐτῷ, καὶ μυρίους, καὶ δισμυρίους δημιουργῆσαι κόσμους.

Hæc vbi de opificis, potentia, & sapientia attigit, præcipuas vniuersi partes aggreditur. τῶν γεγονότων τὰ μὲν ἐστιν αἰσθητὰ τὰ δὲ νοητά. καὶ τὰ μὲν ἐπίγεια, τὰ δὲ ὑπερουράνια. ἀναγκαί. ὡς, καὶ ζῶα πεποίηκε.

Solet deinde ad singulas partes oratio delabi, quas nitido, vernantique colore prosequitur. Quo in genere multa sunt exempla, quæ nos pluribus suo loco. Nunc istud Cypriani prolusionis instar audiamus.

Habet istam mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur; Solis ortum aspiciat; rursum occasum mutuis vicibus dies, noctesque reuocantem, globum Lunæ temporum cursus incrementis suis, decrementisq; signantem; Astrorum micantium choros, & à summo de summa mobilitate fulgentes; Anni totius per vices membra diuisa, & dies ipsos cum noctibus per horarũ spatia digestos, & terræ molem libratam cum montibus, & profluа flumina cum suis fontibus, extensa maria cum suis fluctibus, atque littoribus: Interim constantem pariter summa conspiratione, nexibusque concordię extensum aerem medium, tenuitate sua cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus perfundentem, nunc serenitatem refecta raritate reuocantem; Et in omnibus istis incolas proprios in aere auem, in aquis piscem, & in terra hominem Hęc, inquam, & alia opera diuina, sint Christianis hominibus spectacula.

Laus imperij, Regionis, vrbis.

CAPVT XXI.

LAtissimus erit dicendi campus, si hęc capita mente complectaris, & per eadem filum laudationis extendas. *Vrbis laus quibus decurrit capitibus.*

Erunt autem septem, Origo, in qua primum inquirendus fundator. An Deus, an Heros; an Homo, inquit Menander Rhetor, & de eius laude dicendum paucis, si obscurus, & incertus, satis eum suę vrbis gloria commendari ostendes, Si famę haud ita bonæ: apologia erit vtendum. *Origo, &c.*

Diuturnitas, siue antiquitas, cuius frequẽs est commendatio. Sic Athenienses, cum Sole genitos. Arcades ante lunam natos prædicant. Si vrbs antiqua, dices legibus naturæ ita constitutum esse, vt quod antiquissimum est, idem quoque sit honore dignissimum. Si recens, eam instar puellæ pubescere, & ad optimas quasque spes in dies assurgere.

Fines, copiæ, opera, viri, virtutes. Quæ quidem omnia in Romæ laudatione apud Aristidem, & cæteros facilè apparent, & animaduertet, qui grauissimos quosque authores legerit, quorum testimonijs vtitur eruditus Lipsius de magnitudine Rom. *Roma laus.*

Eius Origo est ab Ænea & Troianis.

Antiquitas excedit annorum duo millia, & trecentos.

Fines, ab oriente fuerunt Euphrates, à meri-

meridie Nili cataractæ, deserta Africæ, & mōs Atlas, ab occidente Oceanus, à Septentrione Danubius, & Rhenus, tales sub Augusto Imperatore termini sunt constituti.

Copia.

Tum maritimæ, tum pedestres erant, quæ ad tanti imperij incolumitatem sufficerent.

Opulentia.

Ad auri centum, & quinquaginta milliones ex annuis reditibus.

Opera.

Maximè laudantur in vrbe, situs, munitio, amplitudo, hominum multitudo, alimenta, ædificia, templa, fora, theatra, circi, balneæ, thermæ, viæ, pontes, statuæ, monumenta, aquæductus, priuata ædificia.

Quæ omnia breuiter eruditionis caussa in antiqua Roma admirabilia fuisse ostendit Lipsius in admirandis.

Situs.

πύσις χώρας nominatur à Menandro Rhetore, in quo primùm consideratur salubritas, quæ magni est momenti, & laudatur vrbs, vel domus, quò est λαμπροτέρα, εὐπνοστέρα, ὑγιαινοτέρα, vt loquitur Plutarchus.

Situm vt laudādus.

In vniuersum autem, vt notat idem Menāder, consideratur situs ratione cœli, maris, terræ: si locus ad orientem spectat, laudabis in eo lucis principium, & quasi solis cunabula. Si ad occasum, dies, quod instar Coronidis appositus, solem cum laudationibus, & Hymnis dimittere videtur. Si ad meridiem, quod in cœlo, velut in acie plagæ cœlestis medium occupat. Si ad Septentrionem, quod instar arcis munitissimæ editissimam mundi partem obtinet. Si montosus est, laudabis munitionem, & cum neruoso quodam corpore comparabis. Si planus, mollitiem, & æqualitatem. Si regio sicca est, qualitatem in ea cœlestem commendabis: si fœcunda, vtilitatem: si infrugifera, frugalitatis alumnam dices.

Hæc ille Rhetor Græcus, apud quem plura quoque de situ vrbium videre poteris.

Liuius nonnulla in Romæ situ commendat his verbis.

Non sine caussa Dij, hominesque hunc vrbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterrāneis locis fruges deuehantur, quo maritimi conuentus accipiantur, mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad periculum classium, externarum regionum, Italiæ medium.

Munitio.

Munitiones laudantur à loci ingenio, & operibus hominum.

Roma munitissimo loco sita, vt Alpibus, & Apennino defensa: quod Rutilius hisce versibus celebrat.

Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumq; Dei machina tanta fuit:
Excubijs latius prætexuit Apenninum,
Claustraq; montanis vix adeunda viis.
Inuidiam timuit natura, parumq; putauit,
Arctois Alpes opposuisse minis.
Sicut vallauit multis vitalia membris,
Nec semel inclusit, quæ pretiosa tulit.
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosq; habuit Roma futura Deos.

Hominum multitudo.

Decus vrbis quoque est hominum multitudo: nec abs re Aristides orator, qui Adriani temporibus floruit, Romam comparat cum Homerica niue, quæ excelsorum montium iuga operit, & agros item, ac pinguia virorum culta abdit, tantam Romam esse, vt in quacunque parte quis constiterit, nihil impediat, & in media eum esse. ὅπου δὲ ἂν αὐτῆς γίγνοιτο, οὐδέν ἐστι τὸ κωλύον ὁμοίως εἶναι ἐν μέσῳ.

Alimenta.

In alimentis consideratur bonitas, copia, salubritas, comportandi, & emendi facilitas.

Aristid. Mare per medium vestrum imperium porrigitur, cui vndique amplæ regiones adiacent, necessaria pleraque vobis subministrantes. Nam ex omni terra, marique, quicquid vel anni tempora gignunt, vel regiones singulæ, fluuij, latus, artesque item, & ingenia, tum Græcorum, tum barbarorum proferunt, id omne ad vos defertur. Itaque si quis talia omnia videre desiderat, is vel per totum orbem peregrinetur necesse est, vel in vestra ista vrbe versetur. Quicquid enim apud alias, vel crescit, vel conficitur, hic affluit, & abundat; tot autem, & tantæ onerariæ naues, singulis anni temporibus appelluntur, vt vrbs, communis quædam orbis officina videatur. κοινὸν ἁ τῆς γῆς ἐργαστήριον, vt appellat.

Aedificia.

Ædificia magnum vrbi decus afferunt, & publica quidem primùm laudanda, deinde pri-

de priuata commendantur à materia, forma, artifice, fine, partibus, adiunctis.

Illa per Synathroismon laudat Ammianus lib. 16. cap. 6. vbi Constantii ingressum in vrbem Romam describens ipsum intuentem, & mirantem præcipua operum facit.

Montes Romani.

Deinde intra septem montium culmina per accliuitates, planitiemque posita vrbis membra collustrans, & suburbana, quicquid erat, primum id eminere inter alia sperabat Iouis Tarpeij delubra, quantum diuina terrenis præcellunt, lauacra in modum prouinciarum extructa, amphitheatri molem solidatam, lapidis Tiburtini compage, Pantheon, velut regionem teretem, spatiosa celsitudine fornicata, elatosque vertice scansili suggestus Consultum, & priorum Principum imitamenta portantes, & vrbis templum, forumque pacis, & Pompeij theatrum, & odeon, & stadium, aliaque inter hæc decora vrbis æternæ.

Tarpeia rupes.

Templa.

Roma templa.

Templorum laudatur antiquitas, altitudo, longitudo, latitudo, materia, structura, ornatus, donaria, religio, &c. Romæ quadringenta, & viginti quatuor fuerunt, celeberrima Tarpeion, Pantheon, Templum pacis, Torpeion siue Capitulinum templum, quale erat sub Tarquinio describit Dionys. Alicarn. Situm est, inquit, in altera crepidine, habetque in ambitu octo iugera, sic vt latera singula ducentorum ferè pedum sint, exigua latitudinis, & longitudinis eius differentia, nisi quod ista illam vincit vix pedibus quindenis, qua parte frons eius meridiem spectat, triplici columnatum ordine circumcingitur, ab alijs lateribus duplici. In ipso sunt tres sellæ ex ordine à lateribus communione parietum clausæ, media est Iouis, vtrinque, altera Iunonis, altera Mineruæ, sub eodem laqueari, eodemque tecto. Conferamus si placet cum hac descriptione Ephesiæ Dianæ templum, miraculum orbis terrarum. Sic describit Plinius naturalis historiæ, libr. 36. cap. 14. Magnificentiæ vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ ducentis annis factum à tota Asia, in solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret, ne in lubrico, atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, antè calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ; vniuerso templo longitudo est quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine; ex his triginta sex cælatæ, vna à Scopa; operi præfuit Chersiphron architectus: Summa miracula Epistylia tantæ molis attolli potuisse, id consequutus est ille vt peronibus arena plenis molli puluino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens ab imo, vt sensim totum in cubili sideret; difficillimè hoc contigit in limine ipso, quod foribus imponebat. Etenim ea maxima moles fuit, nec sedit in cubili anxio artifici mortis destinatione suprema. Cætera eius operis ornamenta plurium librorum instar obtinent, nihil ad specimen naturæ pertinentia. Vide etiam quæ Iosephus habet de templo Hierosolymitano, libro sexto de bello Iudaico cap. 14. τὸ Ἅγιον ἅγιον, &c. vbi fuse hoc mundi miraculum describit.

Templum Captolinum.

Templum Dianæ Ephesiæ.

Theatra.

Theatra præcipuum locum obtinent, inter vrbis ornamenta, in quibus spectantur partes, vt scena, postcenium, Orchestra, Cunei cauea, deinde, ornatus, vt columnæ, tabulæ, signa, ad summum totum scenicorum theatrum. Nonnulla attigit Plinius li. 36. cap. 15. in theatro Scauri. M. Scaurus fecit in ædilitate sua opus maximum omnium quæ vmquam fuere humanas manu facta, non temporalia mora, verum etiam æternitatis destinatione. theatrum hoc fuit, scena ei triplex altitudine trecentarum sexaginta columnarum, in ea ciuitate, quæ sex hymertias non tulerat siue probro ciuis amplissimi: ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitreo, inaudito etiam postea genere luxuriæ, summæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus imæ duodequadragenum pedum, signa ærea inter columnas fuerunt tria millia numero, cauea ipsa cœpit hominum octoginta millia, cum Pompeij amphiteatro toties multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, sufficiat large quadraginta millia, &c.

Fora.

Fora Romæ quinque, Romanum, Iulium, Augustum, Transitorium, Vlpium, non prætermittuntur ab encomiastis, quæ erant prorsus magnifica.

Balnea.

Balnei structura laudanda, excutiendæ partes singulæ, ornatus deinde insigni laude non caret.

caret. Habes de hac re luculentũ exemplũ ex Luciano de quo nos libro vndecimo. Seneca quoque perstringit epist. 87. Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis, ac pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis vndique, & in picturæ modum variata circumlitio prætexatur, nisi vitro circundetur, nisi Parius, & Thasius lapis, quondam rarum in aliquo templo spectaculum, piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epitonia fuderint. Et adhuc plebeias fistulas loquor: quid cum ad balnea Libertinorum peruenero, quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, & impensæ causa, quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? eo deliciarum venimus, vt nihil nisi gemmas calcare nolimus.

Aquæ ductus.

In aquæ ductibus spectantur moles, artificia, operis vtilitas, iucunditas, necessitas, &c. De quibus Plinius Si quis, inquit diligentius æstimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, Euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque aduenientium extructos arcus, montes perfossos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Lepidè Rutilius:

Quid loquor aërio pendentes fornice riuos,
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potius dicas creuisse in sydera montes,
Tale Gigantæum Græcia laudat opus.

Pontes.

In Pontibus consideratur fluminum celebritas, Pontium necessitas, structura, firmitas, vsus, vtilitas, & cætera de quibus Xiphilinus. Traianus imperator pontem lapideum super Istrum statuit, quem ego nec dignè quidem habeo admirari. Nam etsi alia pulcherrima principis eius opera extant, tamen hoc est super omnia: pilæ igitur eius sunt viginti è lapide secto, & quadrato, quæ altitudinem habent centum & quinquaginta pedum, latitudinem sexaginta, distant inter se centum octoginta pedes fornicibus deuinctæ, quomodo autem non aliquis sumptum in istas pilas admiraretur, quomodo non & constituendi, firmandique modum, idque in flumine magno, & vorticoso, & fundo ipso infido, & limoso? nam nec auertere quidem cursum fluminis licuit vllo modo; nec verò de magnitudine fluminis ideò dixi, tanquam ibi maximum sit, imò verò alibi duplo maius est, aut triplo, atque instar pelagi se diffundit. Sed quia locus ille arctissimus ibi locorum, & aptissimus ponte iungi, est tantus. Quo autem magis in arctum illud ex lato extrahitur, & rursum in latum se effundit, tanto nimirum & rapidius fluit, & profundius existit, & hoc quoque difficultatem, atque arduum operis valde auxerit. Magnitudo igitur Traiani ex eo quidem constat, non tamen vsum nunc nobis præbet, sed pilæ duntaxat stant; quasi in eum finem modò structæ, vt documento sint nihil esse, quod ingenio humano non possit effici.

Priuata ædificia.

In priuatis ædificijs sunt domus & villæ. In quibus laudatur amplitudo, structura, ornatus. Tanta erat laxitas maiorum ędium Romę, vt angustè se habitare putaret, cuius domus tantum pateret, quantum Cincinnati rura patuerunt, erant autem quatuor iugera: Molitio admirabilis erat; columnæ ex longinquis regionibus conquisitæ, de quibus tam sæpè mentionem faciunt Poëtæ. Propertius:

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.

De structura & ornatu communiter Seneca ep. 96. Quid inter pueros, & nos interest? nisi quod nos circa tabulas & statuas insanimus cariùs inepti, illos reperti in littore calculi leues, & aliquid habentes varietatis delectant, nos ingentium maculæ columnarum, siue ex Aegyptijs arenis, siue ex Africæ solitudinibus aduectæ, porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt: miramur parietes tenui marmore inductos, cum scimus quale sit, quod absconditur, oculis nostris imponimus, & auro tecta perfundimus, quid aliud, quàm mendacio gaudeamus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. quid, quod, vt ait idem, versatilia cœnationum laquearia ita coagmentabant, vt subinde alia, atque alia facies succederet, & toties tecta, quoties fercula mutarentur? *Aedificiorũ luxus.*

Nero Cæsar vestibulo ædium suarum colossum centum viginti pedum habuit, deinde porticus triplices, item stagnum maris instar circumseptum ædificijs, ad vrbium speciem, rura insuper armis, atque vinetis, & pascuis, syluisque varia, cum multitudine om-

nis generis pecudum, & ferarum in cæteris partibus, cuncta auro lita, distincta gemmis, vnionumque conchis, erant cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores, & vnguenta desuper spargerentur, præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò, vice mundi, diebus, ac noctibus circumageretur.

Villa.

Specimen villarum aspice in vna villa. Extat, inquit Plinius, Gordianorum villa Prænestina ducentas colũnas vno peristylio habẽs, quarum quinquaginta Charistææ Claudianæ, quinquaginta Syenitides, quinquaginta Numidiæ, pari mẽsura sunt, in qua Basileę centenariæ tres, cætera huic operi conuenientia, & thermæ quales præter vrbem nusquam in orbe terrarum. Commemorat quoque Plutarchus in Lucullo eius ædificia sumptuosissima: nam ad Neapolin tumulos suspendit fossuris, Euripis, & in riuis pisculenta ædificia sua circumiecit, Diætas Marinas extruxit, quas Tubero stoicus contemplatus appellauit eum Xerxem togatum.

Sed operæpretium est egregium Caij Plini Iunioris epistolam lib. 5. epist 6. legere, vbi de industria villam omnibus coloribus depingit.

Fontes.

Laudem fontis peremus ex Plinio. Fons oritur in monte, per sara decurrit, excipitur cœnatiuncula manufacta, ibi paulum retentus in Latium lacum decidit, perinde die statis auctibus, & diminutionibus crescit, decrescitque, cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur, iuxta decumbis, & vesceris; atque ex ipso fonte, nam frigidissimus est, potas.

Flumina.

Flumina laudantur ab ortu, scaturigine copiosa, velocitate, colore, piscatu, piscium generibus, & multitudine, & alijs fluuijs, quos recipiunt, & locis, per quæ fluunt, denique à nauium frequentia.

Montes.

Mons celebratur à magnitudine, radicibus, vallibus, viribus, miraculis, prodigijs, rebus memorabilibus, frugum vbertate, & copia.

Agri.

Laudationis in agro capita erunt, fertilitas, amœnitas, varietas arborum, & herbarum, cultura, situs.

Viri, & virtutes. Sed omnino laudanda sunt vberius ea, quæ communi consensu maiora sunt, *religio, legum maiestas, ritus, consuetudines, priuilegia, iustitia, clementia, fortitudo, probitas, constantia, ars militaris, doctrina studia, Gymnasia, opificum industria,* de quibus diximus superius.

Quæ Cicero pro Flacco, sectione 62. paucis complexus est, cum de Athenarum vrbe sic agit:

Adsunt Athenienses, vndè humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur; De quorum vrbis positione propter pulchritudinem, etiam inter Deos certamen fuisse proditum est: Quæ vetustate ea est, vt ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: authoritate autem tanta est, vt iam fractum prope, ac debilitatum Græciæ nomen huius vrbis laude nitatur. Et de Lacedæmonijs:

Adsunt Lacedæmonij, cuius ciuitatis spectata, & nobilitata virtus, non solum natura corroborata, verum etiam disciplina putatur: qui soli in orbe terrarum septingentos iam annos amplius vnis moribus, & nunquam mutatis legibus viuunt.

Ibidem de Massilia, & cæteris.

Laus virtutum, & Scientiarum.

CAPVT XXII.

LAus Virtutum, & scientiarum ijs fermè capitibus excurrit, quæ in laude personæ notaui superiùs.

In virtutibus quippe expenditur honestas, vtilitas, necessitas, quod vt plenius assequatur orator, modo earum definitionem, seu potius descriptionem clarissimis pingit coloribus, modò ipsius obiecti dignitatem amplificat, modo eius originem, & causas arcessit, modo effectus admirabiles ponit ob oculos, modo contrariorum vitiorum pingit deformitatem, modò inferiorum virtutum comparatione, eam quam laudat, celsius attollit.

Ad hæc contexit sapientum effata, historias, similitudines, emblemata, quibus quasi tessellato

stellato opere distinguatur oratio. Horum non nulla persequutus est Aphthonius in Encomio sapientiæ: Primum enim ab eius dignitate incipit, & ostendit sapientiam *Communem esse Deorum possessionem*, κτῆμα θεῶν.

Sapientia iam.

Nam Iunoni nuptias, Marti bella, Vulcano fabrilia, Neptuno tribui nauigationes, sapientiæ verò omnes indigere, καὶ σοφίᾳ αὐτὴν ἐκτήσαντο σύμφυτον. Proinde semen esse quoddam cœli, & radium summæ maiestatis, quo, qui inter mortales prædíti sunt, hoc θεῖον πάθος appellamus.

Mox ad eius necessitatem, & varias vtilitates delabitur, & plenè indicat sapientiam, omnium esse temporum, omnium negotiorum propriam, nec magis pacis, quàm armorum, πολεμίοις μὲν γὰρ καλὰ πόλεμον, οὓς εἰρήνη παντελῶς ἀγνοήσασα, τὴν εἰρήνης οὕτω μετέσχηκεν εἰς ἀγνοῦντα καθάπαξ τὰς μάχας.

Deinde eius commoda vbique terrarum in vita ciuili percurrit, & quid imperatoribus, & belli ducibus, quid agricolis, quid nauigantibus, quid vniuerso hominum generi conferat, ostendit.

Ἀδὲ γεωργοῖς ἄνακτα τὴν γὴν, ἢ τοῖς πλέουσι νέμει τὴν θάλατταν, &c.

Nec satis; ipsam sapientiam in cœlum penetrantem inducit, & totam superioris mundi Oeconomiam admirabili virtute complexam.

Αὕτη λαβεῖν οὐ κατέλιπεν ἄπορόν τινα εὑρετὴς ἐχεῖ παρ' ἑαυτῷ. Καὶ γὰρ ὁ ζωγράφος τὰ μὲν ἔκτυπα, μόνη δὲ σοφία τοῖς ἀνθρώποις ἔκτυπα.

Quartò eius diuersos effectus artificiosè per historias explicat, vt cùm dicit sapientiam Troiam cœpisse, Sapientiam Cyclopis oculum effodisse, Sapientiam Persarum robur contriuisse.

Postremò auget à comparatione minorum & sapientiam cum fortitudine comparans, hanc longè inferiorem, illam gloriosiorem planè declarat.

Εἶτα πῶς οὐχ ἁνδρείαν παραβαλῶ, &c.

Ad hoc genus pertinent λόγοι, quos antiqui χρείας ab vtilitate nominarunt, sunt enim propriè orationes de vitijs, & virtutibus, aliqua sententia complexis, quæ tractantur sæpissimè per paraphrases, & descriptiones rei, per causas, per contraria, per similitudines, per exempla, per veterum testimonia, quæ Aphtonius in arte vocat παραφραστικὸν τὸ ἔμπας τὸ ἀνάπαλιν, παραβολὴν παραδείγματα, μαρτύρια παλαιῶν. Quorum omnium ars ex Libanio, Theone, & Aphtonio, vel ijs, qui adhuc nate discunt, cum cortice satis nota est.

Artes, & scientiæ, haud dissimili quidem ratione laudantur: Soler enim primum earum inquiri nobilitas, quæ ex inuentoribus non raro peti solet. Deinde ostenditur antiquitas, & ortus, & progressus, & obiecti dignitas, & commoda in omnẽ ciuilis vitæ partem longè lateque diffusa, & honores istarum artium professoribus habiti, & libri scripti, & ingeniorum claritas, & multitudo, & scientiæ veritas, & constantia, & necessitas, & si quid huiusmodi.

De veterum in epidicticis orationibus artificio.

CAPVT XXIII.

PLacet quoque ad huius libri coronidem nonnulla de veterum in tractandis orationibus Epidictis artificio suggerere, licet superiora sint exemplorum varietate distincta.

Aedificiorũ luxus.

Primus omnium occurrit Thucydides, cuius funebris legitur oratio lib. 2. in Atheniensis, qui pro patria fortiter occubuerant. Sed vt dicam, quod sentio, minimè est Epidicticus, imò austerus, grandis, subhorridus, & rerum potius sincerus pronuntiator (quod dixit M. Tullius) quàm facundus laudator. Itaque hunc ἐπιτάφιον λόγον, quod nihil habeat admodum eximium prætermitto, summa capita delibasse contentus, in quibus dispositio admodum vulgaris, & excursiones, quas nollem hoc tempore imitari.

Partitio orationis Thucydidis.

Thucididis ἐπιτάφιος λόγος.

Primum, Exordium est ab excusatione, rei magnitudine, cum vitiũ tenuitate comparata. Simile est exordium Demosthenis in ἐπιτάφιον λόγον, cuius lib. 1. memini. Tenuitate (inquit) oratoris periclitatur fama celebritatis. Itaque satius res magnas obuoluere silentio, quam ingenij culpa deterere, vide Horat. Od. 6 libr. 1.

Oratio funebris Thucididis.

Secundum, Laudationis sit initium communi, & antiquo filo. Maiores primum laudantur, etsi minus ad rem: similia in Demosthenis λόγῳ ἐπιταφίῳ, & in odis Pindari, in quibus laxiora sunt huiusmodi lusitantis facundiæ parerga.

Tertium, Politia Athenienſium ab optima temperie commendatur. Experti sunt autem primum Reges, deinde ἄρχοντας perpetuos: Mox Decennales, re in Democratiam, de qua hic Thucydides, adducta.

Quartum, Athenienſis reſpublica ſectata eſt elegantiam cum frugalitate, Philoſophiam ſine mollitie. Talem temperiem laudat Plutarc. de fortuna Alex. τὸ ἀνειμένων οὐκ ἀργὸν, τὸ εὔπονον οὐκ ἀπαραμύθητον.

Quintum, Athenienſes non tantùm verbis, ſed & operibus ſtudent. Nam ſapiens oratio ſine actione, clauda virtus eſt, vt ait Cyrillus apud Sanctum Maximum.

Sextum, Athenienſes benefici, nec ſimiles τοῖς ἐπὶ τῶν χρημάτων συκοφάνταις, ἀφ' ὧν ἄνθρωπος μηδὲν λαμβάνει, vt ait Plutarch.

Septimum, Confirmat narrationem ab effectis.

Octauum, Poſt laudem vrbis, & maiorum, delàbitur in laudes mortuorum, quos à fortitudine glorioſæ mortis commendat: De huius obitus gloria extat Ariſt. hymnus apud Laert. Ἀρετὰ πολύμοχθε γένει βροτέῳ, &c.

Nonum, Cæteros acuit eorum exemplo, quanquam eius oratio plus habet grauitatis, quàm aculeorum.

Hæc autem præcipua nota viſa ſunt, vbi agit de mortuorum gloria.

Vita præſtantiſſ. ciuium collocata reip.

Οὐκ οὖν διὰ τὴν πόλιν γε τοσαύτας ἀρετὰς ἀξιοῦντες στερίσκειν, κάλλιστον ἔρανον αὐτῇ προϊέμενοι. κοινὴν γὰρ τὰ σώματα διδόντες, ἰδίαν δ' ἀγήρων ἔπαινον ἐλάμβανον, καὶ τὸν τάφον ἐπισημότατον, οὐκ ἐν οἷς κεῖται μᾶλλον, ἀλλ' ἐν οἷς ἡ δόξα αὐτῶν παρὰ τοῖς ἐντυχοῦσι

Sepulcrum illuſtr. virorum totum mundus.

ἀεὶ, καὶ λόγου καὶ ἔργου καιρῷ ἀείμνηστον καταλείπεται. ἀνδρῶν γὰρ ἐπιφανῶν πᾶσα γῆ τάφος, καὶ οὐ στηλῶν μόνων ἐν τῇ οἰκείᾳ σημαίνει ἐπιγραφὴ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μὴ προσηκούσῃ ἄγραφος μνήμη παρ' ἑκάστου τὴν γνώμης μᾶλλον ἢ τοῦ ἔργου ἐνδιαιτᾶται. οὓς νῦν ὑμεῖς ζηλώσαντες, καὶ τὸ εὐδαιμον, τὸ ἐλεύθερον, τὸ δὲ ἐλεύθερον, τὸ εὔψυχον κρίναντες, μὴ περιορᾶτε τοὺς πολεμικοὺς κινδύνους. οὐ γὰρ οἱ κακοπραγοῦντες δικαιότερον ἀφιέσθαι ἂν τοῦ βίου, οἷς ἐλπὶς οὐκ ἔστ' ἀγαθοῦ· ἀλλ' οἷς ἡ ἐναντία μεταβολὴ ἐν τῷ ζῆν εἰ κινδυνευθείη, καὶ ἐν οἷς μάλιστα μεγάλα τὰ διαφέροντα, ἂν τι πάθωσι. ἀλγεινοτέρα γὰρ ἀνδρὶ γε φρόνημα ἔχοντι ἐν τῷ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις, ἢ ὁ μετὰ ῥώμης καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἅμα γιγνόμενος θάνατος, καὶ ἀναίσθητος θάνατος.

NOn ſtatuerunt ſua virtute fraudandam eſſe ciuitatem, ſpecioſiſſima eam collecta donantes: Publicè namque corpora impendentes, priuatim laudem, quæ nunquam ſeneſcet, acceperunt: ſimul & honorificentiſſimam ſepulturam, non magis eam, in qua ipſi ſunt ſiti, quam ſempiterna gloria, quæ; vt; ſeſe quodq; offeret tempus, vel narrandi, vel imitandi, celebranda relinquitur. Quippe illuſtrium virorum tumulus orbis vniuerſus: neque id domeſticorum tantùm ſaxorum teſtatur inſcriptio, ſed etiam ſine literis in exteras gentes egreſſa memoria, magis apud animum cuiuſq; quam apud vrnas commoratur. Quos ipſi nunc adimitandum vobis cum proponatis, & fœlicitatem exiſtimetis eſſe libertatem, rurſuſque libertatem eſſe fœlicitatem, nolite bellica recuſare diſcrimina. Neque enim, qui aduerſa fortuna laborant; inſtius vitam contempſerint, quibus ſpes boni non eſt, ſed quibus aduerſa commutatio, ex proſpera fortuna in aduerſam periclitatur. Triſtiorque eſt viro prudenti, contumelia comes ignauiæ, quàm per fortitudinem, & publicam ſpem, ſine ſenſu futura mors.

(* *)

Longè

Orationis funebris ex Aristide exemplum.

LOngè suauior est, mollior, & methodo instructior in laude Eteonei, cuius orationis hæc sunt capita:

Primum, Exordium lene & elegans, in quo delineatio totius orationis. Deflendum esse scilicet Eteoneum mortuum, propter eximias virtutes, quibus effulsit.

Secundum. Virtutes mixtę Eteonei summatim perstrictæ, aptæ est initijs hæc veluti præcerpta, & summa tantùm capita delibans laudatio. Paucis autem multa complectitur, & plurimum habet venustatis. Exemplum attuli ex Plinij panegyrico, & D. Gregor. Nazianz. in Atha. ὑψηλὸς μὲν τῇς ἔργοις, ταπεινὸς δ' τῷ φρονήματι, & cætera, quæ infra fusius.

Tertium, Laudationis initium à genere, quod est in istis argumentis frequens. Et apud Herodianum gloriatur Commodus Imp. ὁμοῦ δ' μ' εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον, καὶ βασιλέα.

Quartum, Breuissimè educatio, & pulchritudo laudantur. Sic paucis sunt perstringenda, in quibus nihil multum eminet, nec tornandum, quod ait Iulianus, milium. Et hæc grauiora, quàm si formæ laudem picto stylo texuisset. Magnum est mentem bonam in pulchro corpore sortiri. Laudat autem in eo γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δὲ ἠθῶσαν, vt celebratur Græco prouerbio, Mentem senilem in corpore iuuenili. Et eos gratiores iuuenes Cato Tullij censet, qui præ se ferant aliquid senectutis; quod de nobilissima Virgine, & martyre Eulalia cecinit acutè, vt solet Prudentius;

Mens senilis in corpore iuuenili.

Moribus tenera canitiem meditata senum.

Literarum studium.

Quintum, Commendatur in eo literarum studium, & eruditio. Vita est hæc sapientis. Otium verò, sine literis viui hominis sepultura, quod præclarè dixit Seneca. Ὁ νοῦς δεῖ, εἰ χαμαιτυπικῶν δεῖσθαι νόμασιν, monet Nazianz. tetrast.

Sextum, Obseruantia in præceptorem. Eximia laus eius ætatis, cui sufficit obsequij gloria. Quantum autem præceptorum charitati debeatur, declarat Seneca lib. 6. de beneficijs.

In docendo, & laborem, & tędium tulit, præter illa, quæ percipientibus in commune dicuntur, aliqua instillauit, ac tradidit. Hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam: Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.

Nec mirum, si Episcoporum nomen tributum olim iuuentutis moderatoribus, vt liquet ex Oppiano, lib. 1. de venat. v. 681. Μυσταγωγὸν ἔργων ἄπο παῖδες ἴωσιν Ἀθρόοι, οἱ δ' ἀῤ, ὅπιδεμ Ἐπίσκοποι ἐργὺς ἴωνται.

Episcopi dicti moderatores iuuentutis.

Præceptores Episcopi nominati.

7. Celebratur eius verecundia, vbi dicitur αἰδοῦς ἄγαλμα, hoc est, *pudoris simulachrum*. Præclara laus apud veteres, apud quos magna veneratio huiusce virtutis: testatur nobile dictum hieroglyphicis incisum in propylæo Pylonis contra impudentiam. ὦ γενόμενοι, καὶ ἀποστινόμενοι θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν. ex Clemente Alexandr. lib. 5. in Symbolis.

Octauum, Deploratio, & affectus, quàm suauissimi amoris, quando non degenerant in insanam illam næniam, quam habet Himerius in simili argumento, cuius ego feci mentionem in libro de affectibus.

Deus è machina.

Nonum Deus è machina consolatur affines mortui, in quo artificiosa sophistæ peroratio; qui per hanc prosopopœiam, & orationi plus gratiæ, & dictis plus auctoritatis conciliat. Verba autem non iam sunt tanquam ἐκ σκηπτροῦ (quod aiunt) θεσπιῳδόμενα, sed planè, quę videantur ex Oraculo fusa, ita tota sententijs illuminantur, vt vestis auro. Tales sunt istæ:

Vitę tempus etiam longissimæ breuissimum esse, si cum æternitate comparetur, pulcherrimè quoque dixit Philon, in oratione Iacobi Patriarchæ. καὶ γὰρ ὁ μακροβιώτατος καὶ ὀλιγοχρονιώτατος ἀντεξετάζόμενος αἰῶνι.

Boni est Poëtę, ante satietatem fabulę finem imponere. simillima dixit Tullius in dialogo de senectute.

Senectus autem peractio ætatis est, tanquã fabulę, cuius defatigationem fugere debemus, præsertim adiuncta satietate. Et Seneca, quomodo fabula, sic & vita; non quamdiu, sed quàm benè acta sit, refert.

Hæc autem precipua nota visa sunt.

Deploratio mortis Eteonei.

Laus Eteonei, ex Aristide.

Ὦ παντα σὺ κάλλιστε παῖδων. Ὡς μὲν τῆς προσηκούσης ἡλικίας οὐκ ἐπιλαμβανό-

O Pulcherrime puer, qui cùm legitimam ætatem non esses assequutus, eam tamen,

μνος, ἢ δὴ ὑπαρχόντως πεπαύσεσθαι φασὶν, καὶ πρεσβύτερος, σὲ ποθοῦσι μὲν ἥλικες χοροὶ, ποθοῦσι δὲ πρεσβύτεροι πολλῷ δὲ μᾶλλον ἐπὶ σοὶ πάλαι ἐλπίσασα. ἦν σὺ πρώην, πρῶτα δὴ καὶ τελευταῖα βοράσιμος ἢ τοῖς νύκτες, ἢ πῖνες ἡμέραν λοιπὸν ἢ πρὶν μὲν ὡς καλίστας ἦσθα. ἰὼ δὲ ἐξελλιλαγχτας ὡς δυσκήδεσα. ὦ κύκλοι μὲν ὀφθαλμῶν ἐκείνων κεκλεισμένοι τ' ἄπαντα ἤδη χρόνον· ἀφαλὰ δὲ καὶ πρότερον χαριεσάτη, νῦν δὲ κόνις. χεῖρες δὲ φιλαὶ. ὦ πόδες οἷον φερόντες τ' δεσπότην, ὑπεδέχεσθε! ὦ νυμφίου ἐλεεινότερον, τὸ ἁρμὸ χαμαὶ κείμενε, καὶ σεφάνοις μᾶλλον πρέπων, ἢ θρηνείοις, οἷαν σὺ ὥρα τὴν ἀωρίαν ἐκίνησας. ὡς πρὶν ὑμέναιον ἆδειν σοὶ, χαρὰν εἶναι τὸ θρήνους ἀδεῖν κατέλαβες. ὦ σχῆμα κάλλιστον! ὦ φθέλμα κεῖνον τοῖς Ἕλλησιν ἀοξανόμενον. εἶχε δὲ προοίμια τάμὸν, τοιοῦτον ἐυφράνας, οἷον λυπῆται μειζόνως.

Ἐπέρχεταί μοι τὸ τοῦ Πινδάρου πρόθεσις. Ἀσράτε, καὶ ποταμοὶ, καὶ κύμαλα πόντου, τὴν ἀωρίαν τὴν σὴν ἀνακαλεῖ. ὦ τοῦ δευτέρου πώματος, οἷος, ἰφ' οἷα τῶν νεῶν κεῖται! ὦ τοῦ δαίτης, οἷον αὖ τὸ δεύτερον ἡμῖν ἔσεσεν! ὦ τοῦ δαιμονίου, ὃς προθείς ἀρτίως βαλευτήρια, καὶ λόγους, καὶ ζῆλον, καὶ χαρὰν, πόρρω τοῦτον οἰήσεται τὸ δρᾶμα καταλήψεσθαι! ὦ συμφορᾶς κοινῆς λογίου καὶ χθονίων θεῶν τί πολὲ καὶ ἀποκρινοῦμαι πρὸς τὰ ψηφίσματα; ἢ τοῦτο, ὅτι Ετεωνεὺς οἴχεται παρὰ τοὺς κρείττονας; ὦ δεξιώτατε παίδων, οἷον σοὶ πέμπω βιβλίον! ὧν ταῦτ' ἀποδύεις λόγων. ἀλλὰ γὰρ ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ ἐνί ὅς ἀληθῶς μεγαλοῦ τ' ὀδυρμοῦ, δοκῶ μοι χαταχόσει φανῆς ἀπὸ μηχανῆς, θεοῦ ἐνὸς μεγαβάλλοντος τὸν θρῆνον εἰς ἐφκμίαν· ἢ λέγοντος, παύσασθε, ὦ ἄνθρωποι· οὐκ οἰκτρὸς ὁ παῖς, μᾶλλον δὲ ἀνὴρ· οὐ θλιεῖσθαι δίκαιος τ' πορείας ἦν ἐκίλατο. ἀλλ' ἠπέρ ἐς ἄλλο ἔχει καλῶς γὰ δὴ τὰ ἀνθρώπεια. οὐ γὰρ Κωκυτὸς, οὐ Ἀχέρων τοῦτόν γε πλήσασιν, οὐ θήκη κρύψη παραλαβοῦσα. ἀλλ' εὐκλεὴς καὶ ἀγὼς ὅδε τ' λοιπὸν ἅπαντα χρόνον περίεσιν ἡμῶν.

quæ contigerat; grauitate superasti: nunc te requirunt, & æqualium cateruæ & seniores, & vibs, quæ maximam de te ipsem conceperat, quamque tu nuper primùm simul, & postremùm exhilarasti. quæ verò noctes, vel quæ dies matri restant, quæ cum prius ob felicem sobolem celebraretur, nunc infelicis partus est conuicta! ô fulgidi oculorum orbes, in perpetuum deinceps claudendi! ô caput aurea festiuissimum, nunc in cinerem conuersum! ô manus dilapsæ! ô pedes, qualem dominum ferendo titubastis! ô te, & sponso recens visto miserabiliorem, & coronis, quam nænijs aptiorem, qualem in hac ætatis temperie, excitasti luctus intemperiem; qui priusquam tibi Hymenæus caneretur, næniarum dicendarum tempus occupasti! O decorem venustissimum! ô vocem, quæ communiter Græcis crescebat. At procœmio recitato discessit è vita, & delibatam lætitiam vertit in doloris argumentum.

Adijciam & illud Pindari, quoniam succurrit: *sidera q., & fluuij, & fluctus maris tuum deploranæ immaturum finem*! ô alterum ca sum! qualis, in quali templo iaces! ô malorum appendicem, vt nobis iterum hanc ædem calamitas incussit! ô tragicum genium, qui cùm nuper nobis curias, orationes, applausum, & gaudium prætulisset, breui fabulam diuersa ratione concluſit. O communem, & eloquentium, & infernorum Deorum iacturam. Quidnam ad decreta respõdebo? vtrum Eteoneum ad superos abijsse! ô festiuissime puer, qualibus tibi mitto libellum, qualibus nunc foueris orationibus. Enimuerò non aliter, quàm in tragœdia quadam, videor mihi inter lamentationes Dei alicuius, ex machina vocem exaudire, qui næuias in laudes conuertat, itaque dicat: Silete homines, nec enim miser est puer, aut vir potius, nec miseratione prosequendus obiter, quod instirit, quin ipsi, si cui alij benè accidit humanitus. Nam nec Cocytus illum, nec Acheron excepit, nec vrna conteget, sed glorioſus deinceps, & senij expers heros, deget.

Malo intelligi de tripla, quia Græci codices habent ἐν τῷ τριῶ, quàm cum Cæsare, inuentum vertere.

HAEC pro iuuenis morte illustri admodum dicta sunt, sed tamen longè grauior hoc sophista Sanct. Gregor. Nyssen. vbi Pulcheriam regij sanguinis præcerptum flosculum deflet his verbis:

Grego-

Gregorius Nyssenus in funere Pulcheriæ.

Deploratio mortis Pulcheriæ.

Νεοθαλὲς ἄνθος, ὃ οὔπω μὲν ὅλον τῶν καλύκων ἐξέλαμψεν ἤδη, τὸ δὲ λάμψειν ἠλπίζετο, καὶ ὅμως ἐν τῷ μικρῷ τε, καὶ ἀτελεῖ ὑπερέλαμπεν· ὅπως ἀθρόως ἐναπέσβη τῇ κάλυκι, καὶ πρὶν εἰς ἀκμὴν προελθεῖν, καὶ ὅλον εὐωδίᾳ πετάσαι, τὸ ἄνθος αὐτὸ περὶ ἑαυτὸ κατεῤῥύη, καὶ κόνις ἐγένετο, ὁ οὔτε ἐδρέψατό τις, οὔτε ἐστεφανώσατο, ἀλλὰ μάτην ἡ φύσις ἐπόνησεν.

FLos recens pullulans, qui nondum quidem toto suo splendore ex gemmis, ac vaginis emersisset, sed partim quidem iam enituisset, partim verò in lucem emersurus speraretur: nec eò minus in exigua, atque imperfecta sui parte resplenderet: vt repentè in gemma emarcuerit, ac priusquam ad suum vigorem peruenisset, ac summum incrementum nactus esset, totumque cum suaui odore decorem panderet, atque diffunderet, ipse circa se defluxerit, & in puluerem redactatus sit, quem neque quisquam decerpsit, nec coronis adaptauit, sed frustra natura laborauit.

At quæ sequuntur ex Nazianzeno, pro rerum, & personarum conditione, plena sunt grauitatis.

LAVDATIO MIXTA, ET CONCISA PER *frequentationem.*

Ex Diuo Gregorio Nazianzeno, oratione in D Athanasium.

Ἀλλ' ἦν ὑψηλὸς μὲν τοῖς ἔργοις, ταπεινὸς δὲ ὦν φρονήματι· καὶ τὴν μὲν ἀρετὴν ἀπρόσιτος, τὴν εὐτυχίαν δὲ καὶ λίαν εὐπρόσιτος, πρᾶος, ἀόργητος, συμπαθὴς, ἡδὺς τὸν λόγον, ἡδίων τὸν τρόπον, ἀγγελικὸς τὸ εἶδος, ἀγγελικώτερος τὴν διάνοιαν, ἐπιτιμῆσαι γαλήνιος, ἐπαινέσαι παιδευτικὸς, καὶ μηδέτερον τῶν καλῶν τῇ ἀμετρίᾳ λυμήνασθαι, ἀλλὰ ποιῆσαι καὶ τὴν ἐπετίμησιν πατρικὴν, καὶ τὸν ἔπαινον, ἀρχικόν· μήτε τὸ ἁπαλὸν ἔκλυτον, μηδὲ στύφον τὸν αὐστηρόν. ἀλλὰ τὸ μὲν, ἐπιεικείαν, τὸ δὲ φρόνησιν· καὶ φιλοσοφίαν ἀμφότερα· ἐλάχιστα μὲν λόγου διὰ τὸν τρόπον, δεόμενος, ἀρκοῦντα πρὸς παιδαγωγίαν· ἐλάχιστα δὲ ῥάβδου, διὰ τὸν λόγον. ἐκ δὲ ἐλάττω τομῆς, διὰ τὴν ῥάβδον μετρίως πλήττουσαν.

VITA quidem sublimis erat, verùm animo humilis, atque ea quidem virtute, vt nemo ad eam aspirare posset: cæterum ea comitate, vt ad eius congressum facilis aditus omnibus pateret, mansuetus, ab ira alienus, ad miserationem propensus, sermone iucundus, moribus iucundior, facie Angelicus, in increpando placidus, in laudando erudiendi vim habens: sic vtrumque temperans, vt neutrum horum per immoderationem labefactaret, verùm & increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam grauitatem obtineret: nec aut mollities dissoluta, aut seueritas rigida, & tetrica esset, quin potius illa facilitatis, & benignitatis: hæc prudentiæ nomen haberet, vtraque verò sapientiæ laudem consequeretur. Ita denique se comparans, vt nec sermone, propter mores abunde ad institutionem sufficientes, magnoperè opus haberet, nec rursus propter vim, facultatemque dicendi, virga admodum egeret, sectione porrò multò minus, ob virgam moderatè ferientem.

Laudatio Pulchra S. Athanasij.

Athanasius.

Item

Item ex eodem.

Ὃν μὲν ἐπαινεῖτω τὸ σῶφρον τῆς, καὶ προσευχαῖς, οἷον ἀσώματον τε καὶ ἄυλον, ὃν τὸ σῶφρον ταῖς ἀγρυπνίαις τε, καὶ ψαλμῳδίαις, σκληρὸν ὄντα, καὶ ἀκαμπῆ λον. ἄλλον τὸν σὺν προσοχῇ τῆς διομένων. ἄλλον τὸ πρᾶον τὸ ὑπέρχοντα ἀνάτυπίαν, ἢ πρὸς τὸ ταπεινὸν συγκαλάβασιν, οἱ παρθένοι τὸ νυμφαγωγὸν, οἱ ὑπὸ ζυγὸν τὸ σωφρονιστὴν, οἱ τὸ ἐρημίας τὸ πέρωτὸν, οἱ τὸ ἁπλογητὸν, τὸ ὁλκὸν. οἱ τὸ θεωρίας, τὸ θεολόγον. οἱ σὺν εὐθυμίαις, τὸ χαλινὸν, οἱ σὺν συμφοραῖς, τὴν παράκλησιν, τὴν βακτηρίαν, ἡ πολία, τὴν παιδαγωγίαν ἡ νεότης. ἡ πενία, τὸ πορισμὸν, ἡ εὐπορία τὸ οἰκονόμον. λοκοῦσι μοι, καὶ χῆραι, τὸ πρόσωπον ἐπαινέσεσθαι, καὶ ὀρφανοὶ τὸ πατέρα, καὶ πτωχοὶ τὸ φιλόπτωχον, καὶ τὸ φιλόξενον οἱ ξένοι, καὶ ἀδελφοὶ τὸ φιλάδελφον, οἱ νοσοῦντες, τὸ ἰατρὸν, ἢν βάλει νόσῳ, καὶ ἰσχίαν οἱ ὑγιαίνοντες τὸ φύλακα τὸ ὑγείας. οἱ πάντες τὸ πᾶσι πάντα γενόμενον.

HIc illius, velut corpore vacantis, ac materiæ expertis, in ieiunijs, & eiusmodi assiduitatem laudibus vehat. Ille insuperabilem in vigilijs, & psalmodijs vigorem. Alius egentium curam, & præsidium: alius, vt vel superbis, & elatis restiterit, vel ad humiles se demiserit narret. Virgines laudent pronubum, quæ matrimonij iugo constrictæ sunt, moderatorem, qui solitariam vitam agunt, excitatorem, & erectorem, qui in sodalitio viuunt, legislatorem. Simplices deductorem, speculationi dediti Theologum, hilares frænum, calamitosi consolatorem, canities baculum, iuuentus pædagogum, paupertas largitorem, diuitiæ dispensatorem. Quin mihi videntur viduæ patronum laudaturæ, & pupilli patrem, & pauperes pauperum studiosum, & peregrini hospitalem, & fratres fratrum amantem, ægrotantes medicum, idque cuiuscunque morbi, ac medicamenti, volueris, sani valetudinis custodem, omnes denique eum, qui omnia omnibus factus est, vt omnes vel quam plurimos lucrifaceret.

LAVS ERVDITIONIS MIXTA PER Synatroismon.

Ex Diuo Gregorio Nazianzeno, oratione in magnum Basilium.

Basilij laus.

Eruditionis laus vel scientia.

Ποῖον μὲν εἶδος οὐκ ἐπῆλθε παιδεύσεως; μᾶλλον δὲ ποῖον, οὐ μεθ' ὑπερβολῆς, ὡς μόνον οὕτω μὲν ἅπαντα διελθὼν, ὡς οὐδὲν εἰδὼς ἔμ. οὕτω δὲ εἰς ἄκρον ἕκαστον, ὡς τἄλλων οὐδὲν. πῶς γὰρ εὐφυΐα σωφρονοῦσα μὴ ἄνευ διατριβῆς καὶ τέχνης τὸ κράτος ἔσχεν. ἔκεισα μὲν τάχους φύσεως διὰ πόνου διώλυσε, ἤκεισα δὲ πόνου, διὰ τάχος. οὕτω δὲ ἀμφότερα συλλαβὼν, καὶ εἰς ἓν ἀγαγὼν, ὥστε ἕτερον εἶναι θατέρου τούτων ἐκεῖνος θαυμασιώτερος. τίς μὲ ῥητορικὴν τοσοῦτος τὴν πυρὸς μένος πνεύσαν, εἰ καὶ τὸ ἦθος αὐτῷ μὴ κατὰ ῥήτορας

QVod disciplinæ genus est, in quo versatus non sit, atque ita eximie versatus, quasi in eo solo elaborasset. Sic nimirum omnia complexus, vt ne vnum quidem quisquam singula rursus ita ad summum, quasi nihil aliud præterea didicisset. Ad ingenij enim acrimoniam studium accedebat, ex quibus imperium artibus, scientijsque comparatur. Qui cum celeritate naturæ propter laborem, & contentionem minimè opus haberet, quemadmodum nec labore propter ingenij magnitudinem: sic tamen vtrumque coniunxerat, vt non satis liqueret, vtro nomine admirabilior esset. Quis in Rhetorica, illa, inquam, vim ignis spirante, cum eo com-

ἦν; τίς δὲ γραμματικὴν, ἢ γλῶσσαν ἐξελληνίζει, καὶ ἱστορίαν συνάγει, καὶ μέτροις ἐπιστατεῖ, καὶ νομοθετεῖ ποιήμασι; τίς δὲ τὴν φιλοσοφίαν, τὴν ὄντως ὑψηλήν τε καὶ ἄνω βαίνουσαν, ὅση τε πρακτικὴ καὶ θεωρικὴ, ὅση τε περὶ τὰς λογικὰς ἀποδείξεις καὶ ἀντιθέσεις ἔχει, καὶ τὰ παλαίσματα, ἢν δὴ διαλεκτικὴν ὀνομάζουσιν; ὡς ῥᾷον εἶναι τοὺς λαβυρίνθους διεξελθεῖν, ἢ τοὺς ἐκείνου τοῦ λόγου ἄρκος διαφυγεῖν, εἰ τοῦτο ἐδέησεν; ἀστρονομίας δὲ καὶ γεωμετρίας, καὶ ἀριθμῶν ἀναλογίας, τοσοῦτον λαβὼν, ὅσον μὴ κλονεῖσθαι τοῖς περὶ ταῦτα κομψοῖς τὸ περιττὸν διέπτυσεν, ὡς ἄχρηστον τοῖς εὐσεβεῖν ἐθέλουσιν. ὥστε μᾶλλον μὲν τὸ αἱρεθὲν τοῦ παρεθέντος ἐξεῖναι θαυμάζειν.

comparandus, tametsi illius mores à Rhetorum moribus dissiderent? Quis in Grammatica, quæ linguam ad græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in Philosophia, excelsa procul dubio scientia, & sursum gradiente, siue eam partem spectes, quæ in actione, & speculatione posita est, siue eam, quæ in Logicis demonstrationibus, aut oppositionibus, & concertationibus versatur, quam Dialecticam vocant, in qua adeo excelluit, vt ijs, qui cum eo disputabant, facilius esset sese extricare è labyrinthis, quàm argumentorum eius laqueos effugere, si quando res ita postularet? Iam verò Astronomiam, Geometriam, numerorum proportiones, hactenus didicisse contentus, vt non ab ijs, qui eiusmodi rebus sciti, & eruditi sunt, exagitaretur, quicquid supererat, vt pietatis cultoribus infrugiferum contempsit: adeo vt & quod elegit, magis admirari, ac prædicare liceat, quàm quod reliquit.

HÆc nos obiter: Qui plura volet in hoc genere, videat Luciani Demosthenem, Plinij Traianum, Panegyresque Imperatorum ex Latino Pacato, Eumene, & alijs; nulla est materia, in qua fœcundiùs omnia penè ingenia luxuriârint.

Pro animalium laude infinita sunt apud Ælianum, qui eorundem φύσεις elegantissimo stylo est persequutus. Equi encomium habet Hierocles in præfatione libri secundi Hippiatricorum, & Gryneus in Hippiatrica. Bouem celebrauit Libanius, Musicam Lucianus, Apes Quintilianus, de quibus nonnulla dixi superius. Multa etiam, quæ ad animalium laudes attinent, inuenientur in hypotyposibus.

Artificium & suauitas Aristidis in laude Smyrnæ.

CAPVT XXIV.

Babylonis descriptionem vide apud Philostr. l. 1. c. 18. p. 37.

INter res inanimas celeberrima est laus vrbium, in qua visum est Smyrnæ encomium ex Aristide subijcere, quod elegantissimæ ciuitati videatur suauissimam orationem accommodasse.

Sunt autem eius hæc præcipua capita.

Primum laudis caput, est ab antiquitate, quod Smyrna tertiò instaurata, ex eo & antiquitatem suam probet, & pulchritudinem ostentet: sitque, quod ait Tertullianus de Carthagine, in libro de pallio, vetustate nobilis, nouitate fœlix, quod illustrat similitudine ducta à magnis operibus, quæ veluti temporis lima expolita sensim ad elegantiora defluunt. Hanc esse quoque naturæ œconomiam disertissimè declarat Philo Iudæus, libro de mundi opificio.

Secundum, Populi nobilitas, qui aut indigena est, aut ab aliarum vrbium indigenis, quos ipse sua gloria nobilitauit, delitijs perfudit, robore animauit. Huius autem bellicæ fortitudinis vnum affert exemplum in Chijs à Smyrnensibus egregiè debellatis, cuius victoriæ monumentum, Nauis est, quotannis in pompa Bacchanaliorum delata.

Anathemata victoriæ.

Consuetum illud fuit antiquis, arma, clypeos, signa, vexilla, naues, & cætera huiusmodi, ad victoriæ monumenta seruare, sic C. Memmius Rostratas priscorum Latinorum naues, quas deuicerat, in rostris collocari iussit, vnde, & loco nomen.

Olympus apud Erinnam.

Tertium, Omissis venusta transitione pluribus, vt satis perspectis, ad commendationem pulchritudinis delabitur, quam σοφιστικῶς admodum laudat, dignam asserens, quæ inter stellas collocetur. Sic Erinna Lesbia, Romam dixit, γᾶς ὄλυμπον, Olympum terræ.

Quartum, Formæ illius cœlestis notas, & insignia sigillatim expendit. Sunt autem situs,

magnitudo, partium vrbis aptissima conformatio, ornamenta, quibus tot, & tam varijs collucet, vt tota ex signis, & picturis conflata esse videatur. Strab. l. 14. de his verba faciens laudat in Smyrna post situm, ῥυμοτομίαν ἄφορον, ὁδοὺς λιθοστρώτους, στοὰς μεγάλας, τετραγώνους ἐπιπέδους τε καὶ ὑπερώους, vicos commodè deductos, vias lapidibus stratas, porticus magnas, & quadratas, in planis, & editis locis.

Quintum, Post confirmata præcipua verbis membra, ad singula descendit, & laudat ædificia, templa, theatra, gymnasia, fora, portus, lauacra, curricula, fontes, quorum & species, & multitudo delectat: His accedit tanta ex aeris temperie suauitas, vt vrbs tot ædificijs extructa, ruris tamen amœni instar esse videatur.

Sextum, Post tot rerum, & spectaculorum frequentiam commodè subiecit ἐπιφώνημα mere Atticum, & suaue, non hyperbolis vastum.

Septimum, Ab ædificijs transit ad cætera vrbis adiuncta, Animi, corporisque voluptates, ac imprimis artes commendat, quarum tantam esse copiam dicit, vt iure quis Smyrnam Disciplinarum Larem appellarit.

Et ex ijs magna quidem effluit animi voluptas. Ad corporis autem tum vtilitatem, tum oblectationem, vberrimus est maris, terræque prouentus, & omnis generis opificia, quibus vita ciuilis adiuuari, ornarique possit.

Octauum, Et ne quid ad singularem voluptatem hominibus præsertim literatis desit, pro vrbis portis non est quidem ille Apollo ἀγυιεὺς, qui à Græcis, Hesychio teste in ara columnæ speciem referente colebatur pro foribus, sed fluuius Meles Homeri natalibus insignis, qui Smyrnam abluens eandem incredibili suarum delitiarum spectaculo perfundit. Huius superiores fontes describit in orbem circinatos, & pulcherrimis monilibus similes; posteriora aquarum Euripis scaturientia, ostia nullo aquarum tumultu obstrepentia, pisces cicures, ludibundosque præsultores.

Apollo ἀγυιεὺς, colebatur pro foribus. Meles.

Ad summum, fluuium nobilem, cui vt Sperchio Iuuenes, cincinnos, sic carminum primitias, in Homeri honorem nobilissima quæque ingenia consecrent.

Nonum, Meleri amœno fluuio succedit amœnus Neptuni campus, exporrecta quædam planities, maris antea æstu perfusa, nunc autem sola ipsius vestigia, non sine amœno quodam spectaculo ostentans Ex eo amplissima, & pulcherrima vrbis facies, iucundissimusque prospectus.

Decimum. Post tot ornamentorum expositionem colligit, tantam esse vrbis gloriã, vt vni Smyrnæ decor damno esse videatur, quo minus à suis laudatoribus ornari possit. Tum infert similitudinum aliquot delicias, portum cum vmbilico, mare cum vrbis oculo comparans. quæ vt aptiora, carminibus Musarum filijs relinquit.

Vndecimum, Pulchritudo sine gratia, hamus est sine esca natans, quamobrem rectè post ciuitatis pulchritudinem subiungit affusam illi gratiam, quam cum Iride, Lyræ suauissimo concentu, & splendore, qui ab Homero in ædibus Menelai describitur, egregiè comparat.

Pulchritudo sine gratia Hamus sine esca.

Duodecimum, Pauca de sinu maris, & portu subintexit, quasi eum subterfugissent: Sed consultò, artificiosum hunc orationis exitum quæsiuit, vt cum de portu ageret, orationem appelleret ad portum.

Hæc porro suauioris elegantiæ visa.

Aristides.

Οἶμαι γὰρ, εἴ τινος εἴδωλον πόλεως ἔδει φαίνεσθαι κατ' οὐρανὸν, ὥσπερ τὸν στέφανον φασὶ τὸν Ἀριάδνης, καὶ ἄλλα εἴδωλα ποταμῶν τε καὶ ζώων, ὅσα πρὸς θεῶν ἐτιμήθη, τὴν δὲ ἂν φαίνεσθαι νικῆσαι. οὕτω μοι δοκεῖ πεφυκέναι παράδειγμα πόλεως εἶναι, &c.

SI qua præstantissimæ vrbis imago in cœlo esset collocanda, velut Ariadnæ aiunt coronam, aliaque tum fluuiorum, tum animalium Dijs dilectorum simulacra; Smyrnam equidem existimarem præ cæteris eo honore dignam fore: adeò videtur exemplar quoddam vrbis esse, nec vel Homero ciue, vel alia ad commendationem arte indigere, cùm ipsa sui amorem omnibus conciliet, ac penè cogat, neq; aures, sed oculos suæ pulchritudinis admiratione perfundat.

Exordium in laude pulcherrimæ vrbis aptissimum.

Primum mari insistens, perpetuum emittit pulchritudinis florem, quasi non paulatim constituta sit, verùm totâ simul è terra emerserit. Magnitudinẽ verò non pro necessitate, vel occasione sortita est, sed vbique ampla, sibi.

sibique similis conspicitur, & laxitatem pro incremento pulchritudinis habet: neque multas esse vrbes dispersas dixeris, sed vnam multis parem, eamque sibi variarum partium nexu conformem, non aliter, atque in humano corpore, vinciri inter se pulchra membrorum coagmentatio solet.

Iam ornamenta, quæ tum in ipsa, tum circa ipsam visuntur, æquè sunt & multa, & splendida, atque omnium maximè exoptanda. Quinimò tota, sicut vestis aureis imaginibus illusa collucet. Si quidem ab occasu ad ortum processeris, è templo in templum venies, & à colle ad collem per vicos pulcherrimos.

Quod si in arce consistas, tum & mare subterfluit, & suburbia appellunt, & vtrisque ciuitas permista; tribus iucundissimis spectaculis animum exhilarat: nec habet quis vbi oculum figat, vbi ad se singula, tanquam in vario monili, attrahunt. Cum ab arce descenderis, ortui exposita loca te excipient, ac primum templum pulcherrimum præsidis Deæ.

Vrbis egregia ornamenta.

Quæ autem deinde sequuntur, ne senex quidem posset commemorare commodè. Nam omnia deinceps ad littus vsque gymnasijs, foris, theatris, portubus, alijsque ornamentis tum arte, tum natura factis certatim resplendent, nec quicquam vel spectaculo, vel vsu caret.

Ac lauacra quidem tot sunt, vt penè dubites, vbi lauare velis: Curricula verò omnis generis, partim in vrbe media, partim in finibus, eaque inter se præstantia. Fontes deinde tot sunt, quot ædes: imò etiam, ac plures: tum vici pro foris, ijque quadrifariam se inuicem secant, quò plenius sole collustrentur, atque adeò, quod mox negabam, multas propemodum vrbes, ac singulas ad imaginem totius describunt.

Auræ verò tum vernæ, tum æstiuæ etiam Lusciniarum, ac Cicadarum poeticarum dulcedinem superant: aliæque alia peragrantes loca: nemoris instar vrbem totam reddunt.

Quænam, vel pictura, vel sculptura possit hæc exprimere? Quia perpetuò tanquam in solemnem exornata pompam, & priuato splendet, & publico apparatu: Persico elegantiùs tentorio spectaculum. Animi præterea voluptates nunquam hic deficiunt, nec Musarum vlla, quæcunque ciuitates hominum frequentant, caremus. Nam & indigenæ sunt, & aduenæ multæ: *adeò, vt disciplinarum quidem ratione, Tarem hunc regionis facilè dixeris.* Theatra verò varia, tum ad certamina, tum ad alias ostentationes comparata, magna sunt numero. Ad hæc, opificia omnis generis, marisque, ac terræ prouentus æqualis. Denique vtrique hominum generi sola hæc vrbs est commodissima, siue qui in otio, & voluptate statuunt degere, siue qui tacitè philosophari volunt. Aptas enim laboribus remissiones habent, ita vt fatigari non possint.

Iam qui pro foribus est ornatus ciuitatis, instar Compitalitij Apollinis. Meles cognominis, Nymphas è finibus, per specum deducit in mare, vt illæ cùm lauacrum habeant perenne, tum à Nereo Nereides modico recipiant interuallo.

Pariter autem ex antris, ædibus, arboribus, atque etiam ex medio flumine Meles exilit, & ad mare progreditur. Ac superiores quidem eius fontes circulari sunt figura, & monili valdè similes, inferiora speciem Euripi referunt. Ad ostia verò minimum strepit, ac leniissimis fluctibus mari miscetur, cuius & accessus concitati excipit, & recessus mitescentis comitatur, vt difficilis sit concursus animaduersio. Quinimo piscium abundantiam, qui quidem cicures sint, & in ripa cum hominibus epulentur, & ad tibiam saltent, atque insultent conuiuis: cùm vel pueri narrare possunt, tum omnibus videre licet: Pulchriores autem fluuij partus, ijque in omnes effusi ciuitates, in Homero communi Græcorum nutritio, & amico, tam parentibus, quam ipsis met pueris, meritò censentur. Quocirca iure singuli ad Meletis, tanquam ad Sperchij fontes, quod ait ille, orationum, non crinium primitias obtulerint, vt Homeri causa fluuium celebrent. Melete traiecto, Neptuni campus occurrit: quod est vrbis donum, simile meo iudicio, ac dissimile Thessalico. Nam vt ille deductis montibus planam reddidit Thessaliam, emisso ex palude Peneo: ita hic de montibus mare reduxit, parem terreno marinum ornatum vrbi concilians.

Pisces cicures.

Neptuni campus.

At poeta quidem aliquis hoc fortasse delectationis causa diceret, portum quidem vmbilicum vrbis occupasse, mare autem oculum, non minus ijs, qui fines vtrinque incolunt, quàm accolis conspicuum: tum arcem quidem vndique ex vrbe eminere, mare autem, quasi basim triangulum subtendere, hactenus à Melete ad ortum discedens, quatenus flexui sufficiat. Sed hæc quidem, inquam,

pas partes aliquis illustrare posit. Gratiam verò, per omnia, more Iridis, diffusam, quæq; vrbem, instar Lyræ, tum sibi, tum externis ornamentis consonam reddit, & perpetuum instar æris Homerici ad cælum vsque pertingentem splendorem, quisnam verbis consequi posit? Non ita, nec Meles præclaros habet liberos, nec eloquentia quisquam valet. Quinimò sola inter omnes vrbes spectatorem, non auditorem postulat: nec tam spectatorem, quam conuictorem perpetuum, si quis ipsam probè perspicere velit, laudumque mercedem indidem reportare.

De singulari eiusdem authoris artificio, in laude Putei.

CAPVT XXV.

Putei laudationis artificium.

CLaudam riuos ad Puteum; Qui elegantem sophistæ artem contemplari voluerit, legat quæ scripsit ὑπὲρ φρέατος Ἀσκληπιοῦ. Inueniet profecto disertum hominem, nihil eorum omisisse, quæ ad Putei commendationem facere possunt: incipit.

Τίς ἀνέπτευς τὸ φρέαρ τὸ ἱερὸν, & cætera.

Primum Exordium est per addubitationē, exabrupto: quasi nesciat, quid de Puteo Æsculapij sit dicturus, vnde orationem auspicari debeat. Tum illud elegans est, quod subiungit, facilius esse eiusdem putei aqua pellucida sitis ardorem restinguere, quam laudes aquæ prædicare. Presisse videtur in eo, sicut solet, Demosthenis vestigia, qui in ἐπιτάφιῳ dixit mortuos fieri, cuiuis in promptu esse, at laudare difficile. Illustrat deinde orationem præclara, & ex amantibus ducta similitudine, qui delicias suas præsentes indicare possunt: absentes pro desiderio commendare non possunt. Sic apud Maximum Tyrium. Deiamator ἀδύνατος πρὸς τὸν τοῦ πατρὸς, καὶ δημιουργοῦ βίαν, & silentio potius laudat, quam oratione.

Secundum caput est, Principium laudationis à situ, seu loco, in quo commendatur salubritas, puritas, pulchritudo, celebritas, sanctimonia, propter templi scilicet religionem.

Tertium, Comparatione locum magis ornat, & commendat. Ipsi enim Epidauro Æsculapij natalibus illustrato anteponit, quod Æsculapius Epidaurum, ipsius sedis amœnitate illectus, videatur reliquisse.

Quartum, Laus aquæ ab origine, quod fluat à platano, vel, quod sanctius est ab ipsis templi fundamentis.

Quintum, Proprijs notis aquam commendat. Septem autem illæ sunt, tenuitas, leuitas, lenitas, dulcedo, habilitas ad potum, perennitas, & incorrupta quædam sinceritas. Leuitatem eius ex eo probat, quod non vt Peneus fluuius patiatur sibi. Titaresium superfundi, sed omnibus innatet, in profundum, non secus, ac ficulneum lignum solet, demersis. Huius naturæ est amnis Silias, qui nihil sibi innatare patitur, vt author est Strabo lib. 15. ἐν ᾗ τῇ ὀρεινῇ Σιλίαν ποταμὸν εἶναι ἐν ᾧ μηδὲν ἐπιπλεῖν.

Sextum, Aquam Æsculapij, cum ipsius Stygis riuo audet comparare, cuius vis ineluctabilis esse perhibetur: nam omnia metalla, & lapides perforat, præter pocula ex cornu Asini Scythici confecta, quorum materiam miratus Alexander, Delphos misit, & Apollini consecrauit, vt habet Ælian. de animal. lib. 10. Itaque cum indomitus videatur hic liquor tantis viribus efferuescens, non quidem robore parem hanc aquam facit: sed appositæ eius nectareæ suauitate, Stygem elèuat. *Stygis aqua omnia perforat.*

Septimum, Laus ab aquarum copia, quam per dolij antapodosin illustrat. Rationem autem eius copiæ affert, quod Æsculapij sit, veluti administer, cuius cum semper profusa sit benignitas, puteum talem illi esse oportet, qui, nusquam intersistente aquarum vbertate mortales potet, & exhilaret. Sic Vulcani instrumenta ad Domini nutum præsto sunt apud Homerum, suopte motu (tantum est obsequij studium) procurrentia.

Octauum, Delabitur ad vsum, celebritatem, & varias huius aquæ vtilitates: quod non tantum potui, lotionibus, templi lustrationibus, amœnissimo præterea voluptatis spectaculo, sed ipsis curationibus deseruiat. Quod autem hic affert de aquarum medicinis. Plinius exequitur l. 31. c. 2. sed & Tullius Laureas celebrauit carmine, fontem Ciceronis, cuius aqua fuit oculis saluberrima.

Vt quemam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis, qua medeantur aquæ.

Poterat & Dæmon ad falsi numinis veneration em fouendam, in hoc Æsculapij fonte ali-

aliquid ex sua arte, & consuetis fraudibus moliri.

Clitor fluuius pisces vocales facit.

Nonum, Vocem quoque ex hac Æsculapij aqua mutis redditam significat, sic Clitor fluuius pisces suos vocales facit. vt habet Mnaseas Petrensis in Periplo: sic Hippocrene Poëtas afflat, vnde & λάλον ὕδωρ appellatur, à Nonno, & ἐυεπὲς ὕδωρ ab Antipatro, antholog. l. 2. si penes fabulas sit fides.

Decimum, à comparatione vini, o & nectaris; tum celebrium fluuiorum; hanc aquam exornat. Numerantur autem imprimis aqua Delia, Apollini sacra, & Cnidus, qui à Curtio non spatio aquarum, sed liquore fertur memorabilis, tum Eurymedon Pamphiliæ, & Choaspis Asiæ fluuius, è quo solo Persicos Reges bibere author est Solinus: Tum Peneus, qui per amœnissima Tempe nemorosa conualle defluit, & fons Abyssus, quem à profunditate nomen habuisse constat. Hesych. Ἄβυσσος ὕδατα ἄπειρα ἐστὶ δὲ ἐν ἄργει λίμνη οὕτω καλουμένη.

Aristides.

Ex vers. G. Canceri.

QVid autem de sacro Puteo dicemus, an orationis facultatem incusabimus, quæ nequeat ad omnia pertingere, nec semper naturam rerum abundè valeat explicare? Pulchritudinem certè ac voluptatem eius, nulla declarabit oratio, verùm facilius ex hac aqua bibimus, eamque iucundè aspicimus, atque in ea lauamus, quam de ipsa quicquam dicimus. Vt autem ij, qui pulchras amant mulieres, formæ præstantia capti, quales quidem ament, sciunt, veruntamen, si quis eos interroget, nihil de absentibus possent dicere, præsentes autem ostenderent: Ita, & puteum hunc amamus quidem quamplurimi, aut potius omnes ferè: qualis autem sit, dicere non possumus; verùm si quis de eo nos interroget, hunc ad ipsum deducemus, atque ei ostendemus: illi verò, nec hoc sufficeret, donec eo gustato, lotum Homericam videretur degustasse, quippe, qui manere vellet, ægreque ab eo discederet.

Lotus Homerica.

Nec tamen decet nos more sitientium, quod aiunt, tacite bibere, quin etiam verbis exornemus. Ac tum seruatorem Deum, cuius & hoc opus est, salutemus, tum nymphas eius incolas, quæ nobis vsum gratiæ diuinæ concedunt & subministrant. Quod igitur erit principium an quemadmodum, cũ ex eo bibimus, admoto labris poculo non cessamus, sed infundimus subitò, sic oratio quoque nostra subitò dicet omnia: Illud igitur nobis sit, quasi libris admotum, quod in pulcherrimo sit totius orbis loco. Quem enim ex omnibus Deus, vt saluberrimum, & purissimum elegit locum, hunc beneficijs suis illustrissimum reddidit, is vtique omnium est per orbem totum pulcherrimus. Quanquam etenim, quibus in singulis locis nati sunt mitio Dij, etiam hæc in honore sunt, ob hoc ipsum habenda, quod Deos receperint: Illud tamen longè maius est, quod ipsa ab vsque Epidauro huc profectus Deus, maximè amauit hunc locum, atq; ostendit, eum se, cum delectum, tum cæteris prælatum deinceps incolere. Cui autem loco Deus, ac Deorum quidem benignissimus censuit immorandum, eum nos, qui quidem serui eius simus, alio, quam optimi, nomine dignabimur? Itaque in pulcherrimo orbis loco est puteus. Prætereà ipsius templi locus is, qui sub diuo peruius est, optimo loco iacet. Medius enim puteus in medio constitutus est. Aqua verò vel à platano fluit, quando quidem & hæc instar notæ cuiusdam est agnata, vel si mauis, quod quidem pulchrius est, & sanctius, ab ipsis, quibus insistit templum, fundamentis.

Quo fit, vt omnes hoc opinentur, atque credant, è salubri, ac salutari loco aquam profluere, quippe quæ à templo, & seruatoris pedibus proficiscatur. Nec enim posset ex salubriori loco profluere. Et in tali quidem loco sita, & à talibus oriunda, meritò dicetur optima.

Aqua commendatio.

Ac primùm quidem tenuissima est, ad aëris naturam proximè accedens, deinde, quod hinc sequitur, lenissima simul, & mitissima, tum dulcissima, & maximè potabilis, ac perennis, ad cuius potationem vinum non desideres.

Et Homerus quidem Titaresium Peneo dixit superfundi, quemadmodum aquæ homo præ lenitate innatat. At verò huic aquæ, meo iudicio, siquidem alia infundatur, sursum exilit, illa tanquam phallo quodam in profundum delabente, nisi potiùs etiam infusam aquam videatur lenitate sua, in altum esse sublatura: quæ quidem non arroganter à nobis dici, indicãt pondera. Quid autem dixerit Stygis riuus, si oppositus propendeat? hæc autem fluxio, nec à Styge oritur, nec aliud quicquam horrendum habet, sed vel sanitatis, vel nectaris, vel similis alicuius rei iure riuus dici posses.

set. Cui illud est etiam testimonio, quod hæc aqua temporis vitium non patitur, verum quæcunque est hausta, eodem modo, atque ea, quæ in puteo relinquitur, incorrupta manet, & sincera.

Iam verò abundantia putei tanta est, quanta nullius, vt ita dicam, alterius, ac robustos quidem eos, qui hauriunt, & cautos oportet esse, ne inuadantur.

Solus igitur ex omnibus puteis, quicunque exhauriuntur, æqualem perpetuo copiam præbet, pertuso dolio ex contraria parte respondés. Vt enim illud nunquam impletur istâ, hic semper ad labrum vsque plenus est.

Vulcani instrumenta fonte mouari.

Cum enim humanissimi Dei minister sit, & adiutor, ad ministerium promptissimus, ac semper plenus conspicitur. Et sicut ille nunquam ab hominibus seruandis cessat, sic dominum hic imitans, indigorum vsui nunquam non suppeditat, cum sit, quasi alumnus quidã, donumve Æsculapij, quemadmodum Vulcani instrumenta finxit Homerus, ad eius voluntatem moueri. Et quoniam huc vsque dicendo perueni, quænam est inter homines aqua, quę cum hac in vsu comparari possit? nec enim potus modò, sed idem etiam lauacrum est iucundissimum, ac tutissimum: nec pro anni tempore mutatur, quin, & æstate frigidissima sit, & hyeme clementissima, præsentis vbique temporis molestias mitigans, qualem quidem decet fontem sacrum Æsculapij existere: Ac pulchra quidem ista sunt, & iucunda, siue quis ijs vtatur ipse, siue alios videat partim æstate circum puteum, deinceps, vt examen apum, vel muscas circum lac, circumsistere. & a matutino vsque tempore vaporem instar potus alicuius sitim reprimentis præoccupare: Partim cum glacie concreta manus lauerint, calidiores, ac iucundiores fieri: verum sunt & alia, in quibus hoc puteo Deus tanquam operis socio vtitur, multisque sæpè ad ea, quæ volebant à Deo impetranda, puteus hic vsui fuit.

Nec secus atque medicorum, & præstigiatorum serui ad ministeria sunt exercitati, & adiumento suo spectatores, atque ægrotos stupefaciunt.

Ita magni operum mirabilium artifices, & ad hominum salutem omnia referentis hoc est inuentum, hæc possessio. Itaque in omnibus eum iuuat operibus, & apud multos pharmaci locum obtinet. Multi enim cum ex hoc puteo lauissent, visum recuperarunt: multi ex aqua cum bibissent, pectoris sanitatem, & anhelitum laborantem receperunt. Multorum etiam pedes, aliaue membra sunt correcta.

Aqua vinates.

Quid, quod ex mutuo quidam eloquens olim factus est, quemadmodum, qui de sacris biberunt fontibus, vaticinari solent. Nec desunt, quibus quod aquam duntaxat hauserant, saluti fuit. Quinimò cum ægrotis adeò salutaris est, tum sanis etiam cuiusuis alterius aquæ vsum præbet insignem.

Fontium commendatio.

Qui enim hanc gustauerint, ijs alia iam aqua quæuis sordet, vt si quis post vinum fragrans vappam bibat. Sola porrò hæc æqua, tam ægrotis eadem, quàm valentibus æquè est iucundissima, & vtilissima, vt nec vel lac cum ea comparare, vel vinum desiderare possint: quãdoquidem est instar nectaris eius, quod Pindarus perenne, potabile, ac diuina quadam mistura temperatum cecinit.

Quocirca si duo proponantur vobis pocula, alterum hac aqua, alterum alia simul, & vino præstantissimo plenum: vtrum essetis sumpturi, dubitare possetis. Præterea reliquæ aquæ lactæ, qualis est Delia, aliæque similes, paucorum vsibus patent: hæc per vrentium salutem, non quod eam nemo contingat, sacra redditur: eademque, & lustrationibus templi sufficit, & hominibus ad potionem ac lauacrum, & spectantium delectationi.

Choaspis fluuius ex quo bibit Rex Persarum.

Ego certè, nec Cnidium, nec Eurymedontem, nec vnde Rex bibebat, Choaspim, nec eum, cui pulcherrimas ad vtramque ripam coronas emisit terra, Peneum, neque Abyssum, neque aliam aquam vllam, cum hac vndique sacra velim comparare, sed tantum eam inter aquas excellere, quantum Præses ipsius Deus Dijs præstat reliquis, dixerim.

Abyssus fit.

Hoc restat adijcere, piè nos facturos, si sic sentiamus, quandoquidem primus de ipsa Deus hanc, vt aiunt, sententiam tulit.

Finis libri decimi.

LIBRI VNDECIMI INSTITVTVM.

VNDECIMVS hic liber Epidictikos Characteres hypotypoſeon complectitur: in quo variorum authorum, qui modo in florido genere nituerunt ingenia, & quaſi ex Græcorum, Latinorumque teſſerulis opus mirificè vermiculatum poteris agnoſcere. Sunt omnino hypotypoſes, viuæ quædam rerum imagines, & compendioſæ laudationes ac vituperationes, quibus nihil eſt in eloquentia ornatius ſi modo ea temperies adhibeatur, quàm imperiti non nôrunt, dum omnia farciunt deſcriptionibus. Atque, vt nouitius ille Pictor qui Helenæ tabulam totam auro compleuit, cum pulchram orationem facere non poſſint, diuitem malè adſcitis ornamentis faciunt. Videndum eſt, quid argumentum, quid locus, quid perſonæ, quid aures ferant, vt quis prudentes iſtis imaginibus vtatur. Sed de vſu alias. Nunc inter has Epidictici generis delitias ludens, ſatis vberem hypotypoſeon copiam in ordinem digeſſi, permultas ex Græcis περιφράσεως expreſſi, obſcuras illuſtraui, mancas, & mutilas ſuppleui, notas ad aliquot obſcuriores locos adieci. Quo in opere varietas cum fructu, & voluptate coniuncta, ſtudia iuuentutis excolere ſimul, & exhilarare poterit.

Ordiemur ab homine, hic enim eſt πάντων μέτρον: Duas eius natura orationi præbet anſas, hac vim cæleſtem, illa terrenam effigiem attingimus. Quid eſt enim aliud homo, quam ζῶον ἀθάνατον ἐν θνητῷ θνητῷ καθειργμένον φρουρίῳ. Animal immortale, in mortali carcere concluſum. Sed immortalis anima, quibus in tanta rerum difficultate depingetur coloribus? mirari poſſumus, deſcribere ſatis non poſſumus. Verùm nonnulla de eadem materia iam delibauimus libri tertij capite primo, & multa ſe prodent in Ethicis characteribus, quæ ad animi lineamenta attineant, nunc inferiorem naturam, quæ prima occurrit oculis, conſideremus.

Homo menſura omnium. Homo animal immortale in mortali carcere. Plato in Axiocho.

CHARA-

CHARACTERES EPIDICTICI,

LIBER VNDECIMVS.

VARIAS HYPOTYPOSES COMPLECTENS, Ex antiquis authoribus Græcis, & Latinis.

DESCRIPTIONES HOMINIS.

HOMO.

Descriptio I.

ad Marciã ex Seneca.

QVid est Homo? quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. Iactatu, non tempestate magna, vt dissipe ris, opus est, vbicumque arietaueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, cum bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferę pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis, fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus, laboris impatiens, ipso rursum situ, & otio iturum in tabem. Alimenta metuens sua, quorum modo copia, modo inopia rumpitur, anxiæ sollicitæque tutelæ, precarij spiritus, & malè cohærentis. Soli semper nutrimentum vitiosum, & inutile. Miramur in hoc mortem vnius, qua singulis opus est? nunquid enim, vt concidas, res est magni molimenti? Odor illi, saporque, & lassitudo, & vigilia, & humor, & cibus, & sine quibus viuere non potest, mortifera sunt, quocunque se mouet, statim infirmitatis suæ conscium, non omne cœlum ferens, aquarum nouitatibus, flatusque non familiaris auræ, & tenuissimis caussis atque offensionibus morbidum, putre, cassum: a fletu vitam auspicatum. Cum interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal mouet? in quantas cogitationes oblitum suæ conditionis venit? immortalia, æterna volutat animo, & in nepotes, pronepotesque disponit: cum interim longa conantem eum mors opprimit, & hoc, quod senectus vocatur: pauci sunt circuitus annorum.

Nota.

Vide quæ habet Plinius in prœm. l. 7. planè eximia, & Plato in Axiocho, vbi ait hanc inferiorem naturam, ad omnem vim mali excipiendam, esse coagmentatam, τὰ τὰ ἥδοντα ἀμυχιαῖα, καὶ πτηνὰ, καὶ εἰς πλείους ὀδύνας ἀνακεκραμμένα, τὰ δ' ἀλγεινὰ ἀκραιφνῆ, καὶ πολυχρόνια, καὶ τῶν ἡδόντων ἄμοιρα, &c.

Cornel. in Genes. p. 55. varias definitiones hominis habet.

Id

Id est, cuius voluptates vlcerosæ, & volatiles, multisque permixtæ doloribus: dolores verò meri, diuturni, & voluptatum expertes.

CORPVS HVMANVM IN genere.

Descriptio II.

DEus igitur solidamenta corporis, quæ ossa dicuntur, nodata, & adiuncta inuicem neruis alligauit, atque constrinxit: quibus mens si excurrere, aut resistere velit, tanquam retinaculis vteretur, & quidem nullo labore, nulloque conatu, sed vel minimo nutu, totius corporis molem temperaret, ac flecteret, hęc autē visceribus operuit, vtquemque locum decebat, vtque ossa solida tegerentur. Item visceribus ipsis venas admiscuit, quasi riuos per corpus omne diuisos, per quas discurrens humor & sanguis vniuersa membra succis vitalibus irrigaret: & ea viscera formata in eum modum, vt quid vnicuique generi aptū fuerit, superiectâ pelle contexit: quam, vel sola pulchritudine decorauit, vel setis adoperuit, vel squamis muniuit, vel plumis insignibus adornauit. Illud verò commentum Dei mirabile, quod vna dispositio, & vnus habitus innumerabiles animantium præferat varietates.

Nam in omnibus ferè, quæ spirant, eadem series, & ordo membrorum est. Primum enim caput, & huic annexa ceruix. Item collo pectus adiunctum, & eo prominentes armi, adhærens pectori venter. Item huic subnexa genitalia Vltimo loco femora, pedesque. Nec solum membra suum tenorem, ac situm in omnibus seruant, sed etiam partes membrorum. Nam in vno capite ipso certam sedem possident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in ore dentes & lingua.

Nota.

Hæc Lactantius libro de opificio Dei cap. 7. Suauis est, & ingeniosus in eodem argumento Ambrosius, Hexameri libro sexto, capite nono, D. Gregor. Nazianzen. orat. 34. & alij innumeri, qui eandem materiam attigerunt. Sed iuuat in istis, etiam Medicos audire, qui hæc tantò accuratiùs describunt, quantò norunt melius, inter quos, & nostro sæculo Laurentius, in eo libro, quem de hac humani corporis structura scripsit, non modo est accuratus in rebus, sed in stylo etiam plurimum habet dignitatis. Ex eo igitur descriptiones aliquot nobiliorum partium afferemus.

CAPVT.

Descriptio III.

HOminem ob naturæ maiestatem miraculum miraculorum, animal adorandū & venerandum, à sapientissimis Ægyptiorum Sacerdotibus appellatum fuisse constat. Maiestatis porrò imaginem licet vbique habeat expressam; lucent tamen in capite plures diuinitatis illius, & principatus animæ radij. Quid sine capite est homo? iacet mehercule, iacet sine honore, sine nomine, quasi truncus iners, & ignobilis: sola Principum capita, auro, ære, marmore sculpta in pretio sunt, per caput iurabant veteres, capitis nutu pacta confirmabant, caput vbique plenissimum maiestatis: at illud ipsum solius cerebri gratia constructum est, cuius domicilium, & propugnaculum à Principe Medicorum appellatur.

Et Laurentio: Item.

CEREBRVM.

EST hoc viscerum excelsissimum, proximumque cęlo, hanc habent sensus arcem munitissimam; hic culmen, hic vigor, hic mentis est regimen, est cerebrum non modo sensuum sedes, & motuum προαιρετικῶν artifex, membrorum vastissimas moles, & musculorum prætumida corpora neruorum fibris, quasi funiculis, non sine admiratione trahens, sed & sapientiæ est domicilium, memoriæ, iudicij, cogitationum, quibus opifici Deo humanum genus redditur simillimum. *Plinius l. 11.*

Plato diuinissimum hoc appellat membrum, nec solum præcipuum, sed etiam totum in corpore. Homerus οὐρανὸν nominat, quod ad instar primi orbis, eius vi, ac illustratione inferiora moueantur, ac sentiant: hic sacram Palladis arcem Poetæ locant, dum eam Iouis cerebro natam fingunt: propterea à cerebri esu, tanquam à re sacra abstinebant veteres, & sternutantibus benè precabantur.

Quod denique in mundo est cœlum, in homine est cerebrum: Illud intelligentiarum, hoc rationis est domicilium. Sunt sanè hæc omnia diuinitatis cerebri certissima argumenta. Sed hoc vnum inter cætera præstantiam luculenter demonstrat, quod cerebro omnia famulentur, eiusque solius gratia totum corpus constructum sit, homo nempe ad intelligendum totus est natus, at intelligentis facultatis sedes est cerebrum. Situm est in editissimo loco, tanquam arce, ac domicilio omnium tutissimo, & vt irruentibus extrinsecus iniurijs minus foret obnoxium, ossibus vndequaque, quasi proprijs sepimentis hoc natura obuallauit, orbiculari figura tornatum est, tum vt capacius, tum vt nocumentis minus occurset: adde quod diuinissimo membro perfecta debetur figura: est tamen quodam tenus oblongum, geminis verticibus extumescens. Et, vt eius magnitudo ingens est, & homini, quam cæteris animalibus capacius, & amplior moles, vt vnicum hominis cerebrum, duobus boum cerebris grandius sit, & capacius; quid eius fabricę concinnitatem loquar, quid solertem naturæ in eius structura solertiam? quid huius regiæ domus columnas? & concamerata inuolacra, quæ superbæ molitionis ingentem molem suffulciunt? quid atria? quid thalamos? quid sinus quatuor? quid speculum lucidum? quid arteriolarum inexplicabiles Mæandros, & quasi labyrintheos flexus? Miror profecto, & cum verustissimo Zoroastre exclamare cogor; ô homo audacis naturæ miraculum!

OCVLI.

Descriptio IV.

Ambr. Hexam l. 6. c. 9.

OCuli quædam sunt *in carne sidera*, vt ait D. Ambrosius. & ἀγάλματα ψυχῆς ἀκριβῆ secundum Damascium in vita Isiodori, *accurata mentis simulachra*, quorum structuram cum multi stylo fuerint prosequuti, non dubium est, quin Marcus Tullius orationis lumine, cæteros superarit. Sic igitur ille:

Ex Cic. 2. de natura Deorum.

Sensus autem interpretes, ac nuncij rerum in capite, tanquam in arce, mirificè ad vsus necessarios, & facti, & collocati sunt, tanquam speculatores locum altissimum obtinent, ex quo plurima conspicientes suo fungantur munere: quis verò opifex præter naturam, quæ nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset, in sensibus? quæ primum oculos membranis tenuissimis vestiuit, & sepsit, quas primum perlucidas fecit, vt per eas cerni posset, firmas autem, vt continerentur, sed lubricos oculos fecit, & mobiles, vt declinarent si quid noceret, & aspectum, quò vellent, facilè conuerterent, acieſque ipsa, qua cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parua est, vt ea, quæ nocere possunt, facilè vitet, palpebræ qui, quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissimæ factæ, ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & aperiendas, idque prouidit, vt identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæque sunt palpebræ, tanquam vallo pilorum, quibus, & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno, conniuentibus cum oculis, ad decernendum non egeremus, vt qui tanquam inuoluti quiescerent.

Latent præterea vtiliter, & excelsis partibus vndique sepiuntur; primùm enim superiora supercilijs obducta sudorem à capite, & fronte defluentem repellunt, genæ deinde ab inferiore parte tutantur subiectæ, leniterque eminentes. nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis in eiectus esse videatur. Iam verò, quam sunt in cernendo subtiles, in his artibus, quarum est iudicium oculorum, in pictis, fictis, cælatis formis, in corporum etiam motione, atque gestu, colorum etiam, & figurarum, tum venustatem atque ordinem, & vt ita dicam, decentiam oculi iudicant atque etiam alia maiora: nam & virtutes, & vitia cognoscunt, iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignauum, audacem, timidum, cognoscunt.

Laurentius minus dictione religiosus, accuratam tamen habet descriptionem his verbis:

Naturæ speculum est oculus, microcosmi lumen, pars ætherea, solis ianua, fenestra animi, magnæ mentis imago. Figura est in primis rotunda, & aliquantulum oblonga, quò ad capacitatem, robur, agilitatem promptior sit, atque expeditior. Et gemini quidem sunt ocelli, in loco editissimo capitis collocati, vt noctu, atque interdiu non secus ac vigiles excubent, & nocitura quæque agili declinatione, atque flexu deuitēt: nec satis; in antrum quoddam, ac veluti sinuosam vallem retrusi cernuntur, quò & eorum securitati prouideatur, & minori naturæ dispendio spiritus dissipentur: quin vt:

quin vt extrinsecus irruentibus iniurijs minus sint obnoxij, ossibus vndequaque, & palpebris, quasi proprijs sepimentis sunt obuallati: magnitudo eorum tanta est, quanta ad rerum imagines sufficiat: natura tota est aquea, mollis, lubrica, splendens, pellucida, vt celerius rerum omnium spectra, colores, imaginem excipiant. Totum prætereà oculorum corpus, sex musculis, totidem tunicis, tribus humoribus, duobus neruis, venis, & arteriolis quamplurimis, adipeque copioso constituitur. Musculi vndequaque mirà volubilitate pernices versant, tunicæ fluentem naturam, veluti solidiori vallo muniunt, quarum vna est venulis, & arteriolis quamplurimis distincta, fundæ similitudinem reddit, altera cornea duritie, & pelluciditate, cornu prætenue, & accuratè politum refert. Tertia vuæ acinum, & folliculum, à quo pedunculus auulsus est, figura, colore, tenuitate, læuitate externa spectantibus exhibet. Quarta tenuitate telas aranearum æmulatur. Quintam reticularem à retis similitudine medici dixerunt. Postrema veteribus incognita, vitrea, & ipsa vitreum humorem, omni ex parte ambit. Detectis tunicis effluunt statim, & in apertum prodeunt partes oculorum nobilissimæ: humores quippe, aqueus, crystallinus, & vitreus, sed crystallino summus debetur honor, qui anima oculi, speculum interius, & centrum ideo dici solet.

Quid neruos loquar, quorum vnus visioni, alter motioni deseruit? quid adipem? quid venas? quid arteriolas? quid musculos? portenti profectò simile est, quod vno corpusculo, tam varij generis particulas natura concluserit Quid de oculorum effectis dicam? vident, mirantur, adamant, concupiscunt, amoris, iræ, furoris, misericordiæ, vltionis indices sunt; in audacia prosiliunt, in reuerentia subsident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares subrident, eodem mœrente languescunt, in ira exasperantur, in cogitatione, ac cura quiescunt, cum mente semper intenti: vnde tot vsus, tot nomina, torui, truces, flagrantes, graues, transuersi, limi, submissi, blandi, ad summum ad animi motus ita sunt compositi, vt alter animus esse videatur.

Vide Plin. l. 11 c. 37. p. 253.

AVRES.

Descriptio V.

AVres, animi lances, suam quoque merentur commendationem, quam Cicero lib. 2. de natura Deorum paucis pertexuit.

Auditus semper patet, cuius etiam sensu dormientes egemus, à quo cùm sonus est acceptus, etiam è somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex, & directum pateret; prouisum etiam, vt si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco inhæresceret: Extra autem eminent, quæ appellantur aures, & tegendi causa factæ, tutandique sensus, & ne adiectæ voces laberentur, atque errarent priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros, & quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca, & in fidibus, testudine resonatur, aut cornu, & ex tortuosis locis, & inclusis redduntur ampliores. Aurium item est artificiosum quoddam, & admirabile iudicium, quo iudicatur, & in vocis, & in tibiarum, ac neruorum cantibus varietas sonorum, interualla, distinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuscum, lene, asperum, graue, acutum, flexibile, durum, quæ hominum solummodo auribus iudicantur.

COR.

Descriptio VI.

SEd nihil corde admirabilius hoc vasculo, quo tanta rerum continetur immensitas, de quo præclarè Laurentius:

Hoc præstantioris animæ sedes, vitæ domicilium, fons sanguinis, & quasi perpetuus caloris focus, quo vigente omnia vigent, intereunte marcescunt, atque dilabuntur. Primum pyramidis est figura sensim gracilescente, ex basi enim ampliore in turbinatum mucronem desinit, quo lõgitudo ad tractum, rotunditas ad robur, amplitudinemque conferat. Situm est in medio thorace, vt vitalem spiritum, & viuificum nectar salutaris instar syderis, in omnia extrema diffundat: Quantitas eius exigua, vt cæterorũ vitæ principio-

cipiorum, quorum vis maxima in parua mole spectabilis emicat, carne durâ est, & solida, quò, & illa inditi à Deo caloris flamma contineatur facilius, & necessaria perpetui motus agitatio, atque diuturnior, atque expeditior, sic in suos actus prorumpat: caro hæc triplici villorum genere intertexta est, quorum recti à basi ad mucronem extremum producti, in cordis diastole sanguinem per venam cauam in dextrum sinum, aêrem per arteriam venosam in sinistram trahunt: obliquorum ministerio attractis perfruitur, qui verò transuersi orbiculatim cor, eiusque ventriculos ambiunt, sanguinem in pulmones, vitalem spiritum in aortam, & fumidos vapores in arteriam venosam egerunt. Adsunt venæ nutrientes, & ingenitum calorem fouentes arteriæ; totam basim cordis instar coronæ cingunt, & ramulos hinc inde explicant. Totum deinde corpus peculiari tunica cingitur, & adipe copioso, tota ferè cordis superficies oblinitur, ne ob perennes motus incendio conflagret, & fatiscat. Quid eius motum loquar? quem non minus mirari liceat, quam cœli labentis conuersionem, aut Euripi septies interdiu, & noctu reciprocantis æstus? hac agitatione fit spirituũ generatio, & nihil omnino in perfecto animali ferax est, nisi vis illa præpotens cordis fœcunditatem largiatur.

MANVS, ET DIGITI.

Descriptio VII.

QVAM verò aptas, & quàm multarum artium ministras manus natura homini dedit? digitorum enim contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commissuras, & artus, nullo in motu laborant: Itaque ad pingendum, ad sculpendum, ad neruorum eliciendos sonos, ac tibiarum, apta manus est admotione digitorum. Atque hæc oblectationis, illa necessitatis: cultus dico agrorum, extructioneſque tectorum, tegumenta corporum, vel; texta, vel sura, omnemque fabricam æris, & ferri; ex quo intelligitur, adinuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos consequutos, vt tecti, vt vestiti, vt salui esse possimus, vrbes, muros, domicilia, delubra habeamus. Iam verò operibus hominum, manibus cibi varietas inuenitur, & copia; nam & agri multa ferunt, quæ vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati, & præterea vescimur bestijs, & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus, partim capiendo, partim alendo: efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones, quorum celeritas, atque vis nobis ipsis adfert vim, & celeritatem: nos onera quibusdam bestijs, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, non sagacitate canum, ad vtilitatem nostram abutimur: nos è terræ cauernis ferrum elicuimus, rem ad colendos agros valdè necessariam. Nos æris, auri, argenti venas penitus abditas inuenimus, & ad vsum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem consectione, omniúque materia, & culta, & syluestri, partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tecti, septi, frigora, caloresque pellamus, magnos vsus autem affert ad nauigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes vndique ad vitam copiæ, quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris, atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam, plurimisque maritimis rebus fruimur, atque vtimur.

COMA.

Descriptio VIII.

COma reuerenda in senibus, venerandain sacerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolescentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris, inquit Ambrosius Hexam. lib. 6. cap. 9.

Huius descriptionem in muliere persequutus est Apuleius, suo, vt solet, stylo intemperantius velificatus.

Quid cùm capilli color gratus, & nitor splendidus illucet? & contra solis aciem vegetus fulgurat? vel placidus renidet? at in contrariam gratiam variat aspectum, & nunc aurum coruscans, in mellis lenem deprimitur vmbram, nunc coruina nigredine cærulus, columbarum colli floſculos æmulatur: vel cum guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente tenui discriminatur: & pone versum coarctus oculis occurrens, instar speculi, reddit imaginem gratiorem?

Quid

Quid cùm frequenti sobole spissus cumulat verticem ? vel prolixa serie porrectus dorsa permanat? tanta denique capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamẽ nisi capillum distinxerit, ornata non possit videri. At in Photide non operosus, sed inornatus, ornatus addebat gratiam. Vberes enim crines leniter emissos, & ceruice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimque sinuato patagio residentes, paul[illegible]per ad finem conglobatos, in summum [illegible] nodus astrinxerat.

Apul lib.2. Met.

Nota.

Contra solu aciem vegetus fulgurat. Callistratus de coma Narcissi; κόμαις ἐπιχρύσοις ἤρεπτε, capillis aureis fulgurabat, non satis ἐμφατικῶς; redditur fulgebat. Idem ἀλιώσαν comam Meleagri dixit.

At in contrariam, lege, *Aut in contrariam.*

Aurum coruscans in mellis lenem deprimitur vmbram; Significat, auri radiantis fulgura mellei coloris minus vegeti, velut quibusdam vmbris temperari. Διαφαινομένας, καὶ ὑποφαινομένας dixit Nazianzenus, oratione vndecima.

Coruina nigredine carulus. Hunc capillorum colorem probat Anacreon;

Γράφε μοι τρίχας τὸ πρῶτον
Ἁπαλάς τε, καὶ μελαίνας.

Columbarum collu. Quæ Lucretius describit lib.2. Nero Cæsar in suis Leoninis.

Colla Tyberiaca splendent agitata columba.

Guttu Arabicis: vnguento nardino, vel lacryma myrrhæ; quæ laudatissima est in Arabia. De vnguentis, & tinctura capillorum notius, quam hic debeat inculcari.

Pectinis arguti dente tenui discriminatur,
------- *aut morsu numerosi dentis eburno.*

Multifidum discriminarat. Claud. in nuptijs Honorij. v. 103.

Pone versum coarctus : pone verticem nodo religatus.

Crines nodantur in aurum. Maro.

Patagio. Beroaldus exponit ornamenti genus, quod summa in camisia circa ceruices assumunt mulieres, crispissimum, & sinuatum.

CORPVS HVMANVM IN specie.

SEV,

Variæ descriptiones hominum.

APOLLO,

Descriptio IX.

Ex Apuleio, lib.1.

Descriptiones Apuleij si quæ occurrent, cum summo delectu erunt imitandæ: nam hic author, quod præmonui, sæpè durus est, insolens, & supra modum putidus: habet tamen multum ingenij, & si meliori Ciceroniani styli censura castigatus esset, plus in isto obtineret venustatis.

COntra Apollinem (tidiculum dictu) aduersis virtutibus culpabat: quod Apollo esset, & coma intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiscius, & fortuna opulentus. Iam primum, inquit, crines eius præmulsis antijs, promulsis caproneis, anteuentuli, & propenduli, corpus totum gratissimum, membra nitida, lingua fatidica, seu tute oratione, sine versibus malis vtrobique facundia æquiparari. Quid? quod vestis textu tenuis, tactu mollis, pura radians? quid? quod & lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat? quid quod & doctissimè, & gratissimè cantillat? hæc omnia, inquit, blandimenta, nequaquam virtuti decora, sed luxuriæ accõmodata, circa corporis sui qualitatem speciem maximam ostentare.

Nota.

Apollinis characterem similiter habet Apollonius, Argonauticõn lib.11. v.675.

Quintus Calaber, lib.9.

Antipater, εἰς ἄγαλμα Ἀπόλλωνος.

Anthолog.4. Philost. Iun. p.837. in Marsya.

Coma intonsa. Nonn. Dionys lib.10.

Φοῖβος ἀκερσεκόμης κεχαλασμένα βόστρυχα σείων:

Phœbus coma intonsus, solutos cincinnos quatiens.

Genis gratus, θηλείας παρειὰς, dixit Callimachus in Apolline, v. 37.

Præmulsis antys.

Antiæ muliebres, capilli demissi in frontem appellari ex Græco videntur, quod enim nos *contra*, illi ἀντὶ dicunt.

Festus Adhelmus de laudibus virginitatis, cap. 28. Antiæ frontis, & temporum cincinni calamistro crispantur.

Capronæ equorum iubæ in frontem deuersæ, dictæ quasi à capite pronæ.

Comas fluitare Capronas dixit Lucilius.

Nec mirum, si de hominibus dixerit, nam & iubam virilem, capillum nominat Senec. de breuitate vitæ, tit. 12. Quomodo excandescũt, si quid ex iuba sua decisum est.

Vestis textu tenuis. Citharœdi vbique magno vestis cultu, atque choragio depinguntur. Talis, qui describitur à Cicerone, 4. ad Herenn. Talis, qui à Luciano, & Apuleio Flor. l. 2.

IN HOC GENERE DESCRIPTIONVM PICTI, ET FLORENTES sunt Græci sophistæ, vt Philostratus, & Callistratus, ex quibus descriptiones aliquot subijciam, quas ego verti, non quidem ad verbum, vt interpres, sed paulo liberiùs, vt Orator.

Ex Callistrato.

CVPIDO PRAXITELIS.

Descriptio X.

Ex Callistrato.

Ἔρως ἦν Πραξιτέλους τέχνημα, ὁ ἔρως αὐτὸς, παῖς ἀνθηρὸς, καὶ νέος, πτέρυγας ἔχων, καὶ τόξα, χαλκὸς δὲ αὐτὸν ἐτύπου, καὶ ὡς ἂν ἔρωτα τυπῶν τύραννον θεὸν, καὶ μέγαν, καὶ αὐτὸς ἐδυναστεύετο. οὐ γὰρ ἠνείχετο χαλκοῦς εἶναι τὰ πάντα, ἀλλ' ὅσον ἦν, Ἔρως ἐγίνετο. εἶδες ἂν τὸν χαλκὸν θρυπτόμενον, καὶ εἰς εὐσαρκίαν ἀμηχάνως χλιδῶντα, καὶ, ὡς βραχέως εἰπεῖν, τὰ ἀναγκαῖα πληροῦν ἑαυτῇ τὸν ὕλην ἀρκοῦσαν; ὑγρὸς μὲν ἦν, ἀμοιρῶν μεγαλειότητος. χαλκῷ δὲ ἔχων συνῳδὸν τὴν χροίαν εὐαλθὴς ἑωράτο. τῶν δὲ κινήσεως ἔργων ἐστερημένος, ἔτιμος ἦν δεῖξαι κίνησιν. εἰς μὲν γὰρ ἕδραν στάσιμον ἵδρυτο. ἠπάτα δὲ ὡς καὶ τῆς μετεώρου κυριεύων φορᾶς. ἐγαυροῦτο δὲ εἰς γέλωτα, ἔμπυρόν τι, καὶ μείλιχον ἐξ ὀμμάτων διαυγάζων, καὶ ἦν ἰδεῖν ὑπακοῦοντα τῷ πάθει τὸν χαλκὸν, καὶ δεχόμενον εὐκόλως τοῦ γέλωτος μίμησιν ἵδρυτο δὲ, εἰς μὲν τὴν κορυφὴν τὸν δεξιὸν ἐπικάμπτων καρπὸν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μετεωρίζων τὸ τόξον, καὶ τὴν τῆς βά-

CVpido erat Praxitelis artificium, ipsemet Cupido, puer floridus, tener, pinnatus, arcu, & sagittis ferox, ex ære mollissimè conformatus: atque, vt Cupidinem magnum, & dominatorem Deum effingens, ipsum etiam metallum imperiosius dominari videbatur: non enim iam ferebat omninò æris speciem, sed quantum naturæ ratio patiebatur, totum cedebat in Cupidinem. Videres quippe æs delicijs affluens, & mirum in modum carnis mollitia, teneritateque luxurians, atque, vt summatim dicam, ad necessarias quasque partes explendas materiam seipsa planè contentam: Siquidem molliculus erat puer, à maiestate alienus, qui & ipsi quoque æri congruentem colorem nactus, fœliciter adolescere cernebatur Iam, licet motionis expers, emicanti similis erat, & in firma basi collocatus, spectantium fallebat oculos, quasi iam pinnis aërem euerberaret. Quin etiam iactabat sese profusior in risum, igneo quodam, & mellito aspectu fulgurans, & videre quidem fas erat, æs affectui obtemperans, & ad risus imitationem bellissimè compositum. Erectus insuper fuit, brachio ad verticem dextrum inflexo, alte-

σεως ἰσοῤῥοπίαν ἐπικλίνων ἐπὶ τὰ λαιά. τὴν γὰρ τῆς ἀρισταρᾶς λαγόνος ἔκστασιν ἀνίστη πρὸς τὴν εὐμαρότητα, τοῦ χαλκοῦ τὸ στεγανὸν ἐκκλάσας; πλόκαμοι δ' αὐτοῦ τὴν ἐκεφαλὴν ἐσκίαζον, ἀνθηροὶ, καὶ ἔνουλοι, νεοτήσιον ὑπολάμποντες ἄνθος, καὶ ἦν θαυμαστὸς οἷος ὁ χαλκός. ἰδόνη μὲν γὰρ, ἔρευθος ἀπέστιλβεν, ἐξ ἄκρων βοστρύχων αἰρόμενον. ἁψαμένῳ δ' ἢ θρὶξ ὑπεξανίστατο, μαλθακιζομένη πρὸς τὴν αἴσθησιν. ἐμοὶ δὴ θεασαμένῳ τὴν τέχνην, ἐπῄει πιστεύειν ὅτι καὶ χορὸν ἤσκησε κινούμενον Δαίδαλος, καὶ χρόα παρεῖχεν αἰσθήσει. ὅπου πραξιτέλης, εἷς τὴν εἰκόνα ἔρωτος ἐνέθηκε μικροῦ, καὶ νοήματα, καὶ πτέρυγι τὰ ἀέρα τέμνειν ἐμηχανήσατο.

altera manu arcum attollens, & in hac incessus æquilibritate paulò ad læuam proiectior, etiam sinistri lumbi deflexio propendebat, ad æris facilem tractationem soliditate molliter infracta: Cincinnuli verò florigeri, & crispantes caput eius inumbrabant. iuuenili sublucentes flore, qui plurimum gratiæ metallo asperserat: sed enim intuenti rubor quidam affulgebat, à cincinnorum fimbrijs euibratus: & contrectanti capillus surrigebat modica titillatione delusis sensibus blandiente. Mihi certè, dum artem accuratiùs contemplarer, subierat animum credere: Dædalum, etiam choræam versatilem elaborasse, & colorem sensibus animasse, quando Praxiteles in muta Cupidinis imagine, quædam etiam fermè sensa incluserat, & ipsum alarum remigio aërem celerrimè secantem solertiùs effinxerat.

Notæ ad Cupidinem.

De hoc Cupidine Praxitelis legendus Pausanias in Atticis. Scholiastes Anthologiæ. Iulianus à præfectis AEgypti, Tullius Geminus, & Leonides in epigrammatis de eodem scriptis.

Τύραννον θεὸν *Alcibiadis Cupido erat fulminator, vt habes in iconibus. Vide ornatissimas descriptiones Oppiani, de amoris tyrannide, quarum memini in thesauro.*

Εγαυρούτο *Similiter Iulianus,* κλίνας αὐχένα γαῦρον.

Μείλιχον διὰ τοῦτο γελᾶ, καὶ μείλιχός ἐστιν; *Palladis in Thespio Cupidine.*

VOLVIT ET APVLEIVS ISTAS GENTILIVM DEORVM PICturas stylo florido persequi, sed propter sermonis insolentiam, longè Græcis deterior est. Sic autem iudicium Dearum describit.

Descriptio XI.

ERat mons ligneus ad instar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis, & viuis arboribus, summo cacumine, de manibus fabri fonte manante, fluuiales aquas eliquans. Capellæ pauculæ candebant herbulas, & in modum Paridis Phrygij pastoris, in barbaricis amiculis, humeris defluentibus pulchrè indusiatus adolescens, aureâ tiarâ contecto capite, pecuarium simulabat ministerium. Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebia chlamyde sinistrum tegebat humerum, flauis crinibus vsquequaq; cospicuus, & inter comas eius aureæ pinnulæ cognatione simili sociatæ prominebant: quem caduceum, & virgula Mercurium indicabant. Is saltatoriè procurrens, malumque bracteis inauratum dextra gerens, ei qui Paris videbatur, porrigit, quæ mandaret Iupiter nutu significans, protinus gradus scitulè referens è conspectu facessit. Insequitur puella vultu honesta, in Deæ Iunonis speciem similis, nam & caput stringebat diadema * candidum, ferebat & sceptrum.

* *Alia candida.*

Irrupit alia, quam putares Mineruam, caput contecta fulgenti galeâ, & oleaginea corona tegebatur ipsa galea, clypeum attollens, & hastam quatiens, & qualis illa, cum pug-

pugnat. Super has Venus introcessit alia visendo decore perpollens, gratia coloris ambrosei designans Venerem. Ipse autem color Deæ diuisus in speciem, corpus candidum, quod cęlo demeat, amictus cærulus, quod mari remeat. Iam singulas Virgines, quæ Deæ putabantur, sui obibant comites.

Iunonem quidem Castor & Pollux, sed isti Castores erant scenici pueri. Hæc puella, varios modulos lasciua concinente tibia, procedens, quieta, & inaffectata gesticulatione, nutibus honestis pastori pollicetur, si sibi præmium decoris addixisset, sese regnum totius Asiæ tribuituram. At illam, quam cultus armorum Minernam fecerat, duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri, Terror, & Metus, nudis gladijs insultantes. At pone tergum tibicen Hormum canebat bellicosum; & permiscens bombis grauibus tinnitus acutos, in modum tubæ saltationis agilis vigorem suscitabat. Hæc inquieto capite, oculis inspectu minacibus, citato & intorto genere, gesticulatione alacri, demonstrabat Paridi si sibi formæ victoriam tradidisset, fortem trophæisque bellorum insignem suis adminiculis futurum. Venus ecce cum magno caueæ fauore in ipso meditullio scenæ, circumfuso populo lætissimorum paruulorum, dulce subridens constitit amœnè. Illos teretes, & lacteos puellos diceres tu Cupidines de cœlo vel mari commodum inuolasse. Nam & pinnulis, & sagittulis, & habitu cætero formæ præclaræ congruebant, & velut nuptiales epulas obituræ dominæ coruscis prælucebant facibus, & influunt innuptarum puellarum decore soboles. Hinc gratissimæ gratiæ; illinc horæ pulcherrimæ, quæ iaculis floris, serti, & soluti, Deam suam propitiantes, scitissimum construxerant chorum, dominæ voluptatum veris coma blandientes. Iam tibiæ multiforabiles cantus lydios dulciter circumsonant, quibus spectatorum pectora suaue mulcentibus longè suauior Venus placidè commoueri, cunctantique lente vestigio, & leuiter per fluctuantes pinnulas, & sensim annuente capite cœpit incedere, mollique tibiarum sono delicatis respondere gestibus, nunc mite conniuentibus, nunc acre comminantibus gestire pupulis, & nonnunquam saltare solis oculis. Apul. met. 10.

Hæc nimis affectata, & puerilia.

Item quod habet de pompa Veneris in mari floridum est, nisi stylo infuscaretur.

ECce iam profundi maris vdo resedit vertice, & ipsum quod incipit velle statim quàm si pridem præcepit, non moratur marinum exequium: adsunt Nerei filiæ chorum canentes, & Portunus cærulis barbis hispidus, & grauis piscoso sino Salacia, auriga paruulus Delphini Palæmon, iam passim maria persulcantes Tritonum cateruæ, hic concha sonaci leniter buccinat, ille serico tegmine flagrantiæ solis obsistit inimicæ: alius speculum sub oculis dominæ prægerit, currus biges alij supernatant. Talis ad Oceanum pergentem Venerem comitatur exercitus.

Idem Metamorph. 4.

Nota.

Non assentior Beroaldo, qui per verticem profundum, imum maris intelligit, Quin potius νῶτα θαλάσσης designat, quæ Arnob. l. 1. aduersus gentes Ponti terga dixit. Depingitur enim Venus ἀναδυομένη, qualem depinxit Leonides Tarentinus.

Τὰν ἐκφυγοῦσαν ματρὸς ἐκ κόλπων, ἔτι
Αφρῶτε μορμύρουσαν.

Emersam ex sinu matris, adhuc
Spuma fluitantem.

Bellissimè Anacreon od. 51. ex quo nonnulla decerpsit Apuleius.

Et ipsum quod incepit velle.

Morem ostendit delicatissimarum mulierum, quæ, vt ait ille, ad digiti sonum sua mandata impleri volunt, sin autem, solea obiurgabere rubra.

Cærulis barbis hispidus. *alibi multibarbum dixit, Marsiam non adeo delicatè exprimens illud Nonni* τρίτων δ' ἐυρυγένειος, *&c. Dionys. λδ.*

Salacia. *D. Augustinus lib. 4 de ciuitate Dei.*

Quid est, quod mare Neptuno tribuitur, Terra Plutoni? & ne ipsi quoque sine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina?

Auriga paruulus Delphini.

Dixit

Dixit ad imitationem Anacreontis: apud quem Desiderium, & Amor circa Venerem ἀναδυομένην *equitant* ἐπὶ Δελφῖσι χορευτᾷς.

Maria persulcantes. *melius quàm præsultantes expressit, & illud Anacreontis, qui* κύμα τέμνειν, ἄυλακα θαλάσσης, *sulcum maris dixit.*

Concha sonaci buccinat.

Vt apud Nonnum, Triton ipse ἐβόμβεεν ἠθάδι κόχλῳ. *Buccinatorem dixit Cicero filius. epist. 21. l 16 in eo, vt in cæteris audacior, quam pater.*

Speculum prægerit.

In quo delicatissimarum puellarum triumphabat luxus. Senec. 1. natur. q. 17.

Specula totis paria corporibus, auro, argentoque calata sunt: denique gemmis adornata: & pluris vnum ex his fœminæ constitit, quàm antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur Imperatorum pauperum liberis.

Item Apuleius lib. 6. Metamorph.

IVbet construi currum, quem ei Vulcanus subtili fabrica studiosè poliuerat, & ante thalami rudimentum nuptiale munus obtulerat: Lunæ tenuantis detrimento conspicuũ: & ipsius auri damno pretiosum. De multis quæ circa cubiculum dominæ stabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris incessibus picta colla torquentes iugum gemmeum subeunt, susceptaque domina lætæ subuolant, currum Deæ prosequentes, gannitu constrepenti lasciuiunt passeres, & cæteræ, quæ dulce canticant aues, melleis modulis suaue resonantes, aduentum Deæ prænuntiant, cedunt nubes, & cœlum filiæ panditur, & summus æther cum gaudio suscipit Deam: nec obuias aquilas, nec accipitres pertimescit magnæ Veneris canora familia, tum se protinus ad regias Iouis arces dirigit.

Notæ.

Ante thalami rudimentum nuptiale munus obtulerat. Similiter Claudianus, de nuptijs Honorij & Mariæ.

Mulciber, vt perhibent, his oscula coniugis emit
Mœnibus, & tales vxorius obtulit artes.

Lunæ tenuantis detrimento conspicuum.

Significat currum, arcuatum, & ad effigiem Lunæ corniculatæ figuratum.

Auri damno pretiosum

Quod enim ars raserat ex auro ad arcuatam figuram tenuandam: hoc ipso fuit opus politius, & nobilius.

Currum Deæ prosequentes, gannitu constrepenti lasciuiunt passeres.

Passeres, columbæ, olores sunt in famulitio Veneris. Sappho in hymno ad Venerem.

Καλοὶ κ̣ σε ἄγον,
Ὠκέες στρουθοὶ πτέρυγας μελαίνας.
Πυκνὰ δινέοντες ἀπ' ὠρὰν αἰθέρος διὰ μέσσω.

Pulchri verò te ducebant,
Et veloces passeres, nigras pennas
Variè agitantes, è cœlo aerem
Per medium.

Quod ad columbas, maternas agnoscit aues Aeneas apud Maronem, & Purpureis ales oloribus vehitur. apud Horat. od. 1. l. 4.

Nec obuius aquilas, nec accipitres rapaces pertimescit.

Tales Milui ad rapinas incitatissimi, vt nec macelli carnibus parcant, Ioui sacra non tangunt.

Τῶν δ' ἐκ τοῦ Διὸς ἱερουργίας οὐκ ἂν προσάψαντο: *Aelian. de animal. l. 2. c. 67.*

Iouis cæruleum supercilium. κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. ἰλ. α.

DIANA.

Ex Apuleio, 2. Metam.

Descriptio. XII.

ECONTA Parius lapis in Dianam factus, tenet libratam totius loci mediocritatem: signum perfectè luculentum, veste reflatum, procursu vegetum, introeuntibus obuium, & maiestate venerabile. Canes vtrinque secus Deæ latere muniunt, qui canes & ipsi lapis erant. His oculi minantur, aures rigent, nares hiant, ora sæuiunt, & sic vnde latratus de proximo ingruerit, eum putabis de faucibus lapidis exire, & in quo summum specimen operæ fabrilis egregius ille signifex prodidit, sublatis canibus in pectus arduis, pedes imi resistunt, currunt priores: Ponè tergum, Deæ saxum insurgit in speluncæ modum, muscis, & herbis, & folijs, & virgultis,

& pampinis, & arbusculis alibi de lapide florentibus: sub extrema saxi margine poma, & vuæ faberrimè politæ dependent, quas ars æmula naturæ, veritati similes explicuit: putes ad cibum inde quædam posse decerpi; &, si fontes, qui Deæ vestigio discurrentes in leuem vibrantur vndam, pronus aspexeris credes illos, vt rure pendentes racemos, nec agitationis officio carere.

DIONYSII STATVA.

Callistratus in signum Dionysij,

Descriptio XIII.

Δαιδάλῳ μὲν ἐξῆν ἰδεῖν τὰ περὶ Κρήτην πιστεύειν θαύματα, κινούμενα μηχαναῖς τὰ ποιήματα, καὶ πρὸς ἀνθρωπίνην αἴσθησιν ἐκβιάζεσθαι τὸν χρυσόν. αἱ δὲ Πραξιτέλειοι χεῖρες ζωτικὰ διόλου κατεσκεύαζον τὰ τεχνήματα· ἄλσος ἦν, καὶ Διόνυσις εἱστήκει, ἠιθέου σχῆμα μιμούμενος· οὕτω μὲν ἁπλοῦς, ὡς πρὸς σάρκα μεταῤῥυθμίζεσθαι τὸν χαλκόν οὕτω καὶ ὑγρὸν καὶ κεχαλασμένον ἔχων τὸ σῶμα, ὡς ἐξ ἑτέρας ὕλης ἀλλὰ μὴ χαλκοῦ πεφυκός. ὃς χαλκὸς μὲν ὤν, ἠρυθραίνετο. ζωῆς δὲ μετουσίαν οὐκ ἔχων, ἐβούλετο τὴν ἰδέαν δεικνύναι. ἁψαμένῳ δέ σοι, πρὸς τὴν ἀκμὴν ὑπεξίστατο. καὶ ὄντως μὲν ὁ χαλκὸς ἦν στεγανός· ὑπὸ δὲ τῆς τέχνης μαλαττόμενος εἰς σάρκα, ἀπεδίδρασκε τῆς χειρὸς τὴν αἴσθησιν. ἦν δὲ ἀνθηρὸς, ἁβρότητος γέμων, ἱμέρῳ ῥεόμενος, εἶον αὐτὸς Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις εἰδοποιήσας ἐξέφηνε. κισσὸς δὲ αὐτὸν ἔστεφε περιθέων ἐν κύκλῳ. ὡς κισσὸς ἦν ὁ χαλκὸς, εἰς κλῶνας καμπτόμενος, καὶ τὴν βοστρύχων τοὺς ἑλικτῆρας ἐκ μετώπου κεχυμένους ἀναστέλλον. γέλωτος δὲ ἔμπλεος, ὃ δὴ καὶ παντὸς ἦν ἐπέκεινα θαύματος, ἡδονῆς ἀφιέναι τὴν ὕλην τεκμήρια, καὶ τὴν παθῶν δήλωσιν ὑποκρίνεσθαι τὸν χαλκόν. νεβρὶς δὲ αὐτὸν ἔσκεπεν οὐχ οἵαν εἴωθεν ὁ Διόνυσος ἐξάπτεσθαι. ἀλλ' εἰς τὴν τῆς δορᾶς μίμησιν ὁ χαλκὸς μετεβάλλετο. εἱστήκει καὶ τὴν λύραν ἐπερείδων τῷ θύρσῳ. ὁ δὲ θύρσος ἠπάτα τὴν αἴσθησιν· ἐκ χαλκοῦ πεποιημένος, χλοερόμη, καὶ τεθηλὸς ἀποστίλβειν ἐδοξάζετο, πρὸς αὐτὴν ἀμειβόμενος τὴν ὕλην. ὄμμα δὲ ἦν πυρὶ διαυγὲς, μα-

DAEdalo sanè integrum fuit videre in Creta, incredibilia quædam, ac miranda opera, quæ fabricis occultis agitarentur, vtque aurum ad humanos sensus effingendos præter naturam cesserit: verùm, Praxitelis manus spirantia prorsus molitæ sunt artis simulachra. Nemus fuit, in quo Dionysius constiterat, adolescentis habitum imitatus, ita certè molliter, vt æs cum carne, summa concinnitate congrueret: adeò verò tenerum, ac delicatum corpus inerat, vt ex alia quauis materia, potiùs quàm ex ære conflatum videretur. Siquidem æs cum esset, erubescebat: & cum vitæ communionem haberet nullam, eius tamen speciem gestiebat præ se ferre; nam si contrectasses, ad tactus aciem cedebat: ac reipsa quidem solidum, & contumax metallum, sed artificio mollitum in carnem pulposam, manus contactum subterfugiebat, cæterùm floridus, teneritate refertus, ac cupidine diffluens cernebatur, qualem Euripides ipse in Bacchis accurata simulachri fictione expressit: Hedera certè ipsum circumuestiebat erratico corymborum flexu in orbem diffusa; æs quippe instar hederæ in ramos inflexum, cincinnorum nodos à fronte diffusos colligebat: totus porrò in risum effusus visebatur, quod certè omne miraculum excedebat, cùm voluptatis notas exprimeret materia, & metallum naturæ æmulum, permotiones, affectusque fingeret. Hinnuli membrana ipsum velabat, non qualem Dionysius solebat appensam habere, sed ad pellis imitationem æs conformatum erat. Porrò stabat, lyram thyrso fulciciens; ac thyrsus etiam sensum fallebat, quippe qui ex ære fabricatus, virens quiddam ac floridum cum ipsa certans materia, iaculari putabatur. Præterea oculus igne rutilans, furiosum intuebatur, sed enim metallum vim bac-

chan-

νικὸν ἰδεῖν. καὶ γὰρ τὸ βαχεύσιμον ὁ χαλκὸς ἐνεδείκνυτο, καὶ ἐπιθειάζειν ἐδόκει. ὥσπερ, οἶμαι, τοῦ πραξιτέλους, καὶ τὸ βάκχειον ἐγκαταμίξαι δυνηθέντος.

chantis indicabat, & furore accendi videbatur: perinde opinor, ac si Praxitelis bacchicum œstrum inserere valuisset.

Nota.

Ἀψαμένῳ δέ σοι: *Similiter dixit in Cupidine,* ἀψαμένῳ δὲ ἡ θρὶξ ὑπεξανίστατο, *quanquam alia ratio verbi* ὑπεξανίσαμαι, *&* ὑπερεξίσαμαι. *Itaque non possum assentiri viro eruditissimo sic interpretanti,* vigore quodam excitabatur, *mallem,* ad tactus aciem cedebat. *Ita, inquit, molle, & delicatum æs erat, vt tangenti cedere videretur,* πρὸς ἀκμὴν ὀνύχων, *D. Basilius, & Plutarchus, & fortè hic simile quidpiam desideratur. Verum, & germanum hunc esse sensum declarant inferiora,* ἀπεδίδρασκε τῆς χειρὸς, τὴν ἀίσθησιν.

CAERVS, SIVE OCCASIO.

Callistratus in Occasionis imag.

Descriptio XIV.

ΠΑΪς δὲ ἦν ὁ Καιρὸς ἡβῶν, ἐκ κεφαλῆς ἐς πόδας ἐπανθῶν τὸ τῆς ἥβης ἄνθος: ἦν δὲ τὴν μὲν ὄψιν ὡραῖος, σείων ἴουλον, καὶ ζεφύρῳ ἀνάσσειν, πρὸς ὁ βούλοιτο καταλιπὼν τὴν κομὴν ἄνετον. τὴν καὶ χρόαν εἶχεν ἀνθηρὰν τῇ λαμπηδόνι τοῦ σώματος τὰ ἄνθη δηλῶν. ἦν δὲ Διονύσῳ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐμφερής. τὰ μὲν γὰρ μέτωπα χάρισιν ἔστιλβεν; αἱ παρειαὶ δὲ αὐτῷ, εἰς ἄνθος ἐρευθόμεναι νεοτήσιον ὡραΐζοντο, ἐπιβάλλουσαι τοῖς ὄμμασιν ἁπαλὸν ἐρύθημα. εἱστήκει δὲ ἐπί τινος σφαίρας, ἀπ' ἄκρων τῶν ταρσῶν βεβηκὼς, ἐπτερωμένος τὼ πόδε· ἐπεφύκει δὲ οὐ νενομισμένως ἡ θρίξ; ἀλλ' ἡ μὲν κόμη κατὰ τῶν ὀφρύων ἐφέρπουσα, ταῖς παρειαῖς ἐπέσσειε τὸ βόστρυχον· τὰ δὲ ὄπισθεν ἦν τοῦ καιροῦ πλοκάμων ἐλεύθερα, μόνην τὴν ἐκ γενέσεως βλάστην ἐπιφαίνοντα τῆς τριχός.

CAerus autem puer erat pubescens, & ipso pubertatis flore, qui se vernantibus membris affuderat, gratissimus. Magna erat imprimis vultus dignitate, lanuginem quatiens, & cincinnos, quos Fauonio, quocunque vellet, agitandos permiserat. Adhæc florido nitebat colore, veluti quibusdam corporis fulgetris vernantes rosas explicaret, eratque Dionysio maxima ex parte persimilis: at enim frons gratijs emicabat, genæ regij floris instar rubentes, iuuenili decore fulgebant, ipsis oculis gratissima quadam face ruboris accensis: stabat autem in globo, summa pedum planta insistens, qua & pinnis volucer exilire propè videbatur: capillus non more solito creuerat, verùm coma contra supercilia repens, ad genas cincinnum effuderat, occiput verò capillorum nexibus liberum, rarissimos tantum pilos à primo ortu insitos ostendebat.

NILVS.

Philostratus in Nilo.

Descriptio XV.

ΠΕρὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι παιδία ξύμμετρα δὲ ὀνόματι. καὶ ὁ Νεῖλος

CVbiti circa Nilum ludunt pueri, corporis modulo cognomines: quibus Nilus sum-

αὐτοῖς ὑπεργάννυται, τά τε ἄλλα, καὶ ὅτι κηρύττουσιν αὐτὸν ὅσοι Αἰγυπτίοις προσχύδην. προσάγεται οὖν, καὶ οἷον ἕρχεται αὐτῷ ἐκ τοῦ ὕδατος, βρέφη ἁπαλὰ, καὶ μειδιῶντα, μετέχειν δὲ οἴμαι αὐλῶν, καὶ τοῦ λάλου· καὶ οἱ μὲν τοῖς ὤμοις αὐτοῦ ἐφιζάνουσιν, οἱ δὲ τῶν πλοκάμων ἐκκρέμανται· οἱ δὲ ἀγκάλης ὡς καθεύδουσιν. οἱ δὲ κωμάζουσιν ἐπὶ τοῦ στέρνου· ὁ δὲ ἀναδέδωσιν αὐτοῖς ἄνθη, τὰ μὲν ἀπὸ τοῦ κόλπου, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς ἀγκάλης, ὡς στέφανος τὲ ἀπ' αὐτῶν διαπλέκοιεν, καὶ καθεύδοιεν ἐπὶ τῶν ἀνθέων ἱεροί, καὶ εὐώδεις· καὶ ὑποβαίνουσιν ἄλλοι ἄλλα τὰ παιδία, σείριοις ἅμα. ταῦτα γὰρ ἐναύλια ἐκείνῳ τῷ ὕδατι. κροκόδειλοι μὲν οὖν, καὶ οἱ ποτάμιοι τῶν ἵππων, οὓς τῷ Νείλῳ ἐνεῖς προσηρέφουσιν, ἀπόκεινται, νῦν σεβαθείᾳ τῇ δίνῃ, μὴ δεινὸν τοῖς παιδίοις ἐμπέσῃ.

moperè oblectatur, cùm ob alia, tum vel maximè, quod ipsum, quantum Aegyptijs profusus sit, enuntient; procedunt igitur, & velut ex ipsa aqua molles, ac ridentes progrediuntur infantes: participes autem esse, & sermonis existimo. Hi quidem ipsius humeris insident, hi à cincinnis eius suspenduntur, nonnulli in vlnis dormiunt, alij in pectore petulanter saliunt, ipse verò tam ex sinu, quàm ex vlnis, flores offert pusionibus, vt ex ipsis corollas contexant, & super floribus dormiant, sacri prorsus, & sacris odoribus perfusi; & ex pueris alius aliò cum sistris ascendit; hæc enim illi aquæ consona sunt instrumenta: Cæterùm, crocodili, & qui à nonnullis Nilo adscribuntur, hippopotami, nunc in imo iacent vortice, ne pueris terrorem incutiant.

ORPHEVS.

Philostratus in Orpheo.

Descriptio XVII.

Ὀρφεα τὸν Μούσης, θέλξαι τῇ μουσικῇ, καὶ τὰ μὲν μετέχοντα λόγου, λογισμοῦ φασὶ πάντες. λέγει καὶ ὁ ζωγράφος. λέων τὲ οὖν, καὶ σῦς αὐτῷ πλησίον ἀκροατὰ τοῦ Ὀρφέως, καὶ ἔλαφος, καὶ λαγωὸς οὐκ ἀποπηδῶσι τὴν ὁρμὴν τοῦ λέοντος, καὶ ὅσις οὐ θήρα δεινὸς ὁ θὴρ ξυναγελάζεσθαι αὐτῷ ῥᾳθύμως, ὧν ῥάθυμοι. σὺ δὲ μηδὲ τοὺς ὄρνιθας ἀργοὺς ἴδῃς, μὴ τοὺς μοισικοὺς μόνον οἷς εὐσεβοῦμεν τοῖς ἄλσεσιν ἕδος. ἀλλ' ὁρᾶμοι καὶ τὸν χραγέτιλων κολοιόν, τὴν λακέρυζαν αὐτὴν, καὶ τὸν τοῦ Διὸς ἀετόν. ὁ μὲν ὁποῖος ἄμφω τὼ πτέρυγε ταλαντεύσας, ἑαυτοῦ ἀτενὲς ἐς τὸν Ὀρφέα βλέπει, οὐδὲ ὑπερφρόνημα τοῦ πώγωνος, πλησίον ὄντος. οἱ δὲ ξυγκλείσαντες τὰς γένυς, ὅσοι τοῦ θέλγοντος, λύκοι ἦ οὗτοι, καὶ ἄρνες ἀναμὶξ, ἢ τεθηπότες. ἰδανιεύεται ἦ τι καὶ μεῖζον ὁ ζωγράφος. δένδρα γὰρ ἀνασπάσας τῶν ῥιζῶν ἀκροατὰς ἄγει ταῦτα πρὸς Ὀρφέα, καὶ περιίστησιν αὐτῷ. πεύκη τε οὖν καὶ κυπάρισσος καὶ πλάτανος, καὶ ἄγνος ἄυτη, καὶ ὅσα ἄλλα δένδρα ξυμβάλλοντα τοὺς πόρθμους

ORpheum Musæ filium mollissimis fidibus, rationis etiam expertes feras demulsisse, omnes fabulosi testantur scriptores, omnium fermè pictorum colores loquuntur. Quare leo, & aper propè adsunt, Orpheum auscultant, & ceruus quidem, ac lepus minimè ab impetu leonis resiliunt, & quibuscunque in venatione terribilis hæc fera visa est, congregantur segnes, ac remissi, cum ipso, vt apparet, feriante. Cæterum, ne aues quidem inertes videris, non canoras tantum, quibus suaues modulos concinere saltibus mos est: quin etiam vide clamosum gracculum, & stridulam cornicem, & Iouis aquilam: hæc quidem qualis est, alarum librata remigijs, vt sponte sua defixis oculis Orpheum spectat, nec se ad proximum lepusculum, prædæ scilicet oblita, conuertit. Hic porrò constrictis maxillis (quæ ars est Orphei mulcentis) & lupi, & agni promiscuè astoniti, saltatorium orbem versant. Maius porrò quiddam animosus pictor comminiscitur: nam arbores à radicibus auulsas, ad auscultandum Orpheum ducit, atque

ipsi

οἷον χεῖρας, περὶ τὸν Ορφέα ἔρστηκε, καὶ τὸ θέατρον οὖν αὐτῷ συγκλείουσιν οὐ δεηθὲν τῆς τέχνης. ἢ οἵτε ὄρνιθες ἐπ' αὐτῶν καθέζοιντο, καὶ ἐκεῖνος ὑπὸ σκιᾷ μουσουργοίη. ὁ δὲ κάθηται, ἀρτίχνουν ἐκβάλλων ἴουλον, ἐπιῤῥέοντα τῇ παρειᾷ, κάραν δὲ χρυσαυγῆ ἐπὶ κεφαλῆς αἴρων. τὸ δὲ ὄμμα αὐτῷ ξυνὸν ἁβρότητι ἐνεργὸν, καὶ ἔνθεον, ἀεὶ τῆς γνώμης ἐς θεολογίαν τεινούσης. τάχα δέ κ καὶ νῦν ἄδει, καὶ ὀφρὺς, οἷον ἀποσημαίνουσα τὸν νοῦν ἀσμάτων, εὐθύς τε αὐτῷ μεταθέουσα, πρὸς τὰς τῶν κινήσεων τροπάς, καὶ τοῖν ποδοῖν, ὁ δὲ λαιὸς, ἀπερείδων εἰς τὴν γῆν, ἀνέχει τὴν κιθάραν. ὑπὲρ μηροῦ κειμένην. ὁ δεξιὸς δὲ ἀναβάλλεται τὸν ῥυθμὸν, ἐπικροῦ τοῦ δαφοῦ τῷ πεδίλῳ. αἱ χεῖρες δὲ ἡ μὲν δεξιὰ ξυνέχουσα ἀπρὶξ τὸ πλῆκτρο ἐπιτέταται φθόγγοις ἐγκειμένῳ τῷ ἀγκῶνι, καὶ καρπῷ εἴσω νεύοντι· ἡ λαιὰ δὲ ὀρθοῖς πλήττει τοῖς δακτύλοις τοὺς μίτους.

ipsi in orbem sistit. Pinus igitur, & cupressus, & alnus, & populus, hæ & aliæ quæuis arbores, confusis ramis, tanquam consertis manibus, Orpheum circumdant, ac certè theatrum ipsius, gratia, non sine exquisito quodam artificio circumcludunt. Gerne iam, vt aues in ramis consideant, & Orpheus in vmbra moduletur: ipse quidem sedet, erumpens lanuginem genis, molliter inserpentem: tiaram auro fulgentem in capite rectam gestat, & oculus ipsi mollitie simul, atque ignea solertia temperatus, Deoque plenus apparet, mente ad considerationem, de natura Deorum semper intenta: fortè etiamnum aliquid canit, ac supercilium quasi designaret, carminum sensum, repentè cum ipso mutatur, ad motionum conuersiones. At pedum quidem læuus terræ nixus citharam sustinet incumbentem femori, dexter verò orditur modulos, pulsans solea pauimentum: manuum autem dextra plectrum firmiter tenens, extenditur supra fides incumbente cubito, & palma introrsum nutante, ac reflexa: sinistra rectis ferit digitis fides.

Notæ ad Orphei statuam.

Hoc argumentum disertè prosequutus est Claudianus in præfatione libri secundi, de raptu Proserpinæ: quod hic habes tam delicatè descriptum, vt nihil in Græcis veneribus opulentius, aut elegantius esse possit.

Καὶ λαγωὸς οὐκ ἀποπηδῶν.

Securum blandi leporem fouere molossi,
Vicinumq; lupo præbuit agna latus.

Ὁ θήρ, *ita appellatur leo,* κατ' ἐξοχὴν. *quod, vt ait sapientissimus Philo, habeat* τὴν φύσεως μοναρχίαν.

Καὶ τὴν λακέρυζαν αὐτὴν, *& hoc* γλώσσης πινδαριζούσης, *quod adiunctum vulgatissimum dixit pro subiecto.*

Ita Hesiodus, & Diuus Gregorius appellant: λακέρυζαν μελάγχροον.

Ὁ ἐστι τοῦ θέλγοντος, *nihil immutandum video, & ex interpretatione nostra planus est huius loci sensus.*

Νεανιεύεται, *iuueniliter inuentis exultat.*

Sic Plutarchus dixit, ἐν τῇ βουλῇ νεανιεύεσθαι: *& Horatius, Iuuenari versibus.*

Aut nimium teneris iuuenentur versibus vnquam.

πεύκη τε οὖν. *Et comitem Quercum Pinus amica trahit.*

Δεηθέντα τῆς τέχνης, *locum, vt video corruptum suspicatus est interpres: sed nihil expeditius, nam* δεηθέντα *refertur ad* τὰ δένδρα, *non ad* θεάτρον.

Ἀρτίχνουν, *vesticipem designat, qualis ille.*

Ἀρτιχάρακτον ἔχων ἐκ κύκλον ὑπήνης.

Nonn. Dio.

Ora puer primâ signans intonsa iuuenta:

Maro.

Μεταθοῦσα ὀφρύς. Μεταθέουσαν *coniicit interpres: ego nihil mutandum censeo: vsus eodem verbo Philostrat. in Amphione,* τρέπεται, καὶ πρὸς τὴν Ιριν μετανθεῖ, *etsi propriè in floribus, ad cæteras tamen mutationes exprimendas traducitur* σφιστικῶς.

Confer cum ista descriptionem Luciani, qua habetur aduersus indoctum.

CITHAROEDVS.

Apuleius, lib. 2. florid.

Descriptio XVII.

ADolescens est visenda pulchritudine, crinibus, fronte parili, separata, per malas reuulsus: ponè autem, coma prolixior interlucentem ceruicem scapularum finibus obumbrat: Ceruix succi plena, malæ vberes, genæ teretes, ac modico mento iaculantur, eique prorsus citharœdicus status, deam conspiciens, canenti similis, tunicam pictutis variegatam deorsus ad pedes deiectus, ipsos Græcanico cingulo, chlamyde velat vtrumque brachium, aduſque articulos palmarum. Cætera decoris instrumentis dependent, cithara baltheo cælata, apta structim sustinetur: manus eius teneræ procerculè læua distantibus digitis neruos molitur; dextra psallente gestu, pulsabulum citharæ admouet, seu parata percutere, cùm nox in cantico interquieuit: interim canticum videtur ore tereti, & semihiantibus in conatu labellis eliquare.

MARSYAS.

Ex eodem Apuleio.

Descriptio XVIII.

EO genitus Marsyas, cùm in artificio patrissaret tibicinij, Phryx cætera, & barbarus, vultu ferino trux, hispidus, illuribarbus, spinis, & pilis obsitus: fertur (proh nefas) cum Apolline certauisse, turpis cum decoro, agrestis cum erudito, bellua cum Deo; Musæ cum Minerua, dissimulamenti gratia, Iudices astitere, ad deridendam scilicet monstri illius barbariem, nec minus ad stoliditatem illius puniendam: sed Marsyas, quod stultitiæ maximum specimen est, non intelligens se deridiculo haberi, priusquam tibias occiperet inflare, prius de se, & Apolline quædam deliramenta barbarè effutiuit, laudans se, quod erat, & coma relicinus, & barba squalidus, & pectore hirsutus, & arte tibicen, & fortuna egenus.

MEMNON.

Philostratus, in Memnone.

Descriptio XIX.

Σκόπει γὰρ ὅσος μὲν κεῖται καλὰ τῆς γῆς ὅσος ὁ τοῦ βοτρύχων ἄσταχυς, οὓς αἷμαν νείλῳ ἔτρεφε. νείλῳ γὰρ Αἰγύπτιοι μὲν, ἔχουσι τὰς ἐκβολὰς, αἰθίοπες, τὰς πηγὰς· ὅρα τὸ εἶδος ὡς ἐρρώωται, καὶ τοῦ ὁρᾶν μὴ ἀπολολότωμ· ὅρα τὸν ἴουλον ὡς καλὰ ἡλικίαν τῷ κτείνανλι. οὐδὲ ἂν μέλανα φαίης τὸν μέμνονα. τὸ γὰρ ἀκράτως ἐκ αὐτοῦ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθους.

ETenim aduerte, quantus humi iaceat, quantaque cincinnorum spica, quos, puto, Nilo nutriebat, Nili enim ostia, AEgyptij, fontes, AEthiopes habent: aspice quantum species ipsa roboris, oculis etiam extinctis præferat: aspice præterea lanuginem, quàm interfectoris ætati congruat, ne nigrum quidem diceres, Memnona: nam quæ ipsi inest sincera nigredo, floris nescio quid præ se ferr.

MELEAGER VENATOR.

Philostratus in Meleagro.

Descriptio XX.

Φερε δὴ, καὶ τὰ περὶ αὐτὸν εἰπωμεν. σφοδρὸς μὲν ὁ νεανίας, καὶ πάντη σφριγῶν.

AGedum, etiam quæ ad ipsum spectant, commemoremus: Callosus est, ac rigidus

κνῆμαι δὲ αὐτῷ εὐπαγεῖς, καὶ ὀρθαὶ, φέρειν τε σὺν τῷ τῆς ὁρμοις ἱκαναὶ, καὶ ὑφιστάμεναι τὴν ἐκ χειρὸς ἀγῶνα, φύλακες ἀγαθαί. μηρὸς τε ξυμὼν ὀπιγοιωι ἰδιόμολογῶν τοῖς κάτω, καὶ ἰσχίον, οἷον διδόναι θαρσεῖν, ὡς οὐκ ἀναλαπησόμενα ὑπὸ τῆς συὸς ἐμβολῆς· καὶ νεανίου πλευρὰ ἦ εὐθεῖα, καὶ γαστὴρ ἀπέρριτος, καὶ στέρνα τὸ μέτριον προσκείμενα, καὶ βραχίονων διηρθρωμένων, καὶ ὦμοι πρὸς αὐχένα ἐρρωμένον ξυνάπτοντες, καὶ βάσιν αὐτῷ διδόντες· κόμη τε ἡλιῶσα, καὶ ἀνεσηκυῖα ὑπὸ τοῦ πρίεσθαι, ἐνεργὸν καὶ χαροπὸν ἱκανῶς δεδορκὸς τὸ ὄμμα· ἥτε ὀφρὺς, οὐκ ἀνειμένη, ἀλλ' ἐν τῷ θυμῷ πᾶσα, καὶ ἡ τοῦ προσώπου κατάσασις· οὐ ξυγχωροῦσα περὶ κάλλους τι λέγειν, διὰ τὸ ὀπτιλάθαι. ἐσθὴς ἦ λευκὴ ὑπὲρ γόνυ, καὶ κρηπὶς, ὑπὲρ σφυρὸν, ἔρεισμα ἀσφαλὲς τῇ βάσει. χλαμύδα τε χροκοβαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας, τὸ θηρίον ὑφίσατας.

dus adolescens, & corpore toto vegetus, suræ benè compactæ, rectæ, non minus in stadijs ad currendum aptæ, quàmad luctæ certamen cominus sustinendum firmæ: femur iunctum toris, genu inferiori tibiæ respondet, & talis coxendix, vt polliceri audeat, adolescentem apri impetu minimè subuersum iri: tum latera plena, & venter minimè obesus, & pectora moderatè extuberantia, & brachium arti culis nexum, & humeri ad ceruicem validam cohærentes, basim ipsi exhibent, coma verò soli concolor, & nunc præ impetu, & alacritate erecta, & toruum intuens, cæsius oculus, & supercilium haudquaquam remissum, sed in animi æstu totum, vt & ipsa vultus constitutio, quæ non concedit de forma, propter commotionem adolescentis, quicquam dicere: Accedit vestis candida super genu, & solea super malleolo, fulcrum quidem tutum incessui. Denique chlamyde croco tincta, ceruici inuoluta, indutus belluam expectat.

NARCISSVS.

Callistratus, in Narcisso.

Descriptio XX.

Ἐστήκει ἦ ἐπ' αὐτῇ Νάρκισσος, ἐκ λίθου λευκοῦ πεποιημένος. παῖς ἦν, μᾶλλον δὲ ἐφήβου, ἡλικιώτης ἐρώτων, ἁρπαὴν οἷοι ἐξ αὐτοῦ τοῦ σώματος ἀπολάμπων κάλλος. ἦν ἦ τοίνυν καὶ τὸ σχῆμα. καί μοι ἐπιχρύθεις ἥρπαπε, καὶ τὸ μὲν μέτωπον τῆς κόμης ἑλισσομένης εἰς κύκλον, καὶ τὰ δὲ τοῦ αὐχένα, κεχυμένης εἰς νῶτα. ἔβλεπε δὲ οὐκ ἀκράτως γαῦρον, οὐδὲ ἱλαρὸν καθαρῶς. ἐπιπεφύκει γὰρ ἐν τοῖς ὄμμασιν, ἐκ τῆς τέχνης, καὶ λύπη, ἵνα μὴ τὸ Νάρκισσου καὶ τὴν τύχην ἧ εἰκὼν μιμῆται.

NARCISSVS stabat è marmore candido confectus: puer erat, vel potius adolescens coæuus Cupidinum, qui veluti quaidam faces, è corporis formositate iaculabatur, eiusmodi verò conformatione extitit: aurea cæsarie fulgurabat, capillo ad frontem, in orbem reuoluto, sed per ceruicem diffuso in terga: obtutus eius, non purè, ac planè superbus, neque hilaris omninò, insitus quippe fuerat in oculis mœror, ex arte, vt cum Narcisso, imago etiam fortunam eius imitaretur,

CALVM

CALVMNIA LVCIANI.
Descriptio XXII.

ΕΝ δεξιᾷ τις ἀνὴρ κάθηται, τὰ ὦτα μακρὰ μεγέθη ἔχων, μικρῷ δεῖν τοῖς Μίδου προσεοικότα, τὴν χεῖρα προτείνων πόρρωθεν ἐπὶ μηνύσοντι τῇ Διαβολῇ. Περὶ δὲ αὐτὸν ἑστᾶσι δύο γυναῖκες, Ἀγνοιάμοι, δοκεῖ, καὶ Ὑπόληψις. ἑτέρωθεν δὲ προσέρχεται ἡ Διαβολή, γύναιον ἐς ὑπερβολὴν πάγχαλον, ὑπόθερμον δὲ καὶ παρακεκινημένον, εἶδον δὴ τὴν λύσσαν καὶ τὴν ὀργὴν δεικνύουσα, τῇ ἑτέρᾳ δὲ νεανίαν τινὰ, τῶν πολιτῶν σύρουσα, τὰς χεῖρας ὀρέγοντα εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ μαρτυρόμενον τοὺς θεούς· ἡγεῖται δὲ ἀνὴρ ὠχρὸς καὶ ἄμορφος, ὀξὺ δεδορκὼς, καὶ ἐοικὼς τοῖς ἐκ νόσου μακρᾶς χατεσκληκόσι. τοιοῦτον γοῦν εἶναι τὸν φθόνον ἂν τῷ εἰκάσειε. καὶ μὴν καὶ ἄλλαι τινὲς δύο παρομαρτοῦσι, προσδέουσαι, καὶ περιστέλλουσαι, καὶ κατακοσμοῦσαι τὴν Διαβολήν· ὡς δέ μοι καὶ ταύτας ἐμήνυσεν ὁ περιηγητὴς τὴν εἰκόνος, ἡ μὲν Ἐπιβουλή τις ἦν· ἡ δὲ, Ἀπάτη. Καλόπιν δὲ ἀκολουθεῖ πάνυ πειθικῶς τις εὐσκευασμένη, μελανείμων καὶ κατεσπαργμένη, Μετάνοια δὲ καὶ αὐτὴ ἐλέγετο· ἐπεστρέφετο γοῦν ἐς τοὐπίσω δακρύουσα, καὶ μὴ ἀϊδοῦς, πάνυ τὴν ἀλήθειαν προσιοῦσαν ὑπέλεπεν.

AD dextram consider quispiam auribus prælongis insignis, quales ferè illæ Midæ deferuntur: Manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circunstant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, ac Suspicio. Adit aliunde propera Calumnia, eximiè compta, vultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam: dextra secundùm adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantemque immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit vir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minimè hebeti, cæterum planè ijs similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt. Hunc facilè conijcias Liuorem esse. Quinetiam mulierculæ aliquot Calumniæ insequuntur comites, quarum est munus, dominam hortari, instruere, comere: interpres picturæ aiebat Insidias esse & Fallaciam. A tergo, lugubri habitu, pullata laceraque Pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lachrymis ac pudore procul venientem Veritatem excipit.

MELANCHOLIA.
Descriptio XXIII.

ALbertus Durerus artificiosissimus pictor, cuius diuinæ manus multa immortalia opera extant, profundi atque cogitantis animi motus, qui melancholici dicuntur: (putantur enim eorum esse, in quibus atra bilis, vt vocant, medici, abundat:) eos igitur ita expressit: Mulier sedet demisso capite, manuque cubito nixa, quem genu fulcit, illud sustinet; & vultu seuero, quasi in magna consideratione nusquam aspicit; sed palpebris deiectis humum intuetur, omnia autē sunt circū illam obscura. Ipsa claues appensas habet lateri. Capillo est neglectiore, & diffuso. Propter eam visuntur artium instrumenta, libri, regulæ, circini, normæ, etiam ferramenta, & lignea quædam opera. Vt autem indicaret, nihil non talibus ab ingenijs comprehendi solere, & quàm eadem sæpenumerò in absurda deferrentur; ante illam scalas in nubes eduxit, per quarum gradus quadratum saxum veluti ascensionem moliri fecit. Iacet autem propè hanc ad pedes ipsius, contracta corporis parte, parte etiam porrecta, canis, cuiusmodi illa solet bestia in fastidio esse, languida & somniculosa, & perturbari in quiete. Cernere etiam est quasi ad fenestram à pictore aranearum telas, & venationem harum, inter alia huius naturæ indicia, tenuissimis lineis expressa.

TRI-

TRITONES EX Pausania.

Descriptio XXIV.

TRitones in capite habent veluti palustris ranæ comam, similem & calore & capillo, cuius crines discernere nequeas; Reliquum corpus squama horret, quæ Lunæ asperitatem referat. Branchias habent subter aures, nasum hominis: os verò amplum, & dentes ferinos, oculos, vt videntur, glaucos. Suntque ipsis & manus, & digiti, & vngues operculis cochliarum similes. Infra pectus & ventrem cauda porrigitur pedum loco, quemadmodum Delphinis.

DIGNITAS VIRILIS, SEV THEAGENES.

Heliod. in Æthiop. lib 3.

Descriptio XXV.

Ἀλλὰ τούτους ὦ, Κνήμων, τοιούτους ὄντας, οὕτως ὑπερεῖδε καὶ παρέδραμεν ἡ τῶν παρόντων ὄψις: πρὸς τὸν ἵππαρχον (ἦν δὲ τὸ μέλημα τὸ ἐμὸν Θεαγένης) ἅπας ἐπέστρεψεν· ὥστε ἔδοξεν ἂν ὑπὲρ ἀστραπῆς τὸ φαινόμενον πρότερον ἅπαν ἠμαυρῶσθαι, τοσοῦτον ἡμᾶς ὀφθεὶς κατέλαμψεν· ἱππεὺς μὲν καὶ αὐτὸς καὶ ὁπλίτης τυγχάνων, καὶ δόρυ μελίαν χαλκόστομον ἐπισείων. τὸ δὲ κράνος οὐχ ὑπελθὼν, ἀλλ' ἀπὸ γυμνῆς τῆς κεφαλῆς πομπεύων, φοινικοβαφῆ χλαμύδα καθειμένος, ἧς τὰ μὲν ἄλλα χρυσὸς ἐποίκιλλε, τοὺς Λαπίθας ἐπὶ τοὺς κενταύρους ὁπλίζων. ἡ πρόνη δὲ Ἀθῆναν ἠλεκτρίνην ἔστεφε, τὴν Γοργοῦς κεφαλὴν εἰς θώρακα προασπίζουσαν. προσέβαλλε δὲ ἡ χάριτος τοῖς γιγνομένοις, καὶ ἀνέμου λιγεῖα ῥιτὴ, μείλιχον γὰρ ἐπέπνει, τὴν μὲν κόμην ἠρέμα κατὰ τοῦ μετώπου τοὺς βοστρύχους παραστέλλουσα, καὶ χλαμύδος τὰς ἄκρας τοῖς νώτοις τοῦ ἵππου, καὶ μηροῖς ἐπιβάλλουσα εἶπες ἂν καὶ τὴν ἵππον αὐτὴν συνιέναι τῆς ὡραιότητος τοῦ δεσπότου, καὶ ὡς καλὸν κάλλιστον φέρειν τὴν ἡνιόχον αἰσθάνεσθαι. οὕτω τὴν αὐχένα κυμαίνων, καὶ εἰς ὀρθὸν οὖς τὴν κεφαλὴν ἐγείρων, καὶ σοβαρὰν τὴν ὀφρῦν κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπιδινεύων, ἔφερε καὶ ἐφέρετο γαυρούμενος εὐηνία τε προποδίζων, καὶ ἐφ' ἑκάτερον ὦμον ἑαυτὴν ἐν μέρει ταλαντεύων, ἄκραν τὲ τὴν ὁπλὴν τῇ γῇ λεπτὸν ἐπικροτῶν, εἰς γαλήνον κίνημα τὸ βῆμα κατερρύθμιζεν.

SEd hos, Cnemon, sic ornatos despiciebant oculi eorum, qui aderant, & in perfectum equitem (erat autem mea cura Theagenes) conijciebantur, vt videretur tanquam à fulgure totum id, quod prius lucebat, obscuratum esse. Tantam lucem vnius nobis conspectus attulerat, cum eques quoque ipse esset, & armatus, & hastam fraxineam ærea cuspide vibraret, non tectus galea, sed aperto capite sese ostentans, purpurea chlamyde indutus, in qua Lapitharum, & Centaurorum pugnam intertextæ ex auro figuræ expresserant, fibula verò Palladem ex electro scitissimè factam repræsentabat, Gorgonis caput in scuto pectori præferentem, addebant autem aliquid gratiæ, & commendationis, venti placidiores auræ. Blandè enim aspirabat, & modò comam ceruicibus molliter affusam diuerberabat, modò capillos in fronte discernebat, modò chlamydis fimbrias tergo equi, & femoribus insternebat. Dixisses, & equum ipsum intelligere formam Domini, & quod pulcher ipse, & pulcherrimum gestaret, sentire rectorem. Ita collum commouens, & arrectis auribus caput attollens, & trux supercilium supra oculos versans, ferebat, & ferebatur exultans, ac superbiens: & laxato fræno alacriter progrediens: ac in vtrumq; latus alternis sese librans, extremaque vngula leniter terram pulsans, agitationis contentionem incessu modico temperabat.

ITEM THEODORICVS.

Sidonius Apollin. epist. 11. lib. 1.

Descriptio XXVI.

SI forma quæratur, corpore exacto, longissimis breuior, procerior, eminentiorque mediocribus: capitis apex rotundus, in quo paululum à planicie frontis, in verticem cæsaries refuga crispatur, ceruix non sedet neruis, geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus. Si verò cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo propè peruenit. Aurium legulæ (sicut mos gentis est) crinium superiacentium flagellis operiuntur. Nasus venustissimè incuruus, labra subtilia, nec dilatatis oris angulis, ampliata: si casu dentium series ordinata promineat, niueum protinus repræsentat ipsa colorem. Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio. Barba concauis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem, stirpitus tonsor assiduus genas adusque forcipibus euellit Menti, gutturis, colli non obesi, sed succulenti, lactea cutis, quæ propius inspecta, iuuenili robore suffunditur. Namque hunc illi crebro colorem, non ira, sed verecundia facit: teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ manus, recedente aluo pectus accedens. Aream dorsi humilior inter excrementa costarũ spina discriminat. Tuberosum est vtrumque musculis prominentibus latus, in succinctis regnat vigor ilibus. Carneum femur, internodia poplitum benè mascula: maximus in minimè rugosis genibus honor. Crura suris fulta turgentibus: & qui magna sustentat membra pes medicus.

Vide eruditum in hanc epistolam R. P. Sirmondi commentarium.

In picturis & imaginibus mulierum nihil opus est immorari pluribus. Plena sunt his argumentis leuium Poëtarum nugæ, qui, vt ait D. Augustinus,

Pulchritudinem corporis, quæ est infimum bonum à Deo factum, temporale & carnale, malè amant, postposito, intimo, æterno, & sempiterno Deo.

Pulcherrimus mundus, & omnia quæ in eo sunt, clamant se facta à pulcherrimo Deo: quod surdæ aures non audiunt.

Subijciam vnam aut alteram picturam, vt habeant adolescentes, quod castè in istis imitentur. Verùm vt liberè moneam, à graui oratione, multo magis concione, istæ descriptiones alienissimæ sunt. Itaque poterunt magis Poetis ad Dearum prosopopœias esse adiumento, quam ab oratoribus in seriis rebus afferri. Quis enim ferret, in re graui, hanc styli mollitiem, quam habet Aristænetus, cum Diuam suam vanissimus sophista describit his verbis?

VENVSTAS MVLIEBRIS.

Ex Aristæneto epist. 1.

Descriptio XXVII.

Ὠφύσεως τὸ κάλλιστον φιλοτέχνημα, ὦ γυναικῶν εὐκλεια, καὶ διὰ πάντων ἔμψυχος τῆς ἀφροδίτης εἰκών. ἐκείνῃ γὰρ, ἵνα κάλλος ἀφροδίσιον εἰς δύναμιν ἀπογράψω τοῖς λόγοις, λευκαὶ μὲν ἐπιμὶξ καὶ ὑπέρυθροι παρειαὶ, καὶ ταύτῃ τὸ φαιδρὸν ἐκμιμοῦνται τῶν ῥόδων· σχείλη δὲ λεπτὰ, καὶ ἠρέμα διῃρημένα, καὶ τῶν πα-

O Naturæ eximium operæ pretium! O mulierum decus! ô viuam, spirantem per omnia Veneris imaginem! Nam illi, vt Veneriam formam quantumpote verbis depingam. Mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ, natiuum rosarum splendorem referunt, subtilia labra, tenuique interstitio distincta genarum purpuram vincunt, supercilia fusca purissima nigredine, disparataque inter se

φειῶν ἐρυθρόι ερα· ὀφρῦς τε μέλαινα τὸ μέλαν ἄκραλον· τὸ ᾗ μεσόφρυον ἐμμέζως τὰς ὀφρῦς διορίζει. ὀφθαλμοὶ μεγάλοι τε καὶ διαυγεῖς, καὶ καθαρῷ φωτὶ διαλάμποντες· τὸ ᾗ μέλαν αὐτ, αἱ κόραι μελάνταλοι, καὶ τῷ κύκλῳ λευκὴν αἴγλην λευκόταλαι, καὶ ἑκάτεροι ὑπερβολὴν πρὸς τὸ ἕτερον ἐπιδεικνῦται. καὶ τὸ λίαν ἀνόμοιον, εὐδοκιμεῖ παραχείμενον. ἔνθα δὴ τὰς χάριτας ἐγκαθιδρυμένας πάρεισι προσκυνεῖν. ἡ ᾗ κόμη φυσικῶς ὑακινθίνῳ ἄνθει, καθ' Ὅμηρον, ἐμφερής· καὶ ταύτῃ αἱ χεῖρες τημελῶσι τ ἀφροδίτης. χαλκῷ λευκός τε, καὶ σύμμετρος τῷ προσώπῳ, κἂν ἀκόσμητος ᾖ, διαθερόηλα τεθαρρηκεν ἑαυτῷ. περίκειται δὲ λιβοκόλλητ ἀεριδέρραον, οἷ ὠτοῦνομα γέγραπται τ καλῆς, γράμματα δέξει τ λιθιδίων ἡ θέσις. ἔστι ᾗ ἐμμελὴς ἡλικία. τὸ χρῆμα καλόν τε καὶ περίμετρον, καὶ τῷ τύπῳ σωματοειδὲς ἄγαλμον τ μελῶν. οὐδεδυμένη δὲ, ἐυπροσωποτάτη· ἐκδῦσα ᾗ, ὅλη πρόσωπον φαίνεται βάδισμα τεταγμένον, βραχὺ ᾗ, ὥσπερ κυπάριττος, ἡ φοινὶξ σειόμενος ἡ τυχὴ. (ἐπεὶ φύσει τὸ καλὸν ἐὶν ὑπερήφανον·) ἀλλὰ ἐκεῖνα ᾗ, εἶα φίτα, κἀκεῖ ζεύρᾳ πανοῖ, αὐτὴν ᾗ ὡῶς ὑποσαλεύουσι τῶν ἐρώτων αἱ αὖραι. ταύτῃ ἑαυτῆς ὡς οἷόν τε ἦν, οἱ κορυφαῖοι γεγράφασι τῶν ζωγράφων. ἡνίκα οὖν δεῖ γράφειν Ἑλένην ἢ Χάριτας, ἢ καὶ αὐτὴν γε τὴν ἄρχουσαν τ Χαρίτων, οἷον εἰς ὑπερφυὲς παράδειγμα καλλῆς ἀφορᾶνῖες, ἀνασκοποῦσι τὴν εἰκόνα λαΐδ, κἀνθεῦθεν ἀποτυπῶνται θεοπρεπῶς τὸ φιλοτεχνήμων εἶδ. ἡνίκα ᾗ φθέγγεται, βαβαὶ, ὅσαι τῆς ὁμιλίας αὐτῆς αἱ σειρῆνες, ὅση ἡ γλῶττα σωμυλόφρ. τ χαρίτων πᾶσαν ἡ λαῒς τ κεστὸν ὑπιζάσατο, καὶ μειδιᾷ πάνυ ἀπαγωγόν. οὕτως οὖν τὴν ἐμὲ ὡραϊζομένην καὶ ζωφῶσαν ὑπὸ πλήθους τ ἐυπρεπείας, οὐδ' ἂν ὁ μῶμος ἐλαχίστου μιμήσαιτο.

se æquabili meditullio: nasus rectus, & adæquatus tenuitati labiorum, oculi magni, flagrantes, & puro lumine suffecti, in quibus nigrum pupulæ lactei circuli vicino candore circumfusum, ex ipsa colorum pugna temperiem pulchritudinis facit excitatius gratam; in qua gratias insidentes, cuiuis adorare promptum est. At coma suo ingenio fusa similis est crispitudine (vt Homerus ait) hyacinthino flori, & hanc opinor manus Veneris discriminauere. Ceruix alba, vultus nitori haud dissimilis, & inornata licet, satis esset suis delicijs ferox: sed tamen eam monile præcingit exquisitis lapillis illuminatum, & formosæ nomen præferens. cui gemmarum ordo pro litteris. Statura procera, vestis elegans, conueniensque, & membrorum conformationi adæquata: si vestem induit, formosa est, si exuit, tota forma est. Incessus compositus, sed breuis, cupressi, aut palmæ in modum agitatæ modico fauonio (tanta est præcellentis formæ dignitas.) Sed illas opinor plantas aura Zephyri commouet, hanc leues auræ Cupidinum quodammodo subleuant; Pinxere ipsam sibi, quam potuere optimè pictorum eximij, tum si quando ipsis Helena, Gratiæve, aut ipsa Gratiarum præses effingenda, velut ad eximium pulchritudinis exemplar respiciunt, ad imaginem Laidis, atque inde formam quam accuratè fingendam sibi proposuêre, diuinè exprimunt

At cùm loquitur, quantæ (ô Dij) sermonis eius suauitates, quam facunda lingua est, vt Gratiarum zonâ præcinctâ, dulcissimè pellacem risum fundit? Ad hunc modum florentem, opibusque & formâ spectabilem, ne minimum quidem mordere potest Momus.

Hæc etsi sint ab omni obscœnitate expurgata, nimu tamen sunt mollia, nec virilem stylum decent.

ITEM.

Ex Petron. Arbitro in Saty.

NVlla vox est, quæ formam eius possit comprehendere: nam quicquid dixero, minus erit. Crines ingenio suo flexi, per toros se humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat; supercilia vsque ad malarum scripturam currentia. & rursus confinio luminum penè permixta: oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus: nares paululum inflexæ: & osculum quale Praxitèles habere Dianam credidit. Iam mentum, iam ceruix, iam manus, iam pedum candor, intra auri gracile vinculum positus Parium marmor extinxerat. Itaque tunc primum Dorida vetus amator contempsi.

ALIVD.

Heliod. in Aethiop. lib. 3.

Ἦγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁμαμάξης ἀπὸ σιωπηρίδος λευκῆς βοῶν ὀχουμένης χιτὼν αὐτῇ ἀλουργὸν οὐκ χρυσοῦς ἀκμῇσι καταπαστὸν ἡμφίεσο. ζώνιον δ' ἐπεζέβλητο τοῖς στέρνοις ἡνιόχει τέχνης κατέχλεισεν, οὔτε πρότερον ἐν τοιούτοις χαλκευσάμενον, οὔτε αὖθις δυνησόμενον. δυοῖν γὰρ δρακόντοιν τὰ μὲν οὐρᾶα κατὰ τὸν μεταφρένων ἐδέσμευε τοὺς δ' αὐχένας ὑπὸ τοὺς μαζοὺς παραμείψας, καὶ εἰς βρόχον σχολιὸν διαπλέξας, καὶ τὰς κεφαλὰς διολισθήσας τῷ βρόχῳ συγχωρήσας, ὡς περίθημα τοῦ δεσμοῦ κατὰ πλευρὰν ἑκατέραν ἀπηώρησεν. εἴπες ἂν τοὺς ὄφεις οὐ δοκεῖν ἕρπειν, ἀλλ' ἕρπειν, οὐχ' ὑπὸ βλοσυρῷ καὶ ἀπηνεῖ τῷ βλέμματι φοβεροὺς, ἀλλ' ὑγρῷ καὶ μαλακῷ διαῤῥεομένους, ὥσπερ ἀπὸ τοῦ κατὰ τὰ στέρνα τῆς κόρης ἱμέρου καλευναζομένους. οἱ δ' ἦσαν τὴν μὲν ὕλην χρυσοῖ, τὴν δὲ χροιὰν κυάνεοι. ὁ γὰρ χρυσὸς ὑπὸ τῆς τέχνης ἐμελάνετο, ἵνα τὸ ζαχρὺ καὶ μᾶλλον τῆς φολίδος, τῷ ξανθῷ τὸ μέλαν εἰσχραθὲν ἐπιδείξηται. τοιαύτη μὲν ἡ ζώνη τῆς κόρης. ἡ κόμη δ' οὔτε πάντη δεάπλοκος, οὔτε ἀσύνδετος, ἀλλ' ἡμὶ μὲν ἀλλὴ ὕλη αὐχεῖ, ὤμοις τε καὶ νώτοις ὑπεκύμαινε, τὴν δ' ἀπὸ κορυφῆς, καὶ ἀπὸ μετώπου δάφνης ἅπαλοι κλῶνες ἔστεφον, ῥοδοειδῆ τε καὶ ἡλιῶσαν διαλάμποντες, καὶ ἐθέλειν τοῖς ὄφεσιν ἔξω τοῦ περιπλοκῆς οὐκ ἐρίεντες. ἔφερε δὲ τὴν λαιᾷ τὸ τόξον ἐπίχρυσον ὑπὲρ ὦμον τὸν δεξιὸν τῆς φαρέτρας ἀπηρτημένης· τῇ δὲ ἑτέρᾳ λαμπάδιον ἠμμένον· καὶ οὕτως ἔχουσα πλέον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν στέλας ἢ δάδων ἀπήυγαζεν.

VEhebatur insigni rheda, candido boum iugo: vestis eius purpurea ad pedes vsque demissa & aureis radijs interstincta: zona porro pectus præcinxerat, in quam artifex quicquid habuit industriæ conclusisse videbatur, cùm neque anteà quicquam eiusmodi fabricassset, neque iterum pari arte conficere potuisset. Geminos enim dracones, caudis primùm inter scapulas aptè connexis: deinde productis ceruicibus in mamillas defluentes, & tortili nodo ita implexos, vt capite, & sinuoso flexu subducta, tanquam ipsius nodi appendices exstarent; ab vtroque latere suspenderat. Dixisses, angues repsa serpere; non iam rigido & terribili aspectu formidabiles: sed humido sopore defluentes, puellæ pectore, veluti illicio consopitos. Ac illi quidem erant (quod ad materiam attinet) aurei, cæterum colore cærulei. Aurum enim arte enigrescebat, vt asperitatem, ac veritatem squammæ, fuluoque perfusum nigrorem repræsentaret. Talis quidem erat zona puellæ. Coma verò, neque omnino collecta, neque dissoluta, sed pars à collo sensim producta super humeros effluebat, pars à vertice, & fronte deducta, lauri tenellis coronata ramis, rosis, & soli persimilis, modicè stringebatur, ne præter decorum blandientibus illusa fauonijs erraret. Ferebat autē sinistra arcum deauratum, à dextro humero pharetra dependente, altera verò facem accensam. Cumque eo habitu esset, maius tamen ab ipsius oculis lumen, quàm à face existebat.

OR-

ORNATVS MVLIEBRIS.

D. Gregor. Nazianz. oratio. II.

Descriptio XVIII.

ΟΥ χρυσὸς ἐκείνην ἐκόσμησεν τέχνῃ πονηθεὶς εἰς κάλλους περιουσίαν, οὐ ξανθαὶ πλοκαμίδες, διαφαινόμεναί τε καὶ ὑποφαινόμεναι, καὶ βοστρύχων ἕλικες, καὶ σφίσματα σκηνοποιούντων τὴν κμίαν κεφαλὴν ἀκμότατα, οὐκ ἐσθῆτος περιῤῥεούσης, καὶ διαφανοῦς πολυτέλεια, οὐ λίθων αὐγαὶ καὶ χάριτες χρωννῦσαι τὴν πλησίον ἀέρα, καὶ τὰς μορφὰς περιλάμπουσαι, οὐ ζωγράφων τέχναι, καὶ ὁ κάτωθεν πλάστης ἀνακδημιουργῶν, καὶ κατακρύπτων τὸ τοῦ θεοῦ πλάσμα ἐπιβούλοις χρώμασι, καὶ διὰ τῆς κμῆς αἰσχύνων, καὶ προκθεὶς τὴν θείαν μορφὴν εἴδωλον πορνικὸν λίχνοις ὄμμασιν, ἵνα κλέψῃ τὸ νόθον κάλλος τὴν φυσικὴν εἰκόνα τηρουμένην θεῷ, καὶ τῷ μέλλοντι.

NON illam aurum arte ad eximiam pulchritudinem elaboratum ornaui, non flauæ comæ, tum apparentes, tum sublucentes, non crinium nodi, & imposturæ pretiosum caput, summa cum infamia scenam efficientium, non circumfluentis, & pellucidæ vestis magnificentia, non lapidum splendores, & Gratiæ propinquum aërem colorantes, ac formam lumine circumfundentes, non pictorum artes, & præstigiæ, ac & vilis, & paruo constans pulchritudo, terrenusque fictor, in contrarium fabricans, insidiosisque caloribus Dei figmentum obducens, & per honorem infamiam inurens, ac diuinam formam meretricium procacibus oculis idolum proponens, vt adulterina pulchritudo naturalem imaginem, quæ Deo, ac futuro æuo seruatur, surripiat.

DEFORMIS.

Ex Sidonio Apollinari epist. 13. lib. 3.

Hic author sensibus ingeniosius, stylo præfractior.

Descriptio XXIX.

ENimuero ille sordidior est, atque deformior cadauere rogali, quod facibus admotis, semicombustum, moxque sidente strue torrium deuolutum, reddere pyræ iam fastidiosus pollinctor exhorret. Præter hæc, lumina gerit idem lumine carentia, quæ Stygiæ vice paludis voluunt lachrymas per tenebras. Gerit & aures immunitate barrinas, quarum fistulam biforem pellis vlcerosa circumuenit saxeis nodis, & tofosis humore verrucis. Portat & nasum, qui cùm sit amplus in foraminibus, & strictus in spina, sic patescit horrori, quod angustatur olfactui. Prætendit os etiam labris plumbeum, rictu ferinum, gingiuis purulentum, dentibus buxeum, quod spurcat frequenter exhalatus è concauo molarium computrescentium mephiticus odor, quem supercumulat esculenta ructatio, de dapibus hesternis, & redundantium sentina cænarum. Promit & frontem, quæ fœdissimo gestu cutem plicat, supercilia verò distendit.

Nutrit & barbam, quæ iam senectute canescens, fit tamen morbo nigra Syllano. Tota denique est misero facies ita pallida, veluti per horas vmbris mœstificata larualibus.

Taceo relictam sui molem vinctam poda-

gra, pinguedine solutam. Taceo cerebrum crebra vibice peraratum, quod parum amplius tegi constat capillis, quam cicatricibus. Taceo pro breuitate ceruicis occipiti supinato scapularum adhærere confinia. Taceo quia decidit honor humeris, decor brachijs, robur lacertis.

Taceo manus chiragricas, vnctis caraplasmatum pannis, tanquam cæstibus inuolutas: taceo, quòd alarum specubus hircosis, atque acescentibus latera captiua vallatus, nares circumsedentium ventilatas duplicis Ansancti peste funestat.

HActenus de corporum imaginibus; nunc animorum simulachra videamus, quæ maximè apparent in motibus & affectibus. Extant in eo genere characteres Theophrasti, prudenter & ingeniosè conscripti, è cuius, & cæterorum antiquorum sensibus, multos χαρακτῆρας expressi, & Latinitate, non vt interpres, sed vt orator donaui.

VIRTVS, ET VOLVPTAS.

Philostratus, in Apollonio.

Descriptio XXX.

Ἦν χρυσῷ τε κατεσκευασμένη, καὶ ὅρμοις, ἐδὴ καὶ τὴ τε ἁλιπορφύρῳ, καὶ παρειᾶς καὶ χαίτης ἀναπλοκαῖς, καὶ γραφαῖς ὀμμάτων. ἔτι δὲ αὐτῇ καὶ χρυσοῦν πέδιλον. γέγραπται γὰρ καὶ τόδε ἐνεδεδύσατο· ἡ δὲ αὖ πεπονηκυῖα ἦν προσφερὴς, ἴσα χοὐ ὁρῶσα, τὸ μὲν νωχελὲς πεποιημένη κόσμημα, καὶ ἀνυπόδητος ἡ ἀρετὴ, καὶ λεπτὴν ἐδῆτα. καὶ γυμνὴ δὲ ἀνεφαίνετο, εἰ μὴ ἐγίνωσκε τὸ σὺν θηλείαις εὔσχημον.

ERat autem hæc quidem auro monilibusque ornata, veste insuper purpurea, & oris pulchritudine nitens, & coma præterea discriminata, & varijs nodis alligata, & pictis supercilijs fulgens; aureos quoque calceos gestans, tumido incessu huic insultabat. Altera verò, labore fessæ similis, aspectu horrida, macie quoque & squalore confecta, nudis etiam pedibus, & simplici veste amicta, vt nuda etiam esset proditura, nisi quod in fœminis decorum est, agnouisset.

ADVLATOR.

Expressus ex Athen. lib. 6. & alijs historicorum sensibus, nostro verò stylo donatus.

Descriptio XXXI.

ACcipite iam quid ille turpiter & luxuriosè fecerit in Malthinum (melius Malthinam dixero) virum diuitem, sed improbum; quem suum Alexandrum, imò Iouem solet appellare. Iacebat adolescens vino marcidus, in lectulo, qui (vt fert delicatorum ingenium) tumebat pluma, collucebat auro, flagrabat purpura. Duo cùm isto adulatores hominem circunstabant, in eum plusquam deceret, officioſi, nequissimo genere leuitatis: vnus pedes lydio, hoc est, delicatissimo panniculo impositos mollissimè titillabat; & identidem demissa ceruice suauiter osculabatur, dignos exclamans pedes, qui suis vestigijs rosas funderent, lactis & mellis fontes aperirent: Alter manum propendentem è lectulo, & languidè, vt fit ab ebrijs, demissam lenissimè demulcebat; δεῦρο χεῖρ, Græcula assentatione frequenter appellans. Tertius, qui nemini in hac nequitia cedere volebat, diffusos per lacteam ceruicem crines, sinistrâ lenibat manu; dextrâ flabellum tenens, ex mirifico caudæ pauoninæ choragio conflatum, abigebat muscas, ne quà in domini caput inuolarent: sed tam bonus custos esse non potuit, quin vna, vt est bestiolarũ importunissimum genus, ad corpus vsque iacentis penetraret: tum indignè factum clamãt omnes, & queritantur impudentissimas esse

esse bellvas, quibus non satis sit, homines pungere: nisi Deorum sanguinem lambant. Hic tamen, qui cæteris, vt nequior, ita ingeniosior volebat videri, nonnihil animalculo condonandum esse censebat; rem audaculam fecisse: ceruicem illam roseam appetijsse, quis non appeteret? inuolâsse, non vt pungeret, sed vt oscularetur. Præclara oratio, sed nulla apud iratos; dictum sit in muscas, totis ædibus exterminantur: creatur inauditus antea magistratus, muscarum præfectus, cui ex officio incumbat, totis ædibus muscas expellere. Quid, cùm noster hypobolimæus Alexander nuper se laborare fingeret ophthalmia? bonus ille parasitus hallucinabatur ad fercula, Alexandrinum puerum sibi poculum porrigentem non videbat.

Bene actum cum genere humano, sic turpissimus assentator fame, & siti perijsset. Quoties ructantem aut mingentem Dominum laudauit quoties ægroti saliuam linxit, quoties febriculosi vomitum frustis esculentis vinum redolentibus, abundè profusum, spurcissimo ore excepit Prauane ista? parua sunt; si quod iter facienti accidit, commemoremus. Ad regis latus equitabat comes indiuiduus, cùm cœlo intendere se nubes, consecuta repente tonitrua, & coruscationes: tum ille, venerationis, vt videbatur, plenus, conuersus ad Regem: Et tu (inquit) proh magne Iupiter, sic tonas? Ad summum constans rumor est, eum aream destinâsse, in qua templum ex manubijs adultorijs est consecraturus; *Domino, Deoque nostro*: &, si quid amplius voluerit, Iphigeniam habet domi, filiam vnicam, & nubilem, cui vittas impositurus est, & ad noui Dei aram immolaturus.

AMBITIOSVS.

Ex D. Cypriano, epist. 2. l. 1.

Descriptio XXXII.

QVos honores putas esse, quos fasces, quam affluentiam in diuitijs? quam potentiam in castris? in magistratu purpuræ speciem? in Principatu licentiæ potestatem? malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia; instar quoddam veneni, vbi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate, fallendi, sapore medicato poculum videtur esse, quod sumitur: vbi epotaueris, pernicies hausta grassatur: quippe illum vides, qui amictu clariore conspicuus fulgere sibi videtur in purpura, quibus hoc sordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumelioſa vestigia, in clientum cuneis antè præcessit, vt ipsum etiam salutatum comes postmodum pompa procederet, obnoxia non homini, sed potestati? neque enim coli moribus meruit ille, sed fascibus: horum denique videas exitus turpes, cùm anceps temporum palpator abscessit, cùm priuati latus nudum desertor asseclæ fœdauit; tunc laceratæ domus plagæ conscientiam feriunt; tunc rei familiaris exhaustæ damna nosceuntur; quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis, popularis aura quæsita est.

SVPERBVS.

Expressus ex Suetonij Caligula, & cæteris.

Descriptio XXXIII.

VIdete, si placet hominem, moriar, ni totus ex fastu, atque arrogantia, & iniquissimo genere superbiæ conflatus est. Hic est, qui Imperium orbis terrarum, supercilio, vt Atlante cœlum niti putat: nec iam meminit, quòd homo sit ex argilla, & luto fictus: quinimò, se ex astris lapsum putat, & qui incertos habet parentes in terris, originis suæ principium repetit è cœlo. Cernite, quo se iactat incessu? quibus nos intuetur oculis? qua voce (si modo loquitur) omnes præ se contemnit. Animaduertistis, vt modò depictas, gemmatasque indutus penulas, manuleatus, & armillatus, in publicum procedat: modò sericatus, & cycladatus obambulet? modò in crepidis, vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri prodeat, plerumque verò aurea barba fulmen tenens, ac fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, sese insolentius ostentet: hic cæteros homines præ se mures, aut muscas, aut culices esse arbitratur: si quis eum leuissimè pepulerit, si tetigerit, si minimo verbo se suspi-

suspicatus fuerit offensum, non est exorabilis. Si aquam calidam tardius attulerit puer Alexandrinus, iubetur continuò trecentis affligi verberibus. Si crystallum fregerit, ad murænas exclamat. Homines per diem quingentos occidere, idem est apud Busiridem, ac tesseris ludere. Deindè ille ebrius, non tam vino, quàm cruore miserorum, exclamat, *Aut Cæsarem oportet esse, aut fatuum.* Parum est, sæuire in homines, ni compedes oceano injiciat; iacula immittat in solem; fluuijs plagas inurat; Iouis quotquot sint simulachra, eadem capite truncari, & suam ceruicem imponi mandet. Quoties cum ipso Ioue iurgatur, quoties illi succenset; quoties exilia, & vltimos Gedrosiorum tractus minatur: nisi pluat, aut tonet, aut serenum faciat, quando ipse voluerit? Quid quod nuptiarum pompam adornat, & Mineruam, aut Lunam de cœlo lapsum iri, in suos amplexus autumat? stultus, qui non videat, se eandem in capite gerere. Quid quod ipse deses, & imbellis, & effœminatus, cum conchis, & margaritis bellum gerit, dein spolia vocat Capitolio, Palatioque debita, & apparatissimos triumphos instruit, quasi Phraatem, aut Artiragum ad genua supplices admiserit?

Ad summum, cum se omnium hominum, qui sunt, fuerunt, aut futuri sunt, sapientissimum dictitet, vnum fermè versiculum tenet, quem sæpissimè habet in ore;

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Aut si quos alios nouit, Megabysia sunt ex tragœdijs ducta, quibus vehementer delectatur, vt, Calcare cœlum restat, &c.

AVARVS DIVES.

Ex D. Cypriano, epist. 2. lib. 1.

Descriptio XXXIV.

SED & quos diuites opinaris, continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis, infinita, ac sine terminis rura latius porrigentes, quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter diuitias suas trepidos, cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris inuidia, calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnusve contingit; suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemmâ: & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia, auro se teneri alligatum, possideri magis, quàm possidere diuitas, atque opes. O detestabilis cœcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo, cum exonerare se possit, & leuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere: nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio, & pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt; ex qua, non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere liceat alteri. O nominum quanta diuersitas: bona appellant, ex quibus nullis illis, nisi ad res malas vsus est.

AVARVS, ET TENAX.

Expressus ex Theophrasto, Plauto, & cæteris.

Descriptio XXXV.

SOrdidum hominem, vel potius portentum hominis, si iubet, intuere; vt vestes habet strictas, easque attritas, & tot interpolatas versicoloribus panniculis, quot sunt in cribro foramina. Cerne, vt loculos habet situ obsitos, claues ferrugine illitas, oppletas araneis ædes, vt ipse capite est, vsque ad cutem raso, ne sæpius tonsoris opera indigeat: vt domi nudis pedibus obambulat, ne quid interim calceos deterat; citius ex pumice aquam, quàm ex eo elicueris beneficium. Agrum quotidie inspicit, an limites eodem loco maneant immoti, ficum de suo horto neminem gustare finit, neminem per suum fundum transire, aut vllum cadiuum pomum tollere; ignem in ædibus extingui iubet, ne quis corroget testula: & si quis fortè vicinorum (vt sæpè fit) culirum, securim, pistillum, mortarium, aut aliquid simile vtendum rogitet, fures venisse dicet, ac-

que abstuliſſe. Porrò autem, debitum ſi quis die præſtituta non ſoluerit, vt eſt importunus exactor, pœnam pro mora, atque adeò vſuræ vſuram ſolet exigere. Quid, quod ſeruos alit ſiliquis, & ſi quis eorum patinam, aut ollam fregerit, de eius demenſo tantùm detrahi iubet, quanti erat, quod factum eſt? Quid, quod vxor, ſi tricalchum amiſerit, domum euertit, omnem ſuppellectilem, lectos etiam, atque capſas loco mouet, & ancillis equuleum, ni inueniant, minatur? Iam domi, cum bruma eſt, riget frigore, & ne candelam accendat, ſelem circumfert, cuius oculis, tanquam facibus illuſtretur: at cum populares conuiuio eſt excepturus, nec aliter fieri poteſt, diu ante pertentat macellum, piſces, aguinam, vitulinam, cetum, porcinam, cara inuenit omnia. Tum vacuus rediens, ſecum inter eundum muſſitat, feſto die, ſi quid prodegero, profeſto egere licebit, ſatius eſt nihil emere: re demum cum vxore diu deliberata, decennem gallum gallinaceum iugulat ad geniale conuiuium; & pueris vncinatos pedes, criſtamque de capite reſectam largiens, capite hoc, inquit, & genium curate, quando ſemel prodigere oportet: mox conuocatis conuiuis, atque ijs epulantibus, tetricum quidpiam renidet, ſummis labris ridens, ac interim, quot quiſque calices educit, in conuiuio numerat, penè ad ſingulos ingemiſcens.

ELEGANS, ET BLANDVS.

Expreſſus ex Theophraſto, Iuuenale, & cæteris.

Deſcriptio XXXVI.

INtuemini, ſi placet, hominem, vt ab imis vnguiculis, ad verticem vſque totus eſt pulchellus, quæ frontis exporrectæ ſerenitas? quæ ſuauitas oculorum, quæ venuſtas oris; quæ renidentis ad ſingula vultus amœnitas? quot in facie veneres? quot volitant cupidines? quot roſeis labellis inſident ſirenulæ? cernite, vt dentes habet nitidos, Indicò ebore, vel prima niue candidiores: vt longos, ac graciles digitos magnæ, lucenteſque gemmæ incendunt, quarum pondera æſtiuo tempore ferre vix poteſt, ſed identidem annulos ventilat, nequid ſub tantillo onere ſudoris manus contrahant.

Quid quod comam habet ſcitiſſimè à tonſore magiſtro rotundatam, madentes cincinnorum fimbrias, molles, ceruſſataſque buccas, veſtes ſericas, ſubſericas, holoſericas, quarum quotidie mutat colores, ſiue oſtentationis cauſa facit, ſiue hominis delicias etiam, quod ait ille, *pannus bembycinus vrit*: quacunque pergit, hic pullulare roſas, fluere balſama, naſci ſeplaſiam diceres: tam bene olet vnguenta, vt malè quid olere ſuſpicer: atque cùm talis ipſe ſit, quid mirum, ſi vt pauo conchatis caudæ voluminibus, & verſicolore plumarum amictu ſuperbiens, ſe frequenter intuetur, ceruicem rotat, gradum frangit, & ſic in vicis ambulat, vt perſonatus rex in tragœdia, ſpectans frequenter an ipſe ſpectetur. Si quando venit in forum, eam partem maximè frequentat, in qua ſunt argentariorum menſæ, vt ſe multitudini, quaſi venuſtiſsimam imaginem à pictore nuper expreſſam, ſpectandum præbeat, per ea ſe loca ventilat, in quibus frequentes epheborum, & virginum chori, à quibus maximè vult videri, & laudari: in theatro autem, & ſpectaculis inxta ipſos Prætores ſedet, quò facilius omnium oculos in ſe conuertat. Domus illi eſt elegans, & amœna, artium picturis refertum, horti voluptuarij, cœnationes laqueatæ, ip quibus aurei lacunaris fulgori pauimentorum reſpondet nitor: lauta, & munda ſupellex, ſplendida toreumata, tapetes aurei, mirabilium rerum figuris intexti, libros, quos ipſe nunquam legit, lucentes auro Syrtibi veſtiunt, cauda vulpina tergit puer quotidie, ne minimus puluiſculus adhæreſcat; ad ſummum paſsim in eius ædibus videas cantillantes auiculas, garrientes picas, loquentes pſittacos, ludentes ſimias, &, ſi lubeat interius cimelium penetrare, oſtentabit mathematicum choragium, ſpecioſarum ferarum exuuias, peregrinarum oſſa belluarum, Canadienſes arcus, ſagittas Indicas, verſicolores lapillos, marinas conchas, mannos textiles, mera puerorum crepundia: in congreſſu totus eſt melleus, ſalutat blandè, comiter amplectitur; prehendit manus, tractat auriculas, mulcet capillos, ſuum filiolum, ſuum mel, ſuum corculum identidem appellans. Ad cœnam inuitatus hoſpitem rogat, vt filios euocet, quibus ingredientibus, negat ficum ficui tam eſſe ſimilem, quàm illi

sint parentibus. Mox eos sibi assidere iubet, osculatur, colludit tragematis refercit. Quòd si quando inter disceptantes electus fuerit arbiter, lites primum audiet magna facilitate, tum dicet, videtur vterque rectè ratiocinari: amicis curiosa munuscula sæpè missitat, & rogatus, vt aulam spectaculis commodet, libenter facit: dein inter spectatores, vt solet, conspicuus, assidentibus crebrò dictitat, hanc suam aulam esse.

Item Seneca, 7. nat. 1.

NOndum satis robur omne proiecimus, adhuc quicquid est boni moris extinguimus, leuitate, & politura corporum, muliebres munditias antecessimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus: tenero, & molli incessu suspendimus gradum, non ambulamus, sed repimus; exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur; quotidie comminiscimur, per quæ virilitati fiet iniuria, vt traducatur, quia non potest exui.

Idem, de breuitate vitæ, 12.

QVid illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succreuit? dum de singulis capillis in consilium itur? dum aut dissecta coma restituitur, aut hinc, atque illinc deficiens, in frontem compellitur? quomodo irascuntur, si tonsor paulò fuit negligentior, tanquam virum tonderet: quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est? si quid extra ordinem iacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt? quis est istorum qui non malit remp. turbari, quàm comam? quis non sollicitior sit de capitis sui decore, quàm salute? quis non comptior esse malit, quam honestior?

Item Tertull. de cultu fœmin.

PRoprias præstigias formæ, & hic virilis sexus sibi agnoscit: barbam acrius cædere, interuellere, circundare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cætera pulueris cuiusdam asperitudine læuigare, tum speculum omni occasione consulere, anxiè inspicere.

Alia, ex Arbitro.

CVM has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti supposuit: exonerata ille vesicâ, aquam poposcit, ad manus, digitosque paululum aspersos, in capite pueri tersit.

Longum erat singula excipere, itaque intrauimus balneum, & sudore calefacti momento temporis ad frigidam eximus; iam Trimalcio vnguento perfusus tergebatur, non lineis, sed pallijs ex lana mollissima confectis.

Tres interim iatraliptæ, in conspectu eius falernum bibebant, hinc inuolutus coccinâ gausapa, lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, & Chiramaxio, in quo deliciæ eius ferebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalcione deformior.

Cum ergo afferretur ad caput eius, cum minimis symphoniacis tibijs accessit, & tanquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantauit.

Sequimur nos iam admiratione saturi, & cum Agamemnone ad ianuam peruenimus: in aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.

Super limen autem cauea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat.

Cæterum dum ego omnia stupeo, penè resupinatus cruta mea fregi, ad sinistram enim introitibus, non longè ab ostiarij cella, canis ingens catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum, *Cane caue. cauem*: & collegæ quidem mei risere, ego autem collecto spiritu, non destiti totum parietem persequi: erat autem venalitium titulis pictum, & ipse Trimalcio, capillatus caducæum tenebat, Mineruaque ducente tenia intrabat: hinc quemadmodum ratiocinari didicisset, deinde dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus scriptor, cum inscriptione reddiderat: in deficiente verò iam

iam porticu lenatum meritò in tribunal excelsum Mercurius excipiebat: præsto erat fortuna cornu abundanti copiosa, & tres Parcæ aurea pensa torquentes.

Notaui etiam in porticu gregem cursorum, cum magistro se exercentem: præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædicula erant lares argentei positi, Veneriſque signum marmoreum, & pixis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius candidam esse dicebant.

Ego interrogare atriensem cœpi, quas in medica picturas haberent, Iliada, & Odysseam, inquit.

Iam ad triclinium veneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat, & quod præcipuè miratus sum, in postibus triclinij fasces erant cum securibus fixi, quorum vnam embolum nauis æneum finiebat, in quo erat scriptum: *G. Pompeio Trimalcioni, viro augustali, Cinnamus dispensator.*

Sub eodem titulo etiam lucerna bilychnis de camera pendebat, & duæ tabulæ in vtroque poste defixæ: quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum. *III. prid. Kalend Ianuar. G. noster foris cœnat*: altera Lunæ cursum, stellarumque imagines pictas, & qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur.

De huius descriptionis interpretatione alibi dixi.

RVSTICVS.

Expressus ex Theophrasto, Cicerone, & cæteris.

Descriptio XXXVII.

ANimaduertite quæso, hominis, vel potius pecudis stuporem, & rusticitatem: vt est hirta barba, neglecto capillo, colore fusco, nigris dentibus, ab imis vnguibus ad verticem vsque stipe. Æthiops.

Par corpori vestis, horrida scilicet, & inculta, quæ stricte adeo plerumque artus tegit, vt nudet inuerecundè. Calceos habet pede ampliores, quibus ipse non tam ambulat, quam natat: eosdem interdum clauis suffigit, & ingenti strepitu quærit pauimentum. Loquitur interim contenta voce, quasi surdis eunat, aut celeuma nauticum vrgeat, amicis necessarijsque parum fidit, de rebus maximis ad famulos refert: & si comitijs interfuerit, quæcumque ibi gesta fuerint, rusticis operis narrat: illis ad singula, vt faciunt cicones acclamantibus, ipse nihil eorum, quæ cæteri digna admiratione iudicat: quinimò vnguenta non suauius fragare thymo, & barbaram fistulam cytharæ præstare dictitat.

Si bos, aut asinus, aut hircus occurrerit, homo gradum sistere, admirari, contemplari, quasi in alium orbem raptus.

Quid quod domi etiamsi ipse sit locuples, nihil lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, ne magnoperè quidem præter præposteram gulæ voracitatem, sumptu usum: toreuma nullum, maximi calices, & hi Placentini; extructa mensa, non conchylijs aut piscibus, sed multâ carne subrancida, serui sordidati ministrant, & ij plerumque Æthiopes, quibus nolles per mediam noctem in bustuarijs occurrere: ille interim infercit se cibo, & in laxiora pocula ingurgitat, dein potulentus, vel iacet in Græci vini fœtore stertens, vel si quando concinnior fuerit, saltat, & canit intempestiuè molestus omnibus: mox canem ad se vocat, & apprehenso blandientis rostro, Fidam, inquit belluam, dominum, & domum, & inquilinos omnes custodit. *Cicer. in Pisonem.*

Vbi cubitum discesserit, si de aratro, aut falce aut cophino, quem fortè vicinis vtendum dederat, somniarit, intempesta nocte mentionem eorum faciet, nec vllam partem capiet quietis. Tum si visum fuerit, molam versabit cum ancilla, cum eadem quicquid in buccam, garriens, & si quid è promptuaria cella deprompserit, deceptum inde frustum vorabit, cauens ne pistrix hoc resciscat. Ad summum, est omnis vitæ ciuilis, & humanitatis ignarus.

RVMORVM CONFICTOR.

Expressus ex Theophrasto, & alijs.

Descriptio XXXVIII.

CHamæleontes vento pasci miramini? quin potius rumigerulum suspicite, vt totus ex ventis conflatus est. Hic patulis auribus rumusculos omnes excipit, & ad ser-

mones colligendos, fingendos, consarcinandos: totus excubat, non curat, an vxor, an liberi domi egeant, an in balneis vestes amittat, an dum in porticu pedestres, naualesque pugnas narrat, vadimonio citatus non respondeat: aut dum munitissimas vrbes verbis capit, cœna illi interim excidat: præ insana fingendi, & garriendi dulcedine negligit omnia. Quæ porticus, quæ officina, quæ fori pars, quam non centies quotidie suis passibus terat? atque hic obuiãamicis factus, statim mutato vultu suauiter renidet; &, Quid noui (inquit) bellissimum caput?

Antequam rogatus alter respondeat, pergit; Nihilne noui dicitur, nihilne audiuisti? veni igitur, veni, & affer sitientes aures, ego te sicut video, nouarum rerum epulis hodie sum excepturus. Tum incipit narrare, redijsse naues ex India recentes, admirabile prorsus esse regionis ingenium: illic spargi saccarum, vt apud nos, niues: placentas in summis arboribus crescere; lepores esse magnitudinis luporum; Regis Mogoris mortuam simiam, cuius vel solum dentem centenis aureorum millibus æstimaret: Turcarum copias à Persis esse deletas: magnum Sophi Christianæ religionis institutum suscepisse: super ea re legatos misisse ad summum Pontificem: fore, vt Romæ, vel Parisijs intra paucos dies salutari lauacro tingatur.

Quod si quis dicat: Tu autem his credis? imò rem bonis authoribus deferri asseuerat, rumorem crebrescere, omnium sensus mirificè congruere: si pergas authores huius rumoris inquirere, aut Asterij tibi puerum, aut Lyconem è prælio nuper reuersum, aut Polysperchontem, ad summum nominabit eos, quos nosse minimè possis. Postquam narrauerit omnia, si hominem incœnatum valere iubeas, nihil illo tristius, sin tu inuitaris comiter ad cœnam, quoties inter pocula exclamabit; O miserum Turcam! ô lætos nuntios! Numquid meritò suauissimas epulas auribus tuis me parare dixeram? tu verò tacitus hoc tecum habeto: mox egrediens ad ciuium vnumquemque accurrit, vt ei narret omnia.

SIMVLATOR.

Expressus ex Theophrasto, Cornelio Tacito, & Poëtis comicis.

Descriptio XXXIX.

SImulator talis est, qualem difficillimè capias, nisi fueris idem. Hominem diceres vulpeculam habere sub pectore, ita solers, varium, versatile, multiplex ad omnia fingit ingenium: Sæuè blanditur, blandè sæuit, dominatur superbe, seruit humiliter, facie tamen est nonnunquam liberali, lætis & illustribus oculis, ore facundo, sermone ciuili, veste speciosa, ad omnem rationem humanitatis, vt videtur, compositus. Hic si tecum congrediatur, subridens, semiuoculas franget, verba concidet, siue natura, siue assuetudine suspensa semper, & obscura: quod si ad ingenium ars accedat, & sensus suos de industria tegere nitatur, non iam sensa, sed mera loquetur ænigmata. Non credo, non puto, obstupesco, non ita intellexi, alius eram ab illo: Porrò, si quid agit, id vehementer occultat, & cum transactum fuerit, se adhuc deliberare dicit. Quicquid audiuerit, videri vult animum non aduertisse, quicquid flagrantissimè cupierit, specie recusantis dissimulabit se velle: si fortè magistratus, aut dignitas, aut honor aliquis à popularibus, & socijs deferatur, modestissimè disseret solam Heroum mentem tantæ molis capacem: se in partem oneris publici aliquando vocatum, experiendo didicisse quam arduum, quam laboriosum esset, rempubl gerere. Proin in cœtu, tot illustribus viris subnixo, ad alium deferant, qui sit authoritate grauior, & vsu peritior. Hic, dictum benè, exclamat aliquis? alium igitur quæramus: Vulpes vehementi dolore æstuat, & in ipso doloris æstu fingit hilaritatem. Quid cùm tuis opibus inhiat, & prædam quærit? superbas fores matutinus salutator obsidebit, arrogantium mediastinorum fastus perferet, famem, moram, & bilem impotentissimas dominas deuorabit, vt tantisper alloquatur quem cupit fallere, nec centesimam passus repulsam desistet, aut de præda desperabit. Cum insinuatus fuerit, nullum sibi ministerium non honestum putabit: dicterijs non plus commouebitur.

Quàm

iam porticu lenatum meritò in tribunal excelsum Mercurius excipiebat: præsto erat fortuna cornu abundanti copiosa, & tres Parcæ aurea pensa torquentes.

Notaui etiam in porticu gregem cursorum, cum magistro se exercentem: præterea grande armarium in angulo vidi, in cuius ædicula erant lares argentei positi, Veneriſque signum marmoreum, & pixis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius candidam esse dicebant.

Ego interrogare atriensem cœpi, quas in medica picturas haberent, Iliada, & Odysseam, inquit.

Iam ad triclinium veneramus, in cuius parte prima procurator rationes accipiebat, & quod præcipuè miratus sum, in postibus triclinij fasces erant cum securibus fixi, quorum vnam embolum nauis æneum finiebat, in quo erat scriptum: *G. Pompeio Trimalcioni, viro augustali, Cinnamus dispensator.*

Sub eodem titulo etiam lucerna bilychnis de camera pendebat, & duæ tabulæ in vtroque poste defixæ: quarum altera, si bene memini, hoc habebat inscriptum. *III. prid. Kalend Ianuar. G. noster foris cœnat*: altera Lunæ cursum, stellarumque imagines pictas, & qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur.

De huius descriptionis interpretatione alibi dixi.

RVSTICVS.

Expressus ex Theophrasto, Cicerone, & cæteris.

Descriptio XXXVII.

ANimaduertite quæso, hominis, vel potius pecudis stuporem, & rusticitatem: vt est hirta barba, neglecto capillo, colore fusco, nigris dentibus, ab imis vnguibus ad verticem vsque stipe. Æthiops.

Par corpori vestis, horrida scilicet, & inculta, quæ stricte adeo plerumque artus tegit, vt nudet inuerecundè. Calceos habet pede ampliores, quibus ipse non tam ambulat, quam natat: eosdem interdum clauis suffigit, & ingenti strepitu quærit pauimentum. Loquitur interim contenta voce, quasi surdis eunat, aut celeuma nauticum vrgeat, amicis necessarijsque parum fidit, de rebus maximis ad famulos refert: & si comitijs interfuerit, quæcumque ibi gesta fuerint, rusticis operis narrat: illis ad singula, vt faciunt cicones acclamantibus, ipse nihil eorum, quæ cæteri digna admiratione iudicat: quinimò vnguenta non suauius fragare thymo, & barbaram fistulam cytharæ præstare dictitat.

Si bos, aut asinus, aut hircus occurrerit, homo gradum sistere, admirari, contemplari, quasi in alium orbem raptus.

Quid quod domi etiamsi ipse sit locuples, nihil lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, ne magnoperè quidem præter præposteram gulæ voracitatem, sumptu usum: toreuma nullum, maximi calices, & hi Placentini; extructa mensa, non conchylijs aut piscibus, sed multâ carne subrancida, serui sordidati ministrant, & ij plerumque Æthiopes, quibus nolles per mediam noctem in bustuarijs occurrere: ille interim infercit se cibo, & in laxiora pocula ingurgitat, dein potulentus, vel iacet in Græci vini fœtore stertens, vel si quando concinnior fuerit, saltat, & canit intempestiuè molestus omnibus: mox canem ad se vocat, & apprehenso blandientis rostro, Fidam, inquit belluam, dominum, & domum, & inquilinos omnes custodit. *Cicer. in Pisonem.*

Vbi cubitum discesserit, si de aratro, aut falce aut cophino, quem fortè vicinis vtendum dederat, somniarit, intempesta nocte mentionem eorum faciet, nec vllam partem capiet quietis. Tum si visum fuerit, molam versabit cum ancilla, cum eadem quicquid in buccam, garriens, & si quid è promptuaria cella deprompserit, deceptum inde frustum vorabit, cauens ne pistrix hoc resciscat. Ad summum, est omnis vitæ ciuilis, & humanitatis ignarus.

RVMORVM CONFICTOR.

Expressus ex Theophrasto, & alijs.

Descriptio XXXVIII.

CHamæleontes vento pasci miramini? quin potius rumigerulum suspicite, vt totus ex ventis conflatus est. Hic patulis auribus rumusculos omnes excipit, & ad ser-

Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes:

Frontem sibi saliua inspergi patietur, & ea tolerabit, quæ nec Sarmentus, nec vilis Galba, Sanniones Cæsaris, ad imperatoriam mensam pertulissent: Iam cum insidias struit, si te alienatum à se senserit, vltrò veniet salutatum, in os palam laudabit, mœrentem leniſſimorum verborum lenocinio consolabitur, tuis miserijs ingeniscet, etiam lachrymulas fundet amoris sui testes. Ad summum, omnem penitus exui simulatem oportere, se tuum esse ex asse, ad omnia paratissimum, in quoscunque terrarum tractus miseris, &, *si in cœlum iusseris, ibit.* Quod si ab alio contumelia affectus fuerit, illum vel verbo satisfacientem benevolè amplectetur, ignoscet, secuto animo esse iubebit, interim per alios, iudicium, supplicia, & arcanam pestem machinabitur. At verò pactus aliquid, negabit se meminisse, & si iustissimi æris debitor conuictus fuerit, primùm rem trahet, quantum poterit, deinde palam iubebit, quæstorem suum, alienum æs dissoluere, clam monebit, ne quid eroget, etiamsi ipse imperare, & vehementer vrgere videatur. Postremò, quotidianis vexatus creditorum quiritationibus, Ignauum, inquit, quæstorem ærario meo præfeci, & accersito ad se homine, heus tu, inquit, cessator, itane pecuniam, quam iniunxeram, reddidisti? quid me, vel punctum temporis in ære alieno versari pateris? næ tu! sed dimitte hominem, tecum posteà rationem iungam seuerius. Hæc palam, vt omnes audiant, clam in aurem insusurrat, persta fortiter, caue quidpiam dederis; Nec satis, cum in hospitium venit, primum hospitam nonnulla liberalitate ad se illectat, & illi minutias quasdam pecuniarum soluit, Attica (quod aiunt) fide: Mox conciliata sibi gratia; splendidos, inquit, viros, hospita, hodie sum accepturus, fac vt omni apparatu extructum sit conuiuium, & si quid illi, vt fieri solet, in cœnam erogare voluerint, dic me tibi satisfeciſſe: facit imperata simplex mulier, mensam genialiter instruit, veniunt qui fuerant inuitati, discumbunt, Saliarem in modum epulantur, in discessu, conuiuis pecunias offerètibus, Satisfecit, inquit illa, hospes meus: hic vocem arripit, & litem postea intentantem hospitam proprio iugulat gladio. Ad summum tale est hominis ingenium, vt satius sit cum vipera, quàm cum illo, sub eodem tecto degere.

IMPOSTOR.

Expressus ex Luciano, in Pseudomanth.

Descriptio XL.

Πρότερόν γάρ σοι αὐτῶ ὑπογράψω τῶ λόγω πρὸς τὸ ὁμοιότατον εἰκάσας τὴν μορφὴν, ὡς ἂν δύναμαι· καί τοι μὴ γραφικός τις ὤν, ἵνα σοὶ καὶ τοῦτο δείξω. τὸ δὴ σῶμα μέγας τε ἦν καὶ καλὸς ἰδεῖν, καὶ θεοπρεπὴς ὡς ἀληθῶς: λευκὸς τὴν χρόαν, τὸ γένειον οὐ πάνυ λάσιον, κόμην μὲν ἰδίαν, τὴν δὲ καὶ προσθετον ὑπικείμενον, εὖ μάλα εἰκασμένην, καὶ τοὺς πολλοὺς, ὅτι ἦν ἀλλοτρία, λελῆθεν. ὀφθαλμοὶ πολὺ τὸ γοργὸν καὶ ἔνθεον διαφαίνοντες. φώνημα κρεῖσσόν τε ἅμα καὶ λαμπρότατον. καὶ ὅλως οὐδαμόθεν μεμπτὸς ἦν ταῦτα γε τοῖς δὲ ἄλλοις τὴν μορφήν. Ὅλως γὰρ ὑπνωτόν σοι καὶ τῶ λογισμῶ διατύπωσον ποικιλοτάτων

AC primum tibi depingam hominem, effigiem eius, quo ad potero proximè verbis adumbrans: tametsi non sum admodum pingendi peritus. Corpore igitur, vt interim & hoc tibi repræsentem, procerus erat, & aspectu decorus, planeque specie diuina quadam, & maiestatis plena, colore candido, barba admodum hirsuta, coma partim natiua rectus, partim apposititia: sed hæc adeò scitè, & eleganter, vt plerique imitatam, adscititiamque non agnoscerent: oculi vehementer acres, ac versatiles, tum diuinum quiddam relucentes: vox dulcissima, pariterque clarissima, in summa, quoad has res, nulla ex parte poterat improbari: ac figura quidem hominis erat huiusmodi. Prorsus enim finge mihi, & cogi-

πρὸς ψυχῆς κρᾶσιν, ἐκ ψεύδους, καὶ δόλων, καὶ ἐπιορκιῶν, καὶ κακοτεχνιῶν συγκειμένῳ, ῥᾳδίαν, τολμηρὰν, παρόλον, φιλόπονον ἐξεργάσασθαι τὰ νοηθέντα, καὶ πιθανὴν, καὶ ἀξιόπιστον, καὶ ὑποκριτικὴν τοῦ βελτίονος, καὶ τῷ ἐναντιωτάτῳ τῆς βελτίστης ἐοικυῖαν, οὐδεὶς γοῦν τὸ πρῶτον ἐντυχὼν, οὐκ ἀπῆλθε δόξαν λαβὼν ὑπὲρ αὐτοῦ, ὡς εἴη πάντων ἀνθρώπων χρηστότατος, καὶ ἐπιεικέστατος, καὶ προθυμότατός τε, καὶ ὠφελέστατος.

tatione efforma quam maximè variam ingenij temperaturam, indolemque ex mendacio, dolis, periurijs, maleficijs confusam, promptam audacem, versatilem, & ad efficiendum, quæ cogitasset, nullum refugientem laborem, appositam ad persuadendum, cuique facilè fides habenda videretur: tum quæ mirè simularet, optima quæque ea, quæ à mente essent diuersissima, præ se ferret. Primum igitur nemo cum illo congressus est, qui non hac cum opinione discesserit: vt eum mortalium omnium optimum, æquissimumque, præterea simplicissimum, minimeque fallacem existimaret.

GARRVLVS.

Expressus ex Horatio, & Theophrasto.

Descriptio XLI.

DEambulabam nuper in via sacra, vt mos est meus, nescio quid poëticarum nugarum meditans; certè totus in ijs hærebam acerrima mentis cogitatione defixus; occurrit aliquis, quem vix ego de facie noueram, & apprehensa manu, heus, inquit, dulcissimum caput, vt vales? benè, inquam, ac suauiter, & te vicissim saluere iubeo: ego viam inire, & ille me callidè insectari, quasi subtimuisset, ne euaderem: Tandem occupo, & vt nauiter videbam impudentem, numquid vellet? rogo. Tum ille, Videris, inquit, amicos non nosse, at ego, si nescis, eruditus homo sum: Non mora, cœpit, postquam incaluit, de poesi garrire, quicquid in buccam, superioris ætatis heroes commemorate, de prauitate temporum queri, ingenia deterere. Ego interim expectans donec finiret, modò currebam ocyus, modò consistebam, modò seruo, nescio quid in aurem insusurrabam, vt me negotium habere conijceret, & iam præ tædio totus sudore perfusus, metum tacitè fœlices Bolanos prædicabam, quos ferreo cerebro natura finxisset; fatuus nihil de garrulitate remittens, mihi narrabat, quod superiori nocte somniauerat, & tum quæcunque in cœna sibi fuerant apposita, omnia sigillatim recensebat, tum frumenta in foro vili venisse pretio, peregrinos esse in hac vrbe quamplurimos, se agrum in sequentem annum esse culturum, & cum adhæc nihil respondarem, imò, nereniderem quidem; video, inquit, te defatigatum, & de discessu cogitantem, sed nihil agis, te enim vsque detinebo, & quocunque ieris, sequar: age, quò te pedes? hic ego, nihil opus est te vexari; ægrotum inuiso, via transtiberina, ad hortos vsque Cæsaris, hominem tibi ignotum. Esto, inquit, non sum valdè occupatus, & minimè piget, libet te, quando semel cœpimus, comitari. Adhæc auriculas demisi, vt solent *iniqua mentis aselli*, quoties vector grauius dorso pondus ingerit. Incipit denuò garrulus, quasi nihil antea dixisset Si bene me noui, inquit, non Viscos, aut Varios pluris facies. Quis me versus, aut plures, aut citius scribit? quis palæstram tam lubricus expedit? quis pernicius currit? quis suauius cantillat? Interpellandi hic locus oportunus videbatur, habes, inquam, parentes, aut cognatos, qui te saluum velint? neminem, inquit, omnes extuli, & sepeliui: ô fortunatos, inquam, perfice quando cœpisti, solus, vt vides, resto, quem te hodie tua garrulitate mactabis.

Etenim

Etenim si Sabella anus vera prædixit, neque mihi gladius hostilis, neque dolor lateris, neque tussis aut podagra, sed lingua garruli est pertimescenda, idcircò benè monebat prudēs saga, vt cùm primum ab ephœbis excessissem, garrulos quam diligenter declinarem. Veneramus ad Vestæ, sub horam nonam, sensim extabescente iam Sole; & hic fortè citatus vadimonio, aut respondere debebat, aut caussa cadere. Tum me hilariter intuēs, Commoda, inquit, operam litiganti, & tantisper ades, dum citatus respondeo: Moriar ego, respondi, si iam præ lassitudine stare valeo, aut si vllam iuris ciuilis partem noui: deinde ægrotus amicus quando à me conuenietur? at vir bonus; hæreo, inquit, & inter sacrum, saxumque (quod aiunt) sto, te ne, an rem meam relinquere debeam: sed quicquid est, sequeris. Miserum me (mecum aiebam) ad quam aurium lanienam veni? cum ille protrahit me frustra reluctantem. terim lædit, atque in eo sibi magnopere comis esse videtur, & vrbanus. Modò saltare iubet sobrios, modò mercibus iam venditis adducit emptorem, qui pluris emat: modò venit ad testimonium dicendum, cum iam lis dirempta est, modò etiam amico mortuo festinans, & anhelans accersit medicum. Quid quod facilis in omnibus, ea in se recipit, quibus præstandis minimè par sit, & si fortè quæratur de via, præibo, inquit, præibo: mox dux sit itineris, cuius exitum cum inuenire non possit, meritò præbet se deridendum. Adhæc curiosè de exercitu, vectigalibus, iudicijs, scisscitatur à magistratu: & poetis quærit, quo nomine Cyclopis canes appellarentur: miraturque ab Homero prætermissum. Quid si vxor obierit, intempestiuos eiulatus edit, & in cippo sepulchri auos, abauos, tritauos, totamque genealogiam curat inscribi, addens insuper. *Dixi.*

INEPTVS.

Descriptio XLII.

Expressus ex Theoph. & c. stylo philosophi.

HOmo est, si quisquam alius, ineptus, qui tempus, quod postulet, nunquam videt: aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet: in omni denique genere inconcinnus est & multus. Amicum licet videat occupatissimum, de nugis interpellare non veretur, æstu, febrique iactatum inuisens, futili garrulitate perstrepit, omnibus inuisus: Eos qui è longinquo itinere recentes aduenerunt, & languent de via; ad deambulandum secum inuitat & cum iam præ tædio, & lassitudine stare non possint; quærit numquid iucunda sit deambulatio; mox inter suos familiares, de sua vxore, aut seruis intempestiuè loquitur, & rem aliquam orsus à capite exponit, veterem putà cantilenam, quam omnes centies audiuerunt, ab ouo tamen, vsque ad mala citare non desinit, cæteris adhæc nauseantibus solus inepti simè ridet, & sibi plaudit, quasi inuenerit, quod pueri in faba. Idem in officiorum minutijs semper multus, quæ maioris momenti sunt negligit; arreptas de triuijs facetias omninò frigidas ludibundus in amicos intorquet, & gratificari putans, in-

STVPIDVS.

Descriptio XLIII.

Ex Theo. &c.

STupidus eiusmodi est, qui cum ad quatuor vsque numerauit, incipit mente confundi, & cum diu calculos in omnem partem versauit, rationesque putauit, rogat ab eo, qui sibi assidet, de ea re minimè cogitans, dic obsecro; summa quanta est? ac si fortè litem intentauit aliquis, vbi ad eum diem ventum, quo disceptari causa debet, eius oblitus in agrum proficiscitur. Vxore nuper mortua rogat, cur non veniat ad prandium, & eam per seruum iubet accersiri, at illo dicente dominam vixisse: non inquit memineram. idem pileum, quē habet in capite, zonam, qua cinctus est, sæpè quæritat, & non inueniens, furto sibi surrepta fuisse queritur.

Hoc inter cætera tribuitur Claudij Imperat. μετωπίᾳ & ἀσυνεσίᾳ.

Quid cum aliquis ex familiaribus diem obisse nuntiatur; non credo, inquit, de obitu ad me scripsisset, qui mihi semper fuit de intimis: si tamen mortuus sit, benè illi vertat. Nec satis, debitas sibi pecunias recipiens, testes adhibet, ad cautionem: cum puero iurgatur, quod cucumeres hyeme non emerit: pratum sià talpis infestetur, pauimento sterni iubet: Canum, si rixerint,

vnum

vnum, ad exemplum aliorum, damnat suspendio, testas, & lapides fœno mollire assiduè fricando conatur, & cum à pulicibus pungitur, Iam vos, inquit, pessima animalcula, bellè decipiam: nam candelam extinguam, ne morsiunculis appetere possitis.

CALVMNIATOR.

Descriptio XLIV.

Ex Ammiano &c.

CAlumniator iste, quam videtis, non est homo, sed lamia omni diritate teterrima: sine fronte, sine oculis, sine conscientia; monstrum planè horribile, cui soli prominent dentes turpi rubigine infecti, cui feralis pallor, cui deformis macies, cui nudata carnibus ossium compages restat. Draconis alicuius pestilentem sceleton, aut exsiccatum cadauer diceres. Quid tum? dignam hanc ferali effigie vocem, aut potius sibilum emittit, per forum medium serpit, dentibus aduncis, aspectu rabido huc, & illuc circumspectans, si quem reperiat, cui aliquid mali faucibus efflare, quem ore attingere, dentibus insecare, lingua conspergere possit; hinc licètius supergressus, fluminis modo, fortunis sese complurium repentinus infundit, fertur per strages multiplices, ac ruinas, vinculis corpora ingenuorum affligens: & quosdam obterens manicis, crimina scilicet multa consarcinando, à veritate longè discreta, vt est in complicandis negotijs artifex dirus, inde & Catena inditum est cognomen.

Cicer. 4. ad Herenniũ.

Ammia.

OSTENTATOR.

Descriptio XLV.

Ex Cicerone 4. ad Herẽnium.

ISte, inquies, iudices, qui se dici diuitem, putat esse præclarum, primum nunc videte, quo vultu vos intueatur: nonne vobis videtur dicere; Darem, si mihi molesti non essetis: cum verò sinistra mentum subleuat, existimat se gemmæ nitore, & auri splendore aspectus omnium perstringere. Cum puerum respicit, hunc vnum, quem ego noui (vos non arbitror nouisse) alio nomine appellat, deinde alio, atque alio; heus tu, inquit, veni Sannio, ne quid isti barbari perturbent: vt ignoti, qui audiunt, vnum putent eligi de multis. Ei dicit in aurem, aut vt domi lectuli sternantur, aut ab auunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, aut Asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquod fragile falsæ choragium gloriæ comparetur: Deinde exclamat, vt omnes audiant, videto vt diligenter numeretur, si potest, ante noctem: Puer qui iam benè hominis naturã nouit, Tu illo plures mittas oportet, inquit, si vis hodie transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanium, & Sosiam. Sanè deinde casu veniunt hospites homini, qui istum splendidè dum peregrinaretur, receperant, ex ea re homo hercle sanè conturbatur: sed tamen à vitio naturæ non recedit: benè inquit, facitis, cum venitis, sed rectius fecissetis, si ad me domum rectà abijssetis. Id verò fecissemus, inquiunt illi, si domum nouissemus. At istud quidem, inquit, facilè fuit, vnde libet, inuenire. Verum ite mecum. Sequuntur illi: sermo interea huius consumitur omnis in ostentatione. Quærit in agris, cuiusmodi frumenta sint: negat se, quia villæ incensæ sunt, accedere posse: nec ędificare etiam nũc audere: tametsi in Tusculano quidem cœpit insanire, & in ijsdem fundamentis ædificare. Dum hæc loquitur, Venit in ædes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum, quò iste pro notitia Domini ædium, ingreditur cum hospitibus: hic, inquit, habito: perspicit argentum, quod erat expositum, visit triclinium, stratum probat: accedit seruulus, dicit homini clarè dominum iam venturum, si velit exire: Itane inquit? eamus hospites, frater venit ex Salerno, ego illi obuiam procedo: huc vos decimâ venitote. Illi decima quò iusserat, veniunt, quærunt hunc, reperiunt domus cuius sit: in diuersorium derisi sese conferunt. Vident hominem postera die: narrant, expostulant, accusant: Ait iste eos similitudine loci esse deceptos, Angiporto toto deerrasse: contra valetudinem suam se ad multam noctem expectasse.

Sannioni puero negotium dederat, vt vasa, vestimenta, pueros, corrogaret: Seruulus non inurbanus, satis strenuè & concinnè comparat, iste hospites domum deducit. Aitse ædes maximas cuidam amico ad nuptias commodasse: Nuntiat interea puer argentum repeti; (pertimuerat enim, qui commodârat) Apage te, inquit, ædes commodaui, familiam dedi, argen-

argentum quoque vult? tametsi hospites, habeo, tamen vtatur licet, nos Samijs delectabimur. Quid ego, quæ deinde gesta sunt narrẽ? eiusmodi est hominis natura, vt quæ singulis diebus efficiat, gloria, atque ostentatione; ea vix annuo sermone enarrare possim.

IDEM.

Descriptio XLVI.

Petronius in Satyr.

SEcundum hanc formulam imperamus Eumolpo, vt plurimum tussiat, vt sit modo solutioris stomachi, cibosque omnes palam damnet; loquatur aurum, & argentum, fundosque mendaces, & perpetuam terrarum fertilitatem. Sedeat præterea quotidie ad rationes, tabulasque testamenti, omnibus fidem renouet, & ne quid scenæ deesset, quotiescunq; aliquem nostrûm vocare tentasset, alium pro alio vocaret, vt facile appareret dominum etiam eorum meminisse, qui præsentes non essent.

Nota.

Vt plurimum tussiat. *Festiua quidem ista descriptio, sed plenior, quam habet Cicero 4. ad Herennium, de qua superius.*

Loquatur aurum & argentum.

Ad eloquentiam sæpe refertur, vt apud D. Gregor. Nazianzenum in iambicis χρυσοῦν λαλοῦντων ἅπας ἄπρακτος λόγος.

Hic pecuniosi hominis nummatam ostentationem designat.

Ne quid scenæ deesset. *Erat enim verè Diues Scenicus, ἐκ τῆς κωμῳδίας.*

Alium pro alio. *Hæc ostentatoris ars benè exprimitur à Cornificio, vel potius Cicerone.*

DIVES.

Descriptio XLVII.

Ex Cicerone pro Rosc.

HAbet enim relaxandi causa rus amœnum, & suburbanum, plura præterea prædia, neque tamen illum nisi præclarum, & propinquum: Domus referta vasis Corinthijs, & Deliacis, in quibus est Authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est: vt qui prætereuntes pretium annumerari audiebant, fũdum vænire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? Quid stragulæ vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum è multis, splendidisque familijs in turba & rapinis coaceruari vna in domo potuit, familiam vero quantam, & quam varijs cum artificijs habeat, quid ego dicam? mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios; animi & aurium caussa tot homines habet, vt quotidiano cantu vocum, & neruorum, & tibiarum, nocturnisque conuiuijs, tota vicinitas personet.

MOLLIS, ET DELICATVS

Descriptio XLVIII.

Ex Cicer. l. 5. in Verr.

HIc ita viuebat iste bonus Imperator, vt ne eum facile hybernis mensibus non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. Ita diei breuitas conuiuijs, noctisq; longitudo stupris, & flagitijs conterebatur. Cum autem ver esse cœperat, cuius initium iste non à Fauonio, neque ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat: tunc incipere ver arbitrabatur, dabat se labori, atque itineribus, in quibus vsque eo se præbebat patientem, atque impigrum, vt eum nemo vnquam in equo sedentem videret. Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica hexaphora ferebatur, in qua puluinus erat perlucidus, melitensi rosa fartus: Ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admouebat, tenuissimo lino minutisque maculis, plenum rosæ: sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica vsque in cubiculum deferebatur, eò veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani: id quod ex multis iuratis audistis: Controuersiæ secretò deferebantur: paulo post palam decreta auferebantur: Deindè vbi paulisper in cubiculo pretio, non æquitate, iura descripserat: Veneri iam, & Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur: quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari Imperatoris egregia, ac singularis diligentia: nam scitote esse oppidum in Sicilia nullum ex ijs oppidis, in quibus prætores consistere, & conuentum agere solent: quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta mulier esset: Itaque nonnullæ ex eo numero in conuiuio adhibebantur palam, si quæ erant castiores, ad tempus veniebant, lucem & conuentum vitabant.

Nota.

Ex fauonio *Hoc indicium Horatij od 4. l.1.*

Soluitur acri hyems grata vice veris, & Fauoni

Lectica Hexaphora *Qua scilicet à sex seruis succollantibus portaretur. Mart l.2 ep.81. & Iuuenal. Saty.1. v.65. Plerumque octo adhibebantur, & fiebat Octophorum de quo intelligendus Catullus*

Non, inquam, mihi fuit tam maligne,
Vt Prouincia quòd mala incidisset,
Non possim octo homines parare rectos.

Sed cum rosam *Et ceriè dixit Pancrates:*

Καὶ ῥόδον εἰς μύρον ἀγοράσουσιν ἐξ ὑροισιν.

Vnam in capite Frequens in conuiuijs *ad coronarum vsum rosa unde eam regnare dixit Martialis ep. 19 l.10.*

Dum regnat rosa, dum madent capilli

Hanc lasciuiam Christiani, in honorem spineæ coronæ Domini, postea detestati sunt, quod testatur Clemens Alexandrinus Padag. l 2. c 8.

Λόγισον, ἀνηκούστας ἡμᾶς τὸ κύριον ἀκάνθας ἐσεμνεῖον, αὐτοὺς ἐνζυφοῦντας τῷ στεμνῷ κυρίῳ πάθει, ἀναδεῖσθαι τοῖς ἀνθεσιν. *Insanum est, nos cum audierimus Dominum spinis coronatum, quasi venerandis Christi cruciatibus insultaremus, redimiri floribus. Aurificem damnatum à senatu, quòd inter bella Punica coronatus vissus esset, dixi in Iconibus.*

Alterum in collo. *Hanc hypothymiadem nominatam memorat Athenæus Deipnosophist. lib. 15.* Ἐχάλων ᾧ καὶ οἷς περιεδέοντο τὸν ζάκλουτερά· οἷς, ὑποθυμιάδας, *Quod halitum, & tanquam suffitum ex inferiori parte exhalarent.*

Controuersiæ secretò deferebantur.

Hoc in Seronato grauiter reprehendit Sidonius Apollinaris lib. 2. ep. 1.

In cubiculo damnat, in quæstione dormitat.

MOLLES.

Item.

Hos quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in Senatum venire; qui nitent vnguentis, qui fulgent purpurâ: mallem secum suos milites eduxisset. *In Catil. 2.*

MOLLIVM HABITVS.

Descriptio XLIX.

Λακωνικὸν δὲ αὐτῶν περὶ αὐτοὺς ἐφάνετ, ἀλλ' ἁβρότερον αὐτῶν εἶχον, καὶ συβαριτικωτέροις ἦσαι, ἀνδρες λεῖοι τὰ σκέλη, λιπαροὶ τὰς κόμας, καὶ μηδὲ γενείοις χρώμενοι, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐδῆτα μαλακοί.

Philost. in Apoll.

ERant autem habitu haudquaquam Laconico, sed molli atque lasciuo, atque ipsi deliciis omnibus affluebant, expolitis cruribus, comis autem vnguento stillantibus, abrasis barbis, vestitu insuper fluxo ac molli.

Item.

Ὁλοφλέοντ πορνόζιβα, σοβεῦντα διὰ δ ἀγορᾶς, ἐν περάτῳ καὶ μύροις μεθύοντα, καὶ κωμάζοντα, καὶ πάσης ἀσολασίας ἐμπιπλάμενον, καὶ ὡς ἄλογα πρεπόσας τῷ βίῳ. *Synesius ad fratrem.*

HIc enim videns scortatorem, per forum volitantem, coronatum, vnguentis ebrium, petulanter lasciuientem, omnique turpitudine oppletum, & cantus canentem vitæ accommodatos.

Item

Idcirco animas misit, vt diuini ponderis & grauitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio comparatent? conspiciendis quærerent corporibus fucos, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formas erubescerent

cerent masculorum calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis leuigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis exponere, in habitum fœminarum deliciasque mollire.

Arnob. cont. gent. lib. 2. De luxu Regis Indici vide Q. Curtium l. 8.

IMPROBVS, ET POTENS.

Descriptio L.

Ex Ammiano l. 27. c. 10. In hoc authore stylus quidem plerumque acerbus est, & præfractus, magni tamen & vberes sensus.

PER hæc tempora Vulcatio Ruffino absoluto vita, dum administrat, ad regendam præfecturam prætorianam, ab vrbe Probus accitus, claritudine generis, & potentia, & opum amplitudine cognitus orbi Romano: per quem vniuersum penè patrimonia sparsa possedit iustè: an secus non iudicioli est nostri. Hunc quasi gemina quædam, vt poëtæ fingunt, fortuna præpetibus pennis vehens; nunc beneficum ostendebat, & amicos altiùs erigentem; aliquotiens insidiatorem dirum, & per cruentas noxium simultates; & licèt potuit, quoad vixit, ingentia largiendo, & interpellando potestates assiduas; erat tamen interdum timidus, ad audaces; contra timidos celsior: vt videretur, cùm sibi fideret, de cothurno strepere tragico; & vbi paueret, omni humilior socco.

Atque vt natantium genus elemento suo expulsum, haud ita diu spirat in terris, ita ille marcebat absque præfecturis, quas ob iurgia familiarum ingentium capessere cogebatur; nunquam innnocentium per cupiditates immensas, vtque multa perpetrarent, impune dominum suum mergentium in remp. Neque, fatendum est, numquam illa magnanimitate coalitus, clienti, vel seruo agere quicquam iussit illicitum: si verò eorum quemquam crimen vllum compererat admisisse, vel ipsa repugnante iustitia, non explorato negotio sine respectu boni honestique defendebat. Quod vitium reprehendens, pronuntiat Cicero: Quid enim interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert vtrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Suspiciosus tamen, & minutus suoptè ingenio fuit, & subamarum arridens, blandiénsque, interdum vt noceret. Si autem perspicuum est in eiusmodi moribus malum, tum maximè cùm celari posse existimatur. Ita implacabilis, & diruptus, si lædere quemquam instituisset, vt nec exorari posset, nec ad ignoscendum erroribus inclinari.

Ideóque aures eius non erant, sed pluribus videbantur obstructæ: in summis diuitiarum & dignitatum culminibus anxius, & sollicitus, ideóque semper leuibus morbis afflictus.

Nota.

Gemina quædam, vt poeta fingunt, fortuna, &c. Respexit fortè illud Orphei,

Οἷς μὲν γὰρ τεύχεις κτεάνων πλῆθος πολύολβον.

Οἷς δ' ἀκακὴν πενίην, θυμῷ χόλον ὁρμαίνουσα.

Illis enim præbes diuitiarum vim opulentam.

Illis verò malam paupertatem, animo iras concitans.

(Talis inquit in amicos Probus.)

De Cothurno strepere tragico.

Insolentia efferri, Megabyziaque dicta & edicta proponere, vt rex in tragœdia solet.

Nôrunt omnes, Cothurnum calceamentum esse Tragicorum, vt soccum Comœdorum.

Martial. l. 8. epist. 3.

Aut iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos.

Vt natantium genus.

Τὴν νηκτὴν φύσιν *dixit Gregor. Nazianz. orat. 34 Sozomenus l. 1 histor. Eccl. c. 13. Simili parabola vsum refert magnum Antoniũ, cùm diceret, Monachos, extra solitudinem, pisces esse extra aquã.* τοὺς μὲν γὰρ ἰχθύας ἔλεγε τὴν ὑγρὰν οὐσίαν τρέφειν, μοναχοῖς δ' κόσμον φέρειν τ' ἔρημον.

Clienti, vel seruo iussit. *Clientem, vel seruum Latinus dixisset. Deinde coalitus magnanimitate, redolet Ammianum.*

RABVLÆ,

Ammianus sui temporis Rabulas, &c. ita describit.

Descriptio LI.

Ammianus Marcell. l. 30.

AT nunc videre est per eos omnes tractus, violenta & rapacissima genera ho-

Confer cum isto, quæ habet Sidonius ep. 7. lib. 5.

minum, per fora omnia volitantium, & subsidentium diuites domos, vt Spartanos canes, aut Cretas, vestigia sagacius colligendo, ad ipsa cubilia peruenire caussarum. In his primus est cœtus eorum, qui seminando diuersa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum postes, & orborum limina deterentes, & auidi inter discordantes amicos, aut propinquos, vel affines, simultatum, ob leuis scrinij receptacula, odia struentes infesta: in quibus ætatis progressu, non vt aliorum vitia tepescunt, sed magis, magisque roborantur. Inter rapinas insatiabiles; inopes, ad capiendam versutis orationibus Iudicum fidem; quorum nomen ex iustitia natum est, sicam ingenij distringentes. Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi, quarum artium sæuitate, vt Tullius asseuerat, nefas est religionem decipi iudicantis, ait enim:

Cumque nihil tam incorruptum esse debeat in repub. quàm suffragium, quàm sententia: non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit; qui eloquentia, laudem etiam ferat: Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quàm, qui pretio Iudicem corrumpit: quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo, potest.

Secundum est genus eorum, qui iuris professi scientiam, quam repugnantium sibi legum aboleuere dissidia, velut vinculis ori impositis, reticente iugi silentio, vmbratum sunt similes propriatum. Hi velut fata natalitia præmonstrantes, aut Sibyllæ oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum composita tristiorem, ipsum quoque venditant, quod ositantur. Hi vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur, & Cæsellinum, & Alfenum, & Auruncorum, Sicanorumque iamdiu leges ignotas; cum Euandri matre abhinc sæculis obrutas multis, & si ex voluntate matrem tuam fuxeris occidisse, multas tibi suffragantes absolutionum lectiones reconditas pollicentur, si tenummatum senserint.

Tertius eorum est ordo, qui vt in professione turbulenta clarescant ad expugnandam veritatem: ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes, vilesque latratus, quò velint, aditus sibi patefaciunt crebros, qui inter solicitudines Iudicum, per multa distatas, irresolubili nexu vincientes negotia, laborat, vt omnis quies litibus implicetur: & nodosis quæstionibus de industria iudicia circumscribunt, quæ cum rectè procedant, delubra sunt æquitatis, cum deprauantur, foueæ fallaces, & cœcæ, in quas si captus ceciderit quisquam, non nisi per multa exilis lustra, adusque ipsas medullas exustus.

Quartum, & postremum est genus, impudens, pernicax, & idoctum, eorum, qui cum à literatijs eruperint ludis, per angulos ciuitatum discurrunt, mimambos, non caussarum remedijs congrua commentantes, fores diuitum detereendo, cœnarum, ciborumque aucupantes delicias exquisitas: qui cum semel vmbraticis lucris, & inhiandæ pecuniæ vndique se dediderint, litigare frustra, quoslibet innocentes hortantur: & ad defendendam caussam admissi (quod raro contingit) susceptí nomen, & vim negotij sub ore disceptatoris, inter ipsos confictuum articulos, instruitur, circumlocutionibus indigestis ita scatentes, vt colluuionis terrimæ audire existimes vlulabili clamore Thersiten.

Quum autem ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam defectunt conuiciandi licentiam, quo nomine ob assidua in personas honorabiles probra, diebus dictis aliquoties sunt damnati: è quibus ita sunt rudes nonnulli, vt nunquam se codices habuisse meminerint, & si in circulo doctorum authorum inciderint, nomen piscis, aut edulij, peregrinum esse vocabulum arbitrantur: si verò aduena quisquam inusitatum sibi antea Marcianum verbo tenus quæsierit, Oratores omnes confestim se Marcianos appellari fingunt, nec iam fas vllum præ oculis habent, sed tanquam auaritiæ venundati, & vsucapti, nihil præter inseminatam petendi licentiam norunt; & si quem semel intra retia cœperunt, cassibus mille impediunt, & vinciunt, per morborum simulationem vicissim consultò cessantes; vtque peruulgati iuris proferatur lectio vna, septem vendibiles introitus præparant: dilationum examina longissima contexentes: & cum nudatis litigatoribus dies cesserint, & menses, & anni, tandem obtrita vetustate controuersia, intromissa ipsa capita splendoris, ingressa alia secum aduocatorum simulachra inducunt. Cumque intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicuius fortunæ, vel salus,

ſalus, atque laborari debeat, vt ab inſonte gladius, vel calamitoſo detrimenta pellantur, corrugatis hinc inde frontibus, brachijſque hiſtrionico more formatis, vt concionaria Gracchi fiſtula poſt occipitium deſit, conſiſtitur altrinſecus diu, tandemque ex præmeditato concludio per eum, qui eſt in verba fidentior, ſuaue quoddam principium dicendi exeritur, pro Cluentio, vel pro Cteſiphonte orationum æmula ornamenta promittens, & in eam concluſionem cunctis finem cupientibus definit: vt nondum ſe patroni poſt ſpeciem litis triennium editam cauſentur inſtructos, ſpatioque prorogati temporis impetrato, quaſi cum Antheo vetere colluctati, perſeueranter flagitant, pulueris periculoſi mercedes.

Veruntamen hæc cum ita ſint, non deſunt Aduocatis incommoda plurima parum ſuſtinenda rectè victuro: namque ſellularijs quæſtibus ineſcati inter ſe hoſtiliter diſsident, & rupta maledicendi ferocia, vt dictum eſt, multos offendunt: quam tunc effutiunt, cum commiſſarum ſibi cauſſarum infirmitatem orationibus validis conuelate non poſſunt, & Iudices patiuntur interdum, doctos ex Philiſtionis, aut Æſopi cauillationibus, quam ex Ariſtidis illius iuſti, vel Catonis diſciplina productos qui ære graui mercati publicas poteſtates, vt creditores moleſti opes cuiuſque modi fortunæ rimantes, alienis gremijs excutiunt prædas. Ad extremum id habet cauſsidicina cum cæteris metuendum, & graue, quod hoc ingenitum eſt penè litigantibus cunctis, vt cum iurgia mille caſibus cadant, accidentia ſecus in poteſtate eſſe exiſtiment patronorum, & omnem certaminum exitum, ijſdem ſoleant aſsignare: & non vitijs rerum, aut iniquitati aliquoties diſceptantium, ſed ſolis defenſantibus iraſcantur.

Nota.

Spartanos Canes, & Cretas.
Horum meminit Philoſtratus in venatione ſuum, idq; κατὰ ἐξοχὴν, quod ſint ſagaciſſimæ naris.
Et Horat. epod ode 6.

Fuluus Eacon,
Amica vis paſtoribus.

Ad ipſa cubilia. *Voluit imitari illud Ciceronis in Piſonem 83. Scelera tua, non veſtigijs adorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, atq; cubilibus perſequuti ſumus.*

Viduarum Poſtes. *Poſtis pro domo, vt pila, ſiue columna apud Catullum, quod iam notauimus.*

Sicam ingenij diſtringentes. *Similiter Caligula peroraturus ſtricturum ſe lucubrationis ſuæ telum minabatur.*

Libertatem temeritas. *Diſerte Seneca epiſt. 45. Vitia nobis ſub virtutis nomine obrepunt: Temeritas ſub titulo fortitudinis latet: Moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur.*

Vmbrarum ſunt ſimiles propriarum. *Carpit ſilentes Iuriſperitos, quos νεκύων vocat εἴδωλα καμόντων. Vide Auſonium de ſtatua Rufi.*

Hi velut fata fatalitia præmonſtrantes. *Alluſit ad illud Ciceronis pro Muræna. Erant in magna potentia, qui conſulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis petebantur. Fata natalitia autem dixit Genethliacorum dementiſſimas prædictiones: τὴν περὶ τὴν γένεσιν σπουδὴν nominauit D. Chryſoſtom. in epiſt. ad Galatas. Fata ipſe Tertull. de anima cap. 39. Dum in partu Lucinæ, & Dianæ eiulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur: dum vltima die fata ſcribunda aduocantur.*

Cæſellius, Alfenus, vet. Iuriſconſ. *Alfenus Varus libros 40. ſcripſit.*

Per proſtitutas frontes. *Frons proſtituta eſt perdita audacia, & meretricia ſimillima.*

Delubra æquitatis. *Μέγιστα δίκης τεμένη magna iuſtitiæ templa dicuntur Anthol. epigr. 4. & olim Iudicum conſeſſus in templis, vt notaui in Iconibus.*

Vlulabili clamore Therſiten. *Vidit illud Homeri.*

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολώα,
Ὅς ῥ' ἐπέα φρεσὶν ἦσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ἤδει.

Therſites autem ſolus adhuc loquaciſſimus tumultuabatur:
Qui verba in animo ſuo immoderata, multaque ſciebat.

Per morborum ſimulationem. *Præclarè ampliationes litium malitioſas, & ceſſationes exagitat.*

Septem vendibiles introitus. *Notus in eo mos Rhetorum, qui certa exordia ſibi fabricabant.*

bant, quibus in omni argumento, quasi Delphico sladio uterentur.

Aduocatorum simulachra *Silentes patronos, quos prius dixit umbras sui similes.*

Et agi cœperint alicuius fortunæ, vel salus. *Quis non videt Persianum illud:*

Fur es, ait Pedio: Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, &c.

Concionaria Gracchi fistula *Notus Cæsij Phonascus, qui à tergo concionantis domini fistulam tenens, concitatum & iratum tonantem, molli tenore molliebat. Plutarch. in Caio.*

Pulueris periculosi *Pulvis hic, forensis acies, vt apud Tullium, de Orat. Educere dictionem, ex umbratili exercitatione in pulverem.*

Philistionis. *Philistio Poeta comicus, qui scripsit inter cæteras Comœdias βαυλογίας ac φιλόγελων, Nugas, & Ridiculum, & risu ipsa mortuus est.* Suidas. *Sidon. epist. 11. lib. 11.*

SENATVS POPVLIQVE Romani sui temporis flagitiosos mores describit Ammianus his verbis:

Descriptio I.

Ammianus Marcell. lib. 28.

ITa autem pauci sunt inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam tardiùs seruus attulerit, trecentis adfigi verberibus iubeatur. Si hominem sponte occiderit propriâ, instantibus plurimis vt damnetur vnus dominus, hactenus exclamat: Quid faciat maniosus & nequam? Ciuilitatis autem hoc apud eos est nunc, quòd expedit peregrinos iure interficere, quibuslibet, quanquam rogatis ad conuiuium, excusare. Defectum enim patrimonij se perpeti Senator existimat, si ij defuerit, quem aliquoties libratis sententijs inuitauerit semel. Pars eorum, si agros visuri processerunt longiùs, aut alienis laboribus venaturi Alexandri magni itinera se putant æquiparasse, vel Cæsaris: vel si à lacu Auerni lembis inuecti sunt pictis; Puteolos, vel Caietam maximè, cùm id vaporato audeant tempore: vbi si inter aurata flabella lacinijs sericis incederint muscæ, vel per foramen vmbraculi pensilis radiolus irruperit solis; queruntur quòd non sunt apud Cimmerios nati: Dein cum à Siluani lauachro, vel Mammeæ aquis ventitant hospitalibus, vt quisquam eorum egressus tenuissimis se rerserit linteis; solitis pressorijs vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat; quæ vnà portantur sufficientes ad iuuandos homines vndecim: tandémque electis aliquot inuolutus, receptis annulis, quos ne violentur humoribus, famulo tradiderat digitis vt metatis abit: quidam ex his, licèt rari, aleatorum vocabulum declinantes, ideoque se cupientes appellari tesseratios: inter quos tantum differt, quantum inter fures & latrones. hoc tamen fatendum est, quòd cùm omnes amicitiæ Romæ repescant, aleatoriæ solæ quasi gloriosis quæsitæ sudoribus, sociales sunt, & affectu nimio firmitate plena connexæ; vnde quidam ex his gregibus inueniuntur, ita concordes, vt quis illos esse existimet fratres. Ideòque videre licet, ignobilem, artis tesseratiæ callentem arcana, vt Catonem Porcium ob repulsam Prætoræ, nec suspectam antea, nec speratam, incedere grauitate composita mœstiorem, quòd ei in maiore conuiuio, vel consessu, proconsularis quidam est antelatus.

Subsident aliqui, curiosos homines, senes, aut iuuenes, orbos, vel cœlibes, aut etiam vxores habentes aut liberos, (nec enim in hoc titulo discrimen aliquod obseruatur,) ad voluntates condendas, allicientes eos technis mitis; qui cùm supremis indicijs ordinatis, quæ habebant reliquerunt his quibus morem gerendo testati sunt, illico pereunt.

Alius cum dignitate, licèt ceruice tumidâ, gradiens, notos antea obliquato contuetur aspectu, vt post captas Syracusas existimes reuerti M. Marcellum. Multi apud eos negant esse superas potestates in cœlo: nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lauari arbitrantur se cautiùs posse, antequam ephemeride scrupulosè scisitata didicerint, Vbi sit, verbi gratia, signum Mercurij, vel quotam Cancri syderis partem polum discurrens obtineat Luna.

Alius si creditorem suum flagitare molestiùs aduerterit debitum, ad aurigam confugit audentem omnia prælicenter, eúmque vt veneficum curat vrgeri. Vnde nonnisi reddita cautione, dispendióque afflictus graui, discedit, &

dit, & additur huic, debitorem voluntarium includit vt proprium, nec ante eius perfectionem perabsoluit. Parte alia vxor (vt prouerbium loquitur vetus) eandem incudem diu noctùque tundendo, maritum testari impellit: hocque idem vt faciat vxor, vrget maritus instanter: & periti iuris altrinsecus adsciscuntur, vnus in cubiculo, alter eius æmulus in triclinio, repugnantia tractaturi: ijsdémque subseruntur genitalium extorum interpretes controuersi: hinc præfecturas profusiùs largientes, & sepulturas diuitum matronarum; inde ad exequias virorum fœminas inuitantes: & necessaria parari oportere innuentes, nec in rebus humanis quicquam bonum nôrunt, nisi quod fructuosum. Sic amicos tanquam pecudes, eos potissimùm diligunt, ex quibus sperant se maximũ fructum esse capturos; quúmque mutuum illi quid petunt, Soccos, vt Mitiones videbis, & Lachetas: cum adiguntur vt reddant, ita cothurnatos, & turgidos, vt Heraclidas illos Ctesiphontem & Temenum putes.

Nota ad descriptionem Senatus Romani.

Alienis laboribus venaturi. *Neque enim laborant in venando, sed conclusas seruorum industria in septa feras, cum omni facilitate capiebant. Quod Plinius ostendit in Traiano Vsurpabant istam quoque gloriam illi Principes, qui obire non poterant; vsurpabant autem vt domitas fractásque claustru feras, ac denique in ipsorum ludibrium emissas mẽtita sagacitate colligerent. Quod inuentum Persicorum Regum indicat Curtius Rufus lib 8. Barbara opulentia in illis locis, haud vlla sunt maiora indicia, quàm magnis nemoribus saltibúsque nobilium ferarum clausi greges Spatiosas ad hoc eligunt syluas, perennium aquarum fontibus amœnas.*

Persarum Reges quomodo venentur?

A lacu Auerni lembis inuecti sunt pictis. *Auernus lacus est Campaniæ prope Baias, Bays quoque proximi Putecli & Caieta, oppida omni deliciarum genere referta; quæ delicati illi, velut lautitiæ suæ receptacula frequentabant: & ne quid ad voluptatem deesset, pictis nauigijs per lenissimos amnium fluxus ferebantur. Talis Cleopatræ nauis describitur à Floro lib. 4 aurea puppe velòque purpureo.*

Auernus lacus.

Quam Plutarch fusius prosequitur in Antonio, vbi Reginam nauigantem inducit, ἐν πορθμίῳ χρυσοπρύμνῳ τῶν μὲν ἱστίον ἀλουργῶν ἐκπεπετασμένων, τῆς δὲ εἰρεσίας γυραῖς κώπαις ἀναφερομένης πρὸς αὐλὸν ἅμα σύριγγι καὶ κιθάραις συνηρμοσμέναις. *Vide descriptionem. Talis Neronis inter Copas nauigatio apud Tranquill. in Ner. 27.*

Nauis elegans.

Inter aurata flabella. *De vsu flabellorum ad abigendas muscas, & ventulum excitandum, habes Propert. l. 2. el. 24. Mart. l. 3 ep. 80. Ter. in Eunucho. act 3.*

Siluani lauacrum. *Prop. lib 4.* Syluani ramosa domus, *penè in ipsius vrbis faucibus. Aquæ verò Mammeæ dicuntur thermæ ab Alexandro Seuero instauratæ, de quibus AElius Lampridius. In hu thermis nominis sui, iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta quæ Alexandrina nunc dicitur, Nerua thermas suas de priuatis ædibus suis, quas emerat, diruptis ædificijs, fecit.*

Solitis pressorijs vestis. *Vestes significat in prælo compositas: qui mos veterum fuit. Mart. libr. 2. v. 45.*

Sic tua compositis perlucent præla lacernis,
Sic micat innumeris arcula synthesibus.

Digitis vt metatis abit. *Fortè hic aliquid corruptum, nisi metatos digitos intelligit, insertis annulis distinctos, vt hortum digestis in quincuncem arboribus compositum: hoc enim est metari, apud Columellam, lib. 9. Quòd autem annulos ita componerent, testis est Seneca 7. de natur 51. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.*

Annulorũ vsus.

Aleatorum vocabulum declinantes. *Nam aleatores legibus Romanis damnati, vt licet colligere ex Cicer. Philipp. 2. & aleatoris nomen infame. Vide Iuuenal. satyr. 1. Martial Horat. 24. l. 3. Clementem Alexand. in Pædagogo. D. Cyprian. contra aleatores: ad summum leges, quæ extant in Codice Theodos. multa de alta diximus alibi.*

Tesserarios. *Tesserarij quid aliud sunt quàm* κοβιυταὶ, *& hi quid sunt nisi aleatores? idcirco dixit differre, vt fures, & latrones, qui parum differunt, nisi hi sint obsessores viarum, illi nocturni grassatores.*

Tesserarij qui.

Aleatoriæ amicitiæ. *Has rabiosas tamen amicitias dixit Cyprianus contra aleatores.*

Subsident aliqui. *Perstringit testamentorum captatores quorum tam frequens mentio apud Satyricos, vt nulli domus notior quàm illi sint.*

Multi apud eos negant esse superas potestates.

Illinc prima mali labes mortalibus agris,
Naturam nescire Dei.

Nec in publico prodeunt. *Misera tyrannis Astrologia iudiciaria, quam superstitionem disertè con-*

Astrologia iudiciaria tyrannis.

sè confutat D. Auguſt. lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 7. Chryſoſt. in epiſt. ad Galat. Tertull. de Idololatria. Iſidorus Peluſiota epi. 228. Helladius, Theodorus, Mar. Ficinus, & innumeri.

Parte alia vxor. *Perfidia inter coniuges deteſtanda, qui cum ſe mutuo hæredes fecerunt, inſidijs quisque mutuo viciſſim vitæ inſidiantur.*

Mitiones videbis, & Lachetas. *Mitiones, & Lachetes perſonæ comica vilis, & humilis.*

Cteſiphon, & Temenus. *Heraclida tragici Reges: quod ad ſoccum attinet. Probum Nepotianus dixit humiliorem ſocco, lib. 27. capit. 10.*

Ad deſcript. Populi Romani.

Iani Romæ templa 3. Per Ianos. *Iani Romæ templatria. Primum Bifrontis à Romulo, ſeu Numa conditum. Alterum Quadrifrontis ab Auguſto, vt teſtatur Seruius, inſtauratum. Tertium à Diuitio, de quo Tacit. lib. 2. Annal.*

Circumflexerit metam. *Nerum omnes aurigas in ludis Circenſibus, ita circumflexiſſe metam, vt eam non tangerent, vnde Claud. Meta timetur equis, & Horat. Metaq; feruidis Euitata rotis.*

Per ſibilos explodantur. *Quos Cicero ad Atticum paſtoritias fiſtulas appellat, vt ſupra notauimus.*

Spectaculo Exodiario *Exodium, carmen ridiculum, quod in exitu chori fabulæ Atellanæ cantabatur. Iuuenal. ſatyr. 6.*

Vrbicus exodio riſum mouet Atellanæ.

Per te ille diſcat. *Prouerbium apparet fuiſſe in ridiculis tempore Ammiani, ſed vnde, aut qua occaſione natum, nemo, quod ſciam, meminit.*

HVNNI.

Deſcriptio LIII.

Ex Ammiano l. 31. HVnnorum gens monumentis veteribus leuiter nota, vltra paludes mœoticas glacialem Oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit, vbi quoniam ab ipſis naſcendi primitijs infantium, ferro ſulcantur altius genæ, vt pilorum vigor tempeſtiuus emergens, corrugatis cicatricibus hebetetur; ſeneſcunt imberbes abſque vlla venuſtate, ſpadonibus ſimiles. Compactis omnes, firmiſque membris, & opimis ceruicibus prodigioſè deformes: & pandi, vt bipedes exiſtimes beſtias, vel quales commigrandis pontibus effigiati ſtipites, dolantur incomptè in hominum figuras: ſic & in ſua vita viſi ſunt aſperi, vt nec igni, neque ſaporatis indigeant cibis, ſed radicibus herbarum agreſtium, & ſemicruda cuiuſuis pecoris carne veſcantur, quam inter femora ſua, & equorum terga ſubferram, fotu calefaciunt breui. Ædificijs nullis vnquam tecti, ſed hæc velut ab vſu communi diſecta ſepulchra declinant. Nec enim apud eos, vel arundine faſtigiatum reperiri tugurium poteſt: ſed vagi, montes peragrantes, & ſyluas, pruinas, famem, ſitimque perferre ab incunabulis aſſueti, peregrè tecta, niſi adigente maxima neceſſitate non ſubeunt, nec enim apud eos ſecuros exiſtimant eſſe ſub tectis. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus ſilueſtrium murium conſarcinatis. Nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis. Sed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta, non antè deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxit defruſtrata. Galeris incuruis capita tegunt, hirſuta crura corijs munientes hœdinis, eorumque calcei formulis nullis aptati vetant incedere greſsibus liberis.

Qua cauſſa ad pedeſtres parum accommodati ſunt pugnas: verũ equis propè affixi, duris quidem, ſed deformibus & muliebriter ijſdem nonnunquam inſidentes, funguntur muneribus conſuetis: in ipſis quiuis in hac natione pernox, & perdius emit, & vendit, cibumque ſumit, & potum, & inclinatus ceruici anguſtæ iumenti, in altum ſoporem ad vſque varietatem ſuffunditur ſomniorum, & deliberatione ſuper rebus propoſita ſerijs, hoc habitu omnes in communi conſultant. Agunturautem nulla ſeueritate regali, ſed tumultuario primatum ductu contenti perrumpunt quicquid inciderit, & pugnant nonnunquam laceſsiti, ſed ineuntes prælia cuneatim variis vocibus ſonantibus toruum, vtque ad pernicitatem ſunt leues, & repentini, ita ſubito de induſtria diſperſi langueſcunt, & impoſita acie cum cæde vaſta diſcurrunt, nec inuadentes vallum, nec caſtra inimica pilantes, præ nimia parte decernuntur: eoſque omnium acerrimos facilè dixeris bellatores, quod procul miſsilibus telis, acutis oſſibus, pro ſpiculorum acumine arte mira coagmentatis, ſed diſtinctis cominus ferro,

ſine

sine vi resistunt, hostesq́; dum mucronum noxias obseruant, contortis lacinijs illigant, vt laqueatis resistentium membris equitandi, vel gradiendi adimant facultatem.

Nemo apud eos arat, nec stiuam aliquando contingit, omnes enim suis sedibus fixis, atque lari, vel lege, aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant, vbi coniuges ex villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & adusq́ue nutriunt pueros, nullusque apud eos interrogatus, vnde oritur, respondere potest, alibi conceptus, natusque procul, & longius educatus. Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentes, spei nouæ, perquam mobiles totum furori incitatissimo tribuentes.

Inconsultorum animalium ritu, quod honestum, inhonestumue sit, penitus ignorantes. Flexiloqui, & obscuri, nullius religionis, vel superstitionis reuerentia aliquando districti, auri cupidine immensa flagrantes, adeo permutabiles, & irasci faciles, vt eodem aliquoties die à socijs nullo irritante desciscant, itidemq́ue propitientur nemine leniente.

Hoc expeditum, indomitumq́ue hominum genus externa prædandi auiditate flagrans immani, per rapinas finitimorum grassatum, & cædes, adusque Achaiam peruenit.

Nota.

Telamones, Atlantes. Effigiati stipites, *Ii vocantur Telamones, & Atlantes; Vitruuius lib. 6 cap. 10. Item, si qua virili figura signa mutulos, aut coronas sustinent, nostri Telamones appellant. Cuius rationes, quid ita, aut quare non inueniuntur? Græci verò eos* Ατλαντας *vocitant. Atlas enim historicè formatur, sustinens mundum.*

HELLVO.

Ex Cicerone in Verrem.

Descriptio LIV.

ERant aurem conuiuia non illo silentio Prętorum, atque Imperatorum, neque eo pudore, qui in magistratuum conuiuijs versari solet: sed cum maximo clamore, atque conuitio: etiam nonnunquam res ad manus, atque ad pugnam veniebat: Iste enim prętor seuerus, ac diligens, qui populi Romani legibus, quę in poculis ponebantur, obtemperabat: itaq; erant exitus eiusmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio auferretur: alius tanquam occisus relinqueretur: plerique fusi, sine mente, ac sine vllo sensu iacerent, quiuis vt cùm aspexisset, non se prætoris conuiuium, sed vt Cannensem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.

AFFECTVS.

AMOR.

Ex Græco Oppiano.

Οβριμ' ἔρως πόδος ἐστί.

Descriptio LV.

AMor, vt aiunt Poëtæ, ephebus est, glabellus corpore, vultu speciosus, alis volucer, manu promptus, arcu, sagittis, & facibus armatus. Quin potius affectus est animi in rem amatam, præceps, vehemens, incensus. Qui, Deus bone! quantus est, quanta machinatur: quantum imperat? & quantum ludit? stat quidem terra firmissimis defixa radicibus, & tamen ab eo commouetur: fluunt inquieta maria continuis lapsibus, & ab eo constringuntur. Altum est cœlum, & ab eo superatur: profundi sunt inferi, ijdem ipsi ab eo penetrantur: in æthere, in aquâ, in igne, in terris, infra terras, vbique sui dominatus impressi vestigia: ipsi meherculè mortui eius potentiam reuerentur, sceptrum adorant, formidant imperium. Ad eius ignem Vulcanus fumus est, debilia sunt solis tela, fictilia Iouis fulmina. Crudeles enim habet sagittas, acerbas, ardentes, igneas, prudentiæ corruptrices, furiosas, quæ vbi primùm cor attigerunt, immedicabilem quandam tabem instillant, qua non modo homines, sed & brutæ animantes totæ liquescunt. Quid cum ipse improuisus instar procellæ labitur in pectus, & per oculorum fenestras in cor hominum penetrat, velox, acer, acutus, facibus vndique collucens: lenem flammam medullis, atque ossibus inspirat; quæ dolorum æstus, & furores longius inserpens, secum trahit. Hac flos corporis, & vetustas coloris, deperditur, pallor

Vide Oppianum de venat. l. 2. & de piscatu lib. 4.

vultus obsidet, in maciem liquantur genæ. Hâc cauantur oculi, tabescunt lumina, mens tota de sede conuulsa percellitur.

IRA.

Descriptio LVI.

Arnob. l. 1. QVid est enim aliud irasci, quam insanire, quam furere, quam in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione debacchari? Hoc ergo Dij magni nôrunt, perpetiuntur, & sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in dente natrices: quod lenitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura, & in perpetua virtutis firmitate consistens, scire asseueratur à vobis. Et, quid ergo sequitur necessario? ni vt ex eorum luminibus scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum iaciat ex ore, & ex verbis ardentibus labiorum siccitas inalbescat?

AVARITIA.

EXtat Chrysostomi præclarissima descriptio Homil. 29. in Matthæum, & homil. 9. in 1. ad Corinthios, vbi depingit mulierem quandam, forma belluina, barbaram, ignem spirantem, tristificam, nigram, quales Ethnici Poëtæ depingunt Scyllas, quod fuse Isidorus Pelusiota hac imagine est prosequutus.

Descriptio LVII.

ΤΟν μὲν τῶν σωμάτων ἔρωτα, ἅτε δριμὺν μὲν ὄντα, ταχέως δὲ σβεννύμενον, διὰ τοῦτο οἱ ζωγράφοι σὺν λαμπάσι, καὶ πτέρυξι γράφουσι, ἅτε ποτὲ μὲν ὑπεκκαίει τὰ πάθη καπνίζων, ποτὲ διὰ κόρον ἀφίπταται. Τὸν δὲ τῶν χρημάτων οὐδεὶς οὔτε πλάσαι, οὔτε γράψαι ἐτόλμησε· τάχα μὲν ἐπειδὴ οὐδὲ ἔρως ἐστὶν, ἀλλὰ μανία ἀνήκεστος. τάχα δὲ ἐπειδὴ οὔτε πλασθῆναι, ἀλλὰ οὔτε γραφῆναι αὐτὸν οἷόν τε. οὔτε γὰρ πεντήκοντα μόνον ἔχει κεφαλὰς κατὰ τὴν μυθευομένην ὕδραν, δι' ὧν τῇ ἀπληρώτῳ γαστρὶ τὴν τροφὴν παραπέμπει, &c.

cætera, quæ Latinè sic reddunt:

COrporum amorem, vt qui acer quidem sit, verùm celeriter extinguatur, ob eam caussam pictores cum facibus, & pennis depingunt, quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem euolat. At pecuniarum amorem nemo vnquam fingere, aut scribere ausus est. Cuius rei hæc fortasse caussa est, quia ne amor quidem est, sed insanabilis furor: aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest. Neque enim quinquaginta duntaxat capita habet, vt fabulosa illa Hydra, per quæ ad inexplebilem ventrem cibos transmittat; nec insaturabilis illius portenti instar afficitur: nec denique Briarei in modum, centum duntaxat manibus armatus est, quin ne pennas quidem habet; Satiari enim atque expleri nequit. Quonam itaque modo quispiam tale monstrum effingere, aut pingere queat? cùm quo Scylla comparata fidem inuenisset, etsi alioqui incredibilis? Verùm quoniam oratio quouis colore expressior est, ac quauis cerâ ad effingendum mollior, quantum libebit, eum delimare conabor. Non quòd id perfectè atque absolutè consequi possit, sed vt belluinam ipsius, & inamœnam effigiem ijs, qui eo capti sunt, inuectiuâ oratione proscindat. Mihi enim puero nusquam similis esse videtur: non enim amor, sed furor; verùm fœminæ cuidam: nam hoc quoque amentiæ ipsius, atque improbitatis indicium sit, belluina forma præditæ: ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuò sibilantes, ac mortiferum venenum euomentes: sexcentas item manus vnguibus abundantes; quorum opere alios lacerat, alios sagittis imperit, ab alijs pecunias extorquet: ac deinde sexcenta ora: neque enim minatur duntaxat, aut calumnias struit, verumetiam adulatur: ac seruilem in modum alloquitur, & peierat, turpisque quæstus causa innumeras excogitat occasiones. Quin oculos habet non vt naturę consentaneum est, cernentes, aut quenquam verentes, nō amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verùm asperum quoddam, & acre, atque crudele, & inhumanum, igneumque obtuentes. Neque enim rerum naturam perspicit, nec illud animaduertit, quod persæpè cum permulta mouerit, ab hostium manus pecu-

pecunias transmiserit, vnde etiam innumeras ei, qui captus est notas inussit. Porrò autem aures vsque adeò septas, & obturatas habet, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat: tantum verò ab eo abest, vt pennas habeat, quæ saturitatem designant, vt ne pedes quidem ipsi, vir vllus cordatus tribuere queat. Neque enim egredi, atque ab eo, qui captus est, secedere potest: verum manus in omnes immittens, ferro quouis, ac plumbo grauior insidet, atque ita cõparata est, vt omnia quidem accipiat, verùm eorum, quæ accipit multitudinem, fomitis, atque incitamenti materiam habeat, rerumq; acceptarum finem, capiendarum initium faciat: ecquis igitur acerrimo, & inexplebili furore, atque innumera peccata, & maledicta, & decora, & intemperantias, & petulantias nobis conflante capiatur? ecquis animum inducat, eum in hac vita, tam miserè viuere, vt dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur? nec requiem vllam, aut somnum sentiat, & hic suppliciorum, atque cruciatuum initium capiat? Quid autem initium dico? Hic enim eos, quos cœperit, tyranno quouis acerbius torquet, & excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum interquiescere sinens, verum grauiorem ipsis pœnam inferens, quam ij luant, qui ad metalla damnati sunt. Nam illis, confecto opere, somno, ac quiete frui licet, his autem ea somni quoque portum, velut aggesta terra obstruens, noctu quoque læua illa, & inhumana edicta proponit. Hos enim ad latrocinia mittit, illos ad cædes perpetrandas: ac ne debitum quidem mortuis munus veretur, quod etiam barbari, ac Dæmones honore prosequuntur: verum aduersus mortua corpora nefarias eorum, quos obstrictos tenet, manus armat. Nouum & sceleratum latrocinij genus excogitans, quamobrem omnia ipsius vitia mente voluentes, nempe, quod belluina forma prædita est, atque tetra, & inamœna, quòd spirans, inexplebilis, & oculis, auribusq; capta, & crudelis, & execranda, & Deo inuisa, & implacabilis, atque crudelis: neque enim blanditijs, atque obsequijs delinita aliquid remittit, verùm tum potius efferatur, cum maximè colitur: Nullum non lapidem moueamus, quo ab ea minimè capiamur, facilius enim erit non capi, quàm cum captus sis effugere, si autem nos capi contigerit, omnes neruos contendentes, diuinam opem imploremus, hac enim sublata, nemoà tali captiuitate abstrahi potest. Multis enim talis est hæc captiuitas, vt ab ea emergere, ac reuocari nequeant, quęstus quidem faciendi cupiditatem comprimamus; quæ autem collecta sunt, aut confertim, aut paulatim egentibus distribuamus, nam hæc demum sola ratio est, qua ab eiusmodi captiuitate reuocemur.

Nota.

Hæc luculenta pictura Auaritiæ ab adiunctis partium, grauissimi viri penicillo expressa, in qua hæc obiter noto.

Ἀρσαὺν μὲν ὄντα *& de eodem dixit Oppianus.*

Ἀνθμαίνεις δὲ πυρὸς δριμεῖαν ὁμοκλήν.

Inspirasque ignis acutam vim.

Σὺν λαμπάσι καὶ πτέρυξι. *Hæc est eius pictura apud Græcos, Satyrum, Aleæum, Antipatrum, Macium, Crinagoram, Moschum, Marcianum, &c. quorum testimonia nihil hic attinet infercire.*

Μανία ἀνήκεστος, χρυσομανίαν *dixit D. Basil.* φιλοκερδὲς λόσσην *Nonnus in Ioannem.*

Πεντήκοντα κεφαλάς. *Hoc commentum Pisandri Camerensis inquit Scholiastes, Anthol. ad l. 4. qui Hydræ multas ceruices finxit ad horrorem.*

Βριάρεω, ιλ. α. 403.

Ὡς καὶ τῆς Σκύλλης, *Similiter M. Tullius Antonij insatiabilem auaritiam confert cum Charybdi.* Quæ Charybdis tam vorax. *Aristophanem sequutus, qui in equitibus dixit* φάραγγα καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς, *quamquam hic per metaphoram extulit, quod ille vetat de orat. l. 3.*

Στηλιτεύων μανίαν, στηλιτεύειν *est diuulgare, & quasi in pilis, & columnis incisum omnibus proponere, qui mos Athenis fuit, vt testatur Demosthenes Philipp. 3 in columnis videlicet arcu eorum nomina inscribere, qui publica infamia notati essent.* κατέθεντο εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες εἰς ἀκρόπολιν.

ΑΡΟΜΙΟΣ.

Ὁ πυθώνακτος ὁ Ζελείτης ἄτιμος ἔστω. *Ex quo* στηλιτεύειν, δημοσιεύειν *vt interpretatur Suidas, & confirmat D. Greg.* αἱ εἰκόνες στηλιτεύουσαι τὴν λώβην τοῦ σώματος. *quanquam in bonam etiam partem vsurpauit Philo, de vita Mosis.*

l. 3. ἧς τὸ εὐχάριστον ἀθανατίζεται, καὶ ἀνάγραπτον στηλιτεύεται παρὰ τῷ θεῷ. Cuius gratus animus immortali memoria celebratur, & velut scriptis in columna literis, manet apud Deum.

Quò respexit Ausonius, eum dixit in actione gratiarum, apud Gratianum Imperatorem Has ego litteras tuas, si in omnibus pilis, atque porticibus, vnde de plano legi possint, instar edicti pendere mandauero, nonne tot statuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum?

Μυρίας μὲν ἔχεις. *Hæc furiarum.* ἀνασκευή, *quibus*

Anguinea redimita caterua:
Frons expirantes præportat pectoris iras.
Catullus.

Μυρίας δὲ χεῖρας ὄνυξι κομώσας. *Præclare istæ rapacitatem beluæ exprimunt, cui fœdissima ventris ingluuies, vncæque manus.*

Οὐδ' ἀιδουμένους τινά. *Prosper l. 2. de vita cõtemplatiua.* Vastat in nobis quicquid verecundiæ, & pudoris inuenerit.

Ακοὰς δὲ τοσοῦτον πεπραγμένας. *Nihil omnino audit auarus, dum ab eo aliquid petitur, aut si audit, hanc vnam vocem respondet, vt ait D. Basilius:* οὐκ ἔχω, οὐ δώσω.

Ανάπαυσιν οὐκ εἰδώς. *Cyprianus nobili epistola: Suspirat ille in conuiuio, bibat licet gemma: & cùm epulu marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma.*

Παντὸς τυράννου πικρότερον. *Rectè ferreum eius imperium Prosper nominat.* O facinus inauditum! Suaui Christi iugo contempto ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipimus.

RABIES, ET PHRENESIS.
Ex Philostr. in Hercule furente.

Descriptio LVIII.

Τῶν δὲ αἴσθησις μὲν αὐτῶν οὐδεμία, ἀναῤῥίπτει δὲ τοὺς προσιόντας, καὶ συμπατεῖ, πολὺ μὲν τοῦ ἀφροῦ διαπτύων, μειδιῶν δὲ βλοσυρὸν, καὶ ξένον, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀτενίζων ἐς αὐτὰ ἃ δρᾷ. τὴν δὲ τοῦ βλέμματος εὔνοιαν ἀπάγων, ὡς ἃ ἐξηπάτηται. βρυχᾶται δὲ καὶ ἡ φάρυγξ, καὶ ὁ αὐχὴν ἐμπίπλαται, καὶ ἀνοιδοῦσιν αἱ περὶ αὐτὸν φλέβες, δι' ὧν ἐς τὸ κάρια τῆς κεφαλῆς ἀναῤῥεῖ πᾶσα χορηγία τῆς νόσου.

IPse verò eorum nihil omnino sentit, sed adeuntes reijcit, ac proculcat, multam quidem expuens spumam: truci atque insolenti risu cachinnans, defixisque in ea, quæ facit, respiciens oculis: tum seuerus aspectu, quasi delusis sensibus: guttur interius fremit, ceruix inflatur, intumescunt venæ, per quas ad capitis vitalia tota morbi vis influit.

INVIDIA.
Ex D. Basilio.

Descriptio LIX.

Ὀφεώς ἐστι δίδαγμα, δαιμόνων εὕρημα, ἐχθροῦ ἐπισπορὰ, ἀῤῥαβὼν κολάσεως ἐμπόδιον εὐσεβείας, ὁδὸς ἐπὶ γέενναν, στέρησις βασιλείας, δῆλοι δὲ πῶς καὶ αὐῷ ᾧ πρωσώπῳ τυγχάνουσιν οἱ φθονοῦντες, ὄμμα τούτοις ξηρὸν καὶ ἄλαμπες, παρειὰ κατηφὴς, ὀφρὺς συμπεπτωκυῖα,

SErpentis est documentum inuidia, diaboli inuentum, inimici satio: punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni priuatio; nam & ipso fatentur ore hoc vitium inuidi, aspectus illis est aridus, & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum.

NVNC

NVNC DESCRIPTIONES ALIQVOT PRAEcipuorum animalium subijciemus, ex laudatis auctoribus, ad quarum exempla cæteræ in eodem genere conformari possint.

AVES.

Ex D. Gregor. Nazianzeno.

Descriptio LX.

Σκέψαι μοι καὶ ὀρνέων ἀγέλας, καὶ ποικιλίας, ἔντε σχήματα, καὶ χρώματι, τῶν τε ἀλλάλων, καὶ τῶν ᾠδικῶν· καὶ τὸς τούτων μελῳδίας ὁλόγος, καὶ παρὰ τίνος; τὶς δὲ ὁδοὺς τέτιγι τὴν ἐπὶ στήθει, μαγάδα, καὶ τὰ ἐπὶ τῶν κλάδων ἄσματά τε, καὶ τερετίσματα, ὅταν ἡλίῳ κινοῦνται μεσημβρινὰ μουσουργοῦντες, καὶ καταφωνῶσι τὰ ἄλση, καὶ ὁδοίπορον ταῖς φωναῖς παραπέμπωσι.

AD hæc greges auium considera, quamque varia, & multiplici figura sint, varijsque coloribus: qui fiat, vt aliæ mutæ sint, aliæ canoræ: quæque harum suauissimi cantus sit ratio, & à quo hanc facultatem acceperint: quis lyram cicadis in pictore dedit? & cantus illos, atque garritus, quos cùm meridiano solis æstu ad musicam excitantur; in arborum ramis fundunt, ac nemora sono implent, & viatorem vocibus prosequuntur?

PHOENIX.

Descriptio LXI.

ÆThiopes, atque Indi, discolores maximè, & inenarrabiles ferunt aues, ante omnes nobilem Arabia Phœnicem; haud scio an fabulosum vnum in toto orbe, nec visum magnoperè. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caputque plumeo apice cohonestante. hic postquam longam sæculorum seriem viuendo expleuit, naturæ ipsius instinctu rogum concinnat, suaui fragrantium lignorum copia refertum, quem sepulchri simul, & lectuli loco sit habiturus, in eo sepelitur, & quiescit.

Mox etiam ex eo resurgit ad vitam: postquam enim afflantibus solis radijs incensa iam pyra conflagrauit ales nobilissimus, vt suis mox cineribus pubescat, exiguum vermiculum relinquit in fauilla, qui paulatim animam, & speciosi corporis induit effigiem, sic Phœnix pater est, & patri simillimus filius.

Vide Plinium li. 10. cap. 2.

AQVILA.

Descriptio LXII.

AQuila enimuero cum se nubium tenus altissime sublimauit, euecta alis, totum istud spatium qua pluitur, & ningitur, vltra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus est, in ipso (vt ita dixerim) solo ætheris, & fastigio hyemis: cum igitur eò sese aquila extulit, nutu elementi læuorsum vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas quo libuit aduertens, modico caudæ gubernaculo, inde cuncta despiciens, ibidem pennarum eminus indefessa remigia, ac paulisper cunctabundo volatu penè eodem loco pendula circuntuetur, & quærit quorsus potissimum in prædam sese supernè ruat, fulminis vice: de cœlo improuisa simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines Vrbibus vno obtutu sub eodem impetu cernens, vnde rostro transfodiat, vnde inuncet vel agnum incuriosum, vel leporem meticulosum, vel quodcunque esui animatum, vel lanatum fores obtulit.

Apul. lib. 1. Florid.

PSITTACVS.

Descriptio LXIII.

PSittacus auis Indiæ est, instar illi minimo minus, quàm columbarum, sed nec colorum columbarum. Non enim lacteus ille vel liuidus, vel vtrinque subluteus, aut sparsus est, sed color Psittaco viridis, ex intimis plumulis, & extimis palmulis, nisi quod sola ceruice distinguitur. Enimuerò ceruicula eius circulo niueo velut aurea torqui pari fulgoris circumactu cingitur, & decoratur: rostri prima duritia, cum in petram quampiam concitus altissimo volatu, præcipitat, rostro se velut anchora excipit. Sed capiti eadem duritia, quæ rostro: cùm sermonem nostrũ cogitur æmulari, ferrea clauicula caput tunditur, imperium magistri vt persentiscat, hæc ferula discenti est. Discit autem statim pullus vsque ad duos ætitis suæ annos, dum facilè os vti conformetur, cum tenera lingua, vti conuibretur. Senex autem captus, & indocilis est, & obliuiosus. Verum ad disciplinam humani sermonis facilior est Psittacus glande qui vescitur, & cuius in pedibus vt hominis quini digituli numerantur: Non enim omnibus Psittacis id insigne, sed omnibus proprium: quo eius lingua latior, quam cæteris auibus, eò facilius verba hominis articulantur patentiore plectro, & palato. Id verò quod dicit, ita similiter nobis canit, vel potius eloquitur, vt vocem si audias, hominem putes. Nam quidem si videas, idem conari, non eloqui.

Id. Florid. lib. 2.

PAVO, EX LVCIANO.

Descriptio LXIV.

Ὁ δὲ ταὼς ἦρος ἀρχομένου, πρὸς λειμῶνα τινὰ ἐλθὼν, ὁπότε καὶ τὰ ἄνθη πρόεισιν, οὐ ποθεινότερα μόνον, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις, ἀνθηρότερα, καὶ τὰς βαφὰς καθαρώτερα, τότε καὶ οὗτος ἐκπετάσας τὰ πτερὰ, καὶ ἀναδείξας τῷ ἡλίῳ, καὶ τὴν οὐρὰν ἐπάρας, καὶ πάντοθεν αὐτῷ περιστήσας, ἐπιδείκνυται τὰ ἄνθη τὰ αὐτοῦ, καὶ τὸ ἔαρ τῶν πτερῶν, ὥσπερ αὐτὸν προκαλοῦντος τοῦ λειμῶνος ἐς τὴν ἅμιλλαν. ἐπιστρέφει γοῦν ἑαυτὸν, καὶ περιάγει, καὶ ἐκπομπεύει τῷ κάλλει· ὅτε δὴ καὶ θαυμασιώτερος φαίνεται πρὸς τὴν αὐγὴν, ἀλλαττομένων αὐτῷ τῶν χρωμάτων, καὶ μεταβαινόντων ἠρέμα, καὶ πρὸς ἕτερον εὐμορφίας εἶδος τρεπομένων. πάσχει δὲ αὐτὸ μάλιστα ἐπὶ τῶν κύκλων οὓς ἐπ' ἄκροις ἔχει τοῖς πτεροῖς, ἴριδός τινος ἕκαστον περιθεούσης. ὃ γὰρ τέως χαλκὸς ἦν, τοῦτο ἐγκλίναντος ὀλίγον, χρυσὸς ὤρθη, καὶ τὸ ὑπὸ τῷ ἡλίῳ κυαναυγὲς, εἰ σκιασθείη, χλοαυγές ἐστιν. οὕτω μετακινεῖται πρὸς τὸ φῶς ἡ πτέρωσις.

PAvo autem incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando & flores prodeunt non amabiliores modo, sed & (vt ita dixerit quispiam floridiores; & quod ad colorem, & tincturam attinet, liquidiores: ipse quoque extentis pennis, ijsque ostensis soli, & sublata cauda, eamque vndique circa se pandens, spectandos exhibet, & illius flores, & ver illud pennarum, perinde vt prato, ad huiusmodi contentionem, & certamen ipsum prouocante: conuertit quippe seipsum, & circumagit, & quasi quamdam pompam agit pulchritudinis suæ: quando videlicet, etiam admirabilior apparet ad splendorem solis, variantibus se coloribus, & paulatim in alios, atque alios transeuntibus, aliamque, ac nouam formositatis speciem subinde recipientibus. Accidit autem hoc potissimum in circulis, quos in summis pennis habet, quorum quemlibet, quasi quædam irides circundant. Nam qui antè æreus visus fuit, mox inclinante se paulum illo aureus cõspicitur: & rursum quod ad lucem apparuit, si sub vmbram transferatur, viride videbitur. Adeò ad luminis vicissitudinem pennarum ille ornatus variatur.

Lucian. de domo.

Item

Item ex Tertulliano.

Tertull. l. de pallio. Cata cuiusvelles depressior. pauimen. es. Lumina pa tagiata auri uiuacia.

QVamquam & Pauo pluma vestis, & quidem de catacliſtis, imò omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio auratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, qua caudæ iacent, multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda.

LVSCINIA.

Descriptio LXV.

LVsciniam, auditores, vnam ex auibus maximè solent ij, qui naturas animalium scribunt, admirari, quod in tam paruo corpusculo tam clara, tam suauis, tam magna, tam iucunda vox inueniatur: quod verno tempore, cùm frondescere arbores incipiunt, diebus, ac noctibus perpetuis sine vlla intermissione canere soleat, vnde enim in auicula tam pertinax spiritus? vnde vis illa continendæ animæ, in canendo tanta, & vna continuatione cantionis viuæ contentiones vocis, & remissiones contineantur? vnde tam artificiosa, tamque perfecta muſicæ scientia, tam ingeniosa modulatio, tam gratus auribus sonus, qui modò in longum continuo spiritu trahatur, modò summa quadam cum varietate flectatur, nunc concisa voce distinguatur, nunc intorta copuletur? Quid cum iterum vocem reuocat, ex integra comprehensione cantum edit? quid cum modulos, nec inopinato, derepentequè commutat? quid cum ipsa secum iucunda, & tacita murmurat? nulla mehercule tam abstrusa, tam difficilis est cantio, quam non exprimat luscinia, plenam, grauem, acutam, crebram, extentam summam, mediam, imam. Quid plura? Iam paruulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tanta industria, tanto studio, tot inuentis instrumentis genera cantionum ars hominum excogitauit, integra, atque perfecta reperiuntur.

Vide Gesnerum in Luscinia.

Adde qua habet Plinius lib. 10. *c.* 39.

Primùm tanta vox, tam paruo corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in vna perfecta Musicæ scientia modulatus editur sonus: & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur concisо, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur inopinato: interdum & secum ipse murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit.

COLVMBÆ COLLVM.

Ex Philone, de temulentia.

Descriptio LXVI.

Τοὺς αὐχένας τῶν περιστερῶν ὅταν ἡλιακαῖς αὐγαῖς ὑπαλεάνωσι, μυρίας χρωμάτων ἀλλαττούσας ἰδέας, ἤ οὐχὶ φοινικοῦν, καὶ κυανοῦν, πυρωπόν τε, καὶ ἀνθρακοειδὲς, ἔτι δὲ ὠχρόν, καὶ ἐρυθρὸν, καὶ ἄλλα παντοδαπὰ ἔχει χρώματα, ὧν οὐδὲ τὰς κλήσεις ῥᾴδιον ἀπομνημονεῦσαι;

VIdisti aliquando columbæ ceruicem radijs solis expositam, quàm multis modis colores variet, puniceum, cæruleum, igneum, & carbunculi speciem referentem, pallidum item, & rubicundum, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidem memorare sit facile?

HIRVN-

HIRVNDO.

Ex D. Ambrosio hexam. lib. 5. cap. 17.

Descriptio LXVII.

HIrundo, minuscula corpore, sed egregiè pio sublimis affectu, quæ indiga rerum omnium, pretiosiores auro nidos struit, quia sapienter ædificat; *Nidus enim sapientiæ preciosior est auro*, & cætera, de quibus alibi dictum.

GRVES.

Idem lib. 5. hexam. cap. 15.

Descriptio LXVIII.

MAnifestum sane est, in Septentrionalem plagam, hyeme grues frequentissimas conuolare: nec piguerit meminisse, quatenus expeditiones suas dirigant. Sub quodam militiæ eunt signo, & ne pergentibus ad destinata vis flatuum renitatur, arenas deuorant, sublatisq; lapillis ad moderatam grauitatem saburrantur: tunc se tollunt in altissima, vt de excelsiore specula metentur, quas petant terras. Fidens meatu præit cateruas: volatus desidiam castigat voce, quæ cogit agmen. Ea vbi fatigata est, succedit alia: Pontum transituræ angustias captant, & quidem eas promptum est oculis deprehẽdere, quæ inter Taurinam sunt, & Paphlagoniam, id est, inter Caramben, & κριοῦ μέτωπον. Cum trans medium alueum aduentasse se sciunt, scrupulorum sarcina pedes liberant. Ita nautæ prodiderunt, compluti sæpè ex illo casu, imbre saxatili; arenas non prius euomunt, quàm securæ sedis suæ fuerint: concors cura omnium pro fatigatis, adeò vt, si quæ defecerint, congruant vniuersæ, & lassas sustollant, vsq; dum vires otio recuperentur: nec in terra cura segnior; excubias nocte diuidunt, vt ex somnis sit decima quæque. Vigiles ponduscula digitis amplectuntur, quæ si fortè exciderint, somnum coarguant: quod cauendum erit, clamore indicant: ætatem in illis prodit color, nigrescunt enim senecture.

APES.

Ex D. Gregorio Nazianz. orat. 34.

Descriptio LXIX.

ΠΟθεν δὲ μελίσσαις τε, καὶ ἀράχναις τὸ φιλεργὸν, καὶ φιλότεχνον, ἵνα ταῖς μὲν τὰ κηρία πλέκηται, καὶ συνέχηται δὶ ἐξαγώνων συρίγγων, καὶ ἀνηστρόφων, καὶ τὸ ἑδραῖον αὐταῖς. διὰ τοῦ μέσου διατειχίσματος, καὶ ἀλλαγῆς ἐπιπλεκομένων ταῖς εὐθείαις τῶν γωνιῶν πραγματεύηται, καὶ ταῦτα ἐν ζοφεροῖς οὕτω τοῖς σίμβλοις, καὶ ἀοράτοις τοῖς πλάσμασιν;

VNde apibus, & araneis tantus laboris, atque industriæ amor, vt & illæ fauos construant, ac sexangularum fistularum, sibique inuicem ex aduerso respondentium adiumento contineant, & per intermedium parietem, atque angulos, & rectis lateribus alternatim innexos, domicilium suum fulciant, idque in tam caliginosis aluearibus, obscurisque figmentis?

CVLEX.

Descriptio LXX.

IN magnis siquidem corporibus, aut certè maioribus, facilis officina sequaci materia fuit; in his tam paruis, atque tam nullis, quæ ratio? quanta vis, quam inextricabilis perfectio? & sunt alia dictu minora, sed vbi visum in eo

in eo prætendit? vbi gustatum applicuit? vbi odoratum inseruit? vbi verò truculentam illam, & portione maximam vocem ingenerauit? qua subtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? dispositi iciunam cauearn vti aluum, auidam sanguinis, & potissimum humani, sitim accendit; telum verò perfodiendo tergori, quo spiculatuit ingenio? atque vt in capaci cùm cerni non potest exilitas, ita & reciproca geminauit arte, vt fodiendo acuminatum pariter, forbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit, potissimumque è ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime iactus, tigrium rapinas, & leonum iubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota sit?

Plin. lib. 11. c. 2.

SCORPIO.

Descriptio LXXI.

MAGNVM de modico malum, Scorpium terra supputat, tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & species; tot dolores, quot & colores.

Nicander scribit & pingit, & tamen vnus omnium, violentiæ gestus de cauda nocere: quæ cauda erit quodcunque de posthumo corporis propagatur, & verberat perinde vt scorpij series illa nodorum venenata intrinsecus venula, subtilis, arcuato impetu insurgens, hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens.

Tertull. in Scorpiaco.

ARANEÆ.

Ex Philostrato.

Descriptio LXXII.

AT aula intus deserta ac destituta videtur, & ne columnæ quidem amplius ipsam firmant ac sustinent, quod & concidat ac diffluat, sed solis est habitanda araneis: solet enim animal silentio ac solitudine contexere. Aspice & fila, hoc expuentes stamen in pauimentum descenderunt, ipsas porrò intuere, per illa descendentes, atque reciproco meatu ascendentes, per aerem volantes, iuxta Hesiodum, ac volare meditantes, pictor ostendit: Angulis attexunt domos; has quidem latas, has verò concauas: in latis æstatem agunt, in cauis hyemant. Pulchra igitur, & hæc pictoris opera. Nam araneum ipsum sic tenuiter elaborasse ac iuxta naturam indicasse, ipsiusque filum laboriosu ac difficile pinxisse, artificis est prudentis, atq; ad amussim vera referentis. Hic autem nobis tenuissima quoque contexuit, ecce quadrangularis funis ab ipso est angulis circumiectus, vt mali rudens; tenuis autem funiculo applicita est tela, quam plurimos exprimens orbes, quorum a primo ad minimum extensi contexuntur laquei æquè atque orbes, inter se distantes, per quos qui in perficiendo adiuuant opere discurrentes, remissa intendunt stamina, verum & texendi mercedem assequuntur, muscas, si quæ telis implicentur, capientes. Vnde ne prædam quidem ipsarum præterijt ac neglexit pictor. Hæc enim pede, illa suprema tenetur penna, ista à capite deuoratur. Palpitant autem atque agitantur, effugere nitentes: ipsam tamen nec confundunt, nec dissoluunt telam.

Philost. in telis.

Item ex Plinio.

ORDITVR telas, tantique operis materiæ vterus ipsius sufficit, siue ita corrupta alui natura statò tempore (vt Democrito placet) siue est intus quædam lanigera fertilitas, tam moderato vngue, tam tereti filo, & tam æquali deducit stamina, ipso se pondere vsus. Texere à medio incipit, circinato orbe subtegmina adnectens, maculasque paribus semper interuallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes? quam non ad hoc videtur pertinere cribratæ pexitas telæ, & quadam polituræ arte ipsa per se tenax ratio tramæ? quàm laxus ad flatus non ad respuenda quæ veniant sinus, derelicto laxo prætenti summa parte, vt arbitrari liceat illa quæ difficilè cernuntur, atque vt in plagis lineæ offensæ præcipitantur in sinum? Specus ipse qua concameratur architectura? & contra frigora quanto villosior? quam remotus à medio, aliudque agenti similis: inclu-

sus vero sic, vt sit necne intus aliquis, cerni non possit? Age firmitas quanta irrumpentibus ventis, qua puluerum mole degrauante? latitudo telæ sæpè inter duas arbores, cum exercet artem & discit texere: longitudo fili à culmine, ac rursus à terra per illud ipsum veluti reciprocatio, subitque pariter ac fila deducit. Cùm verò captura incidit, quam vigilans & paratus ad cursum? licet extrema hæreat plaga, semper in medium currit, ex quo sic maximè totum concutiendo implicet. Scissa protinus reficit ad polituram sarciens. Namque & lacertarum catulos venantur. Hos primum telâ inuoluentes, & tunc demum labra vtraque morsu apprehẽdentes, amphitheatrali spectaculo cum cõtingit. Sũt & ex eo auguria. Quippe incremento amnium futuro telas suas altiùs tollunt, ijdem sereno non texunt, nubilo texunt, ideoque multæ aranceæ imbrium signa dant.

CVLEX ET PVLEX.

Ex D. Augustino enarr. in Psalm. 148.

Descriptio LXXIII.

QVis disposuit membra pulicis & culicis, vt habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant morum suum. Vnam bestiolam breuem minutissimam considera quam volueris. Si consideres ordinem membrorum ipsius, & animationẽ vitæ, qua mouetur, pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat molestias, exerit sensus diuersos, viget in motu congruo sibi. Quis dedit aculeum culici quo sanguinem sugat? Quàm tenuis fistula est qua sorbet? Quis disposuit ista? quis fecit ista? expauescis, in minimis lauda magnum.

VERMIS INDICVS.

Ex D. Ambrosio Hexam. lib. 5. cap. 23.

Descriptio LXIV.

Vide Plin. li. 11. c. 23.

FErtur hic corniger vermis, conuerti primùm in speciem Erucæ, atque in eam mutari naturam, inde processu quodam fieri Bombylius: nec eam tamen formam, figuramque custodit, sed laxis & latioribus foliis videtur pennas assumere. Ex huius foliis mollia illa Seres depectunt vellera, quæ ad vsus sibi proprios diuites vẽdicârũt. Sed ego plenius in pictura ænigmatis, eius naturam sum persecutus.

BOMBYX IN AEnigmate.

Aristot. li. 5. de animal.

ANimal vobis in hac tabella depinximus (Principes illustrissimi, cæteriquè auditores ornatissimi) sine carne, sine sanguine, ossibus, venis, arterijs, neruis, intestinis, oculis, auribus, pilis, squammis, spinis, quid hoc monstri est? Nevos diu morer, Bombyx est, Bombyx, inquam, laboriosus opifex, & nendis regum vestibus natus. O naturæ audacis opus! quis nõ miretur? quis non obstupescat ex tenui semine primùm nasci vermiculum ἀνοητότατον tam minutum, vt penè oculorum fugiat aciem? hunc in Erucam paulatim grandescere, ex Eruca fieri Bombylium, diuinum planè artificem? quem vbi puro elegantique domicilio acceptum, & albæ morì frondibus saginatum, per genistarum scabritiem emiseris, postquam pabuli satietas est, vêre incipit, & ex suis visceribus productos florum tractus effundere, quibus sibi ouata figura domiciliũ constituit, quo nec Castor & Pollux, nec eorum soror Helena pretiosiore videntur excepti. Itaque nec Porphyrogenitis inuidet, nec ijs regum pusionibus, quos aiunt collucentes margaritis cunas habuisse, in hac sericea domuncula delitescit Bombylius, quasi puellus in vtero matris confixus, & artes meditatur admirandas. Absoluto demum lanificio, post 40. diem ex Bombyce subnascitur Papilio cornutus vermis, & quatuor alis pennatus, quem exesis carceris aurei quasi septis emicare cernimus in aere; ex hoc necydalo vermium progeneratur semen, quibus noua subinde animalculorum soboles affluit. Delineaui paucis (auditores) naturam vermiculi, de quo magna est inter viros doctos controuersia, fueritne sæculis antiquis nostris ignotus regionibus, an à Iustiniani temporibus, vt narrat Procopius, tantum Europæ cœperit bom-

bombycina veſtis innoteſcere. Hanc Alexander Neapolitanus probat ſententiam, quam & Alciatus nobilis Iuriſconſultus amplectitur, leuem, vt arbitror, ob cauſam: quod enim apud antiquos libram ſerici, auri penſatam libra legit apud Vopiſcum, noſtro autem ſæculo non ſit eadem pretij ratio, ſpecies putat eſſe diſparatas. Verùm quis non videt rerum earumdem pro temporum varietate æſtimationem longè aliam eſſe, vt nihil inde roboris capiat argumentum. Marſilius Cagnatus ad Aloyſium Iuriſconſultum obſeruat. lib. 4. cap. 11. quod ab iſtis libatum fuerat, tradit longè copioſius, & acriter defendere conatur, Vermem noſtrum antiquis inuiſum atque ignotum fuiſſe. Admouet autem nobis robuſtas, vt arbitratur, ex Plinio machinas. Nam ſi hic Bombyx, qui nunc promiſcuè notus eſt omnibus, apud veteres extat ſcriptores, vel certè Aſſyrius eſt, vel Cous, qui ambo deſcribuntur à Plinio lib. 11. cap. 22. & 23. Aſſyrius eſſe nullo modo poteſt; quid enim noſtro vermiculo cum nidis luteis, quos hic dicitur fingere tanta duritia, vt ſpiculis perforari vix poſſint? Quid quod & in ijs ceras largius quam apes facit? hoc à noſtro tam alienum eſt, quàm volatus à boue. Cous fortè erit? at enim naſci tradunt ex cupreſſi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decuſſum terræ halitu animante, fieri autem primò Papilionem paruum nudumque, mox frigorum impatientia villis inhorreſcere, pedū deinde aſperitate radere foliorum lanuginem in vellera. Quid habent iſta cum noſtro vermiculo commune? Hæc omnia pluribus Cagnatus proſequitur non ineruditè. Sed tamen quantum voluerint, reclament, non diſcedimus ab Iſidori & Bayſi caſtris, qui Bombycem noſtrum etiam expreſſum putant à Plinio, quanquam modico verborum temperamento hæc aſſertio videtur indigere. Qui putant alium eſſe ab antiquorum bombyce vermem noſtrum, non mediocriter errant. Qui à veteribus eundem planè deſcriptum atque enucleatum exiſtimant, in alium impingunt ſcopulum. Quomodo concilientur, quæris? mediam ſemitam arripe. Plinianus Bombyx noſter eſt, ſi de re quæritur: ſi de modo, alius eſt. Qua ratione id conijciam, attendite. Verba ſunt Plinij ipſiſſima. Vermium Aſſyriorum origo è grandiore vermiculo gemina protendente ſui generis conua; hi Erucæ ſunt. Fit deinde quod vocatur Bombylius, ex eo Necydalus, ex hoc in ſex menſibus Bombyx, telas araneorum modo texunt ad veſtem luxumque fœminarum. Turbat aliquid in ordine, nam primo eſt ἀκαρὴς, deinde Eruca, tertio bombyx, poſtremo Papilio ſiue Necydalus. Cætera planè conueniunt. Quin ex ſuis viſceribus inſtar araneæ telas diducere, non pedum carminatione vellera ſubigere hoc loco planè recognoſcit. Quid mirum autem ſi multa Plinium, Ariſtotelem, Diodorum, & cæteros in tanta rerum obſcuritate fugerint? Nam licet opera bombycina ab ipſis Auguſti temporibus fuerint celebrata, non tamen educati vermes in Græcia, ante Iuſtinianum, vſus eorumdem ſub Rogerio manauit in Siciliam, è Sicilia in Gallias ſub Carolo octauo, quod animaduertit Serræus in theatro Agriculturæ. Hæc mihi ad conciliandas doctorum virorum ſententias præmittenda viſa ſunt. Nunc ſingulas Ænigmatis partes relego tam claras, vt pene radio ſolis ſcriptæ videantur. Pro Bombyce puerum depinximus, quid mirum? Bombyx vulgo *ſel velzir* teſte Seruio nominatur. At hoc nomen & Hominem & Bombycem ſignificat, quin ex Seribus populis factos bombyces mularum filij putant. Alij autem hi pueri ſunt minuſculi, alij grandiores, alius dormit, alius volat, quid hoc rei eſt? Quatuor ſunt hic Seris metamorphoſes prius à me ſignificatæ. Tenelli & nudi puſiones ſunt ἀκαρὴς, minuſculi vermes, qui primum naſcuntur ex papilionis ſemine. Grandiores & villoſi ſunt Erucæ. Qui verò molliter quieſcit inter delicias, & riuulos aureos inſtar filorum depromit ex ore, bombyx eſt, ſerici, vt videtis, artifex. Qui pennatus tenet ſublime Papilio ſiue Necydalus, ex ouato emerſit domicilio. Rem tenetis, cauſas & effecta cognoſcite. Naſcuntur bombyces varijs modis, ex ſemine, ex arboribus, ex Tauro ſiue necydali ſemine: hoc ſiue benignus ſolis tepor, ſiue mulieres fotu, ſicut incubatu Gallinæ pullos, excludunt. Res nota eſt. Oriuntur præterea nonnunquam, ſed rariſſimè ex quercus, cupreſſi, & aliarum arborum foliis, quas hic depinximus. Ad ſummum, poſteriora ſæcula inuenere commentum, de quo profundum apud veteres ſilentium; ſi vermiculorum defecerit ſemen, iuuencum capiunt, includunt ſtabulo, per viginti dies macerant, omni cibo potuque ſemoto: tantùm mori folia

profluenter obijciunt, quibus saginatum mactant, ex corrupto deinde cadauere (res mira) progenerantur bombyces, qui sole in Tauro existente, & augescente luna commodius emittuntur ad pensa. Quamobrem & has notas delineauimus in apice tabulæ. Spectabilis hæc fœmina, quæ nentem vermiculum quasi suos amores contemplatur, & ex eo magnum sperare videtur emolumentum: Pamphila est, Coa mulier, nobilis & delicata, quæ prima telas bombycum reordiri, rursusque texere iauenit: non fraudanda gloria excogitatæ rationis. Aggerit autem flores, & odoramenta affundit suo vermiculo, quippe his omnibus delectatur. Contra arcet mures, & oleum semouet (quod hic per Palladem designauimus) hæc enim bombycibus sunt infesta. Quis præterea vir habitu regio pronus bombycem veneratur? magnus hic est Chamus, vt vulgo appellatur, Tartarorum: Tartari autem sunt Seres, apud quos hic vermis abunde nascitur: tanti hunc faciunt, vt ex bombycinio opere sua fermè simulacra, suos habeant Deos, vnde appositè pictor Serum principem ad Bombycis cunas prouolutum depinxit. Ridet hanc ceremoniam rusticus philosophus, Anacharsidis tegmine contentus, & sericatos omnes videtur his verbis compellare: O cæci mortales, quid agitis? parum est ex mari vestitum piscari, parum ex plumis auium, ex velleribus, ex florum depexa lanugine sectari, etiam ignobilium vermium viscera per studiosam luxuriam eradicis, vt aduentitio cultu fulgeatis, vestri desertores, animalium prædones, in hac vitæ scæna omnium actores flagitiorum, certè vos natura non recipit nisi nudos; Deus non nisi vilissimis pellibus texit, vt solent qui ad metalla damnantur. Vos vitæ dati, laboribus nati, metallo & fodinis mancipati, vestium delicias quæritis? Parum fuit his vestibus fœminas in publico nudari, nisi & viros effœminassent. Vicit Medicam gentem Alexander, victus est à Medica veste, tanti est hæc cicatrix peccati probrosa nuditas, vt auro & sericis sit obducenda. Quærite quaslibet vestes per terras & maria, vna tantum, vna est hominum vestis,

Aristot. lib. 5. c. 19. & Plinius.

Virtus, Dei color. Hæc ille, opinor, diceret, si vocem pictor fingere potuisset.

LEO.

Expressus è Græco Phile, Oppiani, &c.

Descriptio LXXV.

LEonem ad timorem animantium videtur produxisse natura. Cernis, vt flammeo colore rutilus accenditur? vt superbè graditur? vt vasta se corporis mole efferens, præ se despicit omnia? quantum est, & quàm vegetum in hoc pondere robur? quanta in robore alacritas, quantus in lubstrictis membris animosi spiritus dominatur vigor?

Caput illi amplum maiestatem feræ præ se fert: magni & lucentes oculi, inter villosa supercilia scintillant, colla & armos effusæ vestiunt iubæ, magna vis laterum spirat, maior pectoris firmitas protuberat, maximus sæuit oris terror: qui totus est immani dentium rictu septus. Quid genua loquar? quid tibiarum compagem? quid neruorum densitatem? quid vngues? ex quibus, vel solis, leonem possis agnoscere? quid incessum? quid saltum, quid cursus celeritatem? quid omnia? Et cum sit vbique magnus, quanto tamen se maior est, si quando venatorum senserit impetum? nulla tunc mora, exilit è spelunca, & primum truculenta rugit immanitate: ad huius rugitum pertimescunt, & aues cœlo volantes, & per syluas vagantes feræ, & immersæ maris vorticibus belluæ, ipsæ denique nemorum frondes, ipsi montium vestitus, ipsa saxa contremiscunt; hoc veluti signo dato accingit se ad pugnam, & primùm longam, immanem, villosam caudam explicans, terram plaudit: mox ilia percursans, eadem, veluti voluntario flagello identidem diuerberans, ad summum oculis eiaculatur fulgura, oris profundam voraginem aperit, dentes exerit, in hostes summa velocitate inuolat, hos cauda atterit, illos pedibus conculcat, aliorum trementes artus cruentis faucibus, fœdissima laceratione populatur.

ELI-

ELEPHANTVS

Ex C. Iulio, stylo historico.

Descriptio LXXVI.

ELephanti, iuxta sensum humanum intellectum habent, memoria pollent, syderum seruant disciplinam: luna itaque crescente, gregatim amnes petunt, mox aspersi liquore, solis exortum, motibus, quibus possunt, salutant: deinde in saltus reuertuntur; duo eorũ genera sunt, nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt; candore dentium intelligitur iuuenta: quorum alter semper in ministerio est, alteri parcitur, ne hebetatus assiduo repercussu minus vigeat, si fuerit aliquando dimicandum.

Cùm venatu premuntur, pariter affligunt vtrosq; , vt ebore damnato non requirantur; hanc enim sibi causam periculi præsentiunt, oberrant agminatim: natu maximus ducit agmen, ætate proximus cogit sequentes. Flumẽ transituri minimos ante mittũt, ne maiorum ingressus alueum atterant, & profundos depressis vadis gurgites faciant: Venerem ante annos decem fœminæ; ante quinque mares nesciunt; biennio coeunt, quinis, nec amplius in anno diebus; non prius ad gregarium numerum reuersi, quam viuis aquis abluantur. Propter fœminas nunquam dimicant, nulla enim nouerunt adulteria, inest illis clementiæ bonum, quippe si per deserta vagabũdum hominem viderint, ductus vsque ad notas vias præbent, vel si confertis pecoribus occurrerint, itinera sibi blanda, & tacita manu faciunt, ne quod obuium animal interimant. At conflictu fortuito si quando pugnatur, non mediocrem habent curam fauctorum, nã fessos, vulneratosque in medium receptant, cum captiuitate venerint in manus hominũ, mansuescunt sumpto hordei succo: maria transmeaturi, naues non prius subeunt, quàm de reditu illis sacramentum luatur. Indicos elephantos Mauri timent, & quasi paruitatis suæ conscij aspernantur ab ijs videri; non annis decem, vt vulgus, sed biennio, vt Aristoteles definit, vtero grauescunt, nec amplius, quàm semel gignunt, nec plures, quàm singulos: viuunt in annos trecentos, impatientissimi frigoris, truncos edunt, lapides hauriunt, gratissimas in cibatu palmas habent, odorem muris vel maximè fugiunt. Pabula etiam, quæ à musculis contracta sunt, recusant; si quis casu chamæleontem deuorauerit, vermem elephãtis veneficum, oleastro sumpto pesti suæ medetur: durissimum dorso tergus est, ventri mollius: setarum hirsutiæ nullæ.

TIGRIS

Ex Solino.

Descriptio LXXVII.

SEd magnis deinde spatijs intercedentibus, ostia Oxi fluminis Hyrcani habent, gens syluis aspera, copiosa immanibus feris, fœtaque tigribus: quod bestiarum genus insignes maculis notæ, & pernicitas, nobile reddiderunt: fuluo nitent, hoc fuluum, & nigrantibus segmentis internudatum, varietatem apprimè decet, pedum motum nescio pernicitas, an velocitas magis adiuuet, nihil tam longum est, quod non breui pererrent; nihil adeò antecedit, quod non ilicò assequantur. At maximè potentia earum probatur, cùm maternis curis incitantur: cùm catulorum insistunt raptoribus, succedant sibi equites, licet, & albu quantolibet amoliri prædam velint, nisi in præsidio maria fuerint, frusta est ausum omne. Notantur frequentissimè, si quando latrones suos asportantes catulos, renauigantes vident, in littore irrita rabie se date præcipites, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina. Pernicitas est celeritatis, velocitas patientissimæ fortitudinis.

PANTHERA.

Ex eodem Solino.

Descriptio LXXVIII.

PAntheræ quoque numerosæ sunt in Hyrcania; minutis orbiculis superpictæ, ita

vt oculatis ex fuluo circulis, vel cærulea, vel alba distinguatur tergi supellex. Tradunt, odore earum, & contemplatione armenta mirè affici, atque vbi eas persentiscant, properato conuenire, nec terreri, nisi sola oris toruitate. quam ob causam Pantheræ, abscondito capitibus, quæ reliqua sunt spectanda præbent, vt pecuarios greges stupidos, in obtutu populentur secura vastatione. Sed Hyrcani, vt hominibus intentatum nihil est, frequentiùs eas veneno, quam ferro necant. Aconito carnes illinunt; atque ita per compita spargunt semitarum; quæ vbi esæ sunt, fauces earum angina statim obsidentur, ideò gramen παρδαλιαγχὲς illi appellauerunt, sed pantheræ aduersus hoc virus excrementa humana deuorant, & suopte ingenio pesti resistũt. Lenta illis viuacitas, adeò vt electis interaneis mortem diu differant.

CHAMÆLEON.

Ex eodem Solino.

Descriptio LXXIX.

PEr omnem Asiam Chamæleon plurimus, animal quadrupes, facie quà lacertæ, nisi crura recta, & longiora ventri iungerentur, prolixa cauda, & eadem ad vertiginem torta, hamati vngues, subtili aduncitate, incessus piger, & ferè idem, qui testudinum motus: corpus asperum, cutem, qualem in crocodilis deprehẽdimus, subducti oculi, & recessu concauo introrsum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus eius æternus, ac sine vllius vsus ministerio, quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio, quã hausto aëris viuat: color varius, & in momento mutabilis: ita vt, cuicumque rei se coniunxerit, concolor ei fiat: colores duo sunt, quos fingere non valet, ruber & candidus, cæteros facilè mentitur. Corpus penè sine carne, vitalia sine liene, nec nisi in corculo pauxillum sanguinis est. Latet hyeme, producitur vere: Impetibilis est coraci, à quo cùm interfectus est, victorem suum perimit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo comederit, illicò moritur.

Idem, ex Tertull. lib. de Pallio.

ESt & quadrupes tardigrada, agrestis, & humilis, aspera. Testudinem Pacuuianam putas? non est; capit & alia bestiola versiculum de mediocribus oppidò, sed nomen grande: Chamæleontem qui audietis, haud ante gnarus, iam timebis aliquid amplius cũ leone. At cum ostenderis apud vineam fermè sub pampino totum; ridebis illicò audaciam, & Græciam nominis: quippe nec succus est corpori, qui munitioribus multò licet. Chamæleon pellicula viuit, capitulum statim à dorso: nam deficit ceruix. Itaque durum reflecti, sed circumspectu emessitij ocelli, imò luminis puncta vertiginant. Hebes, fessus vir se à terra suspendit: molitur incessum stupẽs, & promouet, gradum magis demonstrat, quam explicat, iciunus scilicet semper, & indefectus: oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus: Tamen & chamæleon mutare totus, nec aliud valet. Nam cum illi coloris proprietas vna sit, quod accessit inde suffũditur. Hoc soli chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere.

CAMELVS.

Expressus ex Oppiano.

Descriptio LXXX.

PRæclarum, mite, domesticum est Camelorum genus hominibus ad circumuehenda onera perquam familiare. Corpus illi supra cæterorum animantium speciem procerum, & punctis interstincto tergore maculosum, caput cæteroqui amplum paulatim ad verticem gracilescit, ex eo geminæ cornuum species emergunt, suprà verò tempora secundum autes, duo molliter consurgunt apices, in ore lacteus prominet numerosa serie dentium nitor, oculi iucundissima luminis face scintillant: terga lata, & insigni colliculo protuberantia, crurum non æqualis mensura, posterici enim pedes anterioribus minores, ex quo nonnihil claudicare viderur. Cauda talis est, qualis ceruis, aut damis esse solet, summis à ter-

Oppian. de venat. lib. 3.

à tergo nigrantibus villis hirsuta. Ad summum tali est ingenio, vt onera quam maxima dorso ferat, & longam viam continuò cursu deuoret, quod si quando consistat, non vult flagris, & verberibus adigi, sed suaui modulatione demulceri: hac itineris labores mitigat, & veluti nouis animis, ac viribus reuirescit.

APER.

Philostratus in venat. Suum.

Descriptio LXXXI.

Καὶ ὁρῶ τὰ ἔργα τοῦ θηρίου. καὶ τὰς ἐλαίας ἐξορώρυκε, τὰς ἀμπέλους ἐκτέτμηκε· καὶ οὐδὲ συκῆν καταλέλοιπεν οὐδὲ μῆλον, οὐδὲ μηλάνθην. πάντα δὲ ἐξήρηκεν ἐκ τῆς γῆς, τὰ μὲν ἀνορύπτων, τοῖς δὲ ἐμπίπτων, τοῖς δὲ παρακνώμενος. ὁρῶ δὲ αὐτὸν, καὶ τὴν χαίτην φρίττοντα, καὶ πῦρ ἐμβλέποντα, καὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ κατάγουσιν ἐφ' ἡμᾶς ὦ γενναῖοι.

FEræ opera intueor: nam oleas effodit, vites abscidit, & neque ficum, neq; malum, neque malifloram reliquit: sed cuncta radicitus euellit: hæc quidem effodiens, in hæc verò incidens, alia vero atterens. Video autem ipsum, & setis hortentem, atque igneis rubentem oculis, & ipsius in vos strident dentes, ô generosi.

CERVVS.

Ex Græco Oppiani.

Descriptio LXXXII.

CEruus est procera corporis statura, præcellenti forma, lata facie, magnis, & insignibus oculis, tergore varijs maculis interstincto: huic obæsa pectora, & ingentes armi decorè protuberant, crura ad pernicitatem cursus aptissima molliter gracilescunt, nares patulis foraminibus, veluti quatuor siphonibus concisæ ingentem spiritum hauriunt, & identidem crebris flatibus emittunt. Ceruix minuta, atque elegans protenditur: sed præcipuum in cornibus miraculum: nemus diceres densis, præaltisq; arboribus consitum, & longis ramorum flexibus intertextum. Hoc illi natura præsidium aduersus venatores dedit, quo si semel obuios perculerit, lethaliter vulnerat. Sed in hac membrorum specie, & decori corporis quadam maiestate, desidet imbellis animus, qui non ita sæpe lacessit Martem, adeò omnem salutis, & vitæ spem collocat in fuga; currit enim quam velocissimè, Parthicam sagittam crederes, aut fulgur, tam pernici, tam violento concitatur impetu.

MARTICHORA.

Expressa è Phile, Aeliano, & alijs.

Descriptio LXXXIII.

FVnestum Indorum portentum est Martichora, qua nihil ad robur potentius, nihil ad speciem terribilius, nihil ad strages, ruinasque omnes funestius: corpore est instar leonis valentissimi, cute sanguinea, villis, setisque perhispida, in ferocibus membris (mirum) humani capitis species assurgit, in quo & terribiles oculorum faces emicant, & ad horrorem mortalium composita densissi-

fissimis pilis, veluti fruticantur supercilia. Aures nec omninò breues, nec adeò longæ, partim hispidæ, partim etiam ad ligulas glabræ subrigent. Os omninò terna dentium pectinatim coeuntium serie, seu triplici vallo munitum, in speciem magnæ voraginis expanditur: sed præcipuum in cauda prodigium, magnitudine quippe non minor cubitali, asperis vndique spinis riget, veluti scorpionis aculeis spiculata, tantum & tam atrox telum fera bellua flectit in omnes partes, celeritate permagna. Nunc enim à tergo eductum protendit ad caput, nunc in terga reijcit, nunc in dextram, nunc in sinistram vibrat, simulq; emissas, quasi ex pharetra sagittas, ad iugeri spatium terribili fremitu iaculatur, &, si succensa rabies ardentiùs fuerit, vngues ipsos reuulsos de pedibus, in venatores intorquebit. Quid, quod voce est tam canora, vt imitetur fistularum modulos, tubarumque concentū? Quid, quod ea crudelitate est, vt humanis carnibus insaturabiliter expleatur? Quid, quod saltu sic potest, vt morari eam, nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima.

MONOCEROS.

Expressus è Plinio, Æliano, & alijs.

Descriptio LXXXIV.

MOnoceros animal est Indicum, ferox, horribile, truculentum, non vnam feram diceres, sed portentum ex multis belluis in vnum coeuntibus, ad terrorem humani generis fuisse conflatum. Corpore est instar equi, non modò procero, sed valenti: capite ceruo; pedibus elephanto; cauda apro, rictu leænæ similis.

Eminet in media fronte nigrum cornu duorum ferme cubitorum, quo nihil asperius natura molita est; neque enim vt cætera cornua, aut concinnitatem habet vllam, aut leuitatem, neque pari vndiq; leuore riget æquabiliter diffusum, sed ferri lima mordacius, multiplicibus in orbem gyris conuoluitur: hoc insolenter profusam capitis iubam quatiens, quasi strictum mucronem, longum, minacem, noxium, protēdit: currit autem quàm velocissimè, & magno sonitu, fremituque fertur, inaccessas montium solitudines, & densissimos saltus peragrans, quod si, aut lasciuia seminis, aut iracundia (vt solet) in suum genus exardescat, furit insaturabiliter, fodicat, vellit, infringit, laniat, quacunque rapitur, huc furorem, huc insaniam, huc strages & funera ruere crederes: at si fortè eximia virgo processerit obuiam, continuò furiales animalis iræ deferuescunt, mitescit animus, rectâ ad virginem pergit, demittit sese, blanditur, in eius denique sinu molliter conquiescit.

DRACO INDICVS.

Expressus ex Philostrato.

Descriptio LXXXV.

Εἰσὶ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὅμοιοι τοῖς μεγίστοις συσὶν, λεπτότεροι δὲ, καὶ διάτροφοι, καὶ τὴν ἀχμὴν ἄπειροι, καθάπερ οἱ τῶν μεγάλων ἰχούων, οἱ δὲ ὄρειοι δράκοντες τὴν μὲν φολίδα, χρυσοῖ φαίνονται, τὸ δὲ μῆκος, ὑπὲρ τοὺς πεδινούς. γένεια δὲ αὐτοῖς βοστρυχώδη, χρυσᾶ, καὶ κεῖνα, καὶ κατοφρυῶντα μᾶλλον, ἢ οἱ πεδινοί. ὄμμα τε ὑποκάθηται τῇ ὀφρύϊ δεινόν, καὶ ἀναιδῶς δεδορκός· ὑποχάλκου τε ἠχὼ φέρεσιν, ἐπεὶ δὴ τῇ γῇ ὑποκυμαίνουσιν. ἀπὸ δὲ λόφων πυρσῶν ὄντων, πῦρ αὐτοῖς ἄττει, καὶ μαλιστα δὴ τοὺς ἐλέφαντας μάρψασιν.

SVnt autem ingētibus porcis similes, membris, sed corpore graciles, & in quamcunque partem versatiles; rostro autem validissimo, tanquam ingentes pisces. Montani verò Dracones squamas habent coloris fului, longitudine autem excedūt campestres, barbaq; illis setosa, & ipsa coloris aurei, supercilia profundiora habent, quàm campestres. Oculi supercilijs subsunt, toruè, grauiterq; aspicientes: quibus perinde, ac si essent ænei, resonant, quando in terra serpunt; è cristis verò, quæ rubræ sunt, ignis scintillare videtur, & isti quoque elephantos capiunt.

CA-

CANIS.

Expressus ex sensibus Oppiani de ven. lib 1. v. 401.

Μηκεδανὸν χραιπνὸν δέμας.

Descriptio LXXXVI.

CAnis si absolutum modò videre desideras, talis est Corpus illi procerum, & validum, caput amplum, læue, benè oculatum, lumina miti fulgore cærulea in oculis ardescunt: os oblongum, & pulchra dentium pectinatim cocuntium serie benè serratum; aures modicæ delicata obducuntur cute; ceruix protensa, robusta pectora, ampli latíque armi, obliquæ costarum series, craticulatimque distinctæ, lumbi modica carne sufferti, nec præpingues sunt, nec macilenti, cruruum rectæ, & mollibus internodijs prolixæ tibię. Anteriores pedes posticis breuiores, cauda gracilis, & promissa ad talos vsque desinit.

Item, ex eodem loco.

Ζαγερὲς παφύησιν ἐοικότες.

ALius procerior in speciem collis assurgit facie quidem depressa, simis naribus, horribilibus intercilijs, quæ cæsius oculorum fulgor violentus irradiat, tota facies hispida veluti senticetis fruticatur, lati porriguntur humeri, corpus valentissimũ ad vim inferendam promptius, quam ad currendum, sunt enim eius vires firmæ, acer impetus, terribilis ferocia, atq; animus infesta rabiè semper armatus.

PRÆLIVM INTER CANEM, Leonem, & Elephantum.

Ex Plinio.

Descriptio LXXXVII.

INdiam petenti Alexandro Magno Rex Albaniæ alterum mittens canem, addidit mandata, ne in paruis experiri vellet, sed in Leone Elephantóue: duos sibi fuisse, hoc interempto, præterea nullum fore. Nec distulit Alexander, Leonemque fractum protinus vidit. Postea Elephantum iussit induci, haud alio magis spectaculo lætatus. Horrentibus quippe totum corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit; mox ingruit assultans, contraque belluam exurgens, hinc & illinc artifici dimicatione, qua maximè opus esset, infestans atq; euitans, donec assidua rotarum vertigine afflixit, ad casum eius tellure concussa.

TAVRVS.

Ex Plinio.

Descriptio LXXXVIII.

TAuris in aspectu generositas, torua fronte, auribus setosis, cornibus in procinctu dimicationem poscentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus stat, ira gliscente, alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animaliũ eo stimulo ardescens. Vidimus de imperio dimicantes, & ideò demonstratos rotari, cornibus cadentes excipi, iterumque resurgere, modò iacentes ex humo tolli, bigarũque etiam cursu citato velut aurigas insistere.

EQVVS.

Ex Synesio.

Descriptio LXXXIX.

Ἐπεμψά σοι δῶρον ἵππων ἀκροφυέσατον εἰς ἅπασαν ἀρετὴν ἵππῳ προσηκόντων, ᾧ

EQuum tibi dono misi ad omnem virtutem, quæ quidem in equo cernitur, habilissimum

χρήσῃ μὲν ἁμίλλαις δρόμων, χρήσῃ δὲ ὅταν ἐπὶ θήραν ἐξάγῃς, καὶ ἐν ἀγῶσι πολεμικοῖς, καὶ ὅσαν κατάγῃς ἐπὶ τῷ λιβυκῷ τροπαίῳ πομπὴν ἐπινίκιον. οὐ γὰρ οἶδα ὅτι μᾶλλον ἐστὶ κυνηγέτης, ἢ κέλης ἐναγώνιος, ἢ πομπεύς, ἢ πολεμιστήριος. εἰ καὶ νισαίων ἵππων ἰδεῖν ἐστὶν ἀειδέστερος ὀχθώδης τε ὢν τὸ κρανίον, καὶ λειπόσαρκος τὴν ἀσφῦν, τάχα μὲν οὐ τοῖς ἵπποις ὥσπερ οὐ τοῖς ἀνθρώποις ἅμα πάντα δίδωσιν ὁ θεὸς: μήποτε δὲ σοῦτο, καὶ πρὸς ἐκείνας αὐῷ τὰς ἀρετὰς συντελεῖ, εἰ τὰ μαλακὰ τῶν σκληρῶν ἐλάττω παρὰ τῆς φύσεως ἐκληρώσατο· πρὸς μέν τοι τοὺς πόνους ὀστέα σαρκῶν οἶδα διαρκέστερα. οἱ μὲν οὖν παρ' ὑμῖν ἵπποι ταῖς σαρξὶ πλείους εἰσιν. οἱ δὲ ἡμέτεροι τοῖς ὀστέοις.

natura, & expeditissimum: quo vtèris in curriculorum certaminibus: vtêris etiam in venando, prælijsque militaribus, & cum de Lybicis triumphum egeris; etenim non possum satis constituere, magisne sit venator, an celes ludorum, an verò triumphator, an bellator, quod si Nissensibus equis aspectu deformior est, cranio verrucoso, lumboque obeso, cogitabis, quemadmodum, neque hominibus, sic nec equis omnia coniunctim à Deo dari: ad eas autem virtutes hoc ei nihil confert, si mollia duris pauciora à natura sortitus est, ad labores verò certum est ossa carnibus plus habere momenti, vestri sunt igitur carnibus pleniores, nostri, ossibus.

Nota.

Equus Celes.

Commendat equum ab vsu & vtilitate, nonnihil in eius maciem iocatus κέλης. *Equus Celes* ἵππος ὁ μονάμπυξ καὶ δρομικός. ὁ νῦν σελλάριος λεγόμενος, *quem Orion* ἀπὸ τοῦ κέλλειν, *vult dictum, quod est* πρέχειν καὶ βαδίζειν. *Equus est singularis, & cursor, qui nunc sellarius, à currendo, sic appellatus. Hoc qui vtebantur in ludis, dicebantur* κελετήζειν, *& Celetes quoque ijdem nominati.*

Equi Nisæi.

Nissensibus equis. *Mallem Nisæis: Nisæi equi Perses commendatissimi, vnde & Solis victima Nisæus equus.* λευκὸν ἵππον τῶν σφόδρα. Νισαίων *dixit Philostratus in vita Apollonij lib. 1. c. 20.*

Οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις ἅμα πάντα. *Hoc secundùm illud Homeri.* ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.

Item.

PRimum pectus, & crura sphæris carneis decenter ornantur, costæ in quandam latitudinem porriguntur, aluus in breuitate constringitur, caput ceruinam reddit effigiem, imitatur velocitatem, cuius videtur habere similitudinem. Hic est sub pinguedine nimia mansuetus, magna mole celerrimus, affectu iucundus, vsu gratus. Incedit molliter, sessores suos insanis festinationibus non fatigat, quiescitur in ipso, potius quam laboratur, & compositus delectabili moderatione, agilitate nouit continua perdurare. Cassiodorus var. 4. 1.

Item ex Philostrato.

ΤΟ δὲ μειράκιον, ὀχεῖται μὲν ἐφ' ἵππου λευκοῦ, μέλαινα δὲ ὡς ὁρᾷς ἡ κεφαλὴ τῷ ἵππῳ, καὶ λευκὸν ἀποτετόρνευται κύκλον ἐπὶ τοῦ μετώπου, κατ' αὐτὸ τῆς σελήνης τὸ πρῆρες, καὶ φάλαρα ἔχει χρυσᾶ, καὶ χαλινὸν κόκκου μηδικοῦ. τουτὶ γὰρ τὸ χρῶμα προσαστράπτει τῷ χρυσῷ, καθάπερ οἱ πυρώδεις λίθοι. στολὴ τῷ μειρακίῳ, χλαμὺς ἐχουσά τι ἀνέμου, καὶ

CÆterùm adolescentulus equo quidem vehitur niueo, nigrum verò, vt vides, est equo caput: candidusque fronti impressus est orbis, Lunæ plenitudinem referens. Habet & aureas phaleras, & cocci Medici frænum. Hic enim color aurum illustrat, vt ardentes lapilli. Indumentum adolescentulo est chlamys, venti aliquid, ac sinus habens. Color quidem ex Phœnicea purpura, quam lau-

κόλπου· τὸ μὲν χρῶμα, ἐκ φοινικῆς ἁλουργίας, ἣν ἐπαινοῦσι Φοίνικες. ἀγαπάσθω δὲ τῶν ἁλουργῶν μάλιστα. δοκοῦν γὰρ σκυθρωπάζειν, ἕλκει τινὰ παρὰ τοῦ Ἡλίου ὥραν, καὶ τῷ τῆς Ἴδης ἄνθει ῥαίνεται.

laudant Phœnices: Purpurarum autem maximè diligatur; cùm enim obscurari videatur, pulchritudinem quandam à sole trahit, & Ides herbæ flore inspergitur.

Nota.

Purpura triplex.

Ex Φοινικῆς ἁλουργίας. *Hic obseruatione dignum est, apud antiquos triplicem fuisse purpuram.* ἁλουργίδα, Φοινικίδα, Ερμιονικὴν. ἁλουργὶς *est cærulei coloris, quæ violacea purpura à Cornelio Nepote, à D. Hieronymo ad Nepotianum purpura viola dicitur: ad quam allusit Horat. epist. ad Augustum.*

Luna Tarentino violas imitata veneno.

Altera est Φοινικῆς *quæ, vt ait Gellius, extuberantiam splendorem que ruboru habet: quia vna potuit altera esse vegetior. Tertia est Hermionica alba, cuius meminit Plutarch. in Alexandro, Lucianus in Pseudomante: & Frossardus Regem Lusitaniæ alba purpura vestitum inducit.*

Ide quid.

Ἴδης ἄνθει. *Idem hic interpres herbam exponit; verùm quis istius ita meminit? Non me fugit, Plinium obiter Idæam herbam memorasse c. 11. lib. 27. sed nihil de eius purpura. Malim cum Hesychio formam & pulchritudinem interpretari, vt in Palæstra,* φοινίττει τὴν κόριν μετρία τῇ Ἴδῃ.

Vide alias descriptiones, & cum ista compone Theagenem Heliodori.

LEPVS.

Ex Aeliani lib. 13. de animalibus Cap 14.

Σκιρτᾷ τὰ πρῶτα ἀπὸ τῆς γῆς ὁ λαγὼς, & cætera.

Descriptio XC.

PRimum ex terra exiliens saltu fertur Lepus, & per dumeta, aliáue densiora virgulta, & rigua loca expeditus perlabitur: tum verò sicubi herbæ sint altæ, & frequentes, ex ijs facilè sese explicat, atque elabitur: ac quemadmodum leonibus caudæ ad excitandas vires magno adiumento esse dicuntur, si huic aures roboris quasi vexilla, & cursus ei incitamenta existunt: fugiens eos ad tergum retorquet, sicque ipsis tanquam stimulis torporem & ignauiam, ne à currendo retardetur, concitat: iam porro cursum, nec vnum, nec rectà tenet, sed & huc & illuc se versat: & verò de recto flexu decurrit, vt perturbet ac decipiat canes: ad id quidem diuerticulum, quò vult iter conuertere, de auribus alterutram intorquet, eaque quasi moderatrice cursum dirigit: neque verò improuidè vno eodemque tempore omnes suarum virium neruulos prodigit; sed impetum insequentis obseruat; qui si ad insequendum tardus est, & segnis, non omnem suam celeritatem profundit, sed duntaxat canes antegredi maturans, sese integrum seruat, & viribus suis moderatur, ne suam omnem currendi facultatem vrgens, ex incitato cursu viribus deficiat: penitus enim cognoscit se ad cursum longè multumque antecellere, & videt impensiùs laborare non esse necesse. Quòd si pedum celeritate canis ad conficiendum iter pollet, tum omnibus reuocatis viribus Lepus quanto maximè potest cursu fertur.

Cùm autem longè multumque canem anteuertit, & longo sanè interuallo venatores, atque equos reliquerit, tum in aliquem tumulum ascendit, & in posteriores pedes sese erigens, tanquam ex aliqua specula, & insectantium, quantum equidem existimo, eos, vt debiliores ridet. Et ita hoc veluti lucro confidentior, etiam quietem tranquillitatemque adeptus, ex lassitudine, gratè & libenter dormit.

VVLPES PISCANS.

Expressa ex Olao.

Descriptio XCI.

OMnes in vnam vulpem fraudes natura videtur congessisse. Nihil tam varium, solers, subdolum, versatile, fraudulentum: vna est in pelagis septentrionalibus, vt in cæteris, sic in piscando, ingenio prorsus admirabili. Obambulat igitur in ripa fluminis, & si quando pisciculorum, maximè verò cancrorum subijt desiderium, caudam villis, setisque obsitam molliter demittit in flumen; hanc summis aquis instar retis innatantem, cancri prædam, credo opportunam, rati, mordicus appetunt, sed illa summa celeritate caudam retrahit, & inhærentem cancrum ictu affligit ad terram, mox læta pabulatur.

BOS VNICORNIS.

Ex Cæsaris lib. 6. de bello Gallico.

Descriptio XCII.

EST bos cerui figura, cuius à media fronte inter aures vnum cornu existit excelsius, magisque directum his, quæ nobis nota sunt cornibus: ab eius summo sicut palmæ ramique latè diffunduntur. Eadem est fœminæ marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

ALCES, IBIDEM.

Descriptio XCIII.

SVnt quæ appellantur Alces. Harum est consimilis capris figura, & varietas pellium: sed magnitudine paulò antecedunt, mutilæq; sunt cornibus: & crura sine nodis articulisq; habent: neque quietis causa procũbunt; neque si afflictę casu conciderunt, erigere sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus; ad eas se applicant, atque ita paulum modò acclinatæ quietem capiunt, quarum ex vestigijs cum est animaduersum à venatoribus, quò se recipere consueuerunt, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut abscindunt arbores, tantum vt summa species earum stantium relinquatur. Huc cum se consuetudine acclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atque vnà ipsæ concidunt.

VRI, IBIDEM.

Descriptio LXXXXIV.

VRI sunt magnitudine paulò infrà elephantos, specie & colore & figura tauri: magna vis est eorum, & magna velocitas: neque homini, neque feræ, quam conspexerunt, parcunt; hos studiosè foueis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent, & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, & mansuefieri, ne paruuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornuum & figura, & species, multum à nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiosè conquisita, ab labris argento circuncludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis vtuntur.

PISCES.

CETVS.

Maffæus, Stylo historico.

Descriptio XCV.

PER eosdem ferè menses nouum, & multiplex aliud in mari miraculum extitit. Classis nauium nouem Duce Georgio Britto, dum ex Lusitania Indiam petit, rostrata celsio, Rhoterici Vasæi Pereriæ, in medio cursu repente veluti fræno equus adducto, ita substitit, magno cum æquæ sonitu, ac motu, qualis, vbi in vada, & syrtes incurritur, edi consueuit: eo ipso terrore perculsi nautæ, demissa vtrinque bolide, profundum sine dubio mare comperiunt. Cum inflatis ven-

vento velis hæreret nauigium, nihilominus, despiciendi causa, quod esset nox, admotis ad marginem luminibus, implexam alueo ingentem belluam vident: carinæ centum & quinque dodrantium longitudine applicuerat corpus, cauda gubernaculum illigarat; alis immanibus latera ad summum vsque cingebat, quas iam in alas per imprudentiam nonnulli manus iniecerant. Ad spectaculum adeo tetrum, ingenti videlicet horrore nautæ, militesque perfusi; vt verò dolij magnitudine vasto hiatu nouissimè caput extulit, metu exanimati penè omnes, infernum profecto monstrum diuinitus immissum credere, ad viua tot noxiorum corpora glutienda.

Pauci, quibus in tanto discrimine mens, animusque constiterat, consultandi gratia in vnam partem secedunt. Erant, qui contis & iaculis, balistisque depellendum suaderent cetum: alij contra nil magis tali tempore vitandum aiebant, ne tantæ molis animal vulneribus irritatum, concussu ipso, & agitatione violenta nauem everteret: in summa inopia consilij, cum nihil explicaretur, & maior in singula momenta terror instaret, supplicter, ac demisse pacem, & veniam Dei, & cœlestium exposcere, atque ad vota, precesque confugere placitum est. Neque ea irrita fuere. Sacerdos cum linteo, & stola, & signo crucis, in medium prodijt. Ab eo sacris carminibus, & exorcismis delinita bellua (mirum dictu) nulla cuiusquam noxa, relicto nauigio, cum è portentosis narium fistulis ingentem reflasset aquæ vim, sese admodum placido lapsu in mare demisit.

BALENA Tinemuthana.

Expressa ex Olao magno.

Descriptio XCVI.

BElluam molis ingentis in arenam Tinemuthanam æstus proiecit, quam dum ego describo, fabulam te audire putes, rem tamen veram narro.

Balena est longitudinis vlnarum triginta, vel si mauis, nonaginta pedum, latera quasi magnæ vrbis propugnacula triginta costarum ordines obuallant, quarum vnaquæque ad viginti fermè pedes excurrit; sesquipedali pariter ambitu collecta. Duas circumquaque pinnas arrigit, quindecim pedum, tantæ immanitatis, vt vna decem bubus deportanda satis esse possit. Tres illi ventres hiant, imo vasti specus, & voragines, in quibus edendi inexplebilis cupiditas, & æterna penè fames regnat, cauda bifurcata, & serrata in latitudinem septem vlnarum diffusa panditur.

Monstrosa omnia, sed nihil capite monstrosius, diceres in eo tanquam in arce immanis belluæ diritatem consedisse. Eius longitudo vsque ad rictum septem vlnarum: eadem mensura linguæ fuit: oculorum interualla quindecim cubitos collegerunt. Oculi soli, & nares tanto corpori valde impares, & quales bubus esse solent, rictus instar inferni barathri, sex vlnarum longitudine, ad clades animantium multiplices, & mundi funera panditur, maiore aliquanto spatio, maxillæ horribiles excurrunt, quæ ingentium arborum moles adæquant. Non vnum pisci guttur, sed triginta varijs quasi cuniculis, & meatibus cõcisa, quorum quinque prægrandia ad voracitatem simul, & terrorem, composita. Dentium vicem habent laminæ corneæ, etiam pilis, quod mireris, obsitæ, quibus ferale palatum riget, veluti plumbo, ferroq; cataphractum: ad summum duæ in capite cataractæ, quibus immensos aquarum vortices eiectat. Tetra omnino bellua, qua nihil immanius vnquam, aut visum est, aut creditum: ea cum mortua in littus appulisset, magna ex parte discerpta, centum fermè ingentia plaustra suis reliquijs impleuit.

Addenda hic Balanarum & Orcarum pugna, ex Plinio l. 9. c. 6.

BALENARVM ET ORCArum pugnæ.

Ex Plinij lib. 9. cap. 5.

Descriptio XCVII.

HOc scire Orcas, infestam his belluam, & cuius imago nulla repræsentatione exprimi possit, alia quàm carnis immensæ dentibus

bus truculentæ. Irrumpunt ergo in secreta, ac vitulos earum, & fœtas, vel etiamnum grauidas lacerant morsu, incursuque ceu Liburnicarum rostris fodiunt. Illæ ad flexum immobiles, ad repugnandum inertes, & pondere suo oneratæ, tunc quidem & vtero graues, pariendiue pœnis inualidæ solum auxilium nouere in altum profugere, & si toto defendere Oceano. Contra, orcæ occurrere laborant, seseque opponere, & cautium angustijs trucidare, in vada vrgere, saxis illidere. Spectantur ea prælia ceu mari ipso sibi irato, nullis in sinu ventis, fluctibus verò ad anhelitus ictusque quantos nulli turbines voluant.

DELPHIN, ET PVER.

Ex Plinio iuniore.

Descriptio XCVII.

EST in Africa Hipponensis colonia, mari proxima, adiacet ei nauigabile stagnum, ex quo in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit, aut impulit, nunc fertur in mari, nunc redditur stagno.

Omnis hic ætas piscandi, nauigandique, atque etiam natandi desiderio tenetur: maxime puerorum, quos otium, ludusque sollicitat. His gloria, & virtus atissime prouehi, victor ille, qui longissimè vt littus, ita simul nautas reliquit. Hoc certamine puer quidam audentior cæteris, in vlteriora tendebat: Delphinus occurrit, & nunc præcedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre, primum in altum: mox flectit ad littus, redditque terræ, & æqualibus serpit per coloniam fama, concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare: postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile. Natant pueri, inter hos ille, sed cautius.

Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. Fugit ille cum cæteris. Delphinus, quasi inuitet, reuocet, exilit, mergitur, varioque orbes implicat, expeditque. Hoc, altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor; accedunt, & alludunt, & appellant, tangunt etiam & attrectant præbentem. Crescit audacia experimento: maximè puer, qui primus expertus est, adnatat, natanti insilit tergo: fertur, referturque, agnoscit se, amari putat, amat ipse, neuter timet, neuter timetur, huius fiducia, mansuetudo illius augetur, nec non alij pueri dextra, læuaque simul eunt honorantes, ac monentes.

Ibat vna, id quoque mirum, Delphinus alius, tantum spectator, & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, vt puerum cæteri pueri. Incredibile (tam verum tamen, quam priora) Delphinum gestatorem, colluforemque puerorum, in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat, Octauium Auitum legatum proconsulis, in littus educto, religione praua superfudisse vnguentum, cuius illum nouitatem, odoremque refugisse: nec ipsi post multos dies visum languidum, & mœstum; mox redditis viribus priorem lasciuiam, & solita ministeria repetijsse. Confluebant ad spectaculum omnes magistratus, quorum aduentu, & mora modica, respubl. nouis sumptibus atterebatur, postremo locus ipse quietem suam, secretum perdebat. Placuit occulte interfici, ad quod coibatur. Hæc tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? quamquam non est opus affingas aliquid, astruas, sufficit, ne ea quæ sunt vera, minuantur.

Vide in eodem argumento luculentam Æliani descriptionem, lib. 6. de animalibus, capite sexto.

Sic igitur incipit,

Ἔρωτα Δελφῖνος ἐν Ἰάσῳ, id est:

CElebet ille iam olim Delphini in Iaso amor, quo formosum adolescentem persequutus est, non est mihi silentio prætereundus. Iassensium igitur gymnasium mari imminet: illic ephœbi post cursus, & palæstras mare ingressi, recepto antiquitus more, lauabant: & cum aliquando natationi indulgerent, vnum ex illis formâ præstantem Delphi-

Delphinus quidem acerrimè amare occœpit; ad quem cùm adnasset, initio non ei mediocrem metum iecusſit, ſed aucta paulatim familiaritate, ita puerum ſibi conciliauit, vt planè amicum, & beneuolum haberet.

Itaque luſitare inter ſe cœperunt, & natando inuicem certare. Aliquando puer inſidens illi, ſeu ſeſſor equo, ſuperbus vehebatur, atque hoc ſpectaculum tum Iaſſenſes, tum peregrini admirabantur. Pergebat enim ſuos amores vehens Delphinus, & in mare tantũ procedebat, quantum libebat puero. Deinde reuertebatur, & propè littus eum reſtituebat: vbi inuicem digreſſi, hic domum ſuam, ille in pelagus rediebat: ſolebat autem apparere Delphinus eo ipſo tempore, quo dimittebatur gymnaſium, eo, quem expectauerat viſo, puer gaudebat, ſeque & colludendo belluæ maris, & ſuæ pulchritudinis formæ iucundum præbebat ſpectaculum: vt qui non hominibus modò, ſed etiam feris formoſus videretur. Sed neſcio, quæ inuidia redamantem illum non multo poſt tempore ſuſtulit, nimium enim exercitatus, & feſſus aliquando puer, cum toto ventre in vectorem ſuum Delphinum temere ſe iniecit: non animaduertẽs aculeatam ſpinam dorſi erectam eſſe, atque horrentem: cuius acuminibus eius vmbilicus, quia exulceratus eſſet, ex eo factum eſt, vt & venæ quædam abrumperentur, & permultus ſanguis efflueret, ibique puer extremum ſpiritum effunderet. Id Delphinus partim ex pondere ſentiens, non enim iam, vt conſueuerat, tam leuis inſidebat, nempe, qui ſpiritibus ſeſe non ſubleuaret: partim ſanguine imbutum mare videns, id quod res erat, vt intellexit, Amaſio ſuo ſuperſtes eſſe noluit. Quamobrem multo robore, quemadmodum Rhodia nauis plenis velis propulſa, ſic ſimul cum defuncto in littus ſe eiecit; amboq; hic iam mortuus, ille animi defectione expirans humi ſtrati iacuerunt.

Ælian. de anim.

Addenda mugilum & Delph. pugna. Plin. lib. 9. cap. 8.

DELPHINORVM ET Mugilum pugna.

Ex Plin. lib. 9 cap. 8.

Deſcriptio XCVIII.

EST prouinciæ Narbonenſis & in Nemauſienſi agro ſtagnum Laterna appellatum, vbi cum homine Delphini ſocietate piſcantur: innumera vis mugilum ſtato tempore anguſtis faucibus ſtagni in mare erumpit, obſeptа æſtus reciprocatione. Qua de cauſa prætendi non queunt retia, quæ molem ponderis vllo modo tolerent, etiamſi non ſolertia inſidietur tempori. Simili ratione in altum protinus tendunt, quod vicino gurgite effecere, locumque ſolum pandendis retibus habilem effugere feſtinant. Quod vbi animaduertêre piſcantes, concurrit autem multitudo temporis gnara, & magis etiam voluptatis huius auida, totusque populus è littore quanto poteſt clamore conciet Simonem ad ſpectaculi euentum; celeriter delphini exaudiunt deſideria, Aquilonum flatu vocem proſequente, Auſtro verò tardius ex aduerſo referente: ſed tunc quoque improuiſo in auxilium aduolant. Propere apparet acies, quæ protinus diſponitur in loco vbi coniecta eſt pugna. Opponunt ſeſe ab alto, trepidosque in vada vrgent. Tunc piſcatores circundant retia, furcisque ſubleuant. Hic mugilum nihilominus velocitas tranſit. At illos excipiunt delphini, & occidione ad præſens contenti, cibos in victoriam differunt. Opere prælium feruet, includique retibus ſe fortiſſimè vrgentes gaudent. Atque ne idipſum fugam hoſtium ſtimulet, inter nauigia & retia, natanteſve homines ita ſenſim relabuntur, vt exitus non appareat. Saltu, quod eſt alias blandiſſimum his, nullus conatur euadere, ni ſummittantur ſibi retia. Egreſſi protinus ante vallum præliantur. Ita peracta captura, quos interemere, diripiunt. Sed enixioris operæ quàm in vnius diei præmium, & conſcij ſibi, opperiuntur in poſterum, nec piſcibus tantum, ſed intrita panis & vino ſatiantur. Quæ de eodem genere piſcandi in laſio ſinu Murianus tradit, hoc differunt, quòd vltro neque inclamati præſto ſint, patreſque è manibus accipiant, & ſuum quæ-

quæque cymba è delphinis socium habeat, quamuis noctu & ad faces. Ipsis quoque inter se est publica societas.

CONCHA.

Ex Plinio.

Descriptio XCIX.

FIrmioris iam testæ mvrices, & concharum genera, in quibus magna ludētis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato.

Iam distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim vndata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis. Nauigant ex ijs veneriæ præbentes concauam sui partem, & auræ opponentes per summa æquorum velificant, saliunt pectines, & extra volitant, seque, & ipsi carinant.

Addenda concha carinata nauigera, ex Plin. c. 30. l. 9.

CONCHA CARINATA nauigera.

Ex eodem.

Descriptio C.

NAuigeram similitudinem & aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus, cōcham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauplium animal sepiæ simile, ludendi societate sola, duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferire vt remis. Si verò flatus inuitent, easdem in vsu gubernaculi porrigi, pandique concharum sinus aura. Huius voluptatem esse vt ferat, illius vt regat. Simulque eandem descendere incluso sinu fluctu hausto, territam visu forte tristi. Id enim vbi constat rumore, nauigantium humana calamitas in causa est.

POLYPVS.

Ex D. Ambrosio.

Descriptio CI.

FRaudulentum illud Polypi ingenium non præteribo, qui vadoso in littore petram nactus, affigitur ei, atque eius nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspicione fraudis allapsos, dum noram non præcauent, & saxum opinantur, cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodam suæ carnis intercipit. *Ambr. Hexaem. lib. 5. cap. 10.*

Ibidem quomodo cancri ostrea diptychum suum explicantia, iniecto lapide venentur, præclare describit.

Plinij addenda diserta descriptio.

Ex Plinio lib. 9. cap. 30.

NOn sunt prætereunda ex L. Lucullo proconsule Bæticæ comperta de Polypis, quæ Trebius Niger, è comitibus eius prodidit, auidissimos esse concharum. Illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum, vtroque escam ex prædante capere. Carent conchæ visu, omnique sensu alio, quam cibi & periculi. Insidiantur ergo Polypi apertis, impositoque lapillo extra corpus, ne palpitatu ejiciatur, ita securi grassantur, extrahuntque carnes, illæ se contrahunt, sed frustra discuneatæ. Tanta solertia animalium hebetissimis quoque est. Præterea negat vllum esse atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua. Luctatur enim complexu, & sorbet acetabulis, ac numeroso suctu detrahit eum. In naufragos vrinantesque impetum capit. Sed si inuertatur, elangueſcit vis. Exporrigunt enim se resupinati, mirè omnibus marinis expetentibus odorem quoque eorum, qua de causa & nassis illinuntur. Cætera quæ idem retulit, monstro propiora possunt videri. Carteiæ in cetarijs assuetus quidam polypus exire è ma-

è mari in lacus eorum apertos, atque ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem assiduitate furti immodici. Sepes erant his obiectæ, sed has transcendebat per arborem, nec deprehendi potuit nisi eanum sagacitate. Hi redeuntem circumuasere noctu, concitique custodes expauere nouitatem. Primùm omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore diri. Quis ibi polypum expectasset, aut ita cognoscere? cum monstro dimicare sibi videbantur. Namque & afflatu terribili canes agebat, nũc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachijs clauarum modo incussos, ægreque multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput eius dolij magnitudine, amphorarum xv. capax, atque (vt ipsius Trebij verbis vtar) barbas, quas vix vtroque brachio complecti esset, clauarum modo torosas, longas pedum acetabulis siue caliculis vrnalibus peluium modo, dentes magnitudini respondentes. Reliquiæ asseruatæ miraculo, pependere pondo DCC.

ECHINVS.

Ex Ambros l.5. Hexam. c.9.

Descriptio CII.

ECHinus animal exiguum, vile, ac despicabile (marinum loquor) plerumque index futuræ tempestatis, aut tranquillitatis adnuntius esse solet nauigantibus. Denique, cùm procellam ventorum senserit, calculum validum arripit; eumque velut saburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Itaque non suis se librat viribus, sed alieno stabilit, & regit pondere.

POMPILVS natans.

Ex Plinij lib. 9. cap. 13.

Descriptio CIII.

POmpilus supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, vt emissa omni per fistulam aqua, velut exoneratus sentina, facilè nauiget. Post duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit. Qua velificante in auras, cæteris subremigans brachijs, media cauda, vt gubernaculo se regit. Ita vadit alto, liburnicarum gaudens imagine, & si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua.

DESCRIPTIONES INanimorum.

INSVLÆ FORTVNATÆ.

Ex Platone, in Axiocho.

Descriptio CIV.

Ὅσοις μὲν οὖν ἐν τῷ ζῆν δαίμων ἀγαθὸς ἐπιτυγχάνει, εἰς τὸν τῶν εὐσεβῶν χῶρον οἰκιζονται, ἔνθα ἄφθονοι μὲν ὧραι παγκάρπου γονῆς βρύουσι, παρὰ δὲ ὑδάτων καθαρῶν ῥέουσι, παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαρίζόμενοι.

QVibuscumque in vita sors melior aspirauerit, sedes incolunt piorum, vbi omnes horæ scatent omnigena fructuum vbertate, fontes puris labuntur aquis, varijs prata floribus innumera vernant. Conuentus sunt Philosophorum, theatra poëtarum; exultantium co-

Διατριβαὶ φιλοσόφων, καὶ θεάματα ποικίλων, καὶ κύκλιοι χοροὶ, καὶ μουσικὰ ἀκούσματα, συμπόσια πεποικιλμένα, καὶ εἰλαπίναι αὐλοχορήγηλοι, καὶ ἀκήρατοι ἄλυπία, καὶ ἡδεῖα διαγωγὰ, οὔτε χειμὼν σφοδρὸν, οὔτε θάλπος ἐγγίνεται, ἀλλ' οὔκ εὐκράτου ἀὴρ χέεται, ἁπαλαῖς ἡλίου ἀκτῖσιν ἀνακιρνάμενος.

ronæ, musiciq́ue concentus: ad hæc instructa genialiter conuiuia, & ipsa se suggerens victus affluentia, indolentia immortalis, iucunda victus ratio. Non enim frigus illis, non æstus est grauis, sed temperatus aër funditur, mitibus solis radijs illustratus.

MVNDVS.

Ex Minutio Felice, in Octauio.

Descriptio CV.

QVid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamq́ue perspicuum, cùm oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra, supraque, lustraueris, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide, quàm latè tendatur, quàm rapidè voluitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem sole lustratur: iam scis, quod sit in eo summi moderatoris mira, & diuina libratio: vide & annum, vt solis ambitus faciat, & mensem; vide vt Luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum, & luminis dicam recursantes vices, vt sit nobis operis, & quietis æterna reparatio? Relinquenda verò astrologis prolixior de syderibus oratio, vel quod regant cursum nauigandi, vel quod arandi, metendiq́ue tempus indicant: quæ singula, non modò vt crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis, & perfectæ rationis egerunt; verum etiam sentiri, perspici intelligi, sine summa solertia, & ratione non possunt. Quid, cùm ordo temporum, hac frugum stabili varietate distinguitur? nonne auctorem suum parentemq́ue testatur? ver æquè, cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata, & hyberna oliuitas necessaria: qui ordo facilè turbaretur, nisi maxima ratione consisteret.

Iam prouidentię quantæ? ne hyems sola glacie vreret, aut æstas solo ardore torreret, autumni, & veris inserere medium temperamentum, & per sua vestigia reuertentia anni occulti, & innoxij transitus laberentur. Mari intende, lege littoris stringitur; quicquid arborum est, vide quàm è terra visceribus animatur; aspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus; vide fontes, manant venis perennibus; Fluuios intuere, eunt semper exercitis lapsibus.

Quid loquar aptè disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? Quid animantium loquar aduersus sese tutelam multiformem? Alias armatas cornibus, alias dentibus septas, & fundatas vngulis, & spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum? Ipsa præcipuè formæ nostræ pulchritudo, Deum fatetur artificem. Status rigidus, vultus erectus: oculi in summo, velut in specula constituti: & omnes cæteri sensus, velut in arce compositi. Longum est ire per singula, nihil in homine membrorum est, quod non & necessitatis causa sit, & decoris: & quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam vnicuique lineamenta deflexa, sic & similes vniuersi videmur, & inter se singuli dissimiles inuenimur. Quid nascendi ratio, quid cupido generandi? nonne à Deo data est? &, vt vbera partu matureſcente lacteſcant, &, vt tener fœtus vbertate lactei roris adoleſcat.

Vide quæ Marcus Tullius habet in eo argumento libro secundo de natura Deorum.

PARA-

PARADISVS terrestris.

Descriptio CVI.

Eximaginibus P. Richeomij nostra Latinit. expressit.

IN voluptuarios hortos deuenimus, quos si nondum videtis, animo, & cogitatione efformate. Regio in primis amœna, quippe situ præcelsa, specie eximia, bonis opulenta, omni deliciarum genere affluentes: Terra partim in planiciem exspatians, partim in colliculos molliter assurgens, vernantem frugiferarum arborum copiam explicat; in ipso hortorum apice fons est eximius, qui primum argenteis aquarum vorticibus ebulliens, mox diffusus in fluuium sinuosis flexibus, atque mæandris concisus oberrat, & felicia arua perennibus fœcundat riuulis. Ad summum in quatuor salientes diuisus, celeberrimos amnes efficit, qui varias terrarum plagas interfecantes, pingui ac feraci limo rigant.

Primus, opinor, Phison arenulas aureas, & illustre collucentium margaritarum decus egerit ad ripas, quas ob colonorum inopiam nemo colligit: Auidius posthac tantæ opulentiæ non ita simplex posteritas inhiabit. Cæli admodum iucunda temperies; quippe clementius renidens solis fulgor, vel minimas nebularum maculas tempestiuè discutit. Iguis cæteroqui violentus in suo feriatur regno, & aëri leniter insidens caloris & luminis iucundissimam terris temperiem impertit.

Iam verò, & hæc pratorum herbescens viriditas intermicantium florum varietate picturata, & hæc arborum pubes enatis modò flosculis lasciuiens, præsentis, opinor, veris præbet argumentum. Cum eodem suas partes agunt reliquæ tempestates. Itaque & iam ætatis beneficio aristas molliter flauescere, & in his pomariorum delicijs fructus maturescere videas, qui carpentis inuitent manum. Ex altera parte autumnus gratam oliuitatem, & vites, diffusa corymborum luxurie collibus inserpentes, & iam præmaturis racemis vestitas, etiam ante Noëmi tempora, speciosius ostentat. Nullus hic hyemis rigor, ita vim omnem retundunt, partim clementiores solis radij, qui felicem plagam circumuestiunt, partim etiam molles fauoniorum animæ, quorum flabellis & placidissimo murmure regio tota circumquaque ventilatur. Diceres quatuor hic tempestates vna continere, vere tamen superiores partes semper obtinente. Hinc nemorum tractus densissimo frondium vestitu diffusi; quarum aliæ simpliciori cultu virescunt, aliæ paulatim è viridi tum cæruleas luteasque, tum purpureas & igneas transeunt in maculas, quales in arcu cœlesti cum voluptate miramur. Atque eo ipso tempore Psittaci, & quæcunque vario plumarum cultu aues emicant, ad gratissimum pastum aduolantes, augent oblectationem; cum folia, & fructus, atque adeo ipsæ alites varijs colorum picturis in certamen vsque luxuriant.

Quid quòd non modò certant pulchritudine auiculæ: sed fractis vocalarum modulis mellitissimos cantus fundunt? inter quas luscinia, pertinaci, vt solet, spiritu, modò in longum numeros trahit, modò summa quadam varietate flectit, modò concisa voce distinguit. Fugerat me pene ales ille paradisiacus, quem ex palma suspensum cernitis; est tenui inprimis corpusculo, versicolore plumarum amictu: in eo diuinitus ludente natura, superbiens, lutei capitis maiestatem interlitus ceruicis viror irradiat: pennæ mediocriter implumatæ purpurascunt, reliquum corpus auro subrutilo iucundissimè flauescit.

Beatus ille cœlestium ciuis, & naturæ parentis deliciæ, numquam appellit ad terras: ita in aëre perpetuum sibi fixit domicilium. Neque verò pedes habet, neque eorum vsum desiderat; si quando enim post variam agitationem subit defatigatio, duabus pennis longiusculis se, veluti filis æneis, applicat ad arbores, & ex ijsdem spectabile corpus librat. Leonum, tigrium, atque elephantorum greges, quos in varia sparsos videtis, omni feritate deposita placidissimos lucos oberrant, & suis alumnis blandiuntur; nec mirum, si Adamus, & Eua belluarum ingenio confisi, sine vllo timore propius accedunt, & inter easdem vagantur liberius.

REGIONES.

INDIA.

Ex Q. Curt. stylo historico.

Descriptio CVII.

Vide Siciliæ descript. apud Iustinũ. initio lib. 4. vbi de mari, Scylla, Charybdi, & cæteris portentis.

INdia tota ferè spectat orientem, minus in latitudinem, quàm in recta regione spatiosa. Quæ austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt, plana sunt cætera. Multis, & inclytis amnibus. Caucaso monte ortis, placidum per campos iter præbent. Indus gelidior est, quàm cæteri: aquas vehit à colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu fluuius eximius, à meridiana regione decurrit, & magnorum montium iuga recto alueo stringit: in eum obiectæ rupes inclinant in orientem, vtque rubro mari accipitur, & findens ripas, multas arbores cum magna soli parte exorbet: saxis quoque impeditur, quibus crebrò reuerberatur. Vbi mollius solum reperit, stagnat, insulasque molitur. Aceſines eum auget: Ganges in mare decursurum intercipit, magnoque motu vterque colliditur: quippe Ganges asperum os influenti objicit, nec repercussæ aquæ cedunt. Dyardenes minus celeber auditu est, quia per vltima Indiæ currit. Cæterum, non Crocodilos modò, vti Nilus, sed etiam Delphines, ignotasque alijs gentibus belluas alit. Erimanthus crebris flexibus subinde curuatus, ab accolis rigantibus carpitur. Ea causa est, cur tenues reliquias, iam sine nomine in mare emittat; multis præterhos amnibus tota regio diuiditur: sed ignobilibus, quia non adeò interfluunt. Cæterum, quæ propria sunt mari, austri maximè deurunt; ij cohibiti montium iugis, ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mites: sed adeò in illa plaga mundus statutas temporum vices mutat, vt cùm alia feruore solis exæstuent, Indiam niues obruant: rursusque vbi cætera rigent, illic intolerandus æstus existat. Mare certè, quo alluitur, ne colore quidem à cæteris abhorret; ab Erithræo rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere mare existimant. Terra lini ferax, inde plerisque sunt vestes, libri arborum teneri, haud secus quàm ceræ, literarum notas capiunt. Aues ad imitandum humanæ vocis sonum dociles sunt. Animalia inusitata cæteris gentibus, huic inuecta. Eadem terra, & Rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum maior est vis, quàm quos in Africa domitant, & viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quæ leni, modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas, margaritasque mare littoribus infundit: neque alia illis maior opulentiæ causa est, vtique posteaquam vitiorum commercium vulgauere in exteras gentes. Quippe æstimantur purgamenta æstuantis freti pretio, quod libido constituit: ingenia hominum, sicut vbique apud illos quoque locorum situs formar.

BRASILIA.

Maffæus, in Indica historia.

Descriptio CVIII.

EST autem Brasilia noui orbis pars, quam paulò post Capralis accessum, Americus Vespucius Florentinus, eiusdem Emmanuelis auspicijs, accuratius explorauit, atque à duobus ab Æquatore gradibus, partibusve, ad gradus quinque & quadraginta in austrum excurrens, trigoni oblongi speciem refert: cuius basis in Æquatorem, ac Septentrionem obuersa, ab oriente in occidentem recta protenditur. Angulus extremus ignotas ad meridiem regionem attingit: latus in orientem spectans, interposito mari hesperijs Æthiopibus adiacet; alterum latus à Prouincia Peruana disterminant iuga montium adeò celsa, vt ipsos auium volatus fatigare dicantur, vno dumtaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu, regio fermè tota in primis amœna est: Cœli admodum iucunda, salubrisque temperies: lenium quippe à mari ventorum commodissimi flatus matutinos vapores, ac nebulas tempestiuè dissijciunt, solesque purissimos, ac nitidissimos reddunt. Scatet ea tota plaga fontibus, ac syluis, ac amnibus inclytis; è quibus (vt reliquos taceam) is, quem argenteum vocant, leucarum quadraginta octo, in mare fertur, adeò violentus, vt inde nautæ dulces

dulces hauriant latices, priusquam ex alto tellurem conspiciant. Terra partim in planitiem exspatians, partim in colles clementer assurgens, fœlix præpinguibus glebis, & riguo solo, semperque vernante: credita semina multiplici reddit fœnore, ac sacchari præsertim est ferax, quod cœleste est donum.

TAPROBANA.

Ex Maffæo, lib. 3.

Descriptio CIX.

HAec ouali maximè figura ducentarum circiter, & quadraginta leucarum ambitu, leucas in longitudinem septuaginta octo patet, in latitudinem quatuor, & quadraginta, atque à Cori promontorio, vt supra diximus, auulsa freto vadoso, Piscariæ, quam appellant, oræ protenditur: ea clementia cœli, soli vbertate, & copia fluminum, aquarumque perennium, vt primorum parentum sedes olim perhibeatur fuisse: varia pecorum armenta, nec non elephantos gignit egregiè bellicosos, ac dociles: cæteris metallis caret, ferrum incolæ effodiunt: plurimas fert gemmas, verùm præcipua claritate sapphiros, chrysolitos, pseudopalos, ac pyropos, itemque aromata pretiosa, cinnama, cardamomum, piper, ac palmas eximiæ bonitatis.

Ad hæc, vel in primis iucundo spectaculo syluosi montes, ad effigiem theatralem inflexi, vastam planitiem oblongo circuitu in caueæ formam includunt: quorum vnus in arduam, & surrectam altitudinem penè septem leucarum exsurgit.

PLAGA FRIGIDA.

Ex Curtio.

Descriptio CX.

PAropamisadæ appellantur, agreste hominum genus, & inter barbaros maximè inconditum; locorum asperitas, hominum quoque ingenia durauerat. Gelidissimum septentriones axem ex magna parte spectant: Bactrianis ad occidentem coniuncti sunt. Meridiana regio ad mare Indicum vergit; Tuguria latere primo struunt, & quia sterilis est terra materiæ, vdo etiam montis dorso vsque ad summum ædificium fastigium eodem laterculo vtuntur. Cæterum structura latior ab imo paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad vltimum in carinæ maximæ modum coit. Ibi foramine relicto supernè lumen accipiunt: ad medium vites, & arbores, si quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt, obruunt: penitus hyeme defossæ latent, cum niue discussa aperiri humus cœpit, cœlo, solique redduntur. Cæterùm adeò altæ niues premunt terram gelu, & perpetuo rigore constrictæ, vt ne auium quidem, feræve vllius vestigium exstet: obscura cœli verius vmbra, quàm lux, nocti similis premit terram, vix vt quæ propè sunt, conspici possint, in hac tamen omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quicquid malorum tolerari potest, pertulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem, multos exanimauit rigor insolitus niuis, & multorum adussit pedes, plurimorum oculos, præcipuè perniciabilis fuit fatigatis, quippe in ipso gelu deficientia corpora sternebant, quæ cùm moueri desijssent, vis frigoris ita adstringebat, vt rursus ad surgendum conniti non possent.

PLAGA TORRIDA.

Ex eodem Curtio.

Descriptio CXI.

AQuarum (vt ante dictum est) penuria, priùs quam desiderio, desperatione bibendi sitim accendit per quadraginta stadia, nec modicus quidem humor existit: arenas vapor æstiui solis accendit, quæ vbi flagrare cæperunt, haud secus, quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde immodico terræ feruore incitata lucem tegit campumque. In Asia, quæ vasti, & profundi æquoris species est, nocturnum iter tolerabile videbatur, quia rore, & matutino frigore corpora leuabantur. Cæterùm cum ipse æstus oritur, siccat, omnemque naturalem absorbet humorem siccitas, ora, viscera que penitus vruntur.

HORTVS.

Philostratus in Amoribus.

Descriptio CXII.

Μῶν ἐπῄσθου τί τῆς ἀνὰ τὸν κῆπον εὐωδίας, ἢ βραδύνει σοι τοῦτο; ἀλλὰ προθύμως ἄκουε. προσβαλεῖ γὰρ σε μετὰ τῶν λόγου, καὶ τὰ μῆλα. πτόρθοι μὲν οὗτοι φυτῶν, ὀρθοὶ πορεύονται. τοῦ μέσου δὲ αὐτῶν ἐλευθερία βαδίζειν, πόα δὲ ἁπαλὴ κατέχει τοὺς δρόμους, οἷα καὶ κατακλιθέντα στρωμνὴν εἶναι. ἀπ' ἄκρων δὲ τῶν ὄζων μῆλα χρυσᾶ, καὶ πυρσὰ, καὶ ἡλιώδη προσάγονται, τὸν ἐσμὸν ὅλον τῶν ἐρώτων γεωργεῖν αὐτά.

NVmquid eius, quæ in horto est, beneuolentiæ quicquam sensisti? an hoc serò te adijt? sed prompto audias animo: te enim vna cum oratione mala quoque percutient, hi quidem plantarum ordines recti incedunt, per quorum medium ambulandi facultas datur, mollis autem herba curriculos obtinet, vt strati instar iacentibus sit. A summis autem ramis mala aurea, fluaque ac lucida, ad se excolenda vniuersum cupidinum examen attrahunt.

Vide Ciceronem, de Senectute, num. 59.

Item, ex Aristæneto, epist. 3.

ΕΝθα πλάτανος μὲν ἀμφιλαφής τε, καὶ σύσκιος· πνεῦμα δὲ μέτριον, καὶ πόα μαλθακὴ, ὥρα θέρους ἐπανθεῖν εἰωθυῖα, ἐπὶ τὸ πεδίον κατεκλιθημεν. Οἱ τῶν πολύ· τελεστάτων δαπέδων δενδρῖται, πολλὰ τῆς ὀπώρας, πλησίον Οχναὶ, καὶ ῥοιαὶ, καὶ μήλεαι ἀγλαόκαρποι· φαίη τις ἂν καθομηρεζόν. τῶν δὲ ὀπωρινῶν αὐτόθι νυμφῶν τὸ χωρίον. ἦν μὲν οὖν ταῦτα, καὶ ἕτερα δένδρα πλησίον, &c. quæ sic Latinè redduntur:

NAm ibi platanus densa ramis, opaca vmbra, aura modica, herba mollis, & tempestate æstiua florere docta: consedimus humi, qua ditissimus campus, arboresque iuxta crebræ frugiferæ,

Punicaque, & pirus, & fructu gratissima malus.

Dicat quis, Homericum versum referens, pomarijs nymphis sacrum locum: sed his, alijsque iuxta arboribus florentes rami, fructus vberes, suauissimo odore permulcent amœnum locum. Decerptum ego folium coma, laxaui digitis, tum admoui naribus, id mihi odorem spirauit longè dulcissimum: iuxta pampini patulæ, altæque admodum, amplexæ nostra diu tenuere inflexu colla, dum circulatim pendulas vuas attendimus, quarum turgent aliæ, aliæ primulo nigrore maturescunt; acerbæ quædam, aliæ florentes adhuc videntur. Ergo ad maturiores alius reptans ascendebat, alius sublimis è terra summa læua quantum poterat, adprehensa arbore ascendebat in ramos, alius decerpebat dextera, alius ex arbore manum tendebat cano colono. Sub platano fons amœnissimus fluit aquæ tam frigidæ, vt pede rigorem sentias: lepidus fons, inquam, sed & iucundè temperatus Fauoni spiritus tempestatis æstum demulcens, dum dulcem, & canorum sonum inspirat, & multam ex arboribus suauitatem odorum secum trahens respondet suauissimis N.

vnguibus, miscetque odores simul, & ferè æquabili suauitate recreat sensus, nisi quod paulum superabat vnguentum, mea sententia hoc solo, quod Limonæ vnguentum erat: sed & auræ vocalis sonus argutum resonabat sonoro cicadarum sono, quæ & meridiei æstum leniebat: dulce luseiniæ circumuolitantes cantillabant: Alias quoque suauisonas auiculas vsurpauimus auribus veluti modulatis canticis colloquentes hominibus: adhuc mihi ante oculos habere eas

vi-

videor, quarum illa in filice requieſcit, illa alam refrigerat, ſiccat alia, eſtque ex aqua quæ quid trahat; eſt quæ cernua terram deſpectet, victum inde quæſitura.

Vide quoque apud Ælianum, libro 13. de animalibus, cap. 18. egregiam deſcriptionem horti Regis Indorum.

MONS.

Ex Maffæo, lib. 5.

Deſcriptio CXIII.

SEd præcipua camino Tarnatenſi nobilitas; mons in nubes aſſurgit excelſus, & arduus, cuius inferiora denſis nemoribus veſtiuntur: ſuperiora ex incendijs glabra & horrida ſunt: in vertice crater hiatu vaſto in plures circulos circumductos maiores minoribus, ad ſpeciem amphitheatri diſcedit, inde per æquinoctia, maximè certis flantibus ventis, cum horriſono fremitu flammæ atro myſtæ fumo & fauillis erumpunt, & omnia latè loca cineribus complent.

FLVVIVS EXVNDANS.

Plinius lib. 8. epiſt. 17.

Deſcriptio CXIV.

NVnc iſtic quoque immite & turbidum cœlum, hic aſſiduæ tempeſtates & crebra diluuia: Tyberis alueum exceſſit, & demiſſioribus ripis altè ſuperfunditur; quamquam foſſa, quam prouidentiſſimus Imperator facit, exhauſtus, premit valles, innatat campis: quaque planum ſolum pro ſolo cernitur, inde, quæ ſolet flumina accipere, & permiſta deuehere, velut obuius retrò cogit; atq; ita alienis aquis operit agros, quos ipſe non tangit.

Anio delicatiſſimus amnis, ideoque adiacentibus villis velut inuitatus, ac retentus, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit, & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clauſus, dum amiſſum iter quærit, impulit tecta, ac ſe ſuper ruinas euexit atque extulit. Viderunt hi, quos excelſioribus terris illa tempeſtas non deprehendit: alibi diuitum apparatus, & grauem ſupellectilem, alibi inſtrumenta ruris, alibi boues, aratra, rectores, hic ſoluta & libera armenta: atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes, atque culmina variè lateque fluitantia: ac ne illa quidem loca malo vacauerunt, ad quæ non aſcendit amnis; nam pro amne imber aſſiduus, & deiecti nubibus turbines, prompta opera, quibus pretioſa tura cinguntur, quaſſata, atq; etiam diſcuſſa monimenta, multi eiuſmodi caſibus debilitati, obruti, obtriti, & aucta luctibus damna.

FLVMEN ALDVABIS.

Ex Cæſare lib. 1. de bello Gallico.

Deſcriptio CXV.

FLumen Aldnabis, vt circino circunductum, penè totum oppidum cingit: reliquum ſpatium, quod non eſt amplius pedum DC. qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita vt radices eius montis ex vtraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circundatus arcem efficit, & cum oppido contungit.

PONS IN RHENO.

Ex eodem lib. 4. de bello Gallico.

Deſcriptio CXVI.

CÆſar Rhenum tranſire decreuerat, ſed nauibus tranſire, neque ſatis tutum eſſe arbitrabatur, neque ſuæ, neque populi Romani dignitatis eſſe ſtatuebat. Itaque etſi ſumma difficultas faciundi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id ſibi contendendum, aut aliter non tranſducendum exercitum exiſtimabat. Rationem igitur pontis hanc inſtituit. Tigna bina ſeſquipedalia, pau-

paulum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis, interuallo pedum duorum inter se iungebat. Hæc cum machinationibus immissa in flumine defixerat, fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona, ac fastigiata, vt secundum naturam fluminis procumberent. His item contraria duo ad eundem modum iuncta; interuallo pedum quadragenum ab inferiore parte, contra vim atque impetum fluminis conuersa statuebat: hæc vtraque bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tiguorum iunctura distabat, binis vtrimque fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus diseclusis, atque in contrariam partem reuinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, vt, quo maior vis aquæ se incitauisset, hæc arctius illigata tenerentur. Hæc directa materia iniecta contexebantur, ac longurijs, cratibusque consternebantur, ac nihilo secius sublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquæ adigebantur, quæ, pro pariete subiectæ, & cum omni opere coniunctæ, vim fluminis exciperent: & alia item supra pontem mediocri spatio; vt si arborum trunci, siue naues, deijciendi operis causa, essent à barbaris missæ, his defensoribus earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent.

FONS.

Ex Apuleio, in Metam.

Descriptio CXVII.

Namque ibi saxum immani magnitudine procerũ, & inacceſſa salebritate lubricum, medijs de faucibus lapidis, fontes horridos euomebat: qui statim proni foraminis lacinijs editi, perque procliue delapsi, & angusti canalis exsecto contecti tramite, proximam conuallem latenter incidebant, dextera, læuaque cotibus cauatis perserpunt, & longa colla porrecti sæui Dracones, inconniuæ vigiliæ luminibus addictis, & in perpetuam lucem populis excubantibus.

CLITVMNVS fons.

Plinius, lib. 8. epist. 8.

Descriptio CXVIII.

VIdistine aliquando Clitumnum fontem? si nondum: (& puto nondum, alioqui narrasses mihi) vide quem: ego (pœnitet tarditatis) proximè vidi.

Modicus collis assurgit, antiqua cupressu, numerosus, & opacus: hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, ac vitreus, vt numerare iactas stirpes, & relucentes calculos possis. Inde, non loci deuexitate, sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur. Fons adhuc, & iam amplissimum flumen, atque etiam nauium patiens, quas obuias quoque, & contrario nisu in aduersa tendentes transmittit, & perfert: adeò validus, vt illa, quâ properat ipse, tanquam per planum solum, remis non adiuuetur.

Iucundum vtrumque, per iocum, & ludum fluitantibus, vt flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare, ripæ fraxino multa, multa populo vestiuntur; quas amnis perspicuus, velut mersas viridi imagine muniuerat.

Rigor aquæ certauerit niuibus, nec color cedit, adiacet templum priscum, & religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus, indutusque prætexta: præsens numen, atque etiam fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa sacella complura, totidemque Dei simulachra, sua cuique veneratio, suum nomen: quibusdam verò etiam fontes: nam præter illum, quasi parentem cæterorum, sunt minores capite discreti, sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur: is terminus sacri, profanique. In superiore parte nauigare tantum, infra etiam natare concessum: Balineum, Hispellates, quibus illum locum Diuus Augustus dono dedit, publicè præbent, & hospitium: nec desunt villæ, quæ sequutæ fluminis amœnitatem margini insistunt, in summa nihil erit, ex quo non capias voluptatem.

Notæ in Clitumnum fontem.

Vide, quem ego proximè vidi.

Notat suæ hypotyposeos τὴν φαντασιώδη ἐνέργειαν, *qua rem cæteroqui absentem, legentium pœnè subiciat oculis.*

Modicus collis, &c. *Fontem in arborum ramis opacatum significat: quod tantoperè Aelianus,*

in

in suis τέμπεσιν prædicat de Ponto, πολλὴ δὲ κατ' αὐτοῦ ἡ σκιὰ ἐκ τῶν παραπεφυκότων δένδρων, καὶ τῶν ἐξηρτημένων κλάδων τίκτεται. *Multa circa fluuium vmbra ex assitis arboribus & impendentibus ramis oritur.*

Eluctatus. *Eluctari videtur fons, cum in ortu argenteos vortices glomeratim bullantes vomit.*

Amplissimum flumen. *Clitumnus agri Falisci celeber fluuius, de quo Virg. 2. Georg.*

Hinc albi Clitumne greges, &c.

Eius enim aquæ potæ candidos faciunt boues, vt memorat Plinius, l. 2. c. 103.

Illa qua properat. *Qui decliui, inquit, flumine nauigant, nulla remigatione indigent: qui aduerso fluminis obluctantur alueo, illum ægerrimè contis, remisq́; superant, ita rapido cursu fertur incitatus.*

Per iocum, ludumq́; fluitantibus: *amœnandi, vt ait Saluianus, animi caussa nauigantibus.*

Viridi imagine. *Præclarè hoc Statius in Tiburtino Manlij Vopisci.*

——— Nemora alta citatis
Incubuere vadis, fallax responsat imago
Frondibus, & longas eadem fugit vmbra per vndas.

Arbores igitur velut mersas in lucenti amne, numerari significat, cum re ipsa vmbra sensum fallant.

Templum priscum. *Clitumni opinor, plenæ non modo superstitionibus vrbes, sed & agri ipsi. Vnde & Plinius in Traiano dixit: lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre. Inter hæc pia mente adire lucos, & occursare numinibus: quia vbique etiam, inter has solitudines sparsa fana, & simulachra.*

Clitumnus amictus, ornatusq́; prætexta. *Fluuiorum statuæ pro ripis stabant consecrata, & virili quidem specie. Talis Nilus, & Phasis apud geminos Philostratos. Talis hic Clitumnus insuper prætextatus vt Patricius: Non accipio de area, aut lapidea prætexta, sed vera. Mox enim antiquorum simulachra vestiebat. Quod ex Tranquillo discere est, c. 22. in Caligula. Quin & prægnantes mulieres molliorem partum sibi pollicebantur, si idolorum vestibus essent amictæ. Hoc Tertullianus indicat lib. de anima, c. 39. Omnes, inquit, idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc vteri infulis apud idola confectis, redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur.*

Fatidicum indicant sortes. *Plena sortibus, & sortilegiis eo tempore fuit Italia.*

Hinc Prænestinæ, illinc Tirinthiæ. Hic & Falisca omnes Tiberius authore Tranquillo discutere conatus est, ne sic in annos principis inquirerent. Sed Prænestinarum sortium maiestate territus destitit c. 63.

Is terminus sacri profanique.

Clitumnus nempe sacra prædia & agros à profanis distinguit.

Hispellates. Agri (opinor) Falisci incolæ.

Multa multorum inscripta. *De tabulis votiuis, luculentum habes Theodoreti testimonium in oratione de Martyribus, de quo alibi dixi.*

FONS ÆSTVOSVS.

Plin. epist. 30. lib. 4.

Descriptio CXIX.

ATtuli tibi ex patria mea pro munusculo, quæstionem altissima ista eruditione dignam: fons oritur in monte, per saxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manu facta: ibi paulum retentus in larium lacum decidit. Huius mira natura: ter in die statis auctibus, ac diminutionibus crescit, decrescitque: cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur: iuxta recumbis, & vesceris, atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas: interim ille certis, dimensisq́; motibus, vel subtrahitur, vel assurgit; annulum, seu quid aliud ponis, in sicco alluitur, sensim, ac nouissime operitur. Detegitur rursus, paulatimq́; deseritur: si diutius obserues, vtrumque iterum, ac tertio videas: spiritusq́; aliquis occultior, os fontis, & fauces modo laxat, modo includit, prout in latus occurrit, aut decessit expulsus; quod in ampullis, cæterisq́; generis eiusdem videmus accidere: quibus non hians, nec statim patens exitus est. Nam illa quoque, quanquam prona, & vergentia per quasdam obluctantis animæ moras, crebris quasi singultibus sistunt quod effundunt. An quæ Oceano natura, fonti quoque, quaque impellitur ratione, aut resorbetur ille, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur, vel egeritur? an, vt flumina, quæ in mare deferuntur, aduer-

ſantibus ventis, obuioq; æſtu retorquentur. Ita eſt aliquid, quod huius fontis excurſum per momenta repercutiat? an latentibus venis certa menſura, quæ dum colligitur, quod exhauſerat, minor riuus eſt, & pigrior, cum collegit, agilior, maiorq; profertur? an neſcio quid libramentum abditum, & cæcum, quod cum exinanitum ſuſcitat, & elicit fontem: cum repletum moratur, & ſtrangulat.

Nota.

Quæſtionem. *Ea quæſtio eſt, quæ curioſis Prometheis in Caucaſo fixit crucem. Multas hic diſertiſſimè rationes affert Plinius.*

Sed quis rem acu tangat? *Poſſidonius ſugillat Ariſtotelem, qui æſtum fieri dixerat, propter ſublimia littora, quibus aqua repercuteretur. Apollonius in ea, quam ad Indos ſcribit epiſtola, ait,* Ὠ' κεανὸν ἐφιδροις ἐλαυνόμενον πνεύμασιν, *ex multis hiatibus, qui partim ſub ipſo, partim in terra circa ipſum ſunt, ad exteriora diffundi, ac rurſus retrocedere. Bona pars hanc* πλημμυρίδα *tribuit lunæ, in quibus eſt Iulius Cæſar, l. 4. de bello Gallico, ſatius cum Antiphilo concludere.*

Θαῦμα βίου θάμβωσε τὸ μυρίον, οὐδὲ μαλεύω.
Σὴν στάσιν ἀῤῥήτῳ ταῦτα μέμηλε φύσει.

FONS AMMONIS.

Ex Curtio, lib. 4.

Deſcriptio CXX.

EST etiam illud Ammonis nemus, in medio habet fontem: aquam ſolis vocant. Sub lucis ortum tepida manat: medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit, inclinato in veſperam caleſcit: media nocte feruida exæſtuat, quoq; propius nox vergit, ad lucem multum caloris decreſcit: donec ſub ipſum diei ortum, aſſueto tempore langueſcat. Id, quod pro Deo colitur, nam eandem effigiem habebat, quam vulgò diis artifices accommodauerunt. Vmbilico maximè ſimilis eſt, & habitus ſmaragdo, & gemmis coagmentatus: hunc cum reſponſum petitur, nauigio aurato geſtant ſacerdotes, cum multis argenteis pateris, ab vtroque nauigij latere pendentibus. Sequuntur matronæ, virgineſq; patrio more inconditum quoddam carmen canentes: quo propitiare Iouem credunt, vt certum edat oraculum.

TEMPE.

Ælianus, variæ hiſt. l. 3. c. 1.

Εστι δὴ χῶρος μεταξὺ κείμενος.

Deſcriptio CXXI.

EST itaque locus inter Olympum, & Oſſam ſitus: ſunt autem hi montes altitudine immenſa præditi, & quaſi diuina quadam cura diſiuncti, atque in medio locum complectuntur, cuius longitudo ad quadraginta ſtadia porrigitur; latitudo verò in aliis partibus pedes centum, in aliis paulò etiam plus continet; Per hunc medium labitur fluuius, qui Peneus appellatur, in quem reliqui fluuij confluunt, & aquam ei communicando, magnis augent incrementis: hic locus habet varia, & omnis generis oblectamenta, non manibus hominum facta opera, ſed ſpontanea naturæ, quæ tunc ei plurimum ad pulchritudinem ambitiosè contulit, cùm locus primùm naſceretur; nam in ea hedera copioſa, & admodum hirſuta viget, ac floret, & inſtar generoſarum vitium, in proceras arbores aſcendendo ſerpit, atque ipſis adnaſcitur. Eſt & ſmilacis magna copia, quæ collem ipſum aſcendens ſaxum inumbrat, ita vt illud quidem lateat, cernatur verò nihil, præter viridantem herbam, ſitq; veluti quædam oculorum panegyris. In ipſo campo, & planitie varij ſunt luci, & ſcenæ continuæ, æſtiuo tempore gratiſſima viatoribus receptacula, in quibus ſuauiter alſum captare poſſunt: diffluunt etiam riui crebri, & aquæ frigidæ, atque ad bibendum ſuauiſſimæ. Has aquas perhibent prodeſſe etiam lauantibus, & ad ſanitatem conferre. Concinunt etiam aues hinc inde diſperſæ, & in primis muſicæ, quæ ſitientes aures mirificè recreant, atque indefeſſos cum voluptate deducunt viatores, modulationibus ſuis præter-

euntium

quantium laborem subleuantes. Ad vtrumque latus fluminis oblectamenta illa sunt, de quibus antea dixi; & remissionibus, quietiq; apta loca. Per media verò tempe Peneus venit; quietè, & leniter fluens, in modum olei, hic vmbris densissimis opacatur: quæ ab assitarum arborum ramis ortæ, maxima diei parte solares radios arcent à flumine, & nauigantibus temperatam frigore nauigationem præbent.

ELYSII CAMPI.

Lucianus, in vera historia, l. 2.

Αὕτη μὲν οὖν ἡ πόλις.

Descriptio CXXII.

IPsa autem ciuitas tota aurea, murus verò smaragdo lapide cingitur; porrò portæ septem sunt omnes ex integro ligno, & amomo. Pauimentum verò ciuitatis, & quæ intra mœnia est, terra eburnea; omnium autem Deorum templa beryllo lapide constructa sunt, & altaria in eis maxima, vno è simplici lapide amethysto constant: in quibus diis immolant. Circa ciuitatem verò fluuius defluit vnguento optimo, huiusq; latitudo regalium cubitorum centum: altitudo quanta natantibus sufficiat: porrò ipsius balnea domus magnæ sunt, vitreæ, cinnamomo succensæ: atqui pro aqua, ros tepidus in peluibus seruatur: vtuntur autem vestibus purpureis tenuissimis aranearum telis: hi corpora non habent, sed & impalpabiles sunt, & absque carne. Formam autem, & effigiem solam habent, ac ostendunt: in corporei tamen cùm sint, stant, mouentur, intelligunt, vocemq; emittunt, omninoq; videtur eorum anima nuda quædam circumuagari, corporis similitudine circumdata: si quis autem non tetigerit, non credet, quod videtur non esse corpus. Sunt enim vt vmbræ rectæ, non nigræ: senescit nemo, sed ea ætate, qua se eò contulit, permanet. Denique hic haudquaquam est nox, sed dies: neque admodum clara, sed quale crepusculum esse solet, iam Aurora apparente ante orientem solem. Talis lux terram habet, quare & vnum solum anni tempus nouere. Semper enim apud eos ver est, & vnus ventus spirat zephyrus, At locus cunctis quidem floribus, omnibus mansuetis plantis, & floribus viret. Quæ illic sunt vineæ, duodecies quotannis ferunt, & singulis mensibus vuas reddunt. Mala verò granata, ac malos, cæteraq; poma terdecies ferre dicebant. Nam mense, qui apud eos Minois appellatur, bis ferre fructum: pro frumento verò spicæ, in summitate paratos panes emittunt, vt fungos. Fontes sunt per ciuitatem, aqua quidem quinque, ac sexaginta, & trecenti: mellis verò alij totidem, vnguenti quingenti: verum & hi minores sunt: flumina lactis septem, & vini octo. Conuiuium verò celebratur extra ciuitatem, in campo, qui Elysius vocatur: etenim pratum est pulcherrimum, & circa illud nemus omni arborum specie consitum, vmbram discumbentibus faciens, stratum autem substernunt è floribus, ministrant autem, ac cuncta afferunt venti, præterquam quod vinum non miscent. Siquidem ea non indigent: nam circa conuiuium arbores sunt vitreæ, magnæ, è micante vitro: harum fructus, pocula sunt omni specie operis, ac magnitudinis. Vbi autem quis ad conuiuium accesserit, vnum ex illis, vel duo mensis decerpta apponit: ea confestim vino replentur: pro sertis verò lusciniæ, canoræq; volucres cæteræ, flores è proximis pratis ore legentes, cum cantu eos superuolant, asperguntque. Porro vnguntur ad hunc modum: densæ nubes vnguentum combibentes è fontibus, ac flumine, supraq; conuiuium sparsæ, sensim ex rimentibus ventis tenuissimum quiddam, velut rorem distillant, in cœna musicæ, & cantilenis vacant. Canuntur autem imprimis Homeri versus, qui & ipse adest, & cum illis conuiuatur, supra Vlyssem discumbens: choreæ autem sunt è pueris, & virginibus. Præsunt verò illis, & concinunt: Eunomius Locrus, & Arion Lesbius, & Anacreon, & Stesicorus: Nam, & hunc apud eos vidi, iam ipsi Helena reconciliata. Vbi autem hi quieuerunt, secundæ choreæ succedunt, è cygnis, philomelis, ac hirundinibus. Posteaquam & illæ canere cœperint, iam tota sylua resonat, præsidentibus ventis. Hoc autem maximum ad lætitiam habent, fontes duo sunt circa conuiuium, vnus quidem risus, alter verò voluptatis. Ex horum ambobus, in initio conuiuij omnes bibunt, deinde reliquum læti, ac ridentes exigunt.

Nota.

Hæc descriptio, vt apparet, & exquisitis inuentis, & elegantiarum deliciis tota affluit: cùm eadem conferri poterunt hypotyposes: quas habent Homerus odyss. δ. Pindarus Olymp. εἰδ. ϛ. Aristophanes βατραχ. 154 Sibylla λογ. ϛ. Virgilius ϛ. Æneid Tibullus sed Valla locupletior inuenietur. Adde ad hoc argumentum Paradisi terrestris descriptionem quam ex P. Richeomio latinam feci. Gilbertus Cognatus hic affert descriptionem Elysiorum camporum, quam totam inuenies apud Muretum.

VILLA IVLIANI.

Expressa ex Iuliano Imp.

Συγκτησίδιον μικρὸν, &c.

Descriptio CXXIII.

PRædiolum exiguum quatuor agrorum, quod à Theta mihi datum in Bithynia est, tuæ sapientiæ, beneuolentiæq; dono: do vilius me hercule munus, quàm quod opibus celebre, & beatum existimatione, & sermone hominum efficere possit. Verùm non vsque adeò iucundum, nec insuaue, si tibi singulis partibus, & circumstantiis illud descriptum ob oculos ponam. Nihil verò obstat, quominus tecum iocemur homine abundante gratiis, atque eruditione. Dissitum est à mari stadiis non plus viginti, vt neque mercator, neque nauta nugator, aut incuriosus huic loco sit molestus. Neque tamen prorsus Nerei gratiis destituitur: sed piscem semper habet recentem, & palpitantem. Progressus autem ab ædibus in collem quendam, eò Propontidem, insulasq; oculis perlustrare possis: itemq; vrbem à generoso, ac strenuo rege cognominatam. Non algis, muscoq; insistit, neque vbi periculum sit, ab eiectis in littus, & arenam, mitibus omninò, fereq; non nominatis. Sed in hedera, cepisque, & herba fragrante: ibi amœnissimum est, recubantem, cum librum inspexeris: deinde visum recreare, atque in naues, & mare, summa cum voluptate transmittere. Ea mihi adolescenti prosus tenero habitatio videbatur iucundissima. Nam & fontibus non malis prædita est, & balneis non inamœnis, hortoque, & arboribus. Posteaquam verò ad virilem, & constantem ætatem peruentum esset, veteris illius consuetudinis viuendi me desiderium cepit, veniq; sæpè, neque inanis, aut inutilis ille nobis conuentus fuit

At ibidem agriculturæ meæ paruum quoddam monumentum, vinea breuis, quæ vinum suauiter fragrans, atque dulce gignit; non expectans, donec à tempore Bacchus aliquid accipiat. Videbis gratias, botrus tum in vite, tum sub torculari pressus, rosas olet. Mustum iam in cadis contentum ita est, quasi è nectare haustum sit, si Homero credimus. Qui factum est ergo, vt non magna copia sit eiusmodi vitium, neque in complura iugera sint transfusæ? forte quoniam negligentius insitionem curaui; sed cum sobrius Bacchi crater mihi sit & frequentatio nympharum; tantum paraui, quantum ad meum, meorumq; necessariorum, qui pauci sunt, vsum pertineret. Nunc verò tibi charum caput dono, re quidem ipsa paruum, gratum tamen amico ab amico profectum, domo domum, iuxta sapientissimum vatem Pindarum. Literas ad lucernam hiulcè, & tractim scripsi: quamobrem, si quid peccatum est, velim id non accuratius examines, vt Rhetor Rhetorem.

Nota.

Ἀπὸ τοῦς τήσθης *quæ sit illa Theta non video. Melius opinor, si nihil,* λεπτολογοῦντες τήσθην, *auiam, quod ipsum verbum sonat, dixerimus.*

Νηρέως χάριται, Nerei charites: *sunt pisces, vt ex eo patet,* ἔχει δὲ ἰχθὺν πρόσφατον ἀεὶ καὶ ἀσπαίροντα. *Pisces Nerei charites.*

Ἐπώνυμον πόλην τοῦ γεγυναίου βασιλέως, *Antigoniam intelligit, ab Antigono Rege conditam, eiq. cognominem quæ & Nicæa postea dicta est, Strabo lib. 12.* κτίσμα τοῦ Ἀντιγόνου ὃς αὐτῷ Ἀντιγονίαν προσεῖπεν. *Hæc autem Bithiniæ vicina, in qua hoc prædiolum.* *Antigonia vrbi.*

Οὐκ ἀναμένοντα *locus hic erat confusus, quem germano sensui restitui; quid enim volebat:* Non expectans, donec à tempore Bacchum accipiat: *significat, non esse ex vinis asperis, quæ oporteat tempore condiri, ac mitigari.*

Νέκταρος ἀποῤῥῶξ Ὁμήρῳ πιστεύοντι. *Allusit ad illud Odysseæ 9. vers. 359.* *Vinum latex nectaris.*

Ἀλλὰ τὲ δ' ἀμβροσίης, καὶ νέκταρος ἐστὶν ἀποῤῥῶξ.

Verùm

Verùm hoc ambrosia, & nectaris est latex, inquit de vino generoso, quod postea Panyasis est imitatus.

Νέφάλιος ὁ τοῦ Διονύσου κρατὴρ. *Aqua dilutus Æschylus, in Eumenidibus aquam vocat,* χοὰς ἀοινοὺς νηφάλια μειλίγματα.

Iuliani immanis frugalitas. *Hanc autem frugalitatem in Iuliano commendat Ammianus, lib.25. & immanem fuisse (vt eius verbo vtar) asseuerat.*

Omitto prolixas villarum descriptiones, quas vide apud Plinium lib.2. epist.17. & lib.5. ep.6. & apud Sidonium Apollinarem, lib.2. ep.2.

SOLITVDO TORRIDA.

Ex Curtio, lib.4.

Descriptio CXXIV.

AC primo quidem, & sequenti die tolerabilis labor visus, nondum tam vastis solitudinibus aditis, iam tamen sterili, & moriente terra: Sed vt se aperuere campi alto obruti sabulo, haud secus, quam profundum æquor ingressi: terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium, aquæ etiam deuexerat, quam vtribus cameli deuexerant; & in arido solo, ac feruido sabulo nullæ erant. Ad hæc sol omnia accendebat, siccaque, & arida erant omnia, cum repente siue illud Deorum munus, siue casus fuit: obductæ cœlo nubes, solum vigente æstu fatigatis, etiamsi aquæ deficeret auxilium. Enimuero, vt largum quoque imbrem excusserunt procellæ, pro se quisque excipere eum, quidam ob sitim impotentes sui, ore quoque hiante captare cœperunt.

SPELVNCA.

Apuleius, lib.4. metam.

Descriptio CXXV.

MOns horridus, syluestribusq; frondibus vmbrosus, & in primis altus fuit. Huius per deuexa obliqua, qua saxis asperrimis, & ob id inaccessis, cingitur: conualles lacunosæ, caueaq; nimium aggeratæ, & quaqua versus repositæ, naturalem tutelam præbentes ambiebant. De summo vertice fons affluens, bullis ingentibus scaturiebat, perq; prona delapsus, euomebat vndas argenteas, iamq; riuulis pluribus dispersus, ac valles illas amnibus stagnantibus irrigans, in modum stipati maris cuncta cohibebat. Insurgunt verò speluncæ, qua margines montanæ desunt, turris ardua, caula firma, solidis cratibus, ouiliq; stabulatione commoda, porrectis vndique lateribus, ante fores exigui tramites, vice structi parietis attenduntur.

Adde Corycium specum qui describitur à Pomponio Mela. l.1. c.13.

CORYCIVS SPECVS.

Ex Pomponio Mela, lib.1. cap.13.

Descriptio CXXVI.

SVpra Specus est nomine Corycius singulari ingenio, ac supra quam vt describi facilè possit eximius. Grandi namque hiatu patens, montem littori appositum, & decem stadiorum cliuo satis arduum, ex summo statim vertice aperit. Tunc altè demissus, & quantum dimittitur amplior, viret lucis pubentibus vndique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, vt mentes accedentium primo aspectu consternat, vbi contemplati durauere, non satiet. Vnus in eum descensus est, angustus, asper, quingentorum & mille passuum, per amœnas vmbras, & opaca syluæ quiddam agreste resonantis, riuis hinc atque illinc fluitantibus.

RVPES.

Curtius lib. 6. & 8.

Descriptio CXXVII.

PRærupta erat rupes, quæ spectat Occidentem, eadem, quę vergit ad Orientem, leuiore submissa fastigio: multis arboribus obsita. Perennem habet fontem, ex quo largæ aquæ manant. Circuitus eius nonaginta duo stadia comprehendit. Petra, non vt pleræque modicis, ac mollibus cliuis, in sublime fastigium erescit, sed in metæ maximæ modum erecta est, cuius ima spatiosiora sunt. Altiora in altius coëunt, summa in acutum cacumen exurgunt Radices eius Indus amnis subit præaltus, vtrimque asperis ripis. Ab altera parte voragines, eluuionesq; præruptæ sunt, nec alia expurgandi patebat via, quam vt replerentur.

VITIS.

Ex D. Ambrosio, Hexam. lib. 3. cap. 12.

Descriptio CXXVIII.

PRimum omnium, nihil gratius florentis odore vitis: siquidem de flore earum succus expressus, poculi genus conficit, quod & voluptati, & saluti sit. Deinde, quis non miretur, ex acino vinaceo, vitem vsque in arboris summum cacumen prorumpere, quam, velut quodam amplexu fouet, & quibusdam brachiis ligat, & circumdat lacertis, pampinis vestit, sertis vuarum coronat? Quæ ad imitationem vitæ nostræ primum viuant, defigit radicem; Deinde, quia natura flexibilis, & caduca est, clauiculis, quasi manibus quibusdam, quicquid apprehenderit, stringit; hisq; se erigit, & attollit.

SEGES.

Ex eodem D. Ambrosio, lib. 3. Hexam. c. 8.

Descriptio CXXIX.

SVscipit igitur granum tritici putris gleba, & sparsum cohibet occatio, ac velut materno terra gremio fouet, ac comprimit. Inde, cùm se granum illud resoluerit, herbam germinat: grata ipsa iam species herbescentis viriditatis, quæ statim genus satum similitudine sui prodit, vt in ipso suæ stirpis exordio, cuius generis herba sit, cognoscas; atque in herbis fructus appareat, paulatimq; adolescit in fœnum, culmoq; pubescens erigitur, & assurgit. Ast vbi se geniculata iam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera eius primordia, aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæua discutiat. Succedunt quidam ordines spicæ, mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam prouidentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere, velut quædam cèdat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, vt geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, nec impar arbor onere curuetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum, vt quasi quadam in arce prætendat, ne auium minorum morsibus suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteratur.

Compara qua habet Cicero, lib. de Senectute.

PALMA INDICA.

Maffæus, lib. 7.

Descriptio CXXX.

MVltis rebus ad victum necessariis earent incolæ, sed pro iis omnibus vna est palma; sic eam appellant, Iudaicis, & Africanis careotas ferentibus longè præstantior: quippe non proceritate solum, & pulchritudine excessit; verum etiam tota prorsus in vsu est, ita multiplici, vt vulgo, si quem frugi, & industrium laudibus efferre volunt, palma vtiliorem appellent. Tengam Narlemve Indicorum, seu nucem Indicam Lusitani

sani dixere. Humani ferme capitis magnitudine: duplici operimento: quorum exterius in summo læue, stupea intus densitate (cairum vocant) netur, ac texitur, cannabis, & sparti modo, cum alios in vsus, tum præcipue in vtilium nexus, & anchoralia: Neque materia vlla ad nauticos funes, & maris impetus obsequentior: namque vt salsuginem amat, ea planta. Cairum quoque ex ea prognatum, & marinis aquis immersum identidem reuiresçit: & Anchoris illigatum fluctuantes salo naues egregie continet. Non tam ab innata duritie, vel operis firmitate, quam viriditate ipsa, & lentitia quadam, ad instar corij; vt se vel in altum elato nauigio, miram in tenuitatem extendat: vel residente rursus in crassitudinem contrahat.

Quod secus in nostris euenit rudentibus: quæ nimirum ipsa vi, ac pertinacia sæpe rumpuntur: Interior autem calix, ruso colore, & globosa rotunditate præduras, addito auro, vel argento in pocula figuratur: ipsa vero pomicaro, amygdalæ in modum pinguedine quadam, & grato sapore lactescens, non per se tantum in cibo grata est, ac salubris; verum etiam vbi visum fuerit, exhausto lacte paulatim in oleum eliquatur; Totus autem racemus dum ex eo tener adhuc emicat, fructus, nodo constrictus; ac leniter incisus, in abdita oris angusti vascula opimum instillat succum: ex quo variis artibus, coctionibusque, veteri (vt Strabo ipse testatur) inuento, mel seu saccarum, vinum, acetumq; perficitur. Iam folia cum & librariis pro papyro sint, & loco tegularum imposita domibus arceant imbres: tum etiam in vestis formam facili simul, ac spisso contextu nectuntur: denique vna, eademq; arbor omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta, ac materiem præbet: quippe truncum, & ramos in malum, assamenta, clauosque: comam in vela: Cairum in funes (vt dictum est) omnium optimos: filaq; ad laterum futuras, postremo cocum ipsum, quæq; ex ipso conficiuntur in onera: Ita non sine miraculo quodam omnibus plane rebus ex semet apta, & instructa nauigat palma, eademq; discussa per hyemem viuaces ad prunas, lenta ignium alimenta suppeditat.

Incolæ importato lino, sericoq; talares tunicas eleganti opere, texunt, quibus honestius multò, quàm cæteri Indi velant corpora. Piscantur etiam palmeis verriculis minuta conchylia, sunt qui venereæ Conchæ genus putent, miro splendore, & colorum varietate; hæc saburræ loco in onerarias indita, ac diuersas in regiones euecta, apud Gangaridas, & Sionios, vilioris monetæ explent vicem: ad res parui pretij coëmendas: apud Hesperios autem Æthiopas, cum rebus etiam carioribus permutantur. *Maff. l. 7.*

VIOLA MARTIA.

Descriptio CXXXI.

HÆc humilis per terram repit fragrariæ modo, folia fundens à radice multa, lata, onerosa, per ambitum leuiter serrata, hederæ foliis minora, rotundiora, tenuiora, nigrioraque, præsertim parte superiore, inter quæ medij exeunt pediculi tenues, teneriusculi, singuli singulos flores ferentes, pulchros, odoratos, colore in nigro purpureos, nonnumquam pallidiores, nonnunquam candidos, ex quinaque foliis compositos, ac deinde pensiles folliculos, vasculave rotunda per maturitatem in tres partes dehiscentia, semen minutum, album in rotunditate oblongum, miliaceum, medullosum complectentia, radices tenues sunt, & fibratæ. *Ex hist. plãtarum Rouillij l. 7*

OCELLVS.

Damascenus Loiollet.

Descriptio CXXXII.

FOliis est longis, carnosis, duris, angustis, in extremo acuminatis, incanis, cauliculis multis, iunceis rotundis, geniculatis læuibus, cubitalibus, aut altioribus, coëuntibus pyridatim internodiis, in quorum, & iis adnatorum cacuminibus calices sunt longi, teretes glabri, orbiculo superiore denticulati, è quibus flores omnium speciosissimi prodeunt, ex senis foliolis, qui simplices sunt, ex multo pluribus multiplices per extremas oras scite fimbriati caryophillorum odoratu, sed longe suauissimo, colore alias purpurascente dilutius, alias intensiores rubore nitente, alias candido. *Rouill. l. 7.*

Suns

Sunt & non pauci albi, & purpureis punctis aspersis versicolores, quæ coloris varietate, & odoris suauitate, cum rosis de principatu certant.

LILIVM.

Ex D. Ambrosio, c. 8. lib. 3. Hexam.

Descriptio CXXXIII.

COnsiderate lilia agri, quantus sit candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, vt Scyphi exprimant formam, vt auri species quædam intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta, nulli pateat iniuriæ.

Idem expressum ex Plinio, &c.

NVm vero talis est lilij pulchritudo? num excelsa species? Num maiestate cinctum caput, cuius oneri vix collum sufficit? num argenteorum foliorum striati ordines? num paulatim in latitudinem se explicantes angustiæ? num resupina per ambitum labella, num delicatissima, quæ interius sunt fila? num filorum stantia crocis aureolis capita? num odor, num candor eximius, satis istud, vel me tacente, prædicant? egregio flore digna vestis, cuius viror radiat, fulget purpura, aurum rutilat, crocus accenditur, tot enim sunt in lilio colores, vt Theophrastus, Plinius, & Dioscorides naturalis historiæ antesignani authores memorant? quin & lilia tota rubentia narcissos vocant, *O flos naturæ corculum*, & mundi delicium: macte ista specie, macte tam vario colorum apparatu. Felix quidem in multis, sed in vno omnium felicissimus, quod præconem habes tuarum laudum, non Apollinem, sed Christum, qui te regis magni opulentiæ anteposuit.

LILIVM PERSICVM.

Ex Rouillo, l. xv.

CAulis est Lilio Persico ternum cubitorum, quem fusè ambiunt folia ex cœruleo virentia, mucronata, liliis cruentis paria; flores nutantes, nolarum effigie obsoleta purpura nigricant: radix bulbosa, fissa, minimè squammis loricata, albida, auersa parte sessilis, & plana, porrectis subtus obscurè flauentibus.

ROSA.

Ex D. Ambrosio.

Descriptio CXXXIV.

SVrrexerat antea floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: Postea spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. *Amb. Hexa. l. 3. c. 11*

VER.

Ex Theophylacto.

Descriptio CXXXV.

ΟΙΟν δὲ τὸ διαβῆναι παραῤῥέον ὑδάτιον ὡς ἡδὺ δὲ ὁ ζέφυρος ὑποκινῶν ἠρέμα τοὺς κλάδους, τὸ κίλαι δὲ καὶ ὀνρίθων ᾠδαὶ, καὶ ἀνθέων χροιαὶ. καὶ λειμῶνος θάμνοι. τὰ μὲν γεωργίας ἔργα, τὰ δὲ φύσεως δῶρα, πάντα εὐώδη γῆς ὑγιαινούσης χυμοὶ, τότε νυμφῶν ἄντρον οὐκ ἐπαινέσομαι. θεοκρίτου γὰρ δεῖ.

LIcet præterlabentem riuulum transgredi: Quam vero suauiter Zephyrus tacito strepitu mouet ramos, ac frondes? Ad hæc variæ auium cantiones accedunt, florum colores, pratorum frutices, partim agricolationis opera, partim naturæ dona: omnia suauissimo odore fragrantia: terræ humores saluberrimi: Nympharum vero antrum non laudabo: requirit enim Theocritum.

Argu-

Argumentum istud copiosum est, & passim occurrit: prolixè Libanius id exequutus est in ἔαρος ἐκφράτει, *triumphat quoque in eo genere Gregorius Nazianzen cuius ego descriptionem Latinè reddo libro decimo quarto.*

R V S.

Ex eodem Theophylacto.

Descriptio CXXXVII.

Ὁ Κορύδων, εὐδαίμων ἀνὴρ, καὶ τῆς τύχης φίλος, ὡς ἔοικεν. αἱ ἄμπελοι ταῖς βοτρύσιν ἄχθονται· αἱ ἀχράδες βρίθουσι, καὶ τῶν τρυγώντων ὀρέγονται. αἱ ἐλαῖαι τῇ γῇ προσνενεύκασι, καὶ τῷ πλήθει τοὺς ἐνεγκαμένους κλάδους βιάζονται· οἱ λειμῶνες κατάκομοι· ἡ ἄλλως ταῖς νελοαῖς ἐφάμιλλος αὐλαξιν. ἀλλὰ καὶ τὸ γύναιον μετὰ τῶν ἄλλων εὐφραίνει τὸν ἄνδρα. τοσοῦτοι γὰρ παῖδες αὐτῷ ὥστε καὶ Δαναὸν, καὶ Αἴγυπτον ταῖς εὐτεκνίαις νηκᾶν. ἄλλος μὲν γὰρ ἐστιν ὑπομάζιος, ἄλλος τῆς γαλουχείας ἐπαύσατο. ἕτεροι δὲ ἔρπουσι μήπω τῆς ὀρθῆς βαδίσεως ἀπαρξάμενοι. ἔνιοι παραταυλίζουσι, καὶ τοὺς ὀδόντας ἀμείβουσι· ἄλλοι τῆς ἀκμῆς ἐπιβαίνουσι. καὶ ἤδη παῖδες εἶναι κεκλήρωνται· σύριγγος δίκην αὐλῶν ἡ τῆς ἡλικίας αὐτῷ τάξις συντέτακται.

COrydon homo beatus, & fortunæ amicus, vt apparet. Vites grauantur botris, pyri onustæ sunt, & vindemiatores postulant, oliuæ ad terram inclinant, & præ multitudine ferentes ramos onerant: prata comis luxuriant; area paleis æqualis est sulcis. Sed & vxorcula cum reliquis hominem oblectat, tot enim sunt ei liberi, vt etiam AEgyptum, & Danaum, liberorum felicitate superet: alius enim adhuc mammellis adhæret, alius iam lactere desijt, cæteri repunt, qui nondum recte gradi cœperunt: quidam balbutiunt, & dentes efferunt: reliqui ad vigorem ætatis accedunt, & iam adolescentiam grandiorem sortiti sunt: ad modum distinctionum tibiæ, series ætatis est ei composita.

H Y E M S.

Ex eodem Theophylacto.

Descriptio CXXXVIII.

Ἀπῆν τὸ μετόπωρον, καὶ ὁ χειμὼν ἀπήντα γῇ. ἡ δὲ θάλαττα τὰς γαληνιαίας σπουδὰς διελύσατο, οἱ πλωτῆρες τοὺς λιμένας ὡς σωτῆρας ὅτας ἠσπάζοντο, καὶ ὁ γεωργὸς ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀλέαν κατέφυγε, καὶ ὁ μύρμηξ ἐν ταῖς λαγόσι τῆς γῆς, καὶ τοὺς πόνους εἶχεν ἑστίασιν ἐπιτήδειον.

PRæterit Autumnus, & iam hyems terræ ingruit; mare tranquillitatis fœdera rupit: nauigantes portus, quasi sospitatores amplectuntur: & rusticus ad focum confugit, & formica in cauernis terræ suis laboribus parto victu fruitur.

TEMPESTAS.

Legendus Curt. lib. 4. Val li. 1. c. 8. Liuius, lib. 21. & 40. circa finem. D. Chrysost. epist. 1. ad Olympiadem Diaconissam, & cæteri. Diserte quoque describit Maff his verbis:

Descriptio CXXXVIII.

OCeani sæuientis, ventorumque furentium ea præcipuè regna sunt, in id spatium audacius, quam felicius ingressis Maio mense Lusitanis: flammeus cometes horribili specie, in decimum vsque diem continenter apparuit: iamque variante sæpius cœlo ac pelago, atræ, ac sordidæ nubes, ad Septentrionem conglobatæ, omnem in se flatum, quasi reciprocando collegerant: mare languidum erat; insidiosa tranquillitas: nautæ locorum ignari, ac tempestatum, ad auram vndique captandam, totos velorum expanderant sinus, cum ex ijs, quas dixi nubibus, vniuerso repente impetu fese effundens aquilo, transuersas quatuor naues, quarum ad contrahendum minus aptè disposita fuerant armamentaria, inspectantibus cæteris, momento ita euertit, & obruit, vt è tanto hominum numero nemo prorsus euaserit. In ijs Bartolom. Diazius, cuius supra meminimus; rei nauticæ gloria in primis illustris, cùm è tot iam, ac tantis periculis antea fuisset ereptus, miserandum in modum interijt; saluti alijs fuere, vel demissæ raptim antennæ, vel vbi id non licuit, vela ipsa vento disrupta: eo tam horrendo spectaculo exanimati qui superfuerant consanguineos alij, alij caros, amicosq; oculis frustra requirere: ad lachrymas, & complorationem, proni, vtquos in mœrorem ex interitu alieno sui cuiusque periculi metus obstupefaceret. Quippe Borea pertinaciter fiante, pelagus identidem intumescere, fluctus modo ad astra ferri, modo ad tartara pœne ima subsidere: Naues cum extremo salutis discrimine propemodum inter se collidi. Ad hæc atra caligo, & rudentium stridor, & dissonæ voces, varia, & incerta iubentium, non oculorum modo, sed etiam aurium vsum abstulerant: Quin, & salum ipsum interdiu picco, noctu igneo colore terrebat.

TERRÆ MOTVS.

Ammianus lib. 17. cap. 7.

Descriptio CXXXIX.

IIsdem diebus terræ motus horrendi per Macedoniam, Asiamque, & Pontum, assiduis pulsis oppida multa concusserunt, & montes. Inter monumenta tamen multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades: Bithyniæ vrbium, matris, cuius ruinarum euentum verè, breuiterque absoluam.

Primò lucis exortu ad diem Nonum Cal. Septemb. concreti nubium globi nigrantium lætam paulò ante cœli speciem confuderunt: & amandato solis splendore, nec contigua, vel oppositа cernebantur. Ita oculorum obtutu perstricto, humo inuolutus crassæ caliginis squalor insedit. Dein velut à numine summo fatales contorquente manubias, ventoque ab ipsis excitante cardinibus, magnitudo furentium incubuit procellarum: cuius impetu pultorum auditus est montium gemitus: & elisi littoris fragor: hæcque sequuti Typhones, atque pesteres, cum horrifico tremore terrarum, ciuitatem, & suburbana funditus euerterunt; & quoniam accliuitate collium ædes pleræque vehebantur: aliæ super alias concidebant, relanguentibus cunctis, sonitu ruinarum immenso. Interim clamoribus varijs excelsa culmina resultabant, queritantium coniugum, liberosque, & si quid necessitudinis arctè constringit.

Post horam denique secundam, multò ante tertiam aër iam sudus, & liquidus, latentes retexit funereas strages. Nonnulli enim superruentium ruderum vi nimia constipati, sub ipsis interiere ponderibus; quidam collo tenus aggeribus obruti cum supersesse possent, si qui iuuissent, auxiliorum inopia necabantur. Alij aliquorum extantium acuminibus fixi pendebant: vno ictu cæsi complures: paulò ante homines, nunc promiscuæ strages cadauerum cernebantur. Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos, angore, & inedia consumendo.

Vide quoque Dionem, seu Xiphilinum in Traiano.

DI-

DILVVIVM.

Ex Basilio Seleuciæ oratione in Noemum.

Descriptio CXL.

ΑΝωθεν οὐρανὸς χειμάῤῥους ἠκόνιζε, κάτωθεν ἤπειρος ἀβύσσους ἀνέπεμπε, καὶ πρὸς τὴν ὕδατος φύσιν ἡ κτίσις ἐστοιχειοῦτο. οὐκ ἔτι ξηρᾶς καὶ θαλάττης διάκρισις, ἑνὶ ῥείθρῳ τὰ πάντα συνείχετο, οὐκ ἔτι πηγαὶ, καὶ λίμναι, καὶ κρῆναι σὺν χάριτι ῥέουσαι, ἀλλ' ἀγρίοις πελάγεσι κατεποντίζοντο τὰ σύμπαντα. οὐ βλαστημάτων κάλλη, καὶ δένδρων ἄνθη, οὐ πόλεις, οὐ πεδιάδες, οὐχ' αἱ τῶν ὀρέων κορυφαὶ, ἀλλὰ πάντα τοῖς κύμασιν ἐναυάγει, κοινῷ καλυπτόμενα τάφῳ. οἱ πολυάνθρωποι δήμοι σὺν κακίᾳ τῆς γνώμης ἐκυβίσων ἐν μνήμασι. ἦν γὰρ ζῶντες ἐμόλυναν, ἀποθνήσκειν ἀπ' αὐτῆς οὐκ ἠξίουντο. οὕτω μὲν οὖν τῇ τοῦ κατακλυσμοῦ περιβληθέντες σαγήνῃ, ἐν ταῖς τῶν κυμάτων πληγαῖς σφενδονούμενοι πρὸς ἐλεεινὸν θανάτου τρόπον ὑπεφέροντο, ταῖς ἀλλήλων συμφοραῖς ἀμωρούμενοι. οἱ μὲν ἀθρῷον χωσθέντες τοῖς ὕδασι, νεκροὶ ταχεῖς ἀπεδείκνυντο· οἱ δὲ ἐμπνέοντες, αἰσθήσει τοῦ πάθους μακρὸν ὑπεδέχοντο θάνατον. ἄλλοι δὲ καὶ πρὸς βραχὺ προσκατερήσαντες, μακροτέραν τοῦ θανάτου τὴν ἀμωρίαν ὑπέμειναν, πόσοι πρὸς τὰς τῶν ὀρέων κορυφὰς ἀναδραμόντες, ἀκαίρῳ φυγῇ τὸν φόβον ἐξήλεγξαν; πόσοι πρὸς τοῖς τῶν φυτῶν ἀκρωρείτας ἀνέρποντες κατελαμβάνοντο, καθάπερ πτερῷ τῷ τάχει τῶν ῥεύματος, ἐπέκειτο διώκων ὁ κατακλυσμὸς προσαναβαίνων τοῖς ὕψεσι. κατόπιν ἔφερε τὰ σύμπαντα, ἕως ἅπαντας δήσας, ὁ αὐτὸς θάνατος ὁμοῦ, καὶ τάφος ἐγίνετο. ἑρπετὰ τοῖς ἀνθρώποις νεκρωθέντα συνεπεπόλαζε. ἄλογος φύσις μετὰ θάνατον τοῖς λογικοῖς συνείχετο. κύνες ἀνδράσιν ἑνὶ καλυπτόμενος κύματι, καὶ πλήσιον ἀλλήλων λοιπὸν περιδινόμενοι, κοινῇ τὸ ζῆν ἀπετίθεντο. Νῶε δὲ μόνος ἐν πανδήμῳ θανάτῳ ζωὴν ἐκαρποῦτο παράδοξον. καθάπερ ἰς κυ-

SVpernè cœlum torrentes iaculabatur, infernè terra abyssos relaxabat, & dum aquæ emergebant, ad aquas elementares creatæ res redigebantur. Nulla iam aridæ, marisque discretio, vnius fluenti alueo continebantur omnia, non iam scaturigines, & lacus, non fontes cum voluptate fluentes, sed immanibus vndis demergebantur vniuersa. Non germinum species & arborum flores, non vrbes, non planities vlla, non montium vertices, sed omnia fluctus inter naufragium communi operta sepulchro, frequentissimæ gentes vna cum animi improbitate volutabantur in monumentis; quæ enim viuentes se conspurcauerant, ab ea morientes non merebantur abiungi Ita diluuij sagena comprehensi inter fluctuum vortices rotati, ac mutua calamitate puniti, miserando mortis genere surripiebantur: hi confertim aquis oblimati, confestim mortui videbantur: illi spirantes non sine mali sensu longam excipiebant mortem: alij modico durantes tempore longius morte cruciamentum sustinebant. Quam multi montium capita incursantes, intempestiua fuga trepidationem inutilem ostenderunt? quàm frequentes, qui ad arborum vertices adrepserant, comprehendebantur rapidissimè vndis aduolitantibus? Instabat acerrimè diluuium ad alta quæque ductum, à tergo ferebat omnia, donec simul omnibus implicatis idem mors esset, & tumulus: mortua cum hominibus reptilia summis aquis innabant. Rationis exsors, consorsque natura vna morte comprimebantur: canes cum hominibus ijsdem operti fluctibus, ac deinceps propè inuicem circumuoluti communiter vitam ponebant. Noemus verò solus per omnium gentium stragem vita fruebatur inopinata. Quemadmodum gubernator quispiam in nauis meditullio fidei tractans gubernacula, & diluuio circũquaq; obsessus inconsumptus manebat, qui creaturarum seruabat reliquias, qui Dei creaturis custos appositus erat, qui in arca velut arce stadium decurrebat, qui creatura naufragium faciente placidè solus enauigabat, qui fide & ligno diluuioni vim afferebat.

βερνήτης ἐν μέσῳ τῷ σκάφει τοὺς τῆς πίστεως μετὰ χειριζόμενος οἴακας, καὶ τῷ κατακλυσμῷ πάντοθεν πολιορκούμενος, ἀνάλωτος ἔμενεν, ὁ τῆς κτίσεως λειψάνων ταμείας, ὁ φύλαξ τοῦ θεοῦ δημιουργημάτων ταχθεὶς, ὁ καθάπερ ἐν ἀκροπόλει τῇ κιβωτῷ σταδιεύσας, ὁ τῆς κτίσεως ναυαγούσης μόνος γαλήνιος ὡς διαπλεύσας, ὁ πίστει καὶ ξύλῳ τὸν κατακλυσμὸν βιασάμενος.

PARVVLVS IN AQVIS SVFFOCATVS.

Ex eodem authore in Moyse.

Descriptio CXLI.

Καὶ ἦν δρᾶμα παράδοξον. τοῦ δημιουργοῦ μὲν ἔπλαττον χεῖρες, βασιλέως δὶ χεῖρες τοῖς ὕδασι τὴν πλάσιν ἀπίλειφον. καὶ πανταχοῦ τῶν ὠδίνων ἦσαν κατάσκοποι, καὶ ποταμὸς τῶν τικτομένων ἐχειροτονεῖτο δήμιος. νόμος ἐγράφετο, καὶ φύσις ἠυθύνετο, καὶ πράσις ἐκρίνετο, ὠδῖνες κατεδικάζοντο, καὶ τόκος ἐδοκιμάζετο, καὶ φύσεως παῤῥησία σεσύλητο. ἐλόχα δὲ ποταμὸς τὰ ἀκτόμενα, καὶ διεδέχετο τὰς τῶν μητέρων γαστέρας, ἢ τῶν ῥευμάτων γαστήρ. ἀρτὶ βρέφος ἐτίκτετο, καὶ μήπω τὰς ἡλιακὰς ἀκτῖνας θεώμενον, πρὸς τὰς τοῦ ποταμοῦ ὠδῖνας ἐπέμπετο, πρᾶγμα πάντων ἐλεεινότατον. φονεὺς ὁμοῦ καὶ τάφος ὁ ποταμὸς τῶν τικτομένων ἐγίνετο, καὶ τόκος τῷ θανάτῳ σύγχρονος. ἀναίρεσις τῇ γεννήσει συνέζεχε, καὶ μητέρες ἄχρι τῶν ὠδίνων ἐρχόμεναι, γένεσθαι μητέρες ἀπηύχοντο. ἀγνοίᾳ τοῦ τικτομένου στῆναι τὰς ὠδῖνας εὐχόμεναι, προλαβεῖν ἐπιθυμοῦσαι τῷ θανάτῳ τὸν τύκον, ἵνα μὴ τῷ ποταμῷ μητέρες ὑπάρξωσι. πένθος ἦν αὐταῖς πρὸ τοῦ τόκου τὸ ἀκτόμενον, καὶ γαστέρες ἄκαρποι μετὰ γόνον καὶ κόκον ἠυρίσκοντο. καὶ ὠδίνων τὰ βέλη δεχόμεναι, δεῖξαι τῶν πόνων τοὺς καρποὺς οὐκ ἠδύναντο. τὰς ὠδῖνας ὑπέμενον, καὶ τῶν ὠδίνων τὸν καρπὸν οὐκ ἐδέχοντο. ἄωροι βόζυες ἐστρυγῶντο τῆς φύσεως. τοιαύτη μὲν ἡ τῶν ἀνθρώπων πρὸς τὸν θεὸν φιλονεικία.

ERatque facinus perquam insolens. Quod Dei manus efformabant, regis manus aquis obliterabant. Vbique erant genituræ speculatores, & fluuius natorum carnifex constituebatur. Lex seruabatur, & natura mulctabatur, & si qua periculi redemptio, iudicio erat obnoxia. Parturæ damnabantur, & partus explorabantur, naturæ quoque libertas spoliabatur. Fluuius partum insidijs excipiebat, & matris aluo fluminis alueus succedebat. Fœtus recens editus, ac nondum solare iubar contuitus, ad fluuij dolores transmittebatur. Rem sane commiseratione dignissimam! infantium iugulator erat fluuius, pariter, & sepulchrum; ac genitus morti coæuus, stragesque cum generatione concurrebat, quæque matres ad partionis vsque molestiam processerant, genitrices fieri deprecantur; quod partum futurum ignorarent, stare suos dolores præoptantes, & mortem ante pactum oppetere gestientes, vt ne fluuio genuisse viderentur. Partus illis ante partum luctum pariebat, & post conceptum partumque ventres fructu priuati reperiebantur. Nec quæ in partura erant expertæ dolorum spicula, fructum commonstrare poterant: pariendi molestiam sufferebant, nec vllum ex doloribus fructum capiebant. Immaturi naturæ racemi vindemiabantur. Talis erat hominum cum Deo contentio.

TEM-

TEMPLVM.

De vrbibus, templis, & ædibus dixi superiori libro, non erit tamen hic abs re audire Egnatium de Venetiani templi structura.

Descriptio CXLI.

TEMPLVM D. Marci Venetijs, non tam magnitudine, & vastitate sua, quam ornatu insigne: & in primis augustum, si primum ingrediare, crucis figuram præferre videtur: cuius anguli in altissimas consurgunt turres, ac testudines: quarum fastigia, vt reliqua templi facies, plumbeis tegulis adoperta, ad centum viginti stadia ex alto ad vrbem nauigantibus, inter eminentissima vrbis ædificia occurrant, superbissimi ad id fornices, mira inter se arte coeuntes totam molem fulciunt. Quicquid operis est à media templi parte, purissimo fulget auro, Mussiuo opere mirificè variegatum: in ipso testudinum connexu Græcanici operis vetustissimæ imagines, mœsta quadam, ac venerabili præsentia horrorem cum religione mixtum oculis spectantium inferunt, marmoreæ vndique tabulæ, ad pauimentum vsque ipsum, varij marmoris, occurrunt, tanto artificio sibi ad inuicem compositæ, vt eædem inter se similes videri possint. Sedilia circum eadem marmorea. Pauimentum vermiculato opere marmoreis frustis distinctum. Columnæ complures Parij lapidis, vel Thapsici, aut Numidici, cum duplici suggestu marmoreo. Cautum decreto publico fuerat, vt quicquid egregij operis Veneti, ipsi nauigantes, quocunque terrarum ambirent, id ipsum Venetias deferrent. Vestibuli aurei fornices, trecentis, & amplius fulciuntur columnis, magnitudine, & colorum varietate conspicuis, intercolumnia, & quicquid in area ipsa operis est cum ipso pauimento, marmoreis tabulis pro tectorio renidet, vestibuli partem superiorem, equi quatuor ænei diuerso statu, varioque exornant, templi supercilium senis sese pinnaculis explicat: quorum singula in tabernaculi speciem surrecta singulas habent ex candido lapide statuas, nudi genij, aliaque splendidissimi aspectus simulachra, suoque statu operibus inserta, miro quodam modo ipsam pinnarum exornant intercapedinem. Extructum ferunt sub Sebast. Ziano duce ab architecto Constantinopolitano.

DOMVS.

Ex Apuleio.

Descriptio CXLII.

IAmque sufficienti recreata somno, placidiore surgit animo: videt lucum proceris, & vastis arboribus consitum; videt fontem vitreo latice perlucidum, medio luci meditullio, propè fontis ad lapsum domus regia est, ædificata non humanis, sed diuinis manibus, ac artibus. Iam scies ab introitu primo Dei cuiuspiam luculentum, & amœnum te videre diuersorium. Nam summa laquearia citro, & ebore curiosè cauata, subeunt aureæ columnæ: parietes omnes argenteo cælamine conteguntur: bestijs, & id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium. Mirus prorsus magnæ artis homo, imò semideus, qui magnæ artis subtilitate tantum effigiauit argentum: Enimuero pauimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminantur vehementer: Iam cæteræ partes longè lateque dispositæ domus, sine pretio pretiosæ, totique parietes solidati massis aureis splendore proprio coruscant, vt diem suum sibi domus faciat, licèt sole nitente: sic cubilia, sic porticus, sic ipsæ valuæ fulgurant. Nec secus opes cæteræ maiestati domus respondent; vt equidem illud rectè videatur ad conuersationem humanam magno Ioui fabricatum cœleste palatium.

(**)

NAVIS.

Ex Luciano.

Descriptio CXLIII.

Ἀλλὰ μεταξὺ τῶν λόγων ἰλίκη ναῦς, εἴκοσι καὶ ἑκατὸν πήχεων, ἐλέγετο ὁ ναυπηγὸς, τὸ μῆκος. εὖρος δὲ ὑπὲρ τετάρτου μάλιστα τούτου, καὶ ἀπὸ τοῦ καταστρώματος ἐς τὸν πυθμένα ἧ βαθύτατον κατὰ τὸν ἄνδρον, ἐννέα πρὸς τοῖς εἴκοσι. τὰ δὲ ἄλλα ἡλίκος ἦν ὁ ἱστός; ὅσον δὲ ἀνέχει τὴν κεφάλην; εἶτα δὲ πρότονος κέχρηται; ὡς δὲ ἡ πρύμνα ἦν ἐπανέσηκεν ἥρεμα καμπύλη χρυσοῦν χηνίσκον ὑπικειμένη, κατανλικρὺ δὲ, ἀνάλογον ἡ πρῴρα ὑπερβέβηκεν ἐς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νηὸς θεὸν ἔχουσα, τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν.

Ὁ μὲν γὰρ ἄλλος κόσμος, αἱ γραφαὶ, καὶ τὸ ἐσθὶς τὸ πράσιον πυραυγὲς, καὶ πρὸ τούτων αἱ ἄγκυραι, καὶ τροφεῖα, καὶ περιαγωγεῖς, καὶ αἱ μετὰ τὴν πρύμναν οἰκήσεις θαυμάσια πάντα μοι ἔδοξε· καὶ τὸ τῶν ναυτῶν πλῆθος στρατοπέδῳ ἄνδρας εἰκάσειεν. ἐλέγετο δὲ καὶ τοσοῦτον ἄγειν σῖτον ὡς ἱκανὸν εἶναι πᾶσι τοῖς ἐν τῇ Ἀττικῇ ἐνιαύσιον πρὸς τροφήν.

SEd interea dum sermones serimus, quanta nauis haec sit centum, & viginti cubitos in longitudinem porrecta: latitudine autem supra quartam maximè partem mensuræ huius patens: tum à summis foris, ad summum vsque, quo profundissima est, eo loci videlicet, quo sententia desinit, nouem & viginti cubitos alta. Præterea autem quantus malus, quantamq; sustinet antennam? quanto autem tudente vtitur? vt autem ipsa quidem puppis paulatim assurgit inflexa, atque aureum anserculum supernè habens, impositum: è regione verò ejus proportione proia prominet, in anteriorem partem, longè porrecta, cognominem naui Deam, Isidem videlicet, vtrimque additam habens.

Nam cætera quidem ornamenta vti picturæ, & veli flammeus ille, atque prasinus color, & ante hæc, anchoræ quoque, & vertendi circumagendique instrumenta, & habitationes illæ post puppim, omnia admiratione digna visa mihi sunt. Iam & nautarum multitudo, cum exercitu comparari posset, dicebatur autem tantum frumenti numerum portare, quantus in annuum victum sufficere omnibus in Attica posset.

SCYPHVS.

Ex Tursellino.

Descriptio CXLIV.

HENRICVS III. cum Lauretanam Virginem, publicis implicitus negotijs visere, ac muneribus colere ipse non posset, Lusitanum vnum ex proceribus Galliæ suo loco ad eam destinauit, cum regali munere, anno M. D. LXXXIV. donum votiuum, Scyphus egregius erat, Virgini, vt virilem Regi, regnoque stirpem impetraret, munus, & materia, & opere maximè insigne, Scyphus ipse, ex gemma excauata: lapidem Lazuli vocant hodie (vt quibusdam placet) saphyrum appellabant. Hæc gemma eximia magnitudine est, & aureis internitet venis. Operculum Scyphi crystallinum tornatile, quod auro circunclusum clarissimæ gemmæ distinguunt. Porro in summo operculo Angelus aureus Gallici regni insigne Lilium adamantinum sustinet manu. Constat quippe lilium ex tribus adamantibus mira arte alligatis. Scyphi pes smaragdinus auro obducitur, atque sub-

ſubſternitur, circa, gemmis eximijs, & vnionibus adornatus: in ipſa ſmaragdini pedis ſolea, quam auream eſſe diximus, doni author, & cauſa literis inciſa.

SGLOPVS.

Ex Maffæo.

Deſcriptio CXLV.

NOndum apparuerunt gentibus ijs, nouæ ſubtilitatis, & operis admirandi baliſtæ: oblongum in tubum, & æqualiter teretem, ex ære fuſili figuratæ: quæ non funibus aut neruis intentæ ſingula mittunt ſpicula; ſed inexcogitata priſcis ratione: ad applicitos tenui ab tergo foramine igniculos, cum incremento multiplici rapiendos, certo primum nitrati, ac ſulphurei pulueris modo temperatæ: dein inſertos ore patente ferreos ex arte globos, catenaſque, & alia obturamenta, fulminum inſtar flammis eluctantibus, cum horrendo fragore contorquent.

VENATIO.

Philoſtrat. in amoribus.

Deſcriptio CXLVI.

ΜΗδὲ ὁ λαγωὸς ἡμᾶς ἐκεινοσὶ διαφευγέτω· συνθηράσωμεν δὲ αὐτὸν τοῖς ἔρωσι. τοῦτο τὸ θηρίον ὑποκαθήμενον ταῖς μηλέαις, καὶ σιτούμενον, τὰ πίπτοντα καταλεῖπον, διαθηρῶσιν οὗτοι, καὶ ταράττουσιν· ὁ μὲν, κρότῳ χειρῶν, ὁ δὲ, κεκραγὼς, ὁ δὲ, ἀναστείων τὴν χλαμύδα. καὶ οἱ μὲν ὑπερπέπονται τοῦ θηρίου καταβοῶντες· οἱ δὲ, μεθέπουσιν αὐτὸ πεζῇ κατ' ἴχνος. ὁ δὲ ὡς ἐπιῤῥίψων ἑαυτὸν ὥρμησε, καὶ τὸ θηρίον ἄλλην ἐζάπετο, ὁ δὲ, ἐπιβουλεύει τῷ σκέλει τοῦ λαγῶ· τὸν δὲ, καὶ διωλίσθησεν ἠρηκότα. γελῶσιν οὖν, καὶ καταπεπτώκασιν· ὁ μὲν, εἰς πλευρὰν, ὁ δὲ, πρυνής. οἱ δὲ, ὕπτιοι πάντες, ἐν τοῖς τῆς διαμαρτίας σχήμασι. τοξεύει δὲ οὐδεὶς, ἀλλὰ πειρῶνται αὐτὸν ἑλεῖν ζῶντα, ἱερεῖον τῇ Αφροδίτῃ ἥδιστον.

NE lepus quidem ille nos fugiat, ſed eundem venemur, vnà cum cupidinibus. Hanc feram ſub malis ſedentem, quæ poma cædiua, partim edit, partim ſemeſa relinquit; amores venantur. Hic quidem manuum plauſu, ille vero clamitans, tertius chlamydem concutiens; & alij ſuperuolant leporem clamoribus inceſſentes: alij verò ipſum per veſtigia inſequuntur. Hic autem, quo impetu ſe ipſum immiſſurus irruit? ſed fera aliò eſt conuerſa. At hic leporis cruri inſidiatur: huius verò è manibus lapſus eſt. Itaque rident, & ipſi ceciderunt, hic quidem in latus, hic verò pronus. Hi omnes ſupini, errorem vario indicante habitu: nullus autem ſagittas in eum mittit, ſed viuum capere conantur, Veneri ſuauiſſimam hoſtiam.

PRAE-

PRÆLIVM.

Ex varijs Poetarum Græcorum & historicorum sensibus, maximè verò Libanij, qui in ἐκφράσει πολεμαχίας id prolixè describit.

Descriptio CXLVII.

IN lato, patentiq́ue campo instruitur acies, stant in procinctu milites, ex hac parte glomerati inter se pedites, pes pedi, vir viro, clypeus denique clypeo consertus adhæret. Ex illa alarum vice explicantur equites, cristarum vmbris opacati, ære, ferroq́ue cataphracti, vnus est omnium ardor, scintillant oculi, spirat in vultu furor Martius, fiduciæq́ue permixtus horror, virtutem quasi subditis stimulis incitat: hinniunt interim equi, volitant signa, fulgent gladij, concinunt lituj, clangunt tubæ, & immani quodam strepitu tympana personant: Iam congressus, iam pugna, etiam pulueris nubes, varijq́ue discursus: iamq́ue tormentorum flammæ, & fragores, missiliumq́ue globulorum concitatæ grandines: mox colliſæ inter se in modum rostratarum nauium acies; trudunt, truduntur, feriunt, cędunt, vicissimq́ue feriuntur, & cæduntur; alternis veluti fluctibus reciprocatæ: sequuntur inde varia, quæ solent fortunæ ludibria, cædes multiplices, deuictorum fuga, clades nunc singulorum, nunc vniuersorum: eques, pedesq; confusi, armatis inermes, integris debiles impliciti, equi suffossi, in cruore lapsantes, trunca capita, succisi poplites, spirantia cadauera, morientium gemitus, insultantium clamores: atque inter hanc rerum faciem flumen exundans sanguinis.

NAVMACHIA BRVTI cum Massilienſibus, Cæsar. lib. 1. de bello ciuili.

Descriptio CXLVIII.

DVm hæc ad Ilerdam geruntur, Massilienses vsi L. Domitij consilio, naues longas expediunt, numero xvii. quarum erant xi. tectæ. Multa his minora nauigia addunt; vt ipsa multitudine nostra classis terreatur, magnum numerum sagittariorum, magnum Albicorum imponit; atque hos præmijs pollicitationibusq́ue incitat. Certas sibi deposcit naues Domitius, atque has colonis pastoribusq́ue quos secum adduxerat, complet. Sic, omnibus rebus instructa classe, magna fiducia ad nostras naues procedunt; quibus præerat D. Brutus: hæ ad insulam quæ est contra Massiliam, stationes obtinebant. Erat multo inferior numero nauium Brutus, sed delectos ex omnibus legionibus fortissimos viros antesignanos, centuriones Cæsar & classi attribuerat, qui sibi id muneris depoposcerant: ij manus ferreas, atque harpagones parauerant, magnoq́ue numero pilorum, tragularum, reliquorumq; telorum, se instruxerant; ita cognito hostium aduentu, suas naues ex portu educunt, cum Massilienſibus confligunt. Pugnatum vtrimque est fortissimè atque acerrimè: neque multum Albici nostris virtute cedebant, homines asperi & montani, exercitati in armis: atque ij modò digressi à Massilienſibus recentem eorum pollicitationem animis continebant; pastoreſq́ue indomiti spe libertatis excitati, sub oculis domini suam probare operam studebant. Ipsi Massilienses & celeritate nauium, & scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusq́ue eorum excipiebant, & quod licebat, latiore spatio, producta longius acie, circumuenire nostros, aut pluribus nauibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes deregere, vt possent, contendebant: cùm propius erat necessario ventum, ab scientia gubernatorum atque artificij, ad virtutem montanorum confugiebant. Nostri quòd minus exercitatis remigibus minusq́ue peritis gubernatoribus vtebantur, qui repentè ex onerarijs nauibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam grauitate & tarditate nauium impediebantur. Factæ enim subito ex humida materia, non eundem vsum celeritatis habebant. Itaque dum locus comminus pugnandi daretur, æquo animo singulas binis nauibus obijciebant, atque iniecta manu ferrea, & retenta vtraque naue, diuersi pugnabant, atque in hostium naues transcendebant; & magno numero Albicorum & pastorum interfecto, partem nauium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt, reliquas in portum compellunt.

DAVI-

DAVIDIS ET GOLIATH MONOMACHIA, EX Basilio Seleuciæ.

Descriptio CXLIX.

Καὶ δὴ παρῆν ὁ Γολιὰθ, πολὺς μὲν τὴν ῥώμην, βαρὺς δὲ τὴν θέαν, μέγα πνέων, καὶ βαίνων ἐφάμιλλα, μεγάλα φθεγγόμενος, καὶ τῇ θέᾳ τὸν φθόγγον πιστούμενος· ὃς δίκην ὄρους φαινόμενος, πρὸ τῆς συμβολῆς φυγάδας τῆς μάχης τοὺς πολεμοῦντας εἰργάσατο· ἀσπίδι καὶ θώρακι, καὶ περικεφαλαίᾳ λαμπόμενος, δόρατι χρώμενος ἀναλόγῳ τοῦ σώματος, τοσοῦτον νικῶντι τῶν δοράτων τὰ μέγα, ὅσον φέρων τῆς τῶν ἀντζώπων φύσεως τοὺς ὄρους ὑπερηκόντιζεν. ἐν κύκλῳ τὸ τῶν ἀλλοφύλων στόσας στρατόπεδον, τοὺς τοῦ ἰσραὴλ ἀρίστους προσεκαλεῖτο πρὸς μονομαχίαν, ἆθλον εἶναι τῷ νικῶντι τῆς νίκης τὴν τῶν ἡττηθέντων δουλείαν ἐπαγγελλόμενος. φοβερὸς μὲν ὁρώμενος, φθεγγόμενος δὲ φοβερώτερος, καὶ φόβου φόβον περιφέρων διάδοχον. ὁ Σαοὺλ ἐν θορύβῳ, ὁ Ισραὴλ ἐν δουλείας ἐλπίδι, ὁ φόβος ἐχαλίνου τὴν δύναμιν, ἡ θέα τοὺς ὠπλισμένους ἀφώριζεν. ἀπειλαὶ τὴν ψυχὴν προκατέπληττον, ἔπιπτον ἄνδρες πρὸ τῶν σωμάτων ᾧ φρονήματι. ὡς δὲ τὸ πᾶν ἠλέγχετο στράτευμα, καὶ ὁ Σαοὺλ ἐν κινδύνῳ τότε προάγει πρὸς μέσον τὴν ἑαυτῆς στρατιώτην ἡ χάρις, τοῖς ἔργους δεικνύουσα τὸν ἀληθῶς βασιλεύοντα· καὶ ἁρπάζει τῆς μάχης τὸν πρόκλησιν ὁ Δαυὶδ, καὶ προθεραπεύει λόγῳ τὴν ψυχὴν Σαοὺλ τεζωμένην. ὁ δὲ δύσελπις ὤν, ἀπιστεῖν μὲν ἤθελε, πιστεύειν δὲ ἠναγκάζετο. νικώμενος δὲ φόβῳ, τοὺς ἀπὸ τῆς ἡλικίας προε-
» βάλλετο λόγους. οὐ μὴ δυνήσῃ πορευθῆναι πρὸς
» τὴν ἀλλόφυλον, πολεμῆσαι πρὸς αὐτὸν, ὅτι σὺ
» παιδάριον εἶ, καὶ αὐτὸς ἀνὴρ ἐστὶ πολεμιστὴς ἐκ
» νεότητος αὐτοῦ. ἠγνόει δὲ ἄρα ὅτε τὸν φόβον δεικνὺς, τὴν νίκην ἐθαύμασεν, ἀλλ' οὐκ ἀπέ-

AC iam præsens aderat Goliath, ingens robore, grauis aspectu, immane spirans, neque incessu dispari altum vociferans, & vociferationem aspectu comprobans. Qui cum instar montis extaret, hostem ante conflictum cogebat pugnam detrectare, scuto, lorica, galea resplendens, qua vtebatur hasta, erat pro modo corporis, tantoque hastæ communis modum superabat, quanto supra humanæ naturæ terminos ille se offerebat. Alienigenarum exercitu in orbem & stationem composito, Israelitarum optimos ad singulare certamen euocabat, victorum seruitute in præmium victori promissa. Terribilis aspectu; at voce terribilior, terrorem terrore geminabat, lateque spargebat. Saul interim in tumultu erat, Israel in expectatione seruitij, terror ipse vires refrænabat, hostilis aspectus Israelitas vel armatos de statione deturbabat, minæ intempestiuæ animos percellebant, ante viri mente, quàm corpore consternebantur. Cum autem nullus è toto exercitu probaretur satis, essetque in periculo Saul, tunc militem suum producit in medium Gratia, vere regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad se rapit, & oratione consauciatum Saulis animum præsanat. Qui cum ægrè induceretur in spem, credere renuisset, nisi ad id necessitate compulsus fuisset. Terrore victus, ætatis excusationem prætexebat, *non vales resistere Philisthæo illi, nec pugnare aduersus eum; quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Ignorabat quod terrore præmonstrato victoriam admirabiliorem faceret. Sed quem obarmabat Gratia, à pugna non auertit Saulis oratione, *nunc vadam*, inquit, *& percutiam eum, & auferam opprobrium de populo. Quoniam quis est hic incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?* Qua ratione à proposito certamine conatus es auertere, acrius, ô rex, ad pugnam exa-

1. Reg. 1. 7.

„ βεπε λόγοις, ὃν ἡ χάρις καθώπλισε. Πορευσο-
„ μαι γὰρ, φησὶ, καὶ παταξω αὐτὸν, καὶ ἀφελῶ σή-
„ μερον ὄνειδος ἐξ Ισραήλ. διόπερ τίς ἐστιν ὁ ἀπε-
„ ρίτμητος οὗτος, ὃς ὠνείδισε παράταξιν θεοῦ
ζῶντος; εἷς ἀποζέπεις νόμοις, βασιλεῦ, τούτοις
πλέον πρὸς τὸν μάχλον παρώξυνας. οὗτος γὰρ πολεμιστὴς, ἐγὼ δὲ πολέμων ἄπειρατος. διὰ
τοῦτο θαῤῥῶ, ὅτι μὴ χερσὶν ἐμαῖς, ἀλλὰ χάριτι
παρατάξομαι. θεὸς ὠνειδίζετο, καὶ τίς οὐ πρὸς
μάχλον ἁπλίζετο; αὐτὸν ἔχω τὸν ὑποζύγιον,
σύμμαχον, αὐτῷ τῷ πολεμίῳ τῶν βλασφήμων
γλωσσῶν ἔχω τὸ νίκης ἐνέχυρον. σώματι καὶ θώρακι πέποιδε, ἐγὼ δὲ ἀθανάτῳ σκέπῃ τειχίζομαι·
ἀσπίδα προβάλλεται, πόσῳ μᾶλλον ὁ θυρεὸν τὸ
οὐρανὸν περιβαλλόμενος: οὐ φοβοῦμαι πολέμιον
ὑπὸ τοῦ θεοῦ πολεμούμενον· χεῖρα κυρῶ τῷ
παρατασσομένῳ, ἱκανὸν ὅπλον ἔσομαι μάχης ἐρῶντι τῷ θεατῶς τεθυωνῆσι. ἀθλίως ὁ
Δαυὶδ, ἀλλ' ἰσχυρὸς ὁ παρατασσόμενος· μειράκιον ὁ Δαυίδ, ἀλλ' ἀνὴρ ὁ μαχόμενος·
παιμαίνων φρονούμενος, ἀλλὰ ποιητὴς τοῦ παντὸς ὁ μεταποιούμενος καθοπλισμένον. ἀρκεῖ
μοι πρὸς ἰσχὺν πίστις. πείθεται μόλις τοῖς ῥήμασιν ὁ Σαοὺλ, καὶ τὸν φόβον χαλάσας, τοῖς οἰκείοις ὅπλοις τὸν Δαυὶδ θωρακίζει, καὶ τοῦ βασιλικοῦ τὸ πολέμιον στολὴν ἀποδύς, τῷ Δαυὶδ περιτίθησι, καὶ τέως μέγα τὸ ὅπλον, ὁμολογεῖ καὶ αὐτὸς τὴν τοῦ Δαυὶδ βασιλείαν· ἄκων ὁ Σαοὺλ τῷ τῆς
χάριτος ὑπηρέτει βουλήματι, καὶ συναποδύεται τὴν στολὴν τὴν ἀξίαν, κοσμῶν ὅπλοις οὐκ ἰδίοις
προλαβόντα κεκόσμηκεν. ἀλλ' ὁμὲν Δαυὶδ πολεμικῶς ὁμοῦ καὶ βασιλικῶς ἐκεκόσμητο. δείκνυσι δὲ
θεὸς, ὡς θεοῦ συμπολεμοῦντος ὅπλον οὐχ εἷα·
ἀποδύεται τάχιον τὰ ὅπλα ὡς ἐμπόδια νίκης·
παραιτεῖται τὸν θώρακα, ῥίπτει τοῦ περικεφαλαίαν, ἀποτίθεται τὴν ἀσπίδα, ἐλευθερεῖ τὴν
χεῖρα τοῦ δόρατος, τὴν τοῦ πολέμιου στολὴν ἀποσείεται, στολῇ ποιμένος ἢ καὶ ῥάβδῳ καὶ πήρᾳ θωρακίζεται, μᾶλλον αὐτὸν ἡ χάρις πρὸς βασιλείαν
ἐχειροτόνησε. μονονουχὶ πρὸς αὐτὸν λέγουσης τῆς
χάριτος, Οὐχρεία σοι τούτων ὅπλων, μεριζομένων τὴν νίκης τὴν εὐκλειαν. ἐμὸν ἔσω, καὶ σὸν, ὦ
Δαυὶδ, τὸ κατόρθωμα· μὴ τὴν δόξαν τῆς νίκης ἐλαύσῃ, τὸ ὅπλον ἡ δύναμις· πεμψόν μοι φάσγανον μα-

cuisti. Hic quidem bellator, ego verò belli inexpertus, quæ res animos mihi facit: neque enim viribus meis fretus, sed Gratiæ, in aciem prodeo. Deo contumelia dicitur: ecquis in pugnam non armetur? Ipsum Deum contumelia lacessitum in auxilijs numero, maledicam illam inimici linguam, victoriæ pignus teneo. Corpore præsidens est & thorace; ego verò immortali defensione munior: scutum obiectat; verùm hostem a Deo oppugnatum non metuo ego, cui cœlum pro clypeo est, cum eo manus confero, cui res cum Deo; Deo instrumentum ero visibile, qui inuisibilia iacit tela. Dauid imbecillus est; sed fortis, qui mihi præsto est in acie Dauid puer: sed æternus, qui præliatur: pastor apparet, sed fecit vniuersum, qui me reficit armatum. Satis mihi est ad victoriam fides. Oratione persuadetur Saul, & remisso timore proprijs armis Dauidem loricat, regioque belli ornamento exuto Dauidem circundat, simulque ipsi Dauidi regiam publicitus adscribit potestatem. imprudens Saul diuinæ Gratiæ decreto obsecundabat, & cum ornaret armis, quem ante ornaret Gratia, ornamentâ dignitatis exuebat. Verum enimuero cum Dauid regiè iuxta, ac bellicè esset armatus, declarat Deus, vt nihil opus sit armis, Deo bellum adiuuante. Quare arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, recusat thoracem, galeam abijcit, scutum deponit; manum hasta liberat, bellicam stolam excutit, stola pastoritia, & virga ac pera obarmatur, quibus cum rebus ad regnum promouit Gratia. Quasi hæc ad eũ loqueretur; Nihil tibi eiusmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ sibi arrogent; communicetur inter nos belli decus: Ne victoriæ gloriam ad se trahat armorum potentia. Videam te pastoris habitu depræliantem, Gratiæ, non armis trophæum ascribatur. Hoc arcano verborum tenore Dauid actus in bellum cum tali habitu in alienigenarum fertur propugnatorem. Deinde Goliath videns puerum pugnæ incensum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli studijs schema, in risum effusus est, spectaculum ludicram dicens armaturam huiusce modi. Gaudebat enim oculo fidei, quo auxiliatorem inconspicuum cerneret, ac certè dæmonum opera factus elatior, superbiloquentia perterrefaciebat, canumque ventres pro sepulchro promittebat. Qui verborum fastuque Dauid auxiliatorem: quem promulgabat, opponebat: ostentans illi de co-

χόλθε, μὴ γυνὶ δὲ τὸ ὅπλων τὸ ζόπαον, ἀλλὰ χάριτι, τότις τῆς ῥήμασινὸ Δαυὶδ ἀποῤῥήτως στρατηγέμενος, μᾶλλον τι τὸ σχῆμα τὸ πρὸς τὸ τὸν ἀλλοφύλων κατεπείγετο πρόμαχον. ἐπὶ τότις ὁ Γολιὰθ ὁρῶν μειράκιον πολεμεῖν προθυμούμενον, ὀφθαλμῶν κάλλος, παρειῶν ἄνθος, καὶ σχῆμα πολέμων ἀλλόζιον, ὀξυχόλῳ πρὸς γέλωτα, παιδείαν τῇ παρατάξῃ τὸν θέαν ἡγούμενος. οὐ γὰρ εἶχε πίστεως ὀφθαλμόν, ἵνα τὸν ἀόρατον θεωρήσειε σύμμαχον. καὶ δὴ τοῖς δαίμοσιν ἐπαιρόμενος λόγοις κατέπληξε, τὰς τῶν κωφῶν γαστέρας τάφον αὐτῷ ποιήσειν ἐπαγγελόμενος. ἀντεῖδον ἢ τοῖς λόγοις ὁ Δαυὶδ κηρύττων τὸν σύμμαχον, δεικνὺς ἐκείνῳ τὸ οὐρανόθεν ἀντίπαλον, προφητεύων τὴν νίκην, καὶ νικητὴν μαρτυρόμενος. ἐυγνώμων εἰκέτης πρὸ τοῦ ἔργου, τὸν τοῦ ἔργου καιρὸν τῷ δεσπότῃ

„ προσφέρων. Σὺ γὰρ ἔρχῃ, φησί, πρός με σὺν ῥομφαίᾳ καὶ δόρατι, κἀγὼ ἢ ἔρχομαι πρὸς

„ σὲ σὺν ὀνόματι κυρίου σαβαὼθ θεοῦ παντοκράτο-

„ ρος Ἰσραήλ. Σὺ μὲν ἐυτελὲς ὁρᾷς, ὦ πολεμιστά, τὸ φαινόμενον, καὶ οἷς ὁρᾷς, τοῖς τοῦ μάχης ἐλπίδας μεζόνως· ἐγὼ ἢ σοι θεὸν ἀντιτάσσω πολέμιον. γνώσῃ θεοῦ δεξιὰν οὐ φανερὰς ἀρισεύσασαν, οὐ ταῖς ἐμαῖς ταύταις χερσίν, ἀλλὰ ταῖς τοῦ θεοῦ χερσὶ καταπλίζομαι, καὶ σοῦ μᾶλλον τῆς κεφαλῆς ἀφαιρήσομαι. δεῖ γάρ σε μηδὲ τὰ μὴ θάνατον ὑποπτεύειν ἀγνοεῖν· ἐπάξω σοι τιμωρίαν μακροτέραν θανάτου. ὦ γὰρ πιστεύω τὴν νίκην προλέγων τὸν τρόπον. ὦ φιλοθέων ῥημάτων, καὶ πρὸ τῆς νίκης νενικηκότων. ἡ μὲν οὖν γλῶττα περὶ πίστεως ἐφιλοσόφει πρὸς ἄπιστον, ἡ ἢ χεὶρ τὴν σφενδόνην ἠυζέπιζε, τῆς ἀγῶσιν ὑπηρετοῦσα τὴν πίστεως. ὁ μὲν οὖν λίθος ἐπέπτετο, τὸ ἢ κράνος ἐῤῥήγνυτο, ἡ ἢ κεφαλὴ τὴν πληγὴν ὑπεδέχετο, καὶ ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἔφευγε. καὶ νεκρὸς ἔῤῥιπτο Γολιὰθ, σὺν ὀξύτητι τοῦ πάθους, κλαπεὶς τοῦ θανάτου τὴν ἄφωνησιν, ἔῤῥιπτο τὸ ἀλλοφύλων σύριγμα. τοῦτο λάφυρον πίστεως, ζόπαον χάριτος, τὸ ἄνωθεν συμμαχίας τὸ γνώρισμα, βλασφημίας ὁ ἔλεγχος, δίκη ἀσεβοῦς θρασύτητος.

de cœlo aduersarium, prædicens victoriam, ac victorem contestatus. Gratus seruus, qui vel ante operam operæ fructum offert domino. *Tu venis, dixit Dauid, ad me, cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel.* Tu quidem cõtemptim intueris, ô bellator, quod ob oculos est, & rebus, quas vides, pugnæ spes metiris: ego verò Deum tibi aduersarium oppono. Cognosces Deum cæca dextera prosperè bellantem. Non hisce meis manibus, sed diuinis obarmatus sum, tibique cum vita caput adimam. Neque enim te ignorare par est, quæ post mortem sustinebis, infligam tibi pœnam morte diuturniorem. Quo enim Deo credo victoriam meam fore, eius ope victoriæ prædico modum. O plenas amoris diuini voces, vel ante victoriam potitas victoriæ! lingua de fide cum incredulo disputabat, manus autem fundam in vsum certaminis pro fide suscepti optabat. Missu igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, fatique celeritate sensu mortis caruit: sternitur mortuus Goliath, sternitur alienigenarum turris. Hoc fidei spolium est trophæum Gratiæ, auxilij cœlestis indicium, blasphemiæ coercitio, columna index extinctæ audaciæ.

DIREPTIO VRBIS.

Ex Ammiano, lib. 31.

Descriptio CL.

TVnc erat spectare cum gemitu, facta dictu, visuque prædita, attonitas metu fœminas flagris conerepantibus agitari, fœtibus grauidas adhuc immaturis, antequam prodirent in lucem, impia tolerantibus multa. Implicatos aliò matribus paruulos, & puberum audire lamenta: puellarumque nobilium, quarum stringebat fera captiuitas manus. Postque adulta virginitas, castitasque nuptarum ore affecto flens vltima ducebatur: mox profanandum pudorem optans morte (licet cruciabili) præuenire, inter quæ,

cum belluæ ritu traheretur ingenuus, paulò ante diues, & liber, de te fortuna, vt inclemẽti, querebatur, & cæca, quæ eum puncto temporis breuioris extortum, & dulcedine charitatum, domoque extorrem, quam conceſſiſſe vidit in cinerem, & ruinas, aut lacerandum membratim, aut ſeruitutum ſub verberibus, & tormentis, crudo deuouiſti victori.

SCENICI LVDI.

Ex D. Cypriano, ep. 2. lib. 1.

Deſcriptio CL.

COnuerte hinc vultus ad diuerſa ſpectaculi, non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi, & dolori ſit, & pudori.

Cothurnus eſt tragicus priſca facinora carmine recenſere: de parricidijs, & incæſtis horror antiquus: expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis tranſeuntibus exoleſcat: quod aliquando commiſſum eſt; admonetur omnis ætas auditu fieri poſſe, quod factum eſt: nunquam æui ſenio delicta moriuntur: nunquam temporibus crimen obruitur: nunquam ſcelus obliuione ſepelitur: exempla fiunt; quæ eſſe iam facinora deſtiterunt, tum delectat in mimis turpitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit, audire. Adulterium diſcitur, dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ authoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, impudica de ſpectaculo reuertitur. Adhuc deinde morum, quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus, iuſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Euitantur mares, honor omnis, & vigor ſexus eneruati corporis dedecore mollitur: pluſque illic placet, quiſquis virum infœminam magis fregerit: in laudem creſcit ex crimine, & peritior, quo turpior iudicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter. Quid non poſſit ſuadere, qui talis eſt? mouet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: Nec deeſt probri blandientis authoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat, exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum ſuum, non magis regno, quam vitijs principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem. Nunc in plumas oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere: nunc in pubeſcentium puerorum raptus, miniſtris auibus proſilire: Quære nunc an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer, vel pudicus.

SALTATORES.

Maffæus, lib. 1.

Deſcriptio CLI.

NAires autem penes quos totius rei militaris eſt cura, vt ſeptimum circiter ætatis annum attigêre, teneri corpuſculi neruis diu, multumque diſtentis, laxatiſque compagibus, adhibita frequenti vnctione ſeſamini olei per aliptas peritiſſimos, ad agilitatem penè incredibilem perducuntur: Itaque velut exoſſes artus, omnem in partem arbitratu ſuo torquere, ac flectere, ſaltus retrorſum æque, atque in aduerſum edere longiſſimos, & in lucta varios nexus pariter implicare, atque explicare condiſcunt.

CONVIVIA, ET LVXVS.

Apuleius, lib. 6. metam.

Deſcriptio CLII.

NEc mora cum cæna nuptialis affluens exhiberetur, accumbebat ſummum torum maritus. Pſychen gremio ſuo complexus, ſic & cum ſua Iunone Iupiter, ac per ordinem deinde tori, Dei. Tunc poculum nectaris: quod vinum Deorum eſt, Ioui quidem ſuus pocillator ille ruſticus puer, cæteris vero liber miniſtrabat. Vulcanus cœnam coquebat. Horæ roſis, & floribus purpurabant omnia. Gratiæ ſpargebant balſama, Muſæ quoque canora perſonabant. Apollo cantauit ad cytharam, Venus ſuaui muſicæ ſuperingreſſa formoſa ſaltauit: cum Muſæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniſcus ad fiſtulam diſceret.

Vide quam habet D. Ambr. l. de Elia, & ieiunio c. 17.

ITEM

ITEM.

Expressum ex varijs Græcorum, & Latinorum sensibus.

NOn conuiuium dixisses, sed amphitheatrum quoddam voluptatum, in quod omnes sensuum cupiditates de palma decertaturæ conuenerant. Primum quidem ad oculi lasciuientis delicias, composita cœnatio quicquid auri, argenti, & margaritarum vsquam fuit, partim in vasis, partim in simulachris, partim etiam in parietum ornamentis expendisse videbatur, qui licet toti auro, ac gemmis collucerent, & parietum splendori pauimentorum responderet nitor, nihil tamen laqueari fuit admirabilius, quippe in lucentis testudinem ad cœli speciem fornicatum, noctes, dieisque mouebatur, varias identidem micantium syderum formas, & cœlestia simulachra, non sine magna admiratione referens: & ne quid perfusis hac delectatione oculis vacarent nares, arcanis exinde fistulis emissa balsama, conuiuas gratissimo omnium spectaculo respergebant. Ad aurium oblectationem tres chori compositi fuerunt, quorum vnus nympharum fuit, alter Apollinis, & Musarum, tales enim sibi vultus pueri Symphoniaci sumpserant, tertius ex auiculis constabat, quæ statis legibus quasi iussæ mellitissimos temperabant cantus.

Suæ quidem, & tactui voluptates, fuerunt: sed gustui primas omnes deferebant. Is enim vt expleretur, bellum cœlo, terris, & mari, ad internecionem vsque fuerat indictum, vt ex omnibus elementorum spolijs vna mensa consurgeret. Itaque duo lectissima auium, septem verò piscium millia ordine alphabetico per vices in vno conuiuio sunt allata, inter quæ prodigiosa patina, nouo genere luxuriæ consecrata, in qua Scarorum iecinora, Phasianorum, & Pauonum cerebella, linguæ Phœnicopterorum, Murenarum lactes, a Carpathio vsque fretoque Hispaniæ, per nauarchos, & triremes petitarum.

Addita, proh nefas! aues humani sermonis dociles, vt inter cætera ciborum portenta imitatio hominis manderetur. Aurei præterea panes, atque aurea obsonia, & ingens vis margaritarum acero subacta delicatissimis pulmentis aspergebatur, ne quid ad luxus nepotinos deesse videretur. Ministrabant pueri, & virgines ex omni pulchritudine delecti, pro Dijs, Deabusque ornati, interdum etiam mensæ arcanis rotulis incitatæ suopte nutu ad manus epulantium accedere, ad aliquod deinde tempus subsistere, mox dilabi, atque diffluere videbantur. Additi erant Pincernæ aurei, & crystallini, quorum alij myrrhatum vinum, alij calidam, alij etiam frigidam temperabant. Inter hæc spectacula sedebant omnes conuiuæ coronati, marcidi, ebrij, non tam vino, quam delicijs.

PANCARPIA VENATIO.

Descriptio CLIII.

NEe mora, totus circus varijs arboribus consitus in speciem viridissimi nemoris visus est: Concluſi deinde varij belluarum, partim feratum, partim etiam cicurum greges, quos in id muneris vndique conquisitos munificentia solers aluerat. Mox direptioni condictus dies, qui vbi primum illuxit omnium votis expetitus, venatores, partim pedites, latis armati venabulis, partim etiam equites omnes numeroso canum agmine stipati præsto sunt: spes quoque potiundæ prædæ, nonnullas è mulieribus viragines, & ephebos militariter armatos effuderat. Intenti omnes signum expectabant, cum insano clangore tubæ personuerunt: ad hunc sonum instar rapidissimi fluminis effusi in syluam inuolant: varia tum oboritur certaminis species, quippe cum pernicibus cursu, dolo cum astutis, ferro cum robustis, ad internecionem vsque varie dimicatur. Hinc cerui fugaces per abrupta nemoris concitatissimis pedibus feruntur, illinc lepores acerrimam canum vim fugitantes, sexcentos flexus, & Mæandros implicant. Hinc animosi leones, non viribus defecti, sed multitudine obruti, inter cruenta venabula generosas animas excutiunt. Illinc apri rabido furore præcipites induunt ferrum: & si quando, vt sæpe fit, dominantur feræ, cruentos mortalium artus, aut incursantes obterunt, aut rabidis faucibus insultantes dilacerant; Parte alia trahuntur cicures minori dispendio, sed inter ipsas trahentium manus membratim discerptæ euanescunt.

Vide Calpurnij versus. Hic niueos lepores, & non sine cornibus apros, &c.

nescunt. Cæsis belluis rapina conuertitur in arbores, quæ radicitus euulsæ à valentissimis brachijs exportantur: hic quæ frondens sylua fuerat, campus est permixtus hominum, & ferarum cadaueribus, & cruentis arborum stragibus oppletus.

LVCTA.

Philostrat. in amoribus.

Descriptio CLIV.

Λέξω καὶ τὴν πάλιν, καὶ γὰρ τοῦτο ἐκλιπαρεῖς. ὁ μὲν ἤρηκε τὴν ἀντίπαλον, περιπλὰς αὐτῷ κατὰ τῶν νώτων, καὶ εἰς πνίγμα ἀπολαμβάνει, καὶ καταδεῖ τοῖς σκέλεσιν. ὁ δὲ, οὔτε ἀπαγορεύει, καὶ ὀρθὸς ὑπανίσταται, καὶ διαλύει τὴν χεῖρα, ὁφ' ἧς ἄγχεται, στρεβλώσας ἕνα τῶν δακτύλων. μεθ' ὃν, οὐκέτι οἱ λοιποὶ ἔχουσιν, οὐδὲ εἰσὶν ἐν τῷ ἀπρίξ. ἀλγεῖ δὲ στρεβλούμενος, καὶ κατεσθίει τοῦ παλαιστοῦ τὸ οὖς. ὅθεν δυσχεραίνουσιν οἱ θεώμενοι τῶν ἐρώτων, ὡς ἀδικοῦντι, καὶ ἐκπαλαίοντι, καὶ μήλοις αὐτὸν καταλιθοῦσι.

Dicam luctam, quando & hoc deprecaris. Hic quidem aduersarium superauit, & in eius dorsum inuolans arripit, vt suffocet, iamque cruribus illaqueat. Hic vero, neque deficit, & rectus assurgit, manumque, qua angitur, dissoluit, vnum de digitis reflectens, post quem non amplius reliqui tenaciter continent. Dolet enim contortus, & luctatoris aurem mordet. Vnde spectantes indignantur cupidines, quòd, & iniquè, & præter luctantium morem faciat, pomisque ipsum appetunt.

TRIVMPHVS,

Curtius, lib. 9.

Descriptio XLV.

IGitur (vt supra dictum est) æmulatus Patris Liberi, non gloriam solum, quam ex illis gentibus deportauerat, sed etiam famam, siue ille triumphus fuit ab eo primum institutus, siue bacchantium lusus statuit imitari, animo super humanum fastigium elato. Vicos per quos iter erat, floribus, coronisque sterni iubet. Liminibus ædium, crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vasa colligi. Vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, tabernaculorum in modum ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici, & cohors regia, varijs redimita floribus, coronisque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis comessabundus exercitus armis, quæ maximè decora erant, circumpendentibus, ipsum, conuiuasque currus vehebat, crateris aureis, eiusdemque materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit.

Romanorum triumphos, quia prolixiùs descripti ab historicis, & cuique noti, lubens omitto.

Finis Libri Vndecimi.

DE

DE

ELOQVENTIA CIVILI,

QVAE DELIBERATIVVM, ET IVDICIALE genus complectitur.

LIBER DVODECIMVS.

PRAEFATIO.

ELoquentia ciuilis illa quidem, rudis adhuc, & impolita, magnam habet commendationem antiquitatis, siquidem cum ipsis hominum cœtibus habuit initium, qui non nisi beneficio sermonis inter sè coaluerunt Vbi primum vestigium societatis extitit, ibi dominari cœpit oratio, quæ mortalium incultam barbariem paulatim ad mansuetioris vitæ iura, legesque traduxit. Tanti autem fecere veteres in hac ciuili vita dicendi rationem, vt hoc vnum ad regendos, inflectendosque animos præsidium, vel maximum arbitrarentur, cuius ope destituti Principes, se concionum fluctibus obijcere prorsus verebantur. Itaque Moyses ille sanctissimus in sacris, licèt antea cœlestibus prodigijs esset confirmatus, formidat tamen legationem à Deo impositam, quod non sibi videretur eloquens, nec acquieſcit, priusquam audiat. *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit: Ecce ipse egreditur in occursum tuum. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Ita his quoque sermonis humani communibus adminiculis vti diuina maiestas voluit, vt suam gentem durissimæ seruitutis laboribus oppressam, primùm liberaret, deinde inter vastas solitudines errantem consolaretur, mox etiam Sacrarum legum cultu perpoliret.

Ciuilu eloquentia antiquitas, & necessitas.

Moyses cur legationem formidet.

Exod. 4. Aaron eloquens.

At postquam apud Hebræos constituta fuit respublica, celebratæ sunt *Portæ*, in quibus conciones, & iudicia exercebantur, ex quo fit, vt nonnunquam pro ipsis magistratibus sumantur: nec sine ratione *Portas mortis* ad psalmum 9 pro iniquis iudicibus accepit Remigius. Glorioſum igitur fuit in porta dicere, concionem auidis auribus instantem detinere, salutaribus consilijs suos ciues iuuare, contra vim munire, pupillis, & viduis adesse, velut Deum de machina, infectum reddere quicquid non oportuerit, quicquid oportuerit factum rationum pondere, dicendique vi, ac suauitate vendicare. Nec dissimili exemplo apud Græcos ab heroicis inde temporibus frequentatæ sunt conciones, in quibus quantus esset ardor animi, & concurrentiũ fremitus, describit Homerus his versibus:

Porta Hebræorum.

Iob. 38. 17. Sap. 16. Isa. 38.

Conciones Græcorum.

Ἠύτε δῆϊα θῖνα πολυσκάφων ἀδινῶσιν,

πίπτουσι

Πέζης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομένάων,
Βοτρυδὸν ἢ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.
Αἱ μὲν τ' ἔνθα ἅλις ποτέονται, αἱ δέ τε ἔνθα.
Ὡς τῶν ἔθνεα πολλὰ νεῶν ἄπο, καὶ κλισιάων.
Ἠιόνα προπάροιθε βαθείης ἑστιχόωντο
Ἰλαδὸν εἰς ἀγορήν.

Cogitur scilicet populus à nouem vocalissimis præconibus, instar apum racematim effusarum conuolat, consurgunt Principes, concionantur. Agamemnonis maiestas quædam dicendi propria est, in Menelao suauis elucet breuiloquentia, Nestori melleum flumen cordi est, Vlysses fundit orationem densam, & hybernis nauibus simillimam. Hæc ciuilis eloquentiæ cunabula, quæ si rectè consideretur, ante Epidicticam cœpit, sed nunquam perfectionis culmen attigit, antequam exornatiuæ huius, & mulcentis Suadæ, veluti quodam vbere fœcundaretur. Duo autem sunt eloquentiæ ciuilis, quantum complecti quidem licet, brachia, quorum alterum in suasionibus, & dissuasionibus viget: Alterum in controuersijs, & iudicijs sese promit vberius. In his enim quasi quibusdam gloriæ theatris hæc facultas semper floruit, atque dominata est. Quamobrem vt totam hanc eloquentiæ rationem liquidius complectamur, in genus deliberatiuum, & iudiciale diuidemus.

Duo eloquẽtia ciuilis brachia.

Deliberatiuum genus.

CAPVT I.

DE monstratiui generis diuitias contemplati, nunc quasi ex amœnissimis hortis in aulam sanctiorem progredimur.

Deliberatiuum genus est, in quo cœlestis illius Miueruæ domicilium, sacrarium Themidis, rationis, & prudentiæ sedes, fons mentis, iudicij, & consiliorum omnium.

AEschylus in tragœdia de septem ad Thebas.

Ἐξ οὗ τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Is olim nobilissimis ingenijs aditus ad laudem fuit, hic dicendi campus, hic cursus gloriæ, hic triumphorum omnium seges, hoc eloquentiæ quoddam seminarium. Athenẽsis quippe, & Romana respublica cum ex Aristocratia regerentur, & vnicuique, qui modo ius haberet sententiæ, liceret de rep. & opinari, & dicere, quam non oratorum copiam effuderunt? Ingens erat animorum impetus, omni conatu properantium ad decus. Inuitabant suis pretijs res maximæ, de quibus decernebatur, tirillabat dulcis illecebra gloriæ, & mouebat reipublicæ amplitudo, & si nihil decus publicum, priuatum certè commodum, cum inde amplissimæ fierent rebus familiaribus accessiones, nonnunquam incitabat. Hinc Demosthenes, hinc Cicerones, hinc Æschines, & Hortensij, hinc Cottæ, & Hyperides vigorem, & spiritus in rebus sumpserunt.

Postquam mutatus est Reipub. status, & penes vnum omnia fuerunt, volitans illa concionum libertas imperio paulatim restricta, & quæ antea in publico disceptabantur, ab innumeris ad paucos traducta, inter sanctioris aulæ priuatos parietes agitata sunt. Et hæc certè longè melior, si non ad eloquentiam acuendam promptior ratio.

Nam quot per deliberatiuum genus in istis Democratijs importata fuerunt incommoda, qui concionum fluctus, quæ actorum tragœdiæ fuerunt, quis ignorat? *Oratorum fallis multum nocuit reip.*

Quotus enim erat inter istos oratores, qui syncere studeret reipublicæ, qui priuatis non esset inescatus commodis, qui venalem linguam non haberet? Itaque cum ad morum peruersitatem audax illa, & armata loquentia accederet, ea ab oratoribus in populum gerebantur, quæ iniustissima, & crudelissima ciuitates multæ expertæ sunt.

Nunc igitur in regno à popularibus illis concionibus exclusum deliberatiuum genus locum habet, partim in Principum consistorijs, vbi ciuilis prudentia, & consummata in rebus peritia, cum graui, & ponderosa quadam eloquentiæ forma vim obtinent: partim etiam in concionibus sacris, & ad populum hortationibus, quæ illuminatam sapientiam, & incensam caritate orationem, non multas verborum argutias desiderant: Partim etiam in priuatis rebus, quæ ad vitæ institutionem pertinent, quo in curriculo nobiles Philosophi, vt Isocrates, Dio Prusæus, Maximus Tyrius, Arianus Epicteti. Plutarchus, Seneca, & alij feliciter desudârunt.

Præte-

Præcepta generis deliberatiui ex veteribus ἐν τύπῳ expressa.

CAPVT II.

IN deliberatiuo, sex considero, definitionem, diuisionem, materiam, causſam efficientem, formam, finem.

Deliberatiuum est, quod positum in consultatione, habet in se sententiæ dictionem.

Partes sunt duæ, suasio, ad quam referuntur exhortationes, monitiones, petitiones, consolationes, precationes: & dissuasio, ad quam spectant dehortationes, obiurgationes, & cæt. *Cic. 3. ad Heren. Partit. Aristot. Rhet. Li.*

Suasio est oratio deliberatiua, quæ primum consultatione, quid faciendum sit, ostendit. συμβουλῆς τὸ μὲν προτρεπτικὸν, τὸ δὲ ἀποτρεπτικὸν.

Dissuasio est oratio deliberatiua, quæ auditoribus aliam partem, ac suasione ostensa est, persuadere conatur.

Materia in genere est de contingentibus futuris, quæ ad nos referri possunt, & quorũ causa, & origo est in nobis sita, nõ est autem de fine deliberatiuo, sed de his, quæ pertinent ad finem.

Deliberatiui quinque argumenta.

In specie, si causſa sit publica, quinque ab Aristotele numerantur, lib. 1. Rhetor. vectigalia, bellum, pax, custodia regionis, quæ importantur, & exportantur, ratio ferendarũ legum. πόροι, πόλεμος, εἰρήνη, φυλακὴ χώρας, εἰσαγώμενα καὶ ἐξαγώμενα, νομοθεσία.

In priuatis causſis tot occurrunt, quot sunt hominum negotia, in vita, & re familiari instituenda, vt an litteris debeat nauare operam, aut mercaturæ Polemon? an vxorem ducere, an cœlibem vitam consectari, an agrum emere, an iter suscipere, an in Canadiam nauigare?

Materia, alia simplex, alia composita.

Simplex, vbi vnum quid in quæstionem cadit, vt an Athenienses rem naualem curare debeant.

Composita, vt, an Cæsar victo Pompeio Romam remeare, an in Hispaniam proficisci debeat.

Efficientes causſæ deliberationis.

Efficientes causſæ sunt, qui deliberant, in quibus primum spectanda authoritas, & in publica causſa, quis sit status politiæ.

Respublica dua. Seneca libro de beata vita cap. 3. duas respubl. animo in vniuersum complecti iubet, vnam magnam, & verè publicam, qua Dij (inquit) atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostræ cum cœlo metimur: Alteram cui nos ascripsit conditio nascendi. Reguntur porrò ciuitates tot modis, quot sunt genera administrationis. *Respublica magna quæ?*

Monarchia. Variæ autem sunt species politiarum. Regnum, siue Monarchia, est vnius principatus, siue, vt ait Aristoteles lib. 3. politiarum, vnius imperium, communemque vtilitatem spectans.

Monarchiæ & regni differentia. Polybius, lib. 6. Monarchiam, à regno distinguit, quod Monarchia dicatur, si quis robore corporis, & animi viribus præstans sibi Imperium, & principatum alicuius populi sumat, & obtineat sine voluntario populi consensu: Regnum verò sit dominatus reipublicæ consensione vni concessus. ἀκαταστάτως (inquit) καὶ φυσικῶς συνίσταται μοναρχία. Ταύτης δ' ἑτέρα, καὶ ἐκ ταύτης γενᾶται μετὰ κατασκευῆς, καὶ διορθώσεως, βασιλεία.

Aristocratia. Aristocratia est optimatum Imperium, vel, vt ait idem Polybius, cum respublica secundum electionem à iustissimis, & prudentissimis viris æqualiter administratur. Ἥτις κατ' ἐκλογὴν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων, καὶ φρονιμοτάτων ἀνδρῶν βραβεύεται.

Democratia. Democratia definitur, Imperium populi communem vtilitatem spectans. Hæc sunt tria politiarum genera recta, & legitima, quibus praua totidem opponuntur à Polybio: Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia.

Tyrannis. Tyrannis est abusus Monarchiæ, & illegitima imperij occupatio.

Oligarchia. Oligarchia est imperium ad vtilitatem paucorum diuitum spectans.

Ochlocratia. Ochlocratia est tenuissimæ plebis ptincipatus.

Anarchia. Addi potest ex Diodoro, Anarchia, quæ solet exsurgere ex turbulentissimis temporibus, vbi, sine Rege, & cæteris magistratibus fluctuat imperium.

Prudentis igitur erit oratoris videre, an agat cum Regibus, & Principibus, quibus, vt ait Parysatis illa apud Plutarchum, verbis opus est byssinis, an cum optimatibus, apud

quos, honesta, & legitima dicere oportet, an cum plebe bellua multorum capitum, cum qua negotium tractare difficillima res omnium. Neque verò satis est dignitatem in viris spectare, sed morum, & conditionis, & ingenij rationem habere oportet. Prudenter igitur Aristoteles in Rhetorica agit de moribus iuuenum, & senum, & virorum, quæ ego hic ἀτύπως subijcio.

Mores iuuenum, virorum, & senum.

CAPVT III.

HIeronymus in Ecclesiasten ca. 11. paucis adolescentiam definiens huic adiungit comitem stultitiam. Chrysost. epist. 3. ad Olympiadem ait, hac ætate ingentem esse libidinum tempestatem, magnam verò rationis imbecillitatem. Ἡ πολλὴ τῆς ἐπιθυμίας ζάλη, ἀδύνατος ὂν λογισμός. Similiter Ambrosius de Abel, & Cain lib. 1. cap. 3. Iuuentutem variarum illecebris passionum feruere. Sed vbi maturior ætas accesserit, tanquam pubescentis lasciuiæ tempestate discussa tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassæ animæ nauigium subducere Basilius in cap. 3. Isaiæ, pluribus iuuentutis mores describit Plato lib. 7. de legibus, facit puerum quauis bestia intractabiliorem his verbis, ὁ γὰρ παῖς πάντων ἀκρίτων ἐστὶ θυμὸς μεταχειριώτατον. ὅσῳ γὰρ ἔχει πηγὴν τῆ φρονεῖν μάπτω κατηρτυμένην, ἐπίβουλόν, τε ἀσιτὸν, καὶ ὑβριστότατον ἀκρίτων γίγνεται.

Ξομενάθολοι, ἀψίκορος πρὸς τὰς ἐπιθυμίας. *Horat. amata relinquere pernix.*

Iuuenes sunt cupidi, & parati ad ea efficiēda quæ concupiuerint, sectatores voluptatum, & in horas mutabiles, fastidiosi in cupiditatibus, & celeriter quidem, & valde concupiscunt, statim verò sedantur, vehementes sunt eorum impetus, sed non diuturni: cuiusmodi ægrorum sitis, & fames, ac senum cupiditates, partim decrescunt, partim langueſcunt, quare lucri sunt auidi, & remissis voluptatibus lucro seruiunt, viri mediocriter se habent ad voluptates.

Θυμικοὶ καὶ ὀξύθυμοι

Iuuenes sunt iracundi, statim excandescentes, maximè si propter studium honoris, parui fiant: Senes excandescunt imbecillius, viri morderatius.

Θυμοὶ. *Talibus exarsit ira.*

Iuuenes studiosi sunt honoris, & excellentiæ, & victoriæ magis, quam pecuniarum, nondum enim egestatem experti sunt. Senes sunt vitæ appetentes, maximè extremo tempore, quia cupiditas est rei absentis, & quo minus est vitæ, eo magis desiderant.

φιλότιμοι. *Turni.* τὸ θέλειν ἀπαθὲς ἐστὶ γήρως. *Heliod.*

Iuuenes, vt plurimum non sunt malis moribus, quod non sint veteratores; Senes contra, sunt magis versipelles, vt omnia in peiorem partem rapiant, viri sunt in vtroque moderatiores.

εὐχερεῖς ἀπατῆσαι, εὔπιστοι.

Iuuenes sunt credùli, quia nondum in multis decepti: Senes suspicioſi, quia magis periti: Viri, neque leuiter credunt, neque omnibus detrahunt fidem.

εὐέλπιδες

Iuuenes sperant multa, quia futuri multum habent: Senes timent omnia, etiam tuta: Viri, neque nimis confidunt, neque nimis timent.

αἰσχυντηλοὶ. *vt Apollonij Medea:* ἡ δ' ἐρυθρὸν ὄσσον ἔκλεπτε παρθένου παρηίδος.

Iuuenes sunt verecundi, & facile erubescunt: Senes duriorem habent frontem: Viri, neque omnino verecundi, neque sine aliquo rubore sunt.

Iuuenes honesta præferunt vtilibus: Senes necessaria honestis, Viri mediocritatem obtinent inter parcimoniam, & luxuriem.

Iuuenes curiosi sunt sodalium, gaudent enim consuetudine: Senes non ita: Viri mediocriter.

φιλόγελως μᾶλλον καὶ σκωπτικοὶ καὶ εὐτράπελοι. *Horatius in arte.*

Iuuenes in omnibus ferè sunt nimij, nimis amant, nimis oderunt, tum putant se scire omnia: Senes peccant defectu, & putant quidem, sciunt autem nihil: Viri, neque amant, neque oderunt effusius, sed oderunt quasi amaturi, & amant quasi odio habituri.

φιλόφιλοι. ἀστοργοὶ δὲ τὸ παράπαν.

Iuuenes misericordes sunt, sua enim innocentia cæteros metiuntur; Hoc ipsum viris, & senibus conuenit.

Iuuenes rident lubenter, & sunt faceti: Senes plerunque ἀγέλαστοι odere ridiculos: Viri sectantur mediocritatem. Hæc paucis Horatius complexus est.

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor, maturis dandus, & annis;
Reddere, qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas,

Im-

Imberbis iuuenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus aris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix:
Conuersis studijs ætas, animusque virilis
Quærit opes, & amicitias: inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret:
Multa senem circumueniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, & timet vti,
Vel quod res omnes timidè, gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, Censor, Castigatorque minorum.

Et hæc quidem aurea, Aristotelisque, & Horatij digna iudicio: sed tamen ingenia plerunque in consuetudine, & vitæ ratione, atque institutis ita mutantur, vt inueniantur senes pueri, & pueri senes: Hoc erit prudentis oratoris animaduertere. Ex ijs, quæ dicta sunt colliges, vt plurimum iuuenum animos illecebra gloriæ titillandos, temperandum aliquando in eorum leuioribus vitijs, expectandum tantisper donec iracundiæ, & cupiditates deferuescant, nihil cum cupidis agi, defecatis emotionibus animi, omnia futura remissiora, contra torrentem non esse luctandum. At si indomitæ libidines fuerint, & maior in dies audacia, præcipuè in agrestibus animis, vt non modo temporis longinquitate non mitescat, sed obfirmatæ malitiæ incrementis serpat latius: efficiendum, vt qui lenitatem contempserunt, seueritatis aculeos sentiant. Solent enim simillima ingenia, vt muscæ aceto, sic seueritate excitari, aut ad exemplum aliorum frangi, si modo curuari non possunt. Apud senes maximè spectanda erit vtilitas, pecuniæ, prædiorum, opulentiæ, & omnium commodorum ad vitam accessio. Apud viros, vt ipsi rationem audiunt, oratio erit ex honestate, & vtilitate temperanda.

Mores secundum conditionem.

CAPVT IV.

Nobilium mores.

NObiles omnino sunt honoris cupidi, ita enim compositum est hominum ingenium, vt ea, quæ habent, studiosius quærant, & accumulent: At nobilitas est dignitas quædam, & honor maiorum, quo fit, vt alium, atque alium, honorem semper appetant. Iidem quoque facile contemnunt, sunt enim fastidiosi stomachi. Diuites sunt sæpè contumaces, contumeliosi, delicati, mollitiem, & felicitatis ostentationem arrogantes, apud quos difficile est agere, nisi torrens fortunæ virtute reprimatur. Sed licet apud Theophrastum videre elegantissimos harum personarum characteres.

Mores plebis.

Mores plebis describunt summi artifices, Plato, Salust. Cornelius Tacitus, Seneca, Xenophon.

Platoni dicitur, bellua multorum capitum. θηρίον πολυκέφαλον.

Xenophonti ἀχάριστον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον, multitudo, inquit, ingrata, crudelis, infida, imperita.

Cornelius ait, vulgi sunt impigræ linguæ, ignaui animi.

Liuius, priuata cuique stimulatio, vile decus publicum.

Salustius, multitudo vulgi magis more, quàm iudicio, post alium alius, quasi prudentiorem sequitur.

Item. Natura inuidum vulgus ægris oculis alienam felicitatem intuetur.

Ingenio est mobili seditiosum, atque discordiosum, cupidum nouarum rerum, quieti, & otio aduersum, aut seruit humilius, aut superbè dominatur: Hæc, & alia Lipsius. Apud huiusmodi homines, nisi prius bonis moribus excolantur, difficillima est omnino oratio, vbi nulla ratio: Itaque in istis, & similibus satius conticescere, quàm sine fructu, & sæpe cum maximo periculo verba facere. Tentanda sunt etiam nonnunquam remedia seueriora, vbi minime prosunt lenia. Sed hactenus de moribus personæ.

Iam in deliberatiuo genere spectandus sequitur post efficientem finis, & is, honestas

cum vtilitate coniuncta, omnis autem honestas cum virtute posita est.

De honesto.

Virtus est animi habitus, laudabiles eos efficiens, in quibus est: cuius quatuor sunt fontes, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, de quibus in demonstratiuo genere dictum est.

Nunc quomodo ex partibus antea enumeratis, orator elicere possit argumenta ad rem suadendam, vel dissadendam, ostendemus, si rem secundum iustitiam probare velit.

Honesti ratio quomodo tractanda.

Primum demonstrabit, eam diuino cultui consentaneam, summo numini gratam, & acceptam.

Secundò patrum institutis, & legibus, consuetudinibus maxime conuenire: parentum, affinium, ciuium charitatem inter se continere.

Tertiò spectare ad referendam gratiam, quo nullum officium magis necessarium est.

Quartò improborum audaciam reprimere, bonis signum ad bene sperandum proferre.

Quintò disciplinam, & modestiam ciuitatis, hoc maximè facto contineri.

Postremò nefas esse fidem violare, officium negligere, ignominiosam perfidiæ notam subire, seruandam cum hostibus fidem, necessitudinem cum clientibus retinendam, deinde religiose obseruandum, vetus dictum. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Vt rem honestam esse secundum fortitudinem planum faciat orator, in primis magnam esse ostendet, quæ non vile habeat virtutis experimentum.

Secundò, pro honesta causa non modo subeundos, sed vltro etiam appetendos, esse labores.

Tertiò, mortem quauis turpitudine iucundiorem esse.

Quartò, virum non esse, qui propter dolorem ab officio, fortitudine, & honestate recedit.

Quintò, pro veritate, & sua, suorumq;, sed potissimum pro Dei gloria nullas inimicitias formidandas, nulla tormenta recusanda.

Temperantia vberem suasori, & dissuasori materiam suppeditabit, cum ostendet, quam magnum, quàm regium, quàm diuinum sit libidinem coercere, vota immodica, & cupiditates non admittere, volitantem vanæ laudis cupiditate animum cohibere: eundem crudelitate incitatum, ratione compescere, victis ignoscere, iacentes erigere, denique in summa dignitate, & rerum potentia tenere modum.

Prudentia per cætera sparsa virtutes efficiet, vt orator aduocet in consilium præteritas, memoria duce, & comite experientia, consideret præsentes, consulat peritos, bonosque consiliarios, se ipsum excitet, & acuat ad bene conijciendum, ratiocinetur, prouideat, circunspiciat locum, tempus, facta, personas, prospiciat difficultates, & mature adhibeat remedium.

Hæc ad prudentiam: quæ secus fiunt, contra prudentiam fiunt.

De vtili.

CAPVT V.

Vtilitatis duæ partes.

VTilitatis duæ sunt partes. Prima incolumitas, altera felicitas. Proponet igitur prudens orator malorum fugam, eo enim argumento maxime afficiuntur auditores, nec vllus est adeo sui negligens, qui non statim cogitet, quo pacto se à periculo expedire, & salutem consequi possit. Felicitas omnes vtilitates complectitur, quæ humanam vitam exhilarant, sub ea continentur artes, nobilitas, gloria, amicitia, pulchritudo, robur, valetudo, omnia denique commoda, quæ tanti faciunt mortales, vt ad ea pene sola aures arrigant, cætera perfunctoriè, & oscitanter audiant.

De necessario, facili, iucundo.

CAPVT VI.

OMnia porrò argumenta facilè obruit necessarium: Nã, & si vtilitates, quàm speciosissimæ ostendantur, inueniuntur tamen adeo segnes animæ, quæ non facile commoueantur, maximè si quid exhauriendum est in negotio laboris. At vbi necessitas rei obeundæ clarissimè ostenditur, qualis est, salus

salus animæ, corporis, fortunarum, compendiosius est ad suasionem, & dissuasionem iter. Ecce Olibano comiti multis criminibus immerso, suadendum fuit, vt religiosum institutum arriperet? Quæ honestatis illecebra, aut vtilitatis magnitudo hominem ad alia omnia, vt videbatur, prorsus natum inflectere potuisset, vt id consilij caperet? At vbi à viro sancto, cui suam conscientiam permiserat, audiuit nullum aliud ad æternam felicitatem sibi iter esse relictum: Homo, qui à teneris aulæ delicijs assueuerat, ita repente est immutatus, vt relicto pristino vitæ genere, totum se religiosæ disciplinæ committeret. Orcynus hamo captus luculentius sibi vulnus infert, vt hamum extrudat: Qui veneno infectum habent membrum, id patiuntur, quanquam acerrimo dolore exscindi, lanienam omnem subeuntes, vt quod reliquum est vitæ, seruent, ac tueantur, inducti vna ratione necessitatis.

Platus l.1. c.14.

Orcyni piscis ars. Ælianus de animalibus.

Nec aliud habet potentius argumentum M. Tullius ad suadendum bellum aduersus M. Antonium, quam istud, *Agitur enim, non quæ conditione victuri, sed victurine simus, an cum supplicio, ignominiaq; perituri.*

Cicero Philip. 4.

Additur his quoque capitibus facilis, iucundique ratio, quæ non leue ad inflectendos animos sortita est momentum. Quamuis enim res, & honesta sit, & multas contineat cum honestate coniunctas vtilitates; tamen si nimis sit operosa, deterret plerumque animos, & minores habet ad suadendum emissiones.

De argumentis, & affectibus generis deliberatiui.

CAPVT VII.

ARgumenta huius generis primùm sunt omnes loci topici, de quibus libro quarto fusius actum est, deinde auctoritates, & testimonia, pacta, conuentiones, exempla, & cætera similia.

Sed nihil ita familiare est, ac sunt rerum, personarum, locorum, temporum, rationum, caussarum denique adiuncta, è quibus, si rem benè discutias, inuenies omnia fere decerpi argumenta.

Deliberi. gen.

Nec vllum validius est telum, quam omissis communibus de honestate digressionibus, ad ea, quæ rei intima sunt deuenire.

Affectus.

Affectus autem huius partis præcipui sunt, desiderij, spei, amoris, timoris. Nam vel bona quærenda proponuntur, & tunc eorum desiderium excitari, atque inflammari solet: vel ad desiderium accedit certa, atque explorata ratio facultatum, quibus ea facilè possumus assequi, & hoc spem erigit, erectamque fouet, ac sustentat: Vel rei bonitas, pulchritudo, vtilitas, quasi præsens ob oculos ponitur, vt ardentiores quasdam amoris faces injiciat. Si contra dissuadendum est, res impeditæ, difficiles, molestæ, terribiles ingeruntur, quibus motus terroris, & desperationis commouentur.

Demades orator, cum fortè ad Philippum Regem legatus missus esset, vt eum Athenarum desiderio incenderet, vrbem descripsit in mensa. Contrà, Cicero vt pacem dissuadeat cum M. Antonio sanciendam, postquam nullam intercedere posse ostendit, vt motus terroris, & odij inurat, eius crudelitatem depingit.

Hermog. lib. 1. de Inuent.

Nullus ei ludus videtur esse iucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio ciuium.

Cicero Philip. 4.

De artificio suasionum, & dissuasionum.

CAPVT VIII.

SVasionis igitur, vel dissuasionis hoc primum caput est, vt venæ teneantur hominum, intimique eorum delibentur sensus, cum quibus res agenda est. Neque solùm natura, ingenium, institutio, conditio, sed etiam affectus, vt amores, odia, metus, voluptates, & priuata quæque adiuncta perquirenda sunt; Quæ, quò melius dignoscuntur, eò faciliorem suppeditant persuadendi rationem.

Suadendi & persuadendi ars.

Atque vt Imperator in vrbis obsidione loca omnia sagacissimè pertentat, vt qua parte debiliorem viderit, hac impressionem faciat, sic orator omnes pectoris aditus collustrat, antequam destinato, quod cupit, ictu feriat. Hæc ars fuit Alexandri Magni, non minus diserti oratoris, quàm naui Principis, qui cum exercitum haberet, ex varijs gentibus conflatum,

Curtius lib. 4.

flatum, varia oratione, vt cuiusque animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam, atque vltima Orientis, non ipsius magis, quàm suo ductu profecti, inueteratæ virtutis admonebantur. Illos terrarum orbis liberatores, emensosque olim Herculis, & Liberi patris terminos non Persis modo, sed etiam omnibus gentibus imposituros iugum. Macedonum Bactra, & Indos fore: Minima esse, quæ nunc intuerentur: sed omnia victoria parari. Hæc apud generosos animos. Deinde cum videret tot terrarum spatia emensos, nonnihil difficultatum occursu retardari insinuat.

Suasionis artificiosa exemplũ.

Non præruptis petris Illyricorum, & Thraciæ saxis sterilem laborem fore: spolia totius Orientis offerri. Vix gladio futurum opus: Totam aciem suo pauore fluctuantem vmbonibus posse propelli. Victor ad hæc Atheniensium Philippus pater inuocabatur, domitæque nuper Bœotiæ, & vrbis in ea nobilissimæ ad solum dirutæ species repræsentabatur animis.

Cum adiret Græcos, admonebat, ab ijs gentibus illata Græciæ bella, Darij prius, deinde Xerxis insolentia, aquam ipsam, terramque populantium, vt neq; fontium haustum, nec solitos cibos relinquerent. Dein Deûm templa ruinis, & ignibus esse deleta: vrbes eorum expugnatas: fœdera humani, diuinique iuris violata.

Illyricos verò, & Thraces rapto viuere assuetos, aciem hostium auro, purpuraque fulgentem intueri iubebat, prædam non arma gestantem. Irent, & imbellibus fœminis aurum viri eripetent: aspera suorum montium iuga, nudosque colles, & perpetuo rigentes gelu ditibus Persarum campis, agrisque mutarent. Ita qua quisque capitur esca deliniendus.

Suadentis partes quæ?

II. In eo qui suadet, duo potissimum requiruntur, auctoritas, quæ ex sapientia, virtute, opibus, ætate, & cæteris inualescit: Deinde amor, & beneuolentia in res nostras. Primùm igitur maximè solemus moueri eorum sapientia peritia, & experimentis, qui aliquid suadent, vel dissuadent, quod eleganter his versibus expressit Ausonius.

Auson. in epigrã. ad Theodosiũ Imperat.

Agricolam si flaua Ceres dare semina terræ,
Gradiuus iubeat, si capere arma ducem,
Soluere de portu classem Neptunus inermem:
Fidere tam fas est, quam dubitare nefas.
Insanũ quamuis hyemet mare, crudaq; tellus
Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono.

Itaque nauum ducem facilè sequuntur milites, & in quamcunq; partem inflexerit, mouentur. Quin laceris, & exarmatis nauigijs impositi, nonnunquam tranant maria, & quidlibet moliuntur, vnius viri robustissima quadam auctoritate concitati: sin contra imperitus sit, aut infelix Imperator, tutissima quæque formidant. Similiter in cæteris euenit: Nam & peritos medicos requirunt ægroti, quibus suam salutem committant, quos vbi tales sibi persuaserint, nihil non valetudinis recuperandæ caussa sub eorum auspicijs faciunt, callidos, & longo rerum vsu tritos nautas nauigantes, doctos præceptores discipuli, bonos fabros, bonos sartores, bonos etiam cerdones quisque desiderat, quibus rem suam committat. Ad peritiam accedat oportet integritas, & certa in nos beneuolentia. Nam si peritissimum hominem in ea re, quam aggredimur, nacti sumus, versutum tamen, fallacem, & sui potius amantem, quam nostri, deprehendamus, eius suasiones, & dissuasiones auersamur. Hoc Virgilius in oratione Iunonis, & Veneris indicare voluit quarto Æneidos. Nam Iunonem blanda, & valde probabili oratione de retinendo Ænea Carthagine loquentem inducit.

Simulatores & versuti semel detecti nihil persuadent.

Sed quis erit modus, aut quo nunc certamine tanto?
Quin potius pacem æternam, pactosq; hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti,
Ardet amans Dido, traxitq; per ossa furorem,
Communem hunc ergo populum, paribusq; regamus
Auspiciis: liceat Phrygio seruire marito,
Dotalesq; tuæ Tyrios permittere dextræ?

Quid hac oratione in speciem honestius, aut vtilius? nec tamen persuadetur Venus. Cur? --*Sensit enim simulata mente loquutam.* nec sibi tam beneuolam Iunonem credere poterat: frustra igitur laborant in suadendo, aut dissuadendo, qui minimè diliguntur, aut amici non putantur. Prius deuincire pectus oportet, quod ferias, quod si laboret aliqua suspicione, paulatim obsequijs, & certis beneuolentiæ signis euellenda est, antequam res longius progrediatur. Contra, si nihil obsti-

obstiterit, si sapientia, si integritas, si fida in suadente beneuolentia, magni sunt ad omnem persuasionem aculei, & qui his fultus adminiculis suadet, σιγῶν πλέον ῥύματα, τῶν πλέον λαλούντων. συνήρμοσται γὰρ ἐντολαῖς κυρίου, καὶ τοῖς δικαιώμασιν ὡς χορδαὶ τῇ κιθάρᾳ, vt author est D. Ignatius Martyr, in epistola ad Philadelphenses, silentio plus potest, quam alij verbosa oratione. Mandatis enim Dei, & iustitiæ præceptis congruit, vt fides citharæ.

S. Ignatius in epist. ad Philadel.

III. In argumentis videndum est, vt minuta succidantur, ea autem proferantur, quæ maioris sunt ponderis, qualia sunt diuina; Nam *omnes religione mouentur*, & nulla res multitudinem efficacius regit. Plenæ sunt exemplis omnium gentium historiæ, in quibus falsa etiam superstitione delusæ mortalium voluntates in omnem partem flexibiles impelluntur. Atque, vt ait Valerius Maximus, prisci Romani statas, solemnesque ferias Pontificum scientia, benè gerendarum rerum auctoritate, augurum obseruatione; Apollinis prædictiones vatum libris, Portentorum depulsa Hetrusca disciplina explicari voluerunt.

Cicer. 5. in Verr. Curt. l. 4.

His artibus Zoroastres apud Babylonios, apud Lacedæmonios Lycurgus, apud Athenienses Minos, apud Romanos Numa multa suaserunt: Verum, fraude superstitionum agnita, nullum argumentum est debilius.

Diuinis proxima sunt humana, ὅσα ἀναιρετικὰ, quæ spectabile damnum inferunt, vt morbi, plagæ, membrorum mutilationes, amissio fortunarum, quorum propositi terrores si imminere videantur, potentissimis machinis animos percellunt.

Ἀναιρετικὰ consequuntur bonorum spes, & promissiones, quibus quisque pro suo ingenio, vt superiùs demonstratum est, afficitur; quo certiora autem videntur, eò plus afficiunt.

Suasionis forma & modus.

Quartò, quod ad modùm attinet, videndum est, vt cōmodo loco, vt opportuno tempore, vt minimè suspicioso, & reluctanti, eius qui mouendus est animo, prima fiat aggressio; Deinde, vt non apparata, non insidians videatur oratio, non verbosa sit, non picta, non iuueniliter lasciuiens; sed simplex, honesta, syncera, parca verborum, sententijs, & argumentis pressa, quod maximè fieri oportet, vbi de re negotiosa sermo est, apud callidas, & occupatas aures, adde etiam suspicaces: nam tunc omnis ornatus habetur pro dolo.

Alia tamen agendi ratio est in floridis argumentis, qualia solent esse Ethicorum Philosophorum: tales enim orationes expolitionem, quanquam sobriam illam quidem, & minimè fucatam desiderant: iuuerit nonnunquam verbis res, & experimenta coniungere, quod Cyrus admodum prudenter fecisse, memoratur à Iustino, qui cùm expeditionem in Medos pararet, conuocato populo iubet omnes præstò cum securibus adesse, & syluam viæ circumdatam excidere. Quod cùm strenuè fecissent, eosdem postera die, ad paratas epulas inuitat: Deinde, cùm alacriores ipso conuiuio factos videret, rogat, si conditio proponatur, vtrius vitæ sortem legant, hesterni laboris, an præsentium epularum, præsentium, vt acclamauere omnes, ait, Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: se sequutos hodiernis epulis. Lætis omnibus Medis bellum infert: ita re ostendere oportet, quod suadetur: nihil enim est ad infringendam aliorum dissuasionem, nostramq; sententiam confirmandam potentius.

Si res desint, valida sunt exempla sæpius ob oculos ponenda, quæ magnum in vtramque partem momentum habere solent.

De exhortatione & cohortatione.

CAPVT IX.

Exhortatio differt à suasione.

EXhortatio differt à suasione, quod hæc sit consilij, illa motus: in suasione siquidem Orator docere, in exhortatiotione inflammare nititur: quamobrem, & in suadendo, vt re adhuc incerta, plus argumentorum est, in exhortando plus caloris. Prouidendum est in primis, vt res, ad quam hortamur alios omnes, numeros habeat honestatis: nam si quid turpiculi appareat, rationibus prius erit diluendum, quàm motus, & affectuum faces adhibendæ.

In exhortando animus prius ratione vincendus quam mouēdus.

Secundò, nunquam plenè exhortandum videtur, antequam de rei facilitate constet: nam si minimè conuictos, & reluctantes adhuc animos coneris exhortari calidiùs, idem facias, ac si lignum adhuc viride, & crudum prima aggressione nitaris incendere. Itaque nec

nec de suo ingenio desperantem, abiectum, & formidantem omnia, statim incensa oratione mouebis, vt literas discat, nec auarum, aut sordidum, vt sumptum faciat, nec Drancem frigidum, vt prælietur: sed occupandi paulatim rationibus animi, donec quæ obuersantur, difficultatum pondera discutiantur.

Animi quidam sulphurati.

Tertiò, vt sulphurati quidam sunt animi, secundum Plotini dictum, qui statim flammas concipiunt, ita parciores verbis apud eos esse oportet oratores; pigris verò, & segnibus validius instandum, siquidem speretur aliqua ratio honestatis: sin autem tam angustæ sint, & tenebricosæ mentes, vt nulla bonæ spei scintilla promicet, quid attinet frustra prolixam orationem perdere? in quo præclarè monet Dio Prusæus in oratione prima de regno, successus eloquentiæ, & exhortationum, maximè pendere ex eorum animis, quos hortaris. Alexandrum illum Macedonem Timotheus tibicen, canens bellicum ita rapiebat, vt eodem vestigio ad arma prosiliret: At hoc ipsum, inquit, non tam ex Timothei numeris contingebat, quanquam erant præstantes illi quidem, & planè bellicosi, quam ex ipsius Alexandri acri quodam, incitatoque ad pulcherrima quæque ingenio: nam Sardanapalum delicijs effœminatum, nunquam Timotheus, aut Apollo quidem ipse de cubili excitasset, vt abiecta muliebri consuetudine, ferro se accingeret.

Quartò, si persona, quæ hortatur, plurimum habeat auctoritatis, minus pugnax rationibus, minus calens, & profusa verbis videri debet (nisi temporum, & periculorum ratio aliud expetat.) Nam dignitas ipsa potentissimum est ad feriendos animos telum, & vt ait Cornelius Tacitus, Suasio, vel exhortatio ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis affert. Cauendum est tamen, ne fastu aliquo verbis parcere, aut in rebus incensis frigidè exhortari, quamuis nobilis orator videatur.

Exhortatio lenis.

Quintò, in exordijs, & insinuationibus præferre debet sæpiùs orator spes egregias de eorum virtute, quos exhortatur, vt se potiùs officij, aut alia ratione inductum, idipsum exhortationis genus aggredi demonstret, quàm quod hortatore alij indigeant, qui sua sponte sint satis incensi. Hoc artificium obseruat Dio Prusæus, ad Traianum, & M. Tullius 4. Philipp.

Faciam igitur, vt Imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, vt eos tamen adhortentur, sic ego vos ardentes, & erectos, ad libertatem recuperandam cohortabor.

Sextò, etsi minimè argumentosa debeat esse cohortatio, & prolixis rationibus effluens; sunt tamen viuidæ, & pressæ rationes afferendæ, quibus veluti claui audientium animis quam altissimè defigantur. Erunt autem minimè petendæ ex intimis rei, & negotij, quod tractatur, adiunctis, quæ si clarissimis, & recentibus adiungantur exemplis, multum habent ad permouendos animos ponderis. Nec istud omittit M. Tullius in sua exhortatione.

Non debet esse nimis argumentosa.

Vt igitur Catilinam diligentia mea, Senatus auctoritate, vestro studio, & virtute fregistis, sic Antonij nefarium latrocinium vestra cum Senatu concordia, tanta, quanta nunquam fuit, felicitate, & virtute exercituum, ducumque vestrorum breui tempore oppressum audietis.

Septimò, exhortationis anima est pugnax quidam calor, qui plurimus in figuris acribus, & densis agnoscitur, vt,

Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quo cum aliqua pacis conditio esse possit: neque enim ille seruitutem vestram, vt anteà, sed iam iratus sanguinem concupiscit: nullus ei ludus videtur esse iucundior, quam cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio ciuium. Non est vobis res, Quirites, cum sceleratohomine, atque nefario, sed cum immani, tetraque bellua: quæ, quoniam in foueam incidit, obruatur.

Octauò, potentissimum est exhortationis genus, vbi præit exemplis, qui perorat verbis: Itaque in illa disertissima Darij regis oratione, post acres, & varias rationes illam addit, quasi colophonem.

Ipse, non patrio more solum, sed etiam, vt conspici possim, curru vehor, nec recuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauiæ fuero.

In dehortatione par est fermè ratio, nisi quod animi iam præmissa hortatione perculsi, contrarijs rationibus muniendi sunt, & ardor, si quis est, restinguendus. In quo plurimum aliquando valent ironiæ, quibus ea, quæ ab incensis hortatoribus sunt allata, quasi ingesta frigida obruuntur. Redarguitur auditorum

Dehortatio.

Ironiæ.

ditorum simplex credulitas, qui se fascinari, & quasi naso duci permittunt. Adhortatorum veteratorium ingenium, & fraudes, consultò ad impellendos animos compositæ notantur. Res aut mala, aut vilis: aut si bona est, dura, laboriosa, difficilis, & supra facultatem omnem ostenditur.

Montes aurei à vanis hortatoribus promissi deridentur: contrà, labores, & pericula, & incerti exitus; & si contingant, parum frugiferi, exaggerantur. Dissimilitudo exemplorum, si quæ ab aduersarijs sint intertexta, plenius indicatur. Alia, & magis nota, & communibus hominum sensibus accommodata proponuntur. Ad summum animi à iucunda bonorum specie, ad terrores, & impeditas difficultates traducuntur.

De concitatione & conciliatione.

CAPVT X.

QVæ de affectibus odij, & iracundiæ, eiusque lenimentis antea dicta sunt, concitationis, & cõciliationis artificiũ satis ostendunt. Ac animos quidem ad iracũdiam, atq; odium mouere, obiecta præsertim iniuriæ atrocioris specie, eaque Rhetoricis excitata coloribus, haud est operosum; cum omnes ad suas vlciscendas iniurias, non leui propensione rapiantur. At verò ardentes furijs restinguere,

Hoc opus, hic labor est.

Conciliatio. De priuatis conciliationibus nihil dico, in quibus, & ars, & prudentia requiritur singularis; Quid in parandis efferatæ multitudinis animis, quæ præsidia satis secura reperiri possint? Certe fatendum est, debilia hic esse eloquentiæ opera, nisi alijs præsidijs sustententur. Quis enim furenti belluæ inermem Suadam obijciat, aut musico concentu tigres emollire tentet: quanquam multum potest diserta oratio, nisi tamen alium habeat comitatum, quàm verborum, parum secura est: quem verò? sapientiæ, sanctitatis, amplitudinis, beneuolentiæ, amoris, addo etiam radios quosdam maiestatis, quos Deus imprimere solet in eorum vultu, quos sibi veluti vicarios in regendis hominum cœtibus constituit.

Tum pietate grauem, & meritis, si forte virum quem,
Conspexere, silent.

Hac ratione Iulius Cæsar seditionem exercitus verbo vno compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum eius detrectabant. Augustus vultu, & aspectu Actiacas legiones deterruit. Alexander Seuerus admodum adolescens tumultuantes copias ita repressit, vt & vultus pondus, & oculorum fulgura non ferrent.

Conciliationis methodus. Hæc igitur prima lex conciliandorum animorum, dicentis auctoritas, & maiestatis apex venerandus. Deinde tempora diligenter obseruanda sunt, nec temerè calenti adhuc turbæ, etiam cum iustissimis auctoritatis, & innocentiæ præsidijs credendum. Primi enim impetus solent esse belluarum, qui semel atque deflagrarunt, liberiorem ansam orationi, prehensionesque permittunt. Postremò etiam, & venæ hominum tenendæ, sensusque delibandi, & periclitandæ voluntates, & origo mali pertentanda, vt quid doleant, quid cupiant, quid timeant animi, plenius agnoscatur. Ad summum, modò lenimentis, modò etiam seuerioribus remedijs, prout res, & tempora postulabunt, vulneri medendum est.

Concitationis insigne exẽplum. Sunt apud Cornelium Tacitum duo insignia pacandarum seditionum exempla, in quibus, & in rebus ferè ijsdem diuersa hominum ingenia, varijque, & multiplices negotiorum tractus cernuntur. Turbatur in Pannonia, & grauis oritur seditio, authore Percennio: Agnosce primùm hominem, & malas artes concitationis.

Erat (inquit) in castris Percennius quidam dux olim Theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctus.

Digna fax hac seditione: nunc animaduerte, quam opportunè tempus captat, & per cuniculos primum rem aggreditur.

Is imperitos animos, & quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquijs, aut flexo in vesperam die, & dilapsis melioribus deterrimum quemq; congregare; Postremò promptis iam, & alijs seditionis ministris, velut concionabundus, interrogabat.

(Agnosce insigne artificium linguæ virulentæ.)

Cur paucis Centurionibus, paucioribus

Tribunis, in modum seruorum obedirent? quando ausuros expoſcere remedia, niſi nouũ & nutantem adhuc Principem, precibus, vel armis aditent? ſatis per tot annos ignauia peccatum, quod tricena, & quadragena ſtipendia ſenes, truncato ex vulneribus corpore tolerent. (Deinde) Militiam grauem, infructuoſam, denis in diem aſſibus, animam, & corpus æſtimari. Verbera, & vulnera, duram hyemem, exercitas æſtates, bellum atrox, aut ſterilem pacem ſempiterna.

Hi concitationum ſtimuli. Vide etiam faces. Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæſi alleuatus, circumſtantium humeris apud turbatos, & quid pararet, intentos.

Concitationis ars malitioſa.

Vos quidem, inquit, his innocentibus, & miſerrimis, lucem, & ſpiritum reddidiſtis, ſed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem miſſum ad vos è germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulauit, per gladiatores ſuos, quos in exitium militum habet, atque armat. Reſpondè Blæſe, vbi cadauer abieceris, ne hoſtes quidem ſepulturam inuident, cum oculis, cum lachrymis dolorem meum impleuero, me quoque trucidari iube. Dum interfectos nullum ob ſcelus, ſed quia vtilitati legionum conſulebamus, ij ſepeliant.

Pacandæ ſeditionis ars in Druſo.

Mira ars concitandæ multitudinis: quid poſtea? cooritur atrox tempeſtas, ad quam ſedandam mittitur Druſus à Tiberio, rudis dicendi, ſed cui promptum erat ad aſperiora ingenium; hic cum truculentis adhuc vocibus concio ſtreperet, nec ſatis tutum videretur conſiſtere in publico, magnis artibus rem tentat, & perficit. Nam, cùm forte luna clariore penè cœlo viſa eſſet langueſcere, hoc ad incutiendum militibus terrorem opportunum ratus, quæ caſus attulerat, in ſapientiam vertit. Circumiri ſecretò tentoria iubet, accerſit Centurionem Clementem, cui plurimum multitudo fidebat, & ſi qui alij bonis artibus grati in vulgus, qui tum & eadem culpa tenebantur, ſibi deuincit. Hi commutata oratione apud ſuos diſſerunt.

Quouſq; filium Imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennione, & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius, & Vibulenus ſtipendia militibus, agros, emeritis largientur? Denique, pro Neronibus, & Druſis, imperium P.R. capeſſent? quin potius, vt nouiſſimè in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus; tarda ſunt, quæ in commune expoſtulantur: priuatam gratiam ſtatim mereare ſtatim recipias.

Ita per conſcios, quam aptiſſimè commotæ, iam inter ſe ſuſpectæ cæterorum mentes: nec difficilè coniurationis moles hoc artificio defluxit. Druſus, vt documentum ſeueritatis relinqueret, iam deſertos à ſeditioſis concitationis duces, Percennium, & Vibulenum interfici iubet, & totam rem pacat.

At verò Germanicus Cæſar eodem tempore, ad tumultum in Gallijs compeſcendum mittitur, qui, vt erat vir eloquens, & manſuetus, rem leniori brachio aggreditur, orationem habet magnificam, in qua, à veneratione Auguſti orſus, flexit ad victorias, triumphosq; Tiberij, Italiæ inde conſenſum, fidem Galliarum extulit: Mox ſeditioſos increpans. Vbi modeſtia militaris, vbi veteris diſciplinæ decus? quonam Tribunos? quo centuriones exegiſtis?

Quid hæc lenis maieſtas profuit orationis apud inconditam multitudinem? quæ dedecora non exſorbuit Germanicus? Eò vſque deuentum eſt, vt cùm oblato, ſi vellet, imperio, ſe moriturum potius, quàm fidem exuturum clamitaret, ferrumque à latere direptum deferret in pectus, quidam hortarentur, vt feriret: Quin & Caluſidius quiſpiam ſtrictum obtulit gladium, addito, *acutiorem eſſe.*

Nec ſatis, nocte concubia, concurſu ad ianuam facto, reuulſisque foribus, Cæſarem intento mortis metu vexillum tradere ſubigunt, in legatos ipſos efferueſcunt, & omnia dira tumultus facie confundunt.

Qua tandem ratione pacata ſeditio, miſeratione potius, quàm authoritate. Nam cum à furentibus Cæſar filiolum Caligulam, & Auguſtam vxorem ſummoueret, incederetque muliebre, & miſerabile agmen, profuga ducis vxor, paruulum ſinu filium gerens, pudor inde, & miſeratio, quæ eò traduxit milites, vt mutati fæuirent in ſeditioſos.

Lentiora quidem hæc remedia, ſed tamen mitiora fuerunt.

De

De consolatione.

CAPVT XI.

Consolationis necessitas.

INter cætera eloquentiæ adiumenta, non postremum est illud subsidium, quod miseris impertiri solet, consolatio, ærumnarum dulcissimum quoddam nepenthes.

Hôc inopia, carcer morbi, seruitus, orbitas, & cætera, quibus humanum genus, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum conflictari solet, aliqua ex parte leniuntur.

Hæc aduersus mortis nimis quotidiana vulnera crebro vsurpata est à sapientissimis viris medicina, qualis Senecæ ad Polybium, Marciam, & Heluiam; Plutarchi ad Apollonium, Aristidis ad Eteonei parentes, consolatio.

Capita sunt alia communia, alia priuata; primum, nascendi, & moriendi necessitas: nihil esse perpetuum: pauca diuturna: quicquid cœpit, desinere: vniuersum ipsum interitus legibus, aliqua ex parte subiacere; quod disertè tractauit Statius, in epicedio Glauciæ;

Moriuntur omnia.

--Omnia functa:
Aut moritura vides, obeunt noctesq; diesque:
Astraq;, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poscunt,
His amor exitio. furor his, & sæua cupido:
Vt sileam morbos.
Quicquid habet ortus, finem timet: Ibimus omnes:
Ibimus.

Ad hæc inferetur superbæ esse impotentisque arrogantiæ, vt quis in hac naturæ necessitate, cuncta ad eundem finem reuocantis, se vnum, ac suos seponi velit.

Secundò, petetur à miserijs vitæ, iuxta hanc sententiam: *Omnis vita supplicium est*: quo in genere, cui deesse potest oratio?

Tertiò, ab aliorum varijs calamitatibus. Omnes agedum mortales circumspice, Larga vbique flendi, & assidua materia.

Vitæ miseriæ.

Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat: Alium ambitio nunquam quieta sollicitat: Alius diuitias, quas optauerat, metuit, & voto laborat suo: Alium sollicitudo, alium labor torquet, alium semper vestibulum obsidens turbat: Hic habere se dolet liberos, hic perdidisse, lachrymæ nobis deerunt, antequam caussæ dolendi.

Quartò, bona si quæ à mortuo relicta sunt, non eius fuisse propria.

Quicquid est, Marcia, quod circa nos ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes ampla atria & exclusorum clientium turba, referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniux; cæteraque ex incerta, & mobili sorte pendentia, alieni, commodatique apparatus sunt.

Quintò, est bonum mortis optimum naturæ inuentum, quæ captiuorum catenas leuat, ægrorum morbos sanat, exulibus patriam reddit, res à fortuna malè diuisas exæquat, &c.

Sextò, felicitas consequentis vitæ, quæ puras, & candidas animas excipit.

Hæc Christianæ menti, instar omnium est consolatio, quam Ethnici, qui per nebulam saltem despexerunt, haudquaquam omittunt: vt Plutarchus ad Apollonium;

Elysij campi. Animorum immortalitas.

Οὕτω καὶ τοῖς εὐσεβέσι τῶν μεταλλαξάντων ἔστι τις τιμὴ καὶ προεδρία καθάπερ λέγεται καὶ χῶρός τις ἀποτεταγμένος, ἐν ᾧ διατρίβουσιν αἱ τούτων ψυχαὶ καλὰς ἐλπίδας ἔχειν σε δεῖ περὶ τοῦ μακαρίτου ἡ ἐὼ σου, ὅτι τούτοις συγκαταριθμηθεὶς συνέσται.

Plut. ad Apoll.

Septimò, additur, dolorem, non modò inutilem esse, sed turpem: idcircò Lyciorum legislator, viros in funeribus vestem muliebrem gerere voluit, quò se in luctu mulieres fieri admonerentur. Deinde illæ lachrymæ, vel tibi, qui luges, prosunt, vel mortuo: si tibi, amatores tui, non defuncti; si mortuo, infelicem putas, quem non debes, hanc eandem rationem fusiùs vrgent Plutarchus, & Seneca.

Lycij in funeribus vestem muliebrẽ gerunt.

Octauò, sæpissimè vel præmittuntur, vel subijciuntur exempla eorum, qui propinquorum mortes generoso animo tulerunt, quæ quo magis domestica sunt, & nota, plus habent impressionis, & hæc quidem in locis communibus.

Singulares verò sumuntur ab adiunctis defunctorum, à vitæ scilicet benè actæ virtuti-

bus, disciplinis, opibus, ornamentis, liberis, propinquis, mortis genere, supremis verbis, testamentis, exequijs, monumentis, & cæteris id genus, quæ longè satius est percurrere, quàm locos communes consectari, qui fastidio esse solent, nisi concinna varietate, & clarissimis ententijs illuminentur.

Consolationis ars mirifica.

Quamobrem, mirari mihi contigit, duorum præstantissimorum virorum artem in consolando non vulgarem, cùm enim in communi loco versarentur, rarissimè tractarunt.

Iulian. in epist. ad Ameriũ.

Primus fuit Democritus, qui vt Darium Regem, in morte coniugis pertinacius lugentem consolaretur, promisit se mortuam ab inferis excitaturum, si modò, quæ ad tantum opus essent necessaria, rex liberaliter suppeditaret.

Nomina ἀπενθήτων tria in tota Perside non sunt inuenta.

Darius ad hanc vocem aures arrigere, obsecrare, omnia polliceri: tum Philosophus petit sibi dari τριῶν ἀπενθήτων ὀνόματα; trium scilicet hominum nomina, qui nunquam lugubria sumpsissent, nulli propinquorum, aut amicorum morti indoluissent, qui cum in toto regno non essent inuenti, ex eo, à communi moriendi necessitate, & fatali lege præclarum sumpsit consolationis argumentum.

Plutarch. in consol. ad Apol.

Alter est Philosophus quispiam non inurbanus, qui Arsinoen Reginam, filij mortem sine intermissione lamentantem hac fabula consolatus est.

Quo tempore Iupiter honores inter Dæmones distribueret, fortè tum Luctum abfuisse, ac omnibus iam diuisis superuenisse, cumque sibi quoque tribui aliquid honoris postularet, Iouem omnibus in alios insumptis honoribus, Luctui largitum esse dolorem, & lachrymas, quæ mortuis impenduntur.

Sicut ergo alij dæmones eos diligunt, à quibus coluntur: ita ad te quoque, Regina, luctus non accedet, si nullo honore ipsum afficias: quod si suis eum honoribus studiosè venereris, nouam tibi semper lugendi materiam suggeret.

Consolationis varietas.

Hæc satis artificiosè. Quod verò ad modum attinet consolandi, pro varietate personarum longè debet esse diuersus, cum alijs Philosophorum armis apertè pugnandum, cum alijs remissius agendum, indulgendum est aliquid naturæ, concedendæ lachrymæ, quibus extinguitur ardor animi, & paulatim relaxatus euaporat affectus, vt loquitur D. Ambr.

Non opprimuntur fletus præceptorum seueritate, sed magis irritantur: hic iustè dolet, qui dolere vetatur.

Itaque plerumque consolationem differre iuuat, donec primus ille æstus deferbuerit, & quasi flendo voluptas expleta fuerit: nemo enim tentat ipso funebri die matris oculos exsiccare.

Ad summum, longinquitas temporis, ciuilisque in tolerando dolore constituetur honestas, lætatum subinde rerum influentes species, vel etiam alij affectuum motus excitati, lachrymas citò abstergere solent.

Nec immeritò Seneca ad Polybium, in aula Claudij Cæsaris, magnis auctum honoribus, cum fratris morte plus æquo perturbatus videretur, scribit;

Cum voles rerum omnium obliuisci, cogita Cæsarem, fas non est tibi, saluo Cæsare, de fortuna queri.

De forma, & charactere Elocutionis,

In genere deliberatiuo.

CAPVT XII.

FOrma deliberatiui generis erit instructa sententijs, & argumentis, nec adeo profusa verbis; maximè verò cum apud graues personas agendum erit, succingere oportebit phaleratæ orationis fluentes lacinias.

Nihil enim tam à persuasione, quæ in hoc potissimum genere spectatur, alienum, quàm præculta, & ambitiosius fluens oratio.

Fucus, orationis apud graues personas periculosus.

Itaque disertè notat Dionysius Longinus, περὶ ὕψους, simplici Minerua, cum viris Principibus, & dominis tractanda esse negotia, nam si coneris fuco elaboratæ dictionis hæroicum animum circumuenire, ἀγανακτεῖ εὐθὺς, εἰ ὡς παῖς ἄφρων ὑπὸ τεχνίτου ῥήτορος σχηματίοις κατασοφίζεται, καὶ εἰς καταφρόνησιν ἑαυτοῦ λαμβάνων τὸ παραλογισμὸν, ὁνίοτε μὲν ἀποθηριοῦται τὸ σύνολον, succenset, si quasi puer imprudens, à callido Rhetore minutis figuris inducatur, & in con-

contemptum sui fucatas probationes interpretatus, sæpissimè totus efferatur.

Et hæc, inquam, in negotijs, vbi res, & personæ contractum quoddam, & siccum orationis genus desiderant. Nam plerumque etiam intercidunt suasiones magis adipales, & quæ ad epidicticas orationes multum accedant. Nolim ego, illàs nimis austeras, & horridas fieri, sed suis pigmentis interdum colorari.

Talis est illa suasio Sidonij Apollinaris, epistola sexta libri primi, vbi virum nobilem, rusticana, & vmbratili vita impallescentem, ad capessendos reipubl. honores paulò hilarius hortatur, & floridius, his verbis.

Proh pudor, si relinquare inter subsequas rusticanos, subulcosque ronchantes.

Quippe, si & campum stiua tremente proscindas, aut prati floreas opes, panda curuus falce populeris, aut vineam palmite grauem, cernuus rastris fossor inuertas, tunc est tibi summa votorum beatitudo. Quin potius expergiscere, & ad maiora, se pingui otio marcidus, & inneruis animus attollat. Non minus est tuorum natalium viro, personam suam excolere, quàm villam, &c. ibidem fusiùs.

SECVNDA PARS CIVILIS eloquentiæ.

Genus iudiciale.

CAPVT XIII.

VT Iustitia, virtutum omnium præclarissima, plurimum in rebus humanis splendoris obtinet: Sic genus iudiciale, quod in eadem virtute, generis humani custode fortiter asserenda versatur, ingens sibi decus vendicat excellentiæ.

Nulla gens tam feroci, tamque inculto ingenio, quæ si modo vmbram reipub. habuit, statim iudicia, & leges, & fora non habuerit: hæc enim tranquillitatis propugnacula, præsidia salutis, ornamenta dignitatis.

Iudices Dij appellantur.

At verò iudices, qui eadem dispensant, tanto pretio sunt, & fuerunt apud quosque mortales, vt eosdem (Theodoreto teste) sacræ litteræ Deos non vereantur appellare.

Τὰ δὲ θεῖα λόγια τῶν γεγονότων οἱ μὲν φύσει προσαγορευθέντες, ὀνόματος μεν γὰρ φιλοῦ μεταδέδωκεν τοῖς δικάζειν πεπιστευμένοις.

Sacræ verò literæ nihil creatum Deum appellant: nominis solius, non naturæ communionem iudicibus sunt imperitæ.

Reges primi iudicet.

Ideirco, apud nobilissimas quasque gentes, Reges primum ius dixerunt, de quibus ait Petrus Blesensis.

Qui dat Regibus diuitias terræ, ab eis aurum non postulat, & argentum; sed vt audiant caussam populi, & arguant pro mansuetis terræ.

Certè Imperatores Romani id magni fecerunt, quod declarat Claudij exemplum, qui vt ait Suetonius, & Consul, & extra honorem, laboriosissimè ius dixit, etiam suis, sacrorumque diebus solemnibus, nonnunquam festis quoque antiquitus, religiosis.

Et notatu quidem dignum est, quod habet Dion in Hadriano Imp. à quo cum mulierecula ius petijsset, recusasset que: illi retorsit, *Nolì igitur imperare.*

Reges Francia in iure dicendo celebres.

Verùm præclarum iuris dicendi exemplum dedere supra cæteros Francorum Reges, qui singulari priuilegio sibi manum iustitiæ vendicarunt, quam nulli vnquam principes in insignibus habuerunt, & appositè Agathias, de Gallico populo, ait,

Τὸ ὑπήκοον δικαίου εἶναι, τὸ δὲ ἄρχον ἐυμενές.

Curia Francia quam honorifica.

Accedunt sapientissimæ illæ curiæ, quarum, vt cœlum syderibus, sic Gallia purpuris collustratur, quibus nihil, aut ad sapientiam grauius, aut ad dignitatem honorificentius?

Quas ob res, generis iudicialis magna semper extitit, & adhuc extat dignitas, in quo possit regina eloquentia triumphare.

Sed, vt eius splendorem plenius agnoscamus, & singularem circa res iudiciarias veterum prudentiam: placet vno aspectu illustriũ regnorum, & rempublicarum fora ponamus ob oculos, vel saltem per transennam inspiciamus: pleniorem enim de ijs sermonem consulto relinquimus ijs, qui tractandas gentium antiquitates susceperunt.

***

Quæ Antiquorum circa forum, & iudicia, cura, & dignitas fuerit.

Et de ijs, Persarum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum denique instituta breuiter comparata.

IVDICES PERSARVM.

CAPVT XV.

Iudices Regij apud Persas.

PRrimùm apud Persas selecti Iudices fuere, βασιλέως, seu βασιλήϊοι δικασταί, qui ex consultissimis viris Persarum legebantur, quorum erat perpetuus magistratus, nec nisi in demortui locum alius sufficiebatur.

Hi ius postulantibus reddebant, leges patrias interpretabantur, & ad eorum collegium controuersiæ omnes referebantur. Herodotus in Thalia, lib 3. his verbis exprimit.

Iudicis nummarij pœna. Sisamnis iniqui iudicis supplicium.

Οἱ δὲ βασιλήϊοι δικασταί, κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται Περσέων οὗτοι δὲ τοῖσι δίκας δικάζουσι, καὶ ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων νόμων γίνονται.

Quanta vero integritate ab ijs administrari iudicia reges vellent, testatur Sisamnis exemplum, qui cum ob rem iudicandam pecuniam cœpisse conuictus esset, Cambyses, ex corpore eius detractam pellem, sellæ intendit, in eaque filium eius iudicaturum considere iussit. Herodotus, l. 5. in Terpsichore; Ἀπέδειρε πᾶσαν τὴν ἀνθρωπηΐην, καὶ ἐνέτεινε τὸν θρόνον, ἐς τὸν ἵζων ἐδίκαζε.

Eadem certè de caussa, & Darius Sandocem nummarium Iudicem, hoc iudicandi munere, in comitatu suo fungentem, in crucem agi iussit, quod pecunia corruptus malè iudicasset: quemadmodum Herodotus, lib. 7. scribit.

Forum Ægyptiorum, Labyrinthus, & Dicasterium.

CAPVT XVI.

Ægyptij in Labyrintho iura reddunt.

NEc minus in ea re Ægyptij prudentes fuere. Ac ius quidē apud eos de rebus maximis dicebatur in aulis Labyrinthi, qui describitur à Strabone, lib. 17.

Labyrinthus Ægyptiorum forum.

Adhæc, inquit, est labyrinthi fabrica opus haud impar pyramidibus, & adiacens regis sepultura eius, qui labyrinthum construxit: locus est in primo fossæ ingressu, ad triginta, quadraginta ue stadia procedenti, est planities quædam mensali forma pagum habens, & multorum regum regiam, quot prius præfecturæ erant. Nam totidem aulæ sunt columnis ambitæ, inuicem continuæ, omnes vno ordine, & vno pariete, tanquam paruo quodam muro, ante se sitas aulas habent.

Forum in formam Labyrinthi.

Viæ verò, quæ ad eas tendunt, ex aduerso sunt ipsius muri, ante ingressus cryptæ quædā multæ, ac longæ, quæ inter se vias flexuosas habent, vt nemo peregrinus ingredi aulam vllam possit, nec egredi sine duce.

Dignum admiratione, quod vniuscuiusque domus tabulata, ac etiam cryptarum latitudines, ex lapideis pluteis integris, & magnitudine insolenti conscriptæ sunt, nullo vsque, nec ligni, nec alius materiæ interuentu.

At, si quis in tabulatum ascendat, quod non admodum altum est, quippe vnica contentum contignatione videre potest lapideum campū, tantis lapidibus instratum: inde ad aulas visu retorto, cernere deinceps eas septem & viginti ordine positas, & columnis è solido lapide innitentes, parietes quoque ipsos, ex lapidibus non minoribus compositos: in fine huius ædificij, quod plus stadio occupat, est sepultura quædam, pyramis quadrangula, cuius quodlibet latus, quatuor ferè est iugerum, & altitudo par. Sepulti nomen est Imandes, dicunt tot aulas ita factas esse, quot solerent omnes præfecturæ eò conuenire, atque epulum quoddam sacris viris, ac mulieribus fiebat, sacrificij gratia Deo reddendi, & iuris dicendi de rebus maximis, quæuis autem præfectura, in suam aulam procedebat.

ASSESSORES.

DE Assessoribus in Iudicijs Diodorus, li. 1. cap. 1. part. 2.

Has propè, inquit, domus erat columnis suspensa, cuius latus quoque duo iugera complectebatur: in ea statuæ ligneæ positæ haud paruo numero, repræsentantes eos, qui disceptarent, respicientes eos, qui in iudicijs sententias ferrent.

Hi

Hi ab vna muri parte sculpti ttiginta erant absque manibus, & in medio iudicij princeps, cuius à collo suspensa *veritas* penderet, & oculis esset subglaucis, librorum cumulo circumstante, hæc imagines præ se ferebant, iudices integros esse debere: Prætorem solam respicere veritatem.

Iudiciorum ratio apud Ægyptios.

TOtam iudiciorum rationem idem Diodorus, lib. 1. cap. 3. persequutus est.

Iudicia, inquit, non vulgari cum diligentia fiebant: existimabant enim sententiarũ lato es, maximi esse ad communem vitam momenti, in vtramque partem: Nã punire nocentes, auxilium ferre oppressis, optimam ad prohibenda mala facinora viam putant. Pœnam verò delicti pecunia, aut gratia tolli, existimabant confusionem vitæ communis fore.

Quamobrem ex vrbibus clarioribus, vt Heliopoli, Memphi, Thebis, viros optimos eligebant, quos iudicijs præficerent: qui iudicum consessus, neque Athenarum Areopagitis, neque Lacedæmoniorum Senatui cedere videbatur.

Postquam hi conuenerant, triginta numero inter se eligebant optimum virum, quem iudicij principem constituebant: in locum cuius ciuitas alium Iudicem substituebat.

Veritatis imago à iudice collo appensa fertur.

His omnibus victus, sed principi opulentior à rege dabatur. Is aurea catena signum varijs ornatum lapidibus, à collo suspensum, quod appellabant veritatem, gestabat.

Cœptis iudicijs, ac signo veritatis à principe proposito, omnibusque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio eorum constitutis, mos erat accusatorem scribere ea, in quibus alium accusabat, modumque patratæ iniuriæ, aut damni facti, quantique eam æstimaret.

Rursus accusatori, reoque inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus, cum iudices de controuersia quæsissent, princeps signo veritatis in partem veriorem verso, sententiam ferebat.

Hic mos iudiciorum apud Ægyptios erat, existimantes accusantium excusantiumque altercatione, & scriptis veritatem maximè elici posse.

Sanè oratorum ars, hypocritarum fraudes, lachrymæ periclitantium, multos à recto, veroque iudicio auerterunt.

Videre quidem licet, aut errore, aut affectione aliqua, aut misericordia, aut oratione dicentis, sæpius reos à iudicibus fuisse absolutos.

Verùm, si aduersantium scripta penitus intelligantur, existimarunt iudicari rectius, veluti nota veritate, posse, cùm neque ingenio, neque industria, neque mendacio, neque audacia, neque arte iudicia peruerterentur, sed cuique esset commune ius: tum quia tempus dabatur accusatori, reoque disceptandum; tum quia Iudices, ex eorum responsis elicerent veri iudicij modum.

Sacerdotes Iudices.

Et de Sapphiro Veritatis.

AGyptiorum sacerdotes olim etiam iudices erant, & quidem inter eos princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat. *Ex Ælian.*

Eum, omnium hominum esse iustissimum, & syncerissimum oportebat, qui circa collum, vt diximus, imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur veritas, Aelianus, lib. 14. vet. histor.

Ægyptijs quoq; Regibus (quod & supra attigimus) ex præscripto legis antiquæ moris fuit, Iudices mox futuros iureiurando adigere, ne si Rex quidem iniusti quippiam iniunxisset, à virtutis medio declinaturos, nec lineam omninò (quod dicitur) moturos.

Athenienſium fora varia.

Et eorum ratio.

CAPVT XVII.

ET quidem, in ea re Athenienſium natio non minus litigioſa, quam ingenioſa, Perſarum quoque, & Ægyptiorum curas, cautioneſque ſuperauit; quod licet ex toti foris, quæ ipſi habuerunt, colligere: de quibus Pollux, Onomaſt. lib. 8.

Fora

Fora (inquit) Athenienſium ἄρειος πάγος, vicus Martius, iudicabat verò actiones cædis, & vulneris ex prædeſtinatione incendij, veneficij, ſi ſcilicet quis dans occidiſſet: fiebat autem conteſtatio, & deinde iudicium προοιμιάζεσθαι δέ, οὐκ ἐξῆν, οὐ δὲ οἰκτίζεσθαι.

Exordijs vti in Areopago non licebat.

Exordijs vti non licebat, aut affectuum commotione.

Poſt primam autem ſententiam exilium licebat capere, ſi quis parentes occidiſſet.

Menſibus verò ſingulis, tribus diebus continuis ius dicebant: quarta ſcilicet menſis deficientis, tertia, & ſecunda.

Nouem principes, qui ſingulis annis, poſt ſenſum datum ſemper Areopagitis addebantur, ſub dio iudicabant.

Cædis autem actiones intendere licebat vſque ad conſobrinos, & iureiurando inquirere, quiſnam mortui cognatus ſit: ſicque familiaris fuerit, accuſatur, & relegatur.

In hoc ius dicitur de cædibus multè cõmiſſis. ἐν τούτῳ λαγχάνεται περὶ τῶν ἀκουσίων φόνων, inquit Pollux. Nam poſt Troiæ excidium, Græcorum quidam Palladium habentes Phalero appulerunt, & per ignorantiam ab incolis occiſos, abiectos eſſe, & horum quidem nullus viuus appulit. Acamas autem iudicauit Græcos eſſe, qui Palladium habeant, & ſiquidem ſepultos, ſecundum Dei oraculum, ignotos nominarunt: illud verò conſtitutum eſt Palladium, & de fortunis ibidem iudicant.

Areopagi picturam, quam Iul. Pollux omiſit, habet Pauſanias in Atticis.

In Areopago (inquit) ara erat Mineruæ deprecatricis, ἀρεία, quam erexerat Oreſtes iudicio ſolutus.

Argenti præterea lapides, ἀργυρεῖλιθοι, in quibus rei, & accuſatores ſedebãt, & hunc quidem contumeliæ, illum impudentiæ vocabant, τὸν μὲν ὕβρεως, τὸν δὲ ἀναιδείας.

Proxima ædes Eumenidum πλησίον σεμνῶν, quibus tamen in forma nihil erat horribile.

Rei abſoluti ſacra faciebant Plutoni.

Denique Plutonis, Mercurij, & terræ ſimulachra, quibus ſacra faciebant, qui in cauſa capitis fuerant abſoluti.

Forum apud Delphinium. τὸ ἐπὶ δελφινίῳ ἱδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, λέγεται δὲ Ἀπόλλωνι δελφινίῳ, καὶ ἀρτέμιδι δελφινίᾳ, *id eſt*, ab Ægeo conſtitutum eſt, dedicatum autem eſt Apollini Delphinio, & Delphiniæ Dianæ.

Primus ibi iudicatus eſt Theſeus, expiatæ cædem ab illo occiſorum latronum, & Pallantidarum, quos occidiſſe quidem confeſſus eſt, hoc autem iure feciſſe affirmauit.

Forum in Prytaneo, τὸ ἐπὶ πρυτανείῳ δικάζει περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κἂν ὦσιν ἀφανεῖς, καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων, καὶ ἀποκτεινάντων, *id eſt*, Ius dicit de occiſis, ſi ignoti fuerint, & cadaueribus incidentibus, aut interemptis.

Hoc autem forum Tribunum reges conſtituerunt, quos oportebat incidens cadauer eijcere.

Forum putei, τὸ ἐν φιάτῃ, ἐν τούτῳ ἵκνειται, εἴ τις τῶν φευγόντων, ὑπ' ἀκουσίου φόνου αἰτίαι, δευτέραν αἰτίαν ἑκουσίου προσλάβοι, *id eſt*, Ibi iudicabatur, ſi quis exulum de cæde fortuita accuſaretur, & ſecundum actionem voluntariæ cædis acciperet.

Erat & in mari iudicium, καὶ τὸν ἐν αἰτίᾳ προσπλεύσαντα τῇ γῇ, οὐ προσαπτόμενον, ἀπὸ τῆς νεὼς ἐκρῆν ἀπολογεῖσθαι, μήτε ἀποβάθραν, μήτε ἄγκυραν εἰς τὴν γῆν βαλλόμενον, *id eſt*, & reum quidem adnauigantem, & non tangentem terram, à naue defenſionem ſui dicere oportebat, neque ſcalam, neque anchoram terræ injicientem.

Forum in Lyco, ἀφ' οὗ, καὶ ἡ λύκου δεκάς, καὶ ἕδρας ἵδρυται αὐτόθι ἔχων τὴν ἡρῴου μορφήν, *id eſt*, Iunonis iſtic templum conſtitutum erat, habens feræ formam.

Heliæam maximum inter omnia fora fuiſſe teſtatur Pauſanias. *Helia.*

Vlpianus autem ita dictum affirmat, aut quod eò maxima hominum multitudo conuocaretur, aut quod à ſole locus illuſtraretur.

Heliæa verò quingentorum erant, vrait Pollux, ἥλιαία δὲ πενταχοσίων. Deinde: ſi verò mille iudicibus opus erat, duo fora coniungebantur, ſi quem ille, & quingentis tria. *Vrnæ iudicium.*

Calculos autem duos habebant æneos, perforatum, & non perforatum, & vrnam cui camus impoſitus erat, quem calculus immittebatur.

Deinde duos habebant vrnas, quarum hæc quidem ænea, altera verò lignea erat; & hæc quidem condemnatoria, illa verò abſolutoria,

ria, æneæ operculum superiacebat, vnius calculi foramen habens, quo postea arcana magis iudicantes, contra suspectos vtebantur.

Forum denique funibus circumdabatur, iubente quidem Rege.

Thesmotetis autem forum implentibus, funium ambitus à quinquaginta pedum spatio ducebatur, & ministri astabant publici, ne quis iudicio non indigens accederet.

Fori porrò iudicialis ianuæ, κιγκλίδες dicuntur, quas Romani cancellatas vocitant.

Trigonum forum aliud dicebatur à loci forma.

Parabystum ab obscuro, in quo situm est, loco.

Magnum verò Metichi forum, ab artifice Meticho sic dictum est, vt ait Pollux. τὸ δὲ Μητίχου δηκαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν, ἀπ' ἀρχιτέκτονος Μητίχου.

Ἐφέται numero quidem erant quinquaginta, & vnus. Dracon autem hos constituit de optimatibus electos. Ius autem dicebant sanguinis reis in quinque iudicijs.

His vero Solon Senatum ex Areopago addidit.

Pene autem ludibrio habitum est Ephetarum iudicium.

Dicti autem videntur, quod primum Rege iudicante fortuitæ cædis reos, Dracon Ephetis iudicium hoc permisit, ἐφέσιμον, hoc est, translatitium, id à Senatu faciens.

Romani Iudices.

CAPVT XVII.

ROmani longè minus primis temporibus, in iudicijs, ac litibus occupati fuerunt: Testatur quidem illud, quod in maxima litium raritate, forum nullum erat definitum, vnde illud Virgilij.

Indicitque forum, & Patribus dat iura vocatis.

Forum acutis lapidibus cur strauerit Cato.

Quamobrem Cato Censorius, cùm designatam litibus sedem populus adornaret, pauimentoque insterneret, id fieri quam acutissimis lapidibus curauit, ne gens Martia litigiosis operibus paulatim assuesceret.

Reges Romani iudices.

Quanti tamen iudicia fecerint, declarat Dionysius Halicarnassensis, lib. 2. qui inter Regis potissima munia recenset, τῶν ἀδικημάτων τὰ μέγιστα δικάζειν.

Transijt deinde hæc potestas ad Consules, qui, vt ait Suidas, erant πρόβουλοι καὶ προήγοροι τὴν Ῥωμαίων πόλιν διοικοῦντες:

Et statim communicata cum Senatu. Nam ordo iudicum primis temporibus tantum fuit penes Senatum, vt testatur Polybius lib. 6. Lege demum Gracchi iudicia ad equites translata, vt liquet ex Appiano, & Velleio Paterculo.

Sed maximè ordinarij iuris disceptatores Prætores fuere, qui post annum sexcentesimũ quartum, cum essent perpetuæ quæstiones introductæ. Carbone forum tenente sunt instituti, vt habet Cicero in Bruto.

Sed nos hæc obiter, vt antiquorum curam penes iudicia ostenderemus.

De Iudice.

Ex Philone Iudæo.

CAPVT XVIII.

Iudicis virtutes.

PRæclari Iudicis conditiones Philo Iudæus paucis complexus est.

Primum, inquit, requiritur, vt sit: παντὸς ἀλόγου πάθους, καὶ πάσης κακίας ἀμέτοχος, vt syncerum animum habeat, & nullis prauis affectibus obnoxium, quod fiet, si is, *qui iudicaturus tribunal ascendit, iudicari se non minus, quàm iudicare cogitet.*

Facilis est recti persuasor innocens Iudex, contra nullas culpas timet reus, quas habere respexerit cognitorem.

Synceri autem animi magna pars *syncera religio*, idcircò iudex, Coll. 2. Authentic. apud Iustinum iurat;

Κοινωνικός εἰμι τῇ ἁγίᾳ τοῦ θεοῦ καθολικῇ, καὶ Ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ κατ' οὐδένα τρόπον ἢ χρόνον ἐναντιωθῷ αὐτῇ.

Secundum, quatuor primarijs virtutibus eminere debet: Prudentia, ne decipiatur; fortitudine, ne leuiter inflectatur; temperantia, ne voluptatibus corporis animi acies hebescat; iustitia eius anima est.

Hoc ipsum Plato confirmat, 2. de legib. μηδὲ τοὺς δικαστὰς ἐνεργοὺς ὄντας οἱ, ϑ γένεσθαι.

Tertium, Cauendũ illi, ne incerta pro certis accipiat, fidat oculis potiùs, quàm auribus.

Ὦτα γὰρ ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα. καθάπερ ἄργυρά μοι, βοῦς ἀγαθὸς διαιρείτω τὰς φύσεις: Nam (vt ait Cassiodorus) non facilè erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit; contrà ignorantia iudicis est calamitas innocentis.

Quartum, nec accipiat munera, quia τὴν διάνοιαν οὐκ ἐᾷ διὰ λεωφόρου βαίνειν ἐπ' ἐνθείας.

Iudices pecunia corrupti.

Si in aurem Iudicis, vel aduocati susurret pecunia, Orphei lyra, carmen Amphionis, Musa Virgilij, voce pecuniæ suffocantur.

Quid plura, vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit: vbi nummus militat, Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur: vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculea: nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuersis.

Iustinus Authēt. coll. 2. tit. 2. nou. 8. in præfatione, vult iudices, καθαραῖς χρῆσθαι ταῖς χερσί.

Neque tantum ipsi puris manibus iudices esse debent, sed latronibus præterea, & depeculatoribus infesti, vt sint instar Pelichi statuæ, cuius erat ea vis, vt fures, quasi iniecta remora retineret: testatur Eucrates apud Lucianum, in Philopseud.

Veritas gestatur à summo Iudæorum sacerdote.

Quintum, vt sit magnus veritatis amator, quàm idcircò summus Iudæorum sacerdos ad cor impressam gestabat, cum hac inscriptione; *Veritas, & illustratio.*

Ἀλήθειαν, καὶ δήλωσιν τῶν ἀναθημάτων κάλλιστον, καὶ διαπρεπέστατον ἐν τῷ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικῷ.

Personarũ acceptio fugienda.

Sextum, vt non animaduertat personas, sed res: τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων ἄπλαστον, καὶ γυμνὴν ὁρᾷν: Alienum te à personis omnium redde in Iudicio (inquit Hieron. ad Damasc.)

Septimum, vt misericors sit in pauperes, ἔλεον, καὶ φιλανθρωπίαν διατασμάτων τηρῶν.

Octauum, vt sua potentia vtatur, ad subleuandas, non opprimendas hominum miserias, sitque in dignitate ciuilis, & moderatus; Μὴ καθάπερ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι καταπαγκρατιάζειν τοὺς ἐλάττους ταῖς δυνάμεσιν.

Nonum, vt in decernendo non sit præceps, *Cunctator esse debet, qui iudicat de salute.*

Iudices antequam ferrent sententiã, Solem testabantur.

Lib. 2. cap. 51 const. Apost. Τὰς κρίσεις δὲ καιρὸν μονομερεῖς ποιεῖσθαι, πλείοσιν ἡμέραις ποιοῦντας τὴν ἐξέτασιν, μετὰ συμβουλίου πολλοῦ, καὶ παραπετάσματος μέσου. τελευταῖον ὅρον, καὶ ψῆφον θανάτου ὁ μέλλων ἐκφέρειν, πρὸς ἥλιον ἐπάρας τὰς χεῖρας, διαμαρτύρεται ἀθῷος ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου.

Ad summum, sit innocentiæ templum, tēperantiæ sacrarium, ara iustitiæ, absit à iudiciariis mentibus aliquid prophanum.

De aduocatis.

CAPVT XIX.

Ῥητόρων nomen apud Græcos commune fuit ijs, qui caussas agerent, & à Latinis Patroni, Oratores, Caussidici, Aduocati etiam postremò sunt nominati; quanquam Aduocatus apud veteres dicebatur, non qui caussam ageret, sed qui amico litiganti præsentiam assiduamque sectationis operam commodaret, vt actorum testis esset, idemque adiutor pro virili. *Ῥητόρος qui.*

Ductum inde opinor, quod rei, vel vt misericordiam mouerent, vel vt potentiam ostentarent suam, quamplurimos amicorum aduocare, ijsdemque stipati in forum prodire solebant. Declarat hoc epilogus Lysiæ, pro Micia. *Reorũ comitatus.*

Οὐκ ἐγὼ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ οὓς τινας δηγομένους, ὑπὲρ ὑμῶν ἀναβιβάσομαι. τῶν γὰρ προσηκόντων, οἱ μὲν ἀνδραγάθους αὐτοὺς παρασχόντες, καὶ μεγάλην τὴν πόλιν ποιοῦντες ἐν τῷ πολέμῳ τεθνᾶσιν, &c. in quibus ostendit, se nullos habere aduocatos, quod omnes propinqui, pro patria dimicantes occubuissent.

Inde latiùs fuso vocabulo, aduocati plerumque nominantur quilibet assectatores; quales Marci Antonij aduocatos intellexit Tullius, 1. Philipp. satellites nempe, qui ipsum stipabant, & fortibus viris, ad senatum omnes obsepiebant vias.

Puto eos apud Arbitrum audacius interpretari Aduocatorum nomen, qui pro furibus, & spoliatoribus vestis, accipiunt, hoc loco inducti.

Aduocati tamen iam penè nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, flagitabant, vti apud se vtraque deponerentur. (Nam de Asseclis, & stipatoribus potest intelligi.)

Sed quoquo modo se res habeat; tandem proprium, & familiare nomen aduocati, penes caussarum actores remansit.

Magna fuit eorum apud Græcos, maximè verò Athenienses claritas; siquidem in hoc eloquentiæ regno ῥήτορες, vt in mari vēti domi-

naban-

Aduocatorũ laus.

bantur. Et certè egregij patroni omnem commendationem merẽtur: nec mirum, si insignibus honorum titulis, in Imperatorum constitutionibus ornantur: sic enim habet Theodosij, & Valentiniani nouella de postulando.

Digni omnibus honoribus habeantur, qui Aduocati esse meruerint. Quo enim honore impares esse credimus eos, qui vita, & eloquentia reipubl. & priuatorum commodis deseruiunt.

Petrus Damiani.

Beatus Petrus Damiani, in sermone de resurrectione Domini, eorum honorificè meminit his verbis:

Qui glorioſæ vocis confisi munimine, lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quam ſi clypeis, & thoracibus ſeſe, patriamque defendant.

Quæ verba videtur ex Leonis, & Anthemij Imperatorum honorifico illo de Aduocatis elogio deſumpſiſſe, quod legitur Codicis lib. 2.

Cod. l. 2. tit. 7. de aduocatis diuerſ. iudic. 14.

Aduocati, qui dirimunt ambigua facta cauſſarum, ſuæque defenſionis viribus, ſæpè publicis in rebus, ac priuatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus prouident humano generi, quàm ſi prælijs, atque vulneribus patriam, parenteſque ſeruarent, neque enim ſolos noſtro imperio militare credimus, qui gladijs, clypeis, & thoracibus nituntur, ſed etiam aduocatis. Militant namque cauſſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt.

Gregor. Syntag. part. 3. l. 29. de actionibus.

Quamobrem nec immeritò, inter cætera honorum inſignia conceſſum vtbis conſiſtorialibus aduocatis legimus, vt doctos iuuenes, in vtroque iure doctoris laurea ornarent, vt ab ipſis honoris eſſet initium, quos præcipua quadam gloriæ prærogatiua dignos omnes cenſerent.

Syneſius in epiſt. ad Ioan.

At verò, ſi aduocati neglecto officio ſint indocti, clamoſi, iniuſti, rapaces, ſplendorem iſtius nominis, peſſimis ſordibus inquinãt: Tales ſunt, quos Syneſius deſcribit; ἀνθρωπάρια ἀναιδῆ, καὶ παμπόνηρα, καὶ οὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ λήθαργα, καὶ κακορραφεῖν εἰδότα, *Homulos impudẽtes, in omnibus præpoſteros, at q; peruerſos, conuiciatores malorumq; architectos.*

Ariſtoph. in veſpis.

Et Ariſtophanes portentoſo verbo ὀρθοφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώροις nominat, quaſi *miſeros, & infomnes calumniatores, litiumque ſarcinatores diceret.*

Contra hos ſanctorum virorum inciuntur fulmina: Nam D Bernardus vbi Eugenij Papæ aures ab huiuſmodi hominibus deterret. *Bernard. l. 2. de conſideratione.*

Hi ſunt, inquit, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium; diſerti aduerſus iuſtitiam, eruditi pro falſitate: ſapientes ſunt, vt faciant malum, eloquentes, vt impugnent verum.

Et Petrus Bleſenſis,

Hodie ſoli auaritiæ ſtudent Patroni cauſſarum, atque illud venerabile nomen, & glorioſa profeſſio, notabili venalitate vileſcit.

Carolus Magn. in capitul. de pace, c. 10.

Carolus Magnus, in capitulari de pace, huiuſmodi aduocatos à iudicijs ſubmouendos monet:

Praui Aduocati tollantur, & vicedomini, & vicarij, & centenarij, & tales eligantur, qui ſciant, & velint iuſtè cauſſas diſcernere, & terminare.

Dion. l. 60.

Claudius Imperator, inſigni animaduerſione Aduocatorum licentiam coercuit, cùm vnum ex iſtis Iudæum Gallicum, (vt eſt apud Dionem, malim tamen cum Zonata legere, Iulium Gallicum) in Tyberim præcipitari iuſſit;

Ἰούλιόν τινα Γαλλικὸν ἐξ ὁρμιᾶς ποτε λέγοντι ὁ Κλάυδιος ἀχθεσθεὶς ἐκέλευσεν αὐτὸν, εἰς τὸν Τίβερι ἐμβληθῆναι.

Vnde Domitij Afri, patroni reorum, ſuo tempore præſtantiſſimi locus; cuius auxilium, cùm quidam imploraret, à Gallico deſtitutus; *Quis tibi indicauit*, inquit, *me natatorem Gallico meliorem eſſe?* quaſi vellet dicere, nemini iniuſtæ cauſſæ patrocinium ſuſcipiendum, niſi natando ſe confideret, Claudij Imperatoris ſeueritatem euaſurum.

Caſſiod. l. 8. var. ep. 4.

Primùm igitur hoc in patrono non fruſtra requiritur, vt ſit vir bonus, quod præſtabit, ſi quod vno verbo dixit Caſſiodorus in Varijs: *Iudicantis animum portet ad ſubſellia cognitorum:* pudoris enim ſuſtinere iacturam neſcit, qui ſe prius iudice corrigitur.

D. Aug. ep. 54.

Eluceat autem in primis amor veritatis, nam ſi ex mendacio lucrum faciat, inclamandum, quod ait D. Auguſtinus:

Redde, quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, iudicem fefelliſti, iuſtã cauſsã oppreſſiſti, de falſitate viciſti.

Deinde fides in clientem, ſine vlla ſuſpicione prævaricationis.

Tertio, incorrupta quædam generoſitas, quæ iſtam ſanguinariam, & de miſerorum viſceribus paſtam eloquentiam perpetuo auerſe-

tur, nec tam lucro, quàm honestati, & miserorum, maximè verò pauperum vtilitatibus seruiat.

Ludouici XII. de Aduocatis dictū.

Quartò; dexteritas quædam in regendis, & maturitas in conficiendis negotijs, ne quod Ludouicus XII. aiebat, quemadmodum cerdones corium dentibus, sic lites ille distendat: quod miseros sæpe exclamare cogit, quod incertus ille author, in poemate de lite:

Litis calamitas.

O dira lites! ô iurgia dira Deorum!!
O furijs, Erebóq; sata! mortalia semper
Continuò, diro laniatu corda secantes.

Accedat deinde oportet egregia supellex, scientiæ, iurisque cognitio, sine qua aduocatus, rabula potius dicendus est, quàm Patronus.

Anastasius Cæsar prohibet quem piam consortio aduocatorum associari, antequam per statuta tempora, legum eruditioni noscatur inhæsisse.

In concilio verò Basilienſi, vetatur, ne antestudium legum impensum per quinquenniū, in aliqua nominata academia quispiam Baccalaureus legum, vel iuris Cæsarei fiat, vel Pontificij, vel nominationem obtineat, exceptis filijs natis ex vtroque parente nobili, quibus sufficit triennium, quod ex constitutione Regis Ludouici XII. cautum est, anno 1512. articul. 8. nunc autem permulti fiunt aduocati citiùs, quàm coquantur Asparagi, quos merito quis, οὐλάς τινας ἀγεννῶν, καὶ ψυχορραγούσων ῥητόρων, dixerit.

Aduocatis dotes.

Anferius præterea in stylo Parlamenti, desiderat in aduocato gestum maturum, vultum lætum, moderatam humanitatem, curialem formam, iræ temperamentum.

De scientia patroni.

CAPVT XX.

ELoquentiæ comes est in Patrono scientia, de qua præclaras habet monitiones Posseuinus noster, in sua bibliotheca, quas hic obiter perstringemus.

Cognitu imprimis necessaria sunt (inquit) iuris origo, Æquitas, partitio legum, & legalium librorum, iurisconsultorum veterum ingenia, interpretum, qui sequuti sunt, labores, qualitas, cautiones adhibendæ.

Ordo Iurisprudentiæ addiscendæ.

VT primo diuina, ac æterna lege cognita, quæ lex amoris est, lex ab ipso Deo data, hoc est, Decalogus probè noscatur. Vt vis Christianæ legis, quàm è cœlo detulit æterna patris sapientia, quæve legem naturalem, & alias impleuit, non tam intelligatur, quam diligatur, & alijs, (vt æquissimum est) præferatur.

Decalogus legū omnium typus, & primus iurisperitorum liber.

Tum ad leges duodecim tabularum accedant, de quibus ait M. Tullius 1. de Orat. Bibliothecas me hercule omnium philosophorum vnus mihi videtur 12. tabularum libellus, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare.

Mox duodecim tabularum liber edit. secundus.

Inde ad Romanas veteres leges transeant, quæ ab alijs collectæ sunt post Pomponium, & eiusmodi reliquos.

Mox ad Iustiniani institutiones, ac demum ad reliquas ciuilis corporis partes veniant.

Sic verò sine circuitione, aut ambagibus inspectabunt in id semper, quod optimum est, memores illius, quod afflatu diuino Dauid Rex pronuntiauit: *Cognoui*, inquit, *Domine, quoniam æquitas iudicia tua.* Et illius: *Diuina lex illuminat oculos:* Et rursus illius: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

Institutiones Iustiniani.

Tum verò, vbi auctores perpaucos, & probatos, attentè, & maturè perlegerint, iam tutiores ad publica negotia, & tribunalia accedent, memores præsertim & patriæ, quam non habemus hic stabilitam, sed in cœlo, & diuini illius Tribunalis, cui omnes aliquando sistemur.

Scopus iurisprudentiæ.

Non erit autem, cur aliquis nouos hæreticorum libros de Iurisprudentia verset, qui linguæ elegantioris specie ornati (cum in ijs sæpissimè lateant spinæ hæresum, & impietatis) solent adolescentum animos à recto plerumque abducere.

Cauendū à iuris consultis hæreticis.

Hoc ipsum, quod in Axiomaticorum est sacramento, hic commendandum, κοινωνικὸν εἶναι τὴν ἁγίαν τοῦ θεοῦ καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν.

Corporis ciuilis vniuersalis partitio.

CAPVT XXI.

HAec vbi delibauerit, sciat studiosus ciuile corpus, quod in Europę Academijs etiam-num

num est in vsu, tribus præcipuè partibus constare; Institutionibus, Pandectis, & Codicis constitutionibus, qui nunc præcisè Codex nominatur: cui ad extremum quartus earum liber additus fuit, quæ deinceps per omne Iustiniani Imperium scriptæ sunt, quæve tum nouellæ, tum authentica dici solent.

Iuris ciuilis tres partes.

Priora illa omnia, Iustiniano Cæsare mandante, præcipuè verò Triboniani suasu, & opera, paulò plus triennij spatio collecta sunt. Hic enim constitutiones imperatorias ex tribus libris, qui Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus vocabantur, adhibito quadantenus delectu, vnum in librum redegit, quem codicem constitutionum Latinè inscripsit.

Iustiniani libri Triboniani suasu quando, & quomodo conditi.

Vix abijt annus, cum idem Tribonianus, Græcis hominibus, qui tum videbantur iurisprudentiæ laude cæteros anteire, ad societatem laboris Iustiniani iussu adscitis, veterum Iurisconsultorum scripta vniuersa in Principis palatium deportari, atque inde Pandectas confici curauit.

Adhibitus est ad hoc opus nobilis ille desemutatus, cuius mẽtionẽ feci l. 4. c. 10.

Exeunte triennio, cum res tota penè peruenisset ad calcem, Iustinianus nouo mandato, institutiones iuris colligi, & scribi voluit ex iuris disciplinæ elementis, quæ antiqui Iurisconsulti tradiderant.

Tribonianus & eorum in iurisprudentia illustrãda opera.

Deindè non ita multo post emissi sunt in lucem quinquaginta Digestorum, seu Pandectarum libri.

Pandectæ.

Anno vertente, cum iam extarent eiusdem Imperatoris complures de variis rebus constitutiones, & in his eæ, quæ quinquaginta decisiones vulgo nominantur, post superiorem illam codicis editionem promulgatæ, idem Tribonianus, socijs quatuor laboris adhibitis, nouissimo Imperatoris iussu, priorem illum, quem diximus, Codicem reconcinnandum suscepit; cùm, vt posteriores constitutiones eundem in librum referrentur; tum, vt quæ ex superioribus mutatæ, atque abrogatæ fuissent, eodem ex libro tollerentur.

Institutiones.

Digestorũ libri.

Codex.

Et hæc quidem ad ciuilis corporis antiqui vniuersalem partitionem, cui tamen posteà pro varijs sæculis varia accessere, quæ apud Posseuinum numerata licet inuenire.

Post Iustiniani imperium multis annis; Basilius, Constantinus, & Leo, legum volumen ediderunt πρόχειρον vocatum, quo leges compendiosè complectebantur, & per epitomen enarrabant; in quo cum multa essent confusa, Constantinus Harmenopulus omissa supplere, confusa distinguere, ac totum penè opus dissolutum absoluere conatus est, eundemque titulum suæ epitomæ attribuit, vt πρόχειρον quoque vocaretur, vel ἑξάβιβλος, quoniam in sex libros erat distributa.

Basilij, Constantini, Leonis πρόχειρον Harmenopuli liber perutilis.

Ratio ediscendi.

CAPVT XXII.

HÆc cùm ita sint, & verò ab Iustiniani institutionibus soleant vbique iurisprudentiæ fundamenta iaci; profectò cuiusmodi hæc fuerint, sperandum est eiusmodi fore, quidquid superstruetur, videlicet ex solidissimis, solidissimum. At soliditatem hanc parient tria: Verborum & sententiarum intelligentia: Tradendi eas ratio pro iuuentutis captu, vitæque nostræ breuissimo spatio; pietatis demum, sine qua veritas euertitur, & summum ius summa fit iniustitia, suis quibusque locis accommodatio.

Quomodo fundamenta per solidum iacienda in studijs iuris.

Ad verborum, & sententiarum intelligentiam cum Latinæ, tum Græcæ linguæ peritia vtilissima est, ne dicam prorsus necessaria.

Verborum intelligentia. Græcæ & Latinæ linguæ necessitas.

Latinæ linguæ maiestatem, quoniam Iurisconsulti veteres vnà cum Romanis Imp. mordicus retinuerunt, nisi iuris interpretes, studiosiúsque calluerint, atque adeò adamauerint, sæpissimè errabunt, impingent, somniabunt, quæ nunquam somniarunt, qui leges nobis tradiderunt.

Magistratus prisci (*inquit Val. Max.*) quantoperè suam, populique Romani maiestatem retinentes, vt se gesserint, hinc cognosci potest, quòd inter cætera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna perseuerantia custodiebant, ne Græcis vnquam, nisi Latinè, responsa darent, quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimùm valent, excussa, per interpretem loqui cogebant non in vrbe tantùm nostra, sed etiam in Græcia, & Asia, quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur: nec illis deerant studia doctrinæ, sed nulla non in re pallium togæ subijci debere arbitrabantur, indignum esse existimantes, illecebris, & suauitate literarum, Imperij pondus,

Maiestas Latini sermonis.

& auctoritatem domari. *Hæc ille.*

Sermone Græco (*ait Suetonius de Tiberio*) Quamquam alias promptus, & facilis, non tamen vsquequaque vsus est: abstinuitque maximè in Senatu, adeò quidem, vt monopolium nominaturus, veniam postularit, quod sibi verbo peregrino vtendum esset, atque in quodam decreto Patrum, cum ἔμβλημα recitaretur, commutandũ censuit, & pro peregrino, nostratẽ requirendum, vocem aut si nõ reperiretur, vel pluribus, vel per ambitum verborum, rem enuntiandam: Militem quoq; Græcè testimonium interrogatum, nisi latinè, respondere vetuit.

Eadem ferè de ipso testatur Dio. At de Claudio scribitur, quod splendidum virum, Græciæque prouinciæ principem, verùm latini sermonis ignarum, non modo ex albo Iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.

Verborum iuris interpretes qui.

Cum autem Labeo, Vlpianus, Paulus, Scæuola, & reliqui, tori penè in eo sint, vt legum, edictorum, testamentorum, stipulationum verba interpretentur, atque ab ijs decerpta sint propemodum omnia, quæ leguntur in institutionibus, quid assequentur; quibus Latina lingua fuerit barbara, cùm ipsi potius, quoniam Latinæ linguæ barbari fuerint, barbariem loco veritatis, ac plerumque iniuriam pro iure sint propagaturi.

Labeo & eius honorifica cõmendatio.

Labeo, inquit Gellius, iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de iure publicè responsitauit, cæterarumque bonarum artium non expers fuit, & in Grammaticam sese, Dialecticam, litterasque antiquiores penetrauerat, Latinarumque vocum origines, rationesque percalluerat: Eaque præcipuè scientia, ad enodandos plerosque iuris laqueos, vtebatur. *Hæc Gellius.*

Pandectarum interpretes è quibus verborum & rerum intelligentia compendiaria via ediscitur.

Legum verò fontes, Pandectas, ante paucos annos, quoniam in hac re (vti mox dicetur) Politianus, Haloander Budæus, Alciatus, Zasius (qui legi non debet nisi expurgatus) Viglius, Pyrrhus, Antonius Augustinus, qui postea fuit Episcopus Tarraconensis, & reliqui non sudauerant, habebamus corruptissimos; vitæque magna pars comminiscendis nænijs consumebatur, Latinæ linguæ inscitia.

Accedit Lexicon quidem, siue dictionarium iuris ciuilis extat à varijs vel collectum vel auctum, quod magno vsui solet esse, non solum tyronibus, verùm etiam ætate, ac studio prouectis. Sed quoniam ab hæreticis sæpè fœdatum est, aut illatis hæreticorum Ministrorum auctoritatibus, vti Melanchthonis, & istiusmodi aliarum pestium, aut latenti hæresum inspersione in dedicatorijs epistolis, siue additis ad extremum, opusculis: Idcircò omnino curandum est, vt quæ huiusmodi sunt, prorsus ablegentur.

Vt autem Romana lingua alias ornauit, illustrauit, perfecit; sic vicissim ipsa à Græca ornata, illustrata, perfecta est. Itaque si in reliquis disciplinis (quod alibi ostensum est) necessitas eius apparuit, multò magis in Romanis legibus, iureque ciuili constabit.

Ad explicandas sanè dictiones illas, quæ magnam habent emphasim; ad idiotismum phrasium, quæ ab ea vsurpatæ sunt, ad menda corrigenda, quæ Typogaphorum, vel Amanuensium incuria passim irrepserunt: ad intelligendos locos, qui planius ab interpretibus verti poterant; ad declinandos errores, ex Latini sermonis amphibologia, & denique ad eas voces percipiendas, quæ in editionibus Latinis, atque in ipso foro remanserunt, nemo paulò perspicacior non intelliget summam Græcæ linguæ vtilitatem ac necessitatem. Plenæ sunt Iustiniani Constitutiones, Theophyli, & Constantini, aliorumque Græcorum libri, latinis illis vocibus: *Dominiũ, Legatarius, Mandatarius, Donatarius.* Et huiusmodi artis vocabulis: quin etiam illis; κουράτωρ, κουρατορεύειν, ἐξκουσάτιο, πάτρων, λήγατος, & huiusmodi sexcentis, quæ ideò molesta erant Herennio Modestino, dum Græcè Latina (vt ille inquit) iura docebat. Sic Latini Consulti. *Hypotheca, Chirographo, Emphyteusi, Sitonia, Heremodicio, Orphanotropho, Xeno, Archigeronte, Dioiceti, Epistalmate, Thlibiis, Cantharidibus,* atque alijs plerisque nominibus Græcis vtuntur. Et notatur propterea vel Politianus, vel Haloander, quòd Græcarum Pandectarum notas vel ille non diligentissimè, vel hic te vera nunquam viderit, licet eas se proferre polliceretur. Taceo multa in digestis Græco dicendi genere scripta: quòd cùm Græca natio venit in Romanam potestatem, linguæ suæ copiam, & artem secum in vrbem intulit. Id quod & Priscianus olim, & Gullielmus Budæus in nostris quoque legibus meminit.

Constat autem Trebonianum ea, quæ à Iure-

Iureconsultis Græcè inuenit, scripta, eadem lingua describi curasse, & hodieque in Pandectis Florentinis extare Græca responsa. Authentica quoq; ipsa Græcè fuisse scripta, quæ vix paucos ante annos intelligi poterant linguæ Græcæ ignoratione. Duodecim verò legum tabulas maxima ex parte è Græcia delatas, quemadmodum & philosophiam, omnesque ingenuas artes, quæ Iurisconsulto maximè congruunt, Græcè fuisse traditas. Græca ideò vt cum latinis semper coniungeret, Tullius filio erat auctor. Norunt omnes Marcum Catonem Censorium, eundem Oratorem, eundem historiæ conditorem, eundem iuris, eundem rerum rusticarum peritissimum, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo litteras Græcas, senem etiam ætateque iam decliui didicisse. Hinc fit vt interpretes Græci, etsi Romanæ antiquitatis ignoratione labi potuerunt, & adeò lapsi sunt, magno tamē præsidio sint ijs, qui in hac disciplina cupiunt excellere. Sanè Græca lingua familiaris fuit Modestino, Papiniano, & Scæuolæ, alijsque omnibus, è quorum libris digesta conscripta sunt, ac quæ nunc omnium manibus teruntur, cum addiscuntur breuiore temporis spatio, tum eorundem interpretationibus magnopere iuuamur ad ea, quæ amisimus, restituenda.

Atqui Theophylo, præter non ita multos in eadem antiquitate lapsus, qui Iustiniani institutiones vertit in Græcam linguam, nullo alio ad eos libros intelligendos esse aptiorem, scripsit Antonius Augustinus, ac reliqui posteà comprobarunt.

Quod verò ad rerum interpretationem attinet, inter plurimos interpretes qui institutiones Iustiniani explanauerunt, petendam maximè existimat Posseuinus istorum studiorum rationem ex Syluestro Aldobrandino, & Viglio Zuichemo, quibus si quis addere voluerit Ioachimum Mynsingerum, & Franciscum Hotomannum, meminerit, ne manum admoueat ijs, qui Ecclesiæ permissu non sunt editi, neque emaculati: Sed de his, & cæteris auctoribus qui volet, illum consulat.

***

De forma Ciuilis Eloquentiæ.

CAPVT XXIII.

NVnc ad formam, & characterem dicendi in hoc forensi genere à prudentibus viris tradtum venio, de qua re cum in eo libro, quem de stylo conscripsi, non pauca dixerim, tota hæc tractatio breuior futura est, & ciuilis eloquentiæ limitibus circumscripta.

Eloquētiæ ciuilis in duas sectas concisa.

Atque vt ea tantum attingam genera, quæ nunc spectatissima sunt apud omnes, duas potissimum eius eloquentiæ, quæ nunc in foro, & vita ciuili regnat, sectas esse video: Alij enim orationes instar commentariorum scribunt ex magna linguarum atque testimoniorum sylua congestas, vt amplam speciem doctrinæ præferant; Alij vero dicendi genus longe dispar consectantur accuratum, subtile, elimatum, suaue, optimis sensibus affluens, magno verborum delectu illuminatum, & venusta periodorum concinnitate vndiq; circumtonsum, quod etsi minus habeat doctæ ostentationis, minus tamen habet ineptiarum.

Doctorum oratio magnam habet speciem.

Quærunt igitur adolescentes cui potissimum stylo insistere debeant? nec desunt vtrimque rationes, quæ in diuersa suspensos animos abripiant. Nam quod ad primum dicendi genus attinet, magnam concitat doctrinæ opinionem, quæ vna res hominum auribus suauissimè blanditur, magnam habet admirationem, cum in vnam orationem videmus omnium fermè sæculorum lumina confluxisse.

Loquuntur vnius hominis ore tot veteres, & sua quisque vernacula loquitur, resonant vndique varia idiomata, Græca, Latina, Hebraica, interdum Chaldaica, & Arabica, quibus Italica, & Hispanica non rarò admiscentur. Non est iam fabula *tricorpor Geryon*, quem ternis loquutum linguis mythologi confinxerunt. Audimus vno hominis ore tot peregrinas voces; & eius monstri varietatem miremur esse superatam.

Afferuntur præterea authores tam diuersi, tam ignoti, tam abditi, qui postliminio in lucem sæculorum redeunt, tam lectæ pronunciantur sententiæ, tam exquisitæ rerum obser-

seruationes, tam illustres notæ, vt putes in vnius mortalis anima omnium heroum ingenia, artes inuenta refloruisse. Tum verò hæc dum ex memoriæ sacrario promptissima quadam facundia, & efferuescentibus verbis proferuntur, quis est qui hunc hominem non suspiciat, quis non obstupescat, imò quis hominem putet, *non viuam quandam, & spirantem bibliothecam, cui Deus omnes antiquarum disciplinarum thesauros crediderit.*

Doctrina orationibus an adhibenda.

Titillat animos hoc *tergeminum sophos*, & latius in perniciem eloquentiæ sui veneni suauitatem diffundit. Quod si quis obijciat tantam peregrinæ eruditionis ostentationem plurimum habere vanitatis: addunt qui se huic stylo addixerunt, longè saniorem, & modestiorem esse: nam qui ex veterum mente loquitur, plus habet modestiæ, quam qui sui ingenij inuenta suis auditoribus venditat. Aduletur sibi quisque recentiorum hominum, quantum volet, & nouos ingenij sui fœtus, vt partum simiæ solent, demiretur, nunquam tamen hoc assequetur, vt antiquos illos, quibus coronatis tot sæcula plauserunt, de gloriæ hæreditate dimoueat. Quamobrem, cùm dicunt sua, parum habent auctoritatis, at cum veterum sententias, & monumenta referunt, non iam homines loqui videntur, sed quædam ex tripode oracula.

Antiquorum laus.

Hinc fructus apud auditores vberior, quibus, etiamsi præceptorem egeris, haudquaquam persuaseris, vt à te audita, quasi antiquorum effata suscipiant, siquidem rebus etiam optimis facilè adhærescit ex nouitate fastidium: sed ne multis (inquiunt) rationibus moremur, discrimen omne sustulit experientia, nam qui huiusmodi actiones habent, aut orationes, nullis veterum sententijs, quasi stellis illuminatas; etiamsi lautissimum manufactæ orationis explicent instrumentum, frigidè tamen, & oscitanter audiuntur, nec prodest quod dicant se orationem, ex veterum quidem sensibus coagmentatam fingere, sed consultò premere, ne obscurent eloquentiam: Primùm enim illiberales sunt, & erga summorum hominum manes ingrati, qui eorum premere nituntur memoriam, & ijs tenebras offundere, à quibus lucem accepere. Deinde si nolunt intelligi, cur vtuntur, cur operam ijs impendunt? cur clauum purpuræ insuunt, si tegendi consilium est, sed nec tamen illi tegunt, & qui hæc alijs dissuadent, postquam contra doctos omni conatu declamârunt, doctrinam auctorum vsurpant, haud quidem latenter, & obscurè, vel si quis modestiorem se in ea re fingat, vt illa virgo Virgiliana.

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Hæc fermè huius sectæ argumenta.

Consuetudinis vis.

Equidem fateor violentum esse consuetudinis imperium, cuius vis vbi semel in hominum animos, sensusque peruasit, non facilè, nisi grauissimæ cuiusdam auctoritatis viribus, & lacertis refringitur.

Qui primi in foro gallico post superiorum sæculorum infantiam, præcipua quadam eloquentiæ maiestate eminere visi sunt, cùm essent & sanctiore doctrina exculti, & variorum librorũ lectione callerent, statim se in hoc dicendi genus coniecere, quod in tanta linguarum, & rerum ignorantia, plenissimum erat admirationis.

Doctrina copia & testimoniorum farrago eloquent. inimicæ.

Itaque illi cùm essent auctoritate graues, eruditione celebres, & ciuilium artium disciplinis præclarissimè instructi, plurimos habuerunt imitatores, qui se ad vnius principis exemplar; quantum maximè possunt, nituntur effingere. Sed orientur (opinor) viri, nisi iam nati sunt, magni, & sapientes, qui illam dicendi peruersitatem, quæ se nostrorum hominum agglutinauit ingenijs, aut penitus euellent, aut certè succisis viribus debilitatam, & comminutam in aliud domicilium emittant.

Est enim profectò error mentis, qui se dulcibus vitijs instillat, & specioso quodam doctrinæ prætextu oppressis vanitate sensibus illudit.

Primùm enim, quis veterum ita loquutus est?

Non sum is, qui velim omnia semper ad normas antiquorum reformari, scio multa pro sæculorum varietate, multa pro hominum ingenijs, populorumque disparitate mutari, maximè verò in eloquentia, cuius hoc fuit semper regnum, scenæ (vt aiunt) opinionique seruire. Sed tamen haudquaquam arbitror, contemnendam præstantissimorum hominum, in ijs præcipuè artibus, quarum gloria floruerunt, auctoritatem.

Quis igitur tanta idiomatum varietate, tam densa testimoniorum copia loquutus est?

Non mirum est (inquiunt) si Græci, qui & linguam suam mirantur impensius, & cæterarum gentium artes, ac disciplinas respuunt,

unt, nunquam ferantur his testimonijs delectati, nisi fortè Mosem velis à Demosthene Hebraicis citari verbis. Esto, hoc concedamus, Græcos, vt plurimum sua lingua contentos, cæterorum populorum idiomata vel ignorasse, vel contempsisse: diffiteri tamen non possumus, aliquos etiam veterum Græcorum latinis litteris excultos. Nam & Eusebium nouimus Virgilianos versus ex Pollione Græcos fecisse, nec imperitum latinitatis fuisse existimem Gregorium Nazianzenum, qui de Cypriani eloquentia tam accuratum tulerit iudicium. Sed & Demetrium quendam, ex græcis accepimus, Diuum Thomam græcis litteris reddidisse, quod olim Zacharias Pontifex, in Gregorij magni dialogis fecerat: aliquando tamen illi latina cum græcis commiscent.

Hoc Demetrius Phalereus, vir iudicij (vt apparet) limatissimi, in oratione fieri prohibet.

Quid verò latini oratores, & qui vnus omnium instar est Tullius, quando prolixis, & frequentibus Græcorum testimonijs in orationibus vtitur.

Atqui profectò hic vir, si quisquam alius Græcarum litterarum fuit peritissimus, & ea etiam argumenta sæpiùs attigit, in quibus liberius exultare poterat, vt in humaniorum scientiarum laudibus, ea oratione, quam pro Archia Poeta conscripsit. In hac tamen, & in cæteris, consultò eam Græcæ eruditionis ostentationem fugit, ne forum in Varronis bibliothecam commutare videatur.

Neq; tantùm hoc exemplo docuit, sed quid ipse de tota re sentiret, in grauissima Antonij Oratoris persona paucis indicauit his verbis.

Cicero 2. de orat. sect. 153.

Semper ego existimaui iucundiorem, & probabiliorem huic populo Oratorem fore, qui primùm quam minimam artificij alicuius, deinde nullam Græcarum rerum significationem daret.

Verrius in eloquentia Gallica. Doctrinæ copia &

Nil opus est cætera persequi, si nostra quærimus tempora: ecce præ oculis, & manibus omnium, vir, quo neque auctoritate quisquam grauior, neque actior iudicio, nec vsu ciuilis eloquentiæ limatior. Verrius Procancellarius, qui in eo libro, quem de Gallica eloquentia non minus sapienter, quàm politè conscripsit, totam illam rerum, & testimoniorum inconditam farraginem, tam graui censura perculit, vt ad eius iudicium aliquid addere sit de re ipsa multum detrahere. *testimoniorum farrago*

Quo se igitur præsidio tuebuntur, qui hanc dicendi rationem defendunt, an ijs rationibus, quas supra commemorauí. *eloquētiæ inimica.*

Enimuerò multum habet hoc laudis, variam locorum, atque testimoniorum syluam congerere, quod mediocribus etiam ingenijs, si librorum copia affluxerit, potest esse commune.

Num verò hoc potius admirabile est, orationem egregijs præditam sensibus, leni, & æquabili tractu diffusam, accuratam iudicio, verborum luminibus, & temperie figurarum præclarissimè consurgentem, quasi magnæ mentis flumen in aures circumstantium profundere, quàm ex Sanchoniatonis fragmentis, Glyca, & Micrologo putidiusculos aliquot locos eruere?

Hæc dico, non quod doctorum virorum operam in commentarijs, & obseruationibus antiquitatis respuam, quæ magnam apud literatos obtinet commendationem, sed eloquentiæ laureis præferri haudquaquam tulerim: nam & ipsi, qui hæc scribunt, experiuntur quanta facilitate excidant ijs, qui in librorum vsu mediocriter sunt versati, & si quod poema, aut orationem suo marte pangere aggrediantur, tum demùm fateri coguntur, artem dicendi omnium esse operosissimam.

Qui fit igitur, vt non æquè suos auditores teneat eloquentia, ac varia solet eruditio? *Eloquentia cur cedere videatur eruditioni.*

Primùm, quia rarò talis inuenitur eloquentia, quæ perurat, & rapiat: deinde, quia si quæ optimè conscripta fuerint, non talem nanciscuntur actionem; paucos denique legitimos habet de sua dignitate iudices: nam quæ fermè dicuntur ab eloquentibus, cum ea tersa, & nitida esse oporteat, fit, vt ab imperitis in promptu cuique esse iudicentur: ijdem tamen si hoc ipsum conentur dicere, agnoscunt quantùm, non dicam in ista grandi eloquentia, sed in minuta quidem subtilitate sit difficultatis. Quod si & ipsa esset, quæ esse debet eloquentia, & æquas, ac eruditas aures haberet, nihil esset ex omnibus humanis artibus admirabilius. Sed honorificum est (inquiunt) & modestum, præclaris veterum vti testimonijs, nec sua pro antiquis obtrudere. Quasi verò antiquorum doctrinæ nun-

cium remitteret eloquentia, nec eos & sæpe, & honoris caussa appellaret. Num verò, & vbi vis probationum desiderat, si quæ sint in authorum verbis ἐμφατικώτερα, hæc excutiunt eloquentes; num firmissimas habent ex omni scientiarum instrumento rationes, num earum Principes crebris appellant sermonibus, num ipsi laudant impensius? num de suis aliquid arrogantius prædicant? Quod si nihil antiquorum inuentis addi nostri Censores volunt, suadeo vt artes, & ingenia, in pistrinum quoddam contumeliosæ seruitutis adigant, nec patiantur homines exercere quod nati sunt. Sed nos doctos scholiastas, & philologos suis commentarijs relinquamus, & nihil eloquentia dignum iudicemus, in quo offusa testimoniorum luxuries lucem obscuret orationis.

Rectè igitur præcipere videntur, qui hæc de forensi eloquentia præscribunt.

Causulas splendidè tractare.

Primùm, vt forma generis iudicialis notior sit, atque illustrior, distinguenda sunt omninò genera caussarum; quædam enim sunt causulæ, de quibus & audire, & dicere penè indignum est, ad quas si splendorem eloquentiæ patronus afferat, is videatur ἐπὶ φακῇ μῦρον, in lenticula vnguentum quærere: nec enim illustrem orationem afferre debet, nisi qui parem caussam inuenit. Aliæ sunt ornatæ, & planè ἐπιδεικτικαὶ, quæ apparitiorem stylum desiderant: aliæ sunt mediocres, quæ attemperatum dicendi genus postulant: aliæ denique negotiosæ, & graues, quæ sine fuco verborum, & affectatione rerum tractandæ sunt. Et grauiter in ijs peccant, qui vt eruditionis famam consequantur, ardent quadam prurigine citandi, & passim orationibus authorum testimonia ijsdem verbis ingerunt, quæ ad inanem potius ostentationem, quàm ad robur caussæ attinent.

Vnguentum in lenticula.

Secundum vitium est eorum, qui exquisitam vernantis styli lasciuiam, variæque expolitionis figuras solertissimè componunt, quos Persius meritò exagitat.

Fures, ait, Pedio, Pedius quid? crimina rasis
Librat in Antithetis, doctas posuisse figuras.
Laudatur, bellum hoc, hoc bellum, an Romule cenes,
Men' moueat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim cantas fracta cùm te in trabe pictum.
Ex humero portes, verùm nec nocte paratum,
Plorabit qui me volet incuruasse querela.

Quid enim tam frigidum, atque alienum, quàm in discrimine capitis, aut fortunarum ambitioso genere orationis sese ostentare? & Blæsum imitari, qui sacrilegij, & peculatus postulatus, à Cyrenensibus capitis caussam dicens, non se oratorijs defendit lacertis, sed Neroni placiturum sperans, leuia carmina, & faciles versus in Senatu recitauit?

Versus ad caussas male adhibiti.

Tertium eos spectat, qui vel in leuioribus caussis petitas ex varia antiquitate historias tam auidè inferciunt, vt in hoc suum palmarium, vel præcipuum repositum esse arbitrentur, quos si non aliud, illud certè Lucilij edocuisse deberet.

Antiquarij Caussidici exagitantur.

Κοιρίδιον καὶ βοῦν ἀπολώλεκα, καὶ μίαν αἶγα,
Ὧν χάριν εἴληφας μισθάριον Μενέκλεις.
Οὔτε δέ μοι κοινόν τι πρὸς Θηρυάδαν γεγένηται,
Οὔτ' ἀπάγω κλέπτας οὔτ' ἀπὸ Θερμοπυλῶν.
Ἀλλὰ πρὸς Εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν, ὥστε τι ποιεῖ:
Ἔνθα δέ μοι Ξέρξης, καὶ Λακεδαιμόνιος:
Πλὴν κἀμοὺ μνήσθητι νόμου χάριν, ἢ μέγα κράξω
Ἀλλὰ λέγει Μενεκλῆς, ἀλλὰ τὸ χαρίδιον.

Quod Martialis lib. 6. festiuissimè imitatus canit:

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abesse furto:
Hoc iudex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithrydaticumq; bellum.
Et periuria punici furoris,
Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;,
Magna voce sonas, manuq; tota,
Iam dic Posthume, de tribus capellis.

Sublatis igitur his, & similibus vitijs prouidere debet hoc maximè tempore orator, vt dicenda, tacendaque calleat, ac semper ad euentum festinet, & ad medias res, non secus ac notas auditorem rapiat. Superuacaneum non modò, sed & puerile videtur communibus

bus causis exordia adrexere, trahereque diffusius,& in transitionibus,ac paergis luxuriare, quæ omnia ludentium sunt potius declamatorum,quam negotiosorum hominum.

Quartum ad eos pertinet , qui longos amant circuitus, & diem , quod aiunt, dicendo eximere. Benè de hac re monet Paschalius. V.C.

Quæ ratio (inquit) est adstricti moris, totiusque adeò vitæ , eadem quoque est sermonis : vt enim in libera ciuitate fatendum est multa redundare in moribus , ita in orationibus,quæ ibi habentur,multa plerumque inest procacitas linguæ , & superfluens quædam verborum luxuries similis morum. Id totum in aula excipitur magno derisu , & exponitur pari fastidio. Quippe aulico palato,id est,docto , & erudito , nihil magis ad gustum est, quàm sobrietas quædam ponderosa. Senatores liberi populi hoc se amplectuntur, quod multo sermone diem eximunt , ac multa libertate agunt.

Patronorum grauium stylus.

At in aula hæc libertas est pro lasciuia , & nisi temperatur, continuò deridenda propinatur. Neque enim nuda,aut sola placet,sed ita si obnubitur grata illa suauitate , quam progignit peritia morum Principis. Illa quidem simplicior,hæc artificiosior. Et verò attenti,& perspicaces rerum æstimatores satis intelligunt,in ijs gentibus,quæ regnantur,vulgarem sermonem, cui merito nomen indi potest morum speculo , præ se ferre nescio quid pressi, concinni, neruosi , quale extat illud de Menelao dictum,qui,

Βατροχάϛην ἀγύρτης
Παῦρα μὲ ἀλλὰ μάλα λιγέως.

GENVS IVDICIALE.

De statu, & tractatione causarum.

CAPVT XXIV.

REstat vt Patronum,armis pietatis,eloquentiæ , & eruditionis instructum in causarum tractationem , quasi in aciem educamus. Qua in re primùm cognoscendæ sunt , quæ à Græcis στάσεις appellantur, de quibus , cum infinita sint propè apud Rhetores Græcos sermonum curricula , iubet rem in pauca contrahere.

Status (vt ex vulgatis definitionibus constat) est quæstio , quæ ex primo causarum conflictu nascitur , in quo sciendum est, quod habet Tullius , quid sit intentio , depulsio, quæstio,ratio,ratiocinatio,infirmatio,quæ D. Augustinus in sua Rhetorica fusius explicat. *Status quid.*

Intentio igitur est , cum crimen aliquod intenditur ab aduersario , vt C. Flaminius Tribunus plebis Rempublicam malè gessit : hunc pater suus consilium plebis habentem de templo deduxit. Arguitur à filio læsæ maiestatis.

Depulsio , cum crimen defenditur à reo, vt non læsi maiestatem : ex hoc conflictu status fit.

Quæstio an maiestatem læserit Caij Flaminij pater?

Ratio , quid affertur in caussæ fundamentum , vt in filium meum potestate vsus sum (inquit patens.)

Rationis infirmatio, cum diluitur, quod ad fulciendam caussam affertur. At enim, qui patria potestate,hoc est priuata auctoritate,Tribunitiam potentiam , videlicet populi potestatem minuit , is maiestatem læsit. (Arguit filius.)

Iudicatio κρινόμενον summa totius rei , & status quæstionis , ad quem collineare debent omnes argumentationes. An minuat maiestatem,qui in Tribunitiam potestatem patria authoritate vtatur.

Longum est recensere, quot sint in hac parte scholasticorum , tum Græcorum , tum Latinorum ineptiæ , qui infinitas propè præceptorum minutias de statibus congerunt. Ne tamen artis formulæ ignorarentur , placuit istud ex Curio Fortunatiano vetere iurisconsulto subijcere.

DE STATV INuestigando.

Et de causis Asystatis.

CAPVT XXV.

Asystata causa sine fundamento quomodo dignoscuntur.

Ἀσύστατοι , quæ appellantur caussæ sine statu,& fundamento, secundum Hermagoram fiunt quatuor modis,quum

Λευστάτων plura genera recenset Hermogenes. περὶ τῶν στάσεων.

est, aut ἐλλείπουσα, aut ἰσάζουσα, aut μονομερὴς, aut ἄπορος.

Ellipusa, quum aliquid deest ex circumstantijs, quod faciat quæstionem: vt si aliquis abdicatur, nec abdicationis vlla sit caussa. Eadem dicitur, κατ' ἐλλιπὲς, & κατὰ μορίον, & κατὰ περίστασιν.

Isazusa, quum eadem ex vtraque parte dicuntur, & nihil proprium est partis alterius, vt, Duo adolescentes vicini speciosas vxores habebant, accusant se adulterij. Quicquid enim altera pars dixerit, idem & altera dictura est. Eandem ἰσομερῆ, & κατ' ἰσότητα, & παρισότητα nominant.

Monomeres, quum ex prima parte tantum constat, nec quicquam ex secunda afferri potest. Hæc eadem ἑτερομερὴς, & καθ' ἑτερομερίαν.

Aporos, quum iudex non inuenit quam sententiam dicat: vt, tres similiter agebant, duo soli reuersi sunt: accusant se inuicem cædis: Hic enim iudex non inuenit, quid sequatur, cum vterque ab altero dicat occisum, & nihil vtrobique ad probationem afferri possit, deficiente circumstantia.

Asystatorum, siue causarum sine statu, & fundamento aliæ species.

Sunt & aliæ species, quas apud varios artium scriptores inuenimus, vt, ἀνυστρέφουσα, ἄχρωμος, ἀδήνατος, ἀπίθανος, ἀπρεπὴς, ἀναίσχυντος, παρ' ἱστορίαν, ἄλογος.

Antistrepausa, quum actionem suam conuertunt litigantes. Talis fuit caussa Protagoræ, & Euatli, de qua dixi lib. 6. c. 28.

Achromos, quum color facti non inuenitur: vt, Decem milites belli tempore pollices sibi amputauerunt, rei sunt læsæ Reip.

Adynatos, quum id in themate ponitur, quod sit contra rerum naturæ fidem: vt si infans accusetur adulterij.

Apithanos: cum id inuenimus in themate, quod minùs verisimile est: vt quum oculos cæci recuperasse dicuntur. Quæ materiæ (inquit) solent recipi; quoniam, quamuis minus verisimile sit, oculos recuperasse cœcum, tamen possumus credere à diuina maiestate alicui aliquando hoc esse concessum.

De causis cacosistatis.

CAPVT XXVI.

Cacosystata causæ, quæ sunt leui, & ruinoso fundamento innixæ.

Cacosystata sunt, quæ leui, & ruinoso fundamento innituntur, vt sunt ἀπρεπὴς, ἀναίσχυντος παρ' ἱστορίαν, ἄλογος.

Aprepes, quum aliquid personæ incongruens inuenitur, vt, vir fortis præmium accipiat. Quando fortiter fecit, petit præmij nomine nuptias filiæ suæ.

Anæschyntos, quum prima pars impudens inuenitur, vt luxuriosus pater abdicat filium frugi.

Parhistoria, quando in controuersia inuenimus, quod sit contra historiæ fidem.

Alogos sine ratione componitur: quamuis omnia asystata ἀλόγως dici possunt, siquidem nusquam in his ratio reperiri potest.

De ductu.

CAPVT XXVII.

Quid sit fundata controuersia faciendũ. Ductus post statũ inquirendus, hoc est ratio totius caussæ agendæ.

Qvum cognouerimus materiem consistere, ductum quærimus, hoc est, modum, quo tota causa agenda sit.

Ductus sunt quinque, simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus: simplex, quum simpliciter id agimus, ita, vt in themate positum est. Subtilis, quum aliud est in themate, aliud in agentis voluntate.

Figuratus, quum palam dicere pudor impedit.

Obliquus, quum periculum prohibet apertè agere.

Mixtus, qui est ex varijs compositus.

Ductuum quinque modi & eorum exempla.

Simplex ductus, vt, Inuentus est quidam iuxta cadauer recens hominis occisi, sit reus cædis: causatiuum litis est, quod sit inuentus, quod est præteriti temporis, & ideò verum est consilium, ac per hoc simplex est ductus.

Subtilis, Amicos non habet; abdicatur: Subtilis inquam est ductus: quoniam aliud est in themate, aliud in agentis voluntate: nam quantum est in themate, abdicat filium, non tamen verè abdicat, sed titulo abdicationis suadet, vt amicos habeat.

Figu-

Figuratus, Adulteros liceat occidere. Infamis fuit in nurum, inuenit filius adulterum obuoluto capite, nec eum occidit: interrogatus ergo à patre, qui fuerit adulter, cui pepercerit, non dicit, & abdicatur. Figuratus est ductus, quoniam pudore deterretur filius patri palam dicere: tu adulter fuisti.

Obliquus: Qui inuaserat, deposuit dominationem sub pacto abolitionis, vult petere magistratum, contradicitur. Ductus erit obliquus, quoniam periculo prohibetur, qui contradicit, apertè mentionem facere iniustæ dominationis.

Mixtus: Qui infamis fuit in nurum, arcem occupauit: vocauit ad se filium, & interrogauit, an rumori crederet, negauit se credere, deposuit pater dominationem, sub pacto abolitionis, filius repudiauit vxorem, interrogat pater causas repudij, non dicit, & abdicatur. Ductus est mixtus, id est, & figuratus & obliquus, quoniam pudore deterretur patri palam dicere, tu adulter fuisti, & ideo repudiauit vxorem: & obliquus, quoniã periculo prohiberur apertè mentionem facere iniustæ dominationis.

Diuisio causarum.

Ad imaginem statuum cognoscendam.

CAPVT XXVIII.

Septem genera controuersiarum, & varia nomina ex antiquis Rhetoribus petita, quæ valent ad intelligentiam formularum.

REperto ductu considerabimus genus controuersiæ, cuius septem sunt genera; simplex rationale, simplex legale, coniunctum rationale, coniunctum legale, comparatiuum rationale, comparatiuum legale, mixtum.

Nota porrò, legalem controuersiam dici, quę petitur ex aliqua lege ciuili scripta.

Rationalem, quæ ex ἀγράφῳ lege rationis, & re aliqua, seu facto ad rem spectante.

Cõtrouersia simplex rationalis qua.

Simplex rationale, cùm res vna, vel factum simpliciter tractatur: vt inuentus est iuxta cadauer recens hominis occisi, tenens cruentum gladium, reus est cædis.

Simplex legalis.

Simplex legale, quum lex vnam facit quæstionem, vt, Peregrinus murum ne ascendat, peregrinus murum ascendit, & hostem propulsauit, petitur ad pœnam.

Coniuncta rationalis qua habet duo causatiua ex ratione.

Coniunctum rationale, quod constat duabus rebus, & causatiuis.

Rebus, quum multa quæruntur, vt si aliquis accusetur, & adulterij, & sacrilegij.

Causatiuis, quum vna res quæritur, & multis caussis approbatur: vt, Luxuriosus adolescens iurauit se vxorem non esse ducturum, & abdicatur, illic enim vna quæstione ostendimus, an abdicandus sit, sed causatiuis coniuncta est, & quod luxuriosus est, & quod iurauit se vxorem non esse ducturum.

Cõiuncta legalis duo habet causatiua ex lege ciuili.

Coniunctum legale: quum quæritur, an contra plures leges sit admissum, vt, Peregrinus murum ne ascendat, & nocte nemini liceat esse cum telo: Peregrinus murum cum telo nocte ascendit, & hostem propulsauit: petitur ad pœnam. Hic enim contra duas leges fecisse dicitur, & quod peregrinus murum ascenderit, & quod nocte cum telo fuerit.

Comparatiua rationalis.

Comparatiuum rationale: quum aut personæ, aut res comparantur.

Personæ, vt, Qui plus Reipub. præstiterit, petat præmium. Contendunt Medicus, & orator. Hic enim quæritur, qui melior sit, vtrum medicus, an orator.

Res, vt, Qui plus Reipubl. præstiterit, petat præmium: alter hostes ab obsidione repulit, alter hostium ciuitatem cepit. Contendunt de præmio: hic enim facta eorum, & res comparantur: vt quæratur, quid plus sit hostes repellere ab obsidione, an hostium ciuitatem capere.

Cõparatiua legalis.

Comparatiuum legale, quum leges comparantur: vt qui auxilium parentibus non tulerit, capite plectatur: &, Mas templum Cereris si ingressus fuerit, capite puniatur: In templo Cereris matri auxilium filius tulit, petitur ad pœnam. Hic enim quæritur per comparationem, secundum quam legem filius facere debuerit.

Cõtrouersia mixta ex varijs.

Mixtum: Quando non ex vno genere materia composita est, id est, quum & simplex est genus, & comparatiuum, aut cum & rationale, & legale.

Simplex, & comparatiuum: vt, Quidam proditionis accusabatur: ex filijs eius alter fortiter fecit: alter deseruit, petit pater de viro forti, vt abolitionem iudicij peteret. Ille incolumitatem desertoris fratris optauit, & reo non adfuit patri, absolutus pater abdicat filium. Hic enim, & simpliciter quæritur, an contra voluntatem patris, præmium ei licuerit petere, & per comparationem, quid magis debuerit optare.

Mixtum ex rationali, & legali, vt, Qui pro-

ditionis damnatus fuerit, magistratui detur custodiendus, & trigesima die torqueatur, vt conscios dicat, & adulteros liceat occidere: proditionis damnatus ...istratui collegæ suo datus est custodiend... Ille cum in adulterio deprehensum occi... t, reus est conscientiæ. Hic enim & rationale est genus, in quo quæritur, an hic conscius fuerit, an ille adulter: & legale, in quo quæritur, an eum illi liceuerit occidere, qui torqueri debuerat, vt conscios diceret.

Alia diuisio causarum.

Petita à genere characteris, siue elocutionis.

CAPVT XXIX.

Alia genera controuersiarum, quæ publica dicuntur, & earum quinque genera.

POst hæc genera controuersiarum afferuntur etiam quinque, vt consideratur caussa, ratione characteris, siue elocutionis, & modi agendi: sunt igitur, Ethicum, Patheticum, Apodicticum, Diaporeticum, Mixtum.

Ethicum genus, in quo mortalitas quædam, id est, mores hominum considerantur, vt sunt comœdiæ.

Patheticum genus, in quo motus est animi, & vis quædam, & impetus mentis, vt sunt tragœdiæ. vt:

Indemnatos liberos liceat occidere, tres filios lege indemnatorum, in conspectu matris occidit: mater eodem gladio se interemit.

Reus est, quod caussas mortis præstiterit.

Apodicticum, in quo pugna quæstionum est.

Peregrè proficiscens reliquit ad amicum certam frumenti mensuram. Ille in fame ciuitatis duplo precio frumentum vendidit: reuersus amicus contendit de lucro.

Diaporeticum, in quo addubitatio est, nec quicquam certi affertur, vt;

Cum duo fratres dissidentes contenderent armis, pater interceßit, vulneratus est, incertum à quo; quærunt filij, à quo sit vulneratus: non dicentem accusant dementiæ.

Mixtum, quod non ex vno genere compositum est: vt est hæc ipsa materia patris vulnerati: nam & patheticon est in fratrum congressione, & diaporeticon est à dubitatione patris.

De statu, & eius diuisione.

CAPVT XXX.

Quid status. Genera, & species statuum.

REpertis generibus controuersiarū quæritur status, quo consistit controuersia.

Genera statuum sunt duo; rationale, & legale.

Interest inter rationales status, & legales: quod rationales rei alicuius vel facti habent quæstionem: legales autem legis, & iuris continent disceptationem.

Rationales status secundum Hermagoram sunt quatuor, coniectura, finis, qualitas, & translatio: sed translationem tantundem accepimus legalem: quoniam nulla translatio, idest, præscriptio, sine lege potest esse.

Coniecturalis status, & eius variæ species.

Sex species coniecturalis status, & earum exempla.

Coniecturalis status sex modis fit: aut quum de facto constat, & de persona non constat: aut quum de persona constat, & de facto non constat: aut quum de vtroque non constat: aut quum de sola voluntate sit quæstio: aut quum de re ipsa quæritur: aut cum est anticategorica.

Quum de facto constat, & de persona non constat, vt, Cum abdicato filio, qui militabat, inuentus est pater telo filij sui occisus; reus est filius parricidij. Hic enim de facto constat, id-est, occisum esse patrem, sed de persona non constat, quæritur enim, an à filio sit occisus.

Quum de persona constat, & de facto non constat, vt; Luxuriosum filium pater abdicauit, abdicatus medicinæ studuit; postea decumbenti patri dedit poculum, quod diceret sanitatis: pater in media potione; ait se venenum accepisse, filius residuum poculum bibit, & decessit pater, reus est filius parricidij. Hic enim de persona constat, quoniam filius poculum dedit: sed de facto non constat, qualem enim potionem dederit, vtrum veneni, an sanitatis, incertum est.

Quum de vtroque non constat, vt, luxurioß pater non comparauit, reus est parricidij filius. Hic enim non constat, occisum esse patrem, etsi constiterit, incertum est, an à filio sit trucidatus.

Quum

Quum de voluntate quæritur, vt Luxuriosus adolescens nocte à meretricis domo expulsus, cereum ardentem ante meretricis fores abiecit, domus arsit, arguit eum, vt restituat. Hic enim, & de persona, & de facto constat: sed tantummodo quæritur, qua id fecerit voluntate.

Quum de reipsa quæritur, quando περὶ τῆς οὐσίας quæstio est, non de facto aliquo: id est, cùm quæritur, an aliquid fuerit illud, de quo quæstio est, non an aliquid sit factum: repetebat à commilitone suo pecuniam tanquam creditam, negantem se debere, occidit, sed & se interfecit: repetunt pecuniam hæredes interfectoris, ab hæredibus pernegantis; illi contradicunt. Hic enim non de facto quæstio est, sed de eo, an pecunia ante illa sit credita.

Ἀντικατηγορία est mutata accusatio, ideſt, quum aliqui se inuicem accusant: vt vir fortis habebat nouercam, habebat & in matrimonio captiuam: ambiguis signis obijt, accusant se inuicem venefici; nouerca; & captiua.

Finitiuus status.

Finitiuus status, & eius quinque species.

Finitiuus status fit, cùm id, quod obijcitur, non hoc esse contendimus: est autem quintuplex: aut quum simplex est quæstio, quæ anasceuastica, id est, refellens dicitur: aut quum duplex actio est: siue comparatiua, quæ Antiocristica dicitur: aut quum duplex quæstio est, siue coniuncta: aut quum ex partibus definimus: aut quum est Antithetica.

Prima species ἁπλοῦν κατάστασις, siue simplex.

Simplex definitio, quum vnam rem simpliciter definimus: vt naufragia ad publicanos pertineant, cuiusdam naufragi corpus eum ornamentis, ad littus expulsum arena obrutum est, id publicani eruerunt, rei sunt sepulchri violati Hic enim simpliciter quæritur, quid sit violare sepulchrum.

Secunda, duplex, & comparatiua.

Duplex actio, siue comparatiua, quum duas res diuersas definiunt litigantes, vt, sacrilegus capite plectatur, fur quadruplum soluat: de templo quidam priuatam pecuniam sustulit, petitur ad pœnam, offert quadruplum, quasi fur. Hic enim alter sacrilegium dicit esse cõmissum, & hoc definit; alter furtum, & comparatione quæritur, quid sit admissum, vtrum sacrilegium, an furtum.

Tertia duplex cõiuncta.

Duplex quæstio, siue coniuncta: quum duas res, quas prima pars definit, easdem aduersarius impugnat: vt, qui non initiatus sacra enunciauerit, capite plectatur, non initiatus sacra vidit in somnijs, retulit ei, qui fuerat initiatus: ille ait, hæc sunt sacra: petitur ad pœnam, & contradicitur. Hic enim quæritur quid sit initiatum esse, & quid sit enunciare.

Quarta, cum non duo, aut plura ad definitionem rei, aut facti attinentia quarũtur.

Ex partibus definitio: quum vnam rem multis partibus definimus: vt, Qui obsidebantur ab hostibus, auxilia à finitimis conduxere, in itinere sunt auxilia, recessere hostes ab obsidione: petunt illi pactam mercedem: hi contradicunt. Hic enim quæritur, quid sit auxilium præstare, quod ex partibus definimus, quòd & decreuerunt, & quod miserunt, & quod hostes recesserunt.

Quinta species ἀντιθετικὴ, quæ fit ex pugna definitionum oppositarum.

Antithetica definitio: qua non tantum crimen negamus, verumetiam commodum aliquod afferimus. Commendatam sibi ab Ephebo chlamydem, defuncto eos, in monumentis maiorum ei posuit, accusatur à patre Ephebi sepulchri violati. Hic dicit sepulchrum à se non tantum non esse violatum, verumetiam esse & ornatum.

Status qualitatis, & eius duplex species, absoluta, & assumptiua quot modis fiat.

Absoluta species status qualitatis fit duobus modis.

STatus qualitatis duplicem constat esse speciem: Absolutam, qua factum absolutè defenditur; Assumptiuam, qua rebus aliundè assumptis coloratur.

Absoluta qualitas duobus modis fit: facti qualitate, & iuris ratiocinatione.

Facti qualitas est, quum ostendimus factũ, quo arguimur, non esse perniciosum, & ideò naturali iure esse concessum, vt Damnato Milone Cicero exclamauit, vrbem Romam bonis ciuibus sedem esse non posse, reus est læsæ Reipubl.

Iuris raticinatio fit quatuor modis, lege, more, secta, arte.

Lege, Indemnatos liberos liceat occidere: tres filios lege indemnatorum occidit, reus est vxori malæ tractationis. Hic enim se dicit lege feciſſe.

More, Mos apud Scythas fuit, vt sexagenarij per pontem mitterentur. Scytha Athenis sexagenarium patrem per pontem deiecit, reus est parricidij. Hic enim dicit se facta sua fecisse, vt hoc disputaret.

Arte,

Arte, Pictor naufragia pinxit, & publicè proposuit, nemo nauigat, reus est Reipub. lesæ: necesse est, sua se arte defendat, quod pictores consueuerunt huiusmodi multa pingere, & publicè proponere.

Assumptiui status quatuor partes, siue species.

Assumptiua qualitas constat, relatione, remotione, compensatione, venia.

Relatiuus status fit, quum reus culpam refert in eum, propter quem arguitur, vt, Miles in acie exclamauit, Vincimur, occisus est ab Imperatore. Reus fit Imperator læsæ Reipub. contradicit: dicit enim militem peccasse, & ideò occidi debuisse, quod hoc clamauerit.

Remotiuus duobus modis fit, quum aut in personam remouemus, aut in rem.

In personam, vt, Legatus intra trigesimum diem nauiget: legatus, non accepto à quæstore viatico, non nauigauit intra trigesimum diem, reus est malè gestæ legationis, hic enim remouet crimen male gestæ legationis, quod viaticum non accepit

In rem; vt, Missus est ad expugnandam hostium ciuitatem, inuenit illam lue laborare, reduxit exercitum; reus est læsæ Reipubl.

Compensatiuus status fit duobus modis; cùm aut delicto meritum comparamus, aut cùm maiori incommodo consultum esse contendimus.

Delicto meritum comparatur, vt, Miles ex acie ad muros confugiebat; Imperator muros diruit, victoriam reportauit, reus est læsæ reip.

Maiori incommodo prospectum esse contendimus, vt, Tyrannidis tempore speciosum filium amico commendauit, vocauit ad se patrem eius tyrannus, & tormentis expressit, vbi erat filius: satellites misit ad amicum, amicus puerum occidit, tyrannus se necauit, amicum mater, puer cædis accusat, adest ei pater. Hic enim dicit puerum maiori à se pudoris iniuria liberatum.

Venia omnis, aut purgatiua, aut deprecatiua.

Purgatiua quatuor modis fit, errore, casu, necessitate, obliuione.

Errore, vt Exulem intra fines deprehensum liceat occidere. Ex duobus geminis fratribus similibus alter exulabat, fratrem eius quidam, tanquam exulem occidit; reus est cædis. Hic enim se dicit errore fecisse.

Casu, dum venatur, hastam in feram misit, hominem occidit, eo vulnere perijt, reus fit cædis. Hic enim dicit, se non voluntate, sed casu fecisse.

Necessitate, Orator captus ab hostibus, laudes eorum scripsit, iubentibus his, & publice recitauit: gratuito dimissus est, ad suos reuersus læsæ Reipub. accusatur. Hic enim dicit, se non voluntate, sed necessitate fecisse.

Calendæ sacris destinatæ.

Obliuione, Sacerdos omnibus Calendis sacrum non fecit, petitur ad pœnam. Hic enim aliter defendi non potest, nisi memoria sibi allegauerit excidisse.

Deprecatiua venia: cùm nulla potest esse defensio, sed eum, cui liceat ignoscere, tantummodò deprecamur.

Hæc ille, quorum nonnulla sunt plerumque spinosa, & exilia: sed visum est hoc antiquitatis monumentum non omittere, in cæteris liberiori cursu fluet oratio.

De tractatione statuum in specie, deque singulorum exemplis.

Ac primùm de coniecturali.

CAPVT XXXI.

IN coniecturali statu, vbi de facto non constat, duo maximè spectantur, voluntas, & facultas: si enim & voluerit, & potuerit reus, argumento est quod fecerit: sin contra, expedit se laqueis accusationis.

Ad voluntatis significationem spectatur motus animi: Cupiditas, dolor, motus, voluptas, vitia: in corpore valetudo, forma, vires: in externis locus, tempus, modus, &c.

Status coniect. partes duæ.

Hæc sunt fidei capita, per quæ orator excurret.

Primùm, si cupidus fuerit, qui accusatur, vt, Cæsar rapuit sponte Principatum, quod à puero flagrauit gloria, & habuit hos versus in ore, quos ex Euripide vertit Cicero.

Si violandum est ius, regnandi causa
Violandum est, in alijs rebus, pietatem colas.

Metus, vt Drances arguitur, quod cædem perpetrarit, facilè negatur, quia, vt ait Virgilius:

Homini est frigida dextera bello.

Voluptas, vt Antonius citatur reus adulterij, expendatur vita eius à puero, quod Cicero facit Philipp. 2.

Deianira.

Dolor, vt Deianira occidit maritum, quid mirum? Zelotypiæ furore, doloreq; flagrans, à Seneca tragico sic exprimitur:

O quàm

O quàm cruentus fœminas stimulat dolor,
Cum paruit vna pellici, & nuptæ domus:
Scylla, & Charybdis, Sicula contorquens freta,
Minus est timenda, nulla non melior fera est.

Deiotarus. Virtutes, vt Cicero pro Deiotaro.

Deiotarus (inquit) non est saltator, quare? Omnes sunt in eo regiæ virtutes, quod te Cæsar, non ignorare arbitror, sed præcipuè singularis, & admiranda frugalitas, etsi scio hoc verbo Reges non laudari, frugi hominem dici non multum habet laudis in rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt Regiæ laudes.

Vitia apud Sallustium.

Catilina. Arguitur affectasse dominatum Catilina, quid mirum? nobili genere natus fuit: ingenio malo, prauoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis grata fuere, ibique iuuentutem suam exercuit, patiens corpus inediæ, algoris, vigiliæ, supra quã cuiquam credibile est, animus audax, subdolus, vanus, cuiuslibet rei simulator, atque dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis eloquentiæ, sapientiæ parum, vastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.

Præclaræ coniecturæ, & dignæ Sallustio.

In corpore verò ad confirmandam voluntatem faciunt valetudo, forma, vires, ætas, sexus, &c.

Corporis forma ad probationem facit. Forma, inquam, facit coniecturam morum, & si ea non satis firma est, quin ad ornandum potius, quàm ad probandum valet. Vsurpauit tamen Cicero, & Sidon. Apoll. Gnatonem signiferum esse omnis turpitudinis ostendit, vel ab ipsa corporis figura, quam egregiè describit.

Vires, & ætas, vt, Penelope, Laertes, & Telemachus vim inferre Procis non possunt: nam canunt apud Ouidium:

Tres sumus imbelles numero, sine viribus vxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer.

Addit etiam nomen aliquid, & institutio, & genus, & vitæ conditio, à quibus ducenda quoque argumenta docent Cicero, & Hermogenes, vt si dicamus quempiam Caldum vocari, quod repentino, ac temerario sit consilio, & ostendamus apud quos, & à quibus educatus, & eruditus fuerit, quibuscum viuat, vel vixerit, quo more domestico.

Ex fortuna ducuntur argumenta, cùm ostenditur quispiam seruus, vel liber, vel diues, vel pauper, vel nobilis, vel ignobilis, vel priuatus: vel cum potestate, vel doctus, vel inctus.

Ad externa spectant locus, & tempus, quorum opportunitas comes est factorum.

Hæc ergo in genere spectantur, locus, tempus, occasio, facilitas, facultas: in loco opportunitas, in tempore longinquitas, in occasione facultas, in facultate copia, & potestas.

Deinde videndum est, quid adiunctum sit negotio: hoc est, quid maius, quid minus, quid simile, ex quibus coniectura quædam ducitur.

Quod si ea, quæ de persona dicta sunt, non fuerint in causa, hortandi erunt iudices, vt veterem famam hominis, non putent in causam peruenire, nam ea illum antea celasse vitia, nunc manifesto teneri.

Defensor autem primùm si poterit, nitetur, vitam eius, qui postulabitur, demonstrare honestissimam, id faciet, si ostendat aliqua eius nota, & communia officia, in parentes, amicos, affines, necessarios, in rempubl. *Defensionis methodus.*

Hæc ipsa magna cum orationis grauitate proponet, & illustrabit. Indignatio erit iuncta cum quæstione, per quam miserum facinus esse dicet, ac indignum, innocentem accusari, cum animus omni in vita fuerit à vitijs remotissimus. Sin autem in anteacta vita aliqua turpia erunt, aut falsò venisse in hanc existimationem dicentur, aut ex aliquorum inuidia, & obtrectatione, aut opinione falsa rumoris; aut necessitati, aut persuasioni, aut adolescentiæ, aut alicui non prauæ affectioni animi attribuentur.

At si nullo modo vitæ turpitudo, aut infamia deleri poterit oratione, negare oportebit, de vita eius, & moribus quæri, sed de eo crimine, cuius arguitur: quare, anteactis omissis, illud, quod instat, agi oportere. Hæc Cic. 1. de Inuent.

Iam ad probandum assumentur argumenta remota, quę cum foris petantur, arte tamen, & industria oratoris, non mediocriter eluceſcunt. Sunt autem partim diuina, partim humana. *Argumenta remota diuina.*

Diuina in sex partiuntur, in oracula, auspicia, vaticinationes, responsa sacerdotum, haruspicum, coniectorum, quæ fusius prosequi nec est huius loci, nec instituti.

Vestalis de saxo praecipitata non laditur. Castitas tuta.

Seneca Vestalis castitatem probat, quod stupri accusata, & de saxo præcipitata, illæsa permanserit.

Concludit in hæc verba: *Damnata deiecta est, absoluta descendit.*

Porrò, quæ Ethnici diuina testantur esse testimonia, apud Christianos irrisa iacent, & contempta.

Nullus igitur horum vsus, nobis ex Ecclesiæ authoritate, orthodoxorum sententijs, & probatis miraculis, omnis testimoniorum diuinitas accersenda. Fuit apud antiquos consuetudo, quam nunc aliqui superstitiosè retinent;

Argumenta petere facti, vel infecti, per ignem, & aquam.

Nam & Germani spuriam prolem explorabant per Rhenum: quem ideirco Nonnus ποταμόπαλτον χίγαμον nominat: & apud Heliodorum, Theagenis, & Charicleæ virginitas per ardentes prunas tentatur: de quibus probationibus agit Demetrius Catthophilax, Chomatenus.

Per prædictiones, per sortilegia, per μανεμαχίαν, per obiectum cadaueris: sed hæc partim vetita, partim non satis certa.

Nam (quod ad cadauer attinet) idipsum præsente percussore, sanguinem emittere aiūt; & persæpè res est comprobata: itaque hoc indicium quidam magni faciunt, vt Boetius, decis. 116. & Plancus de iudicijs: Alij tamen, & graues authores, non satis esse censent, ad reum quæstioni subijciendum, nisi alia accedant, vt fama, minæ, inimicitiæ.

Legendus est Delrio, disquisitionum magicarum lib. 4. Quidam miraculo tribuunt, quidam casui, alij melius referunt ad antipathiam, ex vehementi odio occisi in interfectorē, quod qualitatem arcanam impresserit corpori, cum cadauere permanentem, ad quod videtur referendum illud Lucretij,

Inde petit corpus, mens vnde est saucia amore.
Namque homines plerumq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, vndè icimur ictu:
Et si cominus est, hostem vultúmq; videndo
Corpore se insinuat seruor.

In quo amantis, & mortui est comparatio: venim ille rem amatam appetit; sic & mortuum corpus rem inuisam impetit.

Sic habet Lem. lib. 2. de occultis naturæ miraculis, cap. 7. Langius ep. 40. Pictorius, dialogo 9. Gemma lib. de characterismis c. 6. & hæc de istis iudicijs sufficiunt.

Argum. ta remota humana.

Humana sunt, quæ spectantur ex auctoritate, & voluntate, & ex oratione, aut libera, aut expressa; in quo sunt scripta, pacta, promissa, iurata, quæsita, atque in eo quæstionis coniecturalis genere, maximè testes, & quæstiones adhiberi solent.

Testes debent esse graues, constantes, honesti, & (vt breuiter dicam) sine affectu: contrà reijciuntur, si natura vani, si leues, si cum ignominia, si spe, si metu, si iracundia, si misericordia impulsi, si præmio, si gratia adducti.

Quæstionum fidem hæc attenuare solent, quod dolorem fugientes multi in tormentis mentiti, persæpè mori maluerunt falsum fatendo, quàm inficiando dolere.

Quod multi etiam suam vitam neglexerint, vt eos, qui his chariores, quàm ipsi sibi essent, liberarent.

Alij autem, aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicij, aut mortis, vim tormentorum pertulerint, cum essent maleficio infecti.

Alij mentiti sunt in eos, quos oderant.

Hæc ex Cicerone satis fuerit delibasse. Nam pleniorem istius rei cognitionem, ad praxim iudiciorum remittimus.

Accusator, quasi hasta in manu posita insilabit, coniecturas omnes ab animo, corpore, externis conglobatas exponet: nihil tamen consectabitur morosius.

Contrà, reus ostendet hæc argumenta verisimilia, non propriæ notæ, dubia, incerta, in opinione fundata, omnia in multis aliter, atque aliter euenisse, nihil esse tam miserum, quam hominis salutem inconstantiæ committi.

Exemplum huiusce quæstionis luculentum est in Palamede apud Gorgiam Leontinum: cuius ego partem in confutatione Latinam feci, quod præclarum mihi videretur eloquentiæ monumentum Gorgiæ illius Leontini oratio, qui statuam ex auro solido, propter facundiam donatus est. Ad hæc præstat legere Philotam, Quinti Curtij libro sexto.

Status finitiuus, & de eius tractatione.

Diogenis factum insigne.

DE hoc statu diximus in artificio orationis: fit cùm quæritur, quid sit res, & quo nomine afficienda? An sacrilegus Diogenes, qui deunculi idolum ligneum rapuit de triuio, vt sibi coqueret cœnam?

M. Tullius breuiter sic explicat, lib. 3. de Oratore.

Definitionis autem sunt disceptationes, vt, cum quæritur, quid in communi mente, quasi impressum sit, vt si disseratur idne sit ius, quod maximæ parti sit vtile: cùm aut quid cuiusque sit proprium exquiritur, vt ornatè dicere propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis præterea possit: aut cùm res distribuitur in partes, vt si quæratur, quot sint genera rerum expetendarum: aut cum qua forma, & quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur, vt si quæratur auari species, seditiosi, glorioſi: ex quo intelligas notiones, notationes, definitiones, distributiones, descriptiones, hunc locum tum fulcire, tum ornare.

Primus ergo accusatoris locus erit nominis, cuius de vi quæritur, breuis, aperta, & ex hominum opinione deprompta definitio, vt si accusetur Flaminius læsæ maiestatis, quod filium magistratum gerentem de concione detraxerit, ita proponenda erit definitio:

Maiestatem minuere, est aut de amplitudine, aut populi potestate, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.

Hoc si breuiter est positum, pluribus est verbis, & rationibus confirmandum, & ita esse, vt descripseris ostendendum: Deinde ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit, & ad hypothesim gradum facere.

Erit & infirmanda aduersariorum definitio, ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur ex consuetudine, & opinione hominum, à turpi, ab inutili, &c. Sed quoniam quæ ad definitiones attinent, libro quarto sunt explicata, nunc pluribus inculcandum non puto.

Status qualitatis.

CVm facto, & facti nomine concessos vis, & natura, & genus negotij ipsius quæritur; constitutionem generalem appellamus, inquit Cic. 2. de inuent. quæ duplex est, negotialis, & iuridicialis.

Negotialis est, quæ in ipso negotio iuris ciuilis habet implicitam controuersiam, vt quidam pupillum hæredem fecit, pupillus ante mortuus est, quàm in suam hæreditatem veniret; de hæreditate ea, quæ pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli secundi sunt, & inter agnatos pupilli controuersia est.

Iuridicialis est, in qua æqui, & iniqui natura, & præmij, & pœnæ ratio quæritur. Iudicialis status duæ sunt partes, vna absoluta, altera assumptiua: Absoluta, quæ factum, vt ex se legitimum tuetur, ab Hermogene dicitur accusatio rei cuiusdam, tanquam obnoxiæ, quæ tamen omni noxa soluta videri potest, à Cicerone relatio nominatur, 2. de inuent.

Ea est, cum reus (inquit) quod agitur, confessus, alterius se inductum peccato, iure fecisse demonstrat. Sic Horatius occisis tribus Curiatijs, & duobus amissis fratribus domum se victor recipit, is animaduertit sororem suam de fratrum morte non plorantem, sponsi autem nomen appellantem audiuit cum gemitu, & lamentationem indignè passus virginem occidit. Accusatur. *Relatio quid.*

Absoluti status partes, quas ex Curio Fortunatiano suprà, in quatuor capita distinximus, ab alijs ita enumerantur, natura, lex, consuetudo, iudicatũ, æquitas, pactum, quæ si in causa ostendat, absoluitur reus; vt, accusatur Cereas, quod Bambalionem nocturnum furem occidit, factum legitimum probat.

A natura, quæ docet vim vi repellendam.

A lege, quæ sic habet, *Si nox factum furtum esset, si in alijs occisit, iure cæsus esto.*

A consuetudine: Hoc à natura expressum, à lege confirmatum, omnis sæculorũ memoria seruauit, omnium gentium instituta tenuerũt.

A iudicato: in simili caussa absolutus est Fannius, in quo iudicum auctoritas, & par ratio circumstantiarum plurimum valet.

Ab æquitate: si vita nostra in aliquas insidias, in vim, in tela inimicorum incidit, omnis honesta ratio quærenda est expediendæ salutis.

A pacto: si contra datam fidem fecerit accusator.

Assumptiua est, quæ colorem sumit ad factum excusandum, cæteroqui malum.

Color autem apud Rhetores, est quicquid ad excusationem facti assumitur, quod eius rationem immutat, vt purpura lanam.

Tres autem habet partes, remotionem, comparationem, concessionem.

Remotio omnem culpam remouet, & in alium transfundit, vt Vlysses apud Homer. Iliad. α. verberauit Therſitem, reus citatus, non diffitetur, sed impudentem muscam, & Regum obtrectatorem se verberasse dicit, qui minimè tolerandus fuerit.

Comparatio, factum aliquod deterioris comparatione, quod alioqui faciendum fuisset, minuit: vt lex Solonis sanxit, ἐὰν μὴ τὶς τρέφει τοὺς γονέας, ἄτιμος ἔστω, *si quis nutriuerit parentes, infamis esto.* Aliquis alimenta denegauit patri, excusat se, quod, cum aut patri, aut coniugi fame pereundum esset, vxoris salutem vitæ parentis anteposuerit.

Concessio factum concedit, & malum fatetur, sed minuit ab adiunctis.

Purgatio, cum reus se aliquis vi impulsum ad crimen ostendit, eius partes sunt necessitas, fortuna, permotio.

Ioſephus. Necessitas, vt mater Hierosolymitana necauit filiolum, sed furore, & fame stimulante pessimis omninò dominis.

Fortuna, pædagogus Crœsi filio admotus, venabulo feram appetens, alumnum transuerberat, casu factum diluit apud Regem, & certè ita diluit, vt, quod testatur D. Basilius, à Crœso absolueretur.

Herodot. D. Basil. in epist. Permotio, quæ à Cicerone 2. de Inuent. dicitur impulsio, & ratiocinationi opponitur, vt Achilles districto gladio insilit in Agamemnonem, sed in eo æstu, qui describitur ab Homero, amoris, & furoris omnium impotentissimo.

Iliados, α.

Deprecatio malum malefactum admittit, nec excusationes multas quærit, sed ignoſci petit.

Rationes ignoscendi sunt, rei nobilitas, virtus, anteactæ vitæ innocentia, officia in rempub. spes futurorum, minimum periculum in ignoscendo, honestas in venia, si concedatur.

Hic locus dicendi amplissimus, & vbi flexanima illa eloquentia vires suas erexit, & motus excitat.

Nunc de varijs generis iudicialis orationibus videamus.

De accusatione.

CAPVT XXXII.

PRimum omninò, eundemque frequentissimum in genere iudiciali locum obtinet accusationes, & defensiones, de quarum artificio iuuat hic nonnihil submonere.

Accusatio, cum sit rei coram iudicibus delatio, ritè seruatis iudiciorum formulis, honesta debet esse, & grauis: neque enim idem est accusator, ac liuidus quispiam calumniator, qui cum veris crimnibus innocentis famam nullatenus aspergi videat, maledicendi rabie ficta conquirit. quibus pessumdet innocentiam. *Accusatio differt à calumnia.* *Cicero pro Cælio.*

Accusatio (inquit Cicero) crimen desiderat, alioqui mala, & nugatoria futura est.

Nec satis; bonum aut commune, aut priuatum spectare debet, quo consilio si destituta sit, in vitia inuidiæ, odij, perfidiæ, facilè prolabitur. Quamobrem & spectata communi vtilitate multos olim Resp. Romana probauit accusatores, & ad hæc studia iuuenum non tardò aluit industriam, vt inuidiosa optimatum potentia, ab ijsdem telis accusationis circumuenta, vel infringeretur, vel hebesceret.

Facilè (inquit Cicero) omnes patimur esse quamplurimos accusatores: quod innocens, si accusatus sit, absolui potest: nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest.

Vtilius est autem absolui innocentem, quam nocentem causam non dicere.

Sic anseres, & canes aluntur in capitolio, vt significēt si fures venerint, at fures internoscere non possunt, significant tamen si qui noctu in Capitolium venerint, & quia id est suspicio- sum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor ijs crura suffringantur, quòd acres sint, etiam tum, cum suspicio nulla sit: simillima est accusatorum ratio. Alij (inquit) anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alij canes, qui & latrare, & mordere possunt, qui si latrent sine suspicione, & deferant crimina, nec dicere possint, aut quare, aut quomodo, sunt omnino reprimendi. *Accusatores comparantur cū Anseribus & canibus.*

Verum.

Verùm, quia difficilè est in istis accusationibus tenere modum, postquam accusatoribus honos, & præmium aliquod esse cœpit, tanta fuit accusandi rabies, vt nulla satis munita videretur aduersus improborum linguas innocentia. Quæ ratio effecit, vt à prudentibus Imperatoribus ista accusandi licentia cohiberetur, & delatores, quo nullum pestilentius hominum genus, grauissimis pœnis subijcerentur.

Accusatorum simplicitas.

Quam ob rem, accusandi prouincia viris præsertim moderatis suspecta semper, & odiosa visa est, & defensio quidem (vt ait Tullius) laudabilior: accusatio tamen perspæpe probata est. Habet autem pondus suæ authoritatis, cum legitimè tractatur; & primum quidem ea, quæ ad accusandum descendit persona, non aliqua venali, aut sanguinaria eloquentia videtur in rei miserias inuehi, non inuidia, non odio, non spe præmiorum ad accusandum rapi, sed oppressæ innocentiæ misericordia, improbitatis odio, communis vtilitatis ratione. Hoc omnes profiteri, si non æquè præstare solent accusatores, & quæ huiusmodi suspicio subesse possit, hanc primum conantur eleuare. Nec aliò spectat hoc Ciceronis exordium.

Si quis vestrûm (Iudices) aut eorum, qui adsunt, fortè miratur, me, qui tot annos in caussis iudicijsque publicis ita sum versatus vt defenderim multos, læserim neminem: subitò nunc mutata voluntate, ad accusandum descendere. Is, si mei consilij caussam, rationemque cognouerit: vna & id quod facio probabit: & in hac caussa profectò neminem mihi esse præponendum actorem putabit.

Deinde fusè narrat, & amplificat iustissimas caussas, quibus ipse ad hanc accusationem fuerit adductus. Sed non opus est, in singulis accusationibus tanto ambitu orationis, præsertim vbi quis patronus ex officio, & consuetudine facit, & reus ita nocens est, & infamis, vt tacitè probetur omnibus eius delatio.

Secundò, valdè spectanda occurrit, qualis sit res, persona, & quibus accusetur crimi-

Amplificare omnia puerorum.

nibus.

Puerorum est omnia temere augere, in omnibus esse nimios. Itaque, & leuiculos plerumque errores, non secus ac grauissima quæque crimina insectantur, & exclamant in nugis: *O facinus inauditum! ô scelus in extremas terrarum oras deportandum!*

Longè aliter prudentes accusatores faciunt, qualis reus in iudicium veniat, considerant, timidè incedunt in lubrico, rationem habent dignitatis, & nobilitatis, consulunt affinium, qui reo sanguine coniuncti sunt honori, non temerè quidpiam, & declamatoriè profundunt, notant crimen, designant circumstantias, testimonijs conuincunt, de re videntur, non de homine dicere. At si persona infamis est, & laborat grauitate scelerum, tunc grauiores aculeos exerunt eloquentiæ.

Tertiò notandum est in modò, & ratione agendi, non eam meliorem esse accusationem, quæ multas criminum exaggerationes contineat. Quot putas esse in Verrinis lusus, & excursiones ad pompam, quas Cicero non dixit in iudicio, sed posteris scripsit, ad nomen potius eloquentiæ, quàm ad Verris damnationem: si enim in singulis criminibus amplificandis tantum temporis impendisset, multa illi necessariò prætermittenda fuissent, quæ ad caussam maximè attinebant. Quid igitur fecit? acutè crimina collegit, stricte exposuit, tabulas protulit, testes expediuit. Hæc planè sunt arma ferrea, quibus Verres cessit, nescio an istis aureis oppressus, certè non tam subitò conuictus fuisset.

Accusatoris officium.

Quartò, magna ars accusatoris dilucidè narrare, robustè confirmare, abstinere leuiculis argumentis, quæ primæ aggressione refelli manifestè possint, ex quibus & aliorum fides, non sine damno periclitetur.

Magnum pondus obtinet oratio, vbi non tantum furem, & homicidam clamat, sed quare, & quomodo, manifestis addicit argumentis.

Quintò, callidum est accusationis genus, vbi cum acriter, & multis criminibus vrgeas, dicas tamen te plurima modestiæ caussa prætermittere, hoc lucrari ex tua moderatione reum, vt minus videatur sceleratus, quàm ipse sit. Parcendum auribus iudicum, consulendum verecundiæ, Hominem ea admisisse, quæ à verecundo aduersario audire non possit. Quod si nauiter impudens fuerit in patrando, te in commemorando minus verecundum fieri non debere.

Deinde quæ dicas, molliter, & frigidè necessitate actionis adductum dicere te ostendas: Hæc species modestiæ est apud graues personas ad persuadendum efficax.

Accusatori cauendum à

Sextò, nunquam sanguinaria voluntas expromenda est: nunquam capto, & vndique circumuento muliebriter insultandum: fit enim ple-

sanguinaria voluntate expromenda.

plerumque, vt odium, quod cupimus accendere, cum vehementior fuerit rei calamitas, deferuescat, & vicissim locum miserationi cedat. Itaque & acres etiam accusatores significant se non hominis cruorem sitire, qui ab omni crudelitate sint alieni, sed dolere quod reus se in eos laqueos coniecerit, vt nisi cum maximo legum, & reip. detrimento saluus esse non possit.

Penè illi expedire vt quamprimum damnetur, vt moriatur, & commune odium expiet. Alia tamen ratio est, vbi & molliores timentur iudices, & valdè infamis, ac scelestus est reus; tum enim grauia quæque atrociter commemorantur, & impunitas futura licentia exaggeratur, vt nullum ei pateat effugium.

De Apologia, & purgatione.

CAPVT XXXIII.

APologia, siue purgatio, defensio est, quæ accusationi opponitur. Hæc pro personarum, rerum, & argumentorum ratione varia, & multiplex esse solet.

Etenim si, qui se purgare conatur, est nocens, & acerrimum habet accusatorem, grauior ei nascitur, & operosior defendendi ratio. Itaq; vbi res manifestissimis tenetur indicijs, iuuat facti excusationem à varijs, quæ in rem cadere solent, circumstantijs potius aggredi, quàm frustra inficiando laborare.

At vero si innocens est, qui accusatur, & cum calumnia futura est concertatio, *potentissimum defensionis telum est innocentia.*

Innocentia telum potentissimum.

Et vix vllus inuenietur tam callidus in sutelis calumniator, qui saltem aliquando non impingat. Nam mendacia, vt præclarè dictum est ab antiquo poeta, cauda vt plurimum nigrant, & in extrema sui parte falsa deprehenduntur.

Apologia vsus apud Principes.

Magna autem est habenda personarum, & rerum ratio. Nam si Apologia habenda est ad Reges, & Principes, qui errore communi inducti, & ab improbis calumniatoribus decepti, in nos fuerint iniquiores, quam eorum dignitas postulabat, non sunt temerè conuitijs irritandi, sed miti potius veritate, & prudentia de rebus edocendi, quò agnita grauitate aduersariorum, fraudibusque detectis resipiscant, & nostris sint partibus in postremum æquiores.

Tum verò maximè hæc lenitas, vel potius quædam minimæ fucatæ orationis maiestas requiritur à Christianis, & religiosis personis, vt ipsi moderationis, quam profitentur, præ se ferant documentum. Quæ ratio præclare ab Athenagora, & Iustino in Apologijs inita est; numquam enim non honorificè Imperatores, & Senatum appellant, & ille quidem modò μεγάλους βασιλέων, modò μεγίστους, φιλανθρώπους, καὶ φιλομαθεστάτους maximos, humanissimos, eruditissimos nominat; hic sacrum senatum ἱερὰν σύγκλητον, atque omni conuicio abstinentes robustis agunt rationibus, qui certè modus efficax est, & potens.

Senatus sacer.

Alius est acrior, & magis aculeatus, qui ad improbos, & virulentos calumniatores coercendos adhibetur, qui vt sunt ceruicosæ cuiusdam audaciæ, leuioribus remedijs sanari minimè possunt. Sed vt Tigres Musica, ita illi suauitate orationis efferantur.

Tales sunt Hæretici Ecclesiæ nomini & religionis ordinibus perinfensi, quos Ecclesiastici scriptores, & viri sancti non molli brachio tractare solent. Talis fuit ille Appion, qui cum in antiquam Iudæorum religionem stomachum petulanter eructasset, multa de Moyse, & Patriarchis pessimè fabulatus, à Iosepho acri, & neruoso scriptore non segniter carpitur, & confutatur. Nec molli stylo Græcos φιλογέλωτας & φιλοπαίγμονας Christianæ scilicet religionis derisores excipit Theodoretus, aut Iulianum mellitis verborum globulis perfundit Nazianzenus: sed in Dei caussa faces orationis spirant, quas ardor spiritus in istis argumentis suggerit.

Apologia methodus.

Ordo autem, & dispositio Apologiæ talis est: Præmitti solet exordium, in quo defensionis istius ratio affertur, & nonnulla de rei circumstantijs delibantur, quibus ad confutationem fiat apparatus.

Mox ipsa refutatio succedit potissima pars Apologiæ, in qua instituenda triplex fermè dispositio seruatur.

Apologia dispositio triplex.

Alij enim ex tota accusatione certa sibi, ac præcipua capita confutanda præstituunt, quibus eneruatis, tota facilè aduersariorum corruat oratio.

Sic Athenagoras apologiam in tria capita totam diuidit, & proponit his verbis, τρία ἐπιτημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα,

τητα, θυέστεια δεῖπνα, οἰδιποδείους μίξεις. Trium flagitiorum infamis rumor de nobis spargitur: impietatis, Thyestæarum epularum, concubitus incesti. Quæ si vera sunt, postulat, vt Christianorum gens funditus exscindatur: sin falsa, sit apud imperatores veritati locus, & innocentiæ perfugium.

Mox singula crimina discutit, & refellit. Ad summum perorat à prolixo Christianorum in Imperatores studio, & obseruantia his verbis:

Athenæ. in Apol.

Περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς τῆς ὑμετέρας εὐχόμεθα, ἵνα παῖς μὲν παρὰ πατρὸς κατὰ τὸ δικαιότατον διαδέχηται τὴν βασιλείαν, αὔξην δὲ καὶ ἐπίδοσιν ἡ ἀρχὴ ὑμῶν πάντων ἐπιχειρίων γιγνομένων λαμβάνῃ, τοῦτο δὲ ἐστὶ καὶ πρὸς ὑμῶν, ὅπως ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγοιμεν, αὐτοὶ δὲ πάντα τὰ κεκελευσμένα προθύμως ὑπηρετῶμεν.

Christiani quid pro Imperatoribus precari soliti.

Nos enim pro imperio vestro preces ad Deum fundimus, & vt filius (quod iustissimum est) in regno olim parenti succedat, vtq; imperium vestrum magis magisque semper augeatur. Denique omnia vobis ex animi sententia eueniant, oramus, quod & nobis salutare fuerit, vt quietam, tranquillamq; vitam degentes vobis interim ad quælibet imperata deseruiamus.

Hæc ratio apta est, cum diuisio commode fieri potest. Nam & oratio solutiorem habet tractum, & maiorem lucem perspicuitatis. At vbi ab accusatore multa, & minuta per totam orationem sparsa sunt, quæ tamen refelli oporteat, pugnandum est cæsim, ex quo quidem fit oratio magis abrupta, non minus tamen habet neruorum.

Hanc viam inijt Iosephus aduersus Appionem: cum enim ille minutis fabulis accusationem refersisset, de Moyse Heliopolitano, Sabbatosi, Zabido, & similibus multa commentus, Apologeticus ex vno in aliud per abruptum salit; quamquam non sine transitionum artificio, quæ res in eo genere difficilis est.

Proponit autem breuiter aduersarij calumniam, totam vim contrahens in pauca, deinde si leuis est, irridet, si quid habere videtur probabilitatis, infringit hoc modo:

Ioseph. l. 2. aduers. Appion.

Ἀκοῦσαι δὲ φησι τῶν πρεσβυτέρων, ὅτι Μωσῆς ὁ Ἡλίου πολίτης, δηλονότι νεώτερος μὲν ἐν αὐτὸς, ἐκείνοις δὲ πιστεύσας, τοῖς διὰ τὴν ἡλικίαν ἐπισταμένοις αὐτὸν, καὶ συγγενομένοις.

Accepisse autem se dicit à maioribus natu Moysen Heliopolitanum: scilicet ipse iunior, sed his fidem habens, qui per ætatem illum familiariter nouerant.

Deinde huius calumniæ vanitatem explodens: Et de Homero quidem poeta, quamuis Grammaticus, non posset, quænam sit eius patria, certò affirmare, neque de Pythagora tantum non heri, nudius ac tertius nato: De Mose vero tam multis annis illos præcedente, tam facilè decernit, credens seniorum narrationi: vnde manifestè illum mentiri apparet.

Quin & temporum ratio, quibus Mosem ait eduxisse leprosos, & cæcos, & claudos, belle concinit iuxta Grammaticum hunc diligentissimum, &c. Ita singula perstringit, & eludit.

Hoc idem præstat M. Tullius in Apologia, quam pro se habet secunda Philippica, vbi Antonij argumenta quasi minutas sagittas cursim infringit, vt,

Contra rem suam venisse me nescio quomodo questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari, & necessario meo? Non venirem contra gratiam, non virtutis specie, sed ætatis flore collectam? Non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure prætorio. *Cic. 3. Phil.*

Deinde salit in aliud.

At enim te in disciplinam meam tradideras: Nam ita dixisti: Domum meam ventitaras: Næ tu si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses: sed nec fecisti, nec si cuperes, tibi per C. Curionem facere licuisset.

Tertius apologiæ, seu purgationis modus est scriptis codicibus aptior, quam pronuntiatis orationibus, vbi non tantum aduersariorum sensus referuntur nostris comprehensi sententijs, seu ipsamet eorum verba commemorantur, discutiuntur, minutatim confutantur. Hanc methodum sequuti sunt Basilius in Eunomium, Cyrillus in Iulianum. *Apologia tertius modus.*

* * *

De Inuectiua.

CAPVT XXXIV.

ETsi ad demonstratiuum genus magis pertinere videtur inuectiuæ tractatio, quando tamen huic generi frequenter immiscetur, & à nonnullis in eo collocatur ordine, non pigebit hic aliqua de eadem adscribere. Quod apud poetas est satyra, hoc fermè apud oratores inuectiua oratio, scilicet mordax, & ad perstringendos hominum mores accommodata. Differt ab accusatione, quod hæc fori cancellis concludatur, illa extra fori septa volitet, hæc damnationem rei intendat, illa notam potius spectet infamiæ: Hæc modum, & ordinem teneat magis temperatum, illa furore quodam ingenij, & orationis impetu potius rapiatur.

Inuectiua vt differt ab accusatione.

Inuect. duplex.

Duplex est autem inuectiua; vna in homines, altera in vitia. Quæ hominum, priuatarum scilicet personarum spectat infamiam, numquam temerè vsurpanda est, nisi tales ipsi sint, qui exagitantur, vt in summam desperationem prolapsi, & apud omnes infamia notatissimi nullum bonæ spei locum reliquerint.

Hæc enim plerumque in eos assumuntur tela, qui viuos, & mortuos vulnerent, & ex eorum infamia torrorem alijs, vitiorumq; odium sempiternum inurant.

Hac mente D. Nazianzenus in Iulianum, D. Hilarius in Constantium pro Catholica religione sunt inuecti. Qui vero priuata solent odia per maledicos stylos in principes vitos eructare, parum alijs proficiunt, sibi plurimum nocent.

Ridenda poemata malo,
Quam te conspicua diuina Philippica fama,
Volueris à prima qua proxima.

Altera, quæ in hominum mores, & deprauatæ vitæ licentiam inuehitur, vtilior est, & melior. Constat autem ex philosophiæ præceptis, & altissimæ disciplinæ oraculis, quæ vi, & robore amentatæ cuiusdam orationis altissime defiguntur in pectora.

Rursus alia inuectiua, vt Satyra Comica plus habet salis, & moralis vrbanitatis, etiam dum vitia perstringit, haud obscurè depingit. Qualia nimis multa sunt in Petronij Satyrico. Alia prorsus acris, & generosa est, fluens ex sublimi sapientia, nihil comicum, nihil leue, & ludicrum affectans; sed tota in carpendis moribus posita. Extant certè nonnulla in ipso Arbitrio præcelsa, & inuectiuis maioribus digna. Qualia sunt ista:

Inuectiua grauis.

Et quis mihi hanc solitudinem imposuit? adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exilio, stupro liber, stupro ingenuus, cuius anni ad tesseram venerunt, quem tamquam puellam conduxit etiam, qui virum putauit.

Quid ille alter die, qui tanquam togæ virilis togam sumpsit, qui ne vir esset à Matre persuasus est, qui opus muliebre in ergastulo fecit, qui postquam conturbauit, & libidinis suæ solum vertit, reliquit veteris amicitiæ nomen, & proh pudor! tamquam mulier Sequuleia vnius noctis tactu omnia vendidit. Hæc in personam. At in mores grauiter & sententiosè.

Nemo cœlum putat, nemo iusiurandum seruat. Nemo Iouem pluris facit: Sed omnes opertis oculis bona sua computant.

Inuectiua ordo.

Quod verò ad ordinem, & diuisionem attinet, si iusta est inuectiua in hominem, tùm eodem filo pertexitur, quo vituperatio: vel enim vitam inspicit à puero, perstringitque singula magna orationis libertate, & toto amplificationum apparatu, vel certis instat capitibus, & vitijs, quæ sibi exagitanda proposuit, vt ex orationibus Demosthenis in Aristogitonem, Ciceronis in Antonium, Pisonem, Catilinam, Vatinium licet agnoscere.

Ferax est istud, & procliue argumentum, nec ei, qui per istas repserit orationes, deesse forma dicendi potest. Quod si inuectiua obiter tantum assumitur, tractatur vt amplificatio per certa argumenta, & figuras, quæ ad intimos sensus vellicandos plus habeant vitium.

De obiurgatione.

CAPVT XXXV.

Obiurgationis & inuectiuæ discrimen.

OBiurgatio differt ab inuectiua, quòd hæc sit aduersus inimicos, illa dilectos etiam attin-

attingat. Hæc flagrans sit, & tonans, illa acris quidem sæpè, sed longè moderatior: Ad summum hæc nocere vt plurimum cupiat, illa prodesse. Est enim fermè obiurgatio superioris ad inferiorem, ob delicta quædam reprehensio, spectans emendationem eius, qui arguitur. Vel igitur Imperatoris est ad milites, vel Principis ad subiectos, vel Pastoris ad gregem, vel Præceptoris ad discipulos.

Quamobrem pro varijs personis, & ingenijs varia esse solet. Alij ita sunt ad obiurgationes nati, vt vultu ipso ad senilem, tetricamque grauitatem composito, & tono vocis, cui plurimum inest siccitatis, increpationem ferant. Itaque haud multis egent ad obiurgandum artibus.

Mites personæ obiurgat. minimè aptæ.

Alij mitiore ingenio præditi, licet multum in fingenda grauitate, trutinandisque obiurgationibus laboris impendant, sparsa tamen naturæ suæ relinquunt vestigia, ex quibus agnoscuntur, & quicquid agant, minus terrent, & timentur. Rursus personæ, quæ increpantur, aliæ sunt duræ, ceruicosæ, vecordes, apud quas nisi fremueris, *Vt pontem indignatus oaxes*, non magis proficies, quam si festuca chalybem perforare contendas.

Aliæ sunt molli, pauidoque ingenio, quas si vehementius terreueris, perditurus es. Quid & quoue loco, & qua ratione agendum sit, artifex eloquentiæ prudentia dictabit. Hoc in vniuersum de methodo dici potest. Primum

Obiurgationis methodus.

cum obiurgatio sit propter delictum, erratum ipsum ob oculos ponendum est, vt eius grauitate moueatur is, qui increpatur. In quo magnæ est prudentiæ animaduertere, vt si leue sit, aut mediocre non nimis, exaggeretur, maximè apud prudentes personas, quæ rerum momenta norunt ponderare. Tantum enim abest, vt oratio plus habeat grauitatis, imò de authoritate multum deperdit, cum leue aliquod delictum supra sensum communem, & sanam opinionem extollit: fit enim vt ficta, & declamatoria credatur oratio, & minus habeat ponderis in veris, quæ creditur fictis delectati. At si grauius crimen est, certè cùm dignitate orationis exaggerandum est, & iuuat aliquando in exordio vsurpare, quod Germanicus contra sæuos, & rebelles milites dixit apud Tacitum.

Obiurgationis aptū initium.

Quod nomen huic cœtui dabo? Militesne appellem, qui filium Imperatoris vestri vallo, & armis circumsedistis? An ciues, quibus tam proiecta senatus auctoritas? Hostium quoque ius, & sacra legationis, & fas gentium rupistis. *Cornel. Tacit. Annal.*

Ita igitur crimen disertè proponendo satis exaggerat.

Re demum proposita, quo grauitas facinoris plenius appareat, dilatatur a circumstantijs rerum, locorum, temporum, personarum, & similium, vt *Primane, & vicesima legiones*: & in eo verbo κάδος est egregium, quia vterque ordo strenuus antea, & fidelis, & summis beneficijs affectus fuerat. Mox commemoratis pristinis decoribus, & cum præsenti furore comparatis, *Egregiam duci vestro gratiam refertis.*

Hic appositè inseritur plena grauis querimoniæ expostulatio, contra ingrati animi fœditatem. Mox succedit comminatio. *Hunc ego nuntium Patri laeta omnia alys è prouincijs audienti feram?* Hic ordo satis est perspicuus, & efficax. In modo cauendum est maximè apud liberalia ingenia, ne quid sit nimis clamosum, iracundum, querulum, subinsultsum: Nam qui vehementius clamant, non plus aliquando proficiunt, quàm canes isti latratores, & suam, si quam habent, auctoritatem exponunt ludibrio.

Quia verò fructus obiurgationis est emendatio, temperandum est aliqua mellis particula, quicquid fuerit acrimoniæ, vt ingenia ad spem, & amorem, tacitis stimulis proritentur.

Et id obseruauit Tacitus in peroratione nobilis illius obiurgationis. *Tua Diue Auguste cœlo recepta mens, tua pater Druse imago, tui memoria, ijsdem istis cum militibus, quos iam pudor, & gloria intrat, eleuant hanc maculam.*

Obiurgationis ars.

Ad id verò consequendum efficacissima res est, si qui obiurgatur, amari se, & amoris causa obiurgari sciat, tum condoleas, tum in partem oneris, & pœnæ venias, tum pristinæ virtutis recordatione titilles, spem eius emendationis habere te ostendas, fructum, & speciem virtutis exhibeas, dura omnia, & aspera reluctanti futura proponas. Hæc animos flectunt, & inducunt, si modo dociles sint, & flexibiles.

At si parum moueantur, iuuerit aliquando per comminationem grauem & concisam desinere, quæ instar tonitru terreat, & qua parte sit erepturum fulmen, cogitandum relinquat. Sed nos in eo genere Demosthenis, ac M. Tullij, modum longè diuersum ante-

notauimus, varia quoque exempla in characteribus orationis ciuilis expromemus.

De expostulatione, & exprobratione.

CAPVT XXXVII.

Expostulatio quid?

EXpostulatio est grauis quædam querimonia de accepta iniuria, quæ duabus fit partibus; expositione iniuriarum, & petitione satisfactionis vel tacita, vel expressa Artificium huius orationis est primum, vt non simus nimis queruli.

Eius artificium.

Nam vitium est illiberalitatis, quod fermè in calamitosis, pauperibus, pueris, & mulieribus frequentius est. Sicut enim felicitas superba est, ita querula calamitas, & omnis imbecillitas. Quæ de Ioue ipso (vt ait Theophrastus) queritur, non modo si non pluat, sed etiam si seriùs. Hac labe infectos homines vitandos docet Seneca illi, qui tranquillam vitam degere velit.

Tristes & Queruli odiosi.

Præcipuè tamen vitentur tristes, & omnia deplorantes, quibus nulla non caussa in querelas placet. Constet illi licèt fides, & beneuolentia; tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus, & omnia gemens.

Senec. l. 1. de Tran.

Accedit quod sæpiùs queritando minus proficiamus apud aures, quæ iam ad huiusmodi querelas obduruerunt. Secundum est, vt querimonia, si modo grauis sit personæ, nihil habeat nimis fractum, imbecille, & demissum.

Hoc enim muliercularum est. At, quantò plus afficiunt, qui non sunt in malis commemorandis ambitiosi. Sed multa se generoso silentio supprimere ostendunt, & ea ipsa, quæ commemorant, non sua caussa dicere se, sed honesti, aut alienæ vtilitatis ergo profitentur. Tertiùm, multum afficit eximia quædam lux tolerantiæ, è qua appareat nos multa tulisse, multa nostro silentio pressisse, & proprijs detrimentis sanasse: Nunc quod instat tantum esse vt dissimulari non possit.

Tolerantiæ lux amabilis.

Quartùm, diligenter spectandum est cuius, & apud quos sit expostulatio, & ob quas iniurias expostulet. Si miserorum est, & oppressorum apud superiorem potestatem, solet esse miserabilior, & verbis effusior, qualis est illa Iudæorum apud Petronium præsidem in Philone.

Λαλίστατον γὰρ ἄνθρωπος ἀτυχῶν,

Alia ratio est cum grauis persona apud parem sibi amicum expostulat, quem non cupit vlcerare, sed sanare: tunc enim generositatis plena debet esse querimonia, qualis ea est M. Tullij de Antonio Philippica prima. Vide enim qua prudentia, quove artificio progreditur.

Querela Ciceronis plena grauitatis.

Pauca querar de hesterna M. Antonij iniuria, cui sum amicus: idque nonnullo eius officio debere esse præ me etiam semper tuli. Ecce tibi initio pauca questurum se pollicetur, odiosa enim querela muliebris, deinde quo temperamento præmunit.

Cui sum amicus, iam exponit rem. Quid tandem erat caussæ, cur in Senatum hesterno die tam acerbè solus cogerer? Solus ne aberam? an non sæpè minus frequentes fuistis? An ea res agebatur vt etiã ægrotos deferri oporteret? Si hic de morbo suo questus multa dixisset, fuisset fortassis ineptè querulus: sed qua sobrietate?

An ea res agebatur vt etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal credo erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur. Deinde: At ille vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem, & valdè intemperanter. Cuius enim maleficij ista pœna est, vt dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publicè ex senatus sententia ædificatam domum?

Querela Alconoræ debere intemperans.

Generosa planè, & regalis animi querimonia! At si vis querelam muliebrem in omnem vim doloris intemperanter effusam, lege epistolam Alconoræ Reginæ Angliæ ad Cælestinum Papam, quæ est centesima quadragesima quarta, vbi de vinculis filij queritur: nihil inuenies istis querelis tristius, aut flebilius.

Expostulationi vicina est exprobratio: est enim grauior quædam, & magis incensa expostulatio cum indignatione mentis, quæ fieri solet in ingratos, crudeles, & improbos. Continet autem expositionem beneficiorum, quæ in eos congesta fuerint, per comparatum, seu contentionem, malitiæ, improbitatis, crudelitatis, quam ipsi pro meritis rependerint. Quod si innocenti à quo erant multis, & amplissimis affecti donis, vitam casu aliquo, aut summa improbitate eripuerint,

tunc

tunc graue solet oriri exprobrationis, & commiserationis genus.

Grauiter admodum exprobrationem Didonis aduersus Æneam pinxit Virgilius:

Exprobratio Didonis apud Virgiliũ χραρικὴ.

Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit,
Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantem est.
Qua quibus anteferam? iam iam nec maxima Iuno,
Nec Saturnius hac oculis pater aspicit æquis.
Nusquam tuta fides, eiectum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui.
Amissam classem socios à morte reduxi:
Heu furijs incensa feror, nunc Augur Apollo.
Nunc Lycia sortes, Nunc & Ioue missus ab ipso,
Interpres Diuũ fert horrida iussa per horas,
Scilicet in superis labor est, ea cura quietis
Sollicitat.

Mox sequitur comminatio.

I, sequere Italiã ventis, pete regna per vndas
Spero equidem medijs (si quid pia numina possunt)
Supplicia hausurum scopulis.

Nec minus pathetica est exprobratio illa Ariadnæ à Theseo desertæ apud Catullum.

Siccine me patrijs abuectam perfide ab oris,
Perfide deserto liquisti in littore Theseu?
Siccine discedens neglecto numine Diuum,
Immemor ah deuota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium?

Deinde,

At non hæc quondam nobis promissa dedisti?
Non hoc misera sperare iubebas,
Sed connubia læta sed optatos Hymenæos,
Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti.

Mox succedit aperta exprobratio.

Certè ego te in medio versantẽ turbine lethi
Eripui, & potius germanum amittere creui.
Quàm tibi fallaci supremo in tempore deessem,
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusq;
Præda, nec iniectâ tumulabor mortua terrâ.

Hinc aditus ad aculeatas inuectiuas, querimonias, & execrationes,

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis?
Qua syrtis? quæ Scylla vorax? quæ vasta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci præmia vitâ

Ad summum in periurum caput euocantur vltrices furiæ.

Quare facta virum mulctantes vindice pœna
Eumenides, &c.

Certè magni spiritus hauriuntur à poëtis, & sunt ipsi præclari eloquentiæ artifices. Fac enim ista verbis, & numeris oratorijs decurrant, quæ grauior institui potest exprobratio. Habes & præclarum eius orationis exemplum in epist. Ciceronis ad Octauium, à nobili aliquo declamatore non imperitè conscripta. Ista enim satis acriter vellicant.

Poeta magnos spiritus eloquentiæ suggerunt.

Quæ tibi non antequam postulares, maiora quam velles, plura quàm sperares, detulit Senatus? dedit fasces, vt cum auctoritate defensorem haberet, non vt imperio se aduersum armaret. Appellauit Imperatorem hostium exercitu pulso, tribuens honorem, non vt sua cæde cæsus ille fugiens exercitus te nominaret Imperatorem. Decreuit in foro statuam, locum in Senatu, summum honorem ante tempus. Si quid aliud est, quod dari possit, addat. Quid aliud est maius, quod velis sumere? sin autem supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam mortalitatem tuam tibi sunt omnia turbata. Cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficij sui scelerate circumscribis Senatum? quo te misimus? à quibus reuerteris? contra quos armauimus? quibus arma cogitas inferre? &c.

De Deprecatione.

CAPVT XXXVIII.

DEprecatio est incommodi alicuius, vt amissionis bonorum, ignominiæ, supplicij denique, & mortis, per supplicationem auersio, quæ ijsdem pertexitur locis, quos in sedandis iræ commotionibus antea notauimus. Hæc pars in perorationibus maximè dominari solet, & vehementes plerumque sortitur emissiones. Si coniectus non est reus, precatur, vt sit innocentiæ, contra calumniæ peruersitatem, & atrocem iudicij plagam, tutum, ac ve-

Deprecatio quid?

nerabile perfugium. Si constat de crimine, quod, vt plurimum videtur innuere deprecatio, pœnam, & supplicium conatur auertere, aut certè moderari. Quamobrem hæc oratio spectat eos, qui pleniorem habent ignoscendi potestatem, suntque ipsa natura, ad lenitatem, mansuetudinemque propensi. Si enim apud Iudices, qui ex allegatis, & probatis ferre sententiam cogantur, nec summam vitæ, & necis habeant potestatem, hæc instituatur agendi ratio, vel etiam apud eos, qui cum possint ignoscere, tamen obfirmato quodam mentis rigore, in suscepto semel consilio, non secus ac saxum capitolinum, manere solent immobiles, verendum est omninò, ne tota actio superuacanea futura sit; quanquam miseri, qui omnia perdiderunt, solent quoque leuius verba perdere. Primùm deprecationis artificium est, vt molles eorum, quos placare animus est, tentemus aditus, postquam vel temporis longinquitate se nonnihil remiserit iracundia, vel rebus lætis & florentibus, quæ derepentè successerint, quasi ductu obruta langueſcat. Secundum, vt adhibeamus ad deprecandum personas, vel gratiosas, & potentes, quibus pudor sit aliquid negare: vel maximè miserabiles, quales sunt senes, pueri, mulieres luctu, & squalore confectæ. Tertium, vt si crimen erroris potius humani, quàm improbitatis ostendere possimus, id nauiter præstemus: sin autem suspecta futura est omnis defensio, præstat aliquando crimen vel maximum fateri, ne si rationibus nimis contentiosis obluctemur, eius qui demulcetur animus, non tam ad veniam, quàm ad pugnam stimulatus incalescat, & vincendi studio feratur: quin etiam dum crimen minuitur, putet sibi de clementiæ laude detrahi, si ignoscat, quod non magnam scilicet culpam sit remissurus. Quartum, loci communes, quibus ad hanc orationem tractandam vtemur, ducuntur à laude, & præstantissimis fructibus clementiæ; si quid enim in hac parte rarum est, non videtur omittendum, quanquam extra rem longius vagandum est. Priuatæ rationes ducuntur ab adiunctis, à conditione scilicet personæ, cui poscitur venia, vt à nobilitate, prudentia, bonis artibus, anteactæ vitæ innocentia, promeritis in Remp. crudelitate, & indignitate supplicij; securitate, & vtilitate ignoscendi, & ijs similibus, quæ ad propulsandum mortis periculum, sagax ingenium excogitare solet. Postremò loco adhibentur affectus, aporiæ, quærimoniæ, obsecrationes, quanquam decorum personæ semper retinendum est, & si grauis sit, nihil nimis demisse, & muliebriter orandum. Quamobrem Philotas apud Curtium mirificè habet rationem sibi ingenitæ nobilitatis. Non enim humiliter supplicat sibi ignosci, sed ea grauitate, & affectu querimonias eiaculatur, quæ ad Alexandrum, vel ferreum, si audiuisset, ad veniam largiendam coegissent.

precatio inutilis.

us ars.

Eiusdem loci communis.

Deprecationum affectus.

Finis Libri Duodecimi.

DE

CHARACTERES CIVILIS ELOQVENTIAE.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

In quo generis deliberatiui, & iudicialis exempla.

EX ANTIQVIS AVCTORIBVS Græcis, & Latinis: Cum notis.

LIBRI INSTITVTVM.

INSTITVI hoc libro characterem illius ciuilis eloquentiæ, non quidem ambitioso tractu fluentis, sed ponderosis sententijs collectæ, vna aspectu oculis subijcere. Congessi igitur in fasciculum breues aliquot, ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Herodiano, Salustio, Liuio, Curtio, Tacito, & cæteris nobiles orationes, quarum œconomiam, & artificium paucis digessi, quò nostra discentibus opera gratior, atque vtilior foret. Si quis autem plura desideret, ipsos auctores quos indico, adire poterit; non mei fuit instituti omnia colligere, quod & à plerisque factum video, sed quæ illustriora dumtaxat viderentur, interpretari, atque ad cõformationem eloquentiæ proponere.

ORATIO XERXIS DE BELLO GRÆCIS INFERENDO.

Inuentio tota continetur duobus argumentis, de vindicanda iniuria, & gloria amplificanda.

Dispositio nonnihil fluctuat intercisa repetitionibus. Elocutio simplex, & candida, non tamen sine verbis Byzinis.

Ἀνδρες πέρσαι οὔτ' αὐτὸς κατηγησάμην νόμον τὸν ὃν ὑμῖν πρεσβεις, παραδιξάμε-

VIri Persæ, equidem ego non ero huius instituti author, sed ab alijs traditi imitator. Nam, quemadmodum à maioribus natu accipio,

Ex Herod. l. 7. edit. H. Steph.

νός τε αὖθ' χρήζομαι, ὡς γὰρ ἐγὼ πεπυσμένος
ἦ πρεσβεύσομαι, οὐδαμῶς ἐμέλησεν ἡμῖν, ἐπεί
τε παρελάβομεν τὴν ἡγεμονίαν τὴν ὑμετέραν
μᾶλλον, κύριοι χαλεπόν ἐστιν ἀσυμφορώτερον.
οὕτως ἀγει, οὐ τοῖσιν ἡμῖν πολλὰ ἐπέπρωται συμφέ-
ρεσθαι ἐπὶ τὸ ἄμεινον. τὰ μὲν δὴ κύρος τε καὶ αὔ-
ξησις, παλίρροιός τε ἔμος Δαρεῖος καὶ ἀναστάτους,
προσκλήσαντα ἔθνεα, ὅπως μὴ νοισι εὖ ὧδε ἀνὴρ
λέγοι, ἐγὼ δ', ἐπείτε παρέλαβον τὸ θρόνον, ὅτε ἐ-
φρόνιζον ὅκως μὴ λείψομαι τῶν πρότερον γενομέ-
νων ἐν ὑμῖν τῇδε, μηδ' ἐλάσσω προσκτήσωμαι
δύναμιν τῶν πρόσθεν. φροντίζων δ' εὑρίσκω, ἅμα μὲν
κῦδος ἡμῖν τε προσγενόμενον, χάριν τε τὴν ἐκ-
τήμεθα οὐκ ἐλάττονα, οὐδ' φαυλοτέρων, πα-
μφορωτέρων δὲ. ἅμα δ' ὑμῶν τε καὶ πάντων γνομέ-
νων. διὸ ὑμέας ἐγὼ συλλέξα. ἵνα τὸ νοεόμενον πρήσσειν
ὑπερβέωμαι ὑμῖν. μέλλω ζεύξας τὸν Ἑλλήσποντον,
ἐλᾶν στρατὸν διὰ τῆς Εὐρώπης ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἵνα
Ἀθηναίους ἀμωρήσωμαι, ὅσα δὴ πεποιήκασι
Πέρσας, τε καὶ πατέρα τὸν ἐμόν. ὁρᾶτε μὴ νῦν, δὴ
πατέρα τὸν ἐμὸν Δαρεῖον ἰθύοντα στρατεύεσθαι ἐπὶ
τοὺς ἄνδρας τούτους. ἀλλ' ὁ μὲν τελευτήκει, δὴ οὐκ
ἔξηγέετο αὖθ' ἀμωρήσασθαι. ἐγὼ δὲ τούτων τε ἐκεί-
νων, δὴ τῶν ἄλλων Περσέων οὐ πρότερον παύσομαι,
πρὶν ἢ ἑλών τε καὶ πυρώσω τὰς Ἀθήνας. οἵτινες ἐμὲ δὴ
πατέρα τὸν ἐμὸν ἀπῆρξαν ἄδικα πρόσθεν, πρῶτα
μὲν ἐς Σάρδις ἐλθόντες ἅμα Ἀρισταγόρῃ τῷ Μιλη-
σίῳ, δεύτερα δὲ ἡμέτερον ἀπικόμενοι, οὐκ ἐπέσχον τὰ
δέοντα δὴ τὰ ἱρά. δεύτερα δὲ ὑμέας οἷα ἔρξαν ἐς
τὴν σφετέρην ἀποδάντας, ὅτε Δάτίς τε καὶ Ἀρτα-
φέρνης ἐστρατήγεον. τὰ δίκαια δέκα πάντες. τε-
τέλεσται μέν τοι εἵνεκα ἂν ἄρημαι ἐγ' αὐτοὺς στρα-
τεύεσθαι. ἁμαθὰ δὲ σὺν αὐτῖσι τόσα δὲ εὑρίσκω ἀ-
ναλογιζόμενος. εἰ τούτους τε καὶ τοὺς τούτοισι πλη-
σιοχώρους καταστρεψόμεθα, οἳ μέλλοπ τῷ φρυ-
γὸς νέμονται χώρῳ. γῆν τε τὴν Περσίδα ἀποδέ-
ξομαι τῷ Διὶ ἐμοὶ ὁ μεγέθυσαν. οὐ γὰρ δὴ χώ-
ρην γε οὐδεμίην κατόψεται ἥλιος ὁμορον ἐοῦσαν
τῇ ἐμῇ, ἀλλὰ σφεας πάσας ἐγὼ ἅμα ὑμῖν
μίαν χάρην θήσω, διὰ πάσης διεξελθὼν τὴν Εὐρώ-
πης. πεπυσμένος γὰρ οὔδε ἔχειν, οὔτε πόλιν
ἀνδρῶν οὐδεμίην, οὔτε ἔθνος οὐδὲν ἀνθρώπων
δυνάμιος ἀξιόλογον. τὸ ἡμῖν οἷόν τε ἔσται ἐλθόντας ἐς μά-

pio, ex quo imperium hoc à Medis eripuimus, Astyage per Cyrum amoto, nunquam conquieuimus, sed ita Deus nos agit, & multa nobis sibi obsequentibus in melius confert. Atque in ea quidem, quæ Cyrus, Cambyses-que ac pater meus fecere, quas gentes imperio addidere, non attinet referre apud probè scientes: ego autem posteaquam hanc sedem accepi, dedi operam ne ab ijs, qui hoc honore sunt functi, degenerarem, neve minus potentiæ Persis acquirerem. Quod animo versans, inuenio nobis accessurum gloriam pariter, ac honorem, & regionem, neque inferiorem, neque deteriorem ea, quam superauimus, sed feraciorem, vna cum vltione iniuriæ, atque vindicta. Ideoque nunc ego vos contraxi, vt id quod agere constituì, vobis exponerem. Constituo, iuncto Hellesponto copias per Europam traducere in Græciam, vt Atheniensium vlciscar iniurias, quas cum Persis alijs, tum patri meo intulere. Notatis autem, & Darium aduersus hos viros bellum mouere destinasse: Verum ei morte præuento, non contigit, vt illos vlciscereturr. Ego vero ius vicem, aliorumque Persarum vlciscens, non prius desinam, quàm expugnauero incendero-que Athenas: cuius ciues, & me, & patrem meum, priores iniuria affecerunt: primum quum Sardis vnà cum Aristagora Milesio seruo nostro venientes cremauerunt, lucosque, ac delubra: deinde in vos quid fecerint, terram suam ingressos, quum Datis, & Artaphernes duces fuere, omnes scitis. Harum gratia rerum irritor ad inferendum eis bellum: quos, atque ipsorum finitimos, regionem Pelopis Phrygis incolentes, si in potestatem redegerimus, tot bona futura esse ratiocinando comperio. Terram Persidem ætheri Iouis conterminam reddemus. Nullam enim religionem spectabit sol finitimam nostræ, sed ego omnem permeßus Europam, vnà vobiscum cunctas regiones in vnam redigam. Nam ita rem habere audio, nullam reliquam esse hominum, neque ciuitatem, neque gentem, quæ nobiscum dimicare possit. Ita subactis ijs, quos dixi, & qui nos lacessiuerunt, iugum seruile sustinebunt. In quo si mihi vos gratificari volueritis, vbi tempus vobis indicauero, quo vos præsto esse oportet, tunc vnusquisque debebit impigrè adesse: quorum, qui ornatissimis cum copijs aderit, eum donabo ijs, quæ in nostra domo pretiosissima habentur. Et hæc quidem ipsa agenda sunt. Sed ne solus videar in consilio sen-

Maiorum gloriam cupiuit.

Xerxes Longa dies in impudi

Persis.

χην τουτέων τῶν κατέλεξα, ὑπεξαραιρημένων. οὕτω οἵτε ἡμῖν αἴτιοι ἔξουσι δούλιον ζυγὸν, οἵτε ἀναίμοι. ὑμεῖς δὲ ἂν μοι τὰ δεῖ ποιέοντες χαρίζοισθε ἐπεὰν ὑμῖν σημήνω τὸν χρόνον, εἰς τὸν ἥκειν δεῖ, προθύμως πάντα ἵνα ὑμέων χωήσει παρεῖναι. ὃς ἂν δὲ ἔχων ἥκῃ παρεσκευασμένον στρατὸν κάλλιστα, δώσω οἱ δῶρα, τὰ ἀμιότατα νομίζεται εἶναι ἐν ἡμετέρῳ. ποιητέα μὲν νῦν ταῦτα ἐστι οὕτω. ἵνα δὲ μὴ ἰδιοβουλεύειν ὑμῖν δοκέω. τίθημι τὸ πρῆγμα ἐς μέσον. γνώμην κελεύων ἡμέων τὸν βουλόμενον ἀποφαίνεσθαι.

sententiam dicere, rem pono in medico iubens vnicuique sententiam quamlibet dicere.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. Exorditur ab exemplo & instituto superiorum Regum, qui cum toti animum ad curas bellicas adiecerint: non decet Xerxem otium, & vitæ mollitiem sectari. locus hic beneuolentiæ, aut attentionis profusior fuisset in hac personæ maiestate superuacaneus.

II. Ab vtili argumentatur, quod magna illecebra cupiditatis sit: Atticæ regionis fertilitas. Hæc fuit ars Narsetis cùm Longobardos ad Italicum bellum inuitans, ex eadem regione illis eximiæ magnitudinis pompa præmisit: de quo stratagemate dico in symbolis.

Narses vt Longobardos in bellũ impulit.

III. Magno argumento est Darij patris exemplum, cuius spes fato intercisa, à quo nisi à filio instaurabuntur: Pater siquidem in filio?

Viuit qua voluit, viuere parte magis.

IV. Vltio iniuriarum proponitur, ingens stimulus generositatis, cui probrum concoquere difficillimum est: Iniuriæ autem erant clarissimis ducibus illatæ. Nam Datis, & Antapharnes, satrapæ ab Atheniensibus concisi: Datis vero præter armorum calamitatem etiam perpetuæ Græcorum irrisioni expositus, à quo datismus barbarismus, quem Δάτιδος μέλος vocat Aristophanes in Dace.

Barbarismos Datidis melos.

V. Spes amplæ, & generosæ illustri oratione exaggerantur: Siquidem Attica deuicta, Persis cœlo proxima futura est. Quem locum est imitatus Græcus Poeta Anthologiæ lib. primo, vbi Roma appellatur πάτρης φροίμιον εὐρανίας.

VI. Illectat pretiis generosos animos. Nam & Persarum Regibus, quod ostendimus in Xenophonte, fuit familiare pro concione fortes laudare, & amplissimè munerari.

ORATIO MARDONII SVASORIA.

Inuentio tota pendet ab abiunctis personarum.

Dispositio naturalis, Elocutio blanda, adulatoria, elata:

Ὦ δέσποτα, οὐ μόνον εἷς τῶν γινομένων Περσέων ἄριστος, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐσπομένων. ὃς τά τε ἀλλὰ λέγων ἐπίκεο ἄριστα, καὶ ἀληθέστατα, καὶ Ἰωνας τοὺς ἐν τῇ Εὐρώπῃ κατοικημένους οὐκ ἄσειε καταγελάσαι ἡμῖν, ἐόντας ἀναξίους καὶ γὰρ δεινὸν ἂν εἴη πρῆγμα, εἰ Σάκας μὲν,

DOmine, tu verò non modò superioribus Persis, sed etiam venturis es præstantior, qui cum alia, & optima, & verissima commemoras, tum verò quod Iones, qui Europam incolunt, non sines habere ludibrio nos, minùs quàm ipsi sunt ludibrio digni: etenim res indigna est, si Sacas, & Indos, & Aethiopes, & Assyrios, aliasque multas,

καὶ Ινδοὺς, καὶ Αἰθίοπας, καὶ Λοτυρίους, ἄλλά τε ἔθνεα πολλὰ καὶ μεγάλα, ἀδικήσαντα Πέρσας οὐδέν. ἀλλὰ δύναμιν προσκτᾶσθαι ἐβουλόμην, καὶ λαμπρεψάμην, δόξης ἔχομεν· Ελλήνας ὑπάρξαντας ἀδικίης, οὐ τιμωρησόμεθα. τί δείσαντες; κοίλη πλήθεϊ συστρατήν; κοίνη δὲ χρημάτων δύναμιν; τῶν ἐπισάμεθα μὲν τὴν μάχλιν, ἐπισάμεθα δὲ τὴν δύναμιν ἐοῦσαν ἀθενέα; ἔχομεν δὲ αὐτέων παῖδας, καὶ ἀνδραποδίσμενοι τρέφομεν. οἵ τε ἐν τῇ ἡμετέρῃ καλοικημένοι, Ιωνές τε καὶ Αἰολέες, καὶ Δωριέες καλέονται. ἐπειρησάμην δὲ αὐτὸς ἤδη ἐπελαύνων ἐπὶ τοὺς ἄνδρας τούτους, ὑπὸ παιδὸς τοῦ Θεοῦ κελευσθείς. καί μοι μέχρι Μακεδονίης ἐλάσαντι, καὶ ὀλίγου ἀπολιπόντι ἐς αὐτὰς Αθήνας ἀπικέσθαι, οὐδεὶς ἦν ὁ ἀμυνόμενος ἐς μάχλιν. καί τοι εἰώθασι Ελληνες (ὡς πυνθάνομαι) ἀβουλότατα πολέμους ἵστασθαι, ὑπὸ δὲ ἀγνωμοσύνης, καὶ σκαιότητος. ἐπεὰν γὰρ ἀλλήλοισι πόλεμον προείπωσι, ἐξευρόντες τὸ κάλλιστον χωρίον καὶ λειότατον, ἐς τοῦτο καλιόντες μάχονται. ὥστε σὺν κακῷ μεγάλῳ οἱ νικῶντες ἀπαλλάσσονται. περὶ δὲ τῶν ἡσσημένων οὐδὲ λέγω ἀρχήν· ἐξόλλυσι γὰρ δὴ πάντων. τοὺς χρεὼν, ἐόντας ὁμογλώσσους, κήρυξί τε διαχρεωμένους, καὶ ἀγγέλοισι τοιοῖσι, καὶ λαμβάνειν τὰς διαφορὰς, καὶ παντὸς μᾶλλον ἢ μάχῃσι. εἰ δὲ πάντως ἔδει πολεμέειν πρὸς ἀλλήλους, ἐξευρίσκειν χρὴ τῇ ἑκάτεροι εἰσὶ δυσχειρωτότατοι, καὶ ταύτῃ πειρᾶν. ζόπῳ τοίνυν οὐ χρεὼν Ελλήνων διαχρεώμενον, ἐμὲ ἐλάσαντα μέχρι Μακεδονίης γῆς, οὐκ ἦλθον ἐς τοῦτον λόγον ὥστε μάχεσθαι. εἰ δὲ δὴ μέλλει τις, ὦ βασιλεῦ, ἀντιώσεσθαι πόλεμον προσφέρων, ἄγονός καὶ πλήθεος τοιούτου Ασίης, καὶ νέας τὰς ἁπάσας; ὡς ἔγωγε δοκέω, οὐκ ἐς τοῦτο θράσεως ἀνήκει τὰ Ελλήνων πρήγματα. εἰ δὲ ἄρα ἐγὼ ψευδείην γνώμην, καὶ ἐκεῖνοι ἐπαρθένιες ἀβουλίῃ ἔλθοιεν ἡμῖν ἐς μάχλιν, μάθοιεν ἂν ὡς ἐσμὲν ἀνθρώπων ἄριστοι τὰ πολέμια. ἔστω δὲ ὧν μηδὲν ἀπείρητον. αὐτόματον γὰρ οὐδὲν, ἀλλ' ἀπὸ πείρης πάντα ἀνθρώποισι φιλέει γίνεσθαι.

tas, ac grandes nationes, quæ nihil Persas læsere, tamen potentiæ prolatandæ gratia in prouincias redegimus: Græcos, qui nos lacessere iniuria inceperunt, non vlciscemur? quidnam metuentes? quas illorum copias, quam pecuniarum vim? Earum pugnam nouimus, eorum nouimus vires esse imbecilles: eorum quos subegimus, liberos penes nos habemus, hos qui domi nostræ habitantes, Ιones, & Aeoles, & Dores appellantur. Quos ipse quoque expertus sum, quum eis iussu patris tui intuli bellum, ac mihi cum in Macedoniam vsque processissem, & penes vsque ad ipsas Athenas, nemo pugnaturus occurrit. Quamquam consueuere Græci, vt audio, incontultissimè inter bella, propter imperitiam, ac finisterratem. Nam cum bellum inter eos indictum est, in locum quem pulcherrimum, planissimumque inuenêre, descendentes, ibi prælia faciunt: ita vt magno cum suo malo victores inde discedant: deuicti (ne longius repetã) ad internecionem deueniunt. Quos oportebat, cum sint eiusdem linguæ, interpositis caduceatoribus, ac nuntijs dirimere controuersias, & omnia alia potius agere, quàm pugnare: aut si necesse habent inter se omnino pugnare, locum aliquem inuenire vtrisque expugnatu difficillimum, & ibi fortunam belli tentare. Hoc itaque ritu haud probo vtentes Græci, nunquam mecum verbis egerunt de diuicando, cum Macedonia tenus promouissem. Tibi autem, Rex, quis obuiam venturus est bellicandi causa? Copias Asiæ, atque omnem classem agenti? non eò audaciæ procedunt (vt reor) Græcorum res. Quòd si me fallit opinio, & illi vecordia elati ad pugnandum nobiscum venient, discant nos esse in re bellica præstantissimos hominum. Nihil igitur sit, quod non experiamur. Nam sua sponte nihil fit, sed omnia ab experimento hominibus fieri consueuerunt.

Græcorum bellandi ratio.

OECONOMIA ORATIONIS.

Reges Persarum despotæ.

I. *Oritur à laude Regis, vbi nota Persarum Reges dici* δεσπότας, *quod nomen gliscente paulatim assentatione Romani Imperatores assumpserunt. Augustus quidem recusauit, Sueton. 53. Domitianus admisit, cap. 13. & Mart. lib. 5. epigr. 8. Quin Augusta, iam vulgo Domina nominabantur, vt apud Oppianum libro primo de venatione,* Ου μεγάλη μεγάλῳ γεννήσατο Δόμνα Σεβήρῳ, *& hoc ad distinctionẽ Matrum familias, quæ* δέσποιναι, *&* κύριαι *appellabãtur, teste Epicteto.* Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τ τέσσαρα καὶ δέκα ἐγγὺς ἀπὸ τ ἀνδρῶν κύριαι καλοῦνται: *quo exemplo Gregorius Turonensis lib. 9. cap. 20. Brunechildin Domnam vocat. Surius in vita S. Gerardi ad 24. Septembris, refert ab eodem viro sancto primùm in gente Hungarica institutum, vt non pronuntiaretur nomen ipsius matris Dei, sed Domina appellaretur.*

Maria vbi dicta Nostra Domina.

II. *Primùm argumentatur à maiore ad minus, non decere eos, qui Sacas, Assyrios, Æthiopas domuerunt, Græcos timere, Saca autem illi sunt, qui à Persis in vini fœtore, quo illecti fuerant, trucidati, calamitatis, & ignominiæ suæ monumentum apud Persas Sacarum festum reliquerunt, de quo dico in Symbolis, ex Dione Prusæo oratione 4. de regno.*

Saca & eorum festum.

III. *Ex superiore sequitur tenuitas Græcorum, & temeritas, tum inopia consilij in bellis gerendis, quæ ipse suis experimentis comprobat, malitiosè tamen hostes ijs, quibus libitum est, pingens coloribus, & eos Regi exhibens, tanquam in speculis, qua Græci* ἰτρόσκημα, *&* παράχρουα *nominant.*

IV. *Persarum potentia ex aduerso comparatur, & bellum sententioso dicto concluditur:* ἀπὸ πείρης πάντα, *cui simile est dictum vetus Epicharmi,* τ πόνων πωλοῦσι πάντα θεοτῖς ἀγαθοὶ θεοί.

ARTABANI ORATIO DISSVASORIA.

Inuentio est ab argumentis remotis, à recentibus videlicet exemplis infelicium expeditionum.

Dispositio prudens, & artificiosa: à necessarijs excurrit in locos communes, graues, & sententiosos: dissuadet, docet, inuehitur.

Elocutio nexuosa, grandis, excelsis sententijs exaggerata.

Ω βασιλεῦ, μὴ λεχθεισῶν μὲν γνωμῶν ἀνδρείων ἀλλήλοις, οὐκ ἔστι τὴν ἀμείνω αἱρεόμενον ἐλέσθαι· ἀλλὰ δεῖ τῇ εἰρημένῃ χρῆσθαι. λεχθεισῶν δέ ἐστι, ὥσπερ τὸν χρυσὸν τὸν ἀκήρατον αὐτὸν μὲν ἐπ' ἑωυτῷ οὐ διαγινώσκομεν, ἐπὰν ᾖ παραζέψωμεν ἄλλῳ χρυσῷ, διαγινώσκομεν τὸν ἀμείνω. ἐγὼ δὲ καὶ παῖδι τῷ ἐμῷ, ἀδελφέῳ δὲ ἐμῷ, Δαρείῳ ἠγόρευον μὴ στρατεύεσθαι ἐπὶ Σκύθας, ἄνδρας οὐδαμόθι γῆς ἀσυνέμενος. ὁ δὲ, ἐλπίζων Σκύθας τοὺς Νομάδας καταστρέφεσθαι, ἐμοί τε οὐκ ἐπείθετο στρατευσάμενός τε, πολλούς τε καὶ ἀγαθοὺς τ στρατιὴν ἀπο-

Sententiarum delectus.

REx, nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habeat ea, quæ dicta est, vti: at quum plures dictæ sunt, licet tanquam aurum purum deligere: quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest. Ego patri tuo Dario, eidemque fratri meo suadebam, ne sumeret aduersus Scythas expeditionem, viros nulla vnquam oppida incolentes: sed ille sperans Scythas Nomades se subacturum, mihi non est assensus: itaque sumpta expeditione, multis, & egregijs viris de exercitu amissis abscessit. Tu verò, Rex, bellũ inferre destinas viris, multò, quam Scythæ sunt, præstantioribus, quique & mari, & ter-

Scytha Nomades.

Graci fortes.

ξαλὼν, ἀπῆλθε. σὺ δ', ὦ βασιλεῦ, μέλλεις ἐπ' ἄνδρας στρατεύεσθαι πολλὸν ἀμείνονας ἢ Σκύθας, οἳ χῶραν θάλασσαν τε ἄρισοι καὶ καλὰ γῆν λέγονται εἶναι. τὸ δ' αὐτοῖσι ἔνεστι δεινόν, ἐμὲ δοκέει δίκαιόν ἐστι φράζειν. ζεύξας φὴς τὸν Ἑλλήσποντον ἐλᾶν στρατὸν διὰ τῆς Εὐρώπης ἐς τὴν Ἑλλάδα· καὶ δὴ καὶ νενίκηκε ἢ καὶ καλὰ γῆρ, ἢ καὶ καλὰ θάλασσα ἔσται ὑπόδηκαι. ἢ καὶ καλὰ ἀμφότερα· οἱ γὰρ ἄνδρες λέγονται εἶναι ἄλκιμοι. πάρεσι δὲ καὶ σαθμώσασθαι, εἰ στρατιήν γε τοσαύτην σὺν Δάτιδι καὶ Ἀρταφέρνεϊ ἐλθοῦσαν ἐς τὴν Ἀττικὴν χώρην, οἵδε Ἀθηναῖοι διέφθειραν· οὔκων ἀμφοτέρῃσι ἐχώρησε. ἀλλ' ἦν τῇσι νηυσὶ ἐμβάλωσι, καὶ νικήσαντες ναυμαχίῃ, πλέωσι ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, καὶ ἔπειτα λύσωσι τὴν γέφυραν, ὅρα δὴ, βασιλεῦ, γινεται δεινόν. ἐγὼ δὲ οὐδεμιῇ σοφίῃ οἰκηίῃ αὐτὸς συμβάλλομαι ταῦτα· ἀλλ' οἷόν σε ἠμέας ὀλίγῳ ἔδεκτε καλαβαθῆν πάθῳ, ὅτε πατὴρ σὸς ζεύξας βόσπορον τὸν Θρηίκιον, γεφυρώσας δὲ ποταμὸν Ἴστρον, διέβη ἐπὶ Σκύθας. τότε παντοῖοι ἐγένοντο Σκύθαι, διόμενοι Ἰωνων λόγον τὸν πόρον, τοῖσι ἐπέτρεψε ἔζεσθαι φυλακὴν τῆς γεφυρέων, τῷ Ἴστρῳ. καὶ τότε γε Ἰσιάδης ὁ Μιλήτου τύραννος εἰ ἐπέσποτο τῶν ἄλλων τυράννων τῇ γνώμῃ, μηδὲν κινέωσι, διέργασο ἂν τὰ Περσέων πρήγματα. καίτοι καὶ λέγω ἀκοῦσαι δεινὸν, ἐόντα ἀνδρὸς ἑνὸς πάντα τὰ βασιλέως πρήγματα γενέσθαι· σὺ ὦν μὴ βουλεύου ἐς κίνδυνον μηδένα ποιῆσαι τὸν ἀπικέσθαι, μηδεμιῆς ἀνάγκης ἐούσης· ἀλλ' ἐμοὶ πείθεο. νῦν μὲν τὸ σύλλογον τόδε διάλυσον, αὐτίς τε, ὅταν τοι δοκέῃ, πρασκεψάμενος ἐπὶ σεωυτοῦ, πρόαγόρευε τά τοι δοκέει εἶναι ἄρισα. τὸ γὰρ εὖ βουλεύεσθαι, κέρδος μέγιστον εὑρίσκω ἐόν. εἰ γὰρ καὶ ἐναντιωθῆναι τοι δοκέει, βεβούλευται γε οὐδὲν ἧσσον εὖ, ἔστωσι δὲ ὑπὸ τύχης τὸ βούλευμα. ὁ δὲ βουλευσάμενος ἀτυχέως, εἰ οἱ ἡ τύχη ἐπίσποιτο, εὕρημα εὕρηκε, ἧσσον δὲ οὐδὲν εἰ κακῶς βεβούλευται. ὁρᾶς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι· τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέ μιν κνίζει; ὁρᾶς δὲ ὡς οἰκήματα τὰ μέγιστα ἀεὶ καὶ δένδρεα, τὰ τοιαῦτα ἐπισκίπτει βέλεα; φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. οὕτω δὲ καὶ στρατὸς πολλὸς ὑπὸ ὀλίγου διαφθείρεται κατ' τὸν δὲ, ἐπειδὰν σφι ὁ θεὸς φθονήσας, φόβον ἐμβάλῃ, ἢ

ra optimi esse dicuntur, quibus in rebus quid durum sit, hoc me tibi iustum est promere, iuncto pontibus Hellesponto ais te copias per Europam in Græciam deducturum: Atqui eos conuenit aut in terra, aut in mari, aut vtrobique abs te superari, siquidem feruntur viri esse fortes. Cuius rei licet hinc argumentum capi: si tot copias ductu Datidis, & Artaphernis Atticam regionem ingressas soli Athenienses profligauerunt, ergo non vtraque in parte successit. Quod si ijdem conscensis nauibus pugna nauali victores ad Hellespontum nauigent, ac deinde Pontem soluant, hoc durum fuerit Rex. Neque verò hoc ex mea vnius priuata prudentia coniecto, sed ea causa, quo aliquando parum absuit, quin opprimeremur, quum pater tuus iuncto Bosphoro Thracio, & flumine Istro pontibus commisso, traiecit ad Scythas: cum traiectum Scythæ omnino institere precationes, quibus custodia pontium delegata erat, vt interscinderent. Quo tempore si Histiæus Mileti tyrannus aliorum sententiæ accessisset, ac non contradixisset, actum erat de rebus Persarum. Atqui res est dictu quoque horribilis, omnem regis statum in vno viro positum fuisse. Quare noli tu vllum tale adire discrimen, nulla subsistente necessitate, sed mihi potius obtempera: hunc cœtum in præsens missum facito, iterumque dum tibi videbitur, re apud te ipsum considerata, edicito, quod optimum esse arbitraberis. Bene enim consultare comperio maximum esse lucrum. Nam etiam si quid è contrario euenturum est, nihilo tamen minus bene consultum est, superauitque fortuna consilium: at qui turpiter consultauit, si ei fortuna obsecundauit, ille est quidem voti compos, nihil tamen minus malè consilium cœpit. Vides vt prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec sinit insolenter efferri, parua verò nihil lædit: vides vt magna semper ædificia, magnasque arbores huiusmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus eminentissima quæque deprimere. Vnde, & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties ijs Deus, quibus inuidet, aut metum incutit, aut tonitruum. Propterea quidam fecus, ac dignitas sua postulabat, in calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium, quàm seipsum sinit magnificè de se sentire, omnis res properando parit errores, vndè magna detrimenta fieri adsolent: in cunctando autem bona insunt, si non

Consilij bo. mi laudes.

Dæmo. nium. Superbo. fraudi. Deus.

βροντὴν. δι' ὧν ἐσφάληταν ἀνάξιως ἑαυτῶν. οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν. ἐπειχθῆναι μὲν νῦν πᾶν πρῆγμα, τίκτει σφάλματα, ἐκ τῶν ζημίαι μεγάλαι φιλέουσι γίνεσθαι. ἐν δὲ τῷ ἐπισχεῖν ἔνεστι ἀγαθὰ, εἰ μὴ παραυτίκα δοκέοντα εἶναι, ἀλλ' ἀνὰ χρόνον εὑροίης ἄν. Οἱ μὲν δὴ ταῦτα, ὦ βασιλεῦ, συμβουλεύω. σὺ δὲ, ὦ παῖ Γωβρυέω Μαρδόνιε, παῦσαι λέγων λόγους ματαίους περὶ Ἑλλήνων, οὐκ ἐόντων ἀξίων φλαύρως ἀκούειν. Ἑλλήνας γὰρ διαβάλλων, ἐπαίρεις αὐτὸν βασιλῆα στρατεύεσθαι· αὐτοῦ δὲ τούτου εἵνεκα δοκέεις μοι πᾶσαν προθυμίην ἐκτείνειν· μὴ νῦν οὕτω γενηται. διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον· ἐν τῇ δύο μέν εἰσι ἀδικεόντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει, οὐ παρεόντων κατηγορέων. ὁ δὲ ἀδικέει, ἀναπειθόμενος πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ. ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τὰ δὲ ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι. ἀλλ' εἰ δὴ δεῖ γε πάντως ἐπὶ τοὺς ἄνδρας τούτους στρατεύεσθαι. φέρε, βασιλεὺς μὲν αὐτὸς ἐν ἤθεσι τοῖσι Περσέων μενέτω, ἡμέων δὲ ἀμφοτέρων παραβαλλομένων τὰ τέκνα, στρατηλάτεε αὐτὸς σὺ, ἐπιλεξάμενός τε ἄνδρας τοὺς ἐθέλεις, καὶ λαβὼν στρατιὴν ὁκόσην κινὰ βούλεαι. καὶ ἢν μὲν τῇ σὺ λέγεις, ἀναβαίνῃ βασιλεῖ τὰ πρήγματα, κτεινέσθων οἱ ἐμοὶ παῖδες, πρὸς δὲ αὐτοῖσι καὶ ἐγώ. εἰ δὲ τῇ ἐγὼ προλέγω, οἱ οἱ ταῦτα πασχόντων, σὺν δὲ σφὶ καὶ σὺ, ἢν ἀπονοστήσῃς. εἰ δὲ ταῦτα μὲν ὑποδύνειν οὐκ ἐθελήσεις, σὺ δὲ πάντως στράτευμα ἀνάξεις ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ἀκούσεσθαί κινα φημὶ τὰ αὐτοῦ τῇ δὲ ὑπολειπομένων. Μαρδόνιον μέγα κακὸν ἐξεργασάμενον Πέρσας, ὑπὸ κυνῶν τε καὶ ὀρνίθων διαφορεύμενον, ἤκου ἐν γῇ τῇ Ἀθηναίων, ἢ σέ γε ἐν τῇ Λακεδαιμονίων· εἰ μὴ καὶ ἄρα καὶ πρότερον κατ' ὁδόν, γνόντα ἐπ' οἵους ἄνδρας ἀναγινώσκεις στρατεύεσθαι βασιλῆα.

non talia, quæ statim videantur esse bona, certè, quæ suo tempore bona quis esse comperiat. Et hoc quidem tibi Rex, suadeo. Tu verò Gobryæ fili, ô Mardoni, desine loqui stulta de Græcis, haud dignis qui malè audiant. Nam Græcis detrahendo, ipsum Regem vis excitare ad bellum illis inferendum, ad quod tu omni auiditate contendis: quod absit vt fiat. Detractio namque importunissima res est; in qua duo sunt, qui iniuriam faciunt: vnus, cui iniuria fit. Qui enim detrahit, iniurius est, quòd non præsentem accusat: item, qui huic credit, iniurius est, quòd priùs credit quàm rem compertam habeat: & illi cui absenti detrahitur, ob id sit iniuria, quòd ab altero insimulatur vt malus, ab altero talis putatur. Quòd si omnino bellum his viris inferre oportet, agedum, Rex ipse permaneat apud Persas domi, nostrûm amborum liberi deponantur: tu in expeditionem ito, delectis, quos velis viris, ac quantiscunque velis copijs: &, si sententia tua res succedent Regi, interimantur liberi mei, & insuper ego: sin succedant, vt ego dico interimantur tui, & insuper tu, si redieris. Quòd si hanc subire conditionem recusas, cupisque in Græciam prorsus deducere, affirmo fore vt aliqui eorum, qui hîc relinquentur, audiant, Mardonium post allatam Persis magnam aliquam calamitatem, à canibus volucribusque discerpi, aut in Athenienstum solo, aut in Lacedæmoniorum; nisi fortè antea inter viam: tunc agniturum, aduersus quales viros suades Regi vt moueat bellum.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. Insinuatio grauis: quia dicit, sententias sententijs, vt aurum auro, conferendas. Quæ autem potior, sapientis iudicium, vt Lydius lapis, discernet.

I. Argumentum à recenti exemplo Scythicæ expeditionis Persis infelicis.

II. A minori ad maius, Scythæ, cum Græcis comparantur.

III. A peritia Græcorum, non rumore communi, sed clade Persica adhuc recenti comprobata.

IV. Ab affectu & ingenti periculo, quod in traiectione imminet: & ipsum recenti exemplo Scythicæ expeditionis confirmatur.

V. Conclusio, & adhortatio grauis ad mature consulendum, vbi præclarum est, quod dicit: Bonum consilium, etiam si minus fortuna responderit, semper est apud sapientes laudabile: Temerarium, nec ipsa quidem felicitas excusat. Hanc sententiam excipit statim locus communis, de Dei potestate, & illustrium fortunarum casibus grauiter pertextus, qui multos habuit imitatores:

Consilium temerariũ etiam felix malum est.

grauiore casu Decidunt turres, feriuntque summos Fulmina montes, *quod pulcherrime dixit Synesius in libro de regno ad Arcadium Imperatorem:* Τὸν δὲ λαμπρὸν ταῖς τύχαις, τοῦτόν ἐστι καὶ κινδύνοις ἐπιφανῆ γενέσθαι, καὶ θατέρᾳ μερίδι τοῦ δαίμονος. *Subiungit, Deum excelsa deprimere, superbos odisse, & omne sub regno grauiore regnum esse: quod habet Seneca in Thyeste, quæ sententiose dicta, grauem, & maiestatis plenam faciunt orationem.*

VI. Mardonium grauissime perstringit, non vanus augur calamitatis, vbi & sententiosus est quod dicit,

Calumnia pessima in qua calumniantis & calumniam audientis commune vitium est.

Calumnia morbus mulieb.

Similiter Nicetas in Manuele. Ὡς ἄρα οὐδέν τι διαβόλου γλώττης χείριστον ἂν ἔφυ τοῖς ἀνθρώποις ἕτερον. *Philo,* γυναικεῖον καὶ ἀπαίτευτον *vocat.*

VII. Postremo non verbis, sed re, Thrasonem confutat, quod potentissimum argumenti genus.

Is optime suadere videtur, qui adijcit consilio periculum suum.

ORATIO SANDANIDIS DISSVADENTIS CROESO bellum aduersus Cappadoces.

Character orationis miti candore, & simplicitate inornatus.

Ὠβασιλεῦ ἐπ' ἄνδρας τοιούτους στρατεύεσθαι παρασκευάζεαι; οἳ σκυτίνας μὲν ἀναξυρίδας, σκυτίνην δὲ τὴν ἄλλην ἐσθῆτα φορέουσι, σιτέονται δὲ οὐκ ὅσα ἐθέλουσιν, ἀλλ' ὅσα ἔχουσι, χώρην ἔχοντες τρηχείην· πρὸς δὲ οὐκ οἴνῳ διαχρέονται ἀλλὰ ὑδροποτέουσι. οὐ σῦκα δὲ ἔχουσι τρώγειν, οὐκ ἄλλο ἀγαθὴν οὐδέν. τοῦτο μὲν δὴ, εἰ νικήσεις, τί σφέας ἀπαιρήσεαι, τοῖσι ἐστι μηδέν; τοῦτο δὲ, ἢν νικηθῇς, μάθο ὅσα ἀγαθὰ ἀποβαλέεις. γευσάμενοι γὰρ τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν, νοριέξονται, οὐδὲ ἀπωστοὶ ἔσονται, ἐγὼ μὰ ἐν νῦν θεοῖσι ἔχω χάριν, οἳ οὐκ ἐπὶ νόον ποιέουσι. Πέρσῃσι στρατεύεσθαι ἐπὶ Λυδούς.

Exc. Herod. lib. 1.

SCin tu verò rex aduersus quale hominum genus expeditionem pares? Quibus suæ braccæ coriaceæ, cætera quoque vestimenta, coriacea sunt: qui non quibus volunt cibis, sed quos sua aspera illa regio suppeditat, vescuntur: qui vino minime vtuntur, sed aquæ sunt potores: qui ne ficus quidem habent, quas esitent, quibus denique nihil rerum bonarum est. Hos si quidem superaueris, quid eis eripies, quum nihil possideant? sin ab ijs supperatus fueris, quot bonorum iacturam clades ea tibi allatura sit, tecum reputato. Quum enim semel bona nostra gustauerunt, ita illis adhærescent, vt auelli nulla ratione possint. Ad me quidem certè quòd attinet, Dijs habeo gratiam, quòd Persarum animis nullum suscipiendi expeditionem aduersus Lydos desiderium inijciunt.

Cappadoces quales, Bracæ.

ORATIO

ORATIO PHILIPPI IN SENATV.

Continet suasionem belli aduersus M. Æmilium, & Lepidum, in quos atroci stylo inuehitur.

Character est Philippicis Demosthenis simillimus.

Magistratus mali grauiter nocent.

MAximè vellem (P. C.) Rempub. quietam esse, aut in periculis, à promptissimo quoque defendi: denique praua incœpta consultoribus noxæ esse: sed contrà, seditionibus omnia turbata sunt, & ab ijs, quos prohibere magis decebat postremò, quæ pessimi vt stultissimi decreuere, ea à bonis, & sapientibus facienda sunt. Nam bellum, atque arma, quanquam vobis inuisa, tamen quia Lepido placent, sumenda sunt: nisi fortè cui pacem præstare, & bellum pati consilium est.

Vatũ Carmina in cõminationi.

Prô Dij boni, qui hanc vrbem omissa cura adhuc regitis, Marcus AEmilius *omnium flagitiosorum postremus, qui peior, an ignauior sit, deliberari non potest*, exercitum opprimendæ libertatis habet, & se è contempto metuendum effecit. Vos mussantes, & retractantes, verbis, *& vatum carminibus*, pacem optatis magis, quàm defenditis: neque intelligitis, *mollitia decretorum vobis dignitatem, il li metum detrahi*? atque id iure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem prouinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cuius sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet eis, qui ad postremum vsque legatos, pacem, concordiam, & alia huiusmodi decreuerint, gratiam habeo peperisse? Imò despecti, & indigni repub. habiti, prædæ loco æstimantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem à principio cum Hetruriam coniurare, proscriptos accersiri: largitionibus rempub. lacerari videbam, maturandum putabam, & Catuli consilia cum paucis sequutus sum. Cæterùm illi, qui gentis AEmiliæ benefacta extollebant, & ignoscendo Pop. Rom. magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, & cùm priuata arma opprimendæ libertatis cepisset, sibi quisque opes, aut patrocinia quærendo, consilium publicum corruperunt. Attamen erat Lepidus latro cum calonibus, & paucis sicarijs, quorum nemo diurna mercede vitam mutauerit: Nunc est proconsul, cum imperio non empto, sed dato à vobis, cum legatis adhuc iure parentibus. Et ad eum concurrêre homines omnium ordinum corruptissimi, flagrantes inopia, & cupiditatibus, scelerum conscientia exagitati: Quibus *quies in seditionibus, in pace, turba sunt*, hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt: Saturni olim, post Sulpitij, dein Matij, Damasippique, nunc satellites Lepidi. Præterea Hetruria atque omnes reliquiæ belli arrectæ. Hispaniæ armis solicitatæ, Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin præter idoneum ducem, nihil abest ad subuertendum imperium.

Seditiosi quales.

Quod vos oro, atque obsecro (P. Conscripti) vt animaduertatis, ne patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem ad integros procedere, *Nam vbi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuitò bonus est.* An expectatis dum exercitu rursus admoto, ferro, atque flamma vrbem inuadat? quod multo propius est ab eo, quo agitar statu, quàm ex pace & concordia ad arma ciuilia, quæ ille aduersum diuina, & humilia cepit, non pro sua, aut quorum simulat iniuria, sed legum, ac libertatis subuertendæ. Angitur enim, ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers consilij, inquies, hæc, atque illa tentans, metuit otium, odit bellum: luxu, atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra socordia. Neque mihi satis consilij est, *metum, an ignauiam, an dementiam eam appellem*: qui videmini *intenta mala, quasi fulmen, oppare se quisque ne attingat, sed prohibere, ne conari quidem.* Et quæso considerate, quàm conuersa rerum natura sit. Antea malum publicum occultè, auxilia palam instruebantur, & eò boni malos facilè anteibant: nunc pax, & concordia disturbantur palam, defenduntur occultè:

Bonum nemo gratuitò.

Ignauiaptr: stringitur.

quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu. Quid expectatis? nisi fortè pudet, aut piget rectè facere. An Lepidi mandata animos mouent? qui placere ait sua cuique reddi, & aliena tenet? belli iura rescindi, cum ipse armis cogat? ciuitatem confirmari, qui adeptam negat? concordiæ gratia tribunitiam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensæ? pessime omnium, atque impudentissime, tibine egestas ciuium, & luctus curæ sunt? cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per iniuriam: *Alterum consulatum petis, quasi primũ reddideris,* bello concordiam quæris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis inuidus, hostis omnium bonorum; vt te neque hominum, neque Deorum pudeat, quos perfidia, aut periurio violasti. Qui quando talis es, maneas in sententia, & retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus ipse inquies, nos in solicitudine retineas. Neque te prouinciæ, neque leges, neque Dij penates ciuem patiuntur: Perge qua cœpisti, vt quam maturissimè merita inuenias. Vos autem P. C. Quousque cunctando Rempublicam intutam patiemini, & verbis arma tentabitis? delectus aduersum vos habiti: pecuniæ publicè, & priuatim extortæ: præsidia deducta, atque imposita: ex libidine leges imperantur: quum interim vos legatos, & decreta paratis, & quanto mehercule auidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quum intelliget se metu magis, quàm æquo, & bono sustentatum. Nam qui turbas, & cædem ciuium odisse ait, & ob id armato Lepido vos inermes retinet, quæ victis toleranda sunt, ea quũ facere possitis, patiamini potius censet, ita illi à vobis pacem, vobis ab illo bellum suadent. Hæc si placent, si tanta torpedo animos oppressit, vt obliti scelerum Cinnæ, (cuius in vrbem reditu decus, atque ordines omnes interierunt) nihilominus vos, atque coniuges, & liberos Lepido permissuri sitis, quid opus decretis? quid auxilio Catulli? quin ij, & alij boni Rempublicam frustra curant. Agite, vt libet, parate vobis Cethegos, atque alia perditorum patrocinia, qui rapinas, & incendia instaurare cupiunt, & rursum aduersum Deos penates manus armare: Sin libertas & bella magis placent, decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus. Adest nouus exercitus, & ad hoc coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi, *fortuna meliores sequitur.* Iam illa, quæ socordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo, quoniam Lepidus exercitum priuato consilio paratum cum pessimis, & hostibus Reipub. contra eius ordinis authoritatem, ad vrbem ducit: vti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule, & cæteris, quibus imperium est, vrbi præsidio sint, operamque dent, nequid Resp. detrimenti capiat.

Conuitia oratoria.

Exhortatio ad bellum

OECONOMIA *orationis.*

I. *Exordium à conquestione de statu reip. quod est istis oratoribus quam familiare, similis querela Demosthenis Philippica. 3. n. 3.*

II. *Statim ad fontem istius perturbationis præmisso generoso epiphonemate delabitur, & Æmilium vehementer exagitat: Hac δεινότης propius ad Demosthenem accedit, quem putes audire in illam vocem erumpentem* ὄλεθρος μακεδών.

III. *Increpat Senatores duriori brachio austerum ingenium, arguens mollitiem decretorum in tanta inimicorum audacia, multa similia habet Demosth. Philip. 1.*

IV. *Inuehitur in Lepidum, cuius latrocinia, & infamem comitatum, grauiter ponit ob oculos: Quod autem de huiusmodi ciuibus dixit:* Quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: *respexit credo illud Aristophanis in equitibus:*

Bellum seditiosis gratum.

καὶ σὸ λαμβάνεις ἢν τὴν πόλιν ταράττεις.

V. *Postquam indigna perduellium scelera expressit, grauiter hortatur senatum ad pœnas repetendas: quòd summa Reip. pernicies, cùm malis etiam facinorum præmia conceduntur.*

Idcirco Democritus duos in rep. tantum Deos statuebat: Beneficium in bonos, Pœnam in improbos: Plin. hist. nat. l. 2.

Dii duo Democriti.

VI. *Incensa oratione grauius & austerius carpit senatores, imagine Demosthenicæ eloquentiæ ad viuum expressa; nam quod ait de fulmine, quod omnes timent, nemo prohibet; hoc idem Demosthenes Philip. 3. dixit de grandine, cui Philippum comparat.*

VII. *In peroratione acri & aculeata planè apostrophe, quicquid reliquum est stomachi, in Lepidum erumpit. Mox collecta per Synathroismum, facinorum indignitate, omnium mentes mirificè incendit. Tum sub finem diluta paulisper atrocioris ingenii acerbitate suauioribus leni-*

lenimentis, senatum mitius ad dignitatem retinendam hortatur.

SVASIO BELLI CONTRA Romanos grauissima.

ORATIO GALGACI.

Ex Cornelio Tacito in vita Agricolæ.

Inuentio argumentorum est à necessario, facili, adiunctis Personarum. Dispositio grauiora initio præmittit, nec tamen deflectit in leuia. Elocutio grauis, neruosa, torrens, incensa, sublimis, sententiosa, hæc oratio inter optimas, & grauissimas censeri potest.

Exordium à ipso & fiducia.

QVoties causas belli, & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniæ fore. Nam & vniuersi seruitutis expertes, & nullæ vltra terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romana. *Ita prælium, atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignauis tutissima sunt.*

Priores pugnæ quibus aduersus Romanos varia fortuna certatum est, spem, ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniæ, eoque in ipsis penetralibus siti, nec seruientium littora aspicientes, oculos quoque à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum, ac libertatis extremos, recessus ipse, ac sinus famæ in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniæ patet, atque *omne ignotum pro magnifico est.*

Romanorũ sæuus dominatus.

Sed nulla iam vltra gens, nihil nisi fluctus, & saxa. Et inferiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium, & modestiam effugeris, *raptores orbis*, postquam *cuncta vastantibus defuere terra, & mare scrutantur.* Si locuples hostis est, auari; si pauper, ambitiosi; quos non Oriens, non Occidens satiauerit. *Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt.* Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium, atque vbi *solitudinem faciunt, pacem appellant.*

Liberi.

Liberos cuique, ac propinquos suos natura charissimos esse voluit: hi per delectus alibi seruituri auferuntur. Coniuges, sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum, atque hospitum polluuntur. Bona, fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum: corpora ipse ac manus, siluis ac paludibus emuniendis, verbera inter, ac contumelias conterunt. *Nata seruituti mancipia semel venumt, atque vltro à dominis aluntur, Britannia seruitutem suam quotidie emit, quotidie pascit.* Ac sicut in familia recentissimus quisque seruorum, & conseruis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu, noui nos, & viles in exilium petimur. Neque enim arua nobis, aut metalla, aut portus sunt, quibus exercendis reseruemur. *Virtus porro, ac ferocia subiectorum Brigantes ingrata imperantibus. Et longinquitas, ac secere populi. tum ipsum, quo tutius, eo suspectius.* Ita sublata spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Brigantes fœmina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri, & indomiti, & libertatem, non in præsentia laturi, primo statim congressu, vnde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit? An eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciuiam esse creditis? *Nostris illis discessionibus, ac discordijs clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt:* quem contractum ex diuersissimis gentibus, vt se cunda res tenent, ita aduersæ dissoluent: Nisi Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britannorum plerosque dominationi alienæ sanguinem commodantes, diutius tamen hostes, quam seruos, fide, & affectu teneri putatis. *Metus, & terror est*, infirma vincula charitatis. Quæ vbi remouebis, qui temerè defierint, odisse incipient: omnia victoriæ incitamenta pro nobis sunt. Nullæ Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt: ac nulla plerisque patria, aut alia est. Paucos numero circum trepidos ignorantia, cœlum ipsum, ac mare, & syluas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo, ac victos alij nobis tradiderunt. Nec terreat *vanus aspectus, & auri fulgor, atque argenti, quod neque tangit, neque vulnerat.* In ipsa hostium acie inueniemus nostras manus.

Discordiæ ciuium auget hostes.

Agnoscent Britanni suam caussam: recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vsipij

reli-

reliquerunt. Nec quicquam vltra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter malè parentes, & iniustè imperantes ægra municipia, & discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa, & metalla, & cæteræ seruientium pœnæ, quas in æternum proferre, aut statim vlcisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, & maiores vestros, & posteros cogitate.

OECONOMIA *orationis.*

Necessitas inuicta

I. *Exordium à spe, & fiducia: & potentissimum argumentum necessitas, τὸ τῆς ἀνάγκης ἀδήριτόν ἐστι σθένος, quod ait Aeschylus in Prometheo.*

II. *A superbia, fastu, & insolentia Romanorum, quæ res ad ingenuas mentes vlcerandas potentissima est: hinc se erigit inuectiua grauis, & amarulenta in eorundem auaritiam, rapinas, crudelitatem, quæ omnia grandibus, & acutis sententijs, quasi amento vibrata intimis defiguntur sensibus.*

III. *Et ne dum ad pompam hæc dicta videantur, succedit enumeratio detrimentorum grauissimorum, quæ ornatur per Antithesin. Tùm acre illud comparatum ductum à mancipijs postremo loco intentatur, quasi fulmen. E quid grauius dici poterat?* Mancipia semel væneunt, Britannia seruitutem suam quotidie emit.

Necessitas fortes facit.

IV. *Omnis spes solatij in tantis miserijs exclusa vehementer vrget, & incendit spem ex ipsa desperatione eliciens. Senec. lib. 1. ad Neronem.* Acerrima virtus est, quam extrema necessitas extundit.

V. *Argumentum est à minori ad maius. Nempe stimulantur exemplo inferiorum: ijs appositè narratis affertur, quod Brigantium oppidum Rhetiæ, duce fœmina pro libertate fecerit.*

VI. *Extenuantur hostes Romani, qui plus terroris habent, quàm virtutis, alienis, vt ait, discordijs clari. Similia habet Demosthenes Olynthiaca secunda numero 8. & 9.*

VII. *Adiunctum person. in Britannis, præclara ad bellum incitamenta vltimo loco afferuntur.*

VIII. *Minuitur terror hostium, præclaræ, & excelsæ spes proponuntur credularum mentium illecebræ, & sæpè ἀγρυπνούντων ἐνύπνια.*

IX. *Peroratio acris, & velox, per Antithetæ bonorum & malorum.*

DISSVASIO.

ORATIO MARCI VAlerij Coruini Dictatoris, ad coniuratos, & seditiosos milites, qua dehortatur à pugna contra patriam.

Inuentio argumentorum est ab adiunctis rerum, & personarum.

Dispositio sensim graditur ad maiora.

Elocutio est grauis, & splendida, & vt in re subita fieri oportuit, concisa.

DEos immortales, Milites, vestros publicos, meosque ab vrbe proficiscens ita adoraui, veniamque supplex poposci, vt mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam darent. Satis fuit, eritque, vnde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. Quod Deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, eius me compotem voti vos facere potestis, si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles, quos cernitis, patriæ vestræ esse, si hunc exercitum ciuium vestrorum: si me Consulem vestrum, cuius ductu, auspicioque, priore anno, bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cœpistis. Ego sum M. Valerius Coruinus, Milites: cuius vos nobilitatem beneficijs erga vos non iniurijs sensistis: nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis Senatus consulti author: in omnibus meis imperijs in me seuerior: quàm in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam maiestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt: ijs eram natus; id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, vt potuerim, tres & viginti annos natus Consul, patribus quoque ferox esse, non solùm plebi. Quod meum factum, dictumve Consulis grauius, quàm Tribuni audistis? Eodem tenore duos insequentes Consulatus gessi; eodem hæc imperiosa dictatura geretur, vt neque in hos meos, & patriæ meæ milites mitior, quàm in vos (horreo dicere)

Ex Liuio lib. 7.

Nobilem moderatio.

Imperij lex optima.

cere hostes. Ergo vos priùs in me strinxeritis ferrum, quam in vos ego, istinc signa canent, istinc clamor priùs incipiet, atque impetus, si dimicandum est. Inducite in animum, quod non induxerunt patres, auique vestri, non illi, qui in sacrum montem secesserunt, non hi, qui postea Auentinum insederunt. Expectate dum vobis singulis, vt olim Coriolano, matres, coniugesque crinibus passis obuiæ, ab vrbe veniant. Tum Volscorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieuerunt: vos Romanus exercitus non destiteritis impio bello? T. Quintio, quocunque istic loco, seu volens, seu inuitus constitisti, si dimicandum erit, tum tu in nouissimos te recipito: fugeris etiam honestius, tergumque ciui dederis, quam pugnaueris contra patriam. Nunc ad pacificandum benè, atque honestè inter primos stabis, & colloquij huius salutaris interpres fueris. Postulate æqua, & ferte: quanquam, vel iniquis standum est potius, quam impias inter nos conseramus manus.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium à religione, ad cuius memoriam feri etiam plerunque animi molliscunt. Habuit in mente Liuius Ciceronis orationes post reditum ad P. R. & pro L. Murana.*

II. *Adiuncta proponuntur grauissimarum & sanctissimarum rerum per enumerationem.*

III. *Ingeritur rerum antea benè gestarum memoria, & tractantur molliori articulo, vt facile irritabiles.*

IV. *Adiunctum personæ Corunini dehortantis grauiter amplificatum, hæc est Idæa, quam Rhetores Græci λαμπρὰν nominant.*

Moderatio in illustri fortuna amabilis.

V. *Vt dilecta persona facilè transfundit affectus, ideo suam charitatem in milites, & in summo excelsa fortunæ gradu modestiam commemorat, qua res non paruam habet commendationem; Magnum siquidem est, quod Plinius historicus dicit de Vespasiano Imperatore.* Nec quicquam in te mutauit fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantum posses, & velles.

VI. *Concessio grauis, & mollis ad milites leniendos opportuna, vbi ferocientibus animis per acrem ironiam, etiam atrocia facta concedi videntur, quò pudore victi desistant. Sic Pertinax apud Herodianum. Germanicus apud Tacitum, se gladijs percussorum offerunt, irritatos animos miseratione simul & verecundia frangunt.*

VII. *Apostrophe ad ducem, quem nomine appellans, blanda, & sapienti oratione demulcet.*

VIII. *Extremo loco conditiones ponit, æqua, & iniqua, quæ postularint, ipsis promittens.*

ORATIO MARCI Catonis Consulis, pro lege Oppia, contra mulierum luxuriam.

ARGVMENTVM.

Lex Oppia durante bello Punici temporibus lata in mulieres fuerat, quæ eas auri, & purpuræ ornamentis carere volebat.

Rebus iam pacatis, in pleno Reip. otio, & felicitate matronæ ius mundi muliebris repetunt, & abrogationem legis Oppiæ postulant, Cato hac oratione repugnat.

Inuentio argumentorum est ab authoritate legis, à disciplina maiorum, ab ingenio muliebri cupido, & indomito, à detrimentis, quæ ex luxu, & auaritia consequuntur.

Dispositio duas præcipuè partes amplectitur, legem, & censuram fœminarum.

Elocutio grandis, austera, sententiosa, Catonem vbique spirans.

SI in sua quisque nostrûm matrefamilias, Quirites, ius, & maiestatem viri retinere instituisset, minus cum vniuersis fœminis negotij haberemus, nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur, & calcatur, & quia singulas sustinere non potuimus, vniuersas horremus. Equidem fabulam, & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri a stirpe sublatum esse, ab nullo genere non æquè periculum est, si cœtus, & consilia, & secretas consultationes esse sinas. Atque ego vix statue- Ex Liuio.

re apud animum meum possem, vtrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur: quorum alterum ad nos Consules, reliquosque magistratus, alterum ad vos, Quirites, magis pertinet. Nam vtrum è republ. sit necne, id quod ad vos fertur, vestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, siue sua sponte, siue authoribus vobis, M. Fundani, & L. Valerij, facta est, haud dubiè ad culpam magistratuum pertinens, nescio, vobis Tribunis, an Consulibus magis sit deformis; vobis, si fœminas ad concitandas tribunitias seditiones iam adduxistis; nobis, si, vt plebis quondam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt.

Mulierum cœtus.

Item prehẽsatio & pugna pro mundo.

Equidem non sine rubore quodam, paulò antè per medium agmen mulierum in forum perueni. Quod nisi me verecundia singularum magis maiestatis, & pudoris, quàm vniuersarum tenuisset, ne compellatæ à Consule viderentur, dixissem. Qui hic mos est in publicum procurrendi, & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? istud ipsum suos quæque domi rogare non potuistis? An blandiores in publico, quam in priuato, & alienis, quàm vestris estis? Quamquam ne domi quidem vos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur, abrogarenturve, curare decuit Maiores nostri nullam, ne priuatam quidem rem agere fœminas sine authore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos (si Dijs placet) iam etiam rempublicam capessere eas patimur, & foro quoque, & concionibus, & comitijs immisceri. Quid enim nunc aliud per vias, & compita faciunt, quam quod aliæ rogationes Tribunorum plebis suadent, aliæ legem abrogandam censent? date frænos *impotenti naturæ, & indomito animali*, & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo fœminæ sibi, aut moribus, aut legibus iniunctum patiuntur: omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderant. Quid enim si hoc expugnauerint, non tentabunt? Recensete omnia muliebria iura, quibus licentiam earum alligauerint maiores nostri, per quæque subiecerint viris, quibus omnibus constrictas, vix tamen continere potestis. Quid? si capere singula, & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? Extemplo simul pares esse cœperint, superiores erunt. At herculè ne quid nouum in eas rogetur, recusant non ius, sed iniuriam deprecantur. Imò, vt quam accepistis, iussistis suffragijs vestris legem, quam vsu tot annorum, & experiendo comprobastis, hanc vt abrogetis: id est, vt vnam tollendo legem, cæteras infirmetis. *Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur si maiori parti, & in summam prodest.* Si quod cuiquam priuatim officiet ius, id destruet, ac demolietur: quid attinebit vniuersos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se, ac concione abstineant. Vt captiui ab Annibale redimantur parentes, viri, liberi, fratres earum! procul abest, absitque semper talis fortuna reip. sed tamen quum fuit, negastis hoc pijs precibus earum. At non pietas, sed solicitudo pro suis, sed religio congregauit eas. Matrem Idæam Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? vt auro, & purpura fulgeamus, inquit, vt carpentis, festis, profestisque diebus velut triumphantes de lege victa, & abrogata, & captis & ereptis suffragijs vestris per vrbem vectemur: ne vllus modus sumptibus, nec luxuriæ sit? Sæpè me querentem de fœminarum, sæpè de virorum, nec de priuatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus audistis, diuersisque duobus vitijs auaritia, & luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ego, quò melior, lætiorque in dies, fortuna reipublicæ est: quo magis imperium crescit, & iam in Græciam, Asiamque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas, eo plus horreo, *ne illæ res magis non cœperint, quam nos illas.* Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic vrbi: Iam nimis multos audio Corinthi, & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque, & antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. Hos ego malo propitios Deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus non virorum modò, sed etiam mulierum animos donis tentauit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat, tamen nulla accepit. Quam causam fuisse

Mulieres Romanæ non fuerũt ἀντεξούσιοι.

Mul. indomitum animal.

Lex nulla satis commoda omnibus.

Luxus Romanus pestringitur.

Mulierum antiquarũ frugalitas.

censẽ-

censetis? Eadem fuit, quæ maioribus nostris, nihil de hac re lege sanciendi: nulla erat luxuria, quæ coerceretur. Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic *cupiditates prius natæ sunt, quàm leges, quæ iis modum facerent.* Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis, & muneribus, nisi quia vectigalis iam, & stipendiaria plebs esse Senatui cœperat? itaque minime mirum est nec Oppiam, nec aliam vllam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret, quum aurum, & purpuram data, & oblata vltro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas vrbem circumiret, stantes in publico inueniret, quæ acciperent. Atque ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidem, aut rationem inire possum: nam vt quod alij liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris, aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid vnaquæque vestrum veretur ne in se conspiciatur? Pessimus quidem est pudor vel parsimoniæ, vel paupertatis: sed vtrumque lex vobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis. Hanc inquit ipsam exæquationem non fero, ita locuples, cur non insignis auro, aut purpura conspicior; *cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet? vt quod habere non possunt, habitura, si liceret, fuisse videantur?* Vultis hoc certamen vxoribus vestris injicere, Quirites, vt diuites id habere velint, quod nulla alia possit? pauperes ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Næ simul pudere quod non oportet, cœperit, quod oportet non pudebit; quæ de suo poterit, parabit; quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum, & qui exoratus, & qui non exoratus erit, quum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant: & quod maius est, legem, & suffragia rogant, & à quibusdam impetrant aduersus te, rem tuam, & liberos tuos, inexorabiles simus, lex modum sumptibus vxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites, futuram rem, quo fuit antequam lex de hoc ferretur, & hominem improbum non accusari tutius esset, quam absolui, & luxuria non mota tolerabilior esset, quam erit nunc ipsis vinculis solutis, *sicut fera bestia irritata, deinde emissa.*

Lex nulla, vbi nulla cupiditas.

Maritorum vxoriorum seruitus.

Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam censeo: vos quod faxitis, Deos omnes fortunare velim.

OECONOMIA orationis.

I. Exordium graue nimiam virorum indulgentiam perstringit, quod autem exstat de hac mulierum audacia exemplum, in Lemno insula contigit, & narratur ab Apollonio in Argonautico, Statio in Thebaide, Ouid. &c. Grauitatis fuit Insulam non nominare, ne ista enucleatius disquisisse videretur.

II. Ex eo statuit imprimis periculosa mulierum conciliabula, & huius authores licentia segillat, addita præclara, & illustri aduersus absentes mulieres sermocinatione.

III. Contra istam mulierum prehensationem, verecundiæ, & pudori sexui inimicam, disputat primum à lege maiorum, qua mulieres intra priuatos parietes sine vllo rerum administrandarum iure incluserunt. Hoc ipsum Cicero pro L. Murana, D. Ambros. in quæst. noui, & veter. test. Mulierem constat subiectam viri dominio esse, & nullam authoritatem habere. Nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec iudicare. *At Tullius in repub. non γυναικονόμον requirit Gracorum, sed censorem, qui doceat viros moderari vxoribus.*

Mulier exempers auctoritatis.

IV. Argumentatur à natura mulierum. Mulier indomitum animal, & licentia appetens, ideo freno moderationis coercendum. κρατῦσαι μὲν γὰρ οὐχ ὁμίλητὸν θράσος inquit *Aeschilus in Persis.*

V. Ab authoritate legis, quam minimè decet abrogare pro mulierum arbitrio, quibus si id semel concederetur, latius in dies manaret improbitas. Rem autem tractat falsis, & acribus tropis Stoice ingenio dignissimus, maximè vbi per sustentationem, & hunc mulierum cœtum & petitionem exagitat. Quod autem ait de matre Idæa, Cybeles simulachrum Pessinunte aductum intelligit, quod Claudia celebris illa Vestalis pertraxit, vt habet Plin. lib. 7. c. 35.

VI. Etiam si nulla lex esset opposita, tamen flagitiosa est hæc mulierum importunitas, quod præclarè exaggerat, ostendens à rei natura, & turpitudine petitionis indignitatem. Porrò contra huiusmodi luxum mulierum præclara scripserunt Tertullianus, & Cyprianus, li-

bro de disciplina & habitu Virginum, vbi hæc inter cætera: Ornamenta, ac vestium insignia, & lenocinia formarum, non nisi prostitutis, & impudicis fœminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est.

Mulierum luxus.

VII. *Iam planè agit Philosophum Stoicum, contra luxum ciuitatis grauius inuectus. Duo morbi reipub. curandi sunt* (inquit) *Auaritia, & Luxuria, qui in hac mulierum petitione se produnt, sed præcipuè,* sæuior armis.

Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.

Et is luxus etiam in statuis auro, argento, quo fit vt antefixa fictilia Deorum Romanorum rideantur, erant autem antefixa, quæ ex opere figulino tectis affigebantur sub stillicidio.

VIII. *Huic luxus intemperantiæ remedium opponit moderationem antiquarum matronarum, in respuendis donis,* quibus nulla lex fuit, cum nulla esset cupiditas. *Varr. l. 11. de vita P. R. de quo mulierum Romanarum veterum victu, & moribus, ex Catone, Gellius noct. Attic. lib. 10. cap. 23.*

Lex nulla, vbi nulla cupiditas.

Postquam obtrita hac moderatione natæ sunt cupiditates, tum cōdi leges cœperunt, vt lex Licinia, de moderatione agrorum, Cincia de muneribus: illius meminit Liu. l. 6. & 7. Huius Cornel. Tacit. lib. 13.

Lex Cincia. Aduocati prohibentur pecuniam capere.

Patres legem Cinciam flagitant, qua cauetur antiquitus, ne quis ob caussam orandam pecuniam, donumve accipiat.

IX. *Cupiditatem istam non modò ambitiosam ostendit, sed & rationis expertem. Neque enim caussam habet vllam indignationis, aut pudoris hæc petitio, cum lex æqua sit omnibus. Hinc solertissimè cupiditatis istius fontem indagat, dolent scilicet, diuites,* quod paupertas aliarum sub hac lege lateat, *Atqui hoc vanitatis est non ferendæ.*

X. *Perorat charactere orationis valde morato & ad formam,* ἀληθινοῦ λόγου, *vbi ostendit, Malum consequens ex ornamentorum concessione viris, & mulieribus importunum. Tum grauiter monet, ne luxuriam legis seueritate constrictam solutis demum vinculis, quasi bestiam à cauea in funus ciuitatis emittant. Eandem comparationem habet Cicero 4. ad Herenn. sed laxiorem.*

ORATIO LVCII VALERIJ Tribuni plebis, pro Mulieribus, contra legem Oppiam.

Inuentio. Relegit Catonis Argumenta. Dispositio est prudens, & facilis. Elocutio diserta, elegans, vrbana, quæ felicis ingenij lumen satis indicat.

Mulierum defensio.

SI priuati tantummodo ad suadendum, dissuadendumque id, quod à nobis rogatur, processissent: ego quoque, cum satis dictum pro vtraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra expectassem. Nunc quum vir grauissimus, Consul, M. Porcius, non *Authoritate solum, quæ tacita satis momenti habuisset,* sed oratione etiam longa, & accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere. Qui tamen plura verba in castigandis matronis, quam in rogatione nostra dissuadenda consumpsit, & quidem, vt in dubio poneret, vtrum id quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis authoribus fecissent.

Catonis authoritas.

Rem defendam, non nos, in quos iecit magis hæc Consul verbo tenus, quàm vt re insimularet. Cœtum, & seditiones, & interdum secessionem muliebrem appellauit. Quod matronæ in publico vos rogassent, vt legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace, & florente ac beata republica abrogaretis: Verba magna, quæ rei augendæ causa conquirantur, & hæc, & alia esse scio, & M. Catonem oratorem non solum grauem, sed interdum etiam trucem esse scimus omnes, quum ingenio si mitis. Nam quid tandem noui matronæ fecerint, quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? Nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? Tuas aduersus te origines reuoluam: accipe quoties id fecerint, & quidem bono semper publico. Iam à principio regnante Romulo, quum Capitolio à Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas prælium sedatum est? Quid? Regibus exactis, tùm Coriolano Martio duce, legiones Volscorum castra ad quintum lapi-

Mulierum cœtus vtiles.

lapidem posuissent, nonne id agmen, quo obruta hæc vrbs esset, matronæ auerterunt? Iam vrbe capta à Gallis, aurum, quo vrbs redempta est, nempe matronæ consensu omnium in publicum contulerunt. Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne, & cùm pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adiuuerunt ærarium? & quum Dij quoque noui ad opem ferendam dubijs rebus accerserentur, matronæ vniuersæ ad mare profectę sunt, ad matrem Idæam accipiendam? Dissimiles, inquit, causæ sunt. Nec mihi causas æquare propositum est: nihil noui factum, purgare satis est. Cæterum, quod in rebus ad omnes pariter viros, fœminasque pertinentibus, fecisse eas nemo miratus est, in causas propriè ad ipsas pertinente miramur fecisse? quid autem fecerunt? superbas medius fidius aures habemus, si, quum domini seruorum non fastidiant preces, nos rogari ab honestis fœminis indignamur. Venio nunc ad id, de quo agitur, in quo duplex Consulis oratio fuit. Nam, & legem vllam omnino abrogari est indignatus, & eam præcipuè legem, quæ luxuriæ muliebris coercendæ causa lata est. Et illa communis pro legibus visa consularis oratio est, & hæc aduersus luxuriam seueriſſimis moribus conueniebat.

Mulierum liberalitas in Rempu.

Itaque periculum est, nisi quid in vtraque vani sit, docuerim te, ne quis error vobis offundatur. Ego enim, quemadmodum ex ijs legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ vtilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam, aut vsus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit, sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, vt ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat, quæ in bello, pax, vt in nauis administratione, alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex vtro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus?

Leges pro tempore mutabiles.

An vetus regia lex simul cum ipsa vrbe nata? an (quod secundum est) à Decemuiris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta? sine qua cum maiores nostri nos existimarint matronale decus seruari posse: nobis quoque verendum sit, ne cum ea pudorem, sanctitatemque fœminarum abrogemus? Quis igitur nescit, nouam istam legem esse Q. Fabio, & Tito Sempronio Consulibus viginti annis ante latam? sine qua, quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogatâ eâ effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, vt finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret. Cur sit autē lata, ipsum indicauit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam habebat, ad vrbem Romam admoturus exercitum videbatur: defecerant socij: non milites in supplementum, non socios nauales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: serui quibus arma darentur, ita vt pretium pro illis bello perfecto dominis solueretur, emebantur.

In eandem diem, frumentum & cætera, quę belli vsus postulabant, præbenda, publicani se conducturos professi erant; seruos ad remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus. Aurum, & argentum omne, à Senatoribus eius rei initio orto, in publicum conferebamus, viduæ, & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant: cautum erat, quò ne plus auri, & argenti facti, quò ne plus signati argenti, & æris domi haberemus.

Tali eo tempore in luxuria, & ornatu matronæ occupatæ erant, vt ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit. Quum, quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, Senatus finiri luctum triginta diebus iussit. Cui non apparet, inopiam, & miseriam ciuitatis, & quia omnium priuatorum pecuniæ in vsum publicum vertendę erant, istam legem scripsisse, tandiu mansuram, quandiu causa scribendæ legis mansisset? Nam si quæ tunc temporis causa, aut decreuit Senatus, aut populus iussit, in perpetuum seruari oportet: cur pecunias reddimus priuatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur serui, qui militant, non emuntur? cur priuati non dabimus remiges? sicut tunc dedimus? Omnes alij ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum reipublicæ sentient, ad coniuges tantum nostras pacis, & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura viri vtemur, prætextati in magistratibus, in sacerdotijs: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur: magistratibus in colonijs, municipijsque, hic Romæ infimo genere magistris vicorum prætextę habendę ius permittemus: nec id vt viui solum habeant tan-

Cereris sacrum.

Purpura vilus.

Purpuræ iuris.

tùm insigne, sed etiam vt cum eo crementur mortui, fœminis duntaxat purpuræ vsu interdicemus? Et quum tibi viro liceat purpura in veste stragula vti, matrem familias tuã, purpureum amiculum habere non sines: *& equus tuus speciosius instratus erit, quàm vxor vestita.* Sed in purpura, quæ teritur, absumitur, non iustam quidem, sed aliquam tamen causlam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manupretium nihil interrimenti fit, quæ malignitas est? præsidium potius in eo est, & ad publicos, & ad priuatos vsus, sicuti experti estis. Nullam æmulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse aiebat. At hercule vniuersis dolor, & indignatio est, quum sociorum Latini nominis vxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint: quum insignes eas esse auro, & purpura: quum illas vehi per vrbem, se pedibus sequi: tanquam in illarum ciuitatibus, non in sua, imperium sit.

Virorum hoc animos vulnerare posset: quid mulierc̃larum censetis, quas etiam parua mouent? non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona, aut spolia bellica ijs contingere possunt: munditiæ, ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt, his gaudent, & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellãrunt maiores nostri.

Luctus sit deposita purpura.

Quid aliud in luctu, quam purpuram, atque aurum deponunt: quid quum eluxerunt, sumunt? quid in gratulationibus, supplicationibusq; nisi excellentiorem ornatum adijciunt? Scilicet, si legem Oppiam abroganeritis, non vestri arbitrij erit, si quid eius vetare volueritis, quod nunc lex vetat? minus filiæ, vxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam saluis suis exuitur seruitus muliebris, & ipsis libertatem, quam viduitas, & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum quam in legis malunt esse, & vos in manu, & tutela, non in seruitio debetis habere eas, & malle patres vos, aut viros, quã dominos dici. Inuidiosis nominibus vtebatur modo Consul, seditionem muliebrem, & secessionem appellando. Id enim periculum est, ne sacrum montem, sicut quondã irata plebs, aut Auentinum capiant. Parendum huic infirmitati est, quodcunque vos censueritis.

Potestas moderãda.

Quo plus potestis, moderatius imperio vti debetis.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium à persona aduersarii, & propositio dicendorum.*

II *Refellit primum, quod Cato de cœtu, & seditione mulierum dixerat: qui vt nimis atrocitur, & extra rem dicta, vrbano risu diluit, Catonem virum mitem, & trucem oratorem appellans: non esse autem nouum, mulierum cœtum fieri, quis alius tanto reipub. emolumento fuerit celebratus, vel ex ipsis Catonis originibus ostendit. Affert porro vulgatissima exempla Sabinarum, Marciæ & cæterarum matronarum, in dubiis, & formidolosis reipublicæ temporibus, vt bello Gallico, & Punico egregiè nauatam operam, non modo in pacandis discordiis, & in ærario suo cẽsu sustentãdo, sed in religionibus, & ceremoniis procurandis, quo in pietatis officio cæteris semper præluxere. Tum per præoccupationem concludit hunc locum: Si aliæ, inquit, vtiliter pro alijs conuenerunt, cur non in sua causa? Hoc quidem eis denegare, superbæ arrogantiæ est, cum & seruorum preces à dominis audiantur.*

III *Post diuisam, ad maiorem lucem distributionẽ, Catonis orationem, primum agit contra id, quod dixit de non abrogandis legibus, & ostendit aliquas pro temporibus vtiliter abrogari.* Sicut in nauis administratione, alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt.

IV. *Ad legem Oppiam singularem descendit, cuius non ipsis eam authoritatem probat, vt æterna seruari debeat, quod euincit maximè à tempore, & occasione legis, ipsiusque legislatoris consilio. Lata est in atroci belli Punici tempestate, non ad coercendum mulierum luxum, sed ad reip. subsidium. Nunc autem detersa huius temporis fuligine, res ipsa aliud suadet.*

Quod autem dixit de Cereris sacrificio, lugentibus matronis omnibus intermisso, hoc & alij meminere, à matronis quippe minimè atratis, quæ post Cannensem cladem non inueniebantur, celebrari oportebat: itaque senatus finiri luctum 30. diebus iussit. Vide Canter. Var. lect. lib. 2. cap. 21.

V. *A pari ostendit legem temporariam fuisse, cum cætera eius temporis sint antiquata. Solæ mulieres, quod per se durum est, huius pacis fructum non sentiunt.*

VI. *Argu-*

VI. *Argumentatur à natura rei, & ipso vsu purpura, quæ solet esse multis communis, nam & pueris, & magistris vicorum, non modo viuis, sed & mortuis conceditur, quinimo equis ipsi in quo per μείωσιν videtur purpuræ dignitatem extenuare, verum obiter animaduerto eandem suisse semper magnæ, & illustris fortunæ notam.* Purpura illustris fortuna nota. *Maximè verò sub Imperatoribus, quorum lacæ etiam leges exstant* ὥστε μηδαμῶς ἀλλαχόθι τὸ μέρος ὑφάνειν ἐνεδύσαμεν (*quod Leo tamen constitutione 80. permisit*) *Augustæ ipsæ non pariebant, nisi in purpura, siue, quod indicare videtur Themistius orat. 6. Ad Valentinianum, de purpureis* πορφύραις *intelligitur, siue de cubiculo* πορφύρᾳ, *de quo Anna Comnena lib. 6.* ἀφωρισμένων τοῖς λεκτίσαις τῶν βασιλίδων οἴκημα πορφύραν ὀνομάζουσιν. Leges de ea.

VII. *Animaduerte in eo hominis artificium, qui Catonis grauem, & seriam contra luxum orationem perpetuo facetijs infringere conetur. Indignum est equos (inquit) in vsu purpura matronas præcedere, qui non modo purpura instrati, sed gemmis quoque crescente luxu ornati sunt.*

Equi gemmis onusti. Equi radiantibus gemmis onusti antecedebant. *Sidon. Apollin ep. 20. lib. 4. Dehinc callide ad vsum auri delabitur. Esto vsum purpura tenacitas maritorum negabit, quia absumitur. At in auro nihil intertrimenti, sed solum* manupretium, *seu merces pro opera manus.*

VIII. *Refellit, quod postremum dixerat, nullam debere esse querimoniam, quod omnes in eo essent æquales. Imo (inquit) inde omnium iusta indignatio est, quod videant ea sibi Roma in luce terrarum erepta ornamenta, quibus latina liberè fruuntur, & hanc ignominiam grauius ferunt, quod affectibus magis hic sexus sit obnoxius.*

Γυναικεία φύσις ῥᾳδίως τῷ πάθει ἁλίσκομένη, *inquit Isidorus Pelusiota ep. 2. 6. ex eo.*

Pugnat cum motu pro mundo mulierum, quod hoc vno, & proprio sui sexus solatio, diutius sint orbatæ.

IX. *Et quia Cato his ornamentis mulieribus concessis virorum libertatem infringi contendebat, hoc refellit, & declarat maritorum imperium liberum, etiam si lex petitionem concedat, æquè semper futurum.*

X. *In peroratione demulcet viros disertus oratoꝛ fœminarum, monetq;. vt malint vxores in manu & tutela habere, quam in seruitio.*

Neque enim sunt famulæ, sed thalami socia. Idcirco præclarè animaduertit Proba Falconia, vbi agit de animantibus, & conformatione hominis. Quæritur huic alius net quisquam ex agmine tanto

Audet adire virum, sociumq; in regna vocari:
Omnipotens genitor costas, & viscera nudat,
Harum vnam iuueni laterum compagibus arctis
Eripuit, subitoq; oritur mirabile dictu, Mulier argumentum ingens.
Argumentum ingens.

GENVS DELIBERATIVVM.

Dissuasiones.

Ex Quinto Curtio.

SCYTHÆ LEGATI Oratio.

Dissuadet Alexandro Imperij propagandi cupiditatem. Hæc oratio, parua mole, magna sensibus, plena sententiarum gemmis, inter eximias censeri potest.

SI Dij habitum corporis tui auiditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, *altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres. Et hoc assequutus scire velles, vbi tanti numinis fulgor conderetur.* Sic quoque concupiscis, quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam.

Deinde, si humanum genus omne superaueris, cum syluis, & niuibus, & fluminibus, ferisque bestijs gesturus es bellum. Quid tu? ignotas magnas arbores diu crescere, vna hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non metitur: vide, ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis, quos comprehenderis, decidas.

Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit: & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab inualido.

Quid nobis tecum est? nunquam terram tuã attigimus. Qui sis, vnde venias, licetne ignorare in vastis syluis viuentibus? Nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus. Do-

na

Scytharum insignia.

na à nobis data sunt (ne Scytharum gentem ignores) iugum boum, aratrum, & sagitta, & patera. His vtimur, & cum amicis, & aduersus inimicos: fruges amicis damus boum labore quæsitas, patera cum his vinum Dijs delibamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Scythiæ Regem, & postea Persarum, Medorumque superauimus, patuitque nobis iter vsque in Ægyptum. At tu qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, *omnium gentium, quas adisti, latro es.* Lydiam cœpisti, Syriam occupasti, Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Iam etiam ad pecora nostra auaras, & instabiles manus porrigis.

Alexander omnium gentium latro.

Diuitiæ esurire cogunt.

Quid tibi diuitijs opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, vt quo plura haberes, acrius, quæ non habes, cuperes. Non succurrit tibi, quandiu circum Bactra hęreas? dum illos subigis, Sogdiani rebellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam vt maior, fortiorque sis, quàm quisquam, tamen alienigenam dominum nemo pati vult. Transi modo Tanaim, scies, quàm latè pateat, nunquam tamen consequeris Scythas. *Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit.* Rursus, quum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadē velocitate & sequimur, & fugimus. Scytharum solitudines Græcis etiam prouerbijs audio eludi. Nos deserta, & humano cultu vacua magis, quam vrbes, & opulentos agros sequimur. Proinde *fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec inuita teneri potest.* Salubre consilium sequens, quod præsens tempus ostendit melius, *Impone felicitati tuæ frænos: facilius illam reges.* Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet, quum manus porrigi, pinnas quoque comprehendere non sinit.

Denique, si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: Sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita.

Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui obliuisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris vti. Nam, & firmissima est inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse caue credas. *Inter dominum, & seruum nulla amicitia est*: etiam in pace: belli tamen iura seruantur. *Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem iurant.* Græcorum ista cautio est. Qui facta consignāt, & Deos inuocant: nos religionem in ipsa fide nouimus. *Qui non reuerentur homines, fallunt Deos.* Nec tibi amico opus est, de cuius beneuolentia dubites. Cæterùm nos, & Asiæ, & Europæ custodes habes. Bactra nisi diuidat Tanais, contingimus: vltra Tanaim vsque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam coniunctam esse fama est. Vtrique imperio tuo finitimos hostes, an amicos velis esse, considera.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium est ab ambitionis natura, cuius sitis nunquam expletur, sed Dei ipsius, qui sedet ἐν βυθῷ θεολαμπεῖ (vt loquitur Synesius) domicilium scrutatur.*

II. *Dissuadent Scythæ, primum à rerum magnarum periculis, quippe culmen excelsa fortuna lubricum. Similiter Herodotus in oratione Artabani* ὁρᾷς δὲ ὡς οἰκήματα τὰ μέγιστα ἀεὶ καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτα τοῦ κεραυνοῦ, ἐπισκήπτει βέλεα. *& Laberius: Summum ad gradum cum claritatis veneris, consistes, ægrè, & citius, quam ascendas decides.* *Magna quæque damnis obnoxia.*

III. *Periculum huius conditionis probant, quod magnis parua quæque etiam nocere possint.* Inimicum quamuis humilem docti est metuere. *Etiam capillus vnus habet vmbram suam. Pub. Syrus.* *Inimicus vbi contemnendus.*

IV. *Delabuntur ad hypothesin, & argumentantur à natura suæ gentis, quam bello lacessere, iniquum est, & temerarium, & minime ijs, qui aggressi fuerint, impunè. Quod autem hic affertur de donis Symbolicis, ductum à consuetudine Scytharum, cuius simile exemplum videas in muneribus ab Idanthura eiusdem gentis Rege, missis ad Darium. Clemens Alex. lib. 5 de quo dixi in Symbolis.*

V. *Egregia libertate carpitur Alexandri luxus, & in omnium rerum affluentia, inopia. Nam vt rectè ait Publius Syrus in mimis:*

Instructa inopia est, in diuitijs cupiditas. *Hoc ipsius Alexandri victoriarum decursu comprobatur.*

VI. *Ad hæc liberius minantur, nisi bene monentibus pareat, & contra eius arma, & diuitias obtendunt suam paupertatem, quam Dionysius Prusæus rectè* ἄσυλον χρῆμα *nominat.* *Paupertas sancta possessio.*

VII. *Proinde perorando hortantur, vt fortunam suam pressis manibus teneat.* Quippe fortunam citius reperias, quam retineas, *inquit idem* *Fortuna pictura.*

idem Syrus author. Addunt ad huius sententiæ confirmationem, ingeniosam Fortunæ in sua gente picturam, cum manibus, & pinnis, sine pedibus, quo significabant mobilem, & nullo loco consistentem. Contraria est fortuna Latinorum viscosa, quam puto sic nominatam, non quod homines eminus captet, sed quod constans sit, & permanens, quasi visco irretita. Talis ἄπτερος Νίκη apud Pompeium Poetam, & Mars Laconicus in vinculis apud Pausaniam.

Victoria implumis.

VIII. Potentissima vltimo loco adhibent argumenta apud ipsum Alexandrum, qui Dei nomen affectabat: monent quippe, vt sit beneficus in mortales, hæc enim expeditissima ad Dei similitudinem via. Ἀγαθοποιεῖν φύσις θεοῦ *(inquit Synesius)* sic itur in altera pectora. *Contrà, si vi homines subiugauerit, quot seruos, tot hostes habiturus est.*

Benefacere Deinatura.

IX. Postremo dicta, & oblatas conditiones sanciunt, non iureiurando, sed fide, quæ est antiquissimum numen.

Fides.

Ante Iouem genitam, decus diuumque, hominumque
Iustitiæ consors, tacitumque in pectore numen.
Silius Italicus.

NABARZANIS ORATIO ad Darium.

De prælio differendo, & abdicatione Imperij: Vafra, & callida.

Ex Q. Curtio.

SCio me, inquit, sententiam esse dicturum prima specie, haudquaquam auribus tuis gratam.

Sed medici quoque grauiores morbos asperis remedijs curant, & gubernator, vbi naufragium timet, iactura, quicquid seruari potest, redimit.

Ego tamen, non vt damnum quidem facias, suadeo, sed vt te, ac regnum tuũ salubri ratione conserues. Dijs aduersis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas vrgere non desinit. Nouis initijs, & hominibus opus est. Auspiciũ, & Imperium alij trade interim, qui tamdiu Rex appelletur, donec Asia decedat hostis. Victor deinde regnũ tibi reddat, hoc autem breui futurũ ratio promittit. Bactra intacta sunt: Indi, & Sagę in tua potestate, tot populi, tot exercitus, tot equitum, peditumque millia ad renouandum bellum vires paratas habent, vt maior belli moles supersit, quam exhausta sit. Quid ruinas belluarum ritu, in perniciem non necessariam?

Vita odiũ non est viri fortis.

Fortiorum virorum est magis vitam contemnere, quàm odisse vitam. Sæpè tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit.

Mortis cõtemptus.

Itaque vltimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, petimus, Præfectum regionis eius Bessum Regem temporis gratia, statuamus. Compositis rebus, iusto Regi tibi fiduciarium restituet Imperium.

OECONOMIA *orationis.*

I. Insinuatione vtitur Vulpes in re ambigua, proponens se austera quidem, sed salubria dicturum, ducto à medicis exemplo. Hanc similitudinem fusè prosequitur August. epist. 48. ad Vincentium, & ep. 1. ad Bonifacium, & Serm. 59. de verbis Domini. Cæsarius Arelatensis homil. 8. Philo Iudæus de sacrificijs.

II. Primò opponit religionem, & infelicitatem ad deterrendum Darium, quo prætextu ambitiosi, & improbi, vt videre est in varijs historijs, sæpè abuti solent: Quippe nihil efficacius multitudinem regit, &, vt ait Iustinus, lib. 8. Iure ille à Dijs proximus habetur, per quem Deorũ maiestas vindicatur. *Verum huiusmodi homines prætexti cœlo, captant terras.*

Dijs proximus quis.

III. Addit suæ fraudi delinimenta, & spes præclaras in posterum colligit ex adiunctis, si Darius tantisper huic infelicium rerum velut effuso torrenti se subtrahat.

IV. Quod vafræ artis est, etiam sententiosus est insidiator, quò sincerius loqui videatur, & facilius in errorem inducat. Sed χρυσὸν λαλούντων *suspecta prudentibus oratio.*

Calliditas blanda.

V. Ad summum rem de compacto gerunt perfidiosi, vt in Velabro Olearij.

Sic multi animus, quorum atroci iunctus malitia est,
Composita dicta ex pectore euoluunt suo,
Quæ cum componas dicta factis discrepant.
Accius in Emmonidibus.

ORATIO MARCI FVRII Camilli ad Pop. Rom. de non transmigrando Veios.

Hæc oratio vna est ex T. Liuij grauissimis concionibus. Inuentio argumentorum tota penè ab authoritate Religionis, & vrbis, Populi Romani gloria, & situs commodis. Dispositio à sacris transit ad humana. Elocutio grandis est, & paludata.

Ex Liuio l. 5. ab vrbe C.

ADeo mihi acerbæ sunt (Quirites) contentiones cum Tribunis plebis, vt nec tristissimi exilij solatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam quòd procul ab his certaminibus eram: & ab eadem hæc, non nisi me Senatusconsulto, Plebisque iussu reuocaretis, rediturus vnquã fuerim: nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit. *Quippe, vt in sua sede maneret patria, id agebatur, non vt ego vtique in patria essem.* Et nunc tacerem, & quiescerem libenter, nisi hæc quoque pro patria dimicatio esset: cui deesse, quoad vita suppeditat, alijs turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim repetijmus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus? Et cùm victoribus Gallis, capta tota vrbe, Capitolium tamen, atque arcem, Dijque, & homines Romani tenuerint, habitauerint: victoribus Romanis, recuperata vrbe, arx quoque, & Capitolium deseretur? *Et plus vastitatis huic vrbi secunda nostra fortuna faciet, quam aduersa fecerit?* Equidem si nobis cum vrbe simul positæ, traditæque per manus simul religiones nullæ essent, tamen tam euidens numen hac tempestate rebus adfuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum, vel secundas res, vel aduersas, inuenietis *omnia prosperè euenisse sequentibus Deos; aduersa, spernentibus,* iam omnium primum Veiens bellum, per quot annos, quanto labore egestum? non antè cepit finem, quam monitu Deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid hæc tandem vrbis nostræ clades noua? non antè exorta est, quam spreta vox cœlo emissa de aduentu Gallorum, quam gentium ius à Legatis nostris violatum: quam à nobis, quam vindicari deberet, eadem negligentia Deorum prætermissum? Igitur victi, captique, ac redempti, tantum pœnarum Dijs, hominibusque dedimus, vt terrarum orbi documento essemus. Aduersæ deinde res admonuerunt religionum: confugimus in Capitolium ad Deos, ad sedem Iouis Optimi Maximi: sacra in ruina rerum nostrarum alia terræ celauimus, alia auecta in finitimas vrbes amouimus ab hostium oculis: Deorum cultum, deserti ab Dijs, hominibusque, tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquũ belli decus amissus: & in hostes, qui cæci auaritia, in pondere auri, fœdus, ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque, & cædem. Hæc culti, neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes, ec quid sentitis (Quirites) quantum vix dum ex naufragijs priotis culpæ, cladisque emergentes, paremus nefas? Vrbem auspicatò, inauguratoque habemus conditam: nullus locus in ea non religionum, Deorumque est plenus: sacrificijs solemnibus non dies magis sti, quam loca sunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos publicos, priuatosque, Quirites, deserturi estis? quam par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente Fabio, non minore hostium admiratione, quam vestra conspectum est, cum inter Gallica tela digressus ex arce, solemne Fabij gentis in colle Quirinali obijt: An gentilitia sacra, ne in bello quidem intermitti, publica sacra, & Romanos Deos, etiam in pace deseri placet? & Pontifices, flamineque negligentiores publicarum religionum esse, quam priuatus in solemni gentis fuerit: Forsitan aliquis dicat, aut Veijs ea non facturos, aut huc inde missuros sacerdotes nostros, qui faciant, quorum neutrum fieri saluis ceremonijs potest. Et ne omnia generatim sacra, omnesque percenseam Deos, in Iouis epulo non alibi, quàm in Capitolio, puluinar suscipi potest? Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperij pignus custodia eius templi tenetur loquar? quid de ancilibus vestris? Mars Gradiue, tuque Quirine pater, hæc omnia in profano deseri placet sacra, æqualia vrbi, quædam origine vrbis vetustiora? & videte, quid inter nos, & maiores nostros interfit: Illi sacra quædam in monte Albano, Lanuuinoque

Patria religio.

Aliud.

Roma Deorum plena.

Fabij religio.

nobis,

nobis facienda tradiderunt. An ex hostium vrbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit : hinc fine piaculo in hostium vrbem Veios transferemus ? Recordamini, agite, dum quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia, casuve prætermissum est. Modo, quæ res post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum, auspiciorumque renouatio, affectæ Veienti bello reipublicæ remedio fuit ? At etiam tanquam veterum religionum memores, & peregrinos Deos transtulimus Romam, & instituimus nouos. Iuno regina transuecta à Veijs nuper in Auentino, quàm insigni ob excellens matronarum studium, celebrique dedicata est die ? Aio locuto templum propter cœlestem vocem exauditam in noua via iussimus fieri: Capitolinos ludos solemnibus aliis addidimus, collegiumque ad id nouum authore senatu condidimus. Quid horum opus fuit suscipi, si vrbem Romanam vna cum Gallis relicturi sumus? si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis? si ab hostibus metu retenti sumus ? De sacris loquimur, & de templis, quid tandem de sacerdotibus ? nonne in mentem venit, quantum piaculum committatur ? Vestalibus nempe vna illa sedes est, ex qua eas nihil vnquam, præterquam vrbs capta, mouit. Flamini Diali noctem vnam manere extra vrbem nefas est: Hoc Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes? & vestales tuæ te deserent Vesta ? & flamen peregrè habitando in singulas noctes tantum sibi, reique publicæ piaculi contrahet ? Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui obliuioni, aut cui negligentiæ damus ? Comitia curiata, quibus Consules, tribunosque militares creatis : vbi auspicato, nisi vbi assolent, fieri possunt? Veiosne hæc transferemus ? an comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab Dijs, hominibusque vrbem conueniet ? Sed res ipsa cogit vastatam incendijs, ruinisque relinquere vrbem, & ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare : hanc autem iactari magis causam, quam veram esse, vt ego non dicam, apparere vobis (Quirites) puto, qui meministis ante Gallorum aduentum saluis tectis publicis, priuatisque stante incolumi vrbe, hanc eandem rem actam esse, vt Veios transmigraremus. Et videte quantum inter meâ sententiam, vestramq; interfit. Tribuni vos, etiamsi tunc faciendum non fuerit, nunc vtique faciendum putatis : ego contra (nec id mirati fitis, priusquam quale sit audiueritis) etiamsi tunc migrandum fuisset incolumi tota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem. Quippe tum causa nobis in vrbem captam migrandi victoria esset gloriosa nobis, ac posteris nostris, nunc hæc migratio nobis misera, & turpis, Gallis gloriosa est. Non enim reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbimini. Hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbs, hoc circumsessum Capitolium necessitatis imposuisse, vt deseremus Penates nostros, exiliumque, ac fugam nobis ex eo loco conscisceremus, quem tueri non possemus ? Et Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse. Quid restat, nisi vt si iam nouis copijs veniant, (constat enim vix credibilem multitudinem esse) & habitare in capta abs se, deserta à nobis. Hac vrbe velint, sinatis? Quid si non Galli hoc, sed veteres hostes nostri Æqui, Volsciique faciant, vt commigrent Romam ? Velitne illos Romanos, vos Veientes esse ? *Nonmalitis hanc solitudinem vestram, quam vrbem hostium esse ?* Non equidem video, quid magis nefas sit. Hæc scelera, quia piget ædificare, hæc decora pati, patati estis ? Si tota vrbe nullum melius, ampliusue tectum fieri possit, quam casa illa conditoris est nostri, non casis ritu pastorum, agrestiumque habitare est satius inter sacra, penatesque vestros, quam exulatum publice ire? Maiores nostri conuenæ, pastoresque, quùm in his locis nihil præter syluas, paludesque esset, nouam vrbem, tam breui ædificauerunt, nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis Deorum, ædificare incensam piget? Et quod singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico incendio vniuersi recusamus facere ? Quid tandem si fraude, si casu Veijs incendium ortum sit, ventoque, vt fieri potest, diffusa flamma, magnam partem vrbis absumat? Fidenas inde, aut Gabios, aliamue, quam vrbem quæsituri sumus, quo transmigremus ? Adeo nihil tenet solum patriæ, nec hæc *terra quam mater appellamus : sed in superficie, tigniſque caritas nobis patriæ pendet ?* Equidem fateor vobis (& si minùs iniuriæ vestræ, quam meæ calamitatis meminisse iuuat) quùm obessem, quotiescunque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant: colles, campique

Albanus lacus.

Iuno Regina.

Flamen Dialis.

Patriæ amor.

Religionis vis.

pique, & Tyberis, & assueta oculis regio & hoc cœlum, sub quo natus, educatusque essem. Quæ vos (Quirites) nunc moueant potius charitate sua, vt maneatis in sede vestra, quàm postea, quùm reliqueritis ea macerent desiderio. Non sine caussa Dij, hominesque hunc vrbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quò ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quò maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italiæ medium. Ad incrementum vrbis natum vnice locum, argumento est ipsa magnitudo tam nouæ vrbis.

Romæ situs.

Trecentesimus sexagesimus quintus annus vrbis, Quirites, agitur. Inter veterrimos populos tamdiu bella geritis, cum interea (ne singulas loquar vrbes) non coniuncti cum AEquis Volsci, tot, tam valida oppida, non vniuersa Etruria tantum terra, marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis est par. Quòd quùm ita sit, quæ (malum) ratio est expertis alia experiri? Quùm iam vt virtus vestra transire aliò possit, fortuna certè loci huius transferri hinc non possit? Hic Capitolium est, vbi quondam capite humano inuento, responsum est, eo loco caput rerum, summaque imperij fore. Hic, cum auguratò liberaretur Capitolium, Iuuentas, Terminusque maximo gaudio Patrum nostrorum moueri se non passi: hic Vestæ ignes, hic ancilia cœlo demissa, hic omnes propitij manentibus vobis Dij.

Iuuentas Terminus.

OECONOMIA orationis.

I. A persona aduersariorum exorditur, in odium adducit, suam vero in patriam charitatem commendans beneuolentiam conciliat.

II. Primum argum. à repugnantibus. Absurdum vrbem tanto sudore, & sanguine seruatam relinquere, vt plus vastitatis secunda fortuna, quam aduersa fecisse videatur.

III. A religione Deorum, quod est potentissimum argumentum. Nam, vt ait Aristoteles, septimo Politicorum, capite octauo, πρῶτη ἡ περὶ θεῶν ἐπιμέλεια, *& Nicoph. Gregor. libro tertio, qui religionem cum vita ciuili apte coniungit,* οὗτος λαὸν ἀδηγεῖ εἰς τὰ βέλτιστα, καὶ σωτήρια κράτισος. *Potentissimus est dux ad optima quæque, & populi salutem. Contra.*

Dij multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ.

IV. Colligit præsentiam Deorum ab enumeratione effectorum, ostendens quomodo sæpe rebus turbidis, & formidolosis adfuerint, & spreti, pœnas incusserint. Commemorat autem Albanium lacum, Aium, & Fabij legatos. Albani lacus insigne prodigium notat Plutarch. in Camillo, qui æstate sicca cum cæteri amnes exarescerent, tam violentus intumuit, vt in summos colles restagnaret.

Vox Aij loquutij fuit, quæ præmonuit Romanos de aduentu Gallorum Liuius libro quinto. Cicero primo de Diuinatione. Plutarchus in Camil.

Quod ad legatos attinet, hoc Liuius explicat libro quinto. Legati Fabij tres ad Gallos missi contra ius gentium, armis sumptis tumultum fecerunt.

V. Præmunitis terrore Deorum animis transit ad vrbis auspicia, & sacra, in qua nullus locus, qui non religionum, Deorumq́, sit plenus, sacrificijs etiam certis sedibus addictis, quæ piaculum est (inquit) deserere. De ijs legendum Plutarch. in Romulo, & Numa, & Dionysius Halicarnassensis libro primo, &c.

VI. Argumentatur ab exemplo C. Fabij, cuius adhuc recens memoria. De quo hæc habet Valerius Maximus libro primo. C. Fabius Dorso Gabinio ritu cinctus manibus, humerisque sacra gerens per medias hostium stationes, in Quirinalem collem peruenit: vbi omnibus solemni more peractis, in Capitolium post diuinam venerationem victricium armorum perinde, ac victor redijt.

C. Fabij pietas.

VII. Occurrit obiectioni eorum, qui Romanos, aut sacra Veijs facturos dicerent, aut Romam sacerdotes missuros, qui procurarent; quod & incommodum esse, & saluis ceremonijs fieri non posse ostendit. Porro puluinaria sunt lecti in Deorum festis, & sacrificijs strati. Vnde Iuuenal. Satyr. 6. Puluinar Imperatoris dixit pro lecto, propter sacram maiestatem.

Puluinar.

Signum vero Iouis Capitolini, lapis Capitolinus dicitur à D. Augustino libro secundo de ciuitate Dei, capite vigesimo nono, vnde Iouē lapidem iurare, ob lapidum simulachrum. Post hæc sacra commemorata Deos per apostrophen commodè alloquitur, & populo ab exemplis maiorum

ierum vehementes patriæ superstitionis injicit faces.

VIII. *Non tanti mpatrij Dij curandi sunt, sed & peregrini, qui cum hospitio excepti fuerint, sine piaculo deseri non possunt. Hæc superstitionis deliramenta. Certè* Romæ diligentissima superstitione habebatur collectum quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum (*inquit*) *Sanctus Leo, serm.1. de SS. Apostolis. Imo autem, cuius hic meminit, fuit Reginæ nomine consecrata. Hæc Regina cœli, dolum quippe, perstringitur à Prophetis in sacris. Vt Ierem.7. facere* placentas Reginæ cœli. *Alij tamen per Reginam cœli putant illic intelligi stellam Veneris, vel Lunæ, quæ clarissima face conspicua, cœli militiæ instar Reginæ præesse videtur.* Regina cœli.

Vnde lapidem pellucidum, & eximium instar Luciferi in fronte Moloch idoli sculptum, ab Ethnicis, commemorat Oecumenius in Actor. 7. de quo Amos cap. 5. Sidus Dei vestri. *Vbi Septuaginta sidus Dei vestri ἐμφὰν. quod nomen ἀμάυρωσιν in derisionem idoli, nonnulli Græci interpretes verterunt.* ἐμφὰν quid.

IX. *A Diis transit ad sacerdotes, quos nefas, ait, auchere ex isto sacrorum domicilio, quod semper incoluere, & cum flamini Dialinoctem vnam manere extra vrbem nefas sit, quid futuram est, si per singulas noctes peregre habitaret?*

X. *A Comitiis vrbis, quæ auspicato aliis in locis fieri non possunt.*

XI. *Occurrit obiectioni, & fontem huius consilij aperit, quod est prudentis eloquentiæ. Vbi enim ars rationum, quibus potissimum aduersarij innituntur obsessa est facilius iter patet ad reliqua. Occasio autem huius migrationis, quæ pratexebatur, erat ædificandi difficultas, & populi inopia, idcirco infracti animi imbecillitatem nunc sanare contendit.*

XII. *Idcirco à religione transit ad gloriam P.R. cui in hac migratione pessima dedecoris nota inuretur. Ad Alliam autem flumen, cuius hic meminit, à Gallis Romani concisi, vnde Allienses dies. Festus* Allienses dies dicebatur apud Romanos obscœnissimi ominis, ab Allia fluuio, scilicet vbi Romanus fusus à Gallis exercitus. Allienses dies.

XIII. *Vrget à nomine Romano & grauiter inertiam perstringit. Aristides præclare de hac Romani nominis gloria,* καὶ τὸ Ρωμαίων ἔθνος ἐποίησατε οὐ πόλεως ἀλλὰ γένους ὄνομα κοινὸν ἅπασιν. *Orat.14. in Romam, quasi dicat et idem est* Romanum esse, ac orbis terrarum ciuem. Romani Ciues mundi.

XIV. *Pergit segnes animos inflammare, maximè à charitate patriæ, ex quo consurgit gratus, morata, & ad persuadendum efficax oratio, motibus etiam peropportunis incensa.*

XV. *Addit in argumentum vtilitatis, quæ gloriæ annecti debebat, Romæ situm, & commoda, De hac re legendus Aristid. oratione in Romam.* καλὸν πεδίον ἀκροις πρῶνας, καλὸν πλάτος ἢ τὴν ὑπὸ μέσον γῆν καταβαίνει δὲ μέχρι κοίλης θαλάττης. Romæ magnitudo.

XVI. *Ad summum sequitur peroratio, cui etiam grauiores, sanctioresq; apud P.R. historias de industria seruauit, vbi quod capite humano in Capitolij fundamentis reperto ait, nota Toli Vulcentani caput fuisse, quod Arnobius libr.6. aduersus gentes istarum rerum indignator accuratissimus notat his verbis.* Capitolium.

Regatoris in populi Capitolio, quis est hominum qui ignoret Toli esse sepulchrum Vulcentani? Quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus, caput hominis euolutum, non ante plurimum temporis, aut solum sine partibus cæteris, hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia sortutum? & cætera, quæ fusè exequitur exagitans hanc vanitatem. Toli caput.

ORATIO MARII AD QVIrites de se, & de ea, quam parabat in Africam expeditione.

Ex Salustio.

Mirificè compositæ est ad C. Marij ingenium hæc oratio. Est enim laconica, grandis, stricta, neruosa, sublimis, sine arte artificiosissima.

SCio ego, Quirites, pleroſq; non ijsdem artibus imperium à vobis petere, & postquā adepti sunt, gerere: primò industrios,

supplices, modicos esse, deinde per ignauiam, & superbiam ætatem agere. Sed mihi contra videtur. Nam, quo vniuersa respub. pluris est, quàm consulatus, aut prætura, eo maiore cura illam administrari, quàm hæc peti debere. Neque me failit, quantùm cum vestro maximo beneficio negotij sustineam. Bellum parare simul, & ærario parcere: cogere ad militiam eos, quos nobis offendere, domi forisque omnia curare, & ea agere inter inuidos, occursantes, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc alijs, si deliquere, vetus nobilitas maiorum: fortia facta cognatorum, & affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: *mihi spes omnes in memet sita, quas necesse est virtute, & innocentia tutari: nam alia infirma sunt.* Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conuersa esse, æquos, bonosque fauere (quippe beneficia mea in rempub. procedunt) nobilitatem locum inuadendi me quærere. Quo mihi acrius adnitendum est, vt neque vos capiamini, & illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis à pueritia fui, vt omnes labores, & pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea vti mercede accepta deleram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulauere: mihi, qui omnem ætatem *in optimis artibus egi, benefacere iam ex consuetudine in naturam vertitur.* Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis: quam rem nobilitas ægerrime tulit. Quæso reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit, ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendij: scilicet, vt in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo sui officij monitorem: Ita plerumque euenit, vt quem vos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui postquam consules facti sunt, acta maiorum, & Græcorum mil taria præcepta legere cœperint, præpostere homines. Nam legere, quam fieri tempore posterius re, atque vsu prius est.

Virtus.

Benefacti bonorum natura.

Experientia.

Comparate nunc, Quirites, me hominem nouum cum illorum superbia. Quæ illi audire, & legere solent, eorum pattem vidi, alia egomet gessi; quæ illi literis, ea ego militando didici. Nunc vos existimate facta, an dicta pluris sint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam: mihi fortuna, illis probra obiectantur. *Quanquam ego naturam vnam, & communem omnium existimo: sed fortissimum quemque generosum esse.* Ac si iam ex partibus Albani, aut Bestiæ quæri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis? nisi se libetos quàm optimos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciant id maioribus suis, quibus, vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo: ergo inuideant labori, & innocentiæ, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cœpi. Verum homines corrupti superbia ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant: ita hos petunt, quasi honestè vixerint. Næ illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expectant, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam quum apud vos, aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant, quod contra est. Nam quantò vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet: Maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neq; mala, in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id, quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est, quam certè peperisse me, quam acceptam corrupisse melius est. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abundè illis facundam, & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me, vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: *ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Nam me quidem ex animi mei sententia, ladere nulla oratio potest: quippe vera, necesse est bene prædicet; falsam vita, moresque mei superant, sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem, & maximum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num eorum pœnitendum sit. Non possum, fidei caussa, imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare: At, si res posset, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore.

Nobilitas vera.

Imagines nobilium.

Fortis ex ignauis.

Hæ

Phalerae. Eloquentia in militare non requiritur.

Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hæreditate relicta (vt illa illis) sed quam ego plurimis meis laboribus, & periculis quæsiui. Non sunt composita verba mea: parui id facio: ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, vt turpia facta oratione tegant. Neque literas Græcas didici, parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa multo optima Reipublicæ doctus sum hostem ferire, præsidia agitare, *nihil metuere nisi turpem famam*, hyemem, & æstatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam, & laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor: neque illos arctè colam, me opulenter: neque gloriam meam labore illorum faciam. Hoc est vtile, hoc ciuile imperium.

Namq; quum tu per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non Imperatorem esse. Hæc atque alia maiores vestri faciendo, seque, & Rempublicam celebrauere. Queis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit, & omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos à vobis repetit. Cæterum homines superbissimi procul errant.

Maiores eorum omnia, quæ licebat illis, relinquere, diuitias, imagines, memoriam sui præclaram: *virtutem non relinquere, neque potuerant; ea sola neque datur dono, neque accipitur.* Sordidum me, & incultis moribus aiunt: quia parum scitè conuiuium exorno, neque histrionem vllum, neq; pluris pretij coquum, quam villicum habeo, quæ mihi libet confiteri, Quirites. Nam, & ex parente meo, & ex alijs sanctis viris ita accepi.

Virtus.

Coquus.

Labor virorum munditia.

Munditias mulieribus, viris laborem conuenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam diuitiarum esse: arma non suppellectilem decori esse.

Quin ergo, quod iuuat, quod charum æstimant, id semper faciant, ament, potent. vbi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conuiuijs dediti ventri, & turpissimæ parti corporis? *sudorem, pilluerem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt.* Verum non est ita, nam vbi se omnibus flagitijs decorauere turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita iniustissimè luxuria, & ignauia, pessimæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt: Reip. innoxiæ cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi: pauca de repub. loquar.

Sudor hereditas fortium.

Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam, quæ ad hoc tempus Iugurtham tuta sunt, omnia remouistis, auaritiam, imperitiam, atque superbiam: deinde exercitus ibi est, locorum sciens, sed me hercule magis strenuus, quàm felix. Nam magna pars eius auaritia, aut temeritate ducum attrita est.

Et quamobrem vos, quibus militaris est ætas, adnitimini mecum, & capessite rempublicam, neque quemquam ex calamitate aliorum, aut Imperatorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, atque in prælio consultor idem, & socius periculi vobiscum adero: me, vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto, Diis iuuantibus, omnia matura sunt, victoria, præda, laus, quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reip. subuenire decebat. *Etenim nemo ignauia immortalis factus est*: neque quisquam parens liberis, vt æterni forent, optauit, magis vti boni, honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent: Nam strenuis, abundè dictum puto.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium à persona aduersariorum, quos obliquè in odium adducit, sibi à suo in Rempub. animo beneuolentiam concilians, vt qui duram prouinciam lubenter pro salute publica sustineat.*

II. *Expositio suæ vitæ, quam perpetuæ antithesi comparat cum nobilium fastu, mollitie, imperitiâ: vt sibi gratiam apud populum, & honorifica munera, illis vero ereet infamiam. Hinc oratio etiam in hoc ingenuo candore plena maiestatis, & veluti toris elata consurgit: Optimæ porro artes, quarum hic meminit, sunt labor militaris, disciplina industria, frugalitas, Olim veri boni propriè fortes in bello: vnde Graecorum ἀριστεῖς. Quin milites in sacramento militiæ, promittebant, virum bonum, quod dicui alibi.* Forta: qui.

III. *Et quoniam vnum nobilitatis præsidium erat in fumosis imaginibus, & veterum vmbris collatum, hanc arcem communi loco contra flagitiosam nobilitatem quasi machina, fortiter intentato concutit.*

Pari

Nobilitas virtus. *Pari siquidem omnes conditione nascimur, sola virtute distinguimur.*

Philo Iudæus libro de gigantibus, tria hominum genera distinguit, homines terræ, homines cœli, homines Dei. Homines terræ sunt omnes, qui ad caras terrenas, corporisq; voluptates sunt proiecti, licet prosapiâ, & opibus polleant.

Hominum 3. genera.

Homines cœli sunt literati ἐπιστήμονες καὶ φιλομαθεῖς. *Homines Dei, sunt sacerdotes, & Prophetæ, qui vitæ puritate, & contemplationis magnitudine seiuncti à sensibus, in mundum intellectualem demigrarunt, iam Angelorum ciuitati inscripti. Eius verba sunt.*

Homines terræ qui?

Homines cœli.

Τὸ δ' αἰσθητὸν πᾶν, περικύψαντες, εἰς τὸν νοητὸν κόσμον μετανέσθησαν, κακεῖθι ὠκήσαν ἐγγραφέντες ἀφθάρτων καὶ ἀσωμάτων ἰδεῶν πολιτείᾳ. *Et hæc verba nobilitas.*

Homines Dei.

IV. *Deinde quod artificiosum est aduersariorum eloquentiam in eorum damnum vertit, sua infantia, quasi innocentiæ præclaro argumento gloriosus.*

Non placuit, inquit, reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret, hoc est, ne quis silentium meum malæ conscientiæ notam existimaret: Tum respondet non insidiantis eloquentiæ fuco, sed prolatis donis militaribus, & cicatricibus: Hæc enim eloquentia C. Marij, hæ sunt imagines. Quid hac oratione efficacius, aut grãdius? Quod autem hic habet de sua inscitiâ, hoc Plutarch. refert, in Mario quippe dicebat γέλοιον γράμματα μανθάνειν, ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις. *Ridiculum esse, literas à mancipiis doctoribus (Græcos sugillans) ediscere.*

Græcæ licetæ.

V. *Excusat morum rusticitatem, quam cum luxu, & mollitia aduersariorum comparatam magni sibi decoris instar esse ostendit. Plena autem est acrimonia, & maiestatis oratio, grandibus etiam sententiis, quasi vestis gemmis illuminata. Quid autem grauius & illuminatius esse potest, quam cum delicias aduersarijs concedit, sibi sudorem, & puluerem quasi propriam hæreditatem. Hæ sunt virtutis notæ. Seneca de vita beata, virtutem in templo inuenies, in foro, in curia stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus. Contra voluptas,* θρυπτικὴ, ἐπτοχρισος χλαινιδέοις ἐξηνθισμένη, *vt describitur apud Maximum Tyrium oratione quarta.*

Virtus.

Voluptas.

VI. *Transit ad statum belli, de quo & bonam spem P. R. ingerit, & strenua ad milites hortatione concludit, illud subinde inculcans.*

Neminem ignauia immortalem factum. Quò spectant ea, quæ habet Cicero 2. de legibus.

Olla propter quæ datur homini ascensus in cœlum mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumq; laudum delubra sunto, nec vlla vitiorum solemnia, obeunto.

ORATIO P. VALERII Publicolæ Consulis ad Tribunos, omnemque plebem.

ARGVMENTVM.

Exules seruiq; arcem Romanam nocte ad magnum numerum duce App. Herdonio occupauerunt. Quod vbi compertũ fuit, reliquum noctis in armis Romani egerunt, ignari, qui homines, quantusque numerus hostium esset. Postero die, cum Herdonius consilium, voluntatemq; suam declarasset, tum quoque Trib. pleb. non bellum illud, sed imaginem modò contendebant ad auertendos à legis cura plebis animos. Populum itaq; ab armis discedere iubent. Quod cum Patribus nuntiatum esset, P. Valerius ex curia in templum ad Tribunos veniens, de periculo cum ijs primum, deinde cum plebe sic egisse fertur.

Ex T. Liuio.

QVid hoc rei est Tribuni? Appij Herdonij ductu, & auspicio Remp. euersuri estis? tã felix vobis corrumpendis fuit, qui seruitia vestra non commouit author. Quum hostes supra caput sint, discedi ab armis, legesq; ferri placet? *inde ad multitudinem oratione conuersa.* Si vos vrbis Quirites, si vestri nulla cura tangit; at vos veremini Deos vestros ab hostibus captos! Iupiter optimus maximus, Iuno regina, & Minerua, alij Dij,

Dij, Deæque obsidentur: Castra seruorum publicos vestros Penates tenent: hæc vobis forma sanæ ciuitatis videtur? Tantum hostium non solum intra muros est, sed in arce supra forum, curiamque, comitia interim in foro sunt, Senatus in curia est: velut cum otium superat: Senator sententiam dicit, alij Quirites suffragium ineunt. Non quicquid patrum, plebisque est, Consules, Tribunos, Deos, hominesque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare, ac pacare augustissimam illam domum Iouis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his ijsdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ, iube hanc ingredi viam, quam tu dux, quam tuus ingressus exercitus est. Primus en ego Consul quantum mortalis Deum possum, te ac tua vestigia sequar.

OECONOMIA *orationis.*

I. Propositio periculi, & hortatio ad depellendum.

II. Argumenta petuntur à sacris quæ in istis adhortationibus primum locum obtinent. Vide orationem Camilli de migratione, in qua hunc locum fusius pertextum inuenies.

III. Concluditur per Apostrophum ad Romulum, similiter Germanicus apud Tacitum libro primo, cum ad compescendam militum seditionem peroraret, Augusti mentem inuocauit. Tua diue Auguste cœlo recepta mens, *Tua Pater Druse imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos iam pudor, & gloria intrat, eluant hanc maculam.*

Argumenta à religione petita valida.

XERXIS ORATIO.

Oratio antiquum candorem minimè elaborati sermonis sapit.

Ex Herodoto.

Ὦ Πέρσαι, τῶν δὲ ἐγὼ ὑμέων χρῄζων, ὑμέας συνέλεξα, ἄνδρας τε γίνεσθαι ἀγαθοὺς, καὶ μὴ καταισχύνειν τὰ πρόσθεν ἐργασμένα Πέρσῃσι, ἐόντα μεγάλα τε καὶ πολλοῦ ἄξια. ἀλλ' εἷς τε ἕκαστος καὶ οἱ σύμπαντες προθυμίην ἔχωμεν· ξυνὸν γὰρ τοῦτ' πᾶσι ἀγαθὸν σπεύδεται. τοῦ δὲ καὶ εἵνεκα προαγορεύω ἀντέχεσθαι τοῦ πολέμου ἐντεταμένως. ὡς γὰρ ἐγὼ ταυθάνομαι, ἐπ' ἄνδρας στρατευόμεθα ἀγαθούς. τοῦ ἦν κρατήσωμεν, οὐ μύ τις ἡμῖν ἄλλος στρατὸς ἀντιστῇ κότε ἀνθρώπων, νῦν δὲ διαβαίνωμεν ἐπευξάμενοι τοῖσι θεοῖσι τοι Περσίδα γῆν λελόγχασι.

PErsæ, ego vos, quorum opera mihi opus est, contraxi, vt viri præstantes existatis, neue res hactenus gestas à Persis magnas, præclarasque dedecoretis, sed cum singuli, tum vniuersi exhibeamus nos alacres, commune enim hoc hominibus bonum est, strenuos esse. Eaque de re vos censui præmonendos, ad bellum constanter tolerandum. Nam (vt ego audio,) aduersus viros egregios tendimus: quos si superauerimus, nullus vnquam nobis alius exercitus obstabit. Nunc igitur Deos præsides terræ Persidis precati transeamus.

Hortatio ad fortitudinem.

ORATIO ARCHIDAMI.

Argumentum.

Comparato bello à Lacedæmonijs & socijs Peloponensibus aduersus Athenienses, & contractis in vnum copijs. Archidamus rex Lacedæmoniorum, qui illius belli summam obtineret, conuocauit sociorum proceres, eosque, cum conuenissent, hac ratione

hortatus est, vt pro se quique suas partes in eo bello susciperent, & fortiter tuerentur; fiduciam, quam ex ingenti sua multitudine concipere poterant, conatur ijs extorquere, nullum esse hostem negligendum, nedum Athenienſem, qui & belli gloria, & viribus præstaret. In bello gerendo fortitudinem esse adhibendam & cautionem, remouendam ignauiam.

Ex Thucydide.

Item Hortatio militaru ex Thucidide.

ΑΝδρες Πελοποννήσιοι, καὶ οἱ ξύμμαχοι, καὶ οἱ πατέρες ὑμῶν πολλὰς στρατείας, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Πελοποννήσῳ, καὶ ἔξω ἐπεποιήνται· καὶ ἡμῶν αὐτῶν οἱ πρεσβύτεροι οὐκ ἄπειροι πολέμων εἰσίν· ὅμως δὲ τῷ οὔπω μείζονα παρασκευὴν ἔχοντες ἐξήλθομεν· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πόλιν δυνατωτάτην νῦν ἐρχόμεθα, καὶ αὐτοὶ πλείοσι καὶ ἀρίστοις στρατεύοντες. δίκαιον οὖν ἡμᾶς μήτε τῶν πατέρων χείρους φαίνεσθαι, μήτε ἡμῶν αὐτῶν δόξης ἐνδεεστέρους. ἡ γὰρ Ἑλλὰς πᾶσα τήνδε τὴν ὁρμὴν ἐπῆρται, καὶ προσέχει τὴν γνώμην, εὔνοια μὲν ἔχθρα, διὰ τὸ Ἀθηναίων ἔχθος, πρᾶξαι ἡμᾶς ἃ δέομεν λέγειν. οὗ συγχωρεῖ, εἰ τῷ καὶ δοκοῦμέν πη δεῖν δράσειν, καὶ ἀσφάλεια πολλὴ ἔσται μὴ ἂν ἐλθεῖν τοὺς σφετέρους ἡμῖν διὰ μάχης, τούτων ἕνεκα ἀμελέστερόν τι παρεσκευασμένους χωρεῖν. ἀλλὰ καὶ πόλεως ἑκάστης ἡγεμόνα, καὶ στρατιώτην, τὸν χρὴ τὰ αὑτοῦ ἀεὶ προσδέχεσθαι ἐς κίνδυνόν τινα ἥξειν. ἄδηλα γὰρ τὰ τοῦ πολέμου, καὶ ἐξ ὀλίγου τὰ πολλά, καὶ διὰ τὴν ὀργὴν αἱ ἐπιχειρήσεις γίγνονται πολλάκις τε τὸ ἔλασσον πλῆθος, δεδιὸς, ἄμεινον ἐμύναντο τοὺς πλέονας, διὰ τὸ καταφρονοῦντας ἀπαρασκεύους γενέσθαι. χρὴ δὲ ἀεὶ ἐν τῇ πολεμίᾳ, τῇ μὲν γνώμῃ παρασκευῇ στρατεύειν, τῷ δὲ ἔργῳ, δεδιότας παρεσκευάσθαι. οὕτω γὰρ πρός τε τὸ ἐπιέναι τοῖς ἐναντίοις εὐψυχότατοι ἂν εἶεν, πρός τε τὸ ἐπιχειρεῖσθαι ἀσφαλέστατοι. ἡμεῖς δὲ οὐδὲ ἐπὶ ἀδύνατον ἀμύνεσθαι οὕτω πόλιν ἐρχόμεθα, ἀλλὰ τοῖς πᾶσιν ἄριστα παρεσκευασμένοις, ὥστε χρὴ καὶ πάνυ ἐλπίζειν διὰ μάχης ἰέναι αὐτούς, εἰ μὴ καὶ νῦν ὥρμηνται. ἐν ᾧ οὕτω πάρεσμεν· ἀλλ' ὅταν ἐν τῇ γῇ ὁρῶσιν ἡμᾶς δηοῦντάς τε καὶ τἀκείνων φθείροντας. πᾶσι γὰρ ἐν τοῖς ὄμμασι, καὶ ἐν τῷ παραυτίκα ὁρᾶν πάσχοντάς τι ἄχθεσι, ὀργὴ προσπίπτει. καὶ οἱ λογισμῷ ἧσσον χρώμενοι, θυμῷ πλεῖστα ἐς ἔργον καθίστανται. Αθη-

VIri Peloponenſes, ac Socij, & noſtri maiores multas expeditiones, tum in ipſa Peloponeſo, tum extra eam ſumpſerunt, & ij qui ex nobis ipſis ſunt prouectiore ætate, haud inexperti ſanè rei bellicæ: nunquam tamen maiorem habentes apparatum belli proceſſimus. Verùm nunc aduerſus validiſſimam pergimus ciuitatem, & ipſi plurimi & fortiſſimi militantes. AEquum eſt igitur, nos, neque patribus deteriores videri, neque noſtra ipſorum gloria inferiores. Omnis enim Græcia ad hunc motum animo erecta eſt, & attenta, votaque facit propter Athenienſium odium, vt nobis ex ſententia eueniat. Itaque non eſt faciendum, vt, etiamſi cui videmur permulti in hoſtem ire, ac magna fiducia eſſe, illum non proditurum ad conſerendum nobiſcum prælium, idcirco aliquid de apparatu belli remittatur: ſed vnuſquiſque, & dux ciuitatis ſuæ, & miles, ſemper expectet in aliquod ſibi diſcrimen per ſeſe eſſe veniendum. Anceps enim conditio eſt bellorum, & ex paruo fiunt multa, & cum indignatione conſligitur. Ac ſæpe minor manus, dum metuit, maiorem præ contemptu parum inſtructam profligauit. Oportet autem in hoſtili terra militantes, animo quidem eſſe præſtanti, ad rem verò gerendam cum metu ſe præparare. Ita namque, & ad inuadendum hoſtem promptiſſimi fuerint, & ad propulſandum tutiſſimi. Neque verò aduerſus ciuitatem nos tendimus, ita inualidam ad ſe vlciſcendam, ſed omnibus quàm maximè rebus inſtructam: vt omnino credendum ſit, eos in certamen eſſe venturos; etſi minùs nunc ſeſe mouent, quum nondum ſub aſpectum venimus; at certè quum viderint nos in ſuis finibus agentes hoſtiliter, ac cuncta vaſtantes, tunc ſe moturos eſſe. Omnes enim, qui ante ſuos oculos ſubitò inſolitum quippiam patiuntur, iracundia ſubit: & qui ratione minimum vtuntur, ij plerunque ad agendum furore proſiliunt. Quod Athenienſes maximè omnium credibile eſt eſſe facturos.

Ed. H.S.

Fiducia animi nocet.

ναίους δὲ καὶ πλέον τῶν ἄλλων εἰκὸς τοῦτο δρᾶσαι, οἳ ἄρχειν τε τῶν ἄλλων ἀξιοῦσι, καὶ ἐπιόντες τὴν τῶν πέλας δηοῦν μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὁρᾶν. ὡς οὖν ἐπὶ τοταύτην πόλιν στρατεύοντες, καὶ μεγίστην δόξαν εἰσόμενοι τοῖς τε προγόνοις, καὶ ἡμῖν αὐτοῖς, ἐπ' ἀμφότερα, ἐκ τῶν ἀποβαινόντων, ἕπεσθ' ὅποι ἄνῃς ἡγῆται, κόσμον καὶ φυλακὴν περὶ παντὸς ποιούμενοι, καὶ τὰ παραγγελλόμενα ὀξέως δεχόμενοι. κάλλιστον γὰρ τὸ δὲ καὶ ἀσφαλέστατον, πολλοὺς ὄντας ἑνὶ κόσμῳ χρωμένους φαίνεσθαι.

facturos, qui se dignum censent, & alijs imperare, & vicinorum terrã vastare, potius quam suam ab alijs vastari cernere. Igitur tanquam aduersus tantam ciuitatem expeditionem molientes, ac summam gloriam, tam progenitoribus nostris, quã nobis ipsis allaturi, ad vtrumque, prout res feret, sequimini, quacunque vos aliquis duxerit: memores omni in re ornatus, atque custodiæ, & celeriter iussa exequentes. Nam pulcherrimum hoc, tutissimumque, quum multi sint, cunctos tamen eodem ornatur præditos cerni.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Exordium est à gloria maiorum, quod est in istis adhortationibus frequentissimum.*

II. *In propositione momentum rei expenditur, quod grauissimum ostenditur, ad discutiendum nimiam militum fiduciam.*

III. *Quippe Mars anceps, & alata victoria, nimia idcircò fiducia militibus perniciosa.*

Animus vereri, qui scit, scit tutò aggredi. *Publius Syrius.*

IV. *Et eò maior cautio adhibenda, quò contra Athenienses res est, qui dominandi studio flagrantissime, aliena expetunt, tantum abest, vt sua diripi patiantur.*

XENOPHONTIS ORATIO.

Argumentum:

Hortatio militaris ex Xenophonte.

Hæc licet breuis oratio, idcirco non prætereunda, quia habet egregium specimen cohortationis, ad animandos milites in ipsa iam conserenda pugna.

Ex Xenophonte.

ΑΝδρες, ἀναμιμνήσκεσθε ὅσας δὴ μάχας σὺν τοῖς θεοῖς ὁμόσε ἰόντες νενικήκατε, καὶ οἷα πάσχουσιν οἱ πολεμίους φεύγοντες. καὶ τοῦτο ἐννοήσατε, ὅτι ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς Ελλάδος ἐσμέν. ἀλλ' ἕπεσθε ἡγεμόνι τῷ Ηρακλεῖ, καὶ ἀλλήλους παρακαλεῖτε ὀνόμασι· ἡδύ τοι, ἀνδρεῖόν τε καὶ καλὸν νῦν εἰπόντα, καὶ ποιήσαντα, μνήμην ἐν οἷς ἐθέλεις, παρέχειν ἑαυτοῦ.

RECordamini Milites, quot prælijs ante, Deorum ope freti, hostem viceritis: considerate, quibus incommodis, qui fugiunt, afficiantur, cogitate nos ad ipsas iam Græciæ portas venisse. Agite, Herculem ducem sequimini. Iucundum certè futurum est, apud quos maximè velitis, præclarè dicta, factaque vestra testata relinquere. *Ed. H. 1.*

AGRICOLÆ ORATIO.

Horatius militaru.

Oratio diserta est imprimis, elimata, acuta, pulchrâ temperie ornamentorum.

Ex Tacito.

OCtauus annus est, Commilitones, ex quo virtute, & auspicijs Imperij Romani fide, atque opera vestra Britanniam vicistis, tot expeditionib⁹, tot prælijs, seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia, ac labore penè aduersus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos piorum exercituum terminos, finem Britanniæ, nō fama, nec rumore, sed castris, & armis tenemus. Inuenta Britannia, & subacta. Equidem in agmine, cum vos paludes, montesve, & flumina fatigarent, fortissimi cuiusque vocem audiebam. Quando dabitur hostis? quando acies? Veniant è latebris suis extrusi, en vota, virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis aduersa. Nam vt superasse tantum itineris, syluas euasisse, transisse æstuaria, pulchrum, ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis, aut locorum eadem notitia est, aut commeatuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Proinde, *& honesta mors turpi vita potior*, & incolumitas, ac decus eodem loco sita sunt. *Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum, ac naturæ fine cecidisse.* Si nouæ gentes, atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. ij sunt, qui proximo anno vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis, ij cæterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tandiu superstites. Quomodo syluas, saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pellunrur: sic acerrimi Britannorum iampridem ceciderunt, *reliquus numerus* est ignauorum, & metuentium. Quos, quot tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi, ex extremo metu corpora defixere in his vestigijs, in quibus pulchram, & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, *imponite quinquaginta annu magnum diem.* Approbate reipub. nunquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut causas rebellandi.

OE CONOMIA orationis.

I. *Exordium à definitione militum, & priscina virtutu recordatione, quod est in isto efficax. Quippe iucundissimum acroma militum laus ab Imperatore profecta.* Laus dicuntur iucundum militibus.

II. *Artificiosa, & elegans oratio, qua se propositioni insinuat. Fingit enim Iouí, & morata oratione militum vota, & conspectus desideria, vt eos voti sui compotes factos esse pronuntiet.*

III. *Leuiter tandem propositio irrepit, pugnandum esse, quod cogit necessitas, & suadet gloria.* Si quidem decorum est in ipso terrarum, ac, naturæ fine cecidisse. Fortitudo bellica.

IV. *Addit locum facilitas, à persona hostium, qui contemptissimi remanserunt, Numerus magnus quam viri. Sic.* λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατα. *Homines nullius pretij dicuntur ab Aristophane in nubibus.* Ignaui milites quibus nomina non appellantur.

DARII ORATIO ad Milites.

Ex Quinto Curtio lib. 3.

Hæc inter adhortationes militares grauissima est.

TErrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellespontus, paulò antè domini, iam non de gloria, sed de salute, & (quod saluti præponitis) de libertate pugnandum est: hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut cōstituet, aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cum hoste certauimus. in Cicilia victos Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris, atque Euphrates erant. Ventum est cò, vnde pulsis ne fugæ quidem locus est. Omnia tam diuturno bello exhausta post tergum sunt. Non incolas suos vrbes, non cultores habent terræ. Coniuges quoque, & liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus præda, nisi pro carissimis pignoribus

bus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem penè immensa planities vix caperet, comparaui equos, arma distribui: commeatus, ne tantæ multitudini deessent, prouidi: locum, in quo acies explicari posset, elegi. Cætera in vestra potestate sunt: audete modo vincere, *famamq; (infirmissimum aduersus fortes viros telum) contemnite.* Temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis, quæ vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia, amisso aculeo, torpet. Hi verò campi deprehendere paucitatem, quam Ciciliæ montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam, & exhaustam. Nam vltimi quos locauit auersos, terga iam præbent. Obteri me hercule, equorum vngulis possunt, etiam si nihil præter falcatos currus emisero. & bello vicerimus, si vincimus prælio. Nam ne illis quidem ad fugam locus est. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt, nostrum mobile, & expeditum agmen est, illud præda graue. Implicatos ergo spolijs nostris trucidabimus: eademque res & causa erit victoriæ, & fructus. Quod si quem è vobis nomen gentis mouet, cogitet Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis inuicem hausimus, & semper grauior in paucitate iactura est. Nam Alexander *quantuscunque ignauis & timidis videri potest, vnum animal est: &, si quid mihi creditis, temerarium & vecors, adhuc nostro pauore, quam sua virtute felicius. Nihil potest esse diuturnum, cui non subest ratio,* licet felicitas aspirare videatur, tamen ad vltimum temeritati non sufficit. Præterea breues, & mutabiles vices rerum sunt, & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita Dij fata ordinauerunt, vt Persarum imperium, quod secundo cursu per cc. xxx. annos ad summum fastigium inuexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, *admonerentq; nos fragilitatis humanæ, cuius nimia in prospera rebus obliuio est.* Modò Græcis vltro bellum inferebamus, nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur inuicem varietate fortunæ. Videlicet imperium, quod mutuo affectamus, vna gens non capit. Cæterùm etiamsi spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet. Ad extrema peruentum est. Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperij genitum, illos principes, illam sobolem regiæ stirpis, duces vestros, regum instar vinctos habet: nisi, quod in vobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum. *Eripite viscera mea ex vinculis, restituite mihi pignora,* pro qui- bus ipse mori non recuso. Parentem, liberos (nam coniugem in illo carcere amisi) credite nunc omnes extendere ad vos manus, implorare patrios Deos, opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, vt seruitute, vt compedibus, vt precario victu ipsos liberetis. *An creditis æquo animo ijs seruire, quorum reges esse fastidium?* Video admoueri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus ijs, quæ dixi, possum esse contentus. Precor vos per Deos patrios, æternumque ignem, qui præfertur altaribus, fulgoremque solis intra fines regni mei, Orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis, Lydisque imperium primus in Persidem intulit, vindicate ab vltimo dedecore nomen, gentemque Persarum. Ite alacres, & spe pleni, vt quam gloriam accepistis à maioribus vestris, posteris relinquatis. *In dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis.* Effugit mortem, quisquis contempserit; Timidissimum quemque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam vt conspici possim, curru vehor, nec recuso, quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauiæ fuero.

Fama.

Alexandri definitio procax.

Fortuna mutabilis.

Fragilitas humana.

Affectus suaues & magni.

OECONOMIA orationis.

I. *Proponitur necessitas pugnæ, & momentum rei, quod grauissimum est.*

II. *Prouisa à Rege omnia ad bellum necessaria, animu tantum opus esse, quos vt faciat, Alexandri famam, & metum apposite omni industria extenuare conatur, quem fama duntaxat magnum, re autem ipsa contemptum ostendit.*

III. *Et hoc ab adiunctis præliy, qua Persis opportuna, Alexandro infirma.*

IV. *Ad summum Alexander vnum animal est, idq; vecors: & temerarium: sic hostem extenuat Polybius l. 3.*

Προπέτα γε μὴν καὶ θρασύτης, καὶ θυμὸς ἄλογος, ἔλλοδε κενοδοξία καὶ τύφος, εὐχείρωτα τοῖς ἐχθροῖς. *Polyb. lib. 3. p. 232.* *Temerium.*

V. *Spes ingeritur dictis grauibus, & sententiosis de humanarum rerum vicissitudine, quo fit, vt re-flante fortuna res Alexandri nimu latas accisum iri credibile sit. Simile est quod Demosthenes Philippica prima, sectione xij. de Philippo dicit.* Μὴ γὰρ ὡς δι- νομίζητε *Deus solus immutabilis.*

νομίζετε ἐκείνῳ τὰ παρόντα πεπηγέναι.

VI. *Et ipsi adtexitur ingens telum necessitas, qua rerum suarum extremam calamitatem tam graui, & morata oratione exponit, vt ferreos animos possit emollire.*

VII. *Postremò infertur obsecratio grauis, & incensa. Quod autem hic habet de æterno igne, explicat Curtius lib. 3. Ignis quem ipsi sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur.*

ALEXANDRI ORATIO
Ad trecentos milites.

Argumentum.

In Sogdianis petra erat expugnatu difficillima, patebat enim in altitudinem stadia 30. in orbem verò 150. vndequaque ardua, & prærupta, ne callibus quidem vllis peruia. Vnus qui ad cacumen ducebat aditus, & angustus limes, ab hostibus tenebatur. Insederant enim petram triginta hominum millia. Alexander aduersus impedimenta omnia naturæ, & artificij enitens, ne huic quidem difficultati cedere voluit, & quoniam vis non valuisset, dolo statuit aggredi. Hoc igitur commentus est ad eludendos hostes stratagema. Negotium dat ducibus, vt trecentos expeditos iuuenes conquirant exercitatæ pernicitatis, qui rem pecuariam in montibus exercuerint, ac proinde assueuerint in præcipitijs, & locis deuijs insistere: his terrorem incutere hostibus parabat. Qui vt conuenerunt, hac oratione quid fieri velit, exponit. Rationem illis ad cacumen perueniendi aperit, hortatur vt strenuè rem aggrediantur, & aduersus omnes difficultates luctentur: denique addit animos propositis præmijs amplissimis, itaque illos dimittit.

Hortatio ad rem arduã. Ex Q. Curtio. Alexandri labores.

VObiscum (inquit) ô iuuenes, & mei æquales, vrbium inuictarum ante munimenta superaui, montium iuga perenni niue obruta emensus sum; angustias Ciliciæ intraui, Indiæ sine lassitudine frigoris vim perpessus sum, & mei documenta vobis dedi, & vestra habeo. Petra, quam videtis, vnum aditum habet, quem barbari obsident, cætera negligunt. Nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Inuenietis viã, si solerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. *Nihil tam altè natura constituit, quò virtus non possit eniti* Experiendo, quę ceteri desperauerunt, habemus Asiam in potestate. Euadite in cacumen: quod cum ceperitis, candidis velis mihi signum dabitis: ego copijs admotis hostem in nos à nobis conuertam. Frœmium erit ei, qui primùs occupauerit verticem, talenta decem; vno minus accipiet, qui proximus ei venerit, eademque ad decem homines seruabitur portio. Certum habeo vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.

Candor signum felicitatis.

I. *Exordium à rebus antea gestis efficacissimum, O passi grauiora.*

II. *Propositio rei, in qua calido artificio pericula dissimulantur, & facilitate res alioqui difficilis adumbratur.*

III. *Hortatio efficax cum præmiorum lenocinio.*

GER-

GERMANICI ORATIO.

Conqueſtio, & hortatio ad vindictam ſceleris.

Argumentum.

Germanicus Cæſar peragrata Aegypto in morbum incidit, quo leuatus, alio repente fuit correptus, quo grauiter conflictatus eſt: & ſuberat ſuſpicio oblati à Piſone, præſide Syriæ, veneni. Deſperata valetudine, ſic apud amicos, qui tùm frequentes aderant, moribundus loquutus eſt. Rogatne impune tantum ſcelus patiantur eſſe Piſoni, & Plancinæ eius vxori, quæ particeps ſceleris credebatur. Rationem pœnarum perſequendarum aperit.

EX TACITO.

Fato mori.

SI fato concederem, iuſtus mihi dolor etiam aduerſus Deos eſſet, quod me parentibus, liberis, patriæ intra iuuentam præmaturo exitu raperent: nunc ſcelere Piſonis, & Plancinæ interceptus, *vltimas preces pectoribus veſtru relinquo.* Referatis patri, ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus inſidijs circumuentus, miſerrimam vitam peſſima morte finierim. Si quos ſpes mea, ſi quos propinquus ſanguis, etiam quos inuidia erga viuentem mouebat, illachrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum ſuperſtitem mulierbri fraude occidiſſe. Erit vobis locus querendi apud Senatum, inuocandi leges. *Non præcipuum hoc amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignauo queſtu*, ſed quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandauerit, exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti. Vindicabitis vos, ſi me potius, quàm fortunam meam fouebatis. Oſtendite pop. Rom. Diui Auguſti Nepotem, eandemque coniugem meam: numerare ſex liberos. Miſericordia cum accuſantibus erit: fingentibuſque ſceleſta mandata, aut non credent homines, aut non ignoſcent.

Affectus doloris.

Querimonia grauis.

I. Queritur de Piſone, ſed hæc nimis mollis, & languida videtur oratio apud Sapientem, qui vitam omnem & mortem ὕλην ἀρετῆς *putat, vt loquitur Syneſius lib. de prudentia*

II. Vltionem flagitat. Inerat hoc animis, & adhuc regnat peſſimum axioma, inimicum vlciſci vitam accipere eſt alterum. *Publius Syrus. Fatum autem cuius hic initio meminit, eſt*, τῆς εἱμαρμένης θάνατος *vt appellatur à Demoſthene, in oratione* περὶ στεφάνου, *quæ opponitur mortiviolētæ. Sic Cicero dixit mori ſuo fato, naturali ſcilicet morte, poſt iuſtum ætatis curriculum confici.*

ALEXANDRI ORATIO.

Hortatoria ad expeditionem.

Argumentum.

Inclinatis iam animis multitudinis ad requiem laborioſæ militiæ optandam, acceſſerat ſparſus, ſine authore quidem, ſed ex diuturniorum ſtatiuorum occaſione excitatus miſſionis rumor. Qui etſi temerè percrebuerat, tamen tanta fuerat omnium auiditate acceptus, vt iam totis caſtris à gregarijs militibus reditus compararetur. Quæ res non mediocriter Alexandrum vix ea ingreſſum, quæ animo, & ſpe præceperat, perculit. Ita q; pecoribus per errorem incuſatis, illis ipſis authoribus vulgus ab eo errore, & cupiditate deducere hac oratione ſtatuit, qua leniter obiurgat

gat milites, quod immaturum suarum victoriarum fructum velint percipere. Duas exponit consilij sui causas, cur nondum incœptis desistat. Neque quæ parta sint retineri posse, nisi subactis hostibus, qui supersint, & his domitis, multo vberiores victoriæ fructus ostendi, & sese offerre, hæc nisi pacata teneri non posse: pacata verò secum his multò plura esse allatura. Eos præterea ad persequendas de percussoribus Darij pœnas impellit.

Ex Quinto Curtio.

Alexandri expeditiones.

MAgnitudinem rerum, quas gessimus, Milites, intuentibus vobis, minime mirum est, & desiderium quietis, & satietatem gloriæ occurrere: vt omittam Illyricos, Triballos, Bœotiam, Thraciã, Spartam, Achæos, Peloponesum, quorum alia ductu meo, alia imperio, auspicioque perdomui. Ecce orsi bellum ad Hellespontum, Ionas, Aeolidem seruitio barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam, Phœnicem, Armeniam, Persidem, Medos, Partheniem habemus in potestate. Plures prouincias complexus sum, quam alij vrbes ceperunt: & nescio an enumeranti mihi quasdam ipsarum rerum multitudo subduxerit. Itaque si crederem satis certam esse possessionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus, ego verò, milites, ad Penates meos, ad parentem, sororesque, & cæteros ciues, vel renitentibus vobis erumperem, vt ibi potissimum partâ vobiscum laude, & gloriâ fruerer, vbi nos vberrima victoriæ præmia expectant, liberorum, coniugum, parentumque lætitia, pax, quies, rerum per virtutem partarum secura possessio. Sed in nouo, & (si verum fateri volumus) *precario imperio*, adhuc iugum eius rigida ceruice subeuntibus barbaris, tempore (milites) opus est, dum mitioribus ingenijs imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem statuto tempore expectant, ab eo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid creditis, tot gentes alterius imperio, ac nomine assuetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ cohærentes, eodem prælio domitas esse, quo victæ sunt? Vestris armis continentur, non suis moribus, sed qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt: Cum feris bestijs res est, quas captas, & inclusas, quia ipsarum natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago tanquam omnia subacta sint armis, quæ fuerunt in ditione Darij. Hyrcaniam Nabarzanes occupauit. Bactra non possidet solum parricida Bessus, sed etiam minatur. Sogdiani, Dahæ, Massagetæ, Sacæ, Indi sui iuris sunt. Omnes hi simul, si terga nostra viderint, sequentur. Illi enim eiusdem nationis sunt, nos alienigenæ & externi. Suis autem quique parent placidius, etiam cum is præest, qui magis timeri potest. Proinde aut quæ cepimus, omittenda sunt: aut quæ non habemus, occupanda. Sicut in corporibus ægris, milites, nihil quod nociturum est medici relinquunt, sic nos quicquid obstat imperio, recidamus. *Parua sæpe scintilla contempta magnum excitauit incendium. Nihil tuto in hoste despicitur, quem spreueris, valentiorem negligentia facies.* Ne Darius quidem hæreditarium Persarum accepit imperium, sed in sedem Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuum regnum occupaturum. Nos verò peccauimus, Milites, si Darium ob hoc vicimus, vt seruo eius traderemus imperium, qui vltimum ausus scelus, regem suum etiam externæ opis egentem, certè cui nos victores pepercisse mus, quasi captiuum in vinculis habuit, ad vltimum, ne à nobis conseruari posset, occidit. Hunc vos regnare patiemini? quem equidem crucifixum videre festino, omnibusque Regibus, gentibusque fidei, quam violauit, meritas pœnas soluentem. At herculè, si mox eundem Græcorum vrbes, aut Hellespontum vastare nuntiatum erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum præmia vestræ occupasse victoriæ? Tunc ad repetendas res festinabitis, tunc arma capietis. Quanto autem præstat territum adhuc, & vix mentis suæ compotem opprimere? Quatridui nobis iter superest: qui tot proculcauimus niues, tot amnes superauimus, tot montium iuga transcurrimus, non mare illud, quod exæstuans iter fluctibus occupat, euntes non moratur: non Ciliciæ fauces, & anguſtiæ includunt: plana omnia, & prona sunt, *in ipso limine victoria stamus.* Pauci nobis fugitiui, & Domini sui interfectores, supersunt. Egregium me hercu-

Parua contemnenda.

Initia mala obsistendum.

Tempus opportunũ expectandũ.

le o-

le opus, & inter præmia gloriæ vestræ numerandum, posteritati, famæque tradetis: Darij quoque hostis, finito post mortem eius odio, parricidas esse vos vltos, neminem impium effugisse manus vestras: hoc perpetrato, quanto creditis Persas obsequentiores fore, quum intellexerint vos pia bella suscipere, & Bessi sceleri, non nomini suo irasci?

Inter grauissimas hortationes est Cyri morientis ad filios oratio apud Xenophontem (πολλὰ τοιαῦτα), quam, quia prolixior est, omitto.

OECONOMIA orationis.

I. *Demulcet à rebus antea gestis. Quod fuit durum pati, meminisse dulce est.*

II. *Verùm stabilienda est fortuna semel erecta, atque in eo mora opus est.*

III. *Et hoc probatur, ab adiunctis domitarum gentium.*

IV. *Sed neque omnia domita, aut pacata.*

V. *Et hæ reliquiæ si negligantur, vt parua scintilla contempta, magnum excitabunt incendium.* Ἀδηλα γὰρ τὰ τῶν πολέμων, καὶ ξὺν ὀλίγῳ τὰ πολλὰ, *vt ait Thucydides in oratione Archidami citata.*

VI. *Grauissimè vrget à Bessi parricidio, & indignitate, cui crux debetur, non regnum ab eo occupatum.*

VII. *Post iustissimas, & necessarias belli rationes facilitas rei conficiendæ expenditur.*

VIII. *Ad summum, generosorum mentium esca, gloria, hic autem actus extremus est, sed gloriosissimus est, & quasi aurea totius operis Corona.*

CONSVLTATIONES.

CONSVLTATIO DE propagando imperio.

ORATIO ALEXANDRI ad milites.

In hac exhortatione elucet vis blanda persuasionis, & dominium illius Suada, fortiter & suauiter in animos influentis.

NOn ignoro, Milites, multa quæ terrere vos possent, ab incolis Indiæ per hos dies industria esse iactata, sunt non est improuisa vobis mentientium vanitas. Sic Ciliciæ fauces, sic Mesopotamiæ campos, Tigrim, & Euphratem, quorum alterum vado transiuimus, alterum ponte terribilem fecerant Persæ, *Numquam ad liquidum fama perducitur.* Omnia illa tradente maiora sunt vero. Nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis, modo quis belluas afferentes mœnium speciem, quis Hydaspem amnem, quis cætera auditu maiora, quam vera sustinere posse credat? Olim hercule *fugissemus ex Asia, si nes fabula* debellare *potuissent.* Creditisne, Elephantorum greges maiores esse, quam vsquam armentorum sunt? cum & rarum sit animal nec facilè capiatur, multoque difficilius mitigetur? Atque eadem vanitas copias peditum equitumque numerauit. Nam flumen, quo latius fusum est, hoc placidius stagnat, quippe angustis ripis coercitum, & in angustiorem alueum elisum torrentes aquas inuehit. Contra, statio aluei, segnior cursus est. Præterea in ripa omne periculum est, vbi applicantes nauigia hostis expectat. Ita quantumcumque flumen interuenit, idem futurum discrimen est euadentium in terra. Sed omnia ista vera esse fingamus. Vtrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad Elephantos, præsens habemus exemplum: in suos vehementius, quam in nos incurrerunt, tam vasta corpora securibus, falcibusque mutilata sunt: quid autem interest, totidem sint, quot Porus habuit, an tria millia, cum vno, aut altero vulneratis, cæteros in fugam declinare videmus? Deinde paucos quoque, & incommodè regunt. Congregata vero tot millia, ipsa se elidunt, vbi nec stare, nec fugere potuerint, inhabiles vastorum corporum moles. Equidem sic animalia ista contempsi, vt cum haberem ipse, non opposuerim, satis gnarus plus suis, quam hostibus periculi inferre. At enim equitum, peditumque multitudo vos commouet? cum paucis enim pugnare soliti estis, & nunc primum inconditam sustinebitis turbam? Testis aduersus multitudinem inuicti Macedonum roboris Granicus amnis, & Cilicia inundata cruore

Ex Q. Curtio.

Elephanti.

Persarum, & Arbela, cuius campi deuictorum à vobis ossibus strati sunt. Sero hostium legiones numerare cœpistis, posteaquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Cum per Hellespontum nauigaremus, de paucitate nostra cogitandum fuit: nunc nos Scythæ sequũtur, Bactriana auxilia præsto sunt, Dacæ, Sogdianique inter nos militant. Nec tamen illi turbæ confido, vestras manus intueor, vestram virtutem, rerum quas gesturus sum, vadem, prædamque, habeo. Quamdiu vobiscum in acie stabo, nec mei, nec hostium exercitus meminero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis, ac fiduciæ adhibite. Non in limine operum, laborumque nostrorum, sed in exitu stamus, peruenimus ad solis ortum, & Oceanum, nisi obstat ignauia: inde victores perdomito fine terrarum reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam emittere è manibus. Maiora sunt periculis prœmia, diues eadem, & imbellis est regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. Digni estis, qui opes, quas illud mare littoribus inuenit, referatis in patriam. Digni qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis, per vos, gloriamque vestram, qui humanum fastigium exceditis, perque & mea in vos, & in me vestra merita, quibus inuicti contendimus oro, quæsoque, ne humanarum rerum terminos, adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam Regem, deseratis. Cætera vobis imperaui, hoc vnum debiturus sum: & is vos rogo, qui nihil vnquam vobis præcepi, qui primus me periculis obtuli, qui sæpe aciem clypeo meo texi, ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem, Liberumque Patrem, si inuidia abfuerit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Vbi est ille clamor alacritatis vestræ index? Vbi est ille meorum Macedonum vultus? Non agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis, surdas iamdudum aures pulso, aduersos animos, & infractos excitare conor. Nescio quid imprudens in vos deliqui, quod me, ne intueri quidem vultis, in solitudine mihi videor esse. Nemo respondet, nemo saltem negat: quos alloquor? quid autem postulo? vestram gloriam, & magnitudinem iudicamus. Vbi sunt illi, quorum certamine paulo ante vidi, contendentium, qui potissimum vulnerati Regis corpus exciperent, desertus, destitutus, sum hostibus deditus. Sed solus quoque ire perseuerabo. Obijcite me fluminibus & belluis, & illis gentibus, quarum nomina horretis, inueniam qui desertum à vobis sequantur, Scythæ, Bactrianique erunt mecum, hostes paulò ante, nunc milites nostri. Mori præstat, quàm precariò Imperatorem esse. Ite reduces domos, ite deserto rege ouantes. Ego me a vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ morti locum inueniam.

Finis non negligẽdus.

Exhortatio blanda.

OECONOMIA orationis.

I. Exordium captat à sparsis rumoribus, & afflato terrore, quem statim discutere conatur, cum sua natura famam mendacem experimentis comprobat. Recte in eam sententiam dixit Lucanus libro primo, Quisque pauendo dat vires famæ, nulloque auctore malorum, Quæ finxere timent. Lucan. l. 1. & Tertull. in Apologetico. Cur malum fama? quia velox, an quia plurimum mendax?

II. Atque vt prudens orator timoris scrupulos radicitus euellat, causas scrutatur, illæ sunt partim in difficultate trajiciendi fluminis, partim ex hostium multitudine, Elephantorumque terroribus, quæ omnia solertius extenuat. Porro de Elephantis Indicis, qui sunt Lybicis præstantiores, deque eorum pugna, & moderatione, multa Polybius lib. 5.

III. Extenuatis rebus hostium, suas exaggerat, & quasi σωματοποιεῖ: sunt autem illæ virtutes antea partæ, bellicarum rerum peritia, nominis, exterarum gentium subsidia, Macedonum robora.

IV. His commemoratis succedit hortatio blanda & illex, cui additur etiam precatio, qua nihil suauius & robustius: nam vt ait Tacitus. Suasio & precatio ab eo, qui potest iubere, vim necessitatis habet. Ad summum nihil omittit ad deliniendos milites, modò laudans, modò increpans, modò blandienti, modò irato similis, amore, metu, pudore, potentissimis machinis pugnat, & quasi dulcia spargit fulmina.

ORATIO POENI ad Alexandrum, priori respondens.

DIi prohibeant à nobis impias mentes, & profectò prohibent. Idem animus est tuis, qui

Ex Curt. li. 9.

qui fuit semper, ire quò iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro commendare posteritati tuum nomen. Proinde, si perseueras, inermes quoque, & nudi, & exangues, vtcumque tibi cordi est, sequimur, vel antecedimus. Sed si audire vis, non fictas tuorum militum voces, verum necessitate vltima expressas, præbe quæso propitias aures, imperium, atque auspicium tuum constantissime secutis, & quocunque pergis, secuturis. Vicisti Rex, magnitudine rerum, nõ hostes modò, sed etiam milites. Quicquid mortalitas capere poterat, impleuimus; emensis maria, terrasque melius nobis, quam incolis omnia nata sunt. Penè in vltimo mundi fine consistimus, in alium orbem paras ire, & Indiam quæris, Indis quoque ignotam. Inter feras, serpentesq; degentes etuere ex latebris, & cubiculis suis expetis, vt *plura quam sol videt, victoria lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremento erit, nostra vt in fine iam est.* Intuere corpora exanguia tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putrida. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficiunt, vestem Persicam induimus, quia domestica subuehi non potest. In extremum degenerauimus cultum. Quoto cuique lorica est? quis equum habet? iube quæri, quam multos serui ipsorum persecuti sunt? quod cuique superfit ex præda? *Omnium victores, omnium inopes sumus. Nec luxuria laboramus, sed bello.* Instrumenta belli consumpsimus, hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obijcies belluis? quarum vt multitudinem augeant de industria barbari, magnum tamen esse numerum, etiam ex mendacio intelligo. Quid si adhuc penetrare in Indiam certum est, Regio à meridie minus vastata est. Qua subactâ, licebit deducere in illud mare, quod rebus humanis terminum voluit esse natura. *Cur circuitu petu gloriam, qua ad manum posita est?* Hic quoque occurrit Oceanus. Nisi mauis errare, *peruenimus quò tua fortuna ducit.* Hæc tecum, quem fine te, cum his loqui malui, non vti inirem circumstantis exercitus gratiam, sed vt vocem loquentium potius, quam vt gemitum murmurantium audires.

Alexandri res gestæ.

Militum arumnosum status.

(**)

OECONOMIA orationis.

1. *Artificiosissima hæc responsio, in qua primùm milites dant manus suo Imperatori, promptissima quæque obsequia pollicenti, mox leni insinuatione sparguntur mites querimonias, quarum tanta sunt illecebra, vt quærendo, auidissimum gloriæ iuuenem, molliori tractent articulo, & vehementer laudent: sibi quoque subsidium, & cessationem laborum in hac arumnosissima expeditione suauiter, & magna rationum efficacitate suggerent.*

CONSVLTATIO DE Imperatore eligendo.

ORATIO PERDICÆ ad Milites.

ARGVMENTVM.

Cùm Babylone defunctus esset Alexander, & totus exercitus erepto sibi duce suo, mœrore consternatus esset; Perdica præcipuus amicorum Alexandri, qui moriens ipse annulum suum tradiderat, conuocata concione admonet, vt Regi vltimos honores exoluant, deinde de alio eligendo, quamprimum cogitent.

EGo quidem annulum, quo ille regni, atque imperij vires obsignare erat solitus, tradi- *Ex Curt. lib. 10.*
tum ab ipso mihi, reddo vobis. Cæterùm quanquam nulla clades hinc, qua affecti sumus, par ab iratis Dijs excogitari potest, tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus, credere licet, *tantum virum Deos ac commodasse rebus humanis, quarum sorte completa* citò repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniã nihil aliud ex eo supereſt, quam quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominique quamprimùm iusta soluamus, haud obliti, in qua vrbe, inter quos simus, quali Rege, ac præsidè spoliati. Tractandum est, Commilitones, cogitandumque, vt

Alexander commodatum mundo.

vt victoriam partam inter hos, de quibus parta est, obtinere possumus. *Capite opus est.* Hoc ne vno, an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis, *militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu.* Sextus mensis est, quo Roxane pregnans est. Optamus, vt marem enitatur, cuius regnum Dijs approbantibus futurum, quã docunque adoleuerit. Interim, à quibus regi velitis, destinate.

OECONOMIA orationis.

I. *Hæc oratio valdè morata est, & ciuilis, præfert enim insignẽ moderationem, & fidem ipsius Perdicæ, quod magnum erat amoris, & benevolentiæ lenocinium. Atque vt à Principe viro profecta, sententias habet verbu pressas, rebus magnis, vt cùm dicit* Alexandrum commodatum terris, non datum. Obseruatum est *inquit*) *Fabius lib.* 6. esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, inuidiam. Ne videlicet vltra, quam homini datum, est nostra prouehantur. *Deinde, quod habet:* Militarem sine duce turbam, corpus esse sine spiritu, *Rectè ad mentem Senecæ, qui de imperatore ait,* Is est spiritus, quem tot millia trahunt. *Epaminondas apud S. Maximum serm. 9. de Magistratu, & potestate, cum magnum, & pulchrum videret exercitum sine duce.* Quãta (*inquit*) bellua caput nullum habet!

Pulchra citò occidunt.

ORATIO PTOLOMÆI.

DIgna prorsus est soboles, quæ Macedonum imperet genti, Roxanis vel Arsinoæ filius, cuius nomen quoque in Europa dicere pigeat. Maiore ex parte captiui est. Cur Persas vicerimus, vt stirpi eorum seruiamus? quod iusti illi reges Darius, & Xerxes, tot millium agminibus, tantisque classibus ne quicquam petiuerunt. Mea sententia hæc est, vt sede Alexandri in regia posita, qui consilijs eius adhibebantur, coeant, quoties in commune consulto opus fuerit, eoq; quòd maior pars eorũ decreuerit, statuto, Duces præfectiq; copiarum his pareãt.

ORATIO MELEAGRI.

Dura, & aspera, quæ truculentum oratorem facilè arguat.

NEc Dij siuerint, vt Alexandri fortuna, tantiq; regni fastigium, in istos humeros ruat, homines certè non ferent. Nihil dico de nobilioribus, quàm hic est, sed de viris tantum, quibus inuitis nil perpeti necesse est. Nec verò interest Roxanis filium, quandocumque genitus erit, an Perdicam regem habeatis, cum iste sub tutelæ specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet, nisi qui nondum natus est, & in tanta omnium festinatione, non iusta modo, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum, quem vos dubitatis paratum esse, vel subdere. Si medius fidius Alexander hunc nobis regem post se reliquisset, id solum ex his, quæ imperasset, non faciendum esse censerem. Quin igitur ad diripiendos thesauros discurritis? Harum enim opum regiarum, vtique populus est hæres.

CONSVLTATIO PERSARVM DE STATV *Monarchiæ, Aristocratiæ, & Democratiæ.*

OTANIS ORATIO PRO IMPERIO POPVLARI.

Ex Herodoto.

Argumentum.

Oppresso Mago, qui Persarum errore abusus erat ad regnum occupandum, quia interregnum erat, consultant proceres, quid facto opus sit, & quod genus administrandæ Reipubli-

Reipublicæ sit saluberrimum. In his Otanes populare imperium cæteris anteponit omnibus, in quam sententiam hactenus est habita oratio, quæ potissimum regni, & popularis imperij contentionem habet.

Ed. H. S.

ΕΜοὶ δοκέει ἕνα μὲν ἡμέων μούναρχον μοῦνον μηκέτι γενέσθαι. οὔτε γὰρ ἡδὺ, οὔτε ἀγαθόν. εἴδετε μὲν γὰρ τὴν Καμβύσεω ὕβριν ἐπ' ὅσον ἐπεξῆλθε, μετεσχήκατε δὲ καὶ τοῦ μάγου ὕβριος. καὶ ὡς δὲ ἂν εἴη χρῆμα κατηρτημένον μουναρχίη, τῇ ἕξεστι ἀνευθύνως ποιέειν τὰ βούλεται; καὶ γὰρ ἂν τὸν ἄριστον ἀνδρῶν πάντων, στάντα ἐς ταύτην τὴν ἀρχὴν. ἐκτὸς τῶν ἑωθότων νοημάτων στήσειε. ἐγγίνεται μὲν γὰρ ἡ ὕβρις ὑπὸ τῶν παρεόντων ἀγαθῶν. φθόνος δὲ ἀρχήθεν ἐνεμφύεται ἀνθρώπῳ· δύο δὲ ἔχων ταῦτα, ἔχει πᾶσαν κακότητα· τὰ μὲν γὰρ ὕβρει κεκορημένος ἐρδοὶ πολλὰ καὶ ἀτάσθαλα, τὰ δὲ φθόνῳ. καίτοι ἄνδρα γε τύραννον, ἄφθονον ἔδει εἶναι, ἔχοντά γε πάντα τὰ ἀγαθά. τὸ δὲ ὑπεναντίον τούτου ἐς τοὺς πολιήτας πέφυκε. φθονέει γὰρ τοῖσι ἀρίστοισι περιεοῦσί τε καὶ ζῶουσι, χαίρει καὶ τοῖσι κακοίσοισι τῶν ἀστῶν. διαβολὰς δὲ ἄριστον ἐνδέχεσθαι ἡγέεται· ἀναρμοστότατον δὲ πάντων· ἤν τε γὰρ αὐτὸν μετρίως θωυμάζῃς, ἀπέχθεται, ὅτι οὐ κάρτα, θεραπεύεται. ἤν τε θεραπεύῃς κατὰ κάρτα ἄχθεται, ἅτε θωπείαν ἡγούμενος. τὰ δὲ δὴ μέγιστα ἔρχομαι ἔρεων, νόμαιά τε κινεῖ πάτρια, καὶ βιᾶται γυναῖκας, κτείνει τε ἀκρίτως. πλῆθος δὲ ἄρχον, πρῶτα μὲν οὔνομα πάντων κάλλιστον ἔχει, ἰσονομίην, δεύτερα δὲ, τούτων τῶν ὁ μούναρχος, ποιέει οὐδέν. πάλῳ μὲν γὰρ ἄρχει, ὑπεύθυνον δὲ ἀρχὴν ἔχει, βουλεύματα δὲ πάντα ἐς τὸ κοινὸν ἀναφέρει. τίθεμαι ὦν γνώμην, μεθέντας ἡμέας μουναρχίην, τὸ πλῆθος ἀέξειν· ἐν τῷ πολλῷ ἐνὶ τὰ πάντα.

EQuidem vt posthac nostrum vnus rerum solus potiatur, author nequaquam fuerim: Quoniam id neque iucundum, neque vtile est. Nam quò progressa sit Cambysis insolentia vidistis, & Magi quoque insolentiam experti estis. Qui autem, obsecro, sub vnius dominatu res bene constitutæ esse, recteque, & ordine administrari queant, cum ei pro libidine agere omnia impunè liceat? & cum hic dominatus sit eiusmodi, qui virum, omnium alioqui optimum, de pristinis curis, cogitationibusque dimouere possit? Etenim ad inuidiam iam inde ab initio homini ingenitam accedit ex præsentibus bonis insolentia. Quæ duo cùm habet, malorum omnium fontem habet: Quippe, qui ex insolentia, qua turget, ad multa facinora, ad multa etiam ex inuidia prorumpat. Nam eum quidem, qui solus rerum potitur, ab omni inuidia remotum esse deceret, vtpotè, qui omnia bona possideat: Sed ita se erga populares suos gerit, vt qui planè contrario præditus est ingenio. Siquidem eorum optimis quibusque, qui superstites sunt, inuidet, pessimis autem delectatur: criminationibus etiam, & calumnijs locum dare, optimum esse censet, & (quod est quiddam maximè secum dissidens) siquidem eum non valde suspicias, infensus est, quod nõ impensè colatur: sin impensè quis eum colat, eo cultu tanquam assentatione offenditur, vt autem ad ea multa, quæ omnium grauissima sunt, veniam, iura patria euertit, mulierum est stuprator, indemnatorum interfector. At cùm dominatur populus, primùm quidem nomen obtinet omnium pulcherrimum, Isonamian, (id est iuris æquabilitatem) deinde verò nihil eorum agit, quæ is, penes quem vnum est summa rerum, agere solet. Sortitur enim populus magistratus, & administrationis rationes refert, suaq; cõsilia inter se communicant. Quãobrem censeo, nobis, missum facientibus vnius dominatum, populum euehendum esse, in eo enim nihil desiderare possumus.

Inuidia & insolentia duo malorũ fontes.

Democratia.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Praeceps & concisa sententia contra μοναρχίαν, cuius ratio duplex affertur in genere. Vna vtilitatem spectat, altera voluptatem.*

II. *Primò dissuadet à recentibus exemplis Cambysis & Smerdis, quorum contumeliae, cui tandem ignotae?*

Potentia nimia inuidiosa.

III. *A natura regni, magnum nequitiae irritamentum, nimia potentia.* Quod non potest, vult posse, qui nimium potest. *Et ferme duo regum morbi, contumelia, & inuidia. Haec (inquit) ex vitae mollitia, & bonorum affluentia, illa ex metu, & insatiabili ambitionis cupiditate. Hinc aliae, atque aliae vitiorum pestes oriuntur.*

IV. *Antapodosis status popularis, in qua (inquit) nomen blandum, criminum exilium, moderatio prudens, & mansueta, ex consiliorum omnium consociatione.*

ORATIO MEGABYSI.

Ex eodem Herodoto.

Argumentum.

Sententiam dixit in eodem consilio Megabysus, placere eque sibi ostendit quod superiori sententiae regnum videbat abrogari; sed nequaquam sibi probari, quod rerum summam ad populum deferret, eiq; generi paucorum dominatum anteponit.

DE ARISTOCRATIA

ΤΑ μὲν Οτάνης εἶπε, τυραννίδα πάυων, λελέχθω κἀμοὶ ταῦτα. τὰ δὲ ἐς τὸ πλῆθος ἄνωγε φέρειν τὸ κράτος, γνώμης τῆς ἀρίστης ἡμάρτηκε· ὁμίλου γὰρ ἀγρηΐου οὐδὲν ἐστὶν ἀλυετώτερον, οὐδὲν ὑβριστικώτερον. καὶ τυράννου ὕβριν φεύγοντες ἄνδρας, ἐς δήμου ἀκολάστου ὕβριν πεσέειν, ἐστὶ οὐδαμῶς ἀνασχετόν. ὁ μὲν γὰρ εἴ τι ποιέει, γιγνώσκων ποιέει· τῷ δὲ οὐ γινώσκειν ἐνί. κῶς γὰρ ἂν γινώσκοι ὃς οὔτ' ἐδιδάχθη, οὔτε οἶδε καλὸν οὐδὲν, οὐδὲ οἰκήϊον; ὠθέει τε ἐμπεσὼν πὰ πρήγματα ἄνευ νόου, χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελος· δήμῳ μὲν νῦν. οἱ Πέρσῃσι κακὸν νοέουσι, οὗτοι χράσθων· ἡμεῖς δὲ ἀνδρῶν τῶν ἀρίστων ἐπιλέξαντες ὁμιλίην, τούτοισι περιθείη μὲν τὸ κράτος. ἐν γὰρ δὴ τούτοισι, καὶ αὐτοὶ ἐνεσόμεθα, ἀρίστων δὲ ἀνδρῶν ἀκὸς ἄριστα βουλεύματα γίνεσθαι.

EA quidem quae Otanes, ad abolendum vnius dominatum, pertinentia dixit, à me quoque dicta sunto: sed quod ad summam rerum populo deferendam hortatur, in eo certè ab optima aberrauit sententia. Furili enim multitudine nihil est amentius, nihil est insolentius: atqui nos, dum tyranni insolentiam fugimus, in populi petulantis insolentiam incidere, omnino intolerabile fuerit. Ille enim, si quid facit, quid faciat intelligit, at hic nulla intelligentia praeditus est. Ecqua enim praeditus esse possit, qui neque edoctus est, neq; quicquam eorum, quae honesta sunt, aut sibi conuenientia, cognitum habet? Sed in negotia, quę gerenda sunt, irruens, ea sine vllo consilio protrudit, torrenti similis. Quamobrem, qui Persis malè consultum cupiunt, ij populare imperium experiantur. At nos praestantissimorum virorum delecto coetu, imperium illis tradamus. In eorum enim & ipsi numero erimus. Ac profecto, vt praestantissimorum praestantissima consilia sint, rationi consentaneum est.

Democratia improbatur.

Populi mores.

OECO-

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Dissuadet à natura populi, qui est δύσμετα χειρίστατον ζῶον, animal morosum, intractabile, præceps, inops consilii, torrenti fluuio simile. Plato etiam definit, animal, ϛάσκανον, ὠμὸν, ἀπαίδευτον, animal inuidum, crudele, iugo disciplinæ exolutum.*

ORATIO DARII.

Ex eodem ibidem.

Argumentum.

Tertio loco sententiam dixit Darius, qua regium Imperium probat. Præstare enim alijs grauitate, stabilitate, commoditate regendæ reipublicæ.

PRO REGNO.

Ἐμοὶ τὰ μὲν εἶπε Μεγάβυζος, ἐς τὸ πλῆθος ἔχοντα, δοκέει ὀρθῶς λέξαι· τὰ δὲ ἐς ὀλιγαρχίην, οὐκ ὀρθῶς. τριῶν γὰρ προκειμένων, καὶ πάντων τῶν λέγω ἀρίστων ἐόντων, δήμου τε ἀρίστου, καὶ ὀλιγαρχίης, καὶ μουνάρχου, πολλῷ τοῦτο προέχειν λέγω. ἀνδρὸς γὰρ ἑνὸς τοῦ ἀρίστου οὐδὲν ἄμεινον ἂν φανείη. γνώμῃ γὰρ τοιαύτῃ χρεώμενος ἐπιτροπεύοι ἂν ἀμώμητος τοῦ πλήθεος, σιγῶτο δὲ ἂν βουλεύματα ἐπὶ δυσμενέας ἄνδρας οὕτω μάλιστα.

Ἐν δὲ ὀλιγαρχίῃ, πολλοῖσι ἀρετὴν ἐπασκέουσι ἐς τὸ κοινὸν, ἔχθεα ἴδια ἰσχυρὰ φιλέει ἐγγίνεσθαι· αὐτῶν γὰρ ἕκαστος βουλόμενος κορυφαῖος εἶναι, γνώμησί τε νικᾶν. ἔχθεα μεγάλα ἀλλήλοισι ἀπικνέονται, ἐξ ὧν στάσιες ἐγγίνονται, ἐκ δὲ τῶν στάσεων, φόνος· ἐκ δὲ τοῦ φόνου, ἀπέβη ἐς μαυναρχίην. καὶ ἐν τούτῳ διέδειξε ὅσον ἐστὶ τοῦτο ἄριστον. δήμου τε αὖ ἄρχοντος, ἀδύνατα, μὴ οὐ κακότητα ἐγγένεσθαι· κατότητος τοίνων ἐγγενομένης ἐς τὰ κοινὰ, ἔχθεα μὲν οὐκ ἐγγίνεται τοῖσι, φιλίαι δὲ ἰσχυραί. οἱ γὰρ κακοῦντες τὰ κοινὰ, συγκρύψαντες ποιεῦσι. τοῦτο δὲ τοιοῦτο γίνεται, ἐς ὃ ἂν προσάς τις τοῦ δήμου, τοὺς τοιούτους παύσῃ, ἐκ δὲ αὐτῶν, θωυμάζεται οὗτος δὴ ὑπὸ τοῦ δήμου. θωυμαζόμενος δὲ ἂν ὧν ἐφάνη μού-

AT mihi, quæ Megabyzus de statu dominatus popularis dixit, recte dicta esse videntur: At quæ de paucorum dominatu, non item. Si enim tres proponantur status, quorum vnusquisque suo in genere sit præstantissimus, dominatus populi, paucorum dominatus, & vnius, hunc longè antecellere dico: viro enim quopiam optimo nihil vtilius comperiri queat. Eo siquidem animo præditus, populo ita præerit, vt in nullam reprehensionem incurrat, & consilia hostis minime enuntientur.

At verò paucorum in dominatu, quum in commune singuli virtutis suæ specimen edere conantur, tunc graues inimicitiæ concipiũtur, dum enim quisque caput esse, & primum suam sententiam locum obtinere cupit, in graues inimicitias incidunt, ex quibus seditiones oriuntur, ex his autem homicidia: tandemque per hæc, ad vnius dominatum deuenitur, vnde hunc statum longe esse præstantissimum apparet. Nam contra, si penes populum sit imperium, fieri nullo modo potest, quin interueniat improbitas. At quum administrationi reipublicæ interuenit improbitas, non inimicitiæ, sed firmæ amicitiæ gignuntur. Quoniam, qui se improbè in Reipublicæ administratione gerunt, alij aliorum improbitatem celant. Id autem tantisper fit, dum aliquis potestatem in populum adeptus, tales homines compescuerit. Quas ob res

Aristocratia vitia.

ναρχος ἐὼν, καὶ ἐν τοῦτο δηλοῖ καὶ οὗτος, ὡς ἡ μουναρχιη κράτιστον. ἐνὶ δὲ ἐπὶ πάντα συλλαβόντα εἰπεῖν, κόθεν ἡμῖν ἐλευθερίη ἐγένετο, καὶ τεῦ δόντος; κότερα παρὰ τοῦ δήμου, ἢ ολιγαρχίης, ἢ μουνάρχου; ἔχω τοίνυν γνώμην, ἡμέας ἐλευθερωθέντας διὰ ἕνα ἄνδρα, τὸ τοιοῦτο περιστέλλειν. χωρίς τε τούτου, πατρίους νόμους μὴ λύειν. ἔχοντας εὖ, οὐ γὰρ ἄμεινον.

res illum suscipit etiam, & pretio habet populus. Dum autem in pretio est, euadit repente dominator omnium. Quo facto, & hic vnius dominatum, statum omnium esse optimum declarat, atque vt vno verbo omnia complectar, vnde & cuius munere libertatem habemus? à populone, an à paucorum, an ab vnius dominatu? Quum igitur vnius viri opera libertatem consequuti simus, hunc dominatus vnius viri statum nobis amplectendum, tuendumque censeo, ac præterea minime committendum, vt patrias leges, quæ bonæ sunt, labefactemus: minimè enim hoc expedit.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Vnius optimi imperium præstantissimum*, Εἷς βασιλεύς, εἷς κοίρανος ἔστω, *Iuxta Homerum, Iliad. 2. & Aristotelem lib. 8. Ethic. cap. 10.* Ἀριστὸν ἡ βασιλεία.

II. *Confirmat, referendo Oligarchiam, vt dissensionibus obnoxiam, è quibus infinita mala pullulant.*

III. *Contra magna est monarchiæ vtilitas.*

Natura commenta est regem, quod & ex alijs animalibus licet cognoscere. Senec. l. 1. de Clementia, Apes sine rege esse non possunt, vt scribit Plinius l. 2. natur. histor. c. 17. Grues vnum ducem, quem sequũtur, eligũt, Arist. l. 1. de hist. anim. c. 1. πρωτέρα τοσούτῳ καὶ δικαιοτέρα μοναρχία, ὅσῳπερ ῥᾶον ἐστιν ἑνὸς ἀνδρὸς γνώμῃ προσέχειν τὸν νοῦν, μᾶλλον ἢ πολλαῖς καὶ παντοδαπαῖς διανοίαις ζητεῖν ἀρέσκειν, *Tanto iustior, & mitior monarchia, quanto facilius est vni, quam multis morem gerere (inquit Isocrat. ad Nicoclem)*

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Lucan. l. 1.

Monarchia politiarum optima τοιούτῳ.

MARCI ANTONINI ORATIO AD PROCERES, QVA filium Imperatorem renuntiat, & commendat.

Ex Herodiano.

Argumentum.

Marcus Antoninus Imperator, quum ex graui morbo decumberet, nec se procul à vitæ exitu abesse intelligeret, amicos conuocauit. Ad eos, quum conuenissent, hac oratione est vsus, ijsque, quum lubricas adolescentiæ vias, & in ea ætate periculi plenam esse potentiam ostendisset, filium commendauit.

Ἄχθεσθαι μὲν ὅμας ἐφ' οἷς ὁρᾶτέ με διακείμενον, θαυμαστὸν οὐδέν· φύσει τε γὰρ τὸ ἀνθρώπινον ἐλεεινὸν ἐν ταῖς τῶν ὁμοφύλων συμφοραῖς, τά τε δεινὰ ὑπὸ τὴν ὄψιν πεσόντα οἶκτον προκαλεῖται μείζονα. ἐμοὶ δὲ καὶ πλέον ὑπάρχειν παρ'

Dolere vos, atque angi, quum ita me affectum contemplamini, minime mirandum. Quippe humanum est humanis casibus ingemiscere, multoque magis misericordiam pouocant, quæ oculis vsurpamus; Cæterum peculiaris nobiscum nostra ratio est. Nam de mei erga vos animi conscientia, mutuam spero à vobis, quasi meo iure beneuolen-

ὑμᾶς ἥκω. ἐκ γὰρ ὧν αὐτὸς διάκειμαι πρὸς ὑμᾶς, ἀμοιβαίαν εὔνοιαν εἰκότως ἤλπικα. νῦν δὲ καιρὸς εὔκαιρός ἐμοί τε αἰδέσθαι μὴ μάτην πρὸς ὑμᾶς τοσοῦτον χρόνον τιμήν τε καὶ παῤῥησίαν κατα λελεῖφθαι, ὑμῖν τε ἀποδοῦναι χάριν, δείξασιν ὅτι ὑπὲρ ὧν ἔτυχε, οὐκ ἀμνημονεῖτε. ὁρᾶτε δὴ δέ μοι τὸν, ὃν αὐτοὶ διεθρέψασθε, ἄρτι τῆς μειρακίων ἡλικίας ἐπιβαίνοντα, καὶ δεόμενον, ὥσπερ ἐν χειμῶνι, καὶ ζάλῃ, τὸν κυβερνησόντων. μὴ πως φερόμενον ὑπ' ἀπειρίας τῶν δεόντων ἐμπειρίας, εἰς φαῦλα ἐπιθυμήματα πρὸς ἀρχὴν. γένεσθε δὴ οὖν αὐτῷ ὑμεῖς ἀνθ' ἑνὸς ἐμοῦ πολλοὶ πατέρες, περιέποντές τε καὶ τὰ ἄριστα συμβουλεύοντες. οὔτε γὰρ χρημάτων πλῆθος οὐδὲν αὐταρκες πρὸς τυραννικὴν ἀκρασίαν, οὔτε δορυφόρων ῥῶμη ἱκανὴ ῥύεσθαι τὸν ἄρχοντα, ἢ μὴ προϋπάρχοι ἢ τοῖς ὑπηκόοις εὔνοια. μάλιστα δὲ ἐκεῖνοι εἰς ἀρχῆς μηχανὴν ἀκινδύνως ἤλασαν, ὅσοι μὴ φόβον ἔχωμότητος, πόθον δὲ τῶν αὐτῶν χρηστότητος παῖς τὴν ἀρχομένων ψυχὰς ὑπέσχον. οὐ γὰρ οἱ ἐξ ἀνάγκης δουλεύοντες, ἀλλ' οἱ μετὰ πειθοῦς ὑπακούοντες, ἀνύποπτοι, καὶ ἔξω κολακείας προσποιήτου ὁρῶντές τε καὶ πάσχοντες διατελοῦσιν, οὐδέ ποτε ἀφιστάζουσιν, ἢν μὴ βίᾳ καὶ ὕβρει ἐπὶ τοῦτο ἀγθῶσι. χαλεπὸν δὲ μεγάλου τε, καὶ ὄρον ἐπιθεῖναι ἐπιθυμίας ὑπερτεθείσης ἕξεσίας. τοιαῦτα δὲ συμβουλεύοντες αὐτῷ, καὶ ὧν ἀκέσει παρὼν ὑπομιμνήσκοντες, ὑμῖν τε αὐτοῖς, καὶ πᾶσιν ἄριστον ἀποδείξετε βασιλέα, τῇ ἐμῇ μνήμῃ χαριεῖσθε τὰ μέγιστα. οὕτω τε μόνως ἀίδιον αὐτὴν ποιῆσαι δυνήσεσθε.

uolentiam. Nunc autem illud incidit, quum & mihi sit iudicium faciundum, frustrane vobis honorem tamdiu habuerim, studiumque omne meum lubens detulerim, & vobis referenda gratia ostendendum, non esse eorum, quæ acceperitis immemores. Videtis filium, quem ipsimet educastis, primas nunc adolescentię metas ingredientem, quasi in solo, atque in fluctu vitæ gubernatoribus indigentem, ne rerum imperitia de recto quasi cursu ablatus, malis artibus impingat. Este igitur vos illi pro me vno multi parentes, excolendo scilicet, atque optima suggerendo. Neque enim aut pecuniæ vis Tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti, benevolentiamque accommodent. Quippe sic demum diu, tutoque imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neque enim quos seruire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua quemque voluntas adegit, ij sunt in agendo, patiendoque à suspicione omni, assentatione que vacui: nunquam imperia detrectãt, nisi violenter, contumelioseque sint habiti. Est autem difficile in maxima licentia moderari sibi, & quasi frænos imponere cupiditatibus. Quod si bene viuendi auctores illi fueritis, & quæ nunc coram audit, identidem admonueritis, vna opera, & ipsum vobis, reliquisque omnibus optimum principem reddetis, & memoriam nostram demerebimini, quam scilicet immortalem, hac vna ratione poteritis efficere.

Adolescentia periculosa.

Beneuolentia.

Regum Clementia.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Exordium mite à beneuolentia procerum erga se, & suo mutuo erga proceres studio.*

II. *Post locum beneuolentiæ exponit rem, & filii mores in hac ætate lubricos. Est enim, vt ait, Adolescentia, quædam ætatis procella, de qua recte dixit Ambrosius*, Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum feruore, calentis inflammatus ætatis: *& in ea potissimum vigẽt affectus*, δῆμος ἀργὸς, καὶ πολύφωνος, καὶ πολυκέφαλος, *inquit Maximus Tyrius oratione sexta.*

Affectus adolescẽtiæ. Vulgus pigrum & loquax.

III. *Quæ cum ita sint, erat vt sint ei demortui Parentis loco, cum nullum maius sit præsidium optimorum ciuium amore, & obsequijs, siquidem Popularium beneuolentia, optima regis opulentia: & infirmissimum satellitium*, ἰσχυρὸν ἱερὸν φορεῖσθαι, *vt aiebat Periander, apud Diogenem Laertium.*

IV. *Addit quod instillari cupit filio, leni manu regnandum. Musonius apud Maximum serm. 40.* Clementia

10. *suadet Principibus*, vt venerabiles potius suis subditis fiant, quam terribiles. *Quanto securior Regis aula cum non crudelitatis, sed*

amoris excubiis defenditur? Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere, fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit.

V. Concludit per humanam commendationem filii, quam ſi non neglexerint, ſibi principem optimum facient, Patris verò ſepulcri cineres, & manes demerebuntur.

COMMODI ORATIO.

Argumentum.

Commodus, Marci Imperatoris filius, quum paternam imperij hæreditatem cerneret, de conſilio amicorum ſeſe in caſtra contulit, vt quum militem donatiuo, & blanda oratione ſibi conciliaſſet, ab eo Imperator appellaretur. Eò quum veniſſet, hanc concionem apud milites habuit, commemoratoque patris in ſe, & in eos ſtudio, diuturnaque ſua cum illis conſuetudine, quantæ ſibi coniunctionis & neceſſitudinis cauſſæ cum ijs intercederent oſtendit, hortatuſque eſt, vt ſibi in ſuſcipiendo, & ampliſicando imperio adeſſe vellent.

Ex eodem Herodiano.

Κοινὴν ἔναί μοι πρὸς ὑμᾶς τὴν ἐπὶ τῇς καταλαβῶσιν ἀλγηδόνα, καὶ μηδὲν δέ με ἧττον ὑμᾶς ἐμοῦ δυσφορεῖν, ἐμαυτὸν ἀκριβῶς πέπεικα. οὐδὲ γὰρ παρόντος μοι τοῦ πατρὸς, πλεονεκτεῖν ὑμοῦ ἠξίουν. ἐκεῖνος γὰρ πάντας ὑμᾶς ὡς ἕνα ἠγάπα. ἔχαιρεν οὖν μᾶλλον συναπτῶν με ἢ ὁρῶν καλῶν. τὴν μὲν γὰρ, προσηγορίαν ἠγεῖτο φύσεως, τὴν δὲ, ἀρετῆς κοινωνίαν. φέρων τέ με πολλάκις νήπιον ὄντα, ταῖς ὑμετέραις ἐνεχείριζε πίστεσι. διόπερ καὶ ῥᾴδια πάσης εὐνοίας μεδέξειν πρὸς ὑμοῦ ἤλπικα. τῷ μὲν πρεσβυτέρων, χορηγά μοι ταῦτα ὀφειλόντων· τοὺς δὲ ἡλικιώτας, ἐκ ὅτου ἂν καὶ συμφοιτητὰς τῶν ὅπλοις ἔργων ἀποκαλοίμην. πάντας γὰρ ἡμᾶς ὡς ἕνα ὁ πατὴρ ἐφίλει τε καὶ πᾶσαν ἀρετὴν ἐπαίδευεν. ἔδωκε δὴ μετ' ἐκεῖνον ἐμὲ βασιλέα ἡ τύχη, οὐκ ἐπείσακτον, ὥσπερ οἱ πρὸ ἐμοῦ, προσκτήτῳ σεμνυνόμενον ἀρχῇ, ἀλλὰ μόνος τε ὑμῖν ἐγὼ καὶ τῇς βασιλείοις ἀπεκυήθην. καὶ μὴ πειραθέντα με ἰδιωτικῶν παραγάνων, ἅμα δὲ τ' γαστρὸς προελθεῖν, βασιλεῖ ὑπεδέξατο πορφυρίς. ὁμοῦ δέ με εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον, καὶ βασιλέα. εἰκότως ἂν οὖν ταῦτα λογιζόμενοι, τέρχοιτε οὐδοθέντα ὑμῖν ἀλλὰ γενηθέντα αὐτοχρά-

COmmunem mihi eſſe vobiſcum huius mœrorem calamitatis, neque vos aliter, quam meipſum affectos eſſe, planiſſimè perſuaſum habeo: neque enim ego ſuperſtite parente ipſo meo, ſuperiorem me vobis vnquam geſſi. Nam ille ita nos vniuerſos, vt vnum aliquem diligebat, lubentiuſque me commilitonem, quam filium vocitabat: quippe hanc naturæ appellationem, illam verò virtutis communicationem exiſtimabat. Quin infantem ſæpè me in vlnis geſtans, vobis dabat in manus, quaſique veſtræ mandabat fidei Quapropter, minime dubio, quin mihi omnem ſitis beneuolentiam adhibituri: quum pro alumno me maiores natu habere debeant, ipſos autem æquales, condiſcipulos armorum iure appellauerim. Siquidem ita nos vniuerſos, vt vnum aliquem, pater diligebat, omnique virtutum ſtudio, ac bonis artibus curabat inſtituendos. Nunc me poſt illum vobis principem fortuna dedit, non quidem aſcititium, quales ante me fuerunt, neque velut acquiſito imperio gloriantem. Quippe vnus ego vobis natus, educatuſque in aula, priuatisque intactum cunabulis, ſtatim me vt ex aluo prodieram, imperatoria purpura ſuſcepit, ſimulque ſol hominem me vidit, & principem, hæc cum animis veſtris reputantes, iure principem colite non datum vobis, *Purpura regum.*

τορα. ὁ μὲν γὰρ πατὴρ εἰς οὐρανὸν ἀναπτὰς, ὁπαδὸς ἤδη καὶ σύνεδρός ἐστι θεῶν. ὑμῖν δὲ χρὴ μέλειν τῶν ἐν ἀνθρώποις, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς διοικεῖν· κατορθοῦν δὲ αὐτὰ καὶ βεβαιοῦν, ὑμέτερον ἔργον, εἰ τά τε τοῦ πολέμου λείψανα μετὰ πάσης ἀνδρείας ἀπαλείψοιτε, καὶ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν μέχρις Ὠκεανοῦ προαγάγοιτε· ὑμῖν τε καὶ ταῦτα δόξαν οἴσει, καὶ τὴν τοῦ κοινοῦ πατρὸς μνήμην χάρισιν ἀξίαις οὕτως ἀμείψεσθε· ὃν ἐπακούειν τε τῶν λεγομένων, καὶ τὰ πραττόμενα ἐφορᾶν ἡγεῖσθε. εὐδαιμονοίημεν δὲ ἂν τὰ δέοντα πράττοντες ὑπὸ τοιούτῳ μάρτυρι. καὶ τὰ μὲν πρότερον ὑμῖν ἀνδρείως κατορθωθέντα, εἰς τὴν ἐκείνου θεφίαν τε καὶ στρατηγίαν τὴν ἀναφορὰν ἔχει· ὅσα δὲ ἂν σὺν βασιλεῖ νέῳ προθύμως ἐπιδείξησθε, τούτων τὴν δόξαν πίστεώς τε ἀγαθῆς καὶ ἀνδρείας ἀποίσεσθε. τό, τε ἐν ὑμῖν νέον σεμνότητος πληρώσετε, τῇ τῶν ὑμετέρων ἔργων ἀνδραγαθίᾳ. τό, τε βάρβαρον ἐν ἀρχῇ νέας ἡγεμονίας κωλυθὲν, οὔτε εἰς τὸ παρὸν καταθαρσήσει τῆς ἡλικίας καταφρονῆσαν, τά τε μέλλοντα φοβήσεται δέει τῶν πεπειρομένων.

bis, sed natum. Nam pater quidem iam in cœlum euectus, consors est, consessorque Deorum, nobis autem orbis terrarum gubernacula, rerumque humanarum cura incumbit. Quæ quos successus, quantasque habituræ sunt vires, in vestra manu est. Si enim belli reliquias fortiter deleueritis, & imperij Romani terminus ad Oceanum vsque promoueritis, cum ipsi vobis ingentem gloriam comparabitis, tum communis parentis memoriæ debitam gratiam referetis. Atque eum quidem exaudire quę dicimus, & intueri præsentem, quæ gerimus, credite: nos autem felicissimos, qui benefactorum nostrorum testem eiusmodi simus habituri. Quæ igitur ad hanc diem fortissimè prosperrimeque gessistis, illius scilicet sapientiæ, gubernationique tribuuntur: quę autem mecum, hoc est, cum iuuene Imperatore vestro, præclare feceritis, ea sunt vobis ipsis, quasi peculiarem cùm fidei, tum virtutis claritudinem paritura. Quo circa, & ætati meæ rebus strenuè gerendis authoritatem conciliabitis, & barbara gens initio noui principatus repressa, neque in præsens contemptu ætatis nostræ se efferet audacius, & suis nunc edocta periculis, metu deinceps perpetuò coercebitur.

OECONOMIA ORATIONIS.

I. *Exordium prudens à pietate in patrem, & fiducia in milites.*

II. *Antonini mortui commendatio, amor eius, & beneuolentia in populares. Blanditiæ in ipsum Commodum, cui magnæ instar commendationis esse debet, tanto parenti placuisse.*

III. *Hinc ratio beneuolentiæ, quam expectat à militibus, non noua, & adscititia, sed quæ firmis radicibus inoleuerit, quippe* imperium cum luce habuit, *quod dixit, hoc Claudianus in Panegyri Honorij, & imitatus est Panegyristes Constantini Magni,* imperium nascendo meruisti, quod quidē mihi Deorum immortalium munus, & primum videtur, & maximum, in lucem statim te felicem venire. *Felicitas Natalium.*

IV. *Quare Patre de rebus humanis sublato, cum in eius humeros hæc imperij moles refundatur, tantarum rerum administros hortatur, ad fidelissima obsequia. Argumenta sunt à persona Patris demortui, & rebus antea gestis, quibus etiam accedunt præmiorum illecebræ.*

ACTIO PARRICIdij nobilissima.

Ex Tito Liuio.

Argumentum.

Philippo Regi Macedonum, magni illius Philippi abnepoti, filij duo erant, Perseus, & Demetrius, quorum minor natu Demetrius multitudinis fauorem demeruerat, gratus ab initio Romanis, & legationum quas pro patre impigrè exequutus erat, nomine, & alijs præclaris rebus, quæ in egregio principe prælucebant. Hoc ipsum Perseus frater ægrè ferebat, quod ita sibi viam ad imperium præmunire Demetrius videretur,

retur, erat & patri nonnihil suspectus, quod quæcumque in aula regia aduersus populum Romanum dicerentur, refelleret, eorumq; causam nauiter amplecteretur, hanc occasionem arripuit Perseus, & ex priuata simultate in apertum odium tandem erupit: celebrabant fortè lustrum Macedones, cùm pro more iuuenes regij suis quisque copijs stipatis concurrerent, ita tamen vt Persei furore nihil ad iustam prælij speciem præter ferrum deesset, eo certamine longè superior Demetrij acies apparuit, quod indigne ferens Perseus, fratrem ad conuiuium vocantem respuit: festo deinde die iactatis de ludicro vtrinque sermonibus, speculator ex conuiuio Persei, ad audiendum quæ in aula Demetrij iactarentur, missus est, qui à iuuenibus ex triclinio Demetrij egressis, malè mulctatus abscesserit: eius rei ignarus Demetrius, mox, quin commessatum, inquit, ad fratrem imus, & iram, si qua fortè ex certamine residet, nostra hilaritate, lenimus: conclamant omnes eundum esse, sed qui exploratorem pugnis exceperat, factum dissimulantes, gladios sub veste occultant, quibus se si qua vis esset, defenderent: speculatores in vestibulo aduum Persei stabant, qui extemplo ad dominum ingressi, nuntiant Demetrium venire inter multos gladijs cinctos, hoc metu permotus Perseus, claudit fores, & fratrem aditu excludit. Postero die Perseus insidias sibi à fratre comparatas Philippo patri renunciat. Rex Demetrium ad se vocari, & principes aliquot iubet, quibus miseram, & suam, & liberorum conditionem, hac oratione significat: quæ finita Perseus Demetrium parricidij accusat, Demetrius fratris criminationem refellit, sed tandem miser adolescens causa excidit, & fratris dolo, patrisq; nimis credula crudelitate veneno interfectus est, cuius innocentiam, cùm postea Perseus agnouisset, dolore consumptus est, & moriens Thyesteas execrationes in Perseum filium eructauit, quæ irrita non ceciderunt.

PHILIPPI MACEDONIS de sua liberorumque infœlici conditione pronunciatio.

Hæc oratiuncula est veluti apparatus ad causam

SEdeo miserrimus pater, iudex inter duos filios, accusatorem parricidij, & reum aut conficti, aut admissi criminis, labem apud meos inuenturus: iam pridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum vultus inter vos minimè fraternos cernerem, quum voces quasdam exaudirem: sed interdum spes animum subibat deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse: etiam hostes armis positis fœdus iniisse, & priuatas multorum simultates finitas: Subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis, consuetudinisque inter vos, meorum denique præceptorum, quæ vereor, ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego audientibus vobis detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli, quibus se, stirpemque suam, domos, regna funditus euertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui, sociabilem consortionem inter binos Lacedæmoniorum reges salutarem per multa sæcula ipsis, patriæque: eandem ciuitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, euersam. Iam hos, Eumenem, Attalumque fratres, à quam exiguis rebus, propè, vt puderet regij nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet regum huius ætatis, nulla re magis, quam fraterna vnanimitate regnum æquasse. Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quæ aut visa, aut audita habebam. T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum gesserunt. P. & L. Scipionum, qui Antiochum deuicerunt, patris, patriique eorum, quorum perpetuam vitæ concordiam mors quoque miscuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleri euentus deterrere à vecordi discordia potuit: neque horum bona mens, bona fortuna ad sanitatem flectere: viuo, & spirante me, hæreditatem meam ambo, & spe, & cupiditate improba petitis: eo vsque me viuere vultis, donec alterius

Increpatio grauis exemplis.

Lacedæmoniorum regum.

alterius vestrum superstes, haud ambiguum regem alterum, mea morte faciam, nec patrem potestis pati, nihil chari, nihil sancti nominis nostis, cuius vice regni vnius insatiabilis amor successit. Agite, conscelerate aures paternas: decernite crimínibus, mox ferro decreturi, dicite palam, quicquid aut veri potestis, aut comminiscí, libet: reseratæ aures sunt, quæ post hac, secretis alterius ab altero criminibus claudentur.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium graue, & plenum commiserationis. Prauisus antea à patre fratrum morbus, & adhibita remedia, quæ propter vim mali parum valuerunt: hinc illa lachrymæ.*

II. *Ex vna parte, funesta discordiarum exempla, ex altera fructus concordiæ propositus: sed nihil contra vim ambitionis potuere. Coniunctionis exempla sumpta à Lacedæmonijs. Quippe Lacedæmonij bini Reges diu regnarunt, cum scilicet luxus aberat, & pecunia. Illud insignis moderatio in Eumene, & Attalo regibus, in Quintijs, Scipionibus, quorum meminerunt Valerius, Plutarch. Cicero. Eumenes rex fratribus perpetuo dicere solebat: si vt rege me vtemini, ego vobis vt fratribus vtar: sin autem vt fratre, ego vobis vt rege. Sanct. Max. serm. 9. de magistratu.*

III. *Erumpit acerbæ exulcerati patrij inter filiorum discordias conquestio.*

PERSEI ACCVSATORIS actio, in Demetrium fratrem, patricidij reum.

Status duo complectitur, crimen parricidij, & amicitiam cum Romanis. Inuentio argumentorum tota pene est ab adiunctis. Dispositio grauiora expedit initio. Character est valdè probabilis, artificiosissima oratio.

APerienda nimirum nocte ianua fuit, & armati comessatores accipiendi, præbendumque ferro iugulum, *quando non creditur, nisi perpetratum facinus.* Eadem petitus insidijs audio, quæ latro, atque insidiator. Non nequicquam isti vnum Demetrium filium te habere: me subditum, & pellice genitum appellant. Nam si gradum, si charitatem filij apud te haberem: non in me querentem deprehensas insidias, sed in eum qui fecisset, sæuires. Nec adeo tibi vilis vita esset nostra, vt nec præterito periculo meo mouereris, neque futuro, si insidiantibus sit impune. Itaque si mori tacitum oportet, taceamus, precari tantum Deos, vt à me cœptum scelus in me finem habeat, *nec per meum latus tu petaris.* *Querimonia grauis.*

Sin autem, quod circumuentis in solitudine natu ipsa subijcit, vt hominum, quos nunquam viderint, fidem tamen implorent: mihi quoque ferrum in me strictum cernenti, vocem mittere liceat, per te, patriumque nomen, quod vtri nostrum sanctius sit iampridem sentis, ita me audias precor, tamquam si voce, & comploratione nocturna excitus, mihi quiritanti interuenisses, Demetriũ cum armatis nocte intempesta in vestibulo meo deprehendisses. Quod tum vociferarer in re præsenti pauidus, hoc nunc postero die queror. Frater, non comessantium in vicem iamdiu viuimus inter nos, regnare vtique vis: huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium ius, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat verò etiam Patris iudicium. *Huc transcendere, nisi per meum sanguinem non potes.* Omnia moliris, & tentas: adhuc seu cura mea, seu fortuna restitit parricidio tuo, hesterna die *in lustratione, & decursu, & simulacro ludicro pugna*, funestum propè prælium fecisti: nec me à morte aliud vindicauit, quam quod me, ac meos vinci passus sum, ab hostili prælio, tamquam fraterno lusu, pertahere me ad cœnam voluisti. Credisne, Pater, inter inermes conuiuas me cœnaturum fuisse, ad quem armati comessatum venerunt? Credis nihil à gladijs nocte periculi fuisse, quem fudibus te inspectante prope occiderunt? quid hoc noctis, quid vt inimicus ad iratum? quid cum ferro succinctis iuuenibus venis? conuiuam me tibi committere ausus non sum, comessatorem te cum armatis venientem recipiam? *Si aperta ianua fuisset, funus meum parares hoc tempore, Pater, quo querentem audis.* Nihil ago tamquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo, ago: quid enim, negat se cum multitudine venisse ad *Ambitio crudelis.*

ianuam meam? aut ferro succinctos secum fuisse: quos nominauero, accerse: possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt: non tamen audebunt negare, se deprehensos intra limen meum cum ferro. Si ad te deducerem, rem pro manifesto haberes, fatentes pro deprehensis habe. *Execrare nunc cupiditatem regni, ad furias fraternas cogita*: sed ne sint cœcæ, Pater, execratiotes tuæ, discerne: dispice insidiatorem, & petitum insidijs: noxium huic esse caput, qui occisurus fratrem fuit, *habeat etiam iratos parentes Deos*: qui periturus fraterno scelere fuit, perfugium in Patris misericordia, & iustitia habeat. Quo enim alio confugiam? cui non solemne, lustrate exercitus, cui non decursus militum, non domus, non epulæ, non nox ad quierem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est? si iero ad fratrem inuitatus, moriendum est: si recepero intra ianuam comessatum fratrem, moriendum est: nec eundo, nec manendo insidias euito. Quò me conferam? *nihil præter Deos, Pater, & te, colui.* Non Romanos habeo, ad quos confugiam. Perisse expetunt, quia tuis iniurijs doleo: quia tibi ademptas tot vrbes, tot gentes, modò Thraciæ maritimam oram, indignor, nec me, nec te incolumi Macedoniam suam futuram sperant: sed si me scelus fratris, te senectus absumpserit, *aut nec ea quidem expectata fuerit*, regem, regnumque Macedoniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum. At in Macedonibus satis præsidij est, vidisti hesterna die impetum in me miltium, quid illis defuit, nisi ferrum? quod illis defuit interdiu, conuiuæ fratris noctu assumpserunt. Quid de magna parte Principum loquar, qui in Romanis spem omnem dignitatis, & fortunæ posuerunt, & in eo qui omnia apud Romanos potest? Neque hercule istum mihi tantum fratri maiori, sed propè est, vt tibi quoque ipsi Regi, & Patri præferant: iste enim est, cuius beneficio pœnam tibi senatus remisit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam senectutem obligatam, & obnoxiam adolescentiæ suæ esse æquum censet, pro isto Romani stant: pro isto omnes vrbes tuo imperio liberatæ: pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent. Mihi præter te, Pater, quid vsquam aut spei, aut præsidij est? quò spectare illas literas ad te nunc missas T. Quintij credis? quibus & bene te consuluisse rebus tuis ait, quod Demetrium Romam miseris: & hortatur, vt iterum, & cum pluribus legatis, & prioribus quoque Macedonum remittas eum. T. Quintius, qui nunc est author omnium rerum, isti & magister, eum sibi, te abdicato, patre, in locum tuum sustinuit: illic ante omnia clandestina concepta sunt consilia: quæruntur adiutores consilijs, quum te, plures, & principes Macedonum cum isto mittere iubet, qui hinc integri, & sinceri Romam eunt, Philippum regem se habere credentes: imbuti, & illinc infecti Romanis delinimentis, redeunt. Demetrius ijs vnus *omnia est*: eum iam Regem viuo patre appellant. Hæc si indignor, audiendum est statim, non ab alijs solum, sed etiam à te, Pater, cupiditatis regni crimen; ego vero, si in medio ponitur, non agnosco, quem enim suo loco moueo, vt ipse in eius locum succedam? Vnus ante me Pater est, & vt diu sit, Deos rogo: superstes ei ita sim, si merebor, vt ipse me esse velit. Hæreditatem regni, si pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, iuris gentium. Obstat frater maior, ad quem iure, voluntate etiam Patris, regnum pertinet. Tollatur nunc primus in regnum, fraterna cæde sit potior: Pater senex, & filio solus orbatus magis timebit ne irascatur, quam vt filij vlcisci necem patiatur; Romani lætabuntur, probabunt, defendent factum. Hæ spes incertæ, Pater, sed non inanes sunt: ita enim res se habet, periculum vitæ propellere à me potes, puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt: si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.

Ambitio detestanda.

Dij paterni.

Pietas.

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium callidum, quasi ex flagrantis adhuc delicti commotione erumpat, non domi sit comparatum: deinde artificiosa conquestio, flebilis, subdola ad motum recitandum aptissima. Quiritatus autem proprie questus, & comploratio eorum, qui populum Romanum inuocabant, translatum est in ore Macedonis.*

Quiritatus.

II. *Serio delabitur ad caussam. Primum crimen, & radix omnium obijcitur Demetrio, dominan-*

nandi libido. Fortuna autem, per quam se seruatum hic Perseus dixit, est ipse Genius δαίμων μυσαγωγὸς ἴδιος *vt dicitur à Menandro.*

Genius.

III. *Parricidij crimen intentatum, colligitur ex effectis, & adiunctis, ac primum ex recenti lustratione, quæ imago iustæ pugnæ fuit. Lustrale certamen à Tacito vocatur. Annal. lib. 16. Hanc (inquit Perseus) dum obiret Demetrius, pene ludo iunxit parricidium.*

Lustratio.

IV. *Probabilis fit oratio ex circumstantiis aptissime enucleatis: Hinc acris, & neruosa pugnacitas.*

V. *Post rem probatam, per Aporiam adhibetur motus non vi accersitus, sed leuiter è suo fonte deriuatus, Dii autem paterni quorum hic meminit, sunt Penates, de quibus Clemens Alexandrinus* περὶ παιδείας, *& Schol. Apollon. & Arnob. aduersus gentes l. 1. & l. 3.*

Dii Paterni Penates.

VI. *Gradum facturus ad aliud crimen, callide nomen, & beneuolentiam Patris vsurpat, deinde summa dexteritate innectit criminationem de amicitia cum Romanis, & spe inuadendi regni, Philippus autem mutilatus fuerat aliqua parte imperii à Romanis & nondum concoctus dolor. Sciebat Perseus qua parte iam exulceratus suspicacis Parentis animus esset feriendus.*

VII. *Hac igitur ianua, quam sibi patere facilius existimabat, irrepit, grauiter exagitat Demetrium, ob amicitiam Romanorum, apud quos legatus fuerat. Hinc dira amulatio seni instillatur, ita autem in responsis Senatus ferebatur,* ἐν αἷς οἱ Ῥωμαῖοι πᾶσαν τὴν ἐξ αὐτῶν χάριν, καὶ πίστιν εἰς τὸ δικαστήριον ἀπωθοῦντο. *Polybius.*

Demetrius carus Romanis.

VIII. *Firmatur coniectura ex T. Quintii literis ad Demetrium, & callidissime in odium Patris adducitur miser adolescens: efficaci autem oratione dixit,* Demetrius ijs omnia est. *Sic græcè dicunt* τὰ πάντα, *quod & latinè extuli: Arbiter in Satyrico,* Quare in cœlum abijt, & Trimalcionis Tapanta est.

Tapanta.

IX. *In peroratione pretenditur simulata moderatio, pessimi consilii artifex, sitit fraternum cruorem ista rabies, sed vix malitia sua integumentis euoluta.*

DEMETRII, PARRICIDII rei, defensio.

Relegit duo crimina obiecta, & confutat penè ab ijsdem locis, maximè autem conatur repugnantibus implicare aduersarium: quod argumentum ad confutationem potentissimum esse solet. Dictio nobilis est, miserationes valde graues, & opportunæ.

OMnia, quæ reorum antea fuerant auxilia, Pater, præoccupauit accusator, simulatisque lachrymis in alterius perniciem, veras meas lachrymas suspectas tibi fecit: quum ipse, ex quo ab Roma redij, per occulta cum suis colloquia, dies, noctesque insidietur vltro mihi: nunc non insidiatoris modo, sed latronis manifesti, & percussoris speciem induit. Periculo suo te exterret, vt innoxio fratri per eundem te maturet perniciem: perfugium sibi nusquam gentium esse ait, vt ego ne apud te quidem spei quicquam reliqui habeam: Circumuentum, solum, inopem, inuidia gratiæ externæ, quæ obest potius, quam prodest, onerat. Iam illud quam accusatorie, quod noctis huius crimen miscuit cum cæteris infectatione vitæ meæ, vt & hoc, quod iam, quale sit, scies, suspectum alio vitæ nostræ tenore faceret, & iam vanam criminationem spei, voluntatis consiliorum meorum, nocturno hoc ficto, & composito argumento, fulciret: simul & illud quæsiuit, vt repentina, minimeque præparata accusatio videretur; quippe ex noctis huius metu, & tumultu repentino exorta. Oportuit autem, Perseu, si proditor ego Patris, regnique eram, si cum Romanis, si cum alijs inimicis Patris inieram consilia, non expectatam fabulam esse noctis huius, sed proditionis meæ ante me accusatum, si illa criminosa, ac vana accusatio erat, inuidiamque tuam aduersus me magis, quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam, aut prætermitti, aut in aliud tempus differri; vt perspiceretur, vtrum ego tibi, an tu mihi nouo quidem, & singulari genere odij insidias fecisses. Ego tamen, quantum in hac subita perturbatione potero, separabo ea, quæ tu confudisti, & noctis huius insidias aut tuas, aut meas detegam. Occidendi sui consilium me iniisse videri vult, vt scilicet maiore Fratre sublato, cuius iure gentium, more Macedonum, tuo etiam (vt ait) iudicio regnum futurum est: ego minor in eius, quem occidissem, succederem locum. Quid ergo illa sibi vult pars altera ora-

orationis, qua Romanos à me cultos ait, atque eorum fiducia in spem regni me venisse? Nam, & si in Romanis tantum momenti esse credebam, vt quem vellent, imponerent Macedoniæ regem, & meæ tantū apud eos gratiæ confidebam: quid opus parricidio fuit? an vt cruētum fraterna cede diadema gererem? vt illis ipsis apud quos aut vera, aut certè simulata probitate partam gratiam habeo (si quam forte habeo) execrabilis, & inuisus essem? Nisi T. Quintium credis, cuius virtute, & consilijs me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate viuat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse authorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac pene omnium Deorum, hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum, crediderit: Idem, tanquam in alijs omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem vltimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, vt vter timuerit, ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris, iudicetur cepisse? exequamur tamen quocunque modo confícti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est, & omnes insidiarum vias in vnum diem contulit. Volui interdiu eum, post lustrationem quum concurrimus, & quidem (si Dijs placet) lustrationum die occidere: volui, quum ad cænam inuitaui, veneno scilicet tollere: volui, quum comessatum gladijs accincti me secuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, vides: lusus, conuiuij, comessationis, quis dies, qualis? quo lustratus exercitus, quo inter diuisam victimam, prælatis omnium qui vnquam fuere Macedoniæ regum armis, reges duo solito more tua tegentes latera, Pater, præuecti sumus, & secutum est Macedonum agmen? Hoc ego, etiam si quid ante admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro, tum, quum maximè in hostiam, itineri nostro circumdatam, intuens, parricidium, venena, gladios in comessatione præparatos volutabam in animo, vt quibus alijs deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem? sed cœcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud alio confudit. Nam si veneno te inter cænam tollere volui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine, & concursu iratum te efficere, vt meritò, sicut fecisti, inuitatus ad cœnam abnueres? quum autem iratus negasses, vtrum vt placarem te, danda opera fuit, vt aliam quærerem occasionem, quoniam semel venenum paraueram? an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, vt ferro te, & quidem eo die per speciem comessationis occiderem? quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam euitasse meam, non ab eodem metu comessationem quoque euitaturum existimabam? non est res, qua erubescam, Pater, si die festo inter æquales largiore vino vsum vsus, tu quoque velim inquiras, qua lætitia, quo lusu apud me celebratum hesternum conuiuium sit, illic etiam prauo forsitan odio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine, pars nostra non inferior fuerat: miseria hæc, & metus crapulam facile excusserunt. Quod si non interuenissent, insidiatores somno sopiti iaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram; non temperassem vino in vnum diem? non milites meos abstinuissem? Et, ne ego me solum nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus, ac suspicax frater, nihil aliud scio inquit, neque arguo, nisi quod cum ferro comessatum venerunt. Si quæram, vnde idipsum scias, necesse erit aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita aperte sumpsisse ferrum, vt omnes viderent, & ne quid ipse aut prius inquisisse, aut nunc criminose argumentari videretur, te quærere ex ijs, quos nominasset, iubebat, an ferrum habuissent: vt tanquam in re dubia, quum id quæsisses, quod ipsi fatentur, pro conuictis haberentur, quin tu illud quæri iubes, num tui occidendi causa ferrum sumpserint, num me auctore, & sciente. Hoc enim videri vis non illud, quod fatentur, & palam est, & sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Recte, an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent: meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris, aut explica vtrum aperte, an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus, cur nemo, præter eos, qui tuum speculatorem pulsarunt? Si clam, quis ordo consilij fuit? conuiuio soluto, cum comessator ego discessissem, quatuor substitissent, vt sopitum te aggrederentur, quomodo fefellissent, vt & alieni, & mei, & maximè suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant, quomodo autem trucidato te, ipsi euasuri fuerint? quatuor gladijs domus tua capi, & expugnari potuit? quin tu,

Vinitempe-rantia ferinum opus aggressuru.

tu, omissâ istâ nocturnâ fabulâ, ad id, quod doles, quod inuidiam vrit, reuerteris? cur vsquam regni tui mentio fuit Demetri, cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris, quam ego, quum spem meam, quæ, si tu non esses, certa erat, dubiam, & solicitam facis? Hæc sentit Perseus, & si non dicit: hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum criminibus, & suspicionibus replent. Ego autem, Pater, quemadmodum nec tunc sperare regnum, nec ambigere vnquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis: sic illud nec debui facere, nec debeo, vt indignus omnibus videar. Id enim vitijs meis, non cedendo cui ius, fasque est, non molestia consequar. Romanos obijcis mihi, & ea quæ gloriæ esse debent in crimen vertis. Ego nec obses Romanis, vt traderer, nec vt legatus Romam mitterer, à te petij: missus, ire non recusaui: vtroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem: itaque mihi cum Romanis amicitiæ causa fuisti, Pater, quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit: si bellum esse cœperit: qui obses, qui legatus pro patre, non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie vt prosit mihi Romanorum gratia, postulo: nec obsit, tantum deprecor: nec in bello cœpit, nec ad bellum reseruetur. Pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum: neutra res mihi nec gloriæ, nec crimini sit. Ego si quid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam. Si innocens sum, ne inuidia conflagrem, quum crimine non possum, deprecor. Non hodie me primum frater accusat, sed hodie primum apertè, nullo meo in se merito. Si mihi Pater succenserer, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat: te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In eo, vbi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. E conuiuio, & comessatione prope semisomnis, raptus sum ad causam parricidij dicendam: sine aduocatis, sine patronis, ipse pro me dicere cogor, si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum, & ad componendam orationem sumpsissem, quum quid aliud, quam ingenij fama periclitarer, ignarus quid accersitus essem, te iratum, te iubentem dicere causam, fratrem accusantem audiui. Ille diu ante præparata, meditata in me oratione est vsus, ego id tantum temporis, quo accusatus sum ad cognoscendum, quid ageretur, habui: vtrum illo momento horæ accusatorem audirem, an defensionem meditarer? attonitus repentino, atque inopinato malo, vix quid obijceretur intelligere potui: nedum satis sciam quomodo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi Patrem iudicem haberem? apud quem, etiamsi à fratre charitate vincor, misericordia certè, reus vinci non debeo. Ego enim, vt me mihi, tibique serues, precor: ille vt me in securitatem suam occidas, postulat, quid eum quum regnum ei tradideris, facturum eredis in me esse, qui iam nunc sanguine meo, sibi indulgeri æquum censet?

Demetrii honesta & sublimis oratio.

Querimonia Demetrii grauis.

OECONOMIA orationis.

I. Exordium aptissimum, & ex tempore natum, in quo versutias accusatoris detegit, & exulceratum patrem prudenter mitigat.

II. Dolum malum huius criminationis arguit dilemmate, si enim antea proditor Demetrius, cur tantum scelus in Patrem, & regnum tacebatur? Si primùm, quorsum illa vetus criminatio?

III. Confutatio, in qua artificiosè, & subtiliter aduersarium vrget à repugnantibus, incredibile esse palam faciens, eum qui amicitia Romanorum tantum posset ad submouendum fratrem, ad vltimum parricidij scelus animum conuertisse. Accedit Titi Quintii persona grauitas, cuius mores sunt ab istis sceleribus alieni.

IV. Vrget maximè repugnantia aduersarii argumenta. Nam cum Deorum, & hominum consensum collegerit penes Demetrium, incredibile est eundem parricidio voluisse, quod illi tanta fauoris lenitate obtigerat.

V. Diluit suspicionem parricidii ab adiunctis temporum, & locorum, non satis tamen firma videntur argumenta. Quod autem hic ait de lustratione per victimam, Cruentum habes huius lustrationis ritum apud Herodot. lib. 4. Vbi Xerxes Pythio Lydo, 5. filiorum patri, vnius vacationem à militia postulanti, quem vellet eligere permisit: Deinde, quem elegerat in duas partes distractum, ab vtroque viæ latere posuit, & hac victima lustrauit exercitum. *Non pecude, quod fieri solebat, sed humano cruore abusus.* *Xerxis crudelitas.*

VI. Crimen diluit à securitate animi, & latitia

huius diei, quæ in homicidis esse minimè poterat. Vrbanam autem & candidam excusationem præmittit, maximè apud iuam gentem, cui grata Regum vinolentia. *Tacit. Ann. 9.*

Vinolentos non admittunt magna consilia.

Porro magna consilia violentos non admittunt. Quippe anima sicca sapientissima, *& in ebrietate, vt ait Clemens Alexandrinus,* κυβερνήτης ὁ νοῦς ἀνθρώπινος περιφέρεται, ὥσπερ ἐπὶ σκάφους ἐπὶ τὴν τῆς μέθης, οἰδαλατοῦσαν τε ἐλπιγγιᾶ. Gubernatrix humana mens abripitur, quasi fluctu se ebrietate superfundente, & mari immersa caligat.

VII. Confutat quod obiectum fuit de armatis, acri & veloci oratione; cuius tamen argumenta non sunt Gordii nodi.

VIII. Transit à criminatione parricidii ad caussam fraterni in se odii, quam per captam sermocinationem præclarè insinuat. Inuidebat quippe Perseus Demetrio singulares animi & corporis dotes, quibus dignior habebatur regno. Hoc de ipso Demetrio testatur Polybius, legatione, lib. πρεσβεῖς, *inquit,* πολὺ τὸν ἀδελφὸν περὶ τἆλλα πάντα καθυστερῶν καὶ τῇ φύσει καὶ τῇ κατασκευῇ. *Inde autem conflatam fratris inuidiam prudenti, honesta, sublimi oratione diluit.*

IX. Delabitur ad amicitiam Romanorum. In quo aduersarii criminationes magnifice confutat, eo orationis charactere vsus, quem λαμπρότητα *Graci Rhetores appellant.*

X. *Peroratio suauis, & artificiosa, in qua animaduertes postulationes æquas, & ciuiles, motus commiserationis lenes simul & graues, ex caussa iniquitate, & angustiis, in quas miser adolescens coniectus est, excitates: Tum aptam Patris delinitionem, qua non ex inclinato in dolorem aut assentationem animo sed ex vera generositate oriatur.*

GRATERI ORATIO de Philotæ supplicio.

Ex Curtio.

Hæc est valdè artificiosa, simplex verbis, magna sensibus, & in occultanda inuidia, qua ardebat aduersus Philotam, callidissima.

Venia & misericordia quanti facienda.

VTinam in principio quoque huius rei nobiscum deliberasses: Suasissemus, si Philotæ velles ignoscere, paterere potiùs ignorare eum, quantum deberet tibi, quàm vsque ad mortis metum adductum cogeres potiùs de periculo suo quàm de tuo beneficio cogitare. Ille enim semper insidiari tibi poterit, tu non semper Philotæ poteris ignoscere. Nec est quod existimes eum qui tantum facinus ausus est, venia posse mutari. *Scit eos, qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse.* At ego, etiam si ipse vel pœnitentia, vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem eius Parmenionem tanti ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos authoritate, haud multum infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio, non æquo animo salutem filij sui debiturum tibi. *Quædam beneficia odimus; miruisse mortem, confiteri pudet. Superest vt malit videri, iniuriam accepisse, quàm vitam.* Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum; satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. *Latus à domesticis hostibus muni.* Hos si submoueas, nihil metuo ab externo.

OECONOMIA orationis.

I. *Primo statuit misericordiam nullam esse, vbi flagitiorum deformitas prævalet, vt ait Cornel. Tacit. Annal. 11.*

Misericordia nulla est, vbi flagitiorum deformitas præualet.

II. *Deinde, si quis locus esset misericordiæ, tamen eo tam nobili nunquam fidendum esset, qui hoc ipsum beneficium, quasi suæ ignominiæ monumentum odisset.*

ORATIO PHILOTÆ ad milites.

Argumentum.

Post regi orationes habitas quibus falsò accusabatur Philotas iam supremo supplicio afficiendus, his se purgare conatur, sed frustrà; nam præiudicium Alexandri immutari non poterat, & postea etiam per quæstiones & tormenta coactus plura veris dicebat. Verum hac oratione ad milites adstantes, vtitur quum excessisset Alexander è concione, purgatse de suspicione parricidij, de amicitia Amyntæ, de literis in Alexandrum scriptis; graues affectus immisceat.

Ex-

Ex Quinto Curtio.

VErba innocenti reperire facile est, modum verborum misero tenere difficile. Itaque inter optimam conscientiam, & iniquissimam fortunam, destitutus ignoro, quo modo, & animo meo, & tempori paream. Abest quidem optimus caussæ meæ iudex, quicum nec ipse audire noluerit, non mehercule excogito, quum illi vtique cognita caussa, tam damnare me liceat, quam absoluere: non cognita verò liberari ab absente non possum, qui à præsente damnatus sum. Sed quanquam *vincti hominis non supervacua solum, sed etiam inusta defensio est, quæ iudicem non accusare videtur sed arguere*: tamen vtcumque licet me dicere, memetipse non deseram, nec committam, vt damnatus etiam mea sententia videar. Equidem cuius criminis reus sim, non video. Inter coniuratos nemo me nominat. De me Nicomachus nihil dixit, Ceballinus plusquam audierat, scire non potuit. Atqui caput coniurationis me fuisse credit Rex. Potuit ergo Dymnus eum prætetire, quem sequebatur: præsertim quum quærenti scios, vel falso fuerim nominandus, quo facilius, qui tentabatur, posset impelli: non enim, detecto facinore nomen meum præterijt, vt posset videri socio pepercisse. Nicomachus quem taciturum arcana, de semetipso credebat, confessus alijs nominatis, me vnum subtrahebat Quæso, Commilitones, si Ceballinus me non audisset, nihil me de coniuratis scire voluisset, num hodie dicerem caussam, nullo me nominante? Dymnus sane, & viuat adhuc, & velit mihi parcere: quid cæteri, qui de se confitebuntur: me videlicet subtrahet? *Maligna est calamitas: & vere noxius, quum suo supplicio cruciatur, acquiescit alieno.* Tot me conscij in equuleum quidem impositi verum fatebuntur: atqui nemo parcit morituro, nec cuiquam morituro, vt opinor. Adverum crimen, & ad vnum reuertendum mihi est? Cur rem delatam ad te tacuisti, cur tam securus audisti? hoc qualecunque est confesso mihi, vbicunque es, Alexander remisisti: dexteram tuam amplexus reconciliati pignus animi, conuiuio quoque interfui. Si credidisti mihi, absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium tuum serua. Quid hac proxima nocte, qua digressus sum a mensa tua feci? quod nouum facinus delatum ad te immutauit animum tuum? Graui sopore acquiescebam, cum me malis indormientem meis inimici vinciendo excitarunt. Vnde, & parricidæ, & proditori, tam alti quies somni? Scelerati, conscientia obstrepente, quum dormire non possint, agitant eos furiæ, non cogitato modò, sed & consummato parricidio. At mihi securitatem, primum innocentia mea, deinde dextera tua obtulerant. Non timui ne plus alienæ crudelitati apud te liceret, quam clementiæ tuæ: sed ne te mihi credidisse pœniteat, res ad me deferebatur a puero, qui non testem, non pignus indicij exhibere poterat, impleturus omnes metu, si cœpisset audiri. Amatoris, & scorti iurgio interponi aures meas credidi, infelix, & fidem eius suspectam habui, quod non ipse deferret, sed fratrem potius subornatet. Timui ne negaret mandasse se Ceballino, & ego viderer multis amicorum regis fuisse periculi caussa: Sic quoque eum læserim neminem, inueni, qui mallet perire me, quam incolumem esse. Quid inimicitiarum creditis acceptorum fuisse, si insontes lacessissem? At enim Dymnus se occidit. Num igitur factorum eum diuinare potui? minimè. Ita, quod solum iudicio fidem fecit, id me cum a Ceballino interpellatus sum, mouere non poterat. At hercule, si conscius Dymno tanti sceleris fuissem, biduo illo proditos esse nos, dissimulare non debui. Ceballinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit. Deinde, post delatum indicium, quid operaturus eram? Cubiculum Regis solus intraui, ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? At sine Dymno non sum ausus? Ille igitur princeps coniurationis fuit. Sub illius vmbra Philotas latebam, qui regnum Macedonum affecto: Ecquis è vobis corruptus est donis? quem ducem, quem præfectum impensius colui? Mihi quidem objicitur, quod societatem patrij sermonis asperner, quod Macedonum mores fastidiam. Sic ego imperio, quod dedignor, immineo. Iampridem natiuus ille sermo commercio aliarum gentium exoleuit: tam victoribus, quam victis peregrina lingua discenda est. Non mehercule ista me magis lædunt, quam quod Amyntas Perdiccæ filius insidiatus est Regi, cum quo, quod amicitia fuerit mihi, non recuso defendere, si fratrem Regis non oportuit diligi à nobis. Sin autem in illo fortunæ gradu positum, etiam venerari necesse erat, *vtrum quæso, quod non diuinaui, reus sum? an impiorum amicis, insontibus quoque moriendum*

Innocenti verba reperire facile est: modum verborum misero tenere difficile.

Defenaere vinctum, est iudicem arguere.

Scelerati in se ipsis puniuntur. Cõscientia.

Amyntæ insidiæ.

riendum est? Quod si æquum est, cur tam diu viuo, si iniustum, cur nunc demùm occidor? Atenim scripsi, *misereri me eorum, quibus viuendum esset sub eo, qui se Iouis filium crederet.* Fides amicitiæ, veri consilij periculosa libertas me decepistis: vos, quæ sentiebam, ne reticerem, impulistis, scripsisse me hoc fateor Regi, non de Rege: non enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur, qui Iouis stirpem tacitus agnosceret, quam qui prædicatione iactaret. Sed quoniam oraculi fides certa est, sit Deus causæ meæ testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur Hammon in arcanum, & occultum scelus. Interim, qui Regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum, qui stirpi suæ insidiati sunt, latere patietur: si certiora oraculis creditis esse tormenta, ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor. Solent rei captis adhibere vobis parentes. Duos fratres ego nuper amisi: Patrē, nec ostendere possum, nec inuocare audeo; quum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim, tot modò liberorum parentem in vnico filio acquiescentem, eo quoque orbari, *ne ipse in rogum meum imponitur.* Ergo, charissime pater, & propter me morieris, & mecum Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extinguo: quid enim me procreabas infelicem aduersantibus Dijs? an vt hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua; ego in ipso robore ætatis eripior: tibi carnifex spiritum adimet, *quem si fortuna spectare voluisset, natura poscebat* Admonuit me patris mei mētio, quàm timidè & cunctanter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim, cùm audisset, venenum à Philippo medico, regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quo minus medicamentum biberet, quod medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo? Num vllam authoritatem eius literæ habuerunt: Ego ipse, quoties quæ audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum? Sic, & cùm indicamus, inuisi, & cùm tacemus, suspecti sumus: quid facere nos oportet?

Alexandri prouidentia.

Apostrophe plena affectibus.

(**)

OECONOMIA orationis.

I. *Exordium plenum commiserationis, & iustæ querimoniæ, cadit in illud Publij Syri.* Et deest, & superat miseris cogitatio.

II. *Confutatio à testibus, quod maioris in hac caussa videtur esse roboris.*

III. *Restat vt cùm nihil testes aduersus Philotum dixerint, crimen vnum sit silentij, quod Alexandri clementia iam remissum est. Hic appositè irrepit grauis miseratio, & conquestio de Alexandri mente per Philotæ inimicos deprauata. Quod autem nihil maleficij contraxerit, testatur sopor ille, in quo deprehensus est: similis ratio in oratione Demetrij apud Liuium, & apud Cicer. pro Sexto Roscio.*

IV. *Suspicionem criminis conflatam ob silentiū diluit, quod delator esset persona contempta, quod parum fidei habere videretur, & sæpè in huiusmodi denunciationibus irrisa ab Alexandro Philotæ credulitas. Quod si silentio tectum fuisset aliquod Philotæ scelus, poterat erumpere, cum omnis conficiendi oblata esset occasio.*

V. *Repugnantia aduersarij, qui Philotam Macedonas dedignari dixerat, cùm idem, regnum affectare deferret.*

VI. *De amicitia Amyntæ purgat se generosè ab ipsius Alexandri præiudicio. Sic Marcus Terentius apud Tacitum Ann. lib. 5. amicitiam, quæ illi cum Seiano fuerat, excusat.* Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas, tibi summum rerum iudicium Dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est.

Regibus iudicium rerum datum est.

VII. *Transit ad literas de Alexandri apotheosi obliquè scriptas, in quibus libere suam fatetur sententiam, assentationi contrariam, quod seram immortalitatem mallet Regi: Hæc purgatio plena generositatis est. Quod autem hic habet de Hammone, & eius templo, multa Diodorus Siculus biblioth. historic. lib. 17. Salutauit Alexandrum.* χῶρε ὦ παῖ, καὶ τάυτην παρὰ τοῦ θεοῦ ἔχε τὴν πρόστρησιν, *in quibus rectè consentit in Q. Curtij narratione.*

VIII. *Peroratio cum permotione graui. Similis est locus apud Andocidem.* τίνα γὰρ ἀναβιβάσομαι δεησόμενον ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, τὸν πατέρα, ἀλλὰ, &c. *Succedit Apostrophe ad Patrem Parmenionem absentem, in qua eximij affectus. Postremo nouum argumentum à loco remoto subiungit. Hoc etsi extra ordinem, tamen commodè vltimo*

vltimo loco positum, vt minus apparata videatur oratio.

ORATIO IVDÆORVM ad Petronium Præsidem, ne Caligulæ statua templo inferretur, deprecantium.

Ex Philone, lib. de legat. ad Caium.

Ἀσπλοί ἐσμεν ὡς ὁρᾶτε, &c. *quasi Latinè se habent:*

Iudæi pacis & quietis amatores.

INermes, vt vides, adsumus, ne quis nos dicat venire hostiliter. Manus autem pro armis à natura datas retro fleximus, otiosas præbemus & corpora ad certos ictus ferire volentibus: vxores, & liberos, familiasque adduximus, supplices tibi, & per te Caio aduoluimur, domi relicto nemine, orante vt aut omnes seruetis, aut omnes internecione deleatis. Sumus, Petroni, & natura pacis cupidi, ad quam nos trahit cura liberorum alendorum ex nostris laboribus. Caio imperium adepto primi ex tota Syria gratulati sumus: Vitellio, cuius successores, tunc in nostra vrbe degente, qui super hac re literas acceperat; & à nobis ad cæteras ciuitates fama lætos nuntios pertulit. Primum nostrum templum excepit pro imperio Cáij victimas, vt primum, aut etiam solum, priuaretur religione patria. Decedimus priuatis ædibus, & possessionibus, suppellectilem vltro vobis in prædam offerimus, eo animo vt non putemus nos dare sed accipere. Vnum pro his omnibus petimus, ne quid in templo nouetur, vtque seruetur tale, quale à maioribus nobis est traditum. Id si non impetramus, necandos nos præbemus, ne videamus viui, quod est morte grauius.

Manus pro armis à natura data.

Iudæi quid fecerint in armis & religione seruanda.

Audimus pedestres equestresque aduersus nos parari copias, si dedicationem impediamus: *Nemo ita insanit, vt seruus se opponat domino. libenter iugulabitur. Cadant, mactent, frustatim concidant, sine certamine de suo sanguine agant quicquid libet victoribus. Quid opus est exercitu? nosipsi egregij sacerdotes immolabimus victimas*, adducemus ad templum mulieres, vxoricidæ: fratres sororesque, fratricidæ: pueros puellasque, innocentem ætatem, puericidæ. Tragicis vocabulis vtendum est in tragicis calamitatibus. Deinde in medio eorum stantes, *abluti cognato sanguine (nam talia lauacra ad inferos properantibus conueniunt)* admiscebimus, & proprium, nosmetipsos insuper iugulando. Morientium hoc mandatum erit vltimum: ne Deus quidem nos accuset, qui vtriusque rationem habuerimus, & Imperatori debitæ reuerentiæ, & sacratum legum custodiæ: Id fiet, si vitam haud viuendã contempserimus. Audiuimus priscam fabulam è Græca literatura profectam, tantam vim fuisse Gorgonei capitis, vt hac visa homines confestim verterentur in saxeos. Id quanquam fabulosum videatur, negari tamen non potest, si mile quiddam magnos nec opinatos casus efficere. Putas, Petroni, si (quod absit) aliqui nostrates viderent in templum deduci statuam, non in saxa mutatum iri, oculis stupentibus, & per singula membra sopito naturali motu corporis? Extremum, Petroni, hoc erit nostrum votum æquissimum, non contendimus ne imperata facias, moram tantùm petimus, & oramus supplices, vt nobis liceat legatos ad dominum mittere. Fortassis impetrabimus, ne religio cœlestis numinis, ne leges sanctissimæ aboleantur, neve vltimis etiam posthabeamur gentibus, quibus sui ritus manent incolumes; ne decreta eius aui proauique temerentur, quæ nostros mores approbarunt, diligenterq; confirmarunt; Forsan his auditis fiet mollior. *Non semper eadem sunt voluntates Principum*: iratorũ verò euanescunt celerrimè. Petiti sumus calumnijs, permitte adhibeamus remedium: durum est indicta caussã damnari: si nihil impetramus, quid vetat, ne quæ nunc vult, tunc faciat? ante missam legationem noli præcidere spem tot millium, non de lucro, sed de pietate contendentium: Imò, & de lucro: quod enim lucrum homini est sanctitate vtilius?

Gorgonei capitis vis.

Iram sequitur misericordia.

Sanctitas lucrum est.

Hæc tum magna contentione magnoque desiderio dicta sunt ab honoratissimis singultientibus, & anhelis, lachrymis simul ac sudore diffluentibus, vt iam Petronio cæterisque miserationem mouerent. Est enim mitis ingenio, & verbis factisque flexibilis.

OECONOMIA
orationis.

I. *Exordium plenum miserationis, & prudens ad auertendam suspicionem seditionis, ne forte Petronius existimaret hanc popularem turbam, ad res nouandas concitatam. In hac autem demissione longè magu ad inflectendos animos sunt idonei, quippe Canes sedentes non mordent.*

II. *Argumentantur à suis obsequijs, & morum lenitate; quod apud Præsidem erat efficacissimum. De hac autem gentis beneuolentia, & fide erga Principes, honorifica testimonia colligit Iosephus lib. 2. aduers. Appionem.*

III. *Tradunt omnia præter religionem, vnam & maximam animorum opulentiam: inde in ardentes & tragicos affectus erumpunt, quibus vel ferreum pectus emolliant. Græca tamen fabula de Gorgone, non multum facit ad grauitatem orationis, & olet stylum scholasticum, nisi velis eos apud Græculum hominem Græcas fabulas consultò vsos fuisse.*

IV. *Prudenti admodum consilio moram petunt, quam vrgent acriter honestis rationibus. In istis plerumque malo ruenti moram innectere, penitus amoliri est.*

Subtexam hic apologiam Hermenigildi, qui apud Patrem Leuigildum, Gothorum Regem, causſam dicit. Si quis rem pleniùs volet, legat si placet actionem oratoriam, à me de hoc argumento nuper editam.

HERMENIGILDI
Apologia.

LEVIG. AGe, licet tibi causſam dicere, dilue si potes eas sceleris maculas, quæ tibi à sole ipso in os illud tuum importunum regeruntur.

HERM. *Innocentiam meam, pater, declarare facile est*, innocentiæ patrocinium inuenire difficile; Te vnum ego in hac flamma inuidiæ, qua me ictum & prope fulminantem vides, habui, quem appellarem, quem obtestarer, cui fidem meam iniquissimis calumnijs vexatam crederem. Nunc autem te peracerbum accusatorem, seuerum iudicem, &, quod crudelius est, patrem iratum experior. Tu me penè ab hospitali mensa & regijs epulis extractum, ornamentis exui, vinciri, & huius calamitosi carceris tenebris mandari iussisti: veteor ne si me innocentem iterum dixero, tuum iudicium, quod semper grauissimum fuit, videar refellere, & dum innocentiæ meæ patrocinari studeo, paternam culpam accusem; quæ res mihi supplicijs omnibus acerbior semper visa est.

LEVIG. Videre orationis insidias.

HERM. Tacebo igitur (mi pater) si iubes, & silentio premam conscientiam.

LEVIG. Eloquere, peruicax, eloquere: reos inauditos damnare non soleo.

HERM. Loquar igitur (mi pater,) quia iubes, non quòd cur oratione, aut silentio sperem aliquid me effecturum: sed vtcumque res habuerit, *postremas sanguinis mei voces tuis auribus infundam.* Etenim si tantum hoc quicquid miseræ animæ reliquum esse voluisti, a meis calumniatoribus exp eretur, darem cum silentio iugulum, & rorem meum largissimè propinarem: nunc autem hoc agitur, vt demortui cineribus quiescere non liceat, sed ijs æterna criminis nota per summum scelus adhæreat: hoc si pater iniquum est, peto à te, vt filij moribundi vltimos gemitus æquis auribus excipias.

LEVIG. Age, tolle istam insidiosam orationem, die de crimine.

HERM. Non est hoc nouum crimen (mi pater) iam diu telam illam coniux tua *Goisuintha*, nobis verò nouerca, semper infestior, quàm eius digniras postulabat, in me & fratrem meum molitur. Vtinam (si liceret beatos manes solicitare) parentis meæ demortuæ, tuæ verò augustæ coniugis animam ad hoc tribunal adducere fas esset, fierem ego, & ipsa loqueretur: diceret, vt impendente fatali necessitate, quæ nobis illam *maturam cœlo, sed teris vtilem fœminam* eripuit, languentibus, vt poterat brachijs me fratremque meum complexa, tibi *per genialem thorum, per castissimos amores, per intaminata connubij fœdera*, communem sobolem commendabat: Ea tunc eramus ætate (mi pater) quæ sensum doloris vix admittit. Sed tamen vbi tuos rorantes oculos, & te moribundæ corpori affusum, dextramque prehendentem vidimus, non tenuimus infantiles lachrymas, quas & tuus dolor, & matris inter has voces expiran-

rantis obitus excussit. Tu verò nos in hac recenti orbitate tuo gremio appressos fouebas, prohibebas flere, quod vix facere poteras, manantes lachrymulas tuis abstergebas digitis, te nobis *patrem præsidio, indulgentia matrem* pollicebaris.

Levig. Hæc nihil ad crimen attinent.

Herm. Veniam (mi pater) veniam statim. Creuit hæc tenella ætas in sinu tuo, & se per annorum curricula ad auream iuuentutem explicauit. Quis tibi tunc Hermenigildo tuo charior? quis suauior vnquam fuit? Hermenigildo imperia mandabantur, per Hermenigildum bella gerebantur: ab Hermenigildo populorum fœdera sanciebantur. *Omnia tibi erat Hermenigildus.*

Levig. Alius tunc erat quàm nunc est Hermenigildus.

Herme. Placuit tunc maiestati tuæ, vt supra ætatem animum ad nuptias adijcerem. Quæsita est mihi coniux regia, Regis filia, Regis soror, Regis neptis. Sed quæ regnorum omnium titulos, omnium imperiorum insignia sola virtute superauit. Heu virgo misera, quibus & quam indignis tua indole funeribus eras reseruata! Cum hac igitur nouus coniux nouis nuptijs copulatus, videbar omnium principum fortunatissimus, cui hæc cœlestis forma obtigisset: Ego verò non tam flammas alebam cupiditatis, quas vix illa ætas ferre poterat, quam admirationem diuinæ virtutis: Huius enim pietate, exemplo, doctrina, magisterio fidem primum recepi, factus illi *ex marito discipulus*; *ex coniuge prope filius.*

Levig. Mali corui, malum ouum.

Herm. Tu interim, mi pater, in secundas nuptias conuolasti. Inducta à te nobis nouerca Goisuintha, Ariana mulier, potens, acerba, imperiosa: Continuò mutata omnia, sordent tibi amores pristini, nouæ & subtiles flammæ se in senile pectus insinuant, liberi primi, illius quondam sancti & fœlicis thori pignora, iam non sunt solatio, sed tædio.

Levig. Scelerate, audes etiam coram hoc amplissimo senatu patris thoros incessere?

Herm. Vera dico, per vnius mulieris furias nobis quiescere non licet, proscindimur calumnijs, agitamur te.o regno. Non somnus, non vigiliæ, non cibus insidijs vacuus. At crudelis fœmina, quæ patientiam tuam tentarat in minoribus, cœpit quoque in maioribus lædere. Vxorem meam hei mihi quanto cum dolore recordari cogor) angit, stimulat, vexat, omnem efferati pectoris acerbitatem in hanc vnam effundit. Iubet vt Christianam legem repudiet: tum virgo, *co se genere natam respondit, vt mori potius quàm facere nefarie non posset*, hac voce (quâ quid gloriosius) irritata, tot regum sobolem incessit pugnis, proterit calcibus, contundit verberibus, ita vt multus è regio corpore sanguis exiret.

Levig. Quando hoc auditum?

Herme. Duram habes aurem (mi Pater) ad huiusmodi crimina, sed tamen neque hac importuna & crudeli dementia contenta, imperat scelestum facinus: Pudicum corpus vestibus nudari, nudatum sensim in lacum perfrigida tempestate mergi donec illa fidem patriam eieraret. Hac barbarie nihil vnquam vidit sol indignius. Demittebant in lacum innocentissimam puellam carnifices, & paulatim quidem, vt acerbus esset singulis membris dolotis sensus, funes, quibus ipsa tenebatur vincta, laxabant. Illa verò *nihil de carnificina quereba*tur; *tantum dolebat nuditatem*: cumque moneretur vt se Arianam semel profiteretur, ad singulos cruciatus vna vox excipiebatur, *Christiana sum, Christiana sum.*

Hanc nefariam crudelitatem, quam ferro & flammis prosequi iustissimum erat, tolerantia vincere constituimus, secessi cum vxore in vrbem quam tu ipse pater donaueras. Sed nouerca, quasi ipsa grauem iniuriam accepisset, quod ferrum nostris corporibus non immersisset, tota vrbe insanire, bacchari, furere, me quasi hostem patriæ, regni bustum, patris interfectorem petulantissimis conuicijs incessere. Vtinam, mi pater, credulitas tua furiosis eius conatibus nimis vxoriè non esset ancillata: verum in me iussu tuo toto exercitus pondere concurritur, atque in *vnum caput terra & mari mundus armatur.* Dabis hic veniam, mi pater, quod si natura brutis animantibus suadet, vt se, vt coniugia, vt sobolem, contra vim tueantur, hoc facere tot furijs à nouerca lacessitus, conatus sum. Arma sumpsi, non quibus te lacesserem, sed quibus me & regiam coniugem contra impotentissimam, & crudelissimam mulierem tamdiu defenderem, donec tibi rem causamque plenius liceret aperire.

Levig. Mentiris impostor.

Herme.

HERME. *Teſtor hic delubra cœlitum, araſque, quas ego cum me inflammato animo proſequererur, poſtremas occupaui* : vbi vidi hoc agi vt me iam fuga tueri non poſſet, poſſet autem gladius, ſi vellem quod lex naturæ iubet exequi, ſtatui me tuis pedibus inſontem victimam potius aduoluere, quam in tanta cauſæ æquitate repugnare. Vidiſti proſtratum, iacentem erexiſti, erectum complexus es Quid eſt quod glorioſi illius operis lauream infuſcauit, niſi illius dolus quæ cum armis obruere non potuerit, per iniquiſſimum iudicium tentat præcipitantem impellere? En crimen, en cauſam cur cilicio indutus, & ijs vinctus catenis, quas tu prædonibus reſeruabas, in tetro atque infami carcere moribundus iaceo.

LEVIG. Romanus non es.

HERM. At Chriſtianus ſum & Romanus, hoc enim poſtremum arguitur : habes in hac parte (mi pater) confitentem reum. Hoc nempè crimen eſt, *ex quo reus gaudet, pallet iudex, cœlum lætatur, terrentur dæmones, contremiſcunt inferi, cuius accuſatio votum eſt, & pœna, felicitas.* Cuperem equidem centies, ſi liceret, pro hac nominis gloria emori. Iam enim ad Dei laudes prædicandas vnum os nimis anguſtum videtur: concide corpus, velle, lania, *tota ora videbuntur eſſe, quot erunt vulnera*, & per ſanguinis riuos effuſus ſpiritus, purpurata in cœlum via quam primum euolabit.

LEVIG. Furioſe, nemo contemnit vitam, niſi qui deſperatus viuit.

HERME. Pœnitet me Arianum vixiſſe, tunc (fateor) deſperatus vixi.

LEVIG. Nunc autem fatuus, & vecors viuis, degener.

HERM. Viuo mi pater, in *cilicio ſplendidus, in vinculis liber, in carcere ſpecioſus.*

LEVIG. Hic tuus ſplendor, tua libertas, tua ſpecies eſt, ſi me & vxorem meam conuicijs arrodas.

HERM. Imò (pater) te tanquam Regem, dominum, patrem, ſemper honoraui, timui, veneratus ſum. Tuæ verò vxori bonam mentem, & nihil aliud ſum precatus.

LEVIG. Satis habet mentis ad tuos conatus opprimendos.

HERM. Nimis fateor, & hoc dolendum eſt.

LEVIG. Secede, ſecede, de tuo capite deliberatur.

Agite patres ſapientiſſimi, deliberate cui ſpei tam importunum animum reſeruemus.

PRINCEPS 1. Tanta eſt, ô Rex potentiſſime, eius negotij moles, & tam lubrica materia, vt quantù prudentia, quæ diuturno rerum vſu concaluit, confert ad dicendum fiduciæ, tantum rei nouitas, & magnitudo ſtuporis afferat. Nulla de capite, vel hominis viliſſimi præceps eſſe debet ſententia. At verò cum de Regis ſobole, & de eo filio deliberetur, in quo tua decliuis ætas & Gothorum ſalus conquieſcere videbatur, magni referre arbitror, vt quæ à te conſtituentur, tantò fiant conſideratius, quantò periculum eſt in errore perniciosius. Duas, vt video, controuerſias accuſatio cõplectitur, quarum altera perduellionis, altera ſuperſtitionis. Et in prima quidem quæ mihi grauior viſa eſt, atroces iuuenis querimoniæ fuerunt, quibus omnem armorum inuidiam in Goiſuintham Nouercam deriuauit. Mihi quidem, ô Rex, de Auguſta coniuge tua tam mirifica inſedit opinio, vt nihil addi poſſit amplius : Sed tamen quantùm veterum replicare temporum memoriam mens noſtra poteſt, video per Nouercas ſæpè faces importatas, quibus florentiſſimæ arderent familiæ. Tuerit iudicij liquidius videre, an Goiſuinthę Reginæ odia priuignum ad hæc arma compulerunt : certè quod in te iniquo non fuerit animo, facit vt credam, reditus celeritas, & in hac poſtrema quæ tibi cum illo fuit congreſſione fiducia. Habet hoc implicata ſcelere conſcientia, vt omnia reformidet, tuta ipſa timeat, & ſi folium increpuerit, expaueſcat : nihil vero in hoc congreſſu vidi ſimile, exporrecta iuuenis facies, lætus atque hilaris vultus, plenus in te animus fiduciæ, plenus amoris cernebatur, ſi modo in *oculis tanquam in accuratiſſimis naturæ ſpeculis mentis ſimulachra delibamus.* Proinde conſiderandum eſt etiam atq; etiam, an ea quæ circunfertur in literis atrocitas, ſe iſtis moribus illeuerit. Quod vero ad ſuperſtitionem Romani nominis attinet, non eſt, ô Rex, mirum, cum illi Chriſtianam vxorem, & Gallam coniunxeris, ſi hæc in virum cum ipſis cupiditatis facibus religionem transfuderit. Cæterum nemo prudens gladijs & haſtis numinum metum in hominum animis defigit, vtrique potius doctore opus eſt, quam carnifice. Quos tu nunc vides iſtius religionis calentes ſtudijs, inflammatos animo, ardore prope ignitos, ætas flectet, vſus leniet, prudentia tua mitigabit.

LEVIG. Quid cenſes?

PRIN-

PRIN. II. Si ea esset Rex optime Hemenigildi audacia, vt sui scelus integumentis posset esse contenta, ego quidem & in hoc negotio cunctandum arbitrarer, & alijs suaderem, vt rem quam accuratissimè perpenderent. Nunc autem cum in apertum tetrumque facinus eruperit, quantum illius vitæ additur, tantum tuæ, qua nihil in hoc orbe tertarum pretiosius, detractum puto. Non est is reus cuius non sit formidanda potentia, non est hoc crimen cui debeatur impunitas, non est hoc regnum quod tantum dedecus ferat, non est denique is iudex qui se puerilibus lachrymis à iustitiæ cursu detorqueri patiatur. Omnia vt vides iura diuina & humana polluit, excidit, funestauit: *Desertor patriæ, transfuga religionis, patris interfector, ne sibi quidem id reliqui fecit, vt sanabilem plagam infligeret*: Sed inaudita contumacia, remedium tuæ clementiæ in suum vertit scelus. Arma in patrem sumpsit, nec regni sanctitas, nec ætatis veneranda canities, nec parentis nomen, nec vox ipsa naturæ furiosum iuuenem ab infestis conatibus repressit: Tamdiu stetit in acie, quamdiu potuit, vbi se desertum à suis, inuisum alienis, posteris execrandum vidit, irrepsit ad patrem, vt latrocinium in veneficium conuerteret. Nunc autem ne minus audax ad perpetrandum facinus quam ad defendendum impudens videatur, in nouercam fœminam illustrissimam, & patris amores sui furoris consilia deriuat. *Inaudita res est, miser crudelis* qui in vinculis audet castos patris thalamos infectari, quid faciet in purpura? qui in his centonibus alit superbiam, quid facturus est in Attalico? qui reus minatur in carcere, quid efficiet dominator in regno? Spreta Gothorum religione in Romanorum superstitionem perfuga transuolauit, cum patris hostibus contulit consilia, ipsis se administrum, socium, satellitem præbuit; Quærit pater, vt nefarium sacramentum rescindat, negat, persistit in contumacia, & nos mollioribus sententijs pergimus eius audaciam alere, vt nobis in posterum deliberandi facultas eripiatur, illi patrandi concedatur. Censeo igitur ô Rex, quod è re tua esse arbitror, vt si Hermenigildus in superstitione contumax esse pergat, paternæ seueritatis stimulos experiatur.

PRIN. I. Quid vim affers naturæ? sine Patrem, Patrem esse.

PRIN. II. Sophron, Pater est Leuigildus Pater regni, non iuuenis facinorosi. Quasi vero ignota non sit parentum in filios seueritas. Cartallum audiuimus maximi animi iuuenem quòd patris miserias contempsisset, & eius mœsta ac lugentia castra circumfluentibus quietæ felicitatis insignibus intrasset, à patre, vt tum erat vestibus, auro, & pictura fulgentibus, atque insigni corona radiato capite, in altissimam crucem fuisse suffixum. Scimus Torquati iuuenis victorem spiritum quòd patris iniussu pugnasset & vicisset, patris imperio exhaustum, & domestica fortissimi imperatoris calamitate sanctum decus publicæ disciplinæ. Nos verò in istis sceleribus iubes conuiuere!

Finis libri Decimitertij.

THEORHETOR. SIVE DE SACRAE ELOQVENTIÆ MAIESTATE.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

PRÆFATIO.

DEVENIMVS tandem in ipsum sanctioris eloquentiæ, veluti sacrarium: de qua, cum graues imprimis, & sapientes viri copiosissimè disseruerint; faciam, quod facere periti artifices solent, qui gemmarum elegantias peranguſto concludunt annulo; Sic ego quæcumq; ex istis sapientiæ oraculis depromere potui, breui sermonis compendio subijciam, daboque singularem operam, vt hic postremus robustioris iam facundiæ partus, non minus gratiæ flore, quam vtilitatis fructu commendetur.

Atque imprimis mihi de dignitate cœlestis eloquentiæ nonnihil dicendum est, contra imperitorum hominum audaciam; qui, cum omnem dicendi præstantiam ventosa quadam loquacitate, & inanissimis verborum pigmentis metiantur, sacros plerumque scriptores irridere solent procacius, quod istos orationis calamistros spreuerint potius, quàm ignorarint. Et nobis quidem id conantibus peropportunus se locus obiecit; nam cum in exedram dissertandi causa venissemus, Cæcilius, adolescens in ipsa studiorum incude positus, peregrinæ doctrinæ fastu tumens, & à Plauto, Plinio iuniori, ipsoque Cornelio Tacito, quos ille tanquam sua numina venerabatur, adhuc recens, deplorare cœpit nostra tempora, quod nemo iam *palmas oratorias strenuè dentibus admorderet*, nemo ad superiora Heroum eloquentiæ tempora conaretur accedere; sed totus ille flos antiquæ facundiæ exustus atque repressus nostræ ætatis squallore, & veteris vbertatis siti prorsus exaruisset. Tum addebat, in sacras conciones, quasi in pistrinum, præclara cogi ingenia: hic tanquam nobiles equos phaleris, ephippijsque exutos ad molas consenescere, & pro ornatu habere barbariem. Nam quæ potest esse ista sacra eloquentia? De doctrina, scilicet Christiana? cuius argumentis nihil est humilius. *Magnam eloquentiam, tanquam flammam materia alit, motibus excitari, vrendo clarescere.* At hic videmus, eos, quorum indoles lætior, & præculta suauitas, si modo materiæ splendorem nacta fuisset, vbi ad huiusmodi argumenta ex amœnis luxuriantis scholæ viretis, quasi in alium orbem.

Eloquentia sacra carpitur à Cæcilio.

Eloquentia magna, tanquam flamma alitur.

orbem venérint, rèpente, aut rerum sterilitate torpentes exaresc̃ere, aut inquinata dictione, quasi resides aquas, & plurimum luti secum trahere. Quod si vernantius ipsa se veteris fœcunditatis memor explicare cupit oratio, rerum tamen horror, & mœstitia necessariò confundit. Quale enim delectamentum est apud plebeias aures, & oscitantes mulierc̃ularum circulos, de tritis quibusdam bibliorum historijs longo & inerti verborum circuitu disserere, aut Christianæ religionis rudimenta tractare, aut à vasto quodam & agresti motu in vitia dicere, res tritas, & ad fastidientis stomachi nauseam, tam sæpè inculcatas? At vero in profana, quam appellatis, eloquentia, siue in vmbratilibus spatijs libeat excurrere, siue forenses palmas attrectare, hic audiuntur rerum complexiones maximarum, hic sensus vberes, hic sententiarum stimuli, hic opulentissima doctrinæ supellex, hic plausus, & fauor omnium.

Eloquētia forensis opulentia.

Hæc iste cum intemperantius effudisset, nesciebam, an magis deridere hominis deberem imperitiam, an indolere tam pueriliter in nugis lasciuienti: Cum Theophrastus noster, vir, quo nec magnis disciplinis instructior, nec ad omnem rationem humanitatis commodior, cum fastum hominis præclarâ oratione perstrinxisset, cœpit de maiestate sacræ eloquentiæ, & eius argumentis, copiosius disserere, vt à sacris oratoribus plerunque istas opes non tam nesciri, quod antea dicebamus, quàm contemni ostenderet. Perstringam summa totius dissertationis capita, & quidem paulo ornatiori stylo, quando hic oratoris partes agimus.

Eloquētia sacra excellentia.

Sic equidem existimo, sacram illam sanctorum virorum eloquentiam tantum humanæ præstare, quantum sol vmbræ, flamma fumo, diuina mortalibus antecellunt. Etenim quæcunque ad grauiorem eloquentiam, siue excitandam, siue innutriendam faciunt, fertilis quædam seges sapientiæ, grauissimarum rerum argumenta, Dij præpotentis afflatus, incredibilis ardor animorum, suauis quædam prudentiæ œconomia, sermonis maiestas, solidarum adminicula virtutum, theatra denique ipsa, & confessus, & gloriosissima laborum præmia, huic vni tam propensè fauent omnia, vt meliori cœli riuo iure fœcundata videatur.

Sacræ eloquentiæ dignitas, ex materiæ nobilitate, ac primùm, quam graues sint in ea de Deo sermones.

CAPVT I.

PLacet igitur primum, strictim & quasi per transennam videamus cœlestis illius eloquentiæ argumenta, quibus mirum in modũ nobilitata collucet, vt suos oratores, vel infantissimos, per se faciat eloquentes. Occurrent hic tibi non fabellæ, & nugæ, non humanæ sapientiæ leuissima quædam choragia, sed maximarum rerum lumina, Deus, Angeli, Christus Θεάνθρωπος, rex ipse Angelorum, Christianæ religionis mysteria, Apostolorum triumphi, Martyrum laureæ, Virtutum decora, supplicia improborum, æternæ denique illius apex felicitatis.

Eloquentia sacra effectus. Eloq. sac. materia.

At vero de Deo, qui sermones? non ij, quales in Platonis, aut Stoicorum schola floruerunt, sed qui ex altissima fluunt sapientia, & ex ipsius æterni Patentis sinu deriuantur. Deum ibi audies, mentem ab omni mortali concretione secretã, optimam, sapientissimã, sanctissimã, spiritũ per omnia commeantẽ, & singulis vniuersi partibus quasi accuratissimæ lyræ fidibus intentum, qui fluentium rerum canticum iucundissimâ varietate temperat ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, *ipse sibi locus, & mundus*, & maximus quidem mundus, sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ rationum, formarum, cui spirans omnis, intelligensq; natura, & habere, & agere non desinit gratias.

Deus mũdo, vt lyræ intentus.

Tertull. lib. contra Praxeam cap. 5.

Cernes deinde, vt graditur apud Prophetas insigni maiestate, Cherubinis insidens, & celeri ventorum turbine circumquaque rapitur. Sexcenta consequũntur curruum millia, in quibus igneæ cohortes Angelorum, copiosa luce circumfusæ radiant, sol tanti, tamque stupendi numinis vmbra potius, quam effigies, ad eius nomen expauescit, adamantinæ cœli portæ contremiscunt, intendunt se flammeæ nubes, & lucido quodam horrore totum hoc aeris spatium circumuestiunt, mugiunt tonitruum fragores, præmicant fulgura, volitant procellæ, ruunt fulmina, im-

Sol vmbra Dei. Dei nomẽ quantum.

mixtique grandini rutili carbones depluunt.

Hinc discedit cœlum, hiant terrarum latebræ, terrore perfusi manes mortuorum Regem sentiunt. Hæc tibi magnificam numinis speciem inurent.

Deus actus purus. *Dei Attributa.*

Cumque sit eius natura maximè simplex, nec contineat in se quicquam admistum sui dispar, atque dissimile: habet tamen attributa varia, quæ sigillatim spectata, quantam dicendi, & quam fertilem materiam suppeditant? Ecquando exhauietur immensitas illa, qua longe aliter quàm is, qui cœlo, & terris aquas præbet Oceanus omnia suo ambitu præcingit, in vniuersum diffusus, in se totus rediens, imo nunquam à se exiens, in se, & in cunctis, semper totus *implens cœlum, & terram præsente potentiâ, non absente naturâ.*

August. l. 7. de ciuit. Dei c. 30.

S. Dionys. Areopag. epist. 5. ad Dorotheū.

Quando satis prædicabitur infinitas, mentis humanæ nodus? quà exeat, quò se condat nemo nouit, imo nec exire ab alio, nec in aliud se condere certò nouit; *hæc demùm beata ignorantia est, quòd scimus ignorando,* ᾧ τοῦτο γίνεται πᾶς ὁ θεὸν γνῶναι, καὶ ἰδεῖν, ἀξιούμενος, αὐτῷ τῷ μὴ ὁρᾶν καὶ γινώσκειν.

Æternitas Dei.

Quid illa æternitas immensæ, atque interminatæ vitæ tota simul, & perfecta possessio, qualis est? Tempus certè, quod perpetuas micantium siderum conuersiones æquis passibus comitatur, fatetur se haud scire, quid sit, aut vnde venerit, se labi, fluere, nasci, occidere, longam veluti catenam in hoc mortalitatis regno vicissim remeando versare, sibi vni incrementa damno esse, hanc vero intactam, illibatam, semper anum, semper formosam Virginem, quæ nec iuuentutis fonte, nec argenteis Canathi fluuij vorticibus indigeat, quibus detersa prioris æui fuligine, nouo gratiæ flore rubescat; Hinc illa perfecta, & stabilis, atque in eodem felicitatis vestigio consistens immutabilitas, quæ cum omnia per hanc rerum humanarum vicissitudinem videat agi, volui, reuolui, & quasi per eandem setram diuersis motibus reciprocari, tota sibi hæret sine vllo sui aut dispendio, aut incremento.

Augustin. confes. l. 11. c. 3.

Anni tui dies vnus, & dies tuus non quotidie, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit: crastino, neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas.

Quid dices de tantæ maiestatis inexhausta bonitate, quæ cumulatissimum totius perfectionis florem complexa, nullius rei indigens, omnium opulentissima, se toti naturæ, atque adeo huic nostræ mortalitati profundissima quædam liberalitate profundit?

Prouidentia Dei.

Quid de inexplicabili prouidentia, quâ clauum vniuersi regit vigil, & insomnis, suo semper operi assiduus, atque intentus? num tot oculis tibi spectare videtur res mortales, quot sunt in illo pulcherrimo ætheris domicilio collucentium formæ stellarum? num tot manibus regere, quot eius potestatis insignia? num tot pedibus lustrare, quot præsentiæ sunt indicia?

Misericordia Dei.

Quid de singulari misericordia, qua huiusce vitæ subleuat miserias, imbecillitatem ergit, solatur viduitatem, instruit inopiam, lenit acerbitates, & quasi totus sit ex maternis vberibus conflatus, ita se misillorum infantium solitudini, atque orbitati, præsentem vbique, & clementem Deum impertitur?

Scientia Dei.

Quid si eius scientiam consideres, qua se, qua omnia à se orta intelligit, qua tot cælata in æthere partim errantium, partim inerrantium stellarum simulachra nominat, qua perpetuas dierum conuersiones consignat, qua imbrium stillas percenset, qua arenas numerat, qua profundissimas scrutatur voragines, qua subit, & explicat omnia; Num recte istud occurret? *Ecquid improuisum est tibi, qui nosti omnia, & nulla natura est, nisi quia nosti eam?*

August. l. 7. confess. c. 4.

Mundos sexcentos potest condere Deus.

Quid si potentiam, qua cœlo imperat, qua terras sustinet, qua calcat inferos, qua sexcentos mundos condere, conditosque vel tenuissimo halitu diffiare potest: Quid si alia innumera coneris inuestigare? quoties argumentorum oppressus magnitudine cogeris exclamare:

ô altitudinem diuitiarum!

Trinitas personarum in Deo.

Iam cum ad illam lucidissimam sanctissimæ Triadis caliginem deuenies, vnum in tribus personis, si liceat intuebere, Patrem rerum omnium optimum maximum, qui dum acerrimo præstantissimæ mentis oculo se intelligit, & quasi in flagrantissimi nitoris speculo suam ipsius faciem contemplatur, filium generat κραδίαιον λόγωμα, viscerum ingentem partum, vt appellat Synesius, atque adeo imaginem non quidem subtilis, & tenuibus impressam lineamentis, sed æterno diuinitatis charactere signatam, Deum de Deo, & Patri

Spiritus Sanctus unitrum Patris & filij.

Patri per omnia æqualem Deum: Ab vtroque deinde spiratur illa sempiterna amoris flamma, cuius facibus quicquid est modo castissimæ dilectionis inardescit, Spiritus (inquam) centrum Patris, & filij, Patri & filio ὁμόουσιος: Num tu quoties de ijs cogitabis, toties in illum te Polyeriti lacum putabis ingredi, in quem quo altius quis progreditur, eo magis ac magis per singula momenta succrescentibus aquis implicatur.

Vertes igitur te ad fabricam vniuersi, videbis ab ea maiestate iacta terræ fundamenta, libratos colles, diffusas camporum immensitates, prætexta instar elegantissimorum monilium terris maria, tot insularum quasi ocellis, & margaritis colluentia, ipsam spirabilem naturam terris intentam concipies, & qui suo complexu cingit omnia summum ætherem, in quo ratis, & in omni æternitate fixis legibus voluuntur puriſſimi stellarum cœtus, totam deniq; hanc rerum à summo numine locatam homini supellectilem quoties spectabis, toties magnificentissimo rerum spectaculo perfusus laudum materiam in silentij vertes argumentum.

An Angelis quoque locupletem esse dicendi materiam.

CAPVT II.

D. Dionys. de hie. ordinibus agit c. 6. de hierarch. cæleſt. D. Greg. hom. 34. Angeli ex pictoribus deſcripti.

ANgeli deinde magnæ illius mentis puriſſimæ quædam scintillæ, de sempiterni lumiuis facibus accensæ, tantus, & in tot ordines diuisus exercitus, quantam non dicam orationis, sed & admirationis materiam suggerunt. Noli tales tibi fingere, quales forte apud Pictores, & Poetas sæpe vidisti, puſiones formoſulos, quibus vultus admirabili fulgore circumfusus, crines in ceruicem molliter effusi auro obryzo flauescunt, & lactei colli nitorem blandissimo fauonio- rum spiritu ventilati percurrunt. Quibus alæ ex humeris emergunt geminæ: in cœlesti textrina concinnatæ, florida viriditate, qualis in pauonibus esse soleт, irradiatæ: aureo croceo, puniceo, cæruleo denique colore miti admodum temperie variatæ, tot referunt spectantibus pigmenta, quot in arcu cœlesti cum voluptate miramur. Tunica deinde byſſina est quam subtilis denticulati operis limbus circumquaque excurrens magna vestit cum dignitate.

Tales si Angelos cogitas, quales tibi cum pictoribus ludens expressi, totam vim ignoras Angelorum. Natura illis pura est, subtilis, ætherea, quam nulla corporis figura delineat, nulla materiæ labes infuscat, nullus corruptionis næuus aspergit, & vt summatim dicam, *Angelus* noſtri pars melior animus est. Angelus nihil *nihil præ-* est præter animum. At quis animus? non ex eo *ter ani-* igne delibatus *quo sideræ volant, & sacri tor- mum.* *quentur axes*, sed excitatissimæ mentis vigor tantò expressius ad æternæ pulchritudinis exemplar conformatus, quantò de eius fonte *Synesius* propius respergatur, & vberius. Hinc ille om- *hymn. 1.* nium ornamentorum insignis quidam decor, *Secundo* & bonorum immortalis affluentia, quam in δρέπεται conditorem suum gratissimæ voluntatis in- κάλλε genuitate refundunt. Tu si de beatarum men- ἀρ) ἀν. tium incredibili celeritate cogitas, finge tibi *Angelorū* nauim per immensa patentis æquoris spatia *celeritas.* remis, velisque concitatissimè fluentem, finge telorum è balistis emissas grandines, finge reginam auium aquilam toto illo plumarum remigio instructam contentissimo corporis nisu, acerrimo cupiditatis ardore ruentem in prædas, finge istas, quæ à poetis memorantur alas fulminum, & tuum quando liberum est animum, & illam animi pupillam mentem *Philo Iu-* fulgure velocius per disiunctissima quæque *dæus li. 1.* tam breui momento discurrentem, hanc si *de opificio* cum Angelorum celeritate contuleris, testu- *mundi* dinem cum equo valentissimo comparabis. Quid dicam de illa præstantissimæ mentis in- Νοῦς ἐστὶν telligentia, cuius beneficio res omnes, quas ψυχῆς nos homuli ex luto, & argilla ficti, tanto cum ψυχὴ κα labore addiscimus, & ægrè ratiocinando δάτερ colligimus, illi nullo negotio, nullo tempo- κόρη ἐν ὀφ. ris interuallo sagacissimè peruident, & impe- διαλμῷ. ditos quosque difficultatum nodos explicatissimè dissoluunt? Quid de illa cognitione matutina, qua modo res in Deo, tanquam in politissimi candoris speculo, vegeti coloris flore viuidius accensas, modo in se iam remissas, & quasi diluto vigore minus acres contemplantur? Quid de ipsius cognitionis felici quadam constantia, cuius munere contingit, vt eis non minus ab hac intelligentia cessare liceat, quam plantis, aut animalibus ab actus vitalis perpetuo quodam ministerio? si quidem intellectio beatis mentibus pro vita est. Iam si gratiam spectes, quibus ab ipsis ortus primordijs mirificè sunt nobilitati, cum re-

Gratia Angelorũ. D. Aug. l. 12. de ciu. Dei c. 9.

rum molitor. *Deus erat in Angelis condens naturam, & largiens gratiam*, vasa myrrhea dices, aut crystallina ab ipso vniuersitatis artifice cõparata, & omnibus artis enucleata lenocinijs, in quæ diuinitatis riui, tanta, & tam inusitata donorum fragrantia depluerent. Denique si gloriam considerabis, quæ gratiarum amplitudinem est consequuta, totos in Deũ videbis amoris similitudine transfusos, atq; absorptos, tum in hoc felicitatis domicilio fidos terrarum administros, nostræ salutis propugnatores, depulsores miseriarum, auspices felicitatis, Duces, altores, pædagogos, & vt summatim dicam, amore germanos, seruos obsequio, auctoritate patres.

Gloria Angelorũ.

Officium Angelorũ.

Incarnationis Christi maiestas.

CAPVT III.

VErum enimuero cum multa sint in diuinis istius plenissima maiestatis, persona tamen Christi Domini, vna est totius Christianæ doctrinæ caput, & omnium argumentorum seminarium, à qua multiplicium curricula sermonum explicantur, & in quam omnia longe, lateque sparsa reuoluuntur. Num vero quoties *incarnatum Deum* dicimus, toties purissimi Angelorum cœtus obstupescunt, toties horrore perfunduntur mortales, toties contremiscunt inferi? O profundissimam consiliorum caliginem! ô mysteriorum maiestatem! iacebat humana natura in æterni squalloris sordibus, turpis, lacera, deformata, cruentis ipsis Dæmonum pedibus protrita, atque conculcata: nullius timor numinis, nulla inferorum suspicio, religionis sensus nullus. Erant omnes pietatis igniculi in hominum mentibus restincti, & quasi in ipso fomite præfocati: Vbique Dæmonum simulachra, Dæmonum aræ, Dæmonum templa, & quod dicere perhorresco, in ipsis excisis, atque funestatis Dei altaribus, Dæmonum vexilla, trophæa, triumphales arcus fulgebant. Terrarum orbis luctuosissima facies partim fœdissimi lupanaris, in quod omnes omnium libidinum sentinæ defluxerant, partim etiam amphiteatri cuiusdam ex scelerum colluuie, & humano cruore macerati, speciem præferebat. Plena omnia stupris, cædibus, inquinatissimis voluptatibus, immanitate belluarum. Quicquid auaritia in rapinis, luxuries in flagitijs, quicquid in nocturnis bacchationibus gula, quicquid in fastu supercilio, insanis honoribus arrogantia potuerat, hoc totum effuderat. Scalæ penè ipsæ iam cœlo gignantum more admouebantur, vt beatorum exscinderentur domicilia, cum interim tetri, vecordes, & impij mortales impressa in proptiorum liberum ceruices sic victimaria, misellorum infantium primo cruore, inferorum aras respergebant, & inter funestissimas epulas, nidoremque coctorum patuulorum, quos ipsi suo sanguine genitos huius lucis vsura priuarant, epulabantur.

Natura humana calamitas ante verbi incarnationem.

Theodoretus in ser. de legibus habet multa de hoc tetro, & deformi mundi statu ante Christum.

omnia cogna, quid aliud esse poterant, nisi magna latrocinia sublata iustitia? vide Aug. li. 3. ciuit. Dei c. 4.

Quid interea clementissimus parens Deus? non iaculatur fulmina, non frementi diluuio terras obruit, non exquisita tormentorum genera ad conseleratorum supplicia machinatur, sed hanc init viam, ab ipsis Angelorum mentibus, & cogitatione seclusam, vt humani corporis vestitus compagibus, propitius nimirum, & salutaris fulgor ad salutem hominum procurandam terris illabatur. Enimuero Dei præpotentis imago ab ipsis mundi cunabulis primis indita parentibus, sed terræ postea fuliginis infuscata maculis, pristino nitori reddenda fuerat, quibus vero artis illecebris id factum oportuit? Deus se homini credo plenissimo diuinitatis fulgore circumfusum repente obijcere debuerat: sed luto, & tenebris oppressæ hominum mentes ne minimam quidem illius lucis scintillam, nisi per transennam videre, ac sustinere poterant. Quid igitur summus ille rerum effector, atque restaurator molitur? Quid comminiscitur, acres illos, & indomitos diuinitatis radios lenissima veluti corporis nube refringit, & in hac primi parentis argilla non iam fugaces, & obsoletos sui colores imprimit, quibus finem ætas esset allatura, sed seipsum hoc luteo nostræ mortalitatis ergastulo circumclusum terris exhibet, & vt à summo bono semper fugientem homulum semel assequeretur, ipse hominem induit: In quo mihi videtur aucupes industrios imitatus, qui vt aues suo ingenio vagas, & timidas illiciant, confectis è versicolore plumarum apparatu tuniculis facilius venantur, & melius: Vel certè parentes, qui teneris infantulis matre nuper orbatis bubuli lactis candidum florem propinant in vasculo, & vt maternorum vberum

Dei in redemptione nostra adinuenta.

Christus imitatus parentes filiorum matri orbatorum.

verum similitudine paruulos capiant, labrum poculi modica caruncula obductum pusionis ori supponunt, quod mihi videtur præstantissimus doctor his verbis expressisse.

S. Prosper. ex D. Aug. sententia. 262. *Sicut lac non transit nisi per carnem, vt paruulum pascat, qui panem edere non potest: Sic nisi sapientia Dei, quæ panis est Angelorum, ad homines dignaretur venire per carnem, nemo ad verbi contemplandam diuinitatem posset accedere. Quia ergo lux non poterat comprehendi, ipsa lux mortalitatem subijt tenebrarum, & per similitudinem carnis peccati participationem dedit luminis veri.*

Aug. ep. 3. ad Volusian. S. Leo ser. 1. de natali Christi. Aug. l. 1. de doctrina Christiana c. 13

Sed quod magis mireris, hoc corpusculo vestitus, nihil immutatus fuit Deus. *Homo quippe ad Deum accessit, Deus à se non recessit, nec hominem consumpsit, sed ita assumpsit, vt nec inferiorem naturam consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.* quod ingeniosissima similitudine Sanctus Augustinus declarauit.

Sicut cum loquimur, vt id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum, quod corde gestamus, & locutio vocatur, nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra conuertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuet auribus, sine aliqua labe suæ mutationis assumit. Ita verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, vt habitet in nobis.

Iob. 38. Epiphonema in Dei incarnatione.

Meritò itaque sanctissime Iob, mirabaris, & quærebas, *Quis conclusit ostijs mare?* quis vero alius, nisi rerum omnium parens, qui in ipso mundi nascentis exordio tantam, & tam latè diffusam aquarum molem, tanquam in vtre circumcluſit: nunc autem inexhaustum illud æternæ sapientiæ pelagus tam paruo Virginis vtero circumscripsit? *Quis posuit nubem vestimentum eius, & caligine quasi pannis infantia obuoluit?* quis? nisi, qui hac corporis nostri nubecula his tam fragilibus, & prope nullis artubus Deum immensum delineauit? *Quem vectem* constituit, nisi stupendam illam vnionem silentio potius venerandam, quam verborum multitudine prædicandam? Verè Domine hoc est *opus tuum*, opus (inquam) tuum, de quo Propheta dixerat, *consummationem & abbreuiationem faciat Dominus in medio terræ.*

Vnio hypostatica vectis est.

Hab. 3.

Natiuitas ipsa in tanta rerum spoliatione, atque humilitate plena dignitatis.

CAPVT IV.

CErne deinde quæ vitæ primordia, quī progressus, qui exitus fuere Deo, qui hāc operosissimā mūdi totius molitionē in cunas hominis fuerat machinatus, nō est inuentus in diuersorio vllus angulus, qui *cœli depositum* exciperet. Primum sibi lectulum strauit in præsepi animalium, postremum in patibulo furciferorum. Cogita illam agrestem domunculam, desertam, semirutam, frigidæ tempestati, ventorumque flatibus vndique peruiam, quam tamen crebræ de cælo faces magna dignitate circumuestiunt, *Ita hic sanctior locus est rupe Tarpeia, qua de cælo sæpius fulminata, ostendit quod Deo displiceat.* Grande aliquid intus geritur, & quod humana mens capere non possit. Virgo scilicet inter palustres tugurioli cannas, & pecorum anhelitus, fundit ex vtero regem Angelorum.

Præsepis descriptio & domūcula.

Hieron. ad Marcell. ep. 13.

Proh sanctam fidem! quæ puellæ species? hæccine diua est, an radius diuinitatis? habitus quidem pauperculæ mulieris, sed vultus numinis. Quæ frontis maiestas? quæ genarum modestia? quis fulgor oculorum? quæ venustas oris? quot, & quam cœlestes gratiæ in ista facie renident?

B. Virginis elegantia.

Hic vero tenellus, & lactens, qui Matris affusus pectori tam molliter appetit vbera, filiolus est Virginis, Deus humano corpusculo vestitus, gestatur quidem vt paruulus; sed adoratur vt Deus, paruulus in præsepi, immensus in cœlo, vilis in pannis, in stellis gloriosus. Tam teneræ manus orbem rotant, tam parui ocelli solem illuminant, tam exigui pedes calcant inferos. Sed interim perflant venti, & in tenellos artus paruuli nulla clementia desæuiunt, quando & ipse nostra causſa voluit vitam à supplicijs auspicari. Heu sæuos infantiæ labores! heu rerum omnium inopiam! Heu tolerantiam filij, heu misericordiam Matris!

Vide S. Fulgent. ser. 5. de Epiph.

In Christi infantia labores exclamatio.

Sed qui vitæ telam ab istis rerum asperitatibus orsus fuerat, eandem ærumnosis laboribus totam pertexuit. In ipsis adhuc maternis visceribus delitescens, profani imperatoris

Christus viator & exul nascitur.

ris edicto domicilium mutare compellitur, ne ex patrij cœli affectione primum spiritum delibaret, viator nascitur, exul nascitur, nato subinde, & vix quadraginta dierũ infantulo aliud exilium decernitur, intentatur tenero, & adhuc exangui iugulo sęuissimi regis mucro, paruulorũ, quos hic crudelitatis turbo demessuit, pene cruore respersus, ex cultris victimariis ereptus, in vltimas barbaræ gentis oras fugit sine lare, sine pignore, sine hospite, orbis terrarum exul, ferme à communi luce, & spiritu seclusus.

Persona Christi plenissimum maiestatis theatrum.

CAPVT V.

Videndus Nicephor. l.1.ca. 40. qui Christi effigiem & staturam describit, & inter cætera commemorat eũ fuisse ἐν ὀφθαλμον ἐπίῤῥινα, σιπόχροον.

AT quis vir? ęterni Patris, æternus filius, Angelorum deliciæ, beatorum lumen, Princeps pacis, humanę salutis parens, assertor nostræ libertatis, mundi restitutor, in quo ne minimus quidem vnguiculus fuit, qui non spiraret diuinitatem. Siquidem frons maiestate plena, quod illi cum cœlo perpetuum erat loquebatur commercium. Ita grauis, vt terreret, ita amabilis, vt illiceret, terreret quidem improbos, humiles vero, atque abiectos erigeret. Tanta autem inter vitæ acerbitatis serenitate renidebat, vt non dulcius micarẽt stellæ, non serenius fulgeret lacteus circulus, non placidius spirarent Etesiæ. Nasus leni, & modico tractu diffusus, non rugosus, non asper, nõ aduncus, cœlestem beati pectoris spirabat prudentiam. Oculos infra superciliorum arcum blandirentur nitidos soles dixisses, cum increparent fulgura, cum perrumperent animos fulmina. In labris omnes gratiæ sessitabant, omnis affluebat lepos, hinc lactis, & mellis flumina, hinc nectaris riui, hinc iugis cœlestis sapientiæ torrens exundabat. Tota eius vita clarissimarum virtutum fulgur fuit, oratio tonitruum. Vnus fuit cuius vocem, & imperium febris ardores, aquæ intercutes, & veternosæ, fœdæ vitiligines, corporisque omnes cruciatus fugiebant, cuius tactu vis sangumis profluenter ebullientis repente consistebat, cuius obiurgationem immersi miserorum visceribus Dęmones perhorrescebant. Vnus fuit qui claudos currere præcipiebat, & iam emicabant; porrigere mancos manus, & iam molles articulorum commissuras explicabant; capros membris assurgere, & repente lectulos deportabant, alienis paulò ante ceruicibus delati, cæcos videre, & iam cœlum diemq; cernebant, qui sine oculis fuerant procreati. Vnus fuit ad cuius castigationem insana se coercebant maria, procellarum turbines, tempestatesque sidebant, qui furentis elementi terga lenissimis passibus impune calcabat, vnde ipsis stupentibus, & se ad conditoris famulatum abijciente natura. Vnus qui numerosissimam quinque millium hominum turbam se per saxa, & solitudines affectantem, quinque panibus saturauit, & ne præstigiæ viderentur incredulis, sex sportarum sinus reliquiarum fragminibus impleuit. Vnus qui vectes inferorum, mortisque repagula potentissima voce refregit, & post tertium diem funeris rediuiua cadauera, ex pollinctorum fascijs expediuit. Vnus qui mentis humanæ latebras, abditosque recessus permearet, & quid quisque animo volueret, quid consilij agitaret, discussis simulationis integumentis explicatissima peruideret. Vnus qui cum vnam vocem funderet, à diuersis populis, & dissona oratione loquentibus intelligebatur. Vnus denique *potens* vbique *opere, & sermone*, pauper in nostris, diues in suis.

Vide Arn. l.1. aduers. gentes de cuius sensibus hæc expressa.

Natura quid faciat ad conditoris famulatum.

Passio ipsa plena maiestatis, & magnorum argumentorum seminarium.

CAPVT VI.

QVod si oppressa virtus maxime luctuosa est, qualis inijcitur animo species, cum illum in nostra salute procuranda inuidiæ flamma circumuentum, pro nobis ictum, & fumantem videmus, dum faces in nostrum exitum comparatas suo cruore restinguit.

Christus victor & victima.

Factus pro nobis victor, & victima: Et ideo victor quia victima, pro nobis sacerdos, & sacrificium: ideo Sacerdos quia sacrificium, faciens nos de Dei seruis filios, de Deo nascendo, nobis seruiendo. Eheu tantum virum seruilibus flagris subiectum! finge enim hæc à me non narrari, sed à te videri.

Aug. lib. conf. 1.

Constituitur in domo prætorio infelicissimum

mum spectaculum, nudatur corpus verecundum, purissimæ virginis partus, & à fœdissimis lorarijs diuerberatur ad necem. Instant illi voce, & flagellis, cruore non minus ebrij, quàm vino, ad columnam alligant, verberibus contundunt, plagas plagis ingerunt, crebris ictibus locus resonat, ex membrorum laceratione vis sanguinis existit, & iam in toto corpore nulla corporis facies, cum innocentis agni ne minima quidem vocula, inter summos cruciatus audiebatur. Addunt satellites supplicijs contumeliam, nam purpura suo sanguine purpuratum corpus induunt, coronam rigentibus spinis aculeatam venerando capiti affigunt, Regem salutant, & os Regis percutiunt, ac tererrimam redundantium cœnarum popinam cum sputis afflant speculo Angelorum.

Carnificũ crudelitas.

Christi contumelia à satellitibus facta.

Mox vbi deuentum est in caluariam, sacrilegi accingunt se ad carnificinam, & iam emortuum corpus dirissimo crucis multant supplicio. Clauis configuntur innocentissimæ manus, quæ iniuriam nemini, omnibus pepererant salutem: ferreo vinculo constringuntur sanctissimi pedes, miserum me! pro mea, & omnium mortalium salute fortiter asserenda tam crebris itineribus exerciti. Natant in cruore oculi, duo illa quondam bonorum sidera, improborum verò fulmina: silet os purissimũ, ex quo mellei depluebant faui, vincta est lingua, quæ silentio ipso parricidarum arguit crudelitatem. Ad hunc aspectum exhorruit cœlum, & atra veste suum eluxit conditorem, princeps siderum se repentinis tenebris obduxit, & tantum scelus erubuit, fremuerunt Angeli, cœlestis illachrymauit Pater, ipsi vlularunt inferi.

Compassio Christo cũ affectibus pijs.

Luctus in morte Christi.

Sed hæc (inquit) omnia sunt humilitatis, quantam habere possunt in dicendo maiestatem? Erras, omnino erras, magnum est, & sanctum, & Deo dignum spectaculum inter corporis lacerationes sibi hærens animus, inter procellas tormentorum mens quieta, inter atrocissima sæuientium inimicorum odia, & supplicia profusa charitas, qua Christus in extremo etiam vitæ spiritu quicquid habuit vocis, virium, & sanguinis, apud Patrem pro carnificum salute deprecatus impendit. Certe de Iobi patientia Tertullianus exclamauit:

Tertull. de patientia. 13.

Quale in illo viro feretrum Deus de Diabolo exstruxit, quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum immundam vlceris sui redundãtiam magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes inde bestiolas in eosdem specus, & pastus foraminosę carnis ludendo reuocaret.

Patientiæ laus.

Vides Iobum magnæ, & illustris pompæ ferculum Deo, & Angelis spectatoribus progrediens, sed quem Iobum? non iam apud suos nominatum, non authoritate grauem, non affluentem diuitiarum copia, non numeroso seruitio stipatum, non vestis nitore fulgentem, non præclarissima gloria circumfusum, sed Iobum nudum, & orbum, irrisum, Iobum in sterquilinio, vlceratum, fœtidum, purulentum, hunc inquam Iobum vides, in quo scilicet, tãquam in turri ænea triumphorum cœlestium vexilla defiguntur? Quantam igitur putas Christi fuisse maiestatem? quantam in æterni parentis sinum refusam esse gloriam, cum is inter crudelem inimicorum petulantiam despectus, vexatus, sputis illitus, vinctus funibus, cæsus flagellis, spinis laceratus, in cruce demum atrocissima laniena deformatus extremum spiritum pro hominum salute tam constanter, tam pie, tam feliciter effudit.

Iobus.

Christi charitas patiens & fortis.

Crucis maiestas.

Non mihi quidem crux videtur patibulum ignominiæ, sed iniuria perfuncti periculi, prædicatio amplissimi beneficij, testimonium præteriti temporis, trophæum fortitudinis, ara glorię, theatrum amoris, *agnum* vere *magnum*, quod vbi tanti cruoris purpura fuit delibutum, nunc inter augustorum diadematum margaritas purius fulget quam luna inter micantium ocellos siderum, & in apicibus regum triumphat, quod furciferorum pedibus fuit antea subiectum. Ingens profecto hic liber, ex quo magnorum voluminum series, & infinitorum argumentorum existit affluentia.

Crux purius lucet quã Luna.

RESVRRECTIO TOTA SAPIT dignitatem, & fœcundam habet argumentorum materiam.

CAPVT VII.

QVid deinde? At illi feroces animi nondum morte, cruciatu, cruce satiati, etiã bellum gerunt in mortuum, & attentissimè quidem obseruant omnia, ne quis corpus è tumulo surripiat.

Crudelitas noua.

Christi resurgentis triumphi.

Redit tamen illa mens, redit victrix, gloriæ suæ splendore quasi purissimis vestibus amicta, innumeris Angelorum beatorumque ciuium choris septa, quorum alij (opinor) triumphos canunt victori, alij gaudio tripudiant, alij palmas, & lauros præferunt, alij iucundissimam cœlestium florum messem plenis manibus inspergunt. Interim anima subtiliter influit in corpus, quod in morte reliquerat, suique pene simillimum facit: Nam lapidem statim permeauit, nec eius subtilitati marmoris soliditas restitit. Et vbi iam oris pallor? vbi illita sputorum fœditas? vbi concretus sanguis? vbi spinarum vestigia, vbi liuentes humeri? vbi manantes cruoris riui? vbi flagellis artus concisi? Tam breui momento tantæ ignominiæ fuligo detersa est, & gloriæ fulgor occupauit omnia. Et nunc quidem frons serena, nunc illustres oculi, nunc ad gratiam rubescentes genæ, nunc os purpureum, nunc collucet, & vibrat auro cæsaries; ad summum totus est quasi sol prorumpens è nube.

Christo admirabilis pulchritudo restituta. Gregorius Nyss. orat. 1. de resur.

Ὥσπερ κατὰ τὸ προκείμενον τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν θέαμα ἓν φῶς περιαστράπτει, τὸ τὰς ὄψεις ἐκ μυρίων λαμπάδων ἐρανιζόμενον· οὕτω πᾶσα ἡ τοῦ χριστοῦ εὐλογία κατ' ἀνάστασιν λάμπουσα, τοῦτο ἡμῖν τὸ μέγα φῶς ἀπεργάζεται.

Non aliter quàm in spectaculo nobis aliquo proposito lumen vnum ex innumeris facibus conflatum perstringeret aciem oculorum, sic omnis Christi benedictio in resurrectionis fulgens gratia, magnum animis nostris splendorem immittit.

Ascensio typus est gloriæ, & nostræ pignus fidei.

CAPVT VIII.

Specta deinde triumphos ex hac victoria consequutos, & videbis non quidem quadrigis albis per laureatas militum cohortes volantem, sed lucida nube circumfusum, penetrantem in illas æternis sideribus illuminatas domos, suæ gloriæ iam diu destinatas. Quæ gradientis maiestas, quæ oculorum fulgura, quis vultus splendor, quæ lux ex toto corpore defluit? Mirantur illibati stellarum ignes, obstupescit luna, sol ipse moderator siderum, fons, & dispensator luminis, suas tenebras cum tanti luminis fulgore comparatas ingenue fatetur, cœli deinde omnes sanctissimo horrore perfusi, certatim sibi tam sanctum, tam augustum, tam diuis, hominibusque salutare sidus, omnibus votis desiderant; verum maius est quam vt istis sedibus detineatur, longius vt apparet, progreditur, & rectà inuolat in æterni Patris sinum. Aperiuntur illæ tot sæculis clausæ fores, & cœlestis triumphator ingreditur. Quanta, quam velox! quam stupenda cœlestium militum acies occurrit intranti! qui vultus! quæ lumina! qui apparatus! qui flores! quæ suffimenta! qui venientium hinc & inde beatarum mentium concursus! quæ colloquia! quis amor! quæ vniuersorum lætitia! Qui Patris æterni, & filij complexus! quam sancta! quam suauis! quam fidelis consociatio! hoc ne Angeli quidem possunt dicere.

Christo ascendēti

quid faciant cœlestia corpora.

Ascendit in cœlum, ad Patrem scilicet fructum carnis præferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens, Dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas: non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit saluatorem: Quodnam enim ministerio dum filius Dei filium hominis sustollit ad cœlum ipsa captiuitas portatur, & portat.

D. Ambr. ser. 61. de ratione festiuit. Pentecost.

Panegyricorum sacrorum magnam, & vberem esse materiam in sanctissima Virgine Maria Dei Matre.

CAPVT IX.

Quod si panegyricorum etiam flores cogitat, & volucris, atq; incitata luxuriari cupit in mulierum laudes oratio. Noli, quæso, noli apud Isocratem Helenam quærerere, illam Martis & Veneris luctuosam facem, in quam venalis linguæ myrocheria, lasciuientis ingenij diuitias sophista pictior effudit.

Oratio volucris. Helena fax Martis & Veneris.

In promptu est quam laudes, & quæ tibi laudationis præmium reddat cum fœnore, Puella toties mundi iam prope depositi, & in æternis sordibus ingemiscentis precibus, ac votis

Maria virgentium aduentus expetitus.

votis expetita, quinquaginta ferme sæculorum opus, quæ à mundi cunabulis ad eius vsque cunas effluxerunt.

Tanta molis erat naturam Genitricem Deo, Dominam mundo, vitæ reparatricem Mortalibus parturire.

Muliebris mundi descriptio.

Humilis quidem est eius species, sed quæ plurimum hausit de cœlo, ni se tamen illi cœlum nunquam antea sic omnium ornamentorum copia diffluens penitus affudit. Noli tibi hic fingere fucati medicamenta candoris, génasque cerussatas, vibratos ferro crines, nodosque tortiles per inexplicabiles mæandrorum sinus implexos: noli quærere purpurissam, stibium, baccata monilia, stalagmia, murenulas, muscaria pauonina, totumque illud muliebris mundi choragium, quod pulchritudinem mentiri potest, non facere, *scena est enim ineptiarum pretiosa*, quam illæ studiosa luxuria conquirunt, quæ carius volunt insanire.

ἀρετὲ θεοῦ χρῶμα.

At certe vna *pulchritudo est, quam mentis integritas efficit, viuus Dei color*, & ille quidem totus afflorescit Virgini, quam omnium virtutum integer, atque illibatus decor, tanto gloriæ coronat fastigio, vt nihil sit in diuinis operibus nec splendore magnificentius, nec suauitate dulcius.

Itaque dicitur Mitraton ex doctrina Hebræorũ Princeps facierum, quæ semper stat ante faciem Imperatoris, creaturarũ admissionalis.

Et certe cum attentius cogito, mihi videtur ille summus rerum artifex, & moderator Deus, in hac vna anima proprie conformanda seipso vsus exemplari, meliori quodam pollice in opus incubuisse, & delicatissimis industriæ lenocinijs in hanc vnam sui vere imaginem luxuriasse, vt esset quod in arce rerum humanarum positum, omnibus imitandum proponeret.

Quam ob rem vbi stellis mens purior, & tot exquisitis affluens ornamentis illapsa est in corporis contubernium, non est illi iniecta fax ista fœda, quæ à nostri generis auctoribus primum accensa, latissime in totum postea genus deflagrauit; sed vt puro, & micanti auro sapphirus, aut adamas purior inolescit; sic illibato corpori castissimus animus Dei ita dispensantis manibus inditus est, vt nulla conceptæ Virgini labecula generis adhæresceret.

Maria natiuitas.

Editus est deinde in lucem partus ille matris aureus, cui ego facile crediderim mitiores cœli faces clementius illuxisse, & è diuturno squallore recreatam risisse naturam, quod sibi tunc obortam lucem putaret, cum eam libaret oculis, è cuius vtero fons ipse lucis erat emersurus. Educata est deinde puella inter pudicissimos parietes, in sanctissima patriarum legum disciplina, & in ijs magnarum artium instructa studijs, quæ aduenienti Deo nobilius instruerent sacrarium. Premebat annorum moras antegressa virtus, & vix legem ferebat ætatis, cui ponere natura leges erubuerat. Iam à prima ipsius ætatula, tot in ea micabant dotes, quot serena nocte fulgent in cœlo stellæ, instar candentium gemmarum suis orbibus affixæ; habuit enim, vt scitis in tota vita mirificam omnium virtutum societatem, quibus illam veluti ætatis telam præclarissimis figutis pertexuit. Enituit aliqua formæ elegantia, sed eam parum pudici mores infuscarunt: Aliam pudicitiæ lumen exornauit, sed obsoleuit superbia; alia natalitijs imaginibus clara, virtutes in ceris habuit; alia laudem à pueritia collectam ante virtutis maturitatem decoxit; alia fortitudinis gloria præfulsit, sed virginitatis laurea caruit. Ad summum nulla inuenta est, quam non aliquis næuus ex ista fatali hominũ corruptela deriuatus intinxerit. Maria vna est, in quam magnifice consentiens, atque conspirans omnium virtutum consensio, vt nihil pudori venustas, nihil grauitas demissioni, nihil comitas grauitati, nihil maiestati simplicitas, nihil constantiæ facilitas, nihil denique (quod antea fuerat inauditum) matris nomen Virginitati detraxerit. Omnes in ea pariter certabãt virtutes, omnes vincebant. Sed neque naturæ bonis erat destituta, nam formæ quædam in ea diuinitas perstringebat aspectus, frons pudica, verecundiæ sedes molliter assurgebat, sub nigris, & arcuatis supercilijs emicabant dulces oculorum faculæ, quæ quam fortiter in intimum pectus Numinis penetrarant, quis ignorat? Nasus venustissime incuruus castigatam fronti columellam faciebat, labra subtilia mitis facundiæ, & cælestium gratiarum receptacula, magna sermonis affabilitas, summa incessus modestia, vultus sine mollitie decorus, sine fastu grauis, in perpetuo sereno positus, exundantem de cœlo vim lætitiæ vix capiebat Longum esset cætera persequi, omnia dixero, cum Dei matrem dixero, sed hanc dignitatem cum omnium non dicam hominum, sed etiam Angelorum linguæ pro viribus prædicarint, cogentur exclamare. *De dilecta numquam satis.*

Mariæ educatio.

Mariæ virtutes.

Quantum Maria cæteras matronas dotibus superarit.

Sic eam fermè S. Epiphanius describit, vbi quoque dicitur σεμνὴ κατὰ πάντα, ὀλιγόλαλος τυχυπήκοος, εὐπροσήγορος.

Ecclesiæ opus Christi magnificentissimum.

Ecclesia opus Christi.

CAPVT X.

ETiamne parum maiestatis habere videtur Ecclesia sanctissimo Domini cruore fundata, & ad hunc vsque diem locupletissima ornamentorum omnium accessione propagata? Equidem videre mihi videor illam Christi sobolem nunc aureo curru, & lucentibus quadrigis inter consita palmis virentibus nemora, lætissimo cursu volantem, cui plura sunt diademata, quam comæ arborum, plures coronæ, quàm igneæ siderum formæ connectuntur, plures intexti auro, & margaritis triumphi, quam sunt oræ, partesque terrarum: Neque enim suam gloriam his mundi curriculis, & vitæ spatijs definiuit. Fertur autem victrix, triumphatrixque vniuersi per calcatas Dæmonum ceruices, per impressa suis vestigijs tumentium satraparum capita, per tot hæreticorum turmas florentissimo Marte concisas, per tot cerastas comminutos, quorum etiam fatum nuper extractæ è vepreculis expectant nitedulæ.

Apostolorum vocatio.

At quibus initijs ad hanc gloriam effloruit? duodecim homuli, qui? auctoritate graues? nihil illis contemptius, opulentia copiosi? quid magis nudum, aut destitutum? eloquentiæ gloria celebres? nihil infantius: iam tamen illi è fluuiorum ripis, & piscatu recentes, callosis ex diurno labore manibus, longa macie torridi, & omnis conciliatriculæ illius vrbanitatis expertes, rustici è tugurijs, & mapalibus educti, triumphos regum meditantur, partiuntur inter se orbem terrarum, victorias, & spolia definiunt, per abrupta montium, & disiunctissima quæque regionũ, igneis veluti quadrigis euecti volitant, feruntur pene extra solem, & sidera, per squallentes arenarum tractus, per tostas vehementissimos solis appulsu regiones, per æterno frigore rigentes plagas: in quibus nullum humani cultus vestigium. Petueniunt deinde ad numerosissimas gentes, pugnant nudi, lacerti, inermes, contra Reges, satrapas, præsides, iurisperitos, sacerdotes, fluentis in suos humeros totius mundi aciem excipiunt, persuadent impijs religionem, auaritissimis paupertatem, omni libidine inquinatissimis castimoniam, & quod stuporis plenum est, contritis Dæmonum simulachris, templisque falsorum numinum excisis, cruciatij vexilla in clarissima luce terrarum defigunt; fulgurent deinde mucrones in ingulum exerti; tonent minæ, ruant qua parte volent armorum fulmina, præsto sunt qui excipiant, qui toto pectore mortem induant, & vincant moriendo.

Apostoli viri fortissimi in hominum conuersione.

Ex eo semine se trudit Ecclesia pusillus grex imprimis, tanquam nidulus inter scopulos gentilitatis affixa, quæ melioribus afflata sideribus crescit in immensum, tunditur, vexatur, premitur, iam de eius vita conclamatum putatur, iam vespillones tumulum apparant, iam meditantur exequias, cum illa nouis viribus repubescens, & felicibus euecta pennis tranat maria, & ex ruinis suos triumphos instaurat.

Ecclesia incrementum.

Duris vt ilex tunsa bipennibus
Nigræ feracis frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumq; ferro.

Quanta & quam præclara laudationis materia in sanctorum Martyrum certaminibus, & religiosa sanctorum vita.

CAPVT XI.

QVa voce præstantissima Martyrum pro fide certamina, & magnificentissimam triumphorum gloriam prædicere possim? hic mens obstupescit, rigent membra: præstrictus tot radiis hebescit animus, sui argumenti magnitudine absorbetur oratio.

Instruuntur, proh fidem, & religionem! toto terrarum orbe carnificinæ, nouis, inusitis, inauditis suppliciorum generibus apparatissimæ, instant Imperatores barbari, exitiales, funesti, humani generis laniſtæ potius, torturesque impurissimi, quàm Principes. & quos vno verbo clarius appellauero, Nerones, Domitiani, Decij, Diocletiani, atque ex veteri illa immanitate, Sapores, Mammuchæ, Dunaani.

Imperatores barbari.

Hoc vnum habent in votis, vt Ecclesiam illam cœli plantam, iam læto gemmarum partu turgentem, & se per dumeta hilarius effe-

efferentem, tormentorum procella, cruorisque humani fluctibus obruant. Producuntur ex omni terrarum regione Episcopi, sacerdotes, senes, authoritate graues, religione sancti, ætate venerandi, quibus se comites adiungunt, matronæ, & Virgines, sexus imbellis, tenerique flosculi paruulorum, quorum ætatula feris ipsis poterat videri miseranda. Trahuntur ad Prætorum subsellia, & à subsellijs ad amphitheatra publicamque lanienam, vnius criminis rei, quod summum numen colerent, in omnes benefici, solis Dæmonibus inuisi, torquentur corpuscula, quibus vix erat vulneri locus, non habebant quà ferrum reciperent, habuerunt tamen, vnde vincerent.

quid olim Ecclesia intentabant.

Martyrij supplicia.

Sed quid dico, ferrum, iam neruus, & mucro, & virgæ plumbatæ, & ferrei pectines, & vngulæ, & cætera exquisitissimorum supplicionum instrumenta, quæ sine horrore ab ipsis crudelitatis administris aspici non poterant, pro ludo, & delicijs habebantur. Feræ ipsæ alijs semper feræ, solis martyribus clementes nasci videbantur, quod celeritate mortis sæuitiæ facerent compendium; Quamobrem alia iam tormenta quærebantur. Ardebant liquato plumbo perfusi, lento igne cremati, nunquam & toties mortui; In vicem nocturnorum luminum ardebant, inter arenæ proteruam licentiam, & lasciuientium greges ebriorum, quibus clariores stellas cœlum non habuit.

Tormentorum varia genera.

Mugire cogebantur in Tauris æneis, valentissimo igne succensis, qui ad Symphoniam beatarum Mentium excitabantur. Obijciebantur Vespis melle delibuti, sole flagrantissimo, purissimis apibus ipsi castiores. Premebantur torcularibus, quorum beatissimus cruor vinum erat Angelorum. Includebantur scaphis lento, & exquisito supplicij genere per varias mortes cruciati, quos pro domo cæli manebat immensitas.

Torrebantur in ferreis cratibus, qui sparsos floribus, lucentibusque margaritis interstinctos pro Christo lectulos spreuerant; Atque inter tot pœnarum acerbitates cum vena cruoris ebulliente, concisisque carnibus paulatim cum sanguine vita defluceret, manebat tamen glorioßissimi facinoris conscientia erectus animus, contemptor deliciarum, pœnarum irrisor sui victor, triumphator tyrannorum, qui tot sibi ora ad Dei laudes celebrandas data putabat, quot erant in corpore vulnera, in quem hoc carnifices poterant, quod aduersus solem nebulæ, qui denique ex cataßis, & crucibus, & incendijs integer euolabat in cœlum. O fortunatam mortem, quæ naturæ debita Christo præcerpta est! ô solem ipsum beatissimum, qui vos ex rogis in cœlum tendentes excepit!

Martyrum constantia.

Vos fortissimi dum vixistis nunc postquam à nobis excessistis, sanctissimi milites, nobis hanc patriam vestro cruore peperistis; Vos frementes populos, & effusos in tam exilia corpora carnificum globos magnificentissimo patientiæ spectaculo superastis.

Vos cœlum aperuistis, Vos calcastis inferos, Vobis pro diademate, & coronis candentes galeæ fuerunt, pro margaritis vulnera, pro exquisitis dapibus ieiunia, pro voluptuarijs hortis saxa, & solitudines, pro confectis voluptate balneis stagna glacie rigentia.

Actum est vobiscum præclarè, beatissimi, nam inter palmarum vestratum fructus mortui, properantem spiritum effudistis in victoria. Vobis vero tot sunt tumuli, quot oræ terrarum: tot laudes, quot ora gentium: tot triumphi, quot pompæ virtutum: stat ipsa trophæorum vestrorum moles magnificis insculpta literis, vestro ipsorum cruore feliciter exarata, amplis illuminata gloriæ sideribus, quibus vt luceant faces succendit æternitas.

Qua vero in parte miraculorum eos constitues, quibus tota pene vita martyrium fuit, qui eas humanæ vitæ blanditias, quibus oppressa virtus conuiuere nonnunquam soler, fortiter à puero repudiarunt, qui se à corpore, & hoc sensuum commercio auocarunt, qui ad diuinarum rerum cognitionem curam omnem, studiumque traduxerunt, homines curarum illecebris, & negotiorum anfractu expediti, toti hærentes origini suæ Deo, quibus cibus ieiunium est, paupertas opulentia, cruciatus deliciæ, qui quod rarum, & difficillimum est, antequam morerentur, sponte cœperunt exire de viuis.

Religiosi.

***

SACRAMENTORVM MAIESTAS, & Ordinis præcipua quædam excellentia.

CAPVT XII.

Cum Baptismo nihil comparandũ.

QVod si Ecclesiam iam constitutam cõsideres, eam augustissimam, quam à cœlesti sponso accepit sacramentorũ dotem fertilissima dicendi seges, maior etiam admirationis ratio suggeretur. Quos mihi fontes ex toto illo historiæ naturalis apparatu, quam aquarum salubritatem, quæ salientium venarum miracula inuenies cum baptismo comparanda? quo Dæmonum vires tanquam in humido serpentes deficiunt, quo tota inferorum machinatio refringitur, quo eluto corpore induit animus sanctitatem. De quo certe, & reliquis Ecclesiæ mysterijs multa hic meditatur animus: sed ad singularem ordinis maiestatem mea festinat oratio.

Sacerdotij potestas admirabilis.

Quanta est Deus bone! quam stupenda! quam pene incredibilis hæc potestas! quæ non vno contenta munere, duas easque omnium amplissimas diuinæ virtutis dotes amplexa est Eucharistiæ consecrationem, & integram peccatorum condonationem. Quid ego iam mirer ad vnam Moysis virgam, modo cruentos amnes fluxisse, modo discessisse maria, modo in se resoluta coaluisse, modo largas aquarum venasè saxis exiluisse. Hæc sacerdotis potestate superata videmus. Verba quippe sacrosancta cum pronunciat, continuò aut fit sanguis Christi: aut cùm inhibet, peccatorum pelagus exarescit, aut cùm retinet, insanæ veluti fluctuum attolluntur moles, aut cùm saxo, & adamante duriora ferit pectora, lachrymarum copiosum imbrem elicit, perennisque diuinæ gratiæ riui in animos influunt.

Cœlum.

Miramur deinde hoc vno verbulo, *fiat firmamentum*, tantam, tam splendidam, tam speciosam molem: tot lucentium signorum veluti picturis vermiculatam, tot facibus collustratam, atque tot miraculis refertam emersisse.

Eucharistia.

At hoc mirabilius vna sacerdotis voce, Deum ipsum, à quo cœlum, tellus & amnes, & maria, & quidquid ætheris omnia cingentis amplexu continetur, emanauit, se in orbiculatam modici panis speciem induere.

Nihil comparandũ ex Dinacuro, cum miraculo Christi in Eucharistia.

Miramur ad Heliæ preces ignem de cœlo delapsum in victimas. Hoc mirandum potius quòd ad sacerdotis verba Deus noster ignis omnia comburens influat in hostias. Miramur ad imperium vnius principis Iosue solem in medio cursu repressum constitisse. *Obediente Domino voci hominis*, parum quod sol in cœlo steterit: Hoc illustrius, quod ille, cuius est sol, veluti de maiestatis solio detractus, in sacrificantis inueniatur manibus. Quid multa? stupemus, quoties ad hanc vnius puellæ orationem, *fiat mihi secundum verbum tuum*: Deum, Deum (inquam) humano corpusculo circumuestitum: Ac hoc in sacerdotis manibus quotidie perfectum veneramur. Proh fidem numinis! quales & quantas oportet esse manus istas! Quam præclaras, quam innocentes, quàm pudicas, quam venerabiles esse oportet istas manus, quæ Deum cœlitus excipiunt, Deum tangunt, Deum tractant!

Sacerdotij puritas in celebrando.

Quanta, & qualia esse oportet ista labia, quàm pura, quam impolluta, quam augusta labia, quæ Dei vnigenam filium, Angelorum amores, & delicias, mundi reparatorem Christum, intra sua claustra demissum, cum omni veneratione salutant! quid dico salutant? imò ipsum sacrosanctis verbis eliciunt.

Sacerdotij vis miraculosa.

Quid de reliqua potestate licet mihi dicere? mihi verò licet, quod est libere pronunciare. Hæc sacerdotes, terrarum Principes vestris genibus aduoluit. Hæc miserorum catenas dissoluit. Hæc inferorum vectes, & repagula diffringit, hæc veterem draconem cruoris humani siti rabidum conterit. Hæc æstus & flammas extinguit. Hæc os putei furialis obturat: Hæc cœli fores aperit. Hæc ad omnipotentis Dei mortales contubernium introducit. Audax fuit illud Heliæ: *Viuit Dominus Deus Israel in cuius conspectu sto, Si erit his annis ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*: homuncionem vnum, pauperem, contemptum, longa macie torridum, per triennium cœlum clausisse, nubes verborum impetu attonitas continuisse, iam iam lapsuros imbres detorsisse. Magnum fateor, sed maius, quod sacerdotes nostri faciunt, qui eadem lingua sanctorum operum administra claudunt inferos, & cœlum ijs, qui ingredi cupiũt, diuinissimè recludunt, *nimis honorati sunt amici tui Deus*, nimis abundè rebus humanis indulsisti, qui homulos ex Adami luto concretos ad hunc gloriæ apicem extulisti.

Regum, vet. 17.

Hic

Iob 40. Hic te appello Iobe virorum omnium qui sunt, & erunt, fortissime, si nunc liceat tibi ex pulueribus resurgere, & cum Deo tot olim sermones miscere, deque diuina potentia disserere: si nunc Deus, quod antea fecit, tibi loquatur de turbine & dicat:

Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabote, respondebis mihi, nunquid nosti ordinem in cœlo, & pones rationem eius in terra? Nouerunt sacerdotes, & hierarchiæ cœlestis imaginem constituunt in terris. *Nunquid ingressus es profunda maris, & in nouissimis abyssi deambulasti?* ingressi sunt sacerdotes ingens quasi mysteriorum pelagus, & in arcanis Dei ambulant. *Nunquid aperta tibi sunt porta mortis, & ostia tenebrosa vidisti:* eadem ipsa aperiunt, & claudunt sacerdotes.

Nunquid produces lucíferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facies? Gratiam ita Deo dispensante pene producunt, & in mortalium animos infundunt sacerdotes. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt,* & reuertentia tibi dicent, adsumus? Anathematum fulmina mittunt, & retrahunt sacerdotes *viui sacrorum.* O ministerij potestatem, ô Dei liberalitatem! Ecquis erit ita stupidus, & vecors, vt in hac ditione, quasi in suo glorietur, vt dominari desideret in clero, vt Dei clauibus abuti, non vti velit.

Hæc si quis oratoriè velit vberius exornare, latissimum campum inueniet, in quo exultare possit.

EVCHARISTIA MIRACVLVM plenum munificentiæ, & magnus argumentorum campus.

CAPVT XIII.

Eucharistia longè superat 7. mundi miracula.

IAm cum ad illud Eucharistiæ Sacramentum deueneris, μυστήριον verè vt appellatur à D. Dionysio, τὸ πάντων ἱερατικώτατον & ἱεροτελεστικώτατον, audebis irrisa iam pueris gentilitatis comparare miracula colossos puta Rhodios, & pensiles hortos Semiramidis, & Cretæ labyrinthos, & aram ex cornibus, & mortuorum somnia Mausolæa, & si quid est nugarum huiusmodi. Proh reculas, & marcescentes vmbras vanitatis!

Eucharistia vna est, cui iure illud conuenit πρόπαιον ἔρωτος, trophæum amoris, Christus quippe Dominus, cum glorioßissima legatione perfunctus in æterni Patris contubernium reuolaret, quod amici facere solent, à suorum complexibus ægrè diuulsi, & in longinquas terrarum oras profecturi, vt apparatissimum munus eligant, quod in perpetuum beneuolentiæ pignus, & amoris solatium suis relinquant, hoc perfecit tantò nobilius, quanto dilexit ardentius; & potuit magnificentius. Neque enim suis expressam in cera, aut in auro politissimis lineamentis effigiem, non sigillum, non annulum, non quidpiam simile donauit, sed corpus, & sanguinem, animum, mentem, diuinitatem, se denique totum, quod poterat δῶρον ἐμπάθειον suis fratribus tradidit, vt corpus, quod ex argilla nostra traxerat, cœlum autem vt iam radijs gloriæ vestitum suo iure repetebat, arte mirabili, & ante hunc diem inaudita cum cœlo, & terris ita diuideret, vt eodem vtraque pars non diuiso, & comminuto, sed toto plenissimo frueretur.

Eucharistia trophæum amoris.

Basil. hom. de charitate Eucharist.

δῶρον ἐμπάθειον *nominat.*

Est istud hæreditarium munus testamenti eius noui, quod nobis ea nocte qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus sua præsentiæ dereliquit, munus augustum, sanctum munus, munerum omnium cumulatissima perfectio. Mirare quantum voles sumptuosam illam, & plane magnificam Iustiniani Imperatoris mensam, quam in templo sanctæ Sophiæ dedicauit, stupendum plane donarium, in quod terra, marique delibatas opes, puta lignorum, metallorum, gemmarum omnium purissimum florem studiosa luxuria congesserat, vt in vnum orbiculum vniuersi orbis miracula colligeret. Ego vero satis mirari non possum in Eucharistia non friuolam donorum opulentiam, sed cœlestium gratiarum iuge quoddam seminarium, fontem clarissimarum virtutum, culmen bonorum omnium.

Gaudentius tractatu secundo.

Cedrenus ex Baro. ad annum Iustin. 31.

Enimuero minime mirum est, cum & illum contineat, cuius riuis omnia respergüntur, vt orta crescant, crescendo maturitatem assequantur, & matura nunquam senescant. Nec immerito magnus ille Basilius Eucharistiam appellat κοινωνίαν τῶν ἀγαθῶν, bonum enim est, & bonum illud, quod sapientissimo Moysi fuerat antea promissum.

S. Basil. ep. ad Amphilochiũ.

Ostendat tibi omne bonum.

O rem admirandam antea! Verbum Dei humanos artus induit, nunc in hostiam induitur.

ἵνα τρόπον διὰ λόγου.

Ἀοῦ σαρξοποιηθεὶς, *Iustinus Martyr. in Apologetico.*

tur: Antea cernebatur in sinu Virginis, nunc cernitur inter manus sacerdotis: Antea niueo lactis rore pascebatur, nunc purpureo pascit sanguine: Antea corpus nostrum assumpsit, nunc se in nostrum corpus infudit. Antea se adiecit ad humilitatem carnis, nunc se transmittit in speciem exigui panis.

Quid, quod sub tam paruis inuolucris totus est, quid quod in minima particula totus, quid quod non illapsus è cœlo, quod nunquam deserit, sed cum hostia modo prorsus mirabili repente coniunctus existit, quid quod vt diuinitas replet mundum, & tamen vna est: Sic innumerabilibus locis consecratur, & tamen vnum corpus est.

Greg. Nyss. in orat. de Paschate.

Quid quod licet frangantur, & imminuantur species, Christus tamen non secus ac adamas è fracto crystallo prosiliens, non confractus, non diuisus, semper illæsus est. Deinde hæc non sunt plena miraculorum?

Quid dicam de ipsis Sacramenti copiosis fructibus, qui in totam Christianorum vitam ex eo fonte latissime diffunduntur? Deo agglutinari, quid dulcius? Deo vesci, quid suauius? Deo saginari, quid lautius? Dei sanguine in venas admisso irrigari, liquescere, perfundi, quid fœcundius? hoc libidinis fomites præfocantur, hoc sagittæ Dæmonis infringuntur, hoc aspersæ medullis, & visceribus cupidinum faces intepescunt, hoc castissimæ flammæ ardores reuiuiscunt, hoc omnis sanctitatis decor efflorescit.

Origenes aduersus Celsum Gregor. de gloria martyrum in Polycarpo.

Ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους, ἅγιον τι καὶ ἁγίαζον αὐτοὺς μετὰ ὑγιοῦς προσθέσεως αὐτῷ χρωμένους.

Quamobrem miror vos sapientes viri, qui iam in ipsis Ecclesiæ incunabulis Eucharistiam in turricula argentea solebatis asseruare, non minus subtiliter, quam religiosè, hanc quippe significastis turrim esse fortium, è qua mille clypei penderent, quibus tota vis inferorum, quasi fluctus ad scopulos allisus hebesceret. Laudo te Remigi sanctissime, qui in eo calice aureo, quem Rhemis, in vrbe tui nominis obseruantissima, tuis posteris reliquisti, non minus dominici sanguinis receptaculum, quam tuæ illius frugalis munificentiæ monumentum cælari iussisti, litteras non tam opere, quam ingenio tuo deauratas.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro.

Vere enim hæc vita est, cuius participes esse non possunt, *Qui verbo tenus, corde sicci, & mente aridi sacris intersunt, vel etiam communicant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum.*

Cyprian. serm. de cœna Domini.

Forum quoque esse in eloquentia sacra omnium augustissimum.

CAPVT XIV.

SEd tu rostra fortasse adhuc cogitas, & iudicum subsellia, in quibus illam grauem, & magnificam dominari putas eloquentiam. Concipe igitur animo si potes, tribunal summi iudicis, & tremendam illius diei maiestatē, quo cœli columnæ magno fragore, fremituque concussæ cum ipso Angelorum horrore, & metu contremiscent, quo stellæ repentino flammarum tractu decussæ, vt frondes arborum decident, quo luna cruentabitur, quo purissimæ solis faces atra fuligine se induent.

In iudicio extremo Dei maiestas tremenda.

Quale erit hoc forum, cum post tumultus, stragesque bellorum, post morbosam aëris contagionem, pestilentiumque febrium ardores in mortalium corpora perbacchatos, post ferarum incursiones, & carnificinas, post luctuosam agrorum vastitatem, famemque rabiosam enectis pastam cadaueribus, post terræ motus, post aquarum eluuiones, infinitasque plagas gentium, omnia continenti ardebunt incendio, cum ipsæ æternorum fluminum venæ siccabuntur, & quæ nunc cœlo minantur operosissimæ ædificiorum molitiones, incrustatæ marmoribus auro, & argento micantes inter minuti pulueris quisquilias deflagrabunt.

Cum arma, & trophæa, & Regum sceptra, & coronæ, & tiaræ, & diademata, & nugæ in pabulum ignis cedent, & gemmæ spumantis freti detrimenta, quibus pretium libido fecit inter flammas, his credo dapibus iætas, & alacres crepitabunt. Quale illud spectaculum, cum cœlestes tubæ ingenti fremitu personabunt, cum tot corpora, tot iam sæculis cassa, tot millia, quæ pontus hausit, ignis absorbuit, ferrum consumpsit, ferarum dentes moluerunt, morbus attriuit, mors ad summum interemit; tam repente per-

In iudicio quidem bona fortuna.

pertextis ossium commissuris, carne vestita, & spiritu animata consurgent? Quale erit tribunal iudicantis, cuius superbissimos Reges cunę terruerunt infantis? quot tunc ardentium curruum millia circumstabunt, quot famulabuntur Angeli? quanto improborum terrore præferetur illud signum, magnum Crucis signum, à conscleratis toties despectum, toties irrisum, toties conculcatum? Quis incessus, quæ vox, quis vultus iudicis, quis pauor mentium, quis pallor corporum, quæ omnium trepidatio?

Quinam cum Deo sint iudicaturi.

Quanta illa scena, quam glorioſus confessus futurus est, cum illi hominum despicatissimi, illi verberones, illi *semaxij* toto terrarum orbe iactati, vexati, infinitis supplicijs consumpti, radiatis fulgore capitibus sedebunt de Regibus iudicaturi? Quale, & quam inſperatum iudicium, cum ad illam *fulminatricem sententiam* tot barbarorum principum apices contriti, tot purpuræ, tot fastus, tot amores terrarum vno agmine detrudentur ad inferos, vt eo igne in æternum ardeant, cuius hic noster pictura est, ô ferales lectos prunis ardentibus constratos! ô funesta draconum cubilia! ô inexecrabiles flammarum laqueos! ô vermem conscientiæ inexpiabilem! ô pœnas immortales! ô longam æternitatem!

Inferni pœna.

At quantum ex altera parte, & quam plenum magnificentiæ theatrum, tot florentissimi Martyrum exercitus, tot Prophetarum oracula, tot grauissimorum sacerdotum cœtus, tot chori Virginum, tot sidera, quibus empyrea cœli facies collustrabitur! quæ triumphantium gloria, quis plausus exultantium, quis salutantium concursus, quæ voluptates, quæ deliciæ, contrita mortalitatis tyrannide, & in æternum extinctis tot precariæ, & male hærentis vitæ laboribus, atque molestijs, Deo perfundi, de Deo impleri, de Deo viuere.

Hæc si quis parua existimat, in quibus illa sumptuosa, & grauius anhelans desudet eloquentia, videat sanè an in Catulli passere, aut Psittaco Melioris, aut musica Luciani, aut in minutulis negotiorum humanorum caussis plus sit habiturus fœcunditatis.

Tantam argumentorum in sacra eloquentia maiestatem melius à Christianis Oratoribus sustineri, qui liquidiorem hauriunt spiritum de cœlo.

CAPVT XVI.

CErtè iam, vt vides argumenti maiestate multis partibus Christiani vincunt oratores: reliquum est vt videamus, an cum ipsi in speciosam, & locupletem hæreditatem venerint, eam qua inertia neglectam, vastam, atque incultam reliquerint. Fortasse enim ijs carent adiumentis, quibus excitari magna triumphantis eloquentię decora potuerunt, fauore numinis, ingenio, liberalibus artium studijs, diligentia, exercitatione, præmijs denique amplissimis.

In eloquentia sacra Maiestas inuenitur argumentorum, sed à Christianis oratoribus.

Primùm, si quod vestri etiam statuunt Oratores, virum bonum esse Oratorem oportet, nec illum quidem eloquentiæ gloria fieri magnum, aut celebrem, sine aliquo afflatu diuino: Cumque omnes constet animos, acerrima quadam agitatione, & veluti diuino spiritu, qui singulis vniuersi partibus intenditur, esse refertos: Quibus tandem magna mens illa plenius se affundit? an ijs, qui acceptas à Deo ingenij dotes ad rerum humanarum quisquilias traducunt, & quasi hamis aureis vilissima piscantur animalcula? Num verò ijs potius, qui cum se in Dei ære, & peculio totos esse cognouissent, magno, & alacri animo se in societatis humanæ commercium, in Reipub. Christianæ decus & solatium, & in procuranda mortaliũ salute, penè in ipsum Angelorum contubernium emiserunt? Quod vt commodius facerent plerique, non modo blandissimas illas voluptates, quibus oppressa lux mentis extinguitur, constantissimè repudiarunt, sed ipsis etiam ordinarijs, quibus hic contineri videtur spiritus, & vita perfundi, penè nuncium remisere.

Voluptatibus lux mẽtis extinguitur.

Qui verò magis ingenio valent, quam qui detersis vitæ labeculis se veluti limatius speculum, cœlestibus radijs obijciunt, vt pleniori luce collustrentur? Quam qui ab vxorijs curis, & his negotiorum procellis remoti, toti sunt in rerum diuinarum contemplatione defixi, qui ab ipsa prope tumultuaria sensuum consuetudine abrepti, beatarum mentium vitam

Scholastici veri.

æmulantur? Qui liberalibus disciplinis vehementius incumbunt, quam qui hoc ex Dei moderatoris consilio faciunt, qui virtutem, & scientiam suum patrimonium ducunt, qui in Christiani nominis luce, & florentissimis orbis terrarum scholis assiduo versantur, qui diligentia sunt ita contenta, & flagranti, & auida, vt nullum diem, sine nobili diuinæ illius supellectilis accessione præterfluere atque excedere patiantur? Exinde quæ diu in hac vmbratuli vita studijs impallescentes sunt meditati, iam matura, & miti suauitate decocta, deferunt in publicum, excitationecontinua, labore pertinaci, fructu copioso, ostentatoine nulla.

Et si quæ vltimo loco commemoraui, præmia expetuntur, quibus exstimulatus inardescat animus, num tandem magnum, & munificum, & Deo dignum palmarium est, salus animarum?

Eloquentiæ sacram docere est imitari Christum.

Quanta, & quam suauis est gloria, in Dei famulatu esse, Deo in procuratione humanæ salutis inseruire, Deo militare, cuius vim, & arma inferorum potestates pertimescunt. Quid aliud Christus fecit in terris? quid Apostoli? quid Martyres? quid cot Doctorum cœtus fecere? Quid magnificentius, quam bellum gerere cum vitijs? Dæmonum vires infringere, perrumpere iniquitates, animis iam mollitis atque subactis inserere sapientiam, quæ in æternam frugem adolescat? Quid optatius, quam iuuentutis ingenia hoc virtutum succo imbuere, quam illa cãdida nobilissimę pubis examina, castissimis disciplinis excolere, & prima face surgentes in hac æmula virtutes deoscula-

Præceptorũ bonos in bene erudienda inuentute.

ti, quam corróborata iam honestatis laude firmatos continere, quam pauperibus solatio, diuitibus ornamento, ignaris luci doctis gratiæ, omnibus esse subsidio? & alios quidem adhuc in terris ad pietatem confirmare, alios parturire, alios in cœlum iam præmisisse? Quis non malit inter hæc magnarum artium decora quam inter rosas emori?

Effectus sacræ eloquentiæ planè admirabiles,

CAPVT XVII.

AT verò cum eloquentiæ maiestatem ex rebus gestis ab oratoribus, fructuque copioso in Rempub. & in omne genus hominum deriuato, tum etiam, ex splendidissimis in profligãda improbitate virtutibus, metiri etiam oporteat; Verẽdum est, credo, ne corona Ctesiphontis tam ambitiosa, & superefluẽti oratione perita, aut vibrata, tam infelici semper exitu in Philippum Regem fulmina, aut Catilina, non tam Ciceronis eloquentia, quam C. Antonij armis iugulatus, aut male diuina Philippica efferatus Antonius, aut post damnationẽ superuacanea oratione defensus Milo, in con-

Eloquentia sacra non est comparanda cum eloquentia oratorum Gentilium.

tentionem cum illo glorioso cęlestis eloquentiæ fructu veniant.

Habemus certè, quæ opponamus magnificentissima rerum spectacula, ab oratoribus Christianis, ijsque non ferro, & terrore succinctis, sed innocentia, amore, beneuolentia fretis edita, expugnatos Reges, refrænatas potentium virorum libidines, vrbes victas, Prouincias miti eloquentiæ fulmine concussas, peregratas non tam passibus, quam victorijs nationes, nouos, & antea illibatos mundos ad fidem Catholicam adductos.

Gentium res Catholici quid fecerint.

Nondum Christi Apostolos loquor, de concionatoribus Catholicis dico, qui varijs temporibus floruerunt, vicerunt opera gigantum, fluentem in se negotiorum molem excepe-

runt, exceptam fortissime sustinuerunt, sustentatam cum laude, & gloria gesserunt, immutarant peruersissimos rerum status, obtruserunt frementibus inferis, flagitijs castimoniam, rapinis charitatem, impietati religionem, perdicæ, ac profligatæ licentiæ disciplinam. Dederunt rebus nouis auctoritatem, pondus antiquis, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus vero ordinem, atque naturam.

Video quantus hic mihi ad dicendum campus aperiatur, sed non excurram quantùm potero, tùm quòd ista sint aliorum iam pressa vestigijs, tum quòd in tam spectabili luce sint posita, vt nullum recessum, nullam obliuio-

nis

nis vmbram admittant. Etenim per Deum immortalem! quis decem Oratores Atticos, cum vno Athenienſium ciue beatiſſimo (inquam) illo ſene Areopagita comparare audeat? qui poſtquam repudiatis ſuæ gentis erroribus, Chriſti fidem complexus eſt, vidit, quid intereſſet inter vmbram, & ſolem, inter fumos, & ignem, inter vanitatem eloquentiæ, & ſoliditatem ſapientiæ. Denique inter Demoſthenem, & Paulum, inter Platonem, & Chriſtum: ſecluſam, quam tenebat, inter modicæ vrbis muros eloquentiæ, velut aquulam, miratus eſt ingenti quodam torrente rerum cœleſtium abſorberi, & inſignotos terrarum orbes fœcundiſſimo partu refundi.

D. Dionyſ. Areopagita quantū ſupret oratores Atticos.

Irrigauit Græciam, aſperſit Italiam, penetrauit in Gallias, vrbes florentiſſimas cepit, non machinis, ſed doctrinæ ſuauitate, Martis ſimulachra, quæ in illo ſuæ vrbis ſacrario coluerat, confregit, atque comminuit, agreſtes hominum ſenſus mitigauit, aſpera dedolauit ingenia, ſuperſtitiones nefarias, execrabiles ritus, Thyeſtæas epulas, & tot vagos concubitus implexos per incertum ſortis, vi ſapientiæ diſcuſſit, inſtruxit Deo altaria, templa dedicauit, candidatam fidelium plebem, magnæ gentis primitias Chriſto aggregauit, ea demum, quæ geſſerat, ſuo cruore, quaſi cera vſus, & ſigillo, glorioſus triumphator obſignauit, Vir & vitæ flore, & mortis gloria, & ſcriptorum maieſtate cum paucis comparandus.

D. Dionyſ. Areopag. geſta præclara ab eloquentia ſacra.

Quid deinde ſanctus Remigius, Galliarum quoque noſtrarum ſanctiſſimum, & feliciſſimum ſidus, cum eſſet à puero magnarum artium inſtructus diſciplinis, annum agens vigeſimum ſecundum, Rhemenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit, & is adoleſcens numeroſiſſimam, atque bellicoſiſſimam gentem demulcere cœpit, ſenſimque ab illa morum aſperitate, & haud tractabili quodam ingenij rigore, ad Chriſtianæ religionis manſuetudinem, decuſque pellicere. Quantum fuiſſe putas ſanctiſſimi viri trophæum, cum inter lætiſſimam primariæ tunc vrbis faciem, pictorum ſtragulorum nitore, nouaque cultus gratia renitentem, Clodouæum Regem, non iam Martij ſpiritus vigore terribilem, ſed ſuauiſſimo religionis ſenſu delibutum, ad ſaluberrimos baptiſmatis fontes duceret? quantæ ſcilicet maieſtatis illa verba fuerunt: *Mitis depone colla Sicamber; adora, quod incendiſti, incende, quod adoraſti,* cum è veſtigio tantus Rex, & tam ferox purpuratas cernices Chriſti iugo ſubmiſit, cum ſui exemplo traxit populos innumerabiles, & ad ſimile factum, ſimilemque virtutem poſteros, per tot labentium ſæculorum curricula propagauit, qui Chriſtianiſſimi vere terrarum Reges, pro huius nominis gloria tam ſæpè arma tulerunt, & gentes barbaras non minus luce virtutum, quam fulgore gladiorum terruere.

S. Remigij admirabilis potentia ad vincendum Clodouæum Regem.

Quod ſi etiam in perexiguis ſeminibus, vbi in concipientem, comprehendentemque naturam inciderint, tota vis eſt, & ſpes magnarum arborum, quantam cenſes fuiſſe magni illius Oratoris gloriam, qui in Clodouæo, nō vnius vrbis, aut prouinciæ, ſed ampliſſimæ gentis promitias conſecrauit? Multum profecto debet Francia Clodouæo, qui iſtius florentiſſimi regni, tam paruæ cunabula, magna incrementorum acceſſione locupletauit: Plus debet Remigio, qui Clodouæum Chriſtianæ religionis retibus imbuit, ſine qua, quid ſunt imperia terrarum, niſi ſpecioſa latrocinia?

Plus ſancto Remigio debet Francia quam Clodouæo.

Longum eſſet ire per ſingulos, ex vno cæteros facile cognoſces, nunquam in minutulis controuerſijs ſacri luſerunt oratores, vnus is ſemper ludus fuit totas adiungere Chriſto nationes, & tot oras luſtrare terrarum, quot ſolis appulſu, & radijs accenderentur.

Poſteriora iam loquor ſæcula. AVGVSTINVS à Gregorio Pontifice cum quatuor duntaxat Monachorum comitatu, miſſus in Angliam, totam illam regionem quam tot expeditionibus bellorum populus Romanus fruſtra ſæpe tentauerat, intra paucos annos Chriſto vicit, & ipſum Edelbertum Regem, cum ſuis popularibus adiunxit Eccleſiæ.

D. Auguſt. quid fecerit ſua eloquētia.

Eodem ſucceſſu LAMBERTVS Teſſandriam Germaniæ, VILFRIDVS Hollandiam, & Friſiam, SVITBERTVS Saxoniam occupauit, & ijſdem armis deuicit. At BONIFACIVS cum iam puer quinquennis Deo militare cœpiſſet, florentiſſima tandem gloria concionator euaſit, & à Gregorio ſecūdo miſſus in Germaniam iam libatam, Friſiam, Thuringiam præterea, atque Haſſiam ſubegit, & in hoc glorioſiſſimo rerum curſu Mogunti-no Archiepiſcopatu ornatus, eloquentiæ laureis, martyrij palmam adiecit. Haud ita multo poſt ANSGARIVS cum tribus ſocijs ex monaſterio Corbienſi in Gallia Belgica, Datiam, Suetiam, Gottiam, Grolandiam,

diam, cum lætissimo fructuum prouentu peragrauit.

Adalberti gesta propter eloquētiam.

ADALBERTVS ex Pragensi Archiepiscopo, Cassinensis Monachus, vna cum Gaudentio fratre profectus in Pannoniam, totam illam gentem duram, antea, & ferocem, mitioribus Euangelij præceptis imbuit, Geisam Regem ad Christum conuertit, mox digressus ad Sarmatas, Russis, Lituanis, Moschis, Prussianis, Polonis denique, & eorum Regi Boleslao fidem promulgauit, qua in messe animarum, vir sanctissimus ad stipitem alligatus, septemque hastis confixus, martyrij toties auidum spiritum in martyrio profudit.

Humbertus quid sua loquentia fecerit erga Nicetam.

Quid dicam de HVMBERTO, qui Constantinopolim à Pontifice legatus, vt Græcorum Schisma confutaret, Nicetam erroris propugnatorem, coram ipso imperatore Constantino acerrimè, vehementissimeque vexatum eò compulit, vt librum, quem contra fas scripserat, flammis subijceret.

Quid de HIERONYMO ÆSCVLO, qui eadem legatione functus, Imperatori, & genti nostræ religionis veritatem persuasit, secumque quadraginta ex proceribus ad sacros Pontificis pedes, ipsumque adeo concilium, quod tunc Lugduni frequens habebatur, insigni omnium admiratione perduxit?

Quid de Ioanne Capistrano, qui vna excursione duodecim infidelium millia ex ipsis penè inferorum faucibus eripuit?

Quid de octo Franciscanis, qui in Hungaria non pluribus diebus, quam quinquaginta, ducenta capitum millia in Ecclesiæ septa compulerunt? Possem tibi, & istius minimæ societatis, per tot dumeta surgentis affixa sempiterni numinis tholo commemorare spolia, tot in Europa, atque Asia congressus, tot pugnas, tot victorias, in pacatam Iaponiam, & Sinam inter horribiles libatam custodias, & tot messes Orientis, tot vtriusque mundi decora, nisi ipsa rerum claritas, & multitudo, quæ alijs plerumque verificari solet, huius vnius obesset laudibus, & omnem vim orationis absorberet? Nam tot monumentis istius societatis hominum claruit industria, quot plagæ Solis ortu, atque occasu lustrantur, vt ignotum Soli eum locum esse oporteat, qui illorum laboribus fuerit ignotus.

Quid societas Iesu erga animarum salutē fecerit.

Sed ecce tibi duo præ oculis viri, qui omnem admirationem superarunt, Bernardus, & Vincentius. Horum alter in illa formidolosi schismatis flamma, qua Christianus orbis deflagrare cœperat, lustrauit prouincias, intercessit hominum iniquitatibus, restitit audacię, oppressit furorem, infectum reddidit, quicquid factum non oportuit, & verbi diuini gladio succinctus, fregit terrores armorum, vt tantæ auctoritatis, vt per vnius os Bernardi, purpurati Patres, Episcopi, Reges, Principesque terrarum, quasi per commune mundi oraculum loquerentur; Tanti præterea pannoso illi, & contempto, Europam peragrati concursus, & gratulationes fiebant, vt sidera si in terras descenderent, non essent plus venerationis habitura.

S. Bernardi eloquentia.

Alteri, haud errabis, si vt olim Timotheo rete appinxeris, in quod vrbes, & Prouinciæ, terrarumque regiones se induant, nam in Valentia, Aragonia, Nauarra, Burgundia, Normannia, Aruernia, Vasconia, Britannia, Belgio, Insubria, Liguria, Anglia, Scotia, Hiberuia, quas ille prouincias non tam passibus obruit, quam clarissimis religionis trophæis illustrauit, tot animas ab erroribus, & flagitiorum cœno expediuit, vt Dei opus sit idipsum percensere. *Qui enumerat multitudinem stellarum.*

S. Vincentij vita ob eloquentiam sacram.

Quod si pugnas, & concertationes audire desideras, specta mihi Athanasij, Ambrosij Basilij, Chrysostomi, cum Imperatoribus, & Augustis mulieribus congressiones, quibus, quid grauius est, aut constantius? Tonant Regum imperia, fulgurant purpuræ, fremunt arma, intentantur exilia. Descendunt in arenam fœminæ, quibus ad singularem præposteræ, & impotentis naturæ malitiam summum impetium, quasi intentus in bonorum ceruices arcus accesserat. At illi non secus ac annosæ arbores altissimis defixæ radicibus, cœli frementis iras, incussamque vim ventorum, atque grandinum fortiter excipiunt; Stant in caussa Dei præclarissimi athletæ, honestissimo pulvere sordidi, læti, alacres, erecti testimonio conscientiæ, patiuntur, vincunt, triumphant, & tandem omnes infra se procellas despiciunt.

Sanctorum patrum aduersa certamina.

Quod

Quod Sacri Auctores sint etiam maximè eloquentes.

CAPVT XVIII.

SED non habent sacri Oratores *arcana semotæ dictionis*, (hoc enim vnum obijcitur) verius dixeris, non habent ineptias, eloquentes esse falsò negaueris. Semper enim magni feci D. Augustini, vt sincerum in omnibus, sic in ea re sagax, & prudens iudicium: Vbi (inquit) eos intelligo, non solum, nihil eis sapientius, verùm etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere omnes, qui rectè loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse: sicut enim est quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem, nec iam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentia; Ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos, planeque diuinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: Ipsis enim congruit, alios autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit.

D. Aug. lib. 4. de doctrina christian. ca. 6.

(Addit)

Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes, & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur isti; qui linguam suam nostrorum auctorum linguæ, non magnitudine, sed rumore præponunt, ostendere in istorum literis sacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc sæculo prauo, in beatum sæculum transferendis prouidentia diuina prouidit. Sed non ipsa me plus, quam dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus gentilium, Poetisve communia. Illud magis admiror, & stupeo, quod ista nostra eloquentia ita vsi sunt, per alteram quandam eloquentiam suam, vt nec eis deesset, nec emineret in eis: quia eam, nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat, quorum alterum fieret, si vitaretur, alterum putari posset, si facilè agnosceretur.

Auctores sacræ eloquentiæ longè alios superãt.

Hæc ille vir sapientissimus, quæ postquam subiecit, latissimè probat exemplis, affert enim prolixos aliquot locos ex D. Pauli epistolis, & Amos prophetia, in quibus cola, commata, periodos, figuras, notat accuratius, quàm vllus Rhetor in Demosthene, aut Cicerone. Ad summum concludit sacrorum auctorum sapientiam, tanquam inseparabilem famulam, non vocatam, sequi eloquentiam.

Quod Patres Ecclesiæ nonnulla etiam picto, & florenti stylo scripserint.

CAPVT XIX.

ANimaduertere est etiam, plerunque in sanctorum Patrum scriptis, nonnulla tam dulcibus renidere flosculis elegantiarum, tanta styli suauitate delibuta, tam concinnè, tamque affabre facta, vt cum Rhetorum præstantissimis venire in palmæ contentionem possint. Lubet ex omni genere hic aliquot exempla delibare, quibus hunc librum felicioribus auspicijs claudere, atque obsignare possim. Incipiam à Nazianzeno, ecquis amabo, fuit artifex Epidictici generis peritior? Vide vt in oratione de sancto Paschate, vt ver describit ex adiunctis.

Pater Ecclesiæ cum Rhetorib. decertant.

Ἰδὲ γάροια, &c.

Quæ latinè hic reddam, quia prolixiora sunt.

REgina (inquit) tempestatum pompas ducit Regi dierum, & pulcherrimo, eodemque iucundissimo stipat veluti satellitio.

Ἰορύφυρεῖ.

Nunc cœlum renidet purius, nunc sol altior, & auro similior, nunc orbis Lunæ pulchrior splendet, atque illibati stellarum chori clarius enitescunt.

Ver, regina tempestatum.

Nunc littoribus conciliantur fluctus, Soli nubes, aëri venti terra plantis, plantæ oculis. Nunc fontes manant liquidius, & hibernis compagibus expediti, largiùs amnes fluunt, prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, detonsi nitent herbarum tori, & per virentes agros agni lasciuiunt. Iam naues, vt plurimum pijs refertæ vectoribus, cum celeumate soluunt è littore, & alas velorum explicant: mox leni cursu fluentibus assultant delphini, & suauissimè quidem anhelantes tranquillo mari fidi comites nautas deducunt.

Δελφὶν παραπέμπει πλωτῆρας.

Lætus autem agricola serenum intuetur cœlum, & aratrum reficit, frugum largitorem Deum appellans, tum strenuè boues aratores cogit

Ver vtile agricolis.

cogit sub iuga, & dulces imprimit sulcos, totus iam spe delibutus. At Vpiliones cum bubulcis concinnant fistulas, & pastorale carmen accinunt, nunc per gramen abiecti, nunc vmbrosis rupibus insidentes vêris suauitate mulcentur.

Ex altera parte olitores plantas excolũt, aucupes calamos instruunt, designant ramos ad aucupium, & plumas auium, ad insidias eleganti artificio contexunt. Piscatores profundum scrutantur, purgant retia, petrisque marinis insident.

Interim apis laboriosa explicatis pinnulis discedit ex alueatibus, sapiẽtię datura specimẽ, & iã prata peruolat, iam flores pabulatur, & castra cerea concinnius elaborat, contexis veluti disparibus ac sexangulis fistulis, rectos quoqi vicos, & alternos angiportus mirabiliter implicans, vt operi firmitatem, & elegantiã conciliet. Deinde mel in apothecis recondit; arat quippe, & laborat suo hospiti gratũ animalculum, eiqi feriato fructum affert periucundum.

Quis non videt hanc orationem delicatissimis floribus aspersam? nam & omnia fermè vêris adiuncta accuratè collegit, egregiè miscuit, summa suauitate temperauit.

Imitatus est hanc descriptionem S. Cyrillus 9. λόγων ἑορτασίων p. 95. in fine.

Eundem quoque sapiunt stylum, quæ habet de Pauone oratione 54.

CAPVT XX.

Πόθεν ταὼς ὁ ἀλαζὼν ὄρνις καὶ μηδικὸς, οὗτω φιλόκομος καὶ φιλόπομπος, τὰ πτερὰ ἀείρας, καὶ τὸ πῖρον κυκλοτερῶς περιστήσας, τὸ χρυσαυγὲς, καὶ καλάσερον θαυμάζειν τὸ κάλλος τοῖς ἐρασταῖς μέγα θέαρον βαδίσματος;

Qui fit vt arrogãs ille, & medicus Pauo, elegantia, gloriamqi adeò affectet, elata ceruice, pennis aureis stellatis, in orbem circũductis, corporis sui pulchritudinẽ amasijs, cum superbo quodã incessu, velut in theatro spectandũ proponit? & de cicada, πῶς οὐδοὺς ἐπιγείους ὑπὸ σκιὰς μαγάδα, καὶ τὰ ἐπὶ τῶν κλάδων ἄσματα τί καὶ τερετίσματα, ὅταν ἡλίου κινῶνται τὰ μέσα μεσημβρινὰ μεσοδρυῖται; Quis lyram cicadis in pectore dedit? & cãtus illos, atqi garritus? quos cũ meridiani Solis æstu ad muscam excitãtur, in arborũ ramis fundunt. Sunt plane ista calamistrata, maximè in Græco πῖρον χρυσαυγὲς, καὶ καλάσερον, & θαυμάζειν τὸ κάλλος.

Item de Araneis in eadem oratione.

Αἷς διὰ λεπτῶν οὕτω καὶ ἀερίων σχεδὸν τὴν ὑφὴν ἀράχνων, πολυειδοῖς διατέλαμένων, πολυπλόκοις τοὺς ἱστοὺς ἐξυφαίνουσι, & cætera.

Ταὼς

Cicada

Araneæ

Arguta breuitas D. Greg. Nazianzeni in descriptione Pauonis, Cicadæ, Araneorum,

S. BASILIVS IN NATVRA QVOQVE FORMICÆ disquirenda egregiè lusit.

Nec minus elegans, & subtilis Basilius in descriptione Formicæ.

CAPVT XXI.

Οὐκοῦν ὁ περὶ τῶν ὄντων εἴδησιν κατειληφέναι μεγαλαυχούμενος, τὸ σμικρότατον τῶν προφαινομένων ὅπως ἔχει φύσεως ἐρμηνευσάτω. καὶ τίς ἡ τοῦ μύρμηκος φύσις, εἰπάτω. εἰ πνεύματι καὶ ἀθμάτι συνέχεται αὐτοῦ ἡ ζωή· εἰ ὀστέοις τὸ σῶμα διείληπται· εἰ νεύροις συνέτμοις τὰς ἁρμονίας τετόνωται· εἰ μυῶν περιβολῇ καὶ ἀδένων ἡ τῶν νεύρων περικρατεῖται φύσις. εἰ τοῖς καλλαίοις σπονδύλοις ἐκ τοῦ βρέγματος ἐπὶ τὸ εὔραιον ὁ μυελὸς συμπαρατέταται· εἰ τῇ περιοχῇ τῶν πορῶδες ὑμένος, τοῖς κινουμένοις μέλεσι τὴν ὁρμητικὴν ἐνδίδωσι δύναμιν· εἰ ἔσιν ἐν αὐτῷ τὸ ἧπαρ, καὶ τὸ χοληδόχον ἀγγεῖον ἐπὶ τοῦ ἥπατος,

AT qui se omnium rerũ scientiam gloriatur comprehendisse, minimum etiã, quod propositum fuerit, quomodo sit à natura formatũ, factumqi explicare, & quæ sit formicæ natura, exponere debet. Num eius vita, spiritu quodã, & anhelitu contineatur. Num corpus ossibus interstinctum sit. An neruis, quasi vinculis sint harmoniæ coniugatę. An musculorum, & glãdularũ circuitu neruorum natura sustentetur. An ex sincipite medulla per dorsi vertebras ad caudam defluat. An complexione neruosę mẽbranulæ, membra, quæ mouentur, motiuam vim, & facultatem habeant. An sit in ea iecur, & in iecore vasculum bilis receptaculũ, & renes. & cor, & arteria, & venæ, membranulæ, & præcordia. caluumne sit, an pilosum, vnum gulum,

νηρροί τε καὶ καρδία καὶ ἀρτηρίαι, καὶ φλέβες ὑμέναι, καὶ διαφράγματα· εἰ ψιλός ἐστιν, εἰ τε ζίχωλαι. μονώνυχόν ἐστιν, ἢ πολυσχιδεῖς ἔχει τὰς βάσεις. πόσον δὲ βιοῖ τὸν χρόνον. καὶ πῶς αὐτοῖς ὁ τόκος τε καὶ ἡ τῶν ἀλλήλων γενέσεως. ἐπὶ πόσον δὲ κυίσκεται τὸ θηλύμενον. καὶ πῶς οὔτε πεζοὶ πάντες οἱ μύρμηκες, οὔτε ὑποπτέροι πάντες, ἀλλ' οἱ μὲν τὰ καὶ ἡρχιμένων αὐτῶν, οἱ δὲ ταῖς πτέρυξι φέρονται.

lum, aut multifidos habeat greſſus. Quanto tẽpore viuat, & quæ ipſis procreandæ ſobolis ratio, quandiu partum ferant, & quomodo, neq; gradiantur, neque volent omnes formicæ: ſed aliæ humi decurrant, aliæ per aerem ferantur.

Item Baſilius Seleuciæ in deſcriptione diluuij quæ ſuperiùs notata eſt: Ἀνωθεν οὐρανὸς χειμάρρους ἦκεν· κάτωθεν ἤπειρος ἀβύσσους ἀνέπεμπε, καὶ πρὸς τὸν ὕδατος φύσιν ἡ κτίσις ἐσοιχοῖτο, &c.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS ISTIS ETIAM ORATIONIS pigmentis delectatus.

CAPVT XXII.

MAgnus in omni genere Chryſoſt his orationis delicijs non caruit, & miratus ſum quidem, quo pacto cùm ad Olympiadem lectiſſimam fœminam ab exilio ſcriberet, tam oratoriè luſerit in deſcriptione tempeſtatis. Quid enim hæc ſibi volunt?

Θάλασσαν ὁρῶμεν ἀπ' αὐτῆς κάτωθεν ἀναμοχλευομένην τῷ ἀβύσσῳ, πλατείας τὰς ὕδασι νεκροὺς ἐπιπλέοντας, ἑτέρους ὑποβρυχίους γενομένους, τὰς σανίδας τῶν πλοίων διαλυομένας, καὶ ἱστία διαῤῥηγνύμενα, τοὺς ἴσους διακλωμένους, τὰς κώπας τῶν χειρῶν τῶν ναυτῶν ἀποσπάσας, τοὺς κυβερνήτας ἀπὸ τῶν οἰάκων ἐπὶ τῶν χαλασμάτων καθημένους, τὰς χεῖρας τῆς γόνασι περιπλέκοντας, καὶ πρὸς τὴν ἀμηχανίαν τὴν γενομένην κωκύοντας, ὀξέως βοῶντας, ᾠμῶς ὀλοφυρομένους μόνον. οὐκ οὐρανὸν, οὐ πέλαγος μόνον φαιδρὸν ὁρῶμεν, ἀλλὰ σκότος πάντα βαθὺ, καὶ ἀφεγγὲς, καὶ ζοφῶδες· ὡς οὐδὲ τοὺς πλησίον ἐπιζέποντας βλέπειν· καὶ πολὺν πάταγον τῶν κυμάτων, καὶ θηρία θαλάττια πάντοθεν τοῖς πλέουσιν ἐπιπηδῶντα.

Tempeſtas.

Mare cernimus abimis vſq; gurgitibus vndique reuulſum, nautas mortuos ſumma vnda fluitantes, alios peſſum euntes, nauium tabulas diſſolutas, perrupta, & lacerata vela, malos effractos, remos è nautarum manibus elapſos, naucleros gubernaculorũ loco tabularis inſidentes, manibus ad genua implicitis, ac præ tẽpeſtatis atrocitate in eam conſilij inopiã redactos, vt tantũmodo lugeant, ac gemitus, & eiulatus acerbiſſimos edant. Non cœlum, non mare in oculos incurrẽs, ſed denſas, atq; obſcuras tenebras, caliginemq; tantã, vt ne propinquos quidem perſpicere ſinat: Ingentem deniq; fluctuũ ſonitũ, ac marinas belluas in eos, qui nauigant, omni ex parte impetum facientes.

Patrum Latinorum ſtylus.

CAPVT XXIII.

PAtres quoque Latini, & ſi minus in dictione ſint accurati, quam Græci, iſtam tamen plerumque Epidictici generis opulentiam libenter explicant. Quid enim aliud ſpirat S. Ambr. in Hexamero? D. Hieronym. in hiſtoria Pauli, & Malchi, ſed maximè in muliere ſeptieſicta? Quid Saluianus in ſua Aquitania, quam deſcribit his verbis?

Patres Latini epidictici generis opulentiam explicant.

Saluian. l. 7. de gubern. Dei.

Nemini dubium eſt, Aquinatos Nouem populos, medullam ferè omnium Galliarum, & vber totius fœcunditatis habuiſſe: Nec ſolum fœcunditatis, ſed quæ proponi interdum fœcunditati ſolet, voluptatis, iocunditatis, pulchritudinis: Adeò illa omnis admodum regio, aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut circumdata meſſibus fuit.

Regio ferax.

At mellitiſſimus doctor Cyprianus, quas in epiſtola ad Donatum Veneres ſpargit.

D. Cyprianus mellitiſſimus Doctor.

Petamus hanc ſedem: dat ſeceſſum vicinia ſecreta, vbi dum erratici palmitum lapſus pendulis nexibus per arundines baiulas repunt, viteam porticum, frondea tecta fecerunt.

De quibus S. Auguſtin. Non dicuntur iſta, niſi mirabiliter affluẽtiſſima fœcunditate facũdiæ, ſed profuſione nimia grauitati diſplicent.

Aug. l. 4. de doct. Chriſtiana c. 14.

Atque vt omni genere eloquentes fuiſſe ſanctos Patres oſtendamus, extãt Sancti Chryſoſtomi orationes in genere deliberatiuo, & iudiciali, mirificæ ſuauitatis, quas hic ſtylo paulò magis oratorio reddemus.

SER-

SERMOCINATIO MATRIS *filium à monastico instituto reuocantis.*

CAPVT XXIV.

Chrys. lib. 1. de sacerd. Animaduerte hic Prosopopeiæ siue sermocinationis, quæ figura ad colores historiæ, & sublimis eloquentiæ multum valet, graue & prudens exemplum.

Ἐγὼ παιδίον, φησὶ, τῆς ἀρετῆς τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ οὐκ ἀφείθην ἀπολαῦσαι ἐπὶ πολὺ, *& cætera, quæ latine sic reddi possunt.*

Patris tui virtute, ac præstantia, fili, me haud ita multum temporis frui numen permisit: vtpote, cuius mors, doloris eius partus, quo in hanc lucem editus es, continuo exceperit, ac tibi orbitatem, mihi viduitatem attulerit intempestiuam: vt sileam viduitatis ipsius mala, ærumnas, incommoda, quæ quidem solæ animo illæ complecti rectè queant, quas contigerit, ea ipsa perpeti. Nullius enim oratio par esse possit enarrandis illis negotiatorum fluctibus, quos subire oportet puellam, quæ ipsa etiam tum rudis, rerumque humanarum expers, simulatque paternam domum reliquerit, detepente immensorum dolorum facibus æstuans, curam, solicitudinemque supra ætatem, ac sexum sustinere cogatur: quam videlicet necesse est seruorum ignauias emendare, eorundem maleficia obseruare, cognatorum populsare insidias, publicanorum molestias, & quam illi, dum eis tributa numerantur, immunitatem exercere solent, forti, generosoque animo ferre. Proinde quum decedit pater relicta à se prole, si forte fœmina ea est, magnam vel sic matri curam exhibet, sed tamen hoc ipso tolerabilem, quod illius educatio tum impensa caret, tum etiam formidine vacat.

At filius à patre relictus, matris animum in dies singulos immensa formidine, tum multis complet angoribus, vt nihil agam de sumptibus, quos fieri oportet, vt ille liberaliter educetur. Quarum rerum omnium nulla me tamẽ permouit, vt nuptijs iteratis, sponsum alterum in patris tui ædes admitterem: quin potius in æstu illo, ac turbine rerum permansi, cœlestis gratiæ auxilio imprimis adiuta, graues illas viduitatis angustias, nulla ex parte refugi: cùm mihi inter eas ipsas ærumnas, atque incommoda solatio esset non modico, quod vultum istũ assiduè spectare, inque eo tanquam cælatam demortui mariti imaginem, verisque ac certissimis lineamentis expressam mihi liceret asseruare. Quo nomine puerulus quum adhuc esses, primis adhuc voculis balbutiens, qua potissimùm ætate maximam liberorum suorum voluptatem parentes sentiunt, magno certè solatio, magnæ iucunditati fuisti. Atqui ne id quidem mecum expostulare possis, quod nos viduitatis quidem conditionem perpessæ fortiter simus, sed viduitatis eiusdem angustijs, cùm essent omnia in dies arctiora, paternas tibi imminuerimus facultates: id quod infelicibus pupillis permultis vsu venisse scio. Si quidem patrimonium tibi nulla non parte saluum, integrumque seruaui: quum nihil etiam prætermiserim sumptuum eorum, qui tibi nominis istius existimationem aliquam parare possent, quos ego certè suffeci ex nostra de te, & ex ijs pecunijs, quas mecum domo paterna attuleram. Neque verò existimare te velim exprobrandi gratia, hæc nunc à me dici: Pro rebus porrò his omnibus vnam abs te gratiam peto, ne me viduitate altera inuoluas, neve luctus iam sopiti morsus acriores tuo discessu facias. Meo me fato occidentem tantisper expecta: hinc enim paulò post nobis, vt vides, emigrandum est. Nam vt, qui iuuenes sunt, ad longæ senectutis annos accedant, sperare quidem liceat: qui autem iam consenuimus, quid tandem aliud, quam mortem singulis horis impendentem præstolemur? Itaque vbi hoc corpusculum cum patris tui ossibus coniunxeris, tum demum, fili, longas profectiones suscipe, & quodcunque mare collibitum fuerit, emetire: nemo tunc prohibiturus est. Cæterum tantisper dum spiramus, contubernium, conuictumque hunc nostrum tolera, Noli offensionem numinis frustra, ac temerè incurrere, & committere, vt matrem nihil commeritam, tam multis implices angoribus: qui si fortè criminari potes, quod te in huius vitæ delicias pertractum, rerum tuarum curam temet gerere cogam: te non iam naturæ leges moueant, non educationis, consuetudinisque iura tangant, denique nulla te res alia impediat, quò minus nos statim insidiatorum, atqua hostium loco habeas, nostrumque contubernium deuites. Sin verò nihil non agimus, vt tu facilè, altoque in otio possis vitæ huius vsura frui: si minus aliud vinculum certè hoc vnum te apud nos detineat: nam vt te à sexcentis amari dicas, nemo certè fuerit, qui

Senes morti quotidie expectant.

σιδηρᾶν χηρείας κάμινον nominat, qui tropus latinis auribus durior est.

qui tibi tanta in libertate viuere concedat: quum & neminem esse putem, cui nominis istius existimatio æquè, ac mihi vna chara esse possit.

In genere vero iudiciali, eiusdem auctoris præclarissima oratio pro Antiochenis de statuis ad Theodosium.

CAPVT XXV.

Ὦ βασιλεῦ, καὶ οὐκ ὀρνηθείμεν τὴν ἔρωτα τοῦτον, &c.

Chrysost. homil. 20. ad P. Antioch. Accusatio propriè.

HAbes quidem, ô Rex confitentes reos, nec enim negare possumus amoris tui erga hanc nostram ciuitatem prolixã significationem. Quamobrem grauiter lugemus, quòd vrbi tantoperè dilectæ sic furiosi dæmones inuiderint, vt à quo nobis periucunda quæque, & maxime honorifica cecidissent, in eum pessima sceleris nota videremur ingrati. Tu siue diruas, siue incendas, siue occidas, siue quodcunque aliud facias, nondum dignas de nobis pœnas exegeris, nos innumeris mortibus suppliciorum anteuertimus lenitatem. Quid enim luctuosius esse possit, quam cum Regem, & tam beneficum Regem nostris exulceratum iniurijs habeamus, coram eo tamen sisti cogamur, vt hoc gentes audiant, & Sol videat, & nos mundus vniuersus ingrati animi, scelerisque condemnet.

Vastare.

Si Barbari ciuitatem nostram incursantes, mœnia diruissent, incendissent domos, & abductis captiuis patriæ solam reliquissent vastitatem, minus erat luctuosum. Quorsum? quoniam te viuo, & spirante, cum tanta tui amoris in nos propensione, spes erat illa cuncta, licet grauia solutum iri, & nos iterum ad priorem dignitatis speciem redituros, illustrioremq; recepturos libertatem: nunc autem restincta beneuolentia tua, & amoris vinculo tam fœdè violato, quod omni muro nobis erat tutius, ad quem iam confugiemus? quo poterimus aliò respicere, tam leni domino, tam facili Patre iustis de caussis irato. Itaque videntur quidem grauia patrasse, sed passi sunt omnium grauissima, qui nullum mortalium audeant respicere, nec ipsum spectare solem liberis valent oculis, sed grauissimo [illegible]dore suffusi vitam nocti, & latebris comm[illegible]re. Itaq; libertate sublata nunc sunt omnibus captiuis deteriores, & extremam sustinent ignominiam; Atque dum malorum magnitudinem cogitant, & in quantum contumeliæ deuenerint, nec respirare quidem possunt, siquidem omnes vbique terrarum populos sibi fecerunt accusatores. Sed si velis, ô Rex, est vulneri medicina, & tantis malis remedium. Sæpius & in priuatis hominibus hoc factum est, magnæ, & graues offensiones, eximiæ charitatis materia fuerunt: sic & in natura nostra euenit.

Charitatis materia fuerunt offensiones.

Dei misericordia.

Cum enim hominem Deus condidit, & in paradisum induxit, præclarissimis honoribus cumulatum, tantam Diabolus prosperitatem non ferens, inuidit: & illum à sua expulit dignitate. Sed Deus non tantum ipsum non deseruit, verùm & pro istis voluptuarijs hortis cœlum nobis aperuit, vt hoc ipso propriam testaretur benignitatem; & Dæmonis inuidiam nostra felicitate puniret. Tu Rex Deum imitare, omnia mouerunt Dæmones, vt omnium tibi gratissimam ciuitatem à beneuolentia tua seiungerent: hoc verò cum certò teneas, pœnam quamuis quidem exigas, priori autem amicitia ne nos extrudas. Sed etsi præter opinionem aliquid nunc dicere fas est, etiam nunc inter dilectarum primas ipsam scribe, si modo Dæmonum odium insaturabile vis vlcisci. Si nempe destruas, & subruas, & deleas, quæ prius illis voluerunt, hæc efficies: si verò iracundiam temperaris, & pristini amoris non obscuram significationem dederis: lethalem ipsis plagam intuleris, & vltimam ab ipsis vltionem exegeris, demonstrabis quippe, quod non tantum nihil amplius ipsis expeditum est per insidias, verum & cuncta ipsis contraria, quàm volebant, acciderunt. Æquum autem fuerit, vt hæc facias, & ciuitatis miserearis, cui propter amicitiam tuam Dæmones inuiderunt. Nisi enim ipsam tam vehementer amasses, nec illi tanta insectati fuissent inuidia. Itaque etsi mirandum est, quod dicitur, est tamen verum, quod propter te, & amicitiam tuam hæc passa est. Quot incendijs, quanta subuersione sunt hæc verba acerbiora, quæ antea dixisti? Nunc te contumelia affectum quereris, & pertulisse, quæ nullus vnquam superiorum Regum. Sed si velis, ô humanissime, & sapientissime Imperator, diademate isto clariorem, & maiorem tibi coronam hæc afferet contumelia. Hoc nempe diadema est, & tuæ virtutis insigne, & eius qui dedit, liberalitatis indicium: sed corona ex hac huma-

nitate contexta, tuum solius erit, & sapientiæ tuæ meritum: nec te tantùm omnes admirabuntur propter fulgorem gemmarum, quantum propter tui victoriam.

Affectus validi ad excitandā misericordiam.

Deiecerunt statuas tuas? sed illis illustriores restituere tibi licet. Si enim iniuriæ authoribus crimina remiseris, & nullam ipsis inflixeris pœnam, non æream in foro tibi statuam erigent, nec auream, nec lapillis coagmentatam: sed omni materia pretiosiori amictu vestitam, humanitate scilicet, & misericordia: talem in mente quisque sua te erigent, & tot habebis statuas, quot sunt, & erunt homines in orbe terrarum.

Non enim nos tantum, verum & post nos futuri, & post illos omnes hæc audient, & tanquam ipsi bene fuerint habiti, sic te admirabuntur, & diligent.

Beati Constantini mansuetudo.

Quod verò hæc non assentationis gratia, sed veritatis dico, antiquam tibi, & commemorabilem referam historiam, vt discas, quòd non tantum exercitus, & arma, & pecuniæ, & populorum multitudo, & alia huiusmodi splendidos facere Reges consueuere, quantum animi disciplina, & mansuetudo: Fertur beatus Constantinus effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus, ad supplicium de authoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quod omnem ipsius faciem saxis conuulnerârint, manu faciem palpans, & leniter ridens dixisse, Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi verò reuerenti, & verecundia suffusi, ab hoc iniquo destitere consilio: Et hoc responsum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius sapientiæ memoriam extinxit: Deinde hoc non est trophæis splendidius? Multas vrbes ille condidit, & gentes immanitate barbaras domuit: sed meminimus illorum nihil: hoc autem verbum vsque in præsentem diem canitur, & posteri nostri, & posteri illorum omnes idipsum audient. Nec hoc solum est admirandum, quod audient, verumetiam quòd laudibus, & fastis acclamationibus prosequentur, dicentesq; laudabunt, & audientes grato animo suscipient: nec vllus est, qui hæc intelligens, silere possit, quin pariter exclamet, & talia dicentem laudet, & innumera ipsi vel mortuo bona precetur.

Mansuetudo trophæis splendida.

Quod si propter illud verbum apud homines tanta potitus est gloria, quot apud clementem Deum coronas assequetur? Quid autem opus est Constantinum, & aliena exempla commemorare, cum te de proprijs, & verè meritis tuis opus sit exhortari? Recordare præteriti temporis, quando solemnitate hac superueniente per totum orbem terrarum epistolas misisti: iubens carcere detentos dimitti, & ipsis ignosci. Addebas quoque gloriosissimam vocem: *Vtinam mihi liceret, & defunctos reuocare, & ad priorem vitam reducere.*

Horum nunc reminiscere verborum: Tempus tibi oblatum est, quo possis mortuos ad vitam excitare. Et hi namq; iam mortui sunt, & priusquam feratur sententia, ad ipsas inferorum fores calamitosa ciuitas consedit. Tu igitur illam inde reuoca, sine pecunijs, sine impendio, sine tempore, sine vllo labore.

Tibi enim sufficit imperium, tibi verbum vnum, quo totam hanc mortis caliginem dissipare possis. Nunc ipsam iube ab humanitate tua post hac appellari. Nec enim tantam habebit gratiam illi, qui ab initio se condidit, quantam sententiæ tuæ: nec immerito, ille enim vrbe fundata recessit: tu verò iam auctam, & grandem, & post tam prosperos rerum successus euersam excitabis.

Non fuisset adeò mirandum, si ab hostibus captam, & barbaris gentibus vastatam liberasses, quàm est admirabile nunc peperciſſe, illud enim sæpè multi fecere Reges, hoc autem tu solus facies, & primus præter omnem expectationem. *Parcere.* Et illud quidem minimè nouum, nec præter expectationem, sed est quotidianum opus subditis prodesse: quod autem his affectus iniurijs animum cohibeas, hoc omnem naturam excedit humanam.

Cogita quod nunc non de ciuitate tantum illa tibi consultandum est, verùm & de gloria tua, imò verò de toto orbe Christiano. Nunc & Iudæi, & Græci, & Barbari (etenim & illi hæc audierunt) nunc (inquam) intuentur, expectant, vt videant, qualem de hoc negotio sententiam feras: nempe si humanam protuleris, & mitem, omnes decretum laudabunt, & Deum efferent, & inter se dicent: Papæ quanta Christianissimi potentia? hominem Deo proximum, penes quem vitæ & necis imperium, ita se ardentem iracundia refrænare, & docere philosophiam, quam nec homo priuatus exhiberet.

Verè Magnus Christianorum Deus, ex hominibus Angelos facit, & hac necessitate naturali superiores constituit. Noli enim superfluum quendam admittere timorem, & tolle-

tolerare eos, qui dicunt reliquas ciuitates huius impunitate fore deteriores, & ad contemptum Imperij petulantiores. Si enim ad puniendum fuisses imbecillis viribus, & ipsi post hoc facinus te vi superassent, vel certè pari essent potentia, congruè suspicari hæc oportebat.

Si verò territi, præque timore iam mortui sunt, & ad tuos per me se pedes abijciunt, nec aliud quotidie expectant, quàm exitialem sententiam, & supplicationes faciunt communes, & in cœlum intuentur, & Deum inuocant, & simul nobiscum legationem attigere: & sicut in extremis constituti, de propinquis quisque suis obtestatus est, quomodo non superfluus hic timor? Si iugulari fuissent iussi, tanta passi nunquam fuissent, quanta nunc patiuntur, tot diebus in perpetua trepidatione transactis, nam & superueniente vespere, auroram se visuros non expectant, & die orto ad vesperum peruenturos non sperant. Permulti quoque in feras incidérunt, dum vastas sectantur solitudines, nec viri tantum, verum & pueruli parui, & mulieres liberæ, & decoræ multas noctes, & dies in speluncis, & conuallibus egerunt: & iam nouus captiuitatis modus ciuitatem occupauit, ædificijs quippe muris stantibus, incensis ciuitatibus grauiora patiuntur: nullo incumbente barbaro, nec hoste quidem apparente, captis quibusque sunt miseriores, & solum folium si moueatur, omnes ipsos per singulos terret dies: & hæc omnes sciunt: & si subuersam ipsam vidisset, non sic essent affecti, vt nunc, qui has ipsius audiere miserias. Ne igitur hoc cogites, quod peiores sint futuræ ciuitates reliquæ. Non enim vrbe diruta, sic in eos animaduertisses, vt nunc per incertam futurorum expectationem, omni supplicio vehementius excruciasti. Noli igitur ipsis vlterius calamitates producere, sed iam respirare permitte. Subditos nempe castigare, & facinorum exigere pœnas, facile penitus. & promptum: his verò qui contumelias intulerunt, parcere, & his qui venia patrauerunt indigna, veniam dare, vnius, & vix alterius est, & maxime cum Rex sit contumeliam passus, & ciuitatem quidem metu subdere facile: omnes autem amicos constituere, & persuadere, vt in regnum tuum se quam benevolos habeant, & non tantum communes, verum, & priuatas pro tuo preces imperio faciant, difficile: licet infinitas quis expendat pecunias, & innumeros exercitus moueat, & omnia moliatur, non facile tot hominum voluntates ad seipsum adiungere poterit, quot nunc tibi facile erit, & leue. Nam, & beneficijs affecti, & qui audierint pariter cum ijs, qui beneficia acceperint erga te benevolentissimi sunt futuri. Quot pecunijs emisses, quot emisses laboribus, breui temporis momento totum orbem subiugare, & omnibus futuris persuadere, vt quanta filijs suis optant, tanta & capiti tuo optarent? Si autem ab hominibus hæc, cogita quantam à Deo capies mercedem, non tantum eorum, quæ nunc fiunt, verùm & quæ post hæc ab alijs expedientur. Si vnquam enim contingat fieri tale quid, quale nunc factum est (quod Deus auertat) & qui læsi fuerint, in contumelioſos velint insurgere; benignitas, & sapientia tua, pro omni ipsis erit disciplina: & erubescent, si cum tale moderationis exemplum habeant, ipsi inferiores appareant. Itaque omnium posterorum eris præceptor, & palmam ipsis præripies, licet ad ipsum philosophiæ apicem peruenerint. Non enim par est quempiam tantum auspicari benignitatem, & ad alios alium respicientem ab illis elaborata imitari. Quocirca quicunque post te humanitatem, & mansuetudinem quantamcunque exhibuerint, tu cum illis mercedem accipies. Qui enim radicem præbuit, hic vtique, & fructuum author est. Quare nunc quidem nemo tecum humanitatis mercedem partiri potest: tuum enim solius meritum est. Tu verò cum omnibus posteris, si qui tales vnquam fuerint, ex æquo meritum diuidere poteris, & tantam referre gloriam, quantam ex discipulis præceptores: & si nemo talis fuerit, rursum tibi commendationes, & laudes per tot sæculorum cursus prouenient. Considera namque quale sit posteros omnes audire, quod tam magna ciuitate iam vastitati destinata, pauefactis omnibus, & territis quidem ipsis, & præfectis, & iudicibus, nec hiscere pro miseris illis audentibus, vnus accedens senex Dei sacerdotiũ gerens, ex ipso aspectu solo, & nudo occursu ad reuerentiam Imperatorem mouit: & quod nemini suorum permisit, vni hoc seni concessit, Dei leges vt decet reueritus.

Etenim hoc quoque ipso non te parum, ô Rex, ciuitas honorauit, quod me ad te legatum misit: sententiam enim de te oprimam, & pulcherrimam protulerunt, quod omni principatu tibi subdito Dei sacerdotes anteponis, etsi viles eos esse contingat. Non ab il-

Venia dilata quid timidis afferat.

Reos folium, si moueatur, terret.

Mansuetudinis commendatio.

Parcere magna gloria apud homines, & apud Deũ magna merces.

Sacerdotes mouent Reges ad reuerentiam.

lis verò tantum nunc venio, verùm, & ante illos à communi Angelorum domino missus sum, vt hæc mitissimæ, ac benignissimæ animæ proclamem, *quod si hominibus ipsorum debita dimittatis, & pater cœlestis lapsus vestros vobis dimittet.*

Iudicium Dei excitat mansuetudinem, vel mansuetudinis causa memoria iudicij.

Recordare igitur illius diei, quo omnes de actis rationem sumus reddituri: cogita quod etiam si quid tibi humanitus excidit, omnes sine vllis laboribus abluere præuaricationes per iudicium, & sententiam istam potes. Alij nempe legati aurum, & argentum, & alia huiusmodi dona ferunt: ego vero cum sacris ad imperium tuum legibus veni, & pro donis omnibus has prætendo, & te dominum tuum imitari supplico, qui quotidie à nobis contumelijs illatis, nunquam suæ benignitatis fontes claudit.

Et ne spes nostras atteras, promissioneſque confundas, hoc ego te cum alijs hoc scire volo; quod si reconciliari velis, & pristinam ciuitati beneuolentiam communicare, cum multa reuertar fiducia: si vero ciuitatem asperneris, non tantum ipsam non ascendam, nec ipsius solum videbo, verùm & perpetuum mihi indicam exilium, & in aliam me partem terrarum conijciam: Neque enim hoc contingat, vt in illam vnquam adscribi patriam velim, in quam humanissimus tu, & omnium hominum mitissimus Imperator, placari, reconciliariq; nolueris.

Placuit hæc ex florentiori Patrum stylo præcerpere; nunc an in Ecclesiasticis concionibus hæc styli amœnitas consectanda sit, commodius sequenti libro disseremus.

DE MIRIFICA SALVIANI acrimonia, & vi dicendi.

CAPVT XXVI.

Sed vt istæ, quæplus habent floris, omittamus; lubet quædam ex Saluiano maximè lecta hic subijcere, ex quibus hominis impetum cum Demosthenico comparandum possis agnoscere.

De impuritate & luxuria theatri.

DE quotidianis tamen obscœnitatibus loquamur, quas tales ac tam innumeras legiones dæmonum excogitauerunt, vt etiam honestæ ac probæ mentes, etsi nonnullas earum spernere ac calcare possunt, omnes tamen penitus superare vix possint. Sicut enim exercitus pugnaturi, ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foueis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur: scilicet vt etiam si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus euadat: Ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, vt etsi plurimas carum aliquis effugiat, tamen quacunque capiatur. Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphitheatris scilicet, aleis, lusorijs, pompis, athletis, petaminarijs, pantomimis, cæterisque portentis; quæ piget dicere, quia piget malum tale vel nosse, de solis circorum ac theatrorum impuritatibus dico. Talia enim sunt, quæ illic fiunt, vt ea non solum dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi ferme in nobis vendicant portiones, vel cogitationes sordidæ animum, vel impudici aspectus oculos, vt auditor improbi aures, ita vt cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis. In theatris vero nihil eorum relatu vacat, quia & concupiscentijs animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, vt etiam explicare ea quispiam atque eloqui saluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? quæ quanti sint criminis, vel hinc intelligi potest, quod & relationem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referentis & nominari, & argui possunt, vt homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, cæteraque in hunc modum. Solæ theatrorum impuritates sunt, quæ honestè non possunt vel accusari, ita noua in coarguenda harum turpitudinum probrositate res euenit arguenti; vt cum absque dubio honestus sit, qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui & accusare non possit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes vel audientes. Siquidem etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio

Saluianus libr. 6.

non

non pollueris, quia mente dissentis. Et si interuenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ spectaculorum impuritates sunt, quæ vnum admodum faciunt & agentium & aspicientium crimen. Nam dum spectantes hæc comprobant ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt, vt vere in eos Apostolicũ illud peculiariter cadat: *Quia digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur. Et qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur. Non enim tunc tantummodo quãdo redeunt, sed etiam quando veniunt fornicantur. Nam hoc ipso quod aliquis rem obscœnam cupit, dum ad immunda properat, immundus est. Quæ cum ita sint, ecce qualia aut omnes, aut pene omnes Romani agunt. Et cum hæc ita sint, qui talia agimus, negligi nos à diuinitate causamur; relinqui nos à Domino nostro dicimus, cum ipsi Dominum relinquamus. Fingamus enim, quod respicere nos Dominus noster velit, etiam non merentes, videamus si potest. Ecce innumera Christianorum millia in spectaculis quotidie rerum turpium commemorantur. Potest ergo illos Deus respicere, qui tales sunt? Potest ad eos respicere, qui bacchantur in circis, qui mœchantur in theatris? An forte hoc volumus, & hoc dignum putamus, vt cum in circis nos & in theatris Deus videat, ea quæ nos aspicimus aspiciat quoque ipse nobiscum, & turpitudines quas nos cernimus, cernat etiam ipse nobiscum? alterutrũ enim fieri necesse est: quia si nos videre dignatur, consequens est, vt etiam illa vbi nos sumus, videat: aut si ab illis, quod non dubium est, auertit oculos, etiam à nobis qui illic sumus, pariter auertat. Et cum hæc ita sint, facimus hæc tamen, at sine cessatione quæ dixit. An forte in morem veterum paganorum, theatrorum & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum suorum delitias esse credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odisse Deum nostrum hæc certo scimus? Aut certe si placere has turpitudines Deo nouimus, non prohibeo quin sine cessatione faciamus. Si vero in conscientia nostra hoc est, quod Deus horret, quod execratur, quod sicut in his sit pastus Diaboli, ita offensio Dei, quomodo nos in Ecclesia Dei colere Deum dicimus, qui in obscœnitate ludorum semper diabolo deseruimus, & hæc gnari ac scientes de consilio & industria? Et quæ nobis quæso spes erit apud Deum, qui non casu aut imprudentia Deum lædimus, sed exemplo illorum quondam gigantum, quos insanis conatibus superna tentasse, & quasi in nubes gradum tulisse legimus. Sic nos per iniurias, quas in omni mundo semper inferimus, quasi consensu publico cœlum oppugnamus. Christo ergo, ô amentia monstruosa! Christo Circenses offerimus & mimos, tunc & hoc maximè cum ab eo aliquid boni capimus, cum prosperitatis aliquid ab eo attribuitur, aut victoria de hostibus à diuinitate præstatur. Et quid aliud hac re facere videmur, quam si quis homini beneficium largienti iniurioſus sit, aut blandientem conuicijs cædat, aut osculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes ac diuites mundi huius, cuius piaculi reus sit seruus ille, qui bono ac pio domino malum cogitet, qui bene merenti conuicium faciat, & pro liberitate, quam accipit, contumeliam reddat. Absque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret? Hoc ergo etiam nos qui Christiani dicimur, facimus; irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris, propitiantem sordibus lædimus, blandientem iniuriis verberamus. Christo ergo, ô amentia monstruosa! Christo Circenses offerimus & mimos, Christo pro beneficijs suis theatrorum obscœna reddimus, Christo ludicrorum turpissimorum hostias immolamus. Videlicet hoc nos pro nobis in carne natus Saluator noster edocuit. Hoc vel per seipsum, vel per Apostolos prædicauit. Propter hoc humanæ natiuitatis verecundiam subijt, & contumelioſa terreni ortus principia suscepit. Propter hoc in præsepio iacuit, cui seruierunt Angeli cum iaceret. Propter hoc inuolui se pannorum crepundijs voluit, qui cœlum regebat in pannis. Propter hoc in patibulo pependit, quem pendentem mundus expauit.

***

De Carthagine luxuriante in Circo inter armorum terrores.

Saluianus lib. 6.

QVis æstimare hoc malum possit? circumsonabant armis muros Cirtæ Carthaginis populi barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris: alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hostium, pars intus captiua vitiorum. Cuius sors peior fuerit, incertum est. Illi quidem erant extrinsecus carne, sed isti intus mente captiui, & ex duobus letalibus malis, leuius, vt reor, captiuitatem corporis Christianum, quam captiuitatem animæ sustinere, secundum illud quod docet Saluator ipse in Euangelio, grauius multo animorum mortem esse quam corporum. An credimus forte quod captiuus animo populus ille non fuerit, qui lætus tunc in suorum captiuitatibus fuit? captiuus corde & sensu non erat, qui inter suorum supplicia ridebat, qui iugulari se in suorum iugulis non intelligebat, qui mori se in suorum mortibus non putabat. Fragor, vt ita dixerim, extra muros, præliorum & ludicrorum confundebatur; vox morientium, voxque bacchantium; ac vix discerni forsitan poterat plebis eiulatio, quæ cadebat in bello, & sonus populi qui clamabat in Circo. Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi vt cum eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret vt periret?

Item, De Luxuria Treuirorum impendente bello.

Saluianus lib 6.

VIdi siquidem ego ipse Treuiros domi nobiles, dignitate sublimes, licet iam spoliatos atque vastatos, minus tamen euersos rebus fuisse quàm moribus. Quamuis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid superetat de substantia, nihil autem de disciplina aderat; grauioresq; in semet hostes externis hostibus erant, vt licet iam à barbaris euersi essent, à se tamen magis euerterentur. Lugubre est referre quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente admodum iam excidio ciuitatis, gulæ ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est? quod honorati, an quod senes, an quod Christiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel vnquam à Christianis? Iacebant in conuiuijs obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis, obliti nominis sui Principes ciuitatis cibo conferti, vinolētia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quā sensus sui, imo quia prope iugiter tales, nihil magis quam sensus sui. Sed cum hæc ita essent, plus multo est quod dicturus sum, finem perditioni huic nec ciuitatum excidia fecerunt. Denique expugnata est quater vrbs Gallorum Treuer opulentissima. Promptum est de quo dicam. Sufficere vtiq; debuerat emendationi prima captiuitas, vt instauratio peccatorum non instauraret excidium. Sed quid plura? incredibile est quod loquor, assiduitas illic calamitatum, augmentum criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monstrum, vt fabulæ ferunt, quod multiplicabat occisio, ita etiam in Gallorum excellentissima vrbe ijs ipsis quibus coercebantur scelera, plagis crescebāt, vt putares pœnam ipsorum criminum, quasi matrem esse vitiorum. Et quid plura? Ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplicatione peruentum est, vt facilius esset vrbem illam sine habitatore, quam vllum pene habitatorem esse sine crimine.

Et postea. Nam præter cætera, cum duobus illic præcipuis & generalibus malis auaritia & ebrietate omnia concidissent, ad hoc postremo rabida vini auiditate peruentum est, vt principes vrbis ipsius, ne tunc quidem de conuiuijs surgerent; cum iam hostis vrbem intraret: adeo etiam Deus ipsis euidenter, vt credo, manifestare voluit cui perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent cum perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil scilicet inter pueros differre & senes. Vna erat scurrilitas, vna leuitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant: ebriabantur, enecabantur, lasciuiebant in conuiuijs, vetuli & honorati, ad viuendum prope iam imbecilles, ad vinum præualidissimi. Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum, ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Et quid plura? In hoc per cuncta illa quæ diximus, deuoluti sunt, vt compleretur in eis dictum illud sermonis sacri, *vinum & mulieres apostatare faciunt à Deo.* Nam dum bibunt,

bunt, ludunt, mœchantur, insaniunt, Christum negare cœperunt. Et miramur post omnia ista, si rumam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt? Nemo itaque vrbem illam in excidio suo tantum periisse credat. Vbi enim talia acta sunt, prius iam perierant quam perirent.

De ijs, qui in summa calamitate petebant Circenses.

Sal. lib. 6. IAcebant passim vtriusque sexus cadauera nuda, lacerata, vrbis oculos incestantia, auibus canibusque laniata; lues erat viuentium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac sic etiam qui excidijs supradictæ vrbis nō interuerant, mala alieni excidij præferebant. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia? quis æstimare hoc amētiæ genus possit? Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ vrbis remedio, Circenses ab imperatoribus postulabant. Velem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari, scilicet vt tantum virtutis esset in querimonia, quantum doloris in causa. Quis enim existimare possit, quid primum in his, de quibus diximus, accusandum sit, irreligiosus, an stultitia, an luxuria, an amētia? totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quā petere aliquid in iniuria Dei? aut quid stultius, quam quid petas nō considerare? aut quid tam perditi luxus, quam in luctu res desiderare luxuriæ? aut quid amentius, quam in malis esse, & malorum intelligentiam non habere? Quāquam in ijs omnibus nulla res minus culpanda est, quam amentia? quia voluntas crimen non habet, vbi furore peccatur. Quo magis hi de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant: Circenses ergo Treuiri desideratis, & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captiuitatem, post tot euersæ vrbis excidia: quid lachrymabilius hac stultitia? quid luctuosius hac amentia? Fateor, miserrimos esse vos credidi, cum excidia passi estis; sed miseriores vos video, cum & spectacula postulatis. Putabam enim vos in excidijs rem tantum atque substantiam, nesciebam etiam sensum atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur quæritis, circum à principibus postulatis: quæso cui statui, cui populo, cui ciuitati? Vrbi exustæ ac perditæ, plebi captiuæ, & interemptæ, quæ aut perijt, aut luget? De qua etiam si quid superest, totum calamitatis est; quæ cuncta aut mœstitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata: in qua nescias penè cuius sit sors peior ac durior interfectorum, aut viuentium. Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica, Treuiri, petitis, vbi quæso exercenda? an super busta & cineres, super ossa & sanguinem peremptorū? Quæ enim vrbis pars his malis omnibus vacat? vbi nō cruor fusus, vbi non strata corpora, vbi non concisorum membra lacerata? Vbique facies captæ vrbis, vbique terror captiuitatis, vbique imago mortis. Iacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, & tu circenses rogas? Nigra est incendio ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas? Lugent cuncta, tu lætus es? Insuper etiam illecebris flagitiosissimis, Deum prouocas & superstitionibus pessimis iram diuinitatis irritas. Non miror planè non miror tibi euenisse mala quæ consecuta sunt: Nam quia tertia excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.

Insectatio magistratuum.

STatuunt non adulterandum, & primi adulterant: statuunt non furandum, & furantur: quamuis penè non possim dicere quod furentur; non enim sunt quod agunt, furta, sed latrocinia. Punit enim iudex in alio peculatum, cum sit ipse peculator: punit rapinam, cum ipse sit raptor: punit sicarium, cum ipse sit gladiator: punit effractores clausstorum, & ostiorum, cum ipse sit euersor vrbium: punit exspoliatores domorum, cum sit exspoliator prouinciarum. Atque hoc vtinam illi tantum qui in potestate sunt positi, & quibus ius exercendorum latrociniorum honor ipse largitur. Illud grauius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt, & priuati ijsdem ante honoribus functi. Tantum eis adeptus semel honor dat beneficij, vt semper habeant ius latrocinandi. Adeo etiam cum desiterint, ad administrandum potestatem habere publicam, nō desinunt tamen ad latrocinandum potestatem habere priuatam; ac si leuior est potestas illa quam habuerunt iudices, quàm hæc, quam priuati habent. In illa enim eis Sal. lib. 7.

eis sæpè succeditur, in hac nunquam. Ecce quid valeant statuta legum, ecce quid proficit diffinitio sanctionum, quas illi spernunt maximè qui ministrant. Sanè ad parendum humiles abiectique coguntur; compelluntur iussis obtemperare pauperculi; & nisi obtemperauerint, puniuntur. Eandem enim rationem in hac re habent, quam in tributis. Soli iussis publicis seruiunt, sicut soli tributa soluunt: ac sic in ipsis legibus, & in ipsa iusta rerum præceptione maximum iniustiæ scelus agitur, cum ea minores quasi sacra obseruare coguntur, quæ maiores iugiter quasi nulla conculcant.

Finis Libri Decimiquarti.

DE FORMA, ET CHARACTERE SACRÆ ELOQVENTIAE.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

HÆRET intimis affixa sensibus nostri Theophrasti memoria, qui licèt naturam expleuerit viuendo, nobis tamen immaturus obijsse videtur; tantum sui desiderium bonis omnibus reliquit. Et eius quidem virtutes posterior ætas intuebitur, nec vnquam de tanti viri sapientia, fide, religione, constantia, & assiduis in propaganda Crucis gloria laboribus conticescet. Scis ipse N. qualis, & quantus fuerit, nec apud imperitum loquor. Mihi quidem virum illum planè admirabilem in hac ferrea hominum ætate, quasi aurei generis particulam ostendisse natura videbatur, cuius vita perpetua fuit vitiorum censura, norma morum, clarissimarum virtutum imago; Vox autem iuge quoddam sapientiæ cœlestis oraculum. Erat illi ingenium velox, pectus sapientiæ, & virtutis ferax, mens acris, præcelsa, & volucribus (vt ita dicam) flammis semper accensa; Quæ neque asperitatibus rerum imminuta torpesceret, neque blanditijs oppressa conniueret. Corpus etiam ipsum laboris patiens, atque illius staturæ & maiestatis, quæ tantæ mentis pondus commodè sustentaret. Cumque à puero magnarum artium fontes imbibisset, quibus prodesse aliquando mortalibus posset, non se vnius vrbis parietibus conclusit, sed magno animo in totius generis humani commercium emisit. Emicuit tum illa non ancillantis facundiæ misera quædam necessitas, sed vis dicendi quædam ineluctabilis, quam timerent improbi, venerarentur boni, ipsi terrarum principes formidarent simul, & diligerent. Et cum per tot annos in his concionum fluctibus iactarentur, numquam inexhaustus ille fons arescebat, sed vt Oceanus, qui aquas cœlo, & terris præbet, in suis semper cursibus totus est, atque integer, sic ille se rebus humanis ita impendebat, vt dare quidem posset, nihil posset deperdere. Nec mirum si tam diuturnus ingentis illius Oratoris vigor fuit, hærebat

Concionatoris egregij laus.

hærebat enim in altissimarum virtutum pietatis, demissionis, patientiæ, charitatis nixus radicibus. Nosti quale fuerit eius cum Deo contubernium, cùm non secus ac hominum custos Angelus, in exteriora quidem se diffunderet, hæreret tamen totus origini suæ, & in se vndique per reciprocos veluti diuini amoris circuitus remearet. Nihil opinionis caussa faciebat, omnia conscientiæ, patriam suam cœlum perpetuo intuebatur, & Præsides Angelos supra se circumquaque stantes dictorum, factorumque censores, vitam omnem existimabat aut supplicium, aut militiam, delicatum vero otium viui hominis sepulturam. Quamobrem opposuit se dum vixit murum pro domo Dei, stetit in Ecclesiæ propugnaculis non coronatus, & mollis, sed puluerulentus, & coloratus. Contra impietatem, contra vitia, contra torrentem rerum humanarum impetum eluctatus est, eo semper animo, vt aut vincere, aut gloriosi operis clauum tenentem tempestas obrueret. Pugnauit, vicit, spolia in cœlum præmisit, mox ipse inter cœlestium palmarum fructus spiritum exhausit, vir & vitæ flore, & mortis opportunitate, diuino consilio ortus, atque extinctus. Sed hęc alij plenius. Mihi vero peropportunum visum est, præstantissimum hominis præsertim de sacra eloquentia æternum benè meriti iudicium hoc libro inserere, ex ea disputatione, quę illi fuit cum Logodædalo postrema, vt non immerito Cygnæa diuini oratoris cantio possit appellari.

Otium viui hominis sepultura.

Cygnæa cantio.

Occasio dialogi.

Redibamus fortè ex concione cuiusdam adolescentis, ex eorum numero qui cruda adhuc studia propellunt in publicum; Hic cum declamationem, non enim concionem dixero, leuiculis Rhetorum floribus aspersam recitasset de pulpito, magna, vt erat linguæ volubilitate, gestusque non inconcinna gratia prędituS, videbatur impetitorũ qui tum aderant iudicio non mediocrem laudem consequutus. Alij quippe laudabant mellitos (vt ipsi aiebant) verborum globulos, quibus tota oratio perpluebat. Alij in cœlum efferebãt laudibus, descriptionem quandam Auroræ, delicatissimis expressam lineamentis, viuisque coloribus illustratam, quæ tamen argumento ita cohęrebat, vt ceruix equina cum humano capite, quod belle dixit Horatius. Alij reconditam vim sapientiæ mirabantur, quod tam subtiliter Andromedam, cum natura humana, Perseum cùm Christo, Danaen, cum Beata Virgine, & nescio quem Pandoræ calceum, cum æterna beatitudine comparasset. Cæteri qui studiosiores opinor eloquentiæ videri volebãt, quasdam eius in Pilatum & scribas, & Pharaonem, rabiosulas sane, sed inutiles inuectiuas prædicabant.

Qui minus ingenio poterant, calorem contentionis, & vibrantes oculos, & digitorum argutias, & pedum supplosiones, & pulpiti assiduas verberationes diligentissimè notauerant.

Concionantis errores.

Nec mora, iam penè ab omnibus quasi aureus Suadæ partus iactabatur. O felicem (aiebant) matrem! quæ tantum oratorem peperit, & quò excrescit illa indoles? qualis erit feruor meridianus, si tanta primæ lucis riserunt crepuscula? Adfuit etiam è Poëtarum grege, qui diceret:

Cedite doctores Romani, cedite Graij,
Nescio quid maius nascitur Ambrosio.

Nos qui plenis faucibus propinatas adulationes ferre non poteramus, cum Theophrasto nostro secessimus in exedram. Nam & ab eo sciscitari remotis arbitris auebamus, quid de tota hac ratione concionandi sentiret. Itaque cum opportuno loco ad imaginem D. Pauli confedissemus, rogaui, & per eius expresso in cera vultu, quem tantopere diligeret, ne quod ab eo sæpè quæsitum esset, & aliquando promissum, de sacra eloquentia iudicium bonæ fidei debitor, interponere vereretur. At ille remotis excusationibus, quibus sæpè vtuntur, qui sunt carius inepti. Dicam equidem quod censeo pro mediocri vsu, & facultate, quam mihi triginta fermè anni in his concionum laboribus exacti attulerunt. Nihil autem in hominem dictum velim, quem miseratione potius quàm castigatione dignum puto, & fortasse serijs eget monitoribus, quibus ad veram sapientiam possit informari. Vos de re quicquid est, non de persona accipite.

Sæpenumero mirari soleo deprauatam istus eloquentiæ licentiam sine fronte, & oculis, nihil enim aut veretur, aut videt. Heu quo rerum deuenimus? Ecclesias penè ipsas in scenas, & conciones in theatrales ludos nituntur conuertere. Ignoscant mihi sepulti priorum manes, sed puto eorum cineribus, si quis modo sensus est, inuri dolorem, cùm hæc iactantur in templis, quæ melius inter ludibundas aures in circulis, vel etiam theatris narrarentur. Nobis certè adolescentibus dicebatur a magistris eloquentiæ, Athenienses cũ

Profundæ doctrinæ vsus frequens in sacris exagitatur.

ludos gladiatorios malo vicinarum vrbium more, & exemplo, in suam vrbem admittere percuperent, Demonactem, qui tum ferebatur in ea Rep. clarissimus, grauiter obstitisse. Quò enim aiebat gladiatores cum misericordia, quæ in vrbe vestra (Athenienses) delubris & aris colitur? vel cruentam illam hominum lanienam expellite, vel certè aram misericordiæ, quæ præ vestris stat oculis, euertite. Neque enim fas est ista quæ moribus disiunctissima sunt, ijsdem sedibus commiscere.

Mihi verò idem, in re haud multum dissimili contingit exclamare, quò mihi fabulæ cum veritate? quò mihi phaleræ verborum cum sanctimonia? quò cum igne vigili, & tremenda Christi ara Silenorum, & Satyriscorum lusus? Ite primùm sacras imagines è templis conuellite, ignes extinguite, aras subruite, tollite mihi istam speciem plenam grauissimæ sanctitatis, quæ vel impiorum sensus tacito quodam maiestatis fulgore perstringit. Vel certè si pudet tolliere, tot religionis nostræ pignora, quæ contra vanitates istas clamant, obnubite, tum fabulas narrate, quanquam terram ipsam piè sanctèque consecratam, nisi eradatis, ad has voces indigna tum iri crediderim. Fuit quondam tempus illud, quò instar grauissimæ matronæ sacra in publicum procedebat eloquentia. Nunc autem pudet dicere, sed piget tacere, hæc, vt leuis meretricula se lenocinijs & fucis insinuat, haud enim negat, quod ipsa talis sit, nec si velit possit: nec si possit velit.

Quare an idololatriam cõmittat, qui de idolis catechizat. Tertull. de idolol.

Quin audiet statim: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, & quando natæ es in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis.* Quæ enim radix Chanaan nisi Gentilitas? Ecquid pater Amorrhæus, nisi quem sibi fingunt auctorem, & Deum eloquentiæ Mercurius aliquis aut Hercules Ogmius? Ecquæ Cethæa mater? nisi Ethnicorum, Sophistarum schola? Quid vmbilicus minimè præcisus? & aquæ salutaris, ac salis, pannorumque inopia, nisi sordes, & stultitiam, & nuditatem, istius denique impudentis turpitudinem prædicant. O mores! adeone generosus ille sanctorum patrum spiritus extabuit in nobis, vt pudeat eos agnoscere, qui nos tamen (si modo Christiani sumus) in Christo genuerunt? scilicet pudor est cum Petro, & Paulo, cum Matthæo, & Ioanne loqui, sunt enim barbari, & lingua, voceque absoni. Qui igitur diurnis, nocturnisque terendi manibus, qui apud molles cathedras appellandi? Philostrati, Ouidij, Plinij, Plutarchi; addite etiam Petronios, Apuleios, ita illi ipsi, quos æternis tenebris sepelire oportuit, prodeunt non in scholarum vmbracula, iam enim commune est, sed in suggestum concionatorum, & in hanc lucem Christiani nominis, quam ipsi si reuiuiscerent auctores, non auderent intueri. Tertullianus, libro de idololattria Ludimagistros, qui fabulas Poëtarum docent. *Affines esse ait multimodæ idololatriæ. Primum quibus necesse est Deos nationum prædicare, numina, Genealogias, Fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare, tum solemnia festaque eorumdem obseruare, vt quibus vectigalia sua suppetant, ipsam primam nouæ discipuli stipem, Minervæ & Honori, & nomini consecrare.* Quo igitur in numero fabulosos concionatores censuisset? Adeone sacrarum litterarum fontes exaruerunt? Adeone cœlestis eloquentiæ flumina sunt exhausta, vt à Luciano & Herodoto, & Pausania, & si quid est istius farinæ hominum, quærendum sit quid dicas, aut quomodo concioneris? Audiuntur illi sacris authoribus frequentius immixti, laudantur eorum sententiæ, & loquuntur mortui in Christianorum pulpitis, nonnulli quos viuos vix Epicuræi admisissent. Commiscetur Christus cum Orpheo, vt in Alexandri Imperatoris Larario Plato: Atticus cum Paulo, cum Petro Thucidides, & Lucas cum Apollonio: Præclaram scilicet mixturam, & quid restat, nisi vt Deiparam quoque Virginem, cum Helena confundamus? Absit verbo inuidia, sed timendum est, ne qua hic cœlestis ira lateat quam nostri sensus satis non agnoscant. Audio tonantes minas. *Venite confundamus linguam eorum.* Ecquid aliud sunt quàm linguæ miscellaneæ & confusæ tot profanorum autorum idiomata? quos certè qui spretis Catholicis scriptoribus conantur ingerere, Babel astruunt, quam Deus spiritu oris sui exsufflabit. Deinde plaudunt sibi miseri, quasi pulchri sint, & beati, quod ab imperitis forte adolescentibus hæc eorum plausibus celebretur eloquentia. Heu quã carè leues illi fumi gloriolæ constabunt, nisi fortè satis magnum præsidium arbitrantur in sua eloquentia positum, vt se aduersus tremendum summi iudicis Tri-

Ezec. 16. 3.

Comparatio falsa.

bunal

bunal defendant, cum ab ipsis Dæmonibus accusabuntur, quod spreta litterarum sacrarum maiestate plena sanctissimæ eruditionis, ad nugas, & quisquilias deflexerint, quibus, ne Adonidis quidem horti, quos ipsi memorant magis steriles vnquam fuerunt. Sed alia est ratio eorum, qui hæc parcè, & sapienter vsurpant, alia eorum, qui totas conciones his deliramentis inferciunt: qui debebant hoc fulmen Baruchis attendere. *Filij Agar qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ, viam autem sapientiæ nescierunt, neque commenti sunt semitas eius.* Hæc æstu quodam mentis Theophrastus noster effudit, ad cuius orationis grauitatem cohorruerunt, qui prius ad molliorem dicendi rationem videbantur propensiores, neque enim ruentis in se fulminis pondus aut expectare poterant, aut auertere. Nonnulli etiam ex imperitorum numero minus assequuti, quid vellet hæc oratio; iam palam omni eloquentiæ decernebant exilium. Itaque diu presso ore subsistimus, donec tam austerum sermonem excepit Logodædalus, vir cæteroqui bonus, sed qui orationis cultui studere videbatur impensius, quanquam ab istis ineptijs longe aberat, quas tam acri castigatione Theophrastus verberarat. Ille igitur vt patrocinium susciperet eloquentiæ, quam habebat in delicijs.

Adonidis horti.

Baruch. 3. 23.

Verè tu quidem (ait) Theophraste, & istos quos arguis nugatores adolescentulos, qui totam cœlestis eloquentiæ rationem corruperunt, nemo excusat, nisi sit ipse dementissimus.

Externa disciplina non sunt penitus repudianda.

Verum subit illud interdum quærere sit ne aliqua in rebus diuinis adhibenda eloquentia? Inuenias enim permultos homines alioqui minimè malos, sed in ea parte nimis (vt arbitror) austeros, qui quod ijs à puero non sint artibus informati, quibus ingenia ad honestum excitantur decus, eloquentiam quam se assequi posse diffidunt in alijs reprehendunt, quod non tam charitate communi, quam sui amore, & gliscentis cuiusdam inuidentiæ stimulis facere videntur. Nam cum ipsi maximarum artium sint imperiti, alieni ingenij florem ægris oculis intuentur, & malunt quod cuique facilius est, bonas disciplinas contemnere, quam ad eas ingenium cum multis qui in eo puluere à viris doctis exsorbentur laboribus applicare. Fucum igitur omnem eloquentiam esse dictitant, proprium gentilitatis bonum, Christianis hominibus indignum, flabellum vanitatis, nidum superbiæ, idolorum denique seruitutem: quibus sane verbis nimis atrocibus, æternum videntur optimis artibus exilium indicere; Sed hæc tolerabiliora viderentur, si qui hanc prædicant immoderatius, aut Apostolorum sanctimonia florerent, aut vt aliqui Thaumaturgi præpotentem ad quælibet miraculorum genera expeditent manum; sed cum ipsi homuli sint consilij, & mentis inopes, ægrè mihi persuadent, vt ablegatis humanis præsidijs, quibus vitam, & res nostras diuina prouidentia dispensat, ad otium & desidiam confugiam. Quamobrem dum vacui sumus, & iam calere satis res visa est, cupio, & eorum rationibus occurrere, & eloquentiæ decus, atq; honestatem ab iniquissima calumnia vindicare.

Eloquentia defenditur.

Primum scisciteri ab ijs doctoribus velim, malumne putent ex se eloquentiam naturalem? malam certè nemo dixerit, qui modo sanę mentis fuerit: nam quod homo animal prouidum, sagax, acutum, plenum rationis & consilij, intimos animi sensus oratione quasi eximio quodam mentis simulachro depromat, hoc donum Dei est minimè contemnendum. Itaque & qui in ea re vberiores sunt & acutiores, hos quasi meliore cœli riuo irrigatos amamus & suspicimus. Quid igitur si à natura nihil mali est, ab arte ne quid lateat verendum est? At quid ars, si modo recta sit, aliud conatur, quàm insitam vim naturæ promouere, incitet, excolat? An si quæ ex ingenij bonitate, & vsu quodam lautioris consuetudinis exsistit eloquentia nihil habet reprehensionis, tum demum censebitur vitiosa, cùm laboribus, & studijs honestissimè culta fuerit. At verò ars nimis mollem, & ornatam facit eloquentiam? certè si iam ornatus & iucunditas accusatur, verendum est ne non tam nobis cum oratoribus quàm cum Deo ipso præpotente illius pulcherrimi mundi artifice, certamen constitutum sit, atq; susceptum. Exsurgat quippe momus, & dicat, quorsum tot micantium syderũ in cœlo formæ, num satis vno sole collustrati cœlum poterat? quorsum in mari tot margaritæ, tot flores in terris, tot marmoris, auri, argentique venæ, quibus sine sui dispendio caruisset mundus. Quorsum hæc à summo rerũ conditore inducta? num satius fuisset cœlũ la-

ὁ θεὸς τὴν ἡδονὴν περόνην ἐποιήσατο τῇ τυχῇ δὲ εἰς ἀνίχνιαστον τὴν πρόσφορον ἁρπάγην τὸ σῶμα τοῦτον ἔδησεν τὸ ἐν λόγοις κάλλος. *Dion. p. 249 & multa consequẽter.*

xius amplioresq; terras, vel etiam plures mundos, ad multarum animantium vsum fabricare, quam vnum tot ex tanta sedulitate conquisitis ornamentis expolire? quid artes ipsæ, quæ non patiuntur naturam suo frui ingenio? quorsum tam variæ, & tam multiplices inuentæ, quanto melius erat vniuersum semel conditum, suæ, vt ita dicam, ingenuitati permittere, quam tot exquisitis artificiorum generibus à naturali cursu detorquere? Hæc si quis diceret, meritò ridiculus, ne dicam impius videretur, qui summam Dei in constituendis, ornandisque rebus prouidentiam ad suam censuram reuocaret: Nec dissimili profecto genere videntur in humanam societatem iniurij, qui hoc quantumcumque est linguæ, & orationis commercium, quo à brutis animantibus distinguimur, esse quam ornatissimum vetant, quasi verò, quæ vna pars est corporis (si benè casteque regatur) præstantissima negligere omnino atque abijcere debeamus. Sit (inquiunt) ornata, & pexa oratio, nemo vetat, sed id duntaxat in scenis & theatris, vel etiam in foris, & concionibus, in quibus albis velut quadrigis triumphare, & magno fremitu plausuque celebrari solet. At vero in templo, in ijs domicilijs, quorum tecta ipsa sancta sunt & pudica, quid attinet hanc suadam in fastu, & gloria volitantem immoderatius ostentare, quam nec Christiani ingenij mitis simplicitas, nec aures salubrioribus innutritæ succis admittunt: parum abest quin illi obtrudant.

Quem ornatè dicere quisq; audit, etiam verè dicere existimat. August. apud S. Prosp. Sent. 265.

Templi structura.

Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum? Etenim si templa, & res diuinæ carere omni cultu, & perpolitione debent, cur in Ecclesiarum structuram tantus impenditur labor, vt in profusam laxitatem excurrant, vt marmoribus incrustatæ fulgeant, vt laquearium dignitati pauimentorum respondeat nitor, vt pictis specularibus, peristromatis, & imaginibus ad certamen vsque pulchritudinis, luxurient? Quorsum tam lauta vasorum supellex explicatur? quorsum tot lychni pensiles? tot aromata, tot gemmæ, tot faces? tot & tam accuratæ munditiæ, quæ spectantium oculos, & sensus intimo religionis horrore perfundunt? Quin nos reuocatis ad fictilia, quin stultos Salomones, Constantinos, Iustinianos, Carolos dicitis, quibus nihil fuit antiquius, quam æternæ mentis numini consecratas domos singularibus in dies ornamentis distinguere. Addo, mellitissimos etiam symphoniacorum cantus, dulcesque omnis generis fidium modulos, veteris quondam scenæ, & conuiuiorum delicias, à sapientissimis auctoribus in Ecclesias inuectos esse, quæ nemo reprehendit, nisi qui religioni, & sanctimoniæ bellum indixerunt. Deo enim hæc fiunt, cuius tam venerandum est numen, quàm certa diuinitas. Qui igitur sacro oratori meritò succenseat, si in diuinas laudes, quàm expolitissimam profundat orationem, cùm in eius gratiam nihil possit satis esse perfectum? Sed hæc, inquiunt, ab Ethnicis ingenijs, & artibus profecta, Deo placere nullo modo possunt. Primùm quis eos docuit inuentum esse Ethnicorum eloquentiam: Nam parum summis illis Hebræorum mentibus tribuunt, si existimant benè dicendi præsidijs fuisse destitutas. Sed esto à gentibus expresserimus, & vnde ipsæ habuerunt, nisi à Deo bonorum omnium largitore? quo fit, vt nihil illis suum eripiamus, sed ab improbis vsurpata possessoribus, in legitimum dominium asseramus, nam si profectò id sumunt quicquid à gentibus boni fuerit, præliabatum, id si in nostras manus, vsumque venerit, continuò esse repudiandum? nouum illis solem, nouos mundos condere oportet, nec commercium elementorum habeant saltem cum gentibus commune. Nesciunt simplicis ingenij homines ipsa ethnicorum templa teterrimis flagitijs polluta, cum in Christianorum potestatem deuenissent, non semper excisa fuisse, atque conuulsa, sed suis expiata sordibus in sanctissimos vsus concessisse. Sic enim Panthæum illud accepimus Dæmoniorum omnium receptaculum, in Sanctorum omnium ædem esse conuersum, vt in ipsis sedibus, in quibus confederant castra impietatis, Christiana religio, & pietas ftemente Diabolo triumpharet. Nam & Dauid sibi coronam ex auro idolii Moloch comparauit? Num Christus famosæ illius Magdalenæ comas in suum obsequium dedicatas abradi iussit? At certè eorum sensu debuerat crines tories malè pexos, malè vngue tatatos, nō crines, sed Dæmonum piloforum (quos Aquila τριχίδωτα appellat) nidos, iuuentutis illecebras, & miserarum victimarum libidinis retia, celeriter amputare, cur ijs tangi, extergi, perfricari voluit? nisi vt ostenderet nihil esse impurum, quod suo esset cultui, obsequioque mancipatum. Ecquis iam audebit impudicam eloquentiā nominare, quæ se Deo deuouerit?

Malum in bonum conuersum.

Ne-

Ne autem videar ex sensu meo loqui, proferam clarissimorum authorum testimonia, qui à Christianis eloquentiam minimè negligendam, sed omni studio excolendam, vel etiam authorum profanorum lectione variam, quasi lectis epulis à tenero nutriendam censuerunt. Omitto sacras literas, in quibus Aaron vel Dei testimonio eloquens appellatur, & sapiens tanquam imbres mittere dicitur eloquia sapientiæ. Diuus Basilius vir non minus eximiæ sanctitatis, quam florentis eloquentiæ, in ea oratione, quam habuit ad iuuenes de vtilitate ex Græcorum scriptis percipienda, quàm apertè suadet adolescentibus, vt poëtas, historicos, oratores, & omnes omninò homines frequentent, à quibus aliqua vtilitas in animi culturam permanare potest, & ne quis fortè dubitet, eius verba subijciam. Ἐπὶ τὴν τοῦτο παρασκευὴν, καὶ ποιητὰς, καὶ λογοποιοὺς, καὶ ῥήτορας, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμιλητέον ὅστις ἂν μέλλῃ πρὸς τὴν τῶν ψυχῶν ἐπιμέλειαν τοῖς ἔξω λόγοις προσιέναι φιλοσοφώτερον ἔσεσθαι. Addit autem humanioribus litteris initiandos esse, qui ad sacras affectant viam, quod pereleganti similitudine declarat expressius, sicut enim infectores, remissioribus quibusdam coloribus imbuere solent vellera, antequam vivum, & pertinacem Amethystini, aut purpuræ fiorem inducant. Ita, inquit, & nos, vt solidæ honestatis iaciamus per solidum fundamenta, operæ pretium est à teneris, mansuetioribus studijs imbui, antequam ad sacras, augustioresque literas accedamus, sic enim fiet vt refractos in pellucido fontis liquore radios videre consueti, ipsum demum solem acriori mentis obtutu contemplemur. Quæ profectò vir diuinus non diceret, si Græcorum eloquentia Christianis hominibus interdictum putaret. Nam cur ea nos comparare iuberet à puero, quorum ætate iam proiectis non tantum vsus esset nullus, sed magnum etiam dispendium. Quid ipse qui Basilio consors, & particeps omnium studiorum, atque consiliorum fuit diuus Gregorius Nazianzenus? In Basilij funebri laudatione generoso admodum animo succensebat imperitis, qui liberalioris doctrinæ studia contemnunt? Illud, inquit, inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostra solum, ac nobiliore loquor, sed etiam externa, quam pleraque Christiani prauo quodam iudicio, vt insidiosam, ac periculosam, & procul à Deo auertentem aspernantur, & cætera, quæ Græcè meliùs: Οἶμαι δὲ πᾶσιν ἂν ὁμολογηθῆναι τὸν νῦν ἐχόντων παίδευσιν τὴν παρ' ἡμῖν ἀγαθὸν εἶναι τὸ πρῶτον, οὐ ταύτην μόνον τὴν εὐγενεστέραν, καὶ ἡμετέραν. ἢ πάντα συνελόγου ἐκόμισεν, καὶ φιλόμουσε μάζουσα μύνης ἔχεται τῆς σωτηρίας, ἣ τὰ κάλλιστα τῶν νοημένων, ἀλλὰ καὶ τὴν ἔξωθεν, ἣν οἱ πολλοὶ χριστιανοὶ διαπτύουσιν, ὡς ἐπιβλαβέστερον σφόδρα, καὶ θεοῦ πόρρω βάλλουσαν κακῶς εἰδότες ὥσπερ γὰρ οὐ, ἀνὴρ, καὶ γῆν, καὶ ἄερα, καὶ ὅσα τοιαῦτα, οὐκ ἐπαΐοντες κακῶς τινες ἀπειλήφασιν, ἀντὶ θεοῦ τὰ δ' ὄντα θεοῦ ὄντες, διὰ τοῦτο περιφρονητέον, ἀλλ' ὅσον χρήσιμον αὐτῶν παρασκευασάμενοι, πρός τε ζωὴν καὶ ἀπόλαυσιν, ὅσον ὑπεικτέον ἀνεφύγωμεν οὐ τῶν κτίσιν τὴν κτίσαν εἰδότες κατὰ τοὺς ἄφρονας.

Eloquentia humana benè cum sacra miscetur.

Græcorum scripta percipienda.

Contemnere eloquentiam humanã.

Tandem concludit.

Οὕτω καὶ τοῦτο, τὸ μὲν ἀσεβοῦντε ὑπερβολικὸν ἐξαμβλοῦν ὅσον δὲ εἰς δαίμονας φρονῆσαι καὶ πλάνην καὶ ἀπωλείας ζυβὸν, διαπτύσαμεν.

Eadem fermè Synesius in Dione: οἱ ξυμφῆς οὗτοι καὶ ὑπερόπλαι ῥητορικῆς καὶ ποιήσεως, οὐ μοι δοκοῦσιν οὐδὲ ἑκόντες εἶναι τοιοῦτοι πενία δὲ φύσεως μηδὲ τὰ σμικρὰ ἱκανοὶ &c.

In quibus ostendit eloquentiæ contemptores tales esse non sua sponte, sed ingenij penuria, tum eos hoc opusculo satis mordaci sale perfricat: At qui in omni studiorum genere fuit eminentissimus Diuus Augustinus, postquam eloquentiæ diuitias à profanis authoribus monuit esse repetendas. Aspicimus (inquit) quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit ex Ægypto Cyprianus doctor suauissimus, & Martyr beatissimus. Quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moses fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum. Addam Augustino Lactantium, qui sic in institutionibus scribit. Licet posit sine eloquentia, Christiana religio defendi, vt est à multis sæpè defensa, tamen cla-

Aug. l. 2. de doctrin. Christ. c. 40.

Lact. lib. 1. diuin. inst. c. 1.

ritate, ac nitore sermonis illustranda, & quodammodo differenda est, vt potentius in animos influat, & vi sua, & instructa religione, & luce orationis ornata. Quod autem grauissimis sententijs hic effantur, non modo ipsi, sed alij in suis scriptis constantissimè sanxerunt. Domum te N. deducam tuam, vis ordiamur à Mose scriptorum omnium sanctissimo, eodemque vetustissimo, cuius scripta non modo cincinnulos habent interdum oratorios, sed, & poëticas redolent amœnitates, tanta insuper orationis maiestate, vt suaui quodam terrore percellat animos simul & delectet. At Iobus ille vir non minus patientis animi quam præstantis ingenij, qua orationis assurgit grauitate, quot floribus luxuriat, quot vegetis, & illuminaris Rhetorum coloribus accenditur: videas quippe apud eum descriptiones omni expolitione distinctas, & ita viuidas, vt rem magis videre, quam audire te credas. Sume tibi ex tanto numero equum bellicosum, & vide quam audaci genio à viro sancto expressus est.

Eloquentia humana Moses & Iobus vsi.

Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas, gloria narium eius terror.

Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.

Contemnit pauorem, nec cedit gladio, super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Feruens, & fremens sorbet terram, nec reputat tuba sonare clangorem.

Vbi audierit buccinam dicit: Vah procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. sume Hebraica in manus quorum valde peritus es, & expende, quid ad florem elocutionis, tantis & tam magnificis sensibus desit. Etiam nescio quomodo vt sæpe fit, pleraque in proprio idiomate sunt augustiora? nam vbi nostra versio habet. Circundabis collo eius hinnitum, est in Hebræo textu

Iob c. 39. vers. 19. התלבישׁ עואדו רעמה: quæ si Latine ad verbum reddas, significant, *Nunquid indues collum eius tonitru*, vide quæ species magnitudinis? equi ceruicem tonitru, quasi veste amictam: & hæc virum loqui, qui fertur quintus fuisse ab Abrahamo. Quanquam scio nonnullos hoc scriptum Mosi tribuere, inter quos est Methodius Martyr, & Episcopus, sed non negant à Iobo primum Arabicis literis consignatum, & ex eo deinde volumine librum à Moyse compositum, quem nunc præ manibus habemus. Verum, quid ad nos attinet, cum nouerimus hæc siue à Iobo dicta sint, siue à Moyse sancti Spiritus afflatu, atque impulsu fuisse dictata, quæ nisi extaret authoritas, vos forte phaleras verborum diceretis. Gradere nunc à Iobo ad Dauidem, & Salomonem Reges, quorum ille quam speciem elo quentiæ non est complexus in illis canticis, quorum luce non minus Ecclesia, quam sole Mundus illustratur? si narrat, & effatur, fundit oracula; si pugnat, torquet fulmina; si hortatur, faces accendit; si consolatur, miscet nepenthes; & vbi de industria emollit orationem, totus vt ipse ait *torrente deliciarum* immergitur. Alterius vero, vt vestis regia, sic auro tota riget oratio. Siue enim in parabolis sententias, magnæ illius mentis pondera, in aculeatas verborum stringit argutias, siue in cantico, delicatissimo flore orationis luxuriat, siue in Ecclesiaste luxus Regum, & fragiles mortalium spes, opesque, nec non lubricas huius vitæ castigat voluptates, nihil est hac eloquentia diuinius. Quid in Prophetis, ecquem reperies indisertum? num omnes de rebus diuinis canunt quodammodo clarè cum, num grandem, & lacertosam vibrant orationem, quam auro ferroque simul lucere, & micare fulguribus dixeris. Atque inter eos Isaias vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ ceuisetur ab Hieronymo. Daniel verò humana diuinaque sapientia, à summis, vt ita dicam, vnguiculis ad verticem vsque perpolitus, ipsos Reges idololatras capit, oblectat, fulminat. Sume Aggæum, sume Zachariam, sume Hieremiæ amanuensem Baruth, sume ipsum eductum ex gregibus, atque armentis Amos Prophetam, & ex eo, quem illi fortasse hircosum dixerint, audies quæ mirari possint vnguentati. Quid quod scriptor Machabæorum aperte & elegantiam sermonis desiderat, & si quid rudius exciderit per interualla, stylum excusat, *In his, inquit, faciam finem sermonis, & siquidem bene & vt historia competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem vti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus.*

Quanta eloquentia in Dauid.

Orator.

In eloquentia sacra excellunt Prophetæ.

2. Mac. 15.

Vides igitur authorem, quasi ex Rhetorum præceptis temperare stylum, qui vt in pictura luminibus vmbras, sic in oratione lumina quo magis eniteant remissioribus interdum sententijs adiungi volunt. Hæc canonicus

nonicus author diceret, si accurati sermonis elegantias, atque suauitates in sacris contemnendas esse duceret?

Iam te ad sacros Euangelij concionatores adducam, age quid Paulo sublimius? nihil hic eloquentiam moror verborum fucis illitam, & vanissimo periodicularum ambitu tinnientem, volo grandem, præcelsam, & heroicis sensibus exaggeratam, quid hac in parte Paulo defuit? quem longe aliter, quàm ille, Periclem, tonáre, fulminare, & permiscere concionibus orbem terrarum dixeris: videas illum hominem μυριόμοχθον modò Iudæis, modò Græcis, modò Romanis mixtum diuini verbi semen vndique spargere; si docet, nihil illustrius; si disputat, nihil eius calore pugnacius; si consolatur, nihil blandius; si minatur, nihil imperiosius. Hic Genealogistas Iudæos confudit, hic ab Epicuræis ruborem expressit, hic Stoicorum nationem plenam contentioso fastu ad Christianæ mansuetudinis disciplinam perduxit, hunc causam è catenis dicentem Præsides timuerunt, & ipsi ante reum palluerunt Iudices, Reges laceram penè eius penulam, & vincula complexi de regali maiestatis sede ad Christianam humilitatem sese abiecerunt. Hunc supra humanam sortem, quasi de turbine loquentem Lycaones instar numinis coluerunt. Fuit planè beatum os eius, fons ille egrediens *de Paradiso Dei*, qui in quatuor erumpens flumina, totam Ecclesiam mirabili aquarum suauitate, copiaque respersit. At dices, reprehensus est à D. Chrysostomo Christianus quispiam, qui Paulum Platone disertiorem fuisse contendebat, quod nunquam fecisset, si eam, quam in Paulo prædicas eloquentiam, vir acerrimi iudicij, & profusi in virum sanctum animi cognouisset. Errat omninò quisquis ita iudicat, nam Pauli eloquentiam vbiq; miratur Chrysostomus, eamq; ab illo, & ante miraculorum editionem, & in ipsis demum miraculis adhibitam fuisse permagnam asseuerat: verum negat fuisse eloquentiam, quã eo tempore Græci excolebant, cirris dumtaxat inanibus verborum lasciuientem, sed reconditam vim magnæ mentis, quæ in figuris sententiarum longè aliter, quàm in tessellatis dictiuncularum nugis sese expromebat. Deinde longè efficacius argumentum aduersus Ethnicos esse comprobat, si dicamus Apostolos rudes, & indisertos tantam sapientum multitudinem vicisse, quam si eorum prædicemus eloquentiam, quæ & longè minor erat vberrimo sapientiæ fonte, quem suorum præconum mentibus præpotens Deus indiderat.

D. Paulus

D. Paulus Platone disertior.

Lubet post illos longam sæculorum, atque oratorum seriem percensere? occurrent tibi in ipsius adhuc Ecclesiæ cunabulis, qui viri? *Clementes, Ignatij, Dionisij Areopagitæ*, quorum primus varias epistolas, & recognitionum libros eo stylo conscripsit, qui instar puri amnis labitur sine vllis sordibus, alter totus ardet, & instar ignei torrentis perlabitur in animos oratione non inculta, nisi fortè vt vnum afferam pro multis, hæc idiotæ verba existimas, & non figurati oratoris: τῷ δὲ γὰρ ἐστὶ στάδιον, ἐκεῖ δὲ στέφανοι προσδόκα Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τὸν ἄρχονον ἐν χρόνῳ, τὸν ἄῤῥαται τῇ φύσει, ὁρατὸν ἐν σαρκὶ, τὸν ἀψηλάφητον, καὶ ἀναφῆ ὡς ἀσώματον, δι' ἡμᾶς δὲ ἅπτον, καὶ ψηλαφητὸν ἐν σώματι. τὸν ἀπαθῆ ὡς θεὸν, δι' ἡμᾶς δὲ παθητὸν ὡς ἄνθρωπον, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα.

Patrum eloquentia.

Concionator.

Ignatius in ep. ad Polycarpũ.

Tertius verò quasi Aquila in purissimum ætheris locum volucribus pennis subnixus, nescio quid humana voce grandius loquitur, quod æternæ mentis, & Angelorum sapit commercium.

Volue secundum, & expende quantus Athenagoras, qui in eo mihi videtur maximè eloquens, quod minimè profiteatur eloquentiam, licet adamantinam quandam orationem habeat, si sine lepôre, & festiuitate quadam ingenuæ dulcedinis, vide num quis elegantius, & disertius hunc locum attigerit, quo Deus solus adorandus, non autem mundus perhibetur.

Athenag.

Ἀλλ' οὐ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν τεχνίτην αὐτοῦ προσκυνητέον. οὐδὲ γὰρ οἱ πρὸς ὑμᾶς ἀφικνούμενοι ὑπήκοοι παραλιπόντες ὑμᾶς τοὺς ὄρχοντας, καὶ δεσπότας θεραπεύειν παρῶν ἂν δέοιν τι, καὶ τύχοιεν, ἐπὶ τὸ σεμνὸν τῆς καταγωγῆς ὑμῶν καταφεύγουσιν, ἀλλὰ τὴν μὲν βασιλικὴν ἑστίαν τὴν ἄλλως ἐντυχόντες αὐτῇ θαυμάζουσι καλῶς ἡσκημένην; ὑμᾶς δὲ πάντα ἐν πᾶσιν ἄγουσι τῇ δόξῃ, & cætera, quæ grauiter admodum, & ornatè disserit.

Athenag. in legation. pro Christianis p. 17. c. 18. edit. H.S.

Est sanè pulcherrimus hic mundus, nam magnitudine cũ sit excellens, vt omnia, sic pulchra omnia continet, non ipse tamen mundus, sed artifi-

Adorãdus Deus, non mundus.

tificiosus ille conditor eius adorandus est, vt neque vestro imperio subditi, quum aliqua re indigent vt assequantur, quum vos adierint omissis vobis dominis, ac principibus, nulloq; affectis honore, ad palatij vestri magnificentiam se conuertunt, sed ædificij regij tam elegantem structuram obiter admirati, vos ipsos ante, supraq; omnia honorant. Verum hoc interest, quod vos reges in vestrum vsum ædes regius adornatis; Mundus autem à Deo non indigente factus est, est enim Deus sibi omnia lux inaccessa, mundus perfectus, spiritus, potentia, verbum Siue igitur *mundus, velut organum quoddam concinnum est, & numerose mouetur, illum duntaxat qui fides pulsat, & concinnam modulationem accinit, non organum ipsum adoro.* Hæc, & similia quæ fusius prosequitur, non nisi à magno pectore, pari eloquentia manare possunt. Qui in eodem genere versatus est *Iustinus* Martyr, licet non habeat illas orationis sirenulas, quas inepti fortasse requirerent, qui hanc apologetici sermonis legem non vident: est tamen ob fecundam multiplicium doctrinam, castamque robustæ orationis sobrietatem sapientum iudicijs admirandus, nec immerito à Photio dicitur πολυμαθείας τε καὶ ἱστοριῶν περιῤῥεόμενος πλούτῳ; huius discipulus fuit *Tatianus* Assyrius author florentissimi libri, qui & nunc extat contra Græcos nauiter conscriptus, qui licet in eo se barbaræ Philosophiæ sectatorem (nam barbaros etiam Christianos gentiles Philosophi vt Iamblichus, & Amelius appellabant) profiteatur, apparet tamen ex ipso opere quam accurate linguam in Iustini schola limauerit.

Iustinus martyr.

Tatianus.

Nec verò istis minor *Irenæus* Lugdunensis Ecclesiæ sempiternum decus, idem Pontifex, & Martyr, qui sub Commodo Imperatore, & Eleuthero Pontifice vixit, & tempore Seueri Imperatoris Martyrium consummauit: cuius libri, qui nunc leguntur aduersus Valentinum, latine, opinor, redditi, nam Græca desiderantur, illius & eruditionis, & eloquentiæ non vulgaria exhibent vestigia.

Irenæus.

Perge ad sæculum tertium, in cuius stat limite, quem merito latinorum scriptorum, de Christianis loquor, antesignanum dixeris, *Tertullianus*, qui vir, & quantus? non specto leuiculos orationis flosculos, quos ipse aut non habuit, aut contempsit, sed miror in eo torrentis ingenij vim quamdam redundantem, & pondus acerrimæ mentis, quam maioris eloquentiæ sedem possis appellare: quamquam si quando ab heroica illa ingenij austeritate stylum frangit, in rhetorum delicias, non est inconcinnus, vt in descriptione Chameleontis, serpentis, scorpionis, & pauonis possis agnoscere: nam vt de cæteris taceam, quid hac oratione dilutius aut figuratius? *quanquam & pauo pluma vestis, & quidem de cataclitis, imo omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio auratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, qua caudæ iacent, multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, & si semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda.* Ex aduerso floret in Græcis Origenes, cuius viri quoties spectamus ingenium, toties facere oportet, quod Persæ ad solem orientem, impresso statim ori digito silere, & mirari. Nam cuius fuit fœcunditatis sena librorum millia conscribere? cuius, & quam fœlicis linguæ omnium amanuensium stylos in parturienda tam sublimi doctrina præuertere? cuius torrentis nunquam intersistere, cuius sideris omnia dicendo alta, infima, media, collustare, complecti, accendere? Hæc caussa exciuit S. Gregorium Thaumaturgum, vt in Origenis laudem Panegyrim scriberet, quam eo præsente adhuc adolescens recitauit. Atque vtinam tantus scriptor suo ingenio liberius indulgens in varios errores non incidisset, qui instam Ecclesiæ censuram prouocarunt? Quid eius præceptor *Clemens Alexandrinus*, quem prope Athenæum, vel Plutarchum Christiani nominis possis nominare, quid fuit tandem in humana sapientia quod non euoluerit, peruiderit, protulerit, nobis thesaurus ipse factus, & quoddam promptuarium mansuetioris literaturæ. Iam martyrij purpura decorus orator *Cyprianus*, & quod de eodem dixit D. Augustinus, totus auro, & margaritis Ægyptiorum, hoc est exterarum disciplinarum nitens, quas non habet eloquentiæ suauitates? Consequuntur *Arnobius*, *Lactantius*, & qui eos præcessit *Fœlix Minutius*, Christiani nominis acerrimi ijdemque disertissimi propugnatores. Quartum sæculum ostentat in diuitijs sacram illam oratorum triadem, *Basilium*, *Nazianzenum*, *Chrystostomum*, supra omnem ingenij aleam eloquentes viros consummatæ in humanioribus literis peritiæ, grandes, copiosos, suaues, altos, sensibus, stylo vberes, omnibus orationis diuitijs ad miraculum vsque refertos. Quorum Gregorius multus

Sæculi tertij doctores. Tertullianus. Orat. vera.

Tertull. de pallio.

Origenes.

Cyprianus orator.

D. Gregor. eloq. tus in neruis & sententiis aureæ mentis fœtum limatæ elocutionis structura constringit: *Cgrysost. eloq.* Chrysostomus totus lucidus, & fluens instar lactei fluminis procurrit sine salebris: *Basil. eloq.* Basilius medium quendam orationis charecterem sequutus nec strictior est, nec solutior, vtrimque felix, & temperatus. Quid commemorem *Athanasium, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Cæsarium, Apollinarios, Ephrem Syrum?* quos huius sæculi partus felicibus ingeniis clarus in Christianæ gloriæ lucem mira fœcunditate profundit? Ecce tibi ex altera parte conspicui sunt, nectare & ambrosia satur *Ambrosius*, blandum facundiæ nomen, & summus in omnibus artifex *Hieronymus, & magna Augustini mens*, quem Scholastici fortasse Ciceronianis innutriti verborum deliciis, haud existimarint disertum, sed nesciunt vbi sit illud quod quærimus decus eloquentiæ. Ego vero miror hominem in disserendo subtilem, in certando inuictum, in exhortando acrem, & sibi instantem, in persuadendo, quod est Colophon oratoris, efficacissimum, qui mihi in eo videtur, eloquentissimus, quod eloquentiam, qua beatissimum eius pectus erat oppletum, minime profiteri videatur. Descende si vis ad sęculum quintum, & intuere *Maximum Taurinensem, Paulinum, Seuerum Sulpitium, Saluianum, Chrysologum Rauennatem, Sidonium*, & quos prope vltimos Græcorum dixeris, magno vt olim Philopœmonem elogio *Synesium, Theodoretum, Isidorum Pelusiotam, Æneam Gazæum*: dic Synesio deesse accuratæ orationis veneres, & *opulentiam* prope infinitam, dic in Theodoreto tantæ sapientiæ viro desiderari θελητήριον illud ἐπαγωγὸν ἡδυσμάτων, quod Gręci tanti faciunt: dic Isidoro non inesse argutissimam rotundę orationis breuitatem, dic Æneam Gazeum in tanta disserendi subtilitate florem & gratiam orationis neglexisse, refellet te statim illa dissertatio, quam in Theophrasto contra Procli ridiculum dogma habuit, qui rapacis & violenti animam non in miluum quidem, vt Pytagoras, efformat, sed animę humanę milui animam alligat, hic facere excipiens noster Gazeus, si *Ita est, inquit, formicam Vlysses sequetur, quod rei familiaris gubernatores prudentes, & industrij sint ambo: Vespiæ Hector alligabitur, cum ornatam galeam habeant, & bellicosi sint ambo. Itemq; rana, & Cleon vna vitam agent, quando eundem ambo clamorem edunt, sicq; ille quasi lapidem ceruici alligatum trahet.* Hęc suauitas non est hominis indiserti. Perge infra, & circumspice *Procopium Gazæum Sophistam, Fulgentium, Ennodium, Boetium, Cassiodorum, Gregorium Turonensem, &* Papam *Gregorium*, quos supra ętatem suam dixeris eloquentes. Nolo te in consequentium sęculorum illuuiem trahere, multi certi fuerunt indiserti, qui non tam eloquentiæ, quam ipsis eloquentia temporum fato defuisse videatur: Agunt tamen quidquid possunt, & lacertos mouent, si forte se ex hac infœlicis sæculi barbarie vindicent. Vide enim quo spiritu hæc S. Hildephonsus, qui septimo sæculo floruit.

Ambros. *D. August.* *Doctores seculi 5.* *Æneas Gazæus.* *Pythagoræ metempsycos.*

Et de fonte nascentis virginali egressione signato cœnum martiale decurreret. Opto, opto, vti sepulchrum oris illius dentes serra concludat, foueam oris eius immobilitas linguæ compleat: concaua palati aër subductus euacuet, extrema labiorum aëris crassedo conglutinet, ne talium verborum fœtor erumpat, ne prosecutiones huius odor aspiret, ne vel exilis sonus tumeat, ne verberatus aër ad infantilia verba conformet. *Hildephōs. contra Heluidium.*

Audi ergo tu Heluidi, & ad me attende impudorate, me ausculta impudice, me intuere inhoneste, me conspice inuerecunde. Quid impudicitia commoueris? Quid inuerecundus assistis? Quid inhonestus accedis? Quid sine reuerentia occurris? Quid sine pudore vexaris? Vide conatum viri sancti, qui eloquentiam non contempsit, sed sæculi vitio longe ab optimo dicendi genere recessit. Diuus quoque Hugo Eterianus, qui & in hac squallentis sæculi macie vixit, in eo libro, quem de regressu animarum ab inferis ad sacrum vrbis Pisæ clerum conscripsit, non diffitetur ipse quæsisse *elimatas assertiones clausularum, & instinctiones apertas, & crebris lucubrationibus omnimodam in scribendo diligentiam.* Quid igitur? candidissimæ illæ animæ cum in media barbaria degerent, cirros & elegantias quæsierunt: Nos, qui in hac politissimorum hominum luce quotidie versamur, eloquentiam contemnemus, & inuentis frugibus ad miseras glandes turpes & ieiuni reuoluemur? quis nescit aureum rete ad capiendas animas esse facundiam? Nam vt ait D. August. *quod ornatè dicitur, verè dici putatur*, sermo simulachrum est animi, & specimen ingenij, is si cultus fuerit, & scintillantibus margaritis distinctus, illectat mentes hominum, ducit, rapit,

& in quamcumque vult partem inflectit. Quod enim delectat persuadet, & credibile fit quicquid amatur. Contra si spurcam illam, & semibarbaram sermonis illuuiem sine exquisitis doctrinæ notis induxeris in pulpitum, continuo solitudo fit, & vastitas in templis, vel quod miserabilius est dormitatio contemptus, & derisus. Non enim à te ieiunam diuinæ legis expositionem expectant auditores, quam millies audiuerunt, sed volunt doceri, delectari, moueri. quomodo? grauibus sententijs, exquisita doctrina, sculpto, & elaborato genere orationis, quam si non habes, fac miracula, si non potes, Dei præsentibus bonis vtere, & noli immundum existimare, quod ipse suis honoribus consecrauit.

Videbatur hæc oratio omnium qui aderant, animos probabilitate non mediocri perculisse, cum Theophrastus leniter subridens, vt solebat, talem, (inquit) virum decebat eloquentiæ patrocinari, quo disertiorem hoc tempore scimus neminem.

Sed ne extra thesin vagetur oratio, aut quod vos dicitis Andabatarum more clausis oculis pugnemus, nihil destinatum habentes quod feriamus, primum eloquentiam non contemno, quam ex sua natura bonam, & ad societatis humanæ commercium Dei præpotentis donum mortalium generi concessum arbitror: sed eam nimis elaboratam, & circumtonsam, & manu factam in sacris præsertim concionibus esse debere non puto, quod si ratio, & auctoritas sapientum euicerit, dabis aliquando manus Logodædale, & istam tuam opulentiam foro, & scenæ, non sacris pulpitis reseruabis.

Rationes Logodædali pro eloquētia eleuantur.

Atque ego dum complector animo, eas quas in medium attulisti rationes, ad tria capita reduci posse existimo: Nam, & ornatam voluisti orationem, quod ornatus à Deo, & mundo sit inditus, & à nobis in rebus ferme omnibus, etiam in sacris desideretur. Deinde hanc esse SS. Patrum sententiam, humanæ eloquentiæ curam quam diligentem haberi oportere. Ad summum omnes, qui superioribus sæculis floruerunt, Ecclesiasticos scriptores esse quam eloquentissimos. Hæc ego si à te paulo liberius, & argutius dicta, vt vos Rhetores soletis, opposita varietate refellero, existimabo me tibi, & cæteris abunde satisfecisse. Primum si hoc assumis naturam arte excolendam esse, & quicquid exquisitis artium inuentis addi potest ad naturam, hoc omnino decere, tota (quod aiunt) aberras via. Nam in rebus fere singulis mediocrem cultus rationem sapientes probant, exquisitas vero artium, quæ infinitæ crescunt in dies munditias, quis omnes laudare possit, aut admittere. Quod non hirtis pellibus, aut folijs in hac ciuili vita induimur ab arte humana est, quæ tingendorum vellerum rationem, & aliquam vestis concinnitatem prudenter adinuenit (quamquam melius nudi, & sola innocentia tecti, vt primum sub oculis Dei constituimus, fuissemus) hæc criminis pœna fuit, vt vestes quærerentur, mox abijt in ornatum, cœpitque luxui, & lupanaribus proludere. Quid igitur vestimentorum elegantem quandam & sobriam honestatem ars commenta est, tu iubebis sapientem in hoc genere quærere, quicquid ars nouis quotidie inuentis lasciuiens astruere poterit? Iubebis piscari vestitum, emendicare vellera de mari, quæ muscosæ lanositatis lautiores conchæ comunt. Iubebis à Seribus Bombyces petere, succis herbarum, & concharum alueis lanas incoquere, de Draconum frontibus, & piscium cerebris, gemmas vænari, vt sericatus, armillatus, chlamydatus prodeat in publicum, hoc si facias, tantum demes honestati, quantum addes libidini.

Ornatus moderatio.

Vestium vsus.

Vestis criminis pœna.

Iam natura comam dedit decoram in fœminis, blandam in pueris, in viris honestam, ars pectere docuit, & attondere, ne sordes, & horrorem contraheret: hoc tibi non sufficiet, sed quidquid malarum artium commentis instruendo capillo poterit reperiri, hoc erit tuo capiti superædificandum, quærendæ erunt capillaturæ structrices, eundum ad ferrum, & ignem, ne quid crispando desit. Ex vltima Arabia transuehendi odores, quibus capillus perpluat, aspergendus puluere, & croco, & lixiuiorum non vno genere, etiam exuuiæ capitis alieni forte immundi, & nocentis adhibendæ, quibus fulgeas; Absit vt artem exerceas, hoc naturæ, & honestatis dispendio.

Quid in victu? si explendæ famis necessitatem parabilis etiam cultus ornauit, laxandæ erunt ventri habenæ, & sectandum quicquid helluonum ingeniosa in suam perniciem cupiditas commenta fuerit, vt noua quotidie condimenta, languentis gulæ irritamenta gustum titillent, vni palato coquorum, & seruorum sudet exercitus, vt in vnum spirantis

mor-

mortui sepulchrum terræ, & maris, cœli etiam spolia, Proh pudor! ingerantur.

Nemo hoc sanus dixerit, nemo censuerit, arti quicquid modo cogitat, permittendum, nec vllis rationis limitibus esse restringendam.

Ornatus templorũ qualis.

Non quod de ornatu templorum dixisti, vide quam sit augustus, vide quam nulla in eo species, quæ lasciuiam, & luxum oleat, quæ si esset, oculos procul dubio spectantium offenderet, nec ex sanctissimæ disciplinæ manaret institutis: maiestatem quippe in ijs diligimus, nimis delicatam culturæ formam, quæ vanitatem, & pompas præ se ferat non probamus. Itaque nec aulæa profanis argumentis intexta, nec formosulas istas mulierculatum effigies, nec nuda, torosaque valentissimi lectoris terga lubenter in sacris locis consistere videmus. Ipsamet structura, ipsa templorum suppellex suam quandam formam habet à populari, profanaque distinctam, quam si curiosulus aliquis ab hac specie humana augustiore, in leuiculas elegantias deformare vellet, nemo pateretur. Age enim cum veneranda Beatæ Virginis imagine coniunge Danaen aliquam, in cuius sinum porrectum, & nudatum aureo imbre stillans Iupiter desiliat: Infer Pauli statuæ Herculem, Antæum prehenso manibus iugulo præfocantem, pinge cum Christo Orpheum, ad cuius mellitissimas fides, & aues cœlo meantes, & sparsæ per terram pecudes vno agmine concurrant.

Qualis musice Ecclesiarum.

Quis non succensebit? quis non indignabitur? Musicam certe, quam ex scenis memoras, conuiuijsque in templa translatam, non nisi seriam, & grauem volumus, in quo, & religiosiores aliquanto veteres fuerunt quam nos ipsi sumus.

Audi enim quid de ea re Iustinus Martyr habeat, quæstione centesima septima, cum interrogatus de ea, quæ Christianorum Ecclesias decet Musica, respondet.

Iustin. q. 107.

Οὐτὸ ἆσαι ἁπλῶς ἐστι τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ τῆς ἀψύχων ὀργάνων ᾄσαι, ἢ μετὰ ὀρχήσεως, καὶ κροτάλων, διὸ ἐν τοῖς ἐκκλησίαις προαίρεται ἐκ τῶν ἀσμάτων ἡ χρῆσις τῶν τοιούτων ὀργάνων, καὶ τῶν ἄλλων τοῖς νηπίοις ὄντων ἁρμοδίων, καὶ ὑπολέλειπται τὸ ᾄσαι ἁπλῶς ἡδύνει γὰρ τὴν ψυχὴν πρὸς ζῆλον πόθου τῶν τοιούτων ᾀσμάτων ἡδομένην.

Vides vt assuetas Ethnicorum schenis fides, cantusq; inanimorum organorum cum saltationibus, & crotalis ab Ecclesia perpetuo exulare velit, quod hæc mentem emolliant, & efferuescentes cupiditates irritent: contra cantum simplicem sine fuco, & tot vocalarum inflexionibus relinquat.

Faciamus idem in eloquentia, & tot verborum, ac periodorum phaleras, & quicquid modo est fucatum, valere iubeamus.

Contra verò venerabilem quandam sermonis, & operum sanctitatem retineamus. Neq; enim aliud sancti Patres voluerunt, quos tu ad sententiæ tuæ defensionem quasi exterarum disciplinarum studiosissimos protulisti.

Humaniorum disciplinarum tempus, & modus quis esse debeat.

Philosophiæ scilicet, & Rhetoricæ, cæterarumque artium documentis adolescentes non leuiter intingi, sed etiam imbui oportet, partim quo illa ætas nondum grauiorum Theologiæ studiorum capax, his foueatur nutrimentis, partim etiam vt inde vis, & suauitas in sequentis ætatis curas emanet. Hoc à te citati Basilius, Gregorius & Augustinus diuini homines censuerunt, & nemo sane negat. At vero si iuuenes postquam vel in rhetorum schola, vel in Philosophorum Lycæo posuerunt rudimentum, ethnicis adhuc calentes documentis, ascendant in pulpitum, & plena (quod aiunt) manu pro Isaia, & Paulo incipiant Aristotelem, & Ciceronem plebeijs etiam auribus propinare, nemo certè hanc insolentiam sermonis æquo animo ferat, nemo. Hæc enim didicerunt non vt plenis faucibus in concionibus eructarent, sed vt grauiores disciplinas his condimentis leniter aspergerent; eduxerunt ex aliena gente pedissequas, non vt ipsæ *dominarentur in clero*, sed vt seruirent. Nam qui musicam discunt oratores, aut saltationem gymnici, non ea lege faciunt, vt illi quidem in pronuntianda oratione plena voce canere incipiant: aut hi simul atque scamna transilierint, leuissimis gesticulationibus populum mulceant, sed alij ad inflexiones vocis, alij ad flexus corporum hoc sibi præsidium comparant, ex quo non musici quidem, & saltatores, sed oratores, & palæstritæ, & sunt, & haberi volunt: fac simile tibi proponas in sacris oratoribus, discunt quidem à puero disciplinas quas vos mansuetiores dicitis, non vt apertè plebeijs, vel etiam doctis hominibus hæc obtrudant in pulpitis, quæ, & morosa sunt, & ostentationem habent vanitatis non mediocrem,

Vsus peregrina doctrina.

Simile.

sed vt ijs condimentis aspersa leniter oratio, gratior emanet in publicum.

Itaque, & prudentiores hoc ita sensim, & subtiliter faciunt, vt vix appareat, nisi forte auribus admodum eruditis: At vani, & leues, vel etiam imprudentes nonnihil, dum volunt abundantius infercire, totam orationis grauitatem, suauitatemq; deperdunt.

Simile à Mandragora.

Idem enim in ea re mihi contingere videtur ac Mandragoræ vinique mixturæ: quippe vitibus (vt aiunt) assitus Mandragoras, vim quandam, & suauitatem vino subtiliter instillat, quo fit, vt qui bibunt animaduertant se recenti quodam genere voluptatis delectari, sed vnde sit nesciunt.

At si quis hæc vini, & Mandragoræ vicinia non contentus, succos herbæ illius alioqui mortiferæ calici indere, atque propinare velit, non iam voluptatem, sed detrimentum est allaturus. Sic, qui molliores scientias cum Theologia copulant, delicato quodam, & minime aperto prudentiæ condimento, pectus deliniunt, qui secus faciunt, obtundunt, & nauseam pariunt. Et hæc ars mihi quidem videtur SS. Patrum & aliorum quos tu cumulatè commemorasti Ecclesiasticorum authorum, Moysem, & Iacobum, & Isaiam, & Dauidem, & Paulum, & cæteros eloquentes dicis, & recte quidem dicis, sunt enim, se non eo genere quo vestræ scholæ solent eloquentes appellare, quamquam Demosthenis ac Ciceronis omnia myrotheca superarunt. Atque vtinam hanc eloquentiam magis quam Philostrati alicuius, aut Callistrati, qui iuuenari in Theologicis volunt, imitatentur, minus laboraremus. Vis autem stemus Patrum quam tantopere laudasti eloquentiæ? acta iam res est, talis quippe oratio Christianos decet, non putida, & nitide fluens, & colorata, sed vis quædam ineluctabilis, victrix, triumphatrixque animorum, qua nihil est in rebus humanis imperiosius.

At vos, qui hæc laudatis vestris moribus, & ingenijs semper vtimini, si quando enim vobis res diuinæ tractandæ sunt, tantum abest, vt facultate quadam orationis mediocri fitis contenti, pensiculate soletis cunctas voculas examinare, numeratis apices syllabarum, cauetis ne quid hiulcum, aut prætritum excidat, contumaces syllabas assiduo pumice leuigatis, denique in eam eloquentiam cum vestris phaleris prolapsi estis, vt pudeat vos Dominum Iesum *Saluatorem* appellare. Sordent vobis Ecclesiastica vocabula, quæ iam per tot sæcula à sanctissimis viris sunt vsurpata. Trinitatem, baptismum, & missam quæritis apud Tullium, si non inueniuntur, quidlibet potius per longos verborum circuitus inuenietis, quam sicum sicum, & scapham scaphã, appelletis. Quænam malum est ista eloquentia tam inimica veritati? Quid dicam de tot dictionum figuris minutulis illis quidem, & sæpè nullis, quibus ad nauseam distinguitis orationem, quid de quadrigis albis, vestris, inquam, periodis (sic enim audio iam appellari) fluunt vobis ad numerum erotundati verborum ambitus, scitissimis clausulis comprehensi, quidlibet perpetrandum potius, aut ferendum, quam vna periodus de suo cutriculo excidat. Aliæ alijs ingeruntur totæ ductiles, vel potius è torno recentes, quæ putidam, & anxiam vestram diligentiam vel tacentibus vobis arguunt.

Putida Legenda. eloquentia. quali.

Accedunt tot excursiones, tot descriptiunculæ, tot historiæ, ab extrema sæpe India petitæ, tot ignotæ belluæ, tot flores inuisi, tot gemmæ non magis indigenis, quàm vobis notæ, quæ cum mysterijs nostræ religionis conferuntur, vbique quanto frigore non dico, sed nihil aiunt in Rhodopæis niuibus esse frigidius.

Quid est in Sanctis Patribus simile? quid adulterinum? quid fucatum? quid non ex optima disciplina profectum? obijcies, credo, Theodorerum Græcorum Philosophorum testimonijs, Clementem Alexandrinum, antiquariorum lectissimis obseruationibus esse refertum?

Quomodo à SS. Patribus profana testimonia sint vsurpata.

Enimuerò præclara est obiectio, an si illi qui contra sapientiam Ethnicorum peculiare certamen susceperant, omnia gentilitatis cubilia lustrarunt, & belluam suis eductam latebris sectatoribus ad derisum ostenderunt, vobis idem apud Christianos licebit? Iam mortui Ioues, & Glauci, & Bortumni, filèt Pytagoræ, & Zoroastres, & Democriti, nemo de puluere eorum memoriam excitaturus est, quid habent cum Christianorum pulpitis commune? an quia apud Athenienses paganos homines, & his nutrimentis assuetos Paulus semel dixit Τῶν γένος ἐσμέν.

Ideo cum Christianos alloquemur, licebit poëtarum testimonijs totas infercire paginas, hoc quidem mali moris est, & exempli. Sume in manus homilias Augustini, sume Leonis,

sume

sume Ambrosij, vide qua sanctitate, quàm miti candore, sine fuco, & calamistris tota incedat oratio, vt vetus matrona iam nihil puerile cogitans, cui grauis ipsa simplicitas pro cultu est. Reuocas me ad patres Græcos.

Cur picta nonnumquam hilarius videatur PP. eloquentia.

Nazianzenum obtendis, Basilium, & Chrysostomum, non ero vsquequaque pugnax, & contentiosus, fatendum est enim ab istis multa plerumque dici floridius, sed quo prudentiæ, & sanctitatis condimento, nemo nescit.

Elorebant ijs temporibus, quibus Iulianus Imperator Apostatæ nomine notior, mansuetioribus litteris Christianis interdixerat. Piaculum erat fidelium sobolem in publicas eloquentiæ scholas admittere: Vetabantur litteræ, quas Deus tamen voluerat omnibus esse communes, exagitabantur tota Græcia Christiani, vt magnarum artium imperiti & id quidem non iniquo animo ferebant, sed tamen, vt ostenderent hanc gentilium sapientiam, à se potius contemni, quam ignorari, exorti sunt viri, qui fratrum Christianorum filios erudiendos suo exciperent sinu, qui scriberent orationes paulo hilatiore pictura, qui versus etiam conderent, vt eo spectante, & fremente qui se Dæmonis satellitem præbebat, Christianorum ingeniorum victrix triumpharet eloquentia. Deinde multum referre arbitror, quid & apud quos Sancti Patres dicant, an etiam eodem tenore, & filo dixerint quo scripserunt, valde dubito.

Quædam argumenta tractari volunt amœnius, nonnunquam etiam vt se cumulatiore fructu fastidiosis auribus insinuent; honestum quoddam sumunt aucupium iucunditatis. Quæ dicuntur, naturali fluunt impetu; quæ scribuntur, impensiore cura sæpius elaborantur; Patrum scripta legimus, viuam vocem non audimus. Quanquam & omnia, quæ elucubrarunt monumenta, hanc habent dicendi temperiem, vt nusquam non spirent grauitatem quandam castissimæ maiestatis. Illi, illi sunt igitur vobis imitandi, non lachrymæ Niobes, aut Aiacis furor, Charicleæ suspiria, vel etiam si vultis Plinij iunioris, & Isocratis pigmenta.

Concionis Stylus non debet esse mollis, & puidus.

Bonorum (inquit D. August.) ingeniorum clara est indoles in verbis, differentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea si hoc potest, quando nil quærimus nisi patere, quod clausum est.

Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres, hæ siquidem in lectulis eburneis inter stultas delicias pariebant, illæ in sole, & puluere penè inter ipsa onera partu se leuabant. Nescit tarda molimina Spiritus sanctus, non sunt vt Dionis Prusæi, & Maximi Tyrij Christianorum conciones. Illæ inter delicatorum vmbras putide scribantur, & anxiè, repant in auro, & purpura, comantur, fulgeant, scintillent.

At nos quibus æstus diei, & pondus ferendum est, quibus crux, crux (inquam) prædicanda, quibus, toti perfidiæ criminibus immersi peccatores excitandi, pungendi, fulminandi, quid habemus cum istis delicijs commune? Num satis quotidiana compertum illud habemus experientia, si quando ad istos concionatores, vel declamatores potius, itamus, qui culte, & putidè, & circumspectè loquuntur ad numerum, quæ ex scripto dicerunt, redimus frigidi, quasi à marmorea statua?

Qui posset enim pugnare cum vitijs, qui totus vinctus est, & adstrictus legibus numerosæ orationis? quos impetus, & emissiones habebit, qui ludit in circulis? quam aite vulnus imprimet, qui aureis, & picturatis vtitur iaculis? non venit ad pugnam, ad pompam venit, expectatis vt dimicet? venit vt saltet.

Qui in grauissimis curis, & cogitationibus exsudare debuerat animus, & alarum remigijs in cœlum contendere incluſus fuit, vbinam? pudor est dicere, in patua Isocratis pyxide, quid rum? totus volutatus est in vnguentis: quorsum? vt pugnam aduersus hominum flagitia capesseret? præclara scilicet armatura! Quid postea? descendit in campum, quo exitu? leuissimum vanitatis cymbalum nescio quid tinnulum increpuit, & excessit. Vtinam minus vera dicerem, sed animarum damno experimur, quam minimè fucata sit hæc oratio.

Concionatores molles, & putidi exagitantur.

Nonne grauiora studijs his minutulis nugis obruuntur? num obsessus animus tenetur? num lingua constringitur? num auditores ipsi, qui multi sæpè sunt, hebetes ad istum tinnitum dormiunt? numne, qui improbi, & leues modice titillati, sine fructu animarum discedunt. Venisti in aciem, quorsum? vt luderes, num poteras domi? licebat tibi apud rhetores desidere, & linguam si mauis inaurare, nunc ferrum exerendum est, quid stupes?

amice ad quid venisti, ecce victus penuria, ecce fames, paruuli petunt panem, non est, qui diuidat, tu paleas obtrudis, paleas Ægyptiorum. Venisti in valetudinarium, ille ambitionis, hic auaritiæ, alter luxuriæ, sceleribus, & flagitijs totus coopertus, erosus, purulentus, cœlo, & terris fœtet, vrendus est, secandus est, sanandus est, tu barbiton pulsas, quasi vero his cantilenis possis hæc Dæmonia eijcere: Discedunt illi miseri in suis malis stupidi, & plaudunt tibi quasi concinno admodum oratori, qui non clamosus sis, &, vt aiunt, rabiosus, tu interim dulcem veneni sorbitiunculam ebibis, & te, & alios in discrimen interitus adducis, en quo humanę sapientiæ nimis impensa cura mentes obsessas rapit: deinde hæc non sunt timenda, non sunt increpanda? Audi quibus censuris totam hanc dicendi rationem Orthodoxi Patres condemnent, quādo & eorum testimonijs, quæ tu pro tuo arbitrio interpretatus es, mecum egisti, non ero in ea te nimis tenax, quo minus tibi, & cæteris satisfaciam.

Sozom. li. 1. c. 8. Legisti opinor apud Sozomenum Triphyllium quendam Ledrensium Episcopum ex eo disertorum genere fuisse, qui singularem habent delectum verborum, nec temere quidquā nisi ex castigatis authoribus dicunt, hic verebatur κράββατον dicere, quod verbum nusquam opinor apud Demosthenem legerat, σκιμπόδα igitur appellabat. At generosus ille Spiridion vir antiquæ simplicitatis in amplissimo Episcoporum cœtu delicatum oratorem grabbatum iussit pronunciare, addens eum non esse meliorem, qui grabbatum dixisset, quod eius verbis vti erubesceret, οὐ σύγε ἐφαίνου τὸ κράββατον εἰρηκὼς, ὅτι τὰς αὐτὸ λέξεις ἐκ τῆς ψυχῆς κεκράξῃ, Num verò Paulus prædicationem suam fuisse dicit, *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*, quod & Hieronymus interpretans agnoscit conciones Pauli absque Rhetorici nitore sermonis, & verborum compositione, & eloquij venustate, quanquam absque hoc choragio tonitrua, & fulmina non verba spargere dicitur. Audi quid Athenagoras, quem tu laudasti, de Christianorum dicat eloquentia, οὐ γὰρ λόγους διαμνημονεύσομεν, ἀλλὰ πραξεις ἀγαθὰς, ἐπιδεικνύμεθα. Neque enim orationes compositas recitant, aut annumerant verba, sed actiones & honestas, & virtutum exempla de se præbent. Audi quid suauissimus doctor Cyprianus. *In iudicijs, in concione pro vestris opulenta facundia volubile ambitione iactetur. Cùm de Domino Deo, vox est vocis, pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. Denique aceipe non diserta, sed fortia, nec ad audientia popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate simplicia.* Quid Theodoretus, quàm venustè Græcos irridens, qui se eloquentissimos putant, cum dixerint, μὰ τοὺς θεοὺς μὰ τὸν ἥλιον, exclamat, Ἀλεκτρυόνας σολοικισμοὺς καταλαλύκασι ξυλογισμοὺς, Piscatorum Solœcismi Atticorum vicerunt Syllogismos, ad summum non esse Christianum ostendit, βρενθύεσθαι ἐπὶ τῆς λόγους κομμωτικῇ τέχνῃ πεποικιλμένους.

Cypr. q. 1. ad Donat.

Theod. in not. in mosis.

Quid Arnobius Rhetor alioqui satis phaleratus ingenuè quod est fatetur, nunquam veritas sectata est fucum, neque quod exoratum est, ac certum circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem: collectiones, & enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quæritur assertioni, suspicantes adiuuant, non veritatis lineamenta demonstrant. Hunc eloquentiæ fucum diserte Claudianus Mamertus incipiens vocat, *Spumam puerilium verborum qua imperita aures conspuuntur.* Nazianzenus res Christianas floruisse dicit, cum superflua hæc & verborum, atque arte fucata dicendi ratio, ad diuinas caulas aditum non haberet, idcirco Petrus Damianus diserte monet Bonifacium, *Tu itaque dilectissime, in nostris literis noli prurientem mordacis eloquij sperare salsuginem, noli accurata vrbanitatis quærere venustatem, omina tibi simplicitas placeat, qua ad Deum pronocat: non serpentina calliditas, qua lethale virus instillat.* At D. Hieronymus acerbè queritur, & succenset concionatoribus, qui fucatam eloquentiam inducunt in Ecclesias.

Arnob. adu. gent. li.

Claud. Mamert. de statu animæ

Naz. Or. in laudē Athan.

Petr. Dā. ad Bon. epis. cap. cum. Hier. in prooem. li. 3. in Gal.

Vide etiā Prosp. li. de vita contem. c. 14. & mist. li.

Iam enim in Ecclesia ista quæruntur, omissaque Apostolicorum simplicitate acpuritate verborum, quasi ad Atheneum, & ad auditoria conuenitur, vt oratio artis Rhetoricæ fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæsitura, & in modum Psalterij, & tibiæ dulce canentis

sensus

sensus demulceat audientium, vt verè illud Prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari dicente Domino ad eum, & facta est eis quasi vox citharæ suaue canentis, & bene compositæ, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.

Chrysost. hom. 20. in acta.

Idem carpit Chrysost. & hæc de re dicit subuerti Ecclesias, quod auditores velint audire sermonem non qui compungat, sed qui obiectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione, tanquam citharædis, & cantoribus operam darent, & prauo populi studio concionatores obsequerentur. Demetrius Phalereus (vt Eusebius Pamphilus auctor est) se à Theopompo audisse affirmauit, nonnullos cœpisse quædam ex sactis Hebræorum literis translata, Græcis lenocinijs expolire, eosque repentina conturbatione perculsos Deum orasse, vt scirent, vnde hoc mali contigisset, tũ responsum in somnijs, quia res diuinas fuco eloquentiæ inquinarent. Adde grauissimum Origenis locum Homil. in Iesum Naue. Multus decor est in verbis, & multa in Philosophorum, seu Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hierico, idest, mundi huius homines. Vide ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo: memento quia Iesus anathema iussit esse omne aurum, quod in Hierico fuerit inuentum.

Eusebius lib. 8. de prap. Euang.

Pœna eorum qui scripturæ fuco verborum expolire tentarunt.

Sed quid ego sancta, & diuina commemoro, ipsi qui politicas orationes scribunt, ita plerumque sunt à fuco, phaleris que verborum alieni, vt magis exiles, quam compti videri velint. Philosophi certe antiqui hanc sibi legem dicendi statuerant, vt calamistratam, & ex mellitis verborum contextam globulis orationem, tanquam Philosophiæ grauitati contrariam summopere declinarint; nam vt ait Seneca, *Oratio vultus animi est, si circumtonsa est, & fucata, & manufacta, ostendit illum quoque non esse syncerum, & habere aliquid fracti, non est ornamentum virile concinnitas.* Maneat igitur quod placere sapientibus video, nõ oportere omnino ieiuna esse, & arida, quæ de rebus sacris dicuntur: Neque enim pietas ingenio renunciat, multum tamen opere impendi in verbis non oportet. Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus, concordet sermo cum vita, ille promissum suum impleuit, qui & cum videas illum, & cum audias idem est, vt disserte dixit Seneca.

Senec. epist. 115.

Sunt ista quidem, vt dicis, inquit Lælius, sed quando eo vsque deuenimus, non patiemur te à nobis diuelli, antequam plenius de charactere huius quam quærimus eloquentiæ, & sacri oratoris virtutibus edisseras. At Theophrastus, nihil inquit, blandæ isti vestræ importunitati denegandum est. Itaque si rem non possum, emetiar voluntatem, & id quidem cumulatiore mensura.

Erexerant se omnes ad audiendum cum Neanias gaudio subsilire visus est, & nunc inquit, Mercurij virgulam, vel potius auri venas mihi videor inuenisse, si ex te coram audire licet, quæ flagrantissime semper concupiui. Tum Theophrastus: Quorsum vero, Neania, tanta te huius rei incessit cupiditas. Ego vero (inquit) non cuperem rem plane gloriosam quæ effectura est, *vt mille oculi me loquentem spectent*, mille aures ex meo ore pendeant, quæ parat simul, & tuetur amicitias, asciscit homines, totas vrbes, & prouincias amplectitur; non cuperem ego rem, qua nihil ad vtilitatem commodius, vel ad dignitatem amplius in literis humanis video. Ad hæc Theophrastus generosa vt solebat indignatione exclamauit, *O curua in terras animæ!* Tu igitur concionatorem tibi fingis quasi aliquem ex minutis caufidicis, qui vænetur rumusculos, qui ventiletur in concionibus, qui leges vendat, lucrosam denique, & sanguinariam exerceat eloquentiam: Præclara scilicet species concionatoris, quem ament boni, timeant improbi, honestet Deus, ipsi reuereantur Angeli, dignus plane agonista, qui erucem ferat, qui frementis in se mundi pondus excipiat, qui intercedat iniquitatibus hominum, infectum reddat quidquid fieri non oportuit, velocissimi sideris more vtrumque orbem lustret, qui cum squallore, inedia, & ærumnis luctetur, ad summum suo cruore cum opus fuerit fidem sanciat. Ego (adolescentes) optimum concionatorem duabus maxime rebus niti existimo, virtute & sapientia, quod cum parum considerate nonnulli perpendant, ab ipso impingunt limine, & toti deinde grauissimis merguntur erroribus.

Concionatoris optimi labores.

Videre enim licet istos leuiculos declamatores, quos pruritus ambitionis propellit in pulpita, quid putas eos sibi animo fingere, aut moliri? nati sunt ad concionatorum munus, vt boues ad clitellas, aut ad sambucam colones, quippe ætate adolescentuli, & grauissi-

Concionatores luxesexagitantur.

uissimarum curarum expertes, intra lusus, deliciasq; nutriti, si ab incude doctoris vmbratilis adhuc recentes duas aut tres descriptiunculas, & totidem conquestiones, aut miserationes didicerint, statim inuolant in onus ipsis Angelorum humeris formidandum. Tum eunt in syluam allegoriarum, sine delectu folia colligunt, locos communes deuorant, & si quid ex Ouidij Metamorphosi, aut antiquorum Romanorum rebus gestis ad fidei nostræ sacramenta detortum est, hoc pro anemonis habetur, succedunt margaritæ Gallicæ, quæ molles, & pellucidas orationis fimbrias scintillantibus radiis interstinguunt, modo aliquot Scripturæ locis leuiter sint aspersæ, pro optima Theologia venditantur. Biblia scilicet euoluere, SS. Patres legere, Oecumenicorum conciliorum sancita, & canones inuestigare, frigidorum est, & otiosorum hominum: Num longe mollius est iter recentium aliquot concionatorum libros compilare, in quibus mirifici sensus, & ex angustiore Caballistarum sacratio petitæ commentationes, quæ cum dicuntur, oracula non voces humanæ fundi videntur. Hinc hominum admiratio, doctrinæ opinio, & imperitorum stupor. At si in bibliis, aut Patribus terendis consenescas, quid aliud habebis, quam communis doctrinæ choragium, quod millies ante te alij dixerint, num vides nouitatis desiderio prurire omnium auriculas, & doctos homines esse permultos qui expectent arcana? Tu si vulgaria dixeris, solitudinem facies, & vastitatem.

His delinimentis in fraudem inducuntur miseri, & peregrina nescio quæ, quam auidissime conquirunt, vt fastidiosas aures mulceant. Non vacat tunc cum Deo meditari quid dicant, non est commodum cogitare, quomodo se in exemplar probitatis, & sanctimoniæ conforment, quomodo vitiis hominum medeantur, quomodo consulant pauperibus, quomodo ad virtutis amorem suos auditores pelliciant. Hæc enim antiqua sunt, & exoleta, student sapientiæ, exspoliant vellus aureum, mox quæ vanissime dixerunt, turpiter obtrudunt, & alij quidem pecunia, alij quod leuius est gloriolarum fumo, quasi in nundinis mancipant non dicam verbum Dei, non enim prædicant, sed animam suam, quam his artibus Dæmon licitatur.

Tum si steterit fabula, & secundo cursu fluxerint conciones, remissius viuunt ac mollius, & curis quidem abdicatis inferunt se ludibundi hominum circulis, res ciuiles tractant, publicis epulis lubenter interfunt, hic quidquid habent authoritatis, naufraga iam virtute deperdunt in scurrilibus.

Agedum expecta, vt illis messes aureæ veniant in sinum, vt Christo lucrentur animas, vt cœlo manipulos inferant, vt ignem spargant Christianorum mentibus, qui sunt in diuinis Scythica hyeme frigidiores. Hæc dico, non vt insultem, aut nostri sæculi penuriam accusem, quod sane ex omnibus Ecclesiasticorum ordinibus generosissimos habet concionatores, sed pono in conspectu, quæ possunt euenire, & procul dubio multis euenneunt, quorum funestis exemplis sapere debent adolescentes.

Qualem igitur omissis aliorum vitiis concionatorem velim quæritis? Is primum mihi quasi alter Samuel adolescat in sacrario, vt à teneris vnguibus discat esse, *Vir orationis, priusquam erexerat proferentem linguam ad Deum, leuet animam sitientem*, vt ait S. Augustinus, l. 4. De Doctrina Christiana, cap. 14. Assuescat orationes ponere cum Deo, voluntatem Domini exquirere, ab eo rerum gerendarum consilia capere, pro bene gestis gratias agere, ad aram recurrere, illic omnes coronas suas appendere. *Tanti sunt enim homines, quantus eos cœlestis spiritus intrarit habitator.* Audimus in Sacris Samuelem, vel Iuuenem tantæ fuisse authoritatis, *Vt non caderet ex omnibus verbis eius in terram.* Vnde tanta vis, & gratia sermonis? nisi quia dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei, noctes diesque totus in precibus, ex quo sibi singularem quandam cum Deo vnionem comparauit, quæ dictis eius robur, & maiestatem conferebat. Sume verba vt humana sunt, quid aliud sunt, quam aura, & ventus? At Deus, qui vt apud Iobum scriptum est, facit ventis pondus, vim quandam, & aculeos imprimit, vt pectus audientium salubriter feriant: Nec immerito diuinus ille Isaias ne hoc magisterio gloriatur. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.*

Boni concionatoris typus.

Reg. 1. c. 3.

Isaiæ 50. v. 4.

Magnus Doctor, fœlix disciplina, ex eo fonte proficiscuntur clarissimæ virtutes, & sacro oratori quam necessariæ, humilitas, & contemptus rerum humanarum, ardentissima in Deum, & proximos charitas, in dictis factisq;

Humilitas ctisque robur, & constantia. Necessaria est, inquam, concionatori profunda sui demissio, quia cum multa extollere soleant animos, tum nihil doctrinæ, & eloquentiæ opinione ad ingenerandam, vel roborandam superbiam arbitror esse subtilius: Nam pulchritudinem, spes, opesque humanas sæpe sorti tribuimus, ingenij bona nostra esse facilius credimus, quæ quo magis publicam lucem ferunt, & assentatores, atque etiam admiratores habent permultos, eo promptius improuidis mentibus instillant venenum ambitiones. Dulce videtur, & decorum in amplissimo hominum cœtu vnum assurgere, in vnum omnium oculos esse defixos, cũ verba, *hibernis niuibus similia* profundere, audientes intimis sensibus affici, pro eius arbitrio dolere, irasci, indignari, gaudere, placari, sperare, diffidere, in omnes partes versari, ad summũ gloriosum censetur esse, (quod ille dixit.)

Torrentem, & magni moderantem frana theatri.

Quæ nisi omnia patri luminum accepta referantur, sui impotentes animos vanitate distendunt. Itaque leues, & improbi facile numinis obliti, in profusum sui amorem, communem ingeniorum pestem prolabuntur. At egregiæ mentes, quæ à tenero præalta humilitatis iecerunt fundamenta, peruident ea, quæ tanti ab hominibus æstimantur esse parua, deinde etiam non sua, quo fit, vt rerum creatori quàm largissimè refundant omnia. Solent autem has honoris vmbras, & quisquilias humanas vilium ministeriorum exercitatione voluntaria pensare, vt quoties aliquod quod hominibus videtur esse præcelsum contigerit, toties se vltro abijciant ad infima, quibus maiorem indies gratiarum affluentiam experiuntur.

Quod si quando nihil opus sit, ornamenta quæ ipsis Deus plena (quod aiunt) indidit manu, in lucem oculosque mortalium expromere, in sua se testa continent, dulci propriarum virtutum succo victitant, & quod est apud Iobũ, *Claudunt stellas, sub signaculo*, quid enim aliud sunt quam stellæ tot eximiarũ virtutum lumina, quibus animus collucet sed eorum signaculum & sera, & ianitrix est humilitas, quantum potest intus claudit, ne dulcissima humanarum laudum furta subrepant; At si Charitas regina virtutum ad proximorum salutem iubeat opes Dei veluti annulo consignatas explicari, tum humilitas quamquam ægrè, & verecundè dat manus.

Iob. c. 9.

Feruet tunc zelus animarum, quæ præclarissima nota est Euangelici concionatoris, animas inquam fratrum diligit, *Christi domini peculium*, pro quibus fieri cupit anathema. Omnes in eo defigit curas, & cogitationes, vt alias pelliciat, alias firmet, alias ex orci faucibus eripiat, quærit in compitis, quærit in carceribus, quærit in xenodochijs, nunc in publica luce, & hominum frequentia concionatur, nũc pagos, & solitudines lustrat, vt miseram aliquam ouiculam errantem suis ipse humeris reportet ad gregem. Quacunque proficiscitur, ignem spargit, & faces, omnes omnium mentes amore creatoris incendit, & illas quidem parturit, illas lactat, illas educando promouet in firmitatem, & robur adolescentiæ, alias educatas, & roboratas exquisitis vestit ornamentis, omnes fouet, omnes amplectitur, omnes in Domini Iesu cupit visceribus, omnia omnibus factus in eius imitationem, qui factus est pro nobis, *In similitudinem carnis peccati.*

Zelus animarum.

Atque cum in dies beatis vlnis aureos manipulos in patrisfamilias horreum congerat, nihil dum sibi fecisse videtur, vltimos barbarorum tractus, & nouos mundos cogitat, quibus Euangelij lucem inferat, & si qua inibi cum extremis ærumnis colluctandum, hoc suas rosas æstimat. Deus noster ignis est comburens, & ministros cupit igneos, recte selenites lapis ortus à luna impressam retinet lunæ effigiem, & ipsæ apes quæ ex Tauri cadauere emergunt Taurini capitis imagunculam delicatissimis (vt aiunt) lineis inustam gerunt in visceribus: Sic ab illo igne producti concionatores ignem retinent in pectore, & per omnes terrarum plagas diffundũt. Hęc eximiæ charitatis exempla in beato Patre Ignatio ad viuum expressa licet intueri. Nomen eius erat ab igne, ignei, & celeres virtutis motus fuerunt, ecce tibi à castris transit ad Dei militiam quis ardor in ipsis instituti incunabulis, qui ignes Manrezæ qui in Monte Sarrato fuerunt? Incendit. Hispaniam penetrat in Galliam, horribilibus circumuallata custodijs Turcarum regna charitate complectitur, peragrat Syriam, inflammat Italiam, instruit Belgium, munit Germaniam, vltimas meditatur Orientis regiones, quod pedibus non potest conficere, capit affectu. Quid dicam de eiusdem socio Beato Xauerio, non insani montes, non turbulentissimæ tempestates, non

maria, non monstra, non æternus infensarum plagarum rigor, non incultorum tractuum squallor, nulla cœli, aut soli, tam sæua, & truculenta facies, nullus, aut ærumnarum, aut seruitutis, aut crudelissimæ mortis metus incitatum semel à Deo industriæ cursum retardare potuerunt. Hoc zelo si qui ducuntur concionatores, non est quod diu & solliciтè quærant verba, quibus loquantur. Nam calculus ille ignitus de altari sumptus, quo vnus ex Seraphim Isaiæ labia purgauit, eorundem linguam præparat, & accendit, vt loquantur ignes & fulmina. *Isai. 6.*

Accedat autem oportet ad charitatem fortitudo, quæ à Diuo Ambrosio cum Tygri fluuio comparatur, qui paradisum deliciarum Dei perennibus aquis irrigat, atque vt iste fluuiorum omnium velocissimus sonitu magno, cursuque fertur, sic illa mirabili pernicitate in Dei voluntatem rapitur, & obstantia quæque proruit, atque demolitur, serpit autem duobus veluti brachijs impetens, atque complectens omnia. Primùm enim vbi animum concionatoris inuasit, partem illam inferiorem, quam sensum appellant, cæcam, impotentem, muliebrem, rationique consilioque inimicam, comprimit, fingit, componit, ad suum arbitrium versat, & flectit in quamcunque partem Dei imperia propenderint. *Fortitudo & const.* *Paulò aliter Philo in alleg. leg. p. 9. edit. Col.*

Cauet maximè ne libidò molliat, ne fulgor honorum perstringat, ne ad reculas humanas deprimat auaritia, mox hominem ita confirmatum instigat, vt manum mittat ad fortia, vt in agro Domini quicunque obtigerit excolendo generosè, & patienter desudet, ne frangatur laboribus, ne conniueat in flagitijs, ne blanditijs cedat, ne terreatur minis, ne potentiorum libidini seruiliter ancilletur, sed pro fide, & iustitia, pro domo Dei, pro Ecclesiæ libertate stet quasi murus adamãtinus, cui Deus dicat per Hieremiam: *Dedi te in ciuitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram*, sæuiant licet grandines, voluantur fluctus, præcipitentur torrentes, in perpetuo sereno erit, hoc aduersus eum poterunt calamitates, quod aduersus solem nebulæ. Hæc autem heroicarum virtutum ornamenta, non statim perducuntur ad culmen, sed diutinis excoluntur vitæ laboribus, quanquam semina quędam eorum animis, quos ad id muneris vocauit Deus à teneris insperså licet agnoscere.

Soror virtutis quam in concionatore requirimus, est sapientia, multiplex scilicet rerum tum diuinarum, tum humanarum scientia: in hac enim parte Logodædalo lubens, volensque assentior. Neque ego is sum, qui humanas scientias suaui prudentiæ temperamento conditas repudiari velim, quas sanctissimi Patres suo calculo probauerunt. Tradantur sanè pueri Grammaticis, vt tenera dedolentur ingenia, imbuantur ab optimis Rhetoribus, à quibus dici non potest, quantum gratiæ & floris emanet in studia, quæ omninò muta essent & inanima, nisi eis eloquentiæ inspiraret; Terantur etiam castiores Poetæ, à quibus, vt ait Theophrastus, sublimitas in verbis, decor in personis, motus in affectibus, & quod animorum conciliatricula res est, illecebrosa quædam iucunditas peti solet. Excurrantur demum stadia Philosophiæ, edisсantur aculeati Dialecticorum lusus, & rerum naturalium multiplici causarum nexu conuoluta series, & quicquid supra naturam ad causarum fontem, & principium propius accedit. *Concion. sapient.* *Clem. Alex. Strom. l. 1. eos qui cũ nullam artem attigerint se ingeniosos putant.* *comparat cum illu qui cum nullam vitem cernit, tollit borrum accipit.*

Voliret ingenij vigore inclyta per illam antiquorum Encyclopædiam adolescentia, non abnuo, non veto, sed ea lege, ne sibi istos scientiæ terminos ad concionandum præfixos putet, ne pro Estere pediseguas, capiat, & quod mantissæ (vt ita dicam) loco nonnunquam adhibendum est, id pro solido ingerendum putet. Addo etiam historiæ, rerumq; ciuilium, negotiorum, contractuum, consuetudinumque prouinciarum, non imperitum esse debere concionatorem, ne in corrigendis hominum moribus, quod sæpè fit, harum rerum ignoratio titubare faciat, sed hæc notitia ad rerum cœlestium fructum syncero pectore dirigenda est, quod disertè Chrysostomus docuit verbis istis,, cum dixit sacerdotem longè aliter quàm monachum, τὴν ἐπιστήμην ἅπασαν τοῖς τῆς ψυχῆς θησαυροῖς κειμένην ἔχειν, hoc est, omnem omnium rerum scientiam in thesauris ingenij repositam habere, eundemque prudentem, & varium esse oportere, vt sæcularia non minus noscat, quam norunt ij, qui in media hominum turba versantur, rursus harum curarum expers viuat, vt monachi, qui in montibus & latebris sibi domicilia constituerunt. Et hæc quidem ad integram muneris perfectionem, velut ornamenta concurrunt. *Chrys. lib. de sacerd.*

Alia

Concionatoris propria doctrina.

Alia sunt concionatoris magis propria, quænam illa? dices, primum scholasticæ Theologiæ cognitio, vos forte Theologiam, quæ in disserendi subtilitate versatur diceretis, sed malo rem proprijs verbis designare. Non est nouum scholasticorum nomen, quippe apud Senecam, Bedam, & Gennadium, scholasticos appellari nouimus scholasticæ eloquentię, siue declamatoriæ professores, ad quos alludens Hieronymus scholasticos flores, & scholasticam eloquentiam nominat eam, quæ Rhetorum floret pigmentis. Vt igitur scholastici Rhetores dicti, qui in scholis, & Athenæis tũ præceptis eloquentiæ, tum progymnasmatis insistentes, pictum quoddam, & flores dicendi genus sdquuti sunt: Sic scholastici Theologi, qui certiore quadam methodo, & rationibus imprimis ex diuina scriptura, ac traditionibus, seu decretis Patrum in concilijs definitis, veritatem quæstionum subtilius discutiunt. Deus enim (quod præclare à D. Augustino dictum est)

Scholastica vtilitas Senec. l. 10 contr. Beda de arte metrica Gennad. in vita Iulia. Capuani.

August. ad Volusian. ep. 3.

Pleraque ex diuinis literis in apertissima luce posuit, vt inde pasceremur, & famem pelleremus, alia vtilissimis obscuritatibus inuoluit, vt ijs sine vlla satietate ingenij solertiam exerceremus.

Hæc agitant scholastici viri plane subtiles, & ad examinanda singularum rerum momenta perspicacissimi, quorum præceptis, qui non fuerit expolitus, eum sæpe titubare, & labi, & falli in Theologicis necesse est. Prosunt omnino concioni, vt nerui corpori, sac corpus sine neruis, quid aliud erit, quam moles stupea? Fac totum ex neruis sine succo, & carne, & colore, & sanguine, quid erit aliud, quam teter, & exilis scelestus? sic qui sine ope scholasticæ Theologiæ egregios concionatores se futuros putant, neruos succidunt orationum. Qui verò calentibus adhuc studijs implexas, & spinosas Theologiæ difficultates sine coloribus oratorijs, & quasi quadam veste sermonis ingerunt, lineamenta duntaxat euanida, sine vlla corporis specie deformant.

Vsus scholastica.

Quas ob res egregia quadam facultate præditi mihi semper visi sunt illi, qui scholasticam cum oratoria sine vtriusque dispendio norunt contemperare. Vt enim nihil est puerilius, quam cum dicendi campus alta quędam ex Theologorum petita fontibus desiderat, reddundanti verborum luxuria farcire concionem: sic importuna quadam, & rudi, & indigesta scholastica nihil arbitror, aut frigidius, aut miserabilius.

Habet cum sacris concionibus magis quotidianum commercium scriptura, qua nihil ad maiestatẽ excelsius, aut ad vim efficacius, aut ad omnem copiam vberius reperiri potest: Mare profecto est illud magnum, quod nunquam exarescit, sed nouis subinde influentium vndique rerum incrementis, quasi perpetuis riuis, & fluminibus in immensum fœcundatur, vnde Augustinus exclamat.

Scripturæ.

Mira eloquiorum tuorum profunditas est, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.

Aug. l. 12. confeß. c. 14.

Et vbinam gentium maius ad omnem doctrinam præsidium concionator inuenturus est? Si Physica quæritur, num hic rerum omnium caussæ sunt in Deo? si Ethica? num bonorum morum lex est, & officina? si Logica? num veritas est, & lumen mentis? si Iurisprudentia? num sapientiæ, & æquitatis sacrarium? si ipsa facultas oratoria? num magnorum sensuum, & acutissimarum complexionum mater est? Quamobrem præclare Tertullianus spectaculorum amatoribus obijcit *sacras litteras grande spectaculum*, & omnium rerum opulentia, atque varietate refertum. Si scientiæ, inquit, doctrinæ delectant, satis est nobis litterarum, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum, nec fabulæ, sed veritates, nec strophæ, sed simplicitates. Vis pugillatus, & luctatus? præsto sunt non paria, sed multa, aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sæuitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia obumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur: Accedit quod eius fructus, non vnius duntaxat sint tempestatis, sed omnium temporum, neque tantum ad esum, sed ad medelam, quo fit, vt recte cum illa arbore Apocalypsis comparetur, de qua dixit spiritus veritatis.

Tertull. l. de spectaculis.

Et ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.

Quisquis igitur serio concionari volet, scripturam, longe aliter, quam ille Macedo Homeri Iliadem, non in pretiosissimo scrinio, sed

in ipsis gerat medullis, ac visceribus, & quoties ab ea deflexerit, *toties se extra elementum suum peregrinari existimet.* Quod certe studium insigni figura commendare voluit Deus, cum Ezechielem ad prædicandum mittens, *fili hominis* (ait) *comede volumen istud*, vbi Hieronymus, nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel. Porrò, ad sacrarum literarum lectionem, caute, & reuerenter aggrediendum est, neque enim existimandum cum Ciceronem, & Virgilium sine interprete legere tyronibus religio sit, licere vnicuique illotis, quod aiunt, manibus tanta tractare mysteria, & diserte quidem in ea re prælucent sanctorum Patrum interpretationes, quas instar micantium stellarum præpotens Deus in hoc Ecclesiæ firmamento defixit. Quæ ad historiam Hebræam, & Græcam attinent, discimus ex Hieronymo: Allegorias, sensusque anagogicos recludunt Origenes, & Ambrosius. Aptas ad instituendos hominum mores sententias deducunt Gregorius, & Chrysostomus; locis obscuris, & perplexis difficultatibus impeditis, Augustinus præfert facem: Breuem, & facilem interpretationem subijcit Lyranus tyronibus non contemnendus. Omitto Tychonij Afri volumen isagogicum, & Martinij Hypotiposes, quæ canones, & regulas ad varios scripturarum sensus eliciendos tradunt, & tot veteres, nouosque interpretes, quorum Catalogum apud Bellarminum, & Posseuinum licet videre. His ergo ducibus facilior sternetur via, ad sacrorum oraculorum intelligentiam, quorum immensa solet esse profunditas.

Hierony. in Ezech.

Interpretes scripturæ, qui legendi.

Regulæ Tychonij explicãtur à D. Aug. l. 3. de doctrina Christ. c. 30. tom. 3.

Atque cum multa ex Ecclesiastica historia pendeant ad sensus præsertim litteralis rationem dignoscendam, ea non impigre legenda est, quam Baronius omni laude maior omnium locupletissime digessit. Annotandi præterea in aduersarijs loci communes, ex ijs, quæ quotidianis teruntur lectionibus, siue ad docendum aliquod dogma, siue ad confutandos errores, siue ad morum, & vitæ institutionem, siue ad virtutes inflammandas, siue ad peccata redarguenda, & cætera huiusmodi. Quamuis enim omnia nunc istis syluis, & collectaneis affluere videantur, tamen quod quisque sibi priuato labore delegit, & meditatus est, hoc magis putat suum, hoc securius profert, & vtilius.

Historiæ Ecclesiast. cognitio.

Hic non segniter videtur inculcandum Hebraicarum literarum studium, quarum vim, pulchritudinemque demiratus Amelius scriptor Græcus Plotini discipulus, fateri cogitur, in Hebræa lingua, quam barbaram Græcorum more appellat: permagnam esse emphasim, breuitatem, perspicuitatem, minus quidem varietatis, quam in Græca, sed minus ambiguitatis, eius autem verba, quia rara sunt, testimonia subijciam ἔχει δὲ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, ἀμφιβολίας τε ἐλάττονος μετέσχηκε, καὶ ποικιλίας, καὶ τοῦ πλήθους τῶν λέξεων.

Hebraicæ linguæ studium.

Amelij Philosophi Græci de lingua Hebræa iudicium.

Quamobrem, vt nummi præstantiores censentur, qui mole exigui, maiorem pecuniæ summam complectuntur, sic omnium præclarissima, vel eo titulo dicenda est lingua Hebræa, quæ tanta vocabulorum raritate, tot rerum pondera comprehendit. Antonius Posseuinus noster, vir acerrimi iudicij, prudẽtissimique consilij in libro secundo bibliothecæ, vbi de studio diuinæ scripturæ tractat diffusius, Hebraicam linguam commendat his verbis. Ortam cum hominis creatione Hebraicam linguam fuisse, atque adeo institutam, qua præcipue mysteria diuinæ sapientiæ exponerentur certissimum est: *In ea vero esse tot sacramenta, quot sunt litteræ, tot mysteria, quot puncta, tot arcana, quot apices*, est quoque verissimum, vt non immerito ipsa veritas dixerit, non præteriturum à lege vnum iota, aut vnum apicem donec omnia fierent: Itaque & iure vocata est sancta, quandoquidem mysteria omnia sanctissimæ Trinitatis nomenque ipsum Dei ineffabile, cæteraque ad sanctificandas animas in ea continentur, tanquam in abysso profunda secretorum, quæ nunquam possit exhauriri.

Ea quoque potissimæ, ac nobilissimæ partes vniuersi, quæ conspici possunt, sua quæque primum nomina sortitæ sunt, qualia cœlum, terra, mare, lux, nox, quæ & hominibus ipsis imposita nomina complexa est: Quorum significatio totidem elementis, eodemque singularum partium pondere constans, in alijs linguis non est. Præterea nullum idioma, vel pronunciationis integritate gratius, vel simplicium verborum gratia vberius, quæ significatione ipsa, aut significandi modis distinctius esse intelligunt ij, qui hanc linguam didicerunt. Hæc ille. Adde quod Haymo in 1. ad Corinth. 13. Hebræam linguam Angelicam nominari ab Apostolo dicat, quod

Haymo in Corinth.

quod eius vsus proprie in cœlo futurus sit post resurrectionem, cui assentiuntur Remigius Viualdus, Ioannes Cardinalis, Viguerius, & alij.

Quod si obijcias viros sanctos, & excellentes Theologos, puta D. Bernardum, & D. Thomam, hoc studio caruisse, respondet minus forte fuisse necessarium, ijs temporibus, quibus erat *vnum fidei labium* in vniuersa Europa: Nunc autem in tanta Hæreticorum perfidia, & calliditate, quæ potest esse cunctatio? Itaque D. Augustinus, & cæteri Patres, quod ipsi fortasse rerum, & occupationum pondere oppressi præstare non potuerunt, hoc aliis vt faciant, suadent, vel si minus possint, ad eos, qui fuerint peritiores huius linguæ, & in fide Catholica sani, quam diligentissime recurrant. Nec minus excolenda Græca est, vt noui testamenti, vt septuaginta Interpretum, & Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis, maximè verò Græcorum Patrum intelligentiam assequamur, non quod velim concionem Hebraismis, atque Hellenismis frequentibus intingi: est enim apud populares aures odiosum, verum extra conciones sacro oratori sæpius cum doctis hominibus agendum est, disserendum, concertandum, quo linguarum præsidio, nisi tunc armatus fuerit, aut inscitiam suam fateatur, aut temeritatem prodat necesse est. Quamobrem linguarum studium iuuenibus summopere videtur excolendum, cauendumque ne in Hebræis vana quadam difficultatis opinione quasi *Taraxippo* in ipsis primordijs hebescant. Non est ea linguæ, quæ putatur, austeritas, nihil conanti difficile, modico tantum in ipso limine labore opus est, exorbenda literarum, & coniugationum elementa, maxime ex Bellarmini institutionibus, quæ cæteris methodo, & claritate præluceant, mox eiusdem expositio in psalmum trigesimum tertium aggredienda, author cum præceptis Grammaticæ coniungendus. Ita quicquid operosæ videtur difficultatis plenum, subito defringetur, & legentibus mirabilis occurret suauitas, *Qui nucleum esse vult, quod est in vetere prouerbio, frangit nucem.*

Lingua Græca studium.

Neque aliam fermè ob caussam, quam ob quotidianas, partim in concionibus, partim extra conciones cum omni genere hominum congressiones, oportet controuersiarum, & Conciliorum, & Canonum, & practicæ Theologiæ, quam casus conscientiæ appellamus, concionatorem esse peritissimum, hæc enim omnia ad scripturam referuntur, & communi quodam vinculo inter se complexa continentur.

Conformatio concionis.

Hac vbi Panoplia fuerit instructus concionator, iam ad concionem descendat. In qua constituenda duo specta, materiam, & formam. Materiam appello argumenta quæ in concionibus tractari solent; formam ipsorum commodam tractationem. Rursus materia alia prima est, alia secunda: prima thema est ex sacra scriptura, quod ad dicendum proponitur, & licet illud quidem videatur in promptu esse, tamen non minimæ est prudentiæ, ea seligere, quæ rebus, locis, temporibus conueniant, quæstiones altas, subtiles, ambiguas, controuersas, vbi nihil opus est amputare, contra, ea quæ ad mores instituendos potissimum faciant, & præclaram habeant moratæ speciem eruditionis arripere; In quo certè prudentes viros magnum delectum, & iudicium adhibere video. Porrò scripturæ themata, alia sunt exornatiua, vt quæ ad Beatæ Virginis, & Sanctorum laudem attinent, alia adhortatoria, in quibus magna pars concionum est collocata, vt quæ ad pœnitentiam, charitatem, patientiam, & similes virtutes adhortantur. Alia sunt in eodem genere reprehensoria, vt quæ in corrigendis hominum vitijs versantur, qualia sæpè sunt Prophetarum oracula, cum improbis cœlestes minas intentant. Alia consolatoria, vt quæ ad pusillanimes, & abiectos recreandos, permulcendas humanæ vitæ miserias, & spem in Deum excitandam potentissima sunt. Alia didascalica, vt quæ in quæstionibus explicandis desudant, quæ agunt de fide, purgatorio, visione Dei, &c. Alia ab hac sublimitate paulò demissiora, & magis familiaria vocantur institutiua, quæ in formanda vitæ disciplina, & tradendis præceptis sunt occupata, qualis est Clementis Alexandri Pædagogus. Alia denique mixta, quæ variorum generum suauem quandam temperiem complexa sunt, & hæc quidem longè probatiora, nam in vno genere tota concione versari plus habet aliquando tædij, minus vtilitatis.

Materia delectus.

Themata varietas.

Materia secunda continet argumenta, & probationes, quæ ad illustrandum thema propositum afferuntur. Petuntur autem ex locis partim communibus, partim etiam proprijs, loci communes illi sunt, de quibus li-

Loci communes.

bro 4. diſſeruimus, definitio partium enumeratio, genera, cauſſæ, effecta, adiuncta, & cætera, quæ non minus ad ſacram, quam profanam Rhetoricam attinent. Loci Theologorum magis proprij ſunt, ſcriptura, traditiones, Eccleſiæ vniuerſalis auctoritas, ſacrorum Conciliorum decreta, ſanctorum Patrum, & aliorum ſanctorum interpretum commentationes, ius Canonicum, hiſtoricorum Eccleſiaſticorum recenſita, & quæ ex ijs fluunt argumentis reuelationes, promiſſiones, comminationes, vaticinia, figuræ, allegoriæ, parabolæ, ſacramenta, ceremoniæ, quæque magis ſingularia ſunt ſumpta ex prædeſtinatione, prouidentia Dei, iuſtitia, bonitate, amore, cuiuſmodi ſunt illuſtratio nominis Dei, gloria Chriſti, voluntas, & præcepta diuina, Angelorum cuſtodia, orationes Sanctorum, virtutis ſplendor, peccati turpitudo, magnitudo præmiorum, ac pœnarum, conſuetudo, & experientia rerum, naturæ dictamen, conſcientiæ teſtimonium, Eccleſiæ vtilitas, proximorum ædificatio, & offenſio, miracula, conſolationis ſpiritus, remedia ſacramentorum, humanæ vitæ miſeria, vanitas, ac breuitas, mors certa, & incertum eius tempus, hoſtium noſtrorum aſtutia, mundi peruerſitas, & ſimilia, quibus patce nonnulla ex humaniorum literarum officina poterunt interſeri. Atque vt in ſumma complectantur omnia, totam penè rerum, & argumentorum ſuam ſcriptura, Patres, & ratio ſuppeditant. Cum autem in ſacris litteris duplex ſit ſenſus, vnus litteralis, alter myſticus, qui in allegoricum, tropilogicum, & anagogicum ſubdiuiditur, Litteralis maxime placet doctis, & hiſtoricis hominibus; Myſticus, ſiue ſpiritualis diffuſior eſt, & populatibns ſæpe auribus iucundior: quanquam in eo tenendus eſt modus, ne inſana figurarum dulcedo, nos à corporibus ad vmbras vſquequaque traducat. Quo in genere ſæpe errarunt Philo Iudæus, & Origenes, qui ingenij ſui acumina putarunt eſſe ſacramenta, & quæ ſimplici ſenſu erant interpretanda, in varias allegoriarum picturas detorſerunt. Quapropter allegoricas expoſitiones, vt notat Euthymius perſæpe afferre docti negligunt, quod hi ſenſus facile deſtruantur, & multis ſint ingrati, quid ille dixiſſet, ſi recentiorum quorundam frigidas parabolas legiſſet, qui non verentur *Lectum generationis* Deiparam Virginem dicere, tres panes ab amico erogatas Lucæ 1. Patrem, Filiam, & Spiritum ſanctum: nauiculam, quam aſcendit Chriſtus Matth. 6. pœnitentiam: quinq; panes, quinq; libros Moyſis, & duos piſces, humanitatem, & diuinitatem Chriſti. Hæc dicerentur, ſi vena vlla generoſi ſpiritus in nobis reſideret? Quod vero ad ſanctorum Patrum attinet teſtimonia, nec iſta viderentur temerè in concionibus coacernanda, quod plerique faciunt, qui ſe pulchros, & beatos putant, ſi vel ad doctrinæ oſtentationem, vel ad memoriæ miraculum alia alijs ingerant, & in vernacula concione, nihil niſi peregrinam linguam ſonent. Quanto prudentius eſt eorum conſilium, qui ſi quæ ſunt è Patribus minus ſpecioſa, vulgari lingua pertexunt, additis tantum vocabulis, in quibus maior vis ineſt, aut gratia, ſic enim, & memoriæ ſubſidium, & temporis paratur lucrum. Iam vero non in rationibus, quæ ingenij ſolertia inueniuntur, multum valent definitiones, & cauſſæ, & effecta, & adiuncta, & partes: flos autem, & pulchritudo ab eximijs ſimilibus in totum corpus orationis emanat.

Loci Theologici.

Duplex ſenſus ſcripturarum.

Euthym. in Pſ. 150.

Allegoria vitioſa.

Teſtimonia SS. Patrum cum moderatione proferenda.

Forma concionum non eſt vna, ſed pro locorum, temporum, perſonarum, argumentorum denique ipſorum varietate, in varias tribuitur partes. Imperitus eſt concionator, qui eandem crepidam omnium pedibus conatur induere, videndum eſt, quid cuiuſque aures ferant, quid palatum expetat, ſed maxime, quid ſalutem vniuerſorum conducat. Rurſus ex materia alia ſubinde formarum conſurgit diuerſitas, aliter enim tractatur exornatiuum genus, aliter didaſcalicum, aliter adhortatorium. Exornatiuum plus ex ſua natura floris expetit & facundiæ, licet enim omnis, quæ de rebus diuinis habetur oratio plus olere debeat grauitatis, & ſanctimoniæ, quam artis, & curæ, tamen fieri non poteſt, quin in iſtis ſpecioſis argumentis, qualia ſunt, aut Chriſti natiuitas, aut B. Virginis encomia, aut Sanctorum laudes, multa liquidius, & ornatius effluant. Quis enim in illa laudatione Agnetis, quæ eſt apud D. Ambroſium, & acumina, & flores eloquentiæ ſingulares non agnoſcit, *nomen virginis titulus eſt pudoris.* Appellabo martyrem, prædicaui ſatis, proſixa laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur. Faceſſant igitur ingenia, eloquentia conticeſcat, vox vna præconium eſt. Hanc ſenes, hanc iuuenes, hanc pueri canant.

Forma & character concionis.

Exornatiua floribus tractanda.

Nemo eſt laudabilior, quam qui ab omnibus laudari poteſt, quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant, dum loquuntur.

tur. Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior est crudelitas, quæ minusculæ non pepercit ætati; Imo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit, quo ferrum reciperet; habuit, quo ferrum vinceret: At istius ætatis puellæ toruos etiam parentum vultus ferre non possunt, & acu districta, solent puncta flere quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus mori adhuc nescia, sed parata, vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris.

Vides quam acutæ, & insculptæ sententiæ, & quo errore teneantur, qui ista argumenta eodem stylo, quo cætera tractanda existimant: Longè enim diuersa sunt ab alijs, & suoptè ingenio toros, atq; expolitiones quamquam modestas desiderant. Idipsum in oratione Basilij de laudibus B. Virginis, & sermone Procopij Diaconi, & Cathophylacis in Marcum, ex Nazianzeni denique, & Chrysostomi concionibus facilè possumus agnoscere. Quin etiam non alium seruant ordinem, quam eum, de quo in exornatiuo genere dictum est; Narrant, exaggerant, attollunt, inculcant, conferunt, exclamant, discursiones tamen ad instituendos mores, aliquando longiores admittunt.

Adhortatorium quomodo tractandum.

Adhortatorium minus requirit concinnitatis, sed plus coloris, sumit enim certa capita, quibus & hortetur ad bona, & dehortetur à malis, qualia sunt Dei gloria, Ecclesiæ decus, nostra ipsorum & vtilitas, pœnæ & præmia, hæc constanti nexu exequitur, vrget, instat, premit, reprehendit, consolatur, ad summum plus est in affectibus & figuris sententiæ, quam in delectu, & sculptura verborum. Quo in genere sæpe admirabilis est D. Augustinus, nam & monendo rationum robore conuincit, & consolando plenus est suauitatis, & reprehendendo grauem quandam sanctimoniam præfert, quæ non insultat, sed *visceribus misericordiæ* compatitur. Et hoc genus efficacissimum est, exemplum sit istud: Ab incantoribus, & sortilegis deterret homines alioqui istis vitijs satis mancipatos, vide qua grauitate, & misericordia? *Fratres mei non vos plangam, quotidie inuenio ista, & quid faciam? nondum persuadeo Christianis in Christo spem esse ponendam? ecce si cui factum est remedium, moriatur, Quam multi enim eum remedijs mortui sunt, & quam multi sine remedijs vixerunt. Qua fronte exijt anima ad Deum? perdidit signum Christi, accepit signum Diaboli. An forte dicet, non perdidi signum Christi? ergo signum Christi cum signo Diaboli habuisti. Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere, quod emit, tanti emit, vt solus possideat, tu facis ei consortem Diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde, qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt Diabolo,* (deinde) *cognoscamus ergo agnum fratres, cognoscamus pretium nostrum.*

Generis didascalici tractatio.

Genus didascalicum duplici modo tractatur, vel enim demissius ad popularem captum familiarissimis similibus, & actuosis figuris, qua in parte, sancti quoque Augustini prudentia omnino admirabilis est, ita plerunque quæstiones altas, & subtiles ad rudiorum intelligentiam format, & fingit, vt in sermone de S. Vincentio data occasione occurrit in disputationem de corpore spirituali, vide quo artificio, quam miu simplicitate, & candore styli.

Popularis character Augusti.

In sanitate (inquit) magnum est nihil sentire, multa habemus intus in visceribus nostris, quis ea nostrum sciret, nisi in corporibus nostris laniatis videret, viscera nostra interiora, nostra quæ dicuntur intestina, vnde nouimus? & nunc est bonum, quando illa non sentimus, tunc sani sumus. Dicis alicui, obserua stomachum, respondet tibi, quid est stomachus? Felix ignorantia, nescit vbi habeat, quod semper sanum habet, si sanum non esset, sentiret, si sentiret, non bono suo sciret.

Sed quamuis laudata corporis sanitate venimus ad celeritatem motus: & inuenimus nos plumbeos quodammodo. Quanta est celeritas cœlestium corporum? Vis nosse quanta sit? intueris solem, & tibi videtur, quasi non moueatur, & tamen mouetur Forte dicis mouetur, sed tardius, vis nosse quanta celeritate moueatur? vis ratione colligere, quod non sentis aspectu? si recta via ab oriente vsque in occidentem, in hac terra veredis quisque currens, per quot dies peruenire, qualibet equorum velocitate ferretur, quot mansiones ageret? & cætera, quæ fuse persequitur, quasi mansa in os ingerens.

Aliter.

Aliter didascalicum genus tractatur ad eruditarum aurium institutionem, doctis, & accuratis argumentis, expositione diuersarum sententiarum, cum delectu melioris, testimonijs, exemplis, elaboratis similitudinibus, & tota illa supellectile magnificę orationis, quæ interdum quanquam parcius assumenda est.

Dispositio concionũ. primus ordo fermè sine arte.

Iam dispositio quoque pro varijs argumentis varia esse solet.

Vna est sine arte, naturali cursu fluens, qualis in paraphrasi, & homilijs veterum in historijs, & parabolis esse solet

Paraphrasis siquidem textum sacrum exponit seruato eodem ordinis filo, singulis insistens, omnia discutiens, quanquam breuissimè hic ordo interpretum potius est, quàm oratorum, est enim tædij plenus apud eruditas præsertim aures, nisi lepore, & venustate quadam aspergatur.

Homilia magis sapit oratorium, & adipale amplificationibus, & excursionibus ad mores instituendos paulò longiusculis vtens, cęteroqui totam Euangelij seriem familiari sermone percurrit, atque explicat.

Historica sæpè partitionem suopte ingenio suggerunt, vt Euangelium de diuite epulone, eiusdem diuitis, & Lazari conditionem in terris, deinde vtriusque mortem: tertio statum in alia vita.

In parabolis primum ostendimus scopum parabolæ, secundo signantis, & rei signatę commercium declaramus. Tertiò ad mores informandos deducimus. Et hæc, vt dixi, naturali fermè tenore manant liquidius.

Secundus dispositionis modus.

Secundus ordo pendet magis ex arbitrio, & arte oratoris, qui fit, vel cum ex toto Euangelio, duo, aut tria quędam capita discutienda proponantur minimè inter se cohærentia, qualia essent in Euangelio de socru Petri, priorum hominum perpessiones, & inuocatio Sanctorum, quæ sanè aliquando se insinuant lenocinio varietatis, quod facilè fit in multis argumentis afferre aliqua in medium spectabilioris notæ, minus tamen habent ordinis, & nescio, an magis fructu, & vtilitate respondeant.

Pulchrius igitur res procedit, cum ex toto Euangelio ea deliguntur capita, quę ordinem, & nexum habeant, vt ex vno in aliud commoda succedat digressio. Sic in Euangelio de surdo, & muto, primum tyrannis Dæmonis ostendetur, deinde, quo pacto aduersus animas Dei charactere signatas eandem exerceat: tertiò qui inde, & quam tetri, ac funesti consequantur effectus.

Solet autem istud accommodatius fieri, cũ in ipso themate, sententiaque ad dicendum proposita, quasi fruges in semine, sic tota vis, & ratio concionis includitur, vt in illo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Si dicatur de actu dilectionis, de obiecto dilecto, rationeque diligendi; Sed quod etiam videtur ingeniosius, in vna plerunque vocula tota concio fundabitur, vt in illud *Calicem meum bibetis.* Si datur de duplici calice Babylonis, & Christi.

Denique sæpè non tam spectantur verba, quam ipsius Euangelij scopus, in quem recta collineat, & instituitur oratio, modo de ieunio, modo de charitate, & de qualibet alia insigni materia. Methodus autem, propriæ solertiæ permittitur, quæ sumit argumenta, nunc ab vniuersis capitibus, vt antiquitate, honestate, vtilitate, nunc à causis, qui mos frequentissimus esse solet, nunc ab adiunctis rerum, nunc vtrimque allatis sententijs quæstio disceptatur, & dissoluitur, cæterisq; eiusmodi industriæ adminiculis roboratur.

Tertius modus dicendi symbolicus.

Tertius modus, qui solet habere aucupium quoddam nouæ, & gratæ delectationis, est symbolicus: cum thema per symbola, & imagines tractatur, quod varijs modis contingit.

Vel enim sumitur historia, vt si concionator de obedientia dicturus, Isaacum sub paterno cultro effigiet, & in hoc typo omnes obedientiæ proprietates, atq; ornamenta proponat.

Vel adhibetur tantum similitudo, vt cum sub ægroti imagine tota pœnitentiæ ratio explicatur.

Vel allegoria, vt cum iudicium in libro septem sigillis obsignato proponitur, vel per continuam antithesin Apostoli cum luce, & sale allatis vtrimque proprietatibus conferuntur.

Vel certè illustris aliqua figura instar emblematis depingitur, in cuius explicatione, variarumque partium accommodatione tota demum opera insumitur. Vt si de prouidentia dicturus, pro fundamento sumas Ezechielis visionem, & mystica animalia, in quibus eandem expressam fuisse Apollinaris, atque post illum, Polychronius censuit.

Vel si de patientia sermonem facturus, primum

num subijciam illam oculis, tanquam honestam virginem ijs coloribus expressam, quibus Tertullianus non ignobilis artifex depinxit. Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxijs: Motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus, cæterum amictus circum nectora candidus, & corpori impressus: vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno, spiritus eius mitissimi & mansuerissimi, qui in turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ simplicitatis apertus, & simplex, quem tertio vidit Helias. In eodem genere est currus auaritiæ apud Bernardum. *Tertull. de patientia.*

Auaritia rotis vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio. Porro iumenta trahentia, tenacitas, & rapacitas, & his vnus auriga ambobus præsidet habendi ardor.

Hæc amplam dicendi materiam suggerunt, sed vt libere fateat, hic modus nisi summa prudentia, & dexteritate tractetur, ostendit quippiam iuuenile; & leuiculum, quod momento temporis defloresci; Idcirco haud eorum probarim institutum, qui nunquam acquiescunt, nisi per symbola, & imagines concionati fuerint.

Quartus modus est per παράδοξον, cum quæstio quædam à communi, & plebeio sensu abhorrens, quales sunt in Christiana disciplina permultæ, grauiter, & copiose tractatur, qualis est illa D. Chrysostomi, *quod nemo laditur nisi à seipso.* Idcirco nouitatem actionis excusat in ipso limine, οἶδα μὲ ἐλαττῖς πάχυτέροις, καὶ πρὸς τὰ παρόντα κεχηνόσι, καὶ τῇ γῇ προσηλωμένοις, τὸ αἰδήκτοις ἅπασι δυλεύσιν ἡδοναῖς τῷ δὲ νοερῶν οὐ σφόδρα ἀντεχομένοις καινός τις, καὶ παράδοξος ὁ λόγος οὗτος ἔναι δόξειε. *Scio fore vt crassioribus quippe præsentibus rebus inhiant, ac terræ sunt affixi, & sensuum voluptatibus seruiunt spiritualibus, non admodum dediti noua hæc, admirabilisq. videatur oratio.* *Quartus modus per paradox.*

Quintus modus per dialog. &c.

Video & quintam quandam formam, per dialogos, & prosopopeias induci, & dramata, & senatusconsulta, & actiones iudiciarias fieri in concionibus, de qua viri prudentes viderint, sed nisi præstans quædam facultas, & industria hanc agendi rationem ineat, periculum est ne incidat in vitium κακοζήλως. Hæc de varijs characteribus concionum.

Nunc de partibus concionis videamus, nolo concionatorem indissertum, nolo nimis oratorem esse, quo vitio laborant nonnulli, qui veteres quasdam partitiones è schola religiosius obseruant, exordia, & narrationes, confirmationes quoque & perorationes scrupulose digerunt, & artificium suum, vel potius infantiam produnt. Non enim Dei spiritus scholæ legibus vinctus tenetur, quanquam nec scholastici Rhetores, hunc partium numerum semper necessarium esse voluerunt, sed partitionem duntaxat, & probationem. Primum igitur illi aditus prolixi, fluentes, calamistrati, toti à sacris concionibus relegentur, si longior fueris in exordio, statim auditores permulti prolixitatem sermonis formidanter demittunt (quod ait ille) auriculas, *vt iniquæ mentis aselli*, si comptior, dabis suspicionem fuci, vbi minime fucatum esse oportet; si extra rem vageris, ad metam tetacta reuocabit omnium conscientia. Raro contingit, vt orator, vel à se, vel ab auditorum persona debeat exordiri, si tamen euentus aliquis suaserit, non veto, sed parcè, & prudenter faciendum moneo. *Partes concionis.*

Quæ igitur exordia, inquies, apta sunt concionibus? Primum ante precationem video apud graues personas placere simplicem rei expositionem, & totius concionis diuisionem: neque enim istis assentior, qui putant senile, & frigidum partiri orationem, quod longe sit ingeniosius artem occultare, & auditorem toto tempore suspensum tenere. *Exordia concionũ.*

Procul istæ artis, & ingenij argutiæ, qua me ducturus est orator lubenter inspicio, viam tenenti gratius est iter, hospes, & peregrinus in rebus languet citius. Nolo qui me suspendat, & cruciet, volo qui me doceat. Nec verendum est, ne quid nimium lucis habeat oratio, tarius istud peccatum est, veniam statim meretur.

Ne quid tamen dissimulem, simplicem istam rerum diuisionem nimis austerum, & sic- cum exordium nonnulli putant: Dandum erit fortasse quiddam auribus plenius, si res videatur expetere. Post precationem, instar dusti, & maxime proprij exordij, fieri solet, quæ à nonnullis λόγου εἰσαγωγὴ introductio sermonis appellatur, quæ fit cum breuis quædam, & grauis dissertatio instituitur, quæ rectà in *Isogage orationis.*

materiam propositam influat, vt genus in speciem. Hæc ratio exordiendi pulchra est, & antiquis familiarissima, sic D. Chrysostomus in sermone de S. Andrea, *inuenit hic prior fratrem suum*, apte exordium ducit à communione mutui cuiusdam amoris, quem hominum pectoribus Deus indidit. Cum à principio, inquit, Deus hominem fingeret, noluit solum esse, sed largitus est mulieris auxilium, & vt vna cohabitarent instituit. Sic in parabola de *seruo nequam*, & in socium crudeli, vbi exemplum statuitur de misericordia, & iustitia, aptum erit exordium, si dicatur: Mundum quasi duabus columnis ijsdem virtutibus sustineri. In id quoque genus commode incidunt axiomata Theologica, & Philosophica, parabolæ, exempla, similitudines. A simili exorditur D. Augustinus sermone 22. *aurum de terra eligere, qui nouerunt, vbi diuitem senserunt venam, ibi quicquid artis est, quicquid laboris impendunt*. Et Theodoretus nobilem orationem de prouidentia à similitudine piscatorum τῶν τὸν θαλάττιον βίον ἀσπαζομένον οἱ μὲν τὰς φορτίδας ἐρόντουσιν, Item orationem de natura hominis, à simili de magnete cum sacris litteris, & sermonem 11. ab Aristippo μητροδιδάκτω. Cæterum cauendum ne ista sermonis Isagoge primum sit aliena, deinde ne nimis prolixa, sed concioni prudenti quadam mensura dispensetur.

D. Aug. de S. Vincentio.

Alia exordia rem statim aggrediuntur, & prima aggressione tangunt, vt *In passione, quæ nobis recitata est, euidenter ostenditur Iudex ferox, tortor cruentus, martyr inuictus*. Alia fiunt ex abrupto, vt apud D. Basilium, *Leo rugiet, & quis non timebit?*

Propositio & confirmatio.

Narratio nulla est in concione, quæ prooemium necessariò consequatur, multæ tamen occurrunt παραδηγήσεις (vt Græci appellant) quæ si appositè fiant & ex optimis afferantur authoribus, frugiferæ sunt, & plebeijs præsertim auribus periucundæ. Porrò narrationis locum tenet propositio illa generalis, in qua tanquam in cardine tota vertitur concio, huic succedit confirmatio, potissima pars orationis, varijs constans argumentis, vel si quid refellendum occurrat; confutatio. Claudit totam concionem, peroratio, quæ fieri solet, non scholastico stylo, ea scilicet repetendo ad ostentationem memoriæ, quæ per totam orationem longè, lateque sparsa fuerint, sed per acrem quandam exhortationem, quæ vel nouas, easque potioris notæ rationes contineat, vel certe iam delibatas robustiore quadam vi, & lacertis imprimat, vt infixos aculeos intimis auditorum pectoribus relinquat. Per apostrophen, aut abruptum finem facere iuuerit aliquando, modo ne quid nimis frequens, & affectatum.

Peroratio.

Elocutio concionis.

De elocutione quid attinet plura dicere? cum putem me in hac parte Logodædalo homini imprimis diserto satis fecisse. Etiam vos censetis, & amplectimini, quod summis concionatoribus placere video, qui de sacri oratoris eloquutione hæc præcipiunt. Habet eloquentiam sine affectione, candorem sine fuco, grauitatem sine tumore. Sit mediocriter, acuta non hebes; non redundet luxuria verborum, sed neque sit sterilis; sit suauis non ingrata; sit modicè accurata, non vilis, nec abiecta, nec humi repens; ante omnia sit viuida, spirans, succi plena, & roboris, modo vbique sit etiam apta. Quæritis etiam an numeros, & figuras probem? dixi antea religionem non plane renunciare ingenio, sed eius vim, & impetum moderari, nolo aucupem syllabarum fieri concionatorem, nolo periodos circumtondere, nolo anxia quadam lima cruciare, puerile enim vitium est, & vix in ipsis rostris ferendum, certa tamen interualla, quæ fluere solent, vel mediocriter exercitatis non veto. Addo etiam figuras, sed quas? non Neronianas, aut Glyconias, quas doctas fortasse inepti dixerint, nos ista tessellatæ orationis leuicula quædam choragia tyronibus pueris relinquamus, qui quam sæpè Porcæ naribus aureas armillas imponunt, ex scholis nosse possumus. At nos primum caueamus, ne accersitæ sint nostræ figuræ, & quasi meditatæ, ne prodeant ex vmbraculis, non quidem vocatæ, sed irreptitiæ, deinde se ostentent hilarius, mox iactent etiam insolentius: hæc enim eloquentia iuuenilis est, & à pijs sensibus ad Sirenulam cantus animos auocat. Figuræ assumendæ sunt, partim vt nimis vilem, & strigosam orationem vindicent ab humilitate, & sordibus; partim vt nimis austeram modico quodam cultu exhilarent; partim etiam vt motus celerius vibrent, imprimant validius, defigant altius. Quamobrem nonnullæ in exornatiuo genere paulo cultiores permittuntur, quales sunt distributiones, antitheta, & descriptiones, quibus nonnunquam prudenter, & opportune SS. Patres vtuntur. In eo genere est illa antithesis sancti Fulgentij, *Heri Rex noster trabea carnis indutus, de aula.*

Carolus Regius.

Concionis figuræ quales?

S. Fulgent. in serm. de SS. Innoc.

aula vteri Virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum : hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphator migrauit in cœlum, &c. quæ ille fusius prosequitur, in quibus apparet quidam ornatus, sed minime adscititius, ac importunus; deinde, quo dictionis ad grauitatem temperamento nosse vos arbitror.

Descript. in concionibus quales.

Eadem lege admittuntur descriptiones, non in parergis, vt ludant in describenda crepida, aut equo phalerato, aut venustulæ mulieris facie, sed vt motui, qui imprimendus est famulentur. Quamobrem & in sermone de SS. Innocentibus Basilius Seleuciæ præclara hypotyposi describit infantes illos miserellos, eiulantes, ad gladiorum fulgorem conniuentibus oculis in vinas matrum reflexos. Matres furentibus similes, aliam alio per vrbem discurrentes, cum illis miserabilibus suis oneribus locum fugæ quæritantes; alias lacero amiculo, alias protecto fugientes; alias sparsa coma filiolos inumbrantes; aliam se cursu propientem; aliam deprehensam, quæ timore dirigueret, & manantes lachrymis oculos, aspectumque partim adstricti ensis impetum, partim ad innocentis animulam, quæ iam erat subiecta, diuidebat, aliâ quæ se ferientibus per confertissima tela irruens opponebat; aliam quæ stupore prius, quam soboles eius vulnere corruerat. Hæc quidem grauia sunt, & ita martyrum perpessiones, inferorum cruciatus, æternæ vitæ delicias, peccatorum turpitudinem suauissimi Patres plerunque describunt, sed in extraneas descriptiones, quæ nihil habent præter pompam, nunquam degenerant.

Basilius Seleucia in sermone de SS. Innocent. Innocentium Puer. mart. egregiè descriptæ.

Addo frequentiores esse debere figuras illas, quæ ad docendum faciunt, quales sunt interrogationes, responsiones, dialogismi, quam cæteras, & certè in ijsdem multus est D. Augustinus, quo fit vt illam vim torrentis ingenij plebeijs etiam auribus quam familiariter attemperet, vt, *quærit aliquando humana curiositas, & dicit sibi, putásne per illud spirituale corpus videbimus Deum? Cito quidem responderi potest, in loco non videtur Deus, per partes non videtur Deus, spatijs diffusis, interuallijs separatus non videtur Deus.*

Hæc, & similia ad perspicuitatem orationis multum iuuant, in motibus, & affectibus, quos diuinus orator à Deo potissimum mentium Domino flagitare debet: multum dominantur vehementiores sententiarum figuræ, vt exclamationes, auersiones, conuersiones, deprecationes, sermocinationes, & cætera, de quibus alius differendi locus. Accedat ipsa corporis eloquentia, pronunciatio, quę eluceat in voce clara, æquabili, varia pro rerum, quæ dicuntur natura, familiari præsertim, à natura, corporisque constitutioni accommodata. Gestus rerum, sententiarumque naturam sequatur, gaudeat concionator moderata grauitate, ac naturali decoro, sit vultus serenus, & ita se componat, qualem decet eum, cuius vt tota vita, sic actio pictura quædam esse debet decoræ honestatis. Hæc vobis ἐν τύπῳ: nunc, vt cum sapientissimo doctore Gregorio claudam, se tote concionis, siue multitudinis corpus, cui verba facere oportet, instar esse variæ cuiusdam, ac multiplicis belluæ, ex multis animantibus magnis iuxta, paruisq;, nec non feris, ac mitibus conflatæ, quam qui verbis curare, & ducere aggreditur, huic in natura adeo præpostera, & prodigiosa gubernanda maximus procul dubio subeundus est labor, *vt tam simplex sit conscientia, quam varius, & multiplex scientia*, ad omnium animos apte compositeq; sibi adiungendos, & vnicuique distribuendum τὸ τῆς λόγου σιτομίτριον demensum sermonis: itaque prima pars, & ferme tota huius sacræ eloquentiæ prudentia est, & perpetuum cum Deo commercium, tanti enim sumus omnes, quantum ab eo cœlesti fonte respergimur, à quo omnis ab æterno manat, & manabit opulentia.

Gregor. orat. 1. Ὄηρίον πανηγυρικὸν καὶ πολύμορφον.

Ἁπλᾶς κατὰ τὴν ὀρθότητα παιδοσόφα πὸς καὶ ποικίλος καὶ κατὰ τὴν πρὸς ἕκαστον οἰκείωσιν.

* * *

CHRYSOSTOMVS SIVE IDEA.

LIBER DECIMVSSEXTVS.

PRÆFATIO.

SAtis multa, vt arbitror de vtraque eloquentia diximus, & ipse qui opere pasci videbatur animus, post variorum sermonum curricula portum quærit, in quo suauius, & glorioſius conquieſcat: Nullus autem commodior viſus eſt, quam ſi tuis auſpicijs inchoatum, hoc quicquid eſt operis, (ô merito inter Sanctos eloquentiſſime, & inter eloquentes ſanctiſſime Ioannes Chryſoſtome) per tuas laudes abſoluerem. Quamquam quid dixi? nemo eſt qui tuarum laudum partem complecti poſſit, tam anguſtijs humanæ mentis, & eloquentiæ limitibus, niſi tu fluminis illius aurei riuulos, qui ex tuo beato pectore tam fœliciter emanarunt, præſens, & propitius effuderis. Itaque te oſtendam tibi in hac arce cœleſtis eloquentiæ conſtitutum, non meis quidem lineamentis, ſed tuis coloribus, quos in hanc vſque poſteritatem transfuſos ſæculorum mirabitur æternitas. Habent hoc ab arte nonnunquam lurei parietes, vt inducti tectorio, varijſque picturis colluſtrati fulgeant, & quod à natura denegatum eſt nitoris, & gratiæ, hoc artis opera conſequantur. At vero nobiles marmoris cruſtæ, quas ſuis ipſa coloribus, & ornamentis natura rerum parens decorauit, proprijs enitescunt opibus, nec ingenitam pulchritudinem falſo quodam gloriæ ſimulachro mentiuntur. Ita profecto magnæ illius tuæ mentis virtus in tam illuſtri loco, in tam nobili præclariſſimorum ingeniorum monumento condita eſt, atque colloeata, vt ipſa ſe ſuis diuitijs oſtentet, & oratorum potius obruat induſtriam, quàm ab oratione mutuetur aliquid nouæ commendationis.

Tu igitur cœlo recepta Mens hunc poſtremum laborem, qui ad te vltro decurrit, quia tuus eſt, in tuam tutelam aſſere, & vniuerſo operi fœlicem quam potes coronidem impone.

Character grauis concionatoris.

CAPVT I.

ANtequam ad virtutes Chryſoſtomi deueniam, quem inſtar omnium eſſe oſtendam, viſum eſt aliquot ideas ſiue formas ſacrorum oratorum, qui in vario genere floruerunt, commemoratis etiam quæ virtutibus aduerſari ſolent vitijs exponere, quo plenior ſit rei totius intelligentia. Grauis igitur plerumque talis eſt. Mentem habet excelſam, & magnarum rerum cogitationibus exaggeratam, nihil in eo humile, tractum, demiſſum, longe eſt ab aulicarum aſſentationum ingenio, calliditatem, & verſatilis in pectoris lubricos flexus auerſatur, raro petit, rarius prehenſat, rariſſimè blanditur, numquam adulatur. In conuictu non eſt demiſsè comis, aut vultu ſæpius renidēs, ſed plenus maieſtatis, ſermones infert de rebus magnis, vel ſi de paruis, & ex-

& exilibus dicat, conuertit ad magna. Vix otiosum quidpiam dixerit, non quærit quæ fuerit hoc anno hyems Italiæ? an cara futura sit annona? Quid dicant Selenodromiorum prognostica, futuros ne morbos, aut fœno nocituros imbres pronuncient? Quid noui portet Gallicus Mercurius, & an se moueant Heluetij? Hanc, & similia narrationum genera, quæ apud graues personas putida sunt, nauseanti stomacho repudiat, & continuo de rebus diuinis, temperatè tamen loquitur. Atque vt est magnæ auctoritatis, sermones, & mentes hominum, quò vult rapit, & in omni cœtu non imperio, sed vita atque ingenio dominatur.

Viri grauis & constantis laus.

In dictis est vera, constans in factis, aduersus facetos serius, in improbos asper, ad potentiorum obsequia rigidus, ad dissimulationem parum aptus, ad fomenta cupiditatibus hominum ministranda, numquam flexibilis, ad vitia exagitanda ore, & vultu compositus. Summum enim putat nefas officio vitam anteponere, & viuendi desiderio honestatem, propter quam vita expetenda est, amittere. Hæret præterea totus sibi vel potius origini suæ Deo, animum impense colit, in corporis cura parcus est, quam valetudine, non voluptate metitur, in orationibus creber, multus in vigilijs, magnis semper curis, & cogitationibus distractus, ad summum in promouendo Dei cultu totus.

Hæc fermè in priuata vita. In concionibus spirat quam impressit moribus maiestatem. Argumentis delectatur haud probabilibus, sed planè firmis, solidis, & quæ sunt æternæ veritatis. Omnium inuentionum seminarium habet in sacris litteris collocatum, raro peregrinam doctrinam accersit, aut si quid aspergit, cauet maximè ne ostentet, non multa Græcè dicit, aut Hebraicè, historias, imagines: γνώμας, parabolas, & cætera quæ in humaniorum litterarum sunt instrumento, vel valere iubet, vel si quid excidit, contemnendo potius vsurpat, quàm ostentando. Contrà insignes habet ex Prophetis, Apostolis, sed maximè ex Christi Domini sententijs locos, in quibus vim permagnam facit, hæc expendit, hæc inculcat, & quasi malleis cudit, atque imprimit pectoribus, his venatur animos, his impugnat, & tamquam machinis capit. De mysterijs, vita, factis, verbis, & morte Domini frequentissimè loquitur, & magnificentissima oratione hæc exaggerat.

Dei concionum graues.

In dispositione argumentorum non vult videri Rhetor, de industria tractum, & collocationem obscurat, vt impetu fluere, non curam olere videatur oratio, maior est enim, quam qui minutis scholasticorum præceptis subijciatur, artis suspicionem refugit, habet tamen artificium grande, quod pauci sciunt, sed qui hominis ingenium nouere melius animaduertunt. Genus dicendi sequitur non verbis volucre, & incitatum, sed pressum, acre, seuerum, sententijs adstrictum. Consulto fugit sensus sculptos, amabiles, & lasciuiosos, vernantes figuras, & delicatorum verborum violas, tum spissos, & productos exitus, tum orationem numerosis legibus circumscriptam ferre non potest, saccum potius indueret, aut cymbalis personaret, quàm se vinciret necessitate sermonis certo quodam tinnitu pueriliter exultantis. At si quæ sunt graues sententiarum figuræ, quæ dicentis libertatem expromant, quæ iubeant, quæ castigent, quæ execentur, has lubentius arripit.

Luctatur crebro cum vitijs, crebriùs etiam cum fidei hostibus congreditur, & in hoc dicendi argumento regnat, docet acutè, pugnat acriter, potentissimè conuincit, insectatur generosè, & iubet, & omnia quasi ex tripode loquitur. In gestu sæpius est sedatior, nisi res aliter postulet, multum tamen se commouere non putat esse grauitatis, quod si his virtutibus statura quoque corporis procera, & acres oculi, & maiestas incessus, & sparsi iam aliquot temporibus cani accedant, naturam dixeris ad cumulatam operis perfectionem fuisse velificatam.

Afferuntur Exempla istius grauitatis, & expenduntur.

CAPVT II.

MVlta passim huiusmodi stylo conscripta occurrunt in sanctorum Patrum libris, non omnes tamen in eo dicendi genere pares fuere, sed alij remissius videntur habuisse, prout varia ferebant hominum ingenia. Inter Græcos Athanasius maximè grauis est, cuius vt vita fulgur, sic oratio fulmen extitit, minus itaque floris habet, quàm cæteri, minus olet scholæ delicias, quàm

Athanasij grauitas.

Diuus Gregorius Naziãzenus, Basilius, Chrysostomus, habet tamen orationem grandem, & suo animo parem.

Athanasius inuocat animam Pauli.

Talia sunt ista in Apologia ad Constantium, vbi orationem orsus ijsdem fermè verbis, quibus Diuus Paulus apud Agrippam Regem, in ipso limine beatam illam Apostoli animam inuocat, quem intercessorem pro se, haud Imperatorem fieri cupit, quod & ipse veritatis sit præco, & à Christiano Principe, tantus Christianorum Princeps audiri mereatur. Hæc ante non vastè, & tragicè extulit, sed pressè, & grauiter; nam statim post sancti Pauli verba, percommodè subijcit, *Siquidem Beati Pauli verbis vtens, illum apud te meum intercessorem facio.* In hoc autem argumento, & in alijs, vbicumque potest, sacras historias aspergit, aut sententias, vt totus videatur se ad hanc palæstram conformare.

In Apologia ad Cõstantium.

Deinde hoc, quod sequitur, quàm generosi spiritus! vbi calumniam de traducto apud Constantem fratrem Imperatore Constantio refellens. *Pudet* (inquit) *reuera vel diluendo de ista re mentionem facere. Quapropter ne alijs quidem percunctantibus respondere velim, ne iterum, dum excuso me, suspicionem animis relinquam.* Num putes videre te Leonem à turba canum circumuentum, quos ne dignatur quidem suæ generositatis memor aspicere. Mox ad ipsum conuersus Principem, *Tuæ autem pietati magna, & clara voce respondeo, manuque extensa quod dici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testor.* Videant illi qui ὅρκον Demosthenis mirantur, num & hic minus habeat grauitatis.

In Apologia de fuga sua.

Et cum Ariani illi fugam, & timiditatem obijcerent, quanta generositate ostendit, oportuisse igitur se, si ex istorum sententia magnanimus fieri voluisset, Arianam crudelitatem expleuisse suo sanguine, & quod languorem animi alijs abijciant, non studiosi virtutis, sed auidi cruoris, non ipsi quidem fortes, sed in ferina sæuitia leporibus timidiores.

Tum ibidem cum insectatur Arianorum vitia, non conuiciatur muliebriter, sed affert flagitia magna, & nimis testata. Postremò illud subiungit, *Singuli igitur singulis vitijs excellunt, vna tamen omnibus in genere, & communis macula est, quod pro hæresi sua belloq; in Christum, non Christiani ampliùs, sed Ariani appellantur.*

At verò cùm illam funestissimam tragœdiam describit per sceleratissimum Georgium in Ecclesiam inuectam, narratio plena est grauitatis, & horroris, nihil habet ambitiosæ, & diffusæ amplificationis. Ibi Virgines intaminatæ nudantur, Monachi pedibus obtriti animam efflant, subijciuntur seruilibus agris matronæ, sacri baptismi fontibus inijciuntur flammæ, aues & nuces pineę inter effusam improborum lætitiam, Ecclesiarumque vastitatem, idolis immolantur, quæ ille sine multa αὐξήσει sanctè, & grauiter deplorans, longè magis credibilia facit.

De persecut. ad Orthodoxos.

Cypriani grauitas.

Inter Latinos magnam habet dicendi grauitatem sanctus Cyprianus, qui profecto mihi videtur post illam ad Danatum epistolam mollioribus adhuc luxuriantem cincinnulis omnes dicendi Veneres abiecisse, totumque se ad seuerius dicendi genus elimasse. Nam ista quæ dicta sunt contra mulieres in balneis diuersantes cuius spiritus sunt?

In adeuntes balneas, ex D. Cypr. ex discip. & hab. Virg. pa. 232. S. Cypr. amplificat. sunt graues & gener. Vellicant ista verba, & multum habent γεργότητα Notum Herodoti dictum.

Quid verò quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cum viros, atque à viris nudæ vident turpiter, ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? nonne ad corruptelam, & iniuriam suam desideria præsentium sollicitant, & inuitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpusculi cura est, & lauandi. Non te purgat ista defensio; nec lasciuiæ, & petulantiæ crimen excusat, Sordidat lauatio ista, non abluit, nec emundat membra, sed maculat.

Impudicè tu neminem conspicis, sed ipsa conspicieris impudicè: oculos tuos turpi oblectatione non polluis, sed dum oblectas alios, ipsa polluer.s. Spectaculum de lauacro facis: theatro sunt fœdiora quò conuenis; verecundia illic omnis exuitur, *Simul cum amictu vestis, honor corporis, ac pudor ponitur,* denotanda, & contrectanda virginitas reuelatur. Iam nunc considera, an cùm vestita es, verecundia sis inter viros, talis, cui ad inuerecundiam proficit audacia nuditatis.

Sic ergo frequenter Ecclesia virgines suas plangit, sic ad infames earum, ac detestabiles fabulas ingemiscit, sic flos virginum extinguitur, honor continentiæ ac pudor ceditur, gloria omnis, ac dignitas profanatur. Sic se expugnator inimicus per artes suas inserit: sic insidijs per occulta fallentibus diabolus obrepit: sic dum ornari cultius, dum liberius euagari virgines volunt, esse virgines desi-

desinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti, sed Christi adulteræ, quam fuerant præmijs ingentibus virgines destinatæ, tam magna supplicia pro amissa virginitate sensuræ.

Mihi verò videtur quot verba, tot spargi fulmina, sensus sunt grandes, & heroici, *Vt sordidat lauatio ista non abluit, & spectaculum de lauacro facis.* Deinde, *sic ergo frequenter Ecclesia Virgines suas plangit, sic ad infames earum, ac detestabiles fabulas ingemiscit*, & cum dixisset: *Illic omnis exaitur cum amictu vestis*, non addidit referri hoc ab Herodoto, historiæ libro primo, & dici in persona Gygis, de vxore Candaulis Regis, & sic in Græco haberi, ἅμα δὲ χιτῶν ἐκδυομένῃ συνεκδύεται, καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Tum Dionysium Halicarnassensem, in libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων hæc Attico stylo reddidisse, cum ab Herodoto Ionice conscripta essent. Hæc enim omnia dicendi grauitatem attriuissent, & ex Episcopo fecissent sophistam.

Generosæ præterea sunt insectationes. *Impudicè tu neminem conspicis, sed ipsa conspiceris impudicè.* Et si quæ sunt (qualis est ista) figuræ dictionis, fluunt sine vlla affectione, vt *quæ cum viros, atque à viris nuda vident turpiter, ac videntur.* Tum verba grauius anhelata, vt pro *Virginitatem produnt, Pudori, ac pudicitiæ dicata corpora prostituunt*, & reliqua prorsus similia.

Augustini grauitas, & grauitas Augu.

Affectus Augustini insignis.

Inueniuntur etiam pleraque apud Diuum Augustinum grauissimè dicta, vt de filio matrem pulsante à Donatistis baptizato, *In maternum sanguinem fremens albis vestibus candidatur: caditur mater carnalis, in membris quibus genuit, & pauit ingratum.* At verò Ambrosij dictum ad Calligonium, num videtur ex alta quadam mente, & his generositatis præsidijs instructa fluere. Cum enim hic aulicus impius satelles audaciæ dixisset: Tu me viuo contemnis Valentinianum, caput tibi auferam, & vitam. Retorsit vir sanctus dignam Ambrosio vocem. *Vtinam impleas, quod minaris. Ego lubens patiar, quod Episcopi, tu facies quod spadones.* Sed tamen Ambrosius, & Augustinus in hoc genere concionatorio, plus habent nonnunquam suauitatis, & maiestatis, quam pressæ acrimoniæ.

Ambrosij grauitas, & grau. Ambr.

Palladius in Lausiaca, sect. 23,

Magnus quoque ille Antonius licet istius factæ expers esset eloquentiæ, augustæ cuiusdam grauitatis, in suis sententijs reliquit vestigia, qualia sunt ista, quæ Eulogio consulenti respondit. Is quippe mutilatum, pauperem, & omni ope destitutum domo exceptum per quindecim annos indulgentissimè aluerat, a quo homine scilicet ingrato contumelijs indignissimis vexabatur, quibus permotus quæsiit ab illo Magno, an mutilatum abijceret. Tum Antonius: *Abijcias tu eum Eulogi? at qui eum creauit non abijcit, si tu abijcias, Deus suscitabit te meliorem, qui eum colligat.* Deinde ad mancum, maledicum conuersus. *Mutilate, maculate, cœlo & terra indigne, non cessas, cum Deo pugnare*, &c. quibus vocibus ambos quasi fulmine afflatos dimisit.

S. Antonij admirabilis grauitas.

De alia specie grauitatis, quæ maiestas dicitur.

CAPVT III.

Grauitas quæ?

EST & alia species grauium, qui in eo quidem cum prioribus conueniunt, quod leuia quæque, & friuola, declinēt, & χνοῦς spiritus habeant rerum altissimarum, ijsq; lubenter inuertiantur; Sed in eo differunt, quod alij plus habeant sicci, & adipalis generis. Itaq; amant argumenta splendida, grandia, sublimia, dicunt rationibus, non modo solidis, sed quod magis delectat speciosis, nec pressè quidem, & subtiliter, & enucleatè, sed amant circuitum, & pompam, ab omni tamen redundantia, & affectatione seiunctam. Doctrinam nec ostentant pueriliter, nec premunt obscurè, magnas habent orationis diuitias, sed sine fuco habent, thesaurum sapientiæ, sensus dites, verba grandia, tractus leniissimos, figuras dignitate magis quam venustate decoras.

Ad summum mihi videntur quasi eximiæ magnitudinis balenæ ferri tranquillo mari, secumque longos aquarum tractus, & flexuosos reciprocantium vndarum vortices agere. Talis est nonnunquam Diui Chrysostomi stylus, vbi ab illo populari sermone leniter assurgens vibrat se in altam mysteriorum caliginem, & arcana quædam Theologiæ grandiore stylo prosequitur. Talis Diuus Gregorius Nazianzenus, vbi de Deo, & sacræ doctrinæ maiestate verba facit, orationemque, non iam pressam, & adstrictā, sed paulo vberius explicatam fundit.

Sed

Sed maximè excellit Diuus Dionysius Areopagita, qui profectò totus in istis diuinæ naturæ nominibus perscrutandis defixus, & splendidissimarum rerum perfusus cogitationibus, incipit

Maiorque videri
Nec mortale sonans.

Quo enim genio hæc dicit:

Dionys. Areop. de diuin. nomin. c. 4

Αλλ' ὅπερ ἡμᾶς ἐν μέσῳ παραδραμὼν διαπέφευγε, καὶ τὴν οὐρανίων ἀρχῶν, καὶ ἀποπερατώσεων αἰτία, τ' ἀγαθὸν, τῆς ἀναύξους, καὶ ἀμειώτου, καὶ ὅλως ἀναλλοιώτου ταύτης τῆς οὐσίας, καὶ τῶν ἀλόφων εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῆς παμμεγέθους οὐρανοποιΐας κινήσεων, καὶ τῶν ἀστρώων τάξεων, καὶ εὐπρεπειῶν, καὶ φώτων, καὶ ἰδιοτήτων, καὶ τῆς ἐνίων ἀστέρων μετεωρικῆς πολυκινησίας, καὶ τῶν δύο φωστήρων, οὗς τὰ λόγια καλεῖ μεγάλους, ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἰς τὰ αὐτὰ περιοδικῆς ἀποκαταστάσεως, καθ' ἃς καὶ παρ' ἡμῖν ἡμέραι καὶ νύκτες ὁρίζονται, καὶ μῆνες, καὶ ἐνιαυτοὶ μεζόνων, τάς τε χρόνων καὶ τῶν ἐν χρόνῳ κυκλικὰς κινήσεις ἀφορίζουσι καὶ ἀριθμοῦσι, καὶ τάττουσι, καὶ σωέχουσι.

Auditis hic bonum quod principia, finesque rerum cœlestium complectitur, bonum sine incremento, sine diminutione, sine mutatione, bonum à quo vniuersa cœlestium orbium conuersio, & astrorum leges, & pulchritudo, & lumen, & stabilitas, & multiplices cursus errantium stellarum, & solis, ac lunæ reciproci circuitus, quibus dierum, & noctium curricula definiuntur, & menses, & anni, sua per vestigia redeuntes temporum vicissitudines describuntur, ordinantur, continentur.

Ego Græca intelligentibus loquor, neque enim illa vis verborum satis commodè latinis auribus potest explicari, & puto multum Dionysio detrahi, quoties latinè redditur ad verbum. Nunc videtur hic de Deo, & pulcherrimo eius opificio verba faciens, quasi Aquila ex hominum conspectu subductus, contentissimo volatu se in altas nubes induere, & illic inter fulminum iactus, inter niues, & grandines ludere, mox inter stellas spatiari.

Dion. Angelus loquens à turbine.

Verùm vbi Triadem illam speculatur, vbi de verbo diuino disserit, & mysteriorum diuinorum maiestatem depingit, non iam est aquila, sed Angelus quispiam loquens è turbine, aut vt Elias, igneo curru deuectus, suprà nubes, & pluuias, & ventos, & quicquid mortale est, audacissimo nisu consurgit, vt:

Idem ille diuinum ruminabit.

Κατὰ τὸν αὐτὸν τ' ἀληθείας λόγον ὑπερκειται τ' οὐσιῶν ἡ ὑπερούσιος ἀορισία, καὶ τ' νοῦ, καὶ ὑπὲρ νοῦ ἐνότης. καὶ πάσας διανοίας ἀδιανόητόν ἐστι τὸ ὑπὲρ διάνοιαν ἓν, ἄῤῥητα τελέγῳ παντὶ, τὸ ὑπὲρ λόγον ἀγαθὸν ἑνας ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος, καὶ ὑπερθέου οὐσίας καὶ νοῦ ἀνόητος, καὶ λόγου ἄῤῥητος ἀλογία, ἀνοησία, καὶ ἀνωνομία καὶ μηδὲν τῶν ὄντων οὖτα.

Quæ est illa substantiarum super omnem substantiam immensitas, vnitas mentium supra omnem vnitatem, vnum illud nullo quantuscumque sit intellectu comprehensum, sed quod nec comprehendi potest, nec oratione explicari, vtpote supra omnem orationem constitutum vnitas vinculum omnis vnitatis, supersubstantialis substantia, intellectus inuestigabilis, verbum inenarrabile, quod totum hoc absorbet, & rebus omnibus silentium, stuporem, hæsitantiam injicit. Nonne verba ipsa si consideres, diuinum quendam furorem spirant eloquentiæ.

De vitijs contrarijs grauitati, ac primùm de leuitate orationis.

CAPVT IV.

HVic grauitati contraria est leuitas quædam styli puerilis, qua qui laborant, tales plerumq; deprehenduntur. Dicunt argumentis leuibus, & pictorio duntaxat inductis rationibus, quibus si guttam aspersueris, colliquescent; si quid minima probabilitate perculit animos, hoc statim arripiunt, nec ponderant vtrum ceruix capiti, an pes hæreat, itaque sæpè suis telis se iugulant. Sectantur vbique iucunda, seria hæc capere possunt, nec amare, quærunt aurium lenocinia, carpunt vndique floseulos, conquisitas aliquot verborum violas vbique aspergunt, & tristia vernanti etiam sermone sæpius explicant. Intrudunt violentas historias, perspergunt omnia similibus, continuant totas orationes descrip-

tio-

ptionibus, immiscent nonnunquam leues sententias, & exclamant intempestiuè, & perperam vociferantur, & in remissis canunt incitatè, & in incitatis languescunt, & ostentatione futilis doctrinæ pruriunt, & lasciuiunt tinnitu, & multum nugantur in omnibus.

Is igitur, qui horum vestigijs insistit, talis est, vt non quærat graues, & serias ex sacro instrumento, & Patribus rationes, sed putidas quasdam nominum subtilitates, & allegorias, ex quibus leui fundamento inferat noua, & incredibilia, vt nomen sanctissimæ Mariæ prædictum, & expressum ab Isaia, & id probet ex *Reuelatore arcanorum*, qui Antonio Consuli vrbis Romæ de Matre Messiæ quærenti fertur ita respondisse, prout in spelunca duplici oranti Elias reuelauerat.

Maria nomen an expressum ab Isaia?

Quòd autem interrogasti, quo nomine Prophetissa vocetur, Maria est nomen eius. Itaq; Isaias cecinit, c. 9. לסרכה המשרה *lemarbe hãmisra*, quæ verba nihil aliud significant, quam *ad multiplicandum imperium*. Tamen frequenter iterabit *lemarbe hãmisra*, nomen esse Dei Matris ex Isaia, & si quis vrgeat, & dicat *Lemarbe hamisra* significare *amplitudinem imperij*, non, Mariam, faciet anagrammata sine lege, & ex decem literis decerpens septem, dicet in *lemarbe hãmisra* inueniri מרים שרה, id est, *Mariam, sacrã Mariam Dominam*. Quod si quis obijciat duo *he* parũ congruè hic mutari literam, *Iod.* & interponi ב *Beth*, in *Lemarbe*, quod non est in Mariæ nomine. Respondebit. Diuisa est *Iod* in duo *He*, vt nobis secreta admirabilia panderet. Quemadmodum enim *He* ex *Daleth*, & *Vau* componitur in hac figura ה: Ita Rex Messias componitur ex diuinitate, & humanitate, & sicuti hæc duo *He* sunt duo *Daleth*, ex quibus procedunt duo *Vau*, tanquam duo filij, qui ab ipsis oriuntur, hoc modo הה: Ita in substantia Regis Messiæ inueniuntur duæ filiationes: quarum vna est diuinitatis, qua Dei filius est: altera humanitatis, qua erit filius huius Prophetissæ. Et sicut harum literarum *Daleth*, & *Vau*, quæ conficiunt *he*, vnaquæque est ab inuicem distincta, quanquam sit vna litera, sic enim scribitur ה. Ita in Messia substantia diuinitatis: & substantia humanitatis, quæ simul vnitæ sunt, sunt vnus Messias.

Quod autem *Beth* in *Lemarbe* positum sit, ostendit huius Prophetissæ mentem, & cogitationem omnem esse, vt suam Virginitatem conseruet. Erit enim virgo mente, & actu, quoniam per ב *beth* בתולה *bethula*, id est, Virgo significatur: Hæc si quis dicat, oracula fortasse apud imperitos dicere videbitur, sed quam leuia sint apud graues viros quis non videt?

Præterea vt is, qui talis est stylo etiam suis sensibus respondeat, aucupabitur argumenta, vbi delicatum florem orationis possit ostentare, & si minimè res postulet: Sed vt pictores imperiti facere solent, quæ sunt in tabula præcipuæ dignitatis, vt os humanum, aut leo rugiens, aut aper spumans, aut equus pernix, & si quid est simile, hæc parum scitè exprimunt, multas autem rosas, & papauera, & frondes, & nugas tabulæ inspergunt; sic iste, quæ in proposita ad dicendum materia, clara sunt, & illustria, nonnunquam omittet, aut parcissimè stringet, totum se autem ad tornandum milium conferet. Talis est, qui in historia purificationis nihil dicat de Christo oblato, de Virgine offerente, de Simeone, & eius Prophetia, sed se in laudem columbarum, quas castissima Maria detulit, totum conijciat, & *garriat eas habuisse pulchrum collum, cuius color gratus, & nitor splendidus, illucesseret, & contra solis aciem vegetus fulguraret, vel placidus enitesceret, & in contrariam gratiam variaret aspectum, & nunc aurum coruscans in mellis lenem deprimeretur vmbram, nunc coruina nigredine cœrulum videretur.* Item in historia passionis operose describat laternam alicuius Iudæi, & dicat fuisse lucum flammis collucentem, & ad arcendas ventorum iniurias vndique communitum alternis arundinibus, quas peritissimus artifex eleganter concinnauit, fuisse volubilem quendam mundum, in cuius medio sidus fulgeret, vnde vibrantes faculæ permultifore operculum exilirent, hoc quidem præstitit Nonnus Panopolitanus in metaphrasi D. Ioannis his verbis.

Oratores imperiti cum imperitis pictoribus comparantur.

Λύχνων ἐνδομύχων ἀνεμοσκεπὲς ἄλσος ἀείρων
Αλσος ὅπερ δονάκεσσιν ἀμοιβαίοισι συνάπτων,
Πυκνὰ μεριζομένοισι γέρων κυκλώσατο τέκτων,
Αστερόεν μίμημα κλίκιλον ὀξεῖ κόσμω
Μεσσοφανὴς ὃν λύχνος ὁμοζυγέος διὰ κόλπου

Οξὺ φάος πολυωπὸν ὑπὸ σκέπας ἔχει ὀϊστὸν
Διὸς ἐμπεσόν,
Ἀκροφανὲς στιλάγιζε πολυσχιδὲς, ἀλλ' ὁμόθυμον πῦρ.

Sed ingenioso Poetæ danda est venia, qui in suo ludit artificio.

De siccis.

CAPVT V.

Oratores sicci qui?

SVnt vero, qui dum istas ineptias religiosius fugiunt, in contrarium vitium Siccitatis deflectunt, & in quamdam styli maciem incidunt, quæ generosæ vbertatis siti totam corrumpit orationem.

Illi igitur toti sunt ossei, nihil adipalis generis, nihil medullarum habent; sed sensus verecundos, mediocres, attritos; nihil vmquam ingenij colore fundunt audacius, & si quid exiliat statim opprimunt: Nullos lætiores attrectant locos, nihil ex mansuetiorum Musarum condimentis delibant, nihil in eis ex antiquis historijs accersitum, nihil ex similium varia opulentia vsurpatum, nihil ex multiplici scientiarum instrumento affluit. Versantur in sanis quidem rationibus, sed ijs admodum tritis, & communibus.

Præterea tota oratio est considerata, exilis, meticulosa, exanguis, sine colore, sine succo, sine ornatu, vix inuenias stimulum, vix illecebram, vix vllam animæ fibulam, ex quo vagus & languens auditor ad huiusmodi orationes nauseat. Talia plerumque occurrunt in homilijs scriptorum aliquot Ecclesiasticorum posterioris notæ, vt si oratio tota his Druthmari verbis continuaretur.

Loquente Domino turbis salutem animarum, venit quidam Princeps Iudæorum, qui quia sapiens erat in lege, & Archisynagogus, id est Princeps Synagogæ vocabatur, quia in eorum congregationibus propter suam peritiam magister erat: & quia nobilis erat, etiam nomen indicatur ab alijs Euangelistis, dicentibus cui nomen erat Iairus, hæc (inquam) oratio quæ in rerum mutatarum explicatione pedetentim insistit sine sensuum splendore, sine nota recondita, sine delectu verborum, adhibita deinde modica aliqua paræneſi, aut vitiorum insectatione, & omnia ferme stylo narratiuo percurrit, sobria quidem est, neque enim iuueniles habet errores audaciæ, sed tota sicca est, & exanguis, quam attentio raro consequitur.

Siccitas differens à grauibus primi generis.

Verùm dices. Neque istas orationis quas commemorasti diuitias, inesse primi generis grauibus voluisti, quos tamen nemo non in magnis oratoribus numerat. Fateor equidem tales esse vt adscititia consultò fugiant ornamenta, sed habet vim quandam mentis inelucta bilem, quæ ferit animos ex abdito, & violentum quasi tyrannidis lenocinium in alieno figit pectore.

Grauis oratoris admiratio.

Itaque miramur, nos si quando huiusmodi oratores audiuimus vehementer affici, cum tamen ea quæ ipsi dixerunt memoria relegimus, non multas inuenimus Patrum sententias, non subtiles locorum interpretationes, non ex libris incredibilium historias, non tornum, & Myrothecia Rhetorum, sed tamen tenemur admiratione oppressi, & quid tantum miremur nescimus, sed hoc magnæ admirationis instar est quod nescimus, & certè oportet virtutem esse quandam tanto maiorem, quanto occultior est.

Talem fuisse Demosthenis eloquentiam notaui in superioribus libris ex Longino, multis quidem partibus superabatur ab Hyperide, ornamentis quibusdam, & quasi condimentis eloquentiæ: sed grauitate, & indomito robore orationis, & ipsum, & omnes absorbebat. Inde plausus, inde hominum admiratio, neque enim cætera animalia quantumuis pulchra, & velocia, & callida tantum admirantur, quantum vnius Leonis maiestatem: sic ista grauitas, etiam leuioribus ornamentis destituta, nuda, & simplex nos vehementius afficit quam cætera.

Hoc autem imperiosum, vt ita dicam, philtrum sicci non habent, sed vt veterum illorum, & maximè rudium artificium statuæ horrorem quendam incultum, & quasi corpus osseum præferunt orationis, cui nisi neruos, & succum, & sanguinem, & colorem addiderint, nunquam ad vllam dicendi virtutem efflorescent.

* * *

Di-

De vehementibus, qui in laudato charactere versantur.

CAPVT VI.

Concionatoris vehementis character.

VEhementia est vigor quidam acerrimus dicendi. Vehementes autem tales ferme sunt. Affines videntur grauium maxime primi generis, nam & mentem habent generoso quasi fœtam semine, & in nobilibus desudant argumentis, & sententiarum grauitate mirifice delectantur: Sed hoc habent præcipuum, quod commotiores sunt, & verbis efferuescentibus magis volucres. Nec mirum, nam plurimum habent calidi atque incensi, suntque natura leonibus persimiles. Non amant pompam, aut delitias, mollitiemque sermonis, non lubenter versantur in Panegyricorum floribus, sed toti nati sunt ad pugnas; & congressus armorum. Campum autem sibi delegerunt præstantissimum; In eo se exercent sæpius, sudant alacrius, versantur vtilius. Illic vt sempiterni Dei equites ignei lucent in coccinis, non purpura, sed Dei amore flagrantibus: Tunc verbi diuini gladio accincti, pugnant cominus, eminus, feriunt, amputant, concidunt, & mirificas in illo quasi Virtutis amphiteatro referunt victorias.

Primùm videas eos aliquando in dicendi principijs exalbescere, dum se parant, & vires colligunt, & animos exstimulant, mox vbi efferbuere, tùm vultus ardet, tùm igneſcunt oculi, tùm vibrant manus, tùm rigent etiam plerisque capilli, vt furentibus apris setæ, tùm vox tonat, tum quot motus corporis, tot tela sunt.

Fulmina vehementium oratorum.

Atque vt halitus velox, & inflammatus in frigida nube fertur, volitat, luctatur, mox eam, qua parte subtilior est, diffringit, & vasto impetu labitur in terras: sic in eorum oratione videntur aliquando verba, & sententiæ trudi, collidere sensimque inardescere. Vident omnes arcum intentum, quid feriat expectant, mox in festo turbine erumpunt sagittæ vel potius fulmina, & in quodcumque vitium exagitandum se coniecerint, huic ceruices elidũt. Inde trepidant, *queis frigida mens est criminibus*, & pallent, & conniuent, tanquam ad fulgura: sæpe etiam aliquos ad hanc orationis vehementiam, cum amplius ferre non possent, tanquam sagittis confixos ingemuisse; Alios dolore, quem ex flagitijs conceperant, eodem temporis vestigio exanimatos priscæ narrant historiæ.

Hanc vim tantam, & tam acrem non Martis rutilus fulgor, sed Dei mouentis spiritus accendit, famulatur autem natura acris, & velox, & vultus, qui plus habeat horroris, quàm suauitatis, & vox plena, & firma latera, & micantes oculi, & totum actionis pondus, congruunt etiam verba velocius vibrata, sententiæ fortes, generosæ, vellicantes, figuræ non molles, & delicatæ, sed asperæ, & truces, vt sunt exclamationes, ἐπιπλήξεις, execrationes, comminationes, & cæteræ id genus.

Ex multis exemplis deligam vnum, & alterum ex D. Cypriano. Primùm est quo crimen Apostatarum, qui idolis immolarant, insectatur his verbis.

Ex D. Cypr. de lapsis.

Exciderunt quibusdam prò nefas, omnia, & de memoria recesserunt. Non expectauerunt saltem, vt interrogati negarent, vt thus accenderent apprehensi. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati; nec hoc sibi reliquerunt, vt sacrificare Idolis viderentur inuiti. Vltro ad forum currere, ad mortem sponte properare; quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quid illi, qui à magistratibus vespera vrgente dilati sunt? quod ne eorum differentur interitus, etiam rogauerunt? quam vim potest talis obtendere, qua crimen suum purget; cum vim magis ipse fecerit vt perirent? Nonne quando ad capitolium sponte ventum est, quando vltro ad obsequium diri facinoris accessum est, labauit gressus, caligauit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt? Nonne sensus obstupuit, lingua hæsit, sermo defecit? stare illic potuit Dei seruus, & loqui, & renunciare Christo, qui iam Diabolo renunciarat, & sæculo? Nonne ara illa, quo moriturus accessit, rogus illi fuit?

Grauis oratio.

Hæc instans & vibrata.

δ'ιυνωσις plena manifestatis.

Nonne Diaboli altare, quod fœtore tetro fumare, ac redolere conspexerat, velut funus, & bustum vitæ suæ horrere, ac fugere debebat? Quid hostiam tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? ipse ad aras hostia, victima ipse venisti, immolasti illic salutem tuam, spem tuam, fidem tuam, funestis illis ignibus concremasti. Ac multis prò-

Sensus egregij, & vberes. S. Cypriani.

prius interitus satis non fuit: hortamentis mutuis in exitum suum populus impulsus est: mors inuicem letali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attacti, amiserunt paruuli, quod in primo statim natiuitatis exordio fuerant consecuti.

Sermocinatio parvulorum apposite facta à D. Cypriano.

Nonne illi cum iudicij dies venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo, & poculo Domini ad profana contagia sponte properauimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem Deum negauerunt, vt dum parui, & improuidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminum iungimur, aliena fraude caperemur? Nec est pro dolor iusta aliqua & grauis causa, quæ tantum facinus excuset: relinquenda erat patria, & patrimonij faciendа iactura. Qui enim nascenti, atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonij sui facienda iactura est? vt Christus non relinquatur, salutis ac sedis æternæ iactura timeatur.

Numne si benè consideretur hæc oratio, tota est adamantina? Numne *perrumpere amat saxa potentius ictu fulmineo?*

Primùm quàm grauiter criminis turpitudinem exponit, & auget ab adiunctis, impij puta operis celeritate. *Exciderunt quibusdam, Proh nefas! omnia,* & illud, *Ante aciem victi, sine congressione prostrati,* præludit fulmini mox erumpit, *numne labauit gressus, caligauit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt,* &c. Deinde, *Ipse ad aras hostia, victima ipse veniſti, immolasti illic salutem tuam,* &c. Postremo quam aptè facta illa sermocinatio parvulorum apud Dei tribunal lamentantium, sibi parentes fuisse parricidas, & tenerorum iugulo nihil commeritorum, feralem sicam impressisse.

Alterum exemplum est in libro de disciplina, & habitu Virginum, vbi luxum vestium, & fucum mulierum carpit non molli brachio.

Ex D. Cypriano de disci. & habitu virginũ.

Quis non id execretur, & fugiat, quod alij fuerit exitio? Quis id appetat, & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hausto poculo moreretur, qui biberat, venenũ scires esse, quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat interiret; scires esse letale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, vnde interijsse alios ante conspiceres.

Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper, & noceat: & putare quod inde ipse non pereas, vnde alios periisse cognoscas? Neque enim Deus coccineas aut purpureas oues fecit, aut herbarum succis, & conchilijs tingere, & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis, & margaritis, contexta serie, & numerosa compage digestis, monilia instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderes, vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conspiciatur id desuper quod Diabolus adinuenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali sæcularis ignara crucietur, vt postea de auri- *Inauriem luxus castigatur.*
um cicatricibus, & cauernis pretiosa grana dependeant grauia, & si non suo pondere, mercium quantitate? quæ omnia peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœlesti vigore recesserunt.

Cypriani hæc oratio non est facta malleo sed animata.

Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crimen, & expugnare omnem oris, & capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt. Et quidem isto in loco pro timore, quem nobis fides suggerit, pro dilectione quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, sed & nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei, & factura eius, & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta natiuo corrumpente medicamine. Dicit Deus, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* & audet quisquam mutare, & inuertere, quod Deus fecit?

Fucum tergere prohibentur.

Grauis & vehemens oratio.

Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne, quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur. Si quis pingendi artifex vultum alicuius, & speciem, & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam, consummatoque simulachro, manus alius inferret, vt iam formata, iam picta quasi peritior informaret, grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam?

A similit.

Vt enim impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis, vio-la-

olatiſque quæ Dei ſunt, peior adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas, impugnatio eſt iſta diuini operis, præuaricatio eſt veritatis. Monentis Apoſtoli vox eſt, *expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi, nam & paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque feſta celebremus, non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.*

Num ſynceritas perſeuerat, & veritas, quando quæ ſincera ſunt polluuntur colorum adulterijs, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: *non potes facere capillum vnum album, aut nigrum: & tu ad vincendam Domini tui vocem vis te eſſe potiorem.*

Animaduerte generoſæ mẽtis acrimoniam.

Audaci conatu, & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum, capillos iam tibi flammeos auſpicaris, & peccas pro nefas, capite, id eſt corporis parte meliore, & cum ſcriptum ſit de Domino: Caput autem eius, & capilli erant albi velut lana, aut nix; tu execraris canitiem, deteſtaris alborem, qui ſit ad Domini caput ſimilis. Non metuis oro quæ talis es, nec cum reſurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoſcat, & ad ſua præmia & promiſſa venientem remoueat, & excludat? Increpans vigore cenſoris, & iudicis dicat: opus hoc meum non eſt, nec imago hæc noſtra eſt, cutem falſo medicamine polluiſti, crinem adultero colore mutaſti. expugnata eſt mendacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt, Deum videre non poteris, quando oculi tui non ſunt quos Deus fecit, ſed quos Diabolus infecit. Illum tu ſectata es, rutilos atque depictos oculos ſerpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter & arſura.

Quam grauis, & pugnax initio eſt hæc oratio. Quis non id execretur, & fugiat quod alij fuerit exitio? & id quidem apertis ſimilibus euincit. Deinde hoc præclare infertur: *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oues fecit,* quod manifeſte expreſſum eſt ex Tertulliano. Magna autem ars in eo eſt quod in deſcribendo hoc muliebri fuco non mollioribus vtitur orationis cincinnulis, ne vim, & impenſionem argumentorum delicatæ dictionis aucupiis infringat. Tandem fulminat hæc oratio. *Dicit Deus, faciammus hominem ad ſimilitudinem & imaginem noſtram, & audet quiſquam mutare, & inuertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, qui id quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt.* Ad ſummum illud quod in extrema poſuit ingeniolæ etiam vehementiæ: *Malo præſagio futurorum capillos iam tibi flammeos auſpicaris.*

De lentis, & deformibus quæ vehementia aduerſantur.

CAPVT VII.

HVic virtuti duo aduerſantur vitia, vnum eſt in defectu, alterum in exceſſu, lentitudo deficit, excedit inſana deformitas. Eſt igitur lentitudo languor orationis vbi incitata eſſe debeat, lentus autem talis eſt, qui ſiue ita conſtitutus eſt à natura, ſiue ætatis ingraueſcentis vitio, refringi ſibi ſtimulos ingenij, ardoremque reſtingui ſentit. Itaq; tarde res concipit, parum explicate diſtinguit, minus etiam feliciter inuenit: Tum ſubſiſtit, & in continuatione verborum adhæreſcit, & mutila ſæpe atq; amputata loquitur, nec dicẽdo multò magis ſe commouet, quam ſi marmorea eſſet ſtatua, nec vultus vllam habet varietatem, nec micantium oculorum loquentes illẽcebras, nec flexus corporis, nec manus concinnam moderationem, quo fit vt ad dicendum maximè infelix ſit, & ineptus. Longè differt à lenta, ſedata illa, & mitis oratio, quæ perſonas graues, vt Principes, ſenes, doctores, ſuperiores ad ſummum decet, qui non ſolent eſſe commotiores in dicendo, niſi argumenti nouitas aliud poſtulet, ſed ex tranquilla quadam mente ponderoſam, ac veluti ἐκ σκόπτρον ταλαντευομένην fundunt orationem *Vide Senec. Epiſt 40.*

Contrarij ſunt iſtis omnino illi, quos Diuus Auguſtinus in doctrina Chriſtiana vocat, *vaſtos, & deformes.* Sunt autem ferme valentiſſimis viribus præditi, lateribus firmis, voce grandi & meſſoria, ſed parum ſuaui, vt quæ inſtar plauſtri male deliburi ſtrideat. In quamcumque partem ſe coniecerint ſunt motus impotentiſſimi, nam ſpumant, & ſudant, & mugiunt, & tum frontem feriunt, tum pulpitum, & omnia corporis membra videntur velle diuellere, atque in aſtantes ſpargere, rapiuntur autem ab impotenti equo & plane indomito, nec iam ſunt ſui cõpotes. Et quia parum habent ſæpe doctrinæ, aut palæſtræ, dicũt

oratione tumultuaria, discerptis sententijs, dictione plebeia, rudi, inquinata, sine vi, sine sale, sine nitore, & nihil magnum habent præter anhelitum. Rari huiusmodi inueniuntur, nisi qui nunquam mitiori schola fuerint dedolati, & se totos naturæ vastitati permiserc.

De austeris, quorum character non illaudatus.

CAPVT VIII.

EST & character quispiam austerus, horror scilicet dicendi, & nullis leuioribus decocta condimentis acerbitas. Austerus autem talis est, qui primùm rigorem quẽdam habet ingenij, quem si nulla mollior imbuit consuetudo, aut disciplina perpoliuit, euadit in quandam aspetit, tem humanæ consuetudini non satis tolerabilem. Est autem is ferme sanctis moribus, amans solitudinis, sibi ipsi atrox, & durus, ad voluptatis blandimenta ferreus, oppressis quadam ἀπαθείᾳ sensibus, vt, qui vix parabili victu, & necessitate naturæ defungatur. Is igitur eum ad hominum vitam, consuetudinemque profluxerit, quasi in alium orbem venerit, ferre non potest si quid cuipiam humanitus exciderit, sed stomachatur, & vehementer succenset, & omnia suo ingenio, suaque disciplina metitur. Tum si quempiam ridentem viderit, exclamat vt Abbas ille anonymus in vita Patrum. *Coram cœlo, & terra rationem totius vitæ nostræ dicturi sumus; & tu rides;* & si quis de mensa sermonem inferat, ait, *Virtutis cibum esse ieiunium.* Hæc priuatim.

In concionibus, & scriptis, præfert mœstitiam quandam orationis, & sæpissimè de morte, & iudicio, & inferis verba facit; tum in vitia seuerissimos aculeos distringit, & nunquam sine querela dicit, si quæ muliercula comit se elegantius, si stridulos habet calceos, si fluentes lacinias, hoc illi argumentum est, hoc seuere obiurgat, hoc auget, & exaggerat; tum collapsam esse dicit veterem disciplinam, exijsse de animis pudorem, de corporibus pudicitiam, & ima summis permixta.

Talis est plerumque Tertulliani stylus nimis atrox, & horridus, vt, qui frangere omnia, non sanare velle videatur, qua autem austeritate exagitat ornatum mulierum, testis est liber de cultu fœminarum, vbi inter cætera in hæc erumpit.

Quid crinibus vestris quiescere non licet modo substrictis, modo relaxatis: modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis coercere, aliæ vt vagæ, & volucres elabantur non bona simplicitate: Affigitis præterea nescio quas enormitates subtilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in ceruicem retro suggestum, Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adijcere posse pronuntiatum est. Vos plane adijcitis, ad pondus collyridas quasdam, scutorum vmbilicos, ceruicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamẽti: Ne exuuias alieni capitis forsitan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati, Christiano capiti suppares. Deinde, *Cap. 7.*

Atque vtinam miserrimus ego, in illo die Christianæ exultationis, vel inter calcanea vestra caput eleuem, videre; an cum cerussa & purpurisso, & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictam Angeli in nebula subleuent obuiam Christo. &, Nescio an manus sphatalio circumdari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat.

Nescio an crus de periscelio in neruum se patiatur arctari. Timeo ceruicem, ne margaritarum, & smaragdorum laqueis occupata, locum sphatæ non det. Item. *Tertull. de cultu fœmin. Cap. 13.*

Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica, patitur aliquid quod Virginis non sit, studium placendi vtique & viris. Tum in oratione de Idololatria, cum artifices ab eo quæstu, quem ex idolis colligebant auocaret. *Non habeo*, dixit, *vnde viuam, fides famem non timet.* *De vel. Virg. c. 11.*

Saluianus eundem ferme habet characterem vt lib. 5 vbi sic insectatur pseudomonachos. Atque hoc videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum, seculares tantummodo, non multi etiam religiosi, imo sub specie religionis vitijs secularibus mancipati, qui scilicet post veterum flagitiorum probra & crimina titulo sanctitatis sibimet inscripto, non conuersatione alij, sed professione, nomen tantum demutauere, non vitam & summam diuini cultus, habitum magis, quam actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. Vnde illi se minore in-

uidia

tidia criminosos putant, qui cum pœnitentiam quasi egisse dicantur, sicut mores pristinos, ita etiam habitum non relinquunt. Nam taliter ferme omnia agunt, vt eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse, quam postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituisse quod malè vixerint, quam postea quod se promiserint bene esse victuros. Sciunt me verum loqui, & testimonium mihi etiam conscientia sua dicunt, cum multi alij, tum præcipue illi nouorum honorum religiosi ambitores, & post acceptum pœnitentiæ nomen, amplissimæ, ac prius non habitæ potestatis emptores: adeo non seculares tantum, sed plus etiam quam sæculares esse voluerunt, vt non sufficeret eis quod ante fuerant, nisi plus essent postea quam fuissent. Quomodo igitur tales isti pœnitentiam se egisse non pœnitent? Sicut etiam illi de conuersione ac Deo aliquid cogitasse, qui à coniugibus proprijs abstinentes, à rerum alienarum persuasione non abstinent; & cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum. Nouum prorsus conuersionis genus, licita non faciunt, & illicita committunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis stulta persuasio? peccata interdixit Deus, non matrimonia, non conueniunt vestris studijs facta vestra: non debetis esse amici criminum, qui dicitis vos sectatores esse virtutum. Præposterum est quod agitis, non est hoc conuersio, sed aduersio: qüia iampridem vt fama est, opus etiam honesti matrimonij reliquistis: tandem à scelere cessate. Et quidem iustum est, vt ab omni scelere, sed tamen si non ab omni, quia hoc fortasse durum & impossibile esse creditis, certe vel à maximo & prodigioso.

Quam autem hæc sunt grauia, quæ de tributis pauperum eodem libro disputat?

Illud indignius ac pœnalius, quod omnium onus non omne sustinent: imo quod pauperculos homines tributa diuitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortiorum: nec alia causa hæc sit quod sustinere non possunt, nisi quia maior est miserorum sarcina quam facultas. Res diuersissimas dissimilesque patiuntur, inuidiam, & egestatem. Inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias quod defendunt, abundare arbitreris: si respicias quod habent, egere reperies. Quis æstimare rem huius iniquitatis potest? Solutionem sustinent diuitum, & indigentiam mendicorum. Plus multo est quod dicturus sum, adiectiones tributarias ipsi interdū diuites faciunt, pro quibus pauperes soluunt. Sed dicas, cum ipsorum maximus census sit, & ipsorum maximæ pensiones, quomodo id fieri potest, vt ipsis sibi augere debitum velint? neque ego id dico quod sibi augeant. Nam & ideo augent, quia non sibi augent. Dicam quomodo. Veniunt plerumque noui nuncij, noui epistolarij à summis sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis ad exitia plurimorum. Decernuntur his noua munera, decernuntur nouæ indictiones, decernunt potentes, quod soluant pauperes: decernit gratia diuitum, quod pendat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiūt quod decernunt. Sed non possunt, inquis, non honorari, & liberalius accipi, qui fuerint à maioribus missi. Estote ergo vos, diuites, primi in conferendo, qui estis primi in decernendo. Estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. Qui das de meo, da & de tuo: tametsi rectissime quisquis ille es, qui solus vis capere gratiam, solus patereris expensam. Sed adquiescimus pauperes vestræ diuites voluntati; quod pauci iubetis, soluamus omnes. Quid tam iustum, quid tam humanum? Grauant nos nouis debitis decreta vestra, facite saltem debitum ipsum, vobis nobiscum esse commune. Quid enim iniquius esse aut indignius potest, quam vt soli sitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores? Et quidem miserrimi pauperes sic totum hoc, quod diximus soluunt, quod qua re vel qua ratione soluant penitus ignorant. Cui enim licet discutere cur soluatur, aut cur permittitur explorare quid debeat? sed tunc id euidentissime proditur, cum inuicem sibi diuites irascuntur, cum indignantur aliqui eorum, quod sine consilio aut tractatu suo aliqua decreta sint: tunc à quibusdam eorum audias dici; ô facinus indignum, duo aut tres statuunt quod multos nocet: à paucis decernitur, quod à multis miserijs dependatur. Honori enim suo vnusquisque diuitum præstat, vt nolit aliquid se absente discerni: non iustitiæ, vt iniqua nolit se præsente constitui. Denique quod in alijs reprehenderunt, ipsi postea aut pro contemptus præteriti vltione, aut pro potestatis præsumptione constituunt. Ac per hos infe-

infelicissimi pauperes sic sunt quasi inter concertantes procellas in medio mari positi; nunc istorum scilicet, nunc illorum fluctibus obruuntur.

Hæc ille vt plurimum austere. Itaque vbi alius qui suauiter diceret, blande se insinuaret hominum mentibus, per cuniculos oppugnationem moliretur vitiorum, & sæpe habita ratione humanæ imbecillitatis nonnihil indulgeret, compateretur, amanter moneret, cautiones, & præsidia aduersus errores summa facilitate præscriberet; Qui austere dicit, sola vi nititur, vbique cauterium, & chirurgiam adhibet, raro fomentis vtitur.

Hæc ratio tractandi animi humani non adeo felix est, pauci enim inueniuntur apud quos ita agere conueniat, & quos ista remedia non magis vlcerent, quam curent. Itaque præclarissime monet D. Augustinus.

August. epist. 64. Non aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando, addit, *ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur.*

De excessu austeritatis, & agresti Charactere.

CAPVT IX.

VErum austeritas suam prætexit aliquãdo excusationem, fortasse non iniustã, nam boni multum habet, vt quæ plurimum sæpe præ se ferat grauitatis. Sed aliud est dicendi genus in austeritatis excessu positum, quod agreste nominatur, & illud quidem deterrimum; continet enim obiurgationes sine ratione, & modo.

Agrestis igitur talis est, qui præterquam quod vastus, & deformis est, habet quandam naturæ ferociam, & animi prope effrænati rabiosulas emissiones; vt qui non amore, & studio virtutis, aut ex officij ratione reprehendit, sed prauo quidem stomachi morbo, & qui non Deum offensum doleat, sed priuatis iniurijs, aut commodis omnia metiatur. Itaque irascitur, & excandescit, si auditores minus auscultent aut reuereantur. Si quid in suis hortis direptũ, si quid ex vtensilibus furto subductum, si quid pecuniæ quam sperabat excidit, aut aliquo modo læsus est, inuectiuas habet subrusticas in latrones, & aperte conuiciatur canes molossos, & lupos, & tigres, & lycanthopros, aut quid simile per contumeliam homines appellans. Hæc quidem loquentia tota Canina est, & longe à sacrorum oratorum virtute disiuncta.

De delicatis & assentatorijs, & quàm periculosa sit hæc dicendi forma.

CAPVT X.

IN contrarijs militant castris blandi, & faceti, & periculosissime quidem militant in sinu voluptatis, & deliciarum: Quo in genere fuerunt Principes aliquot Arrianorum, & sunt etiam hodie molliores hæretici. Tales igitur sunt qui specie corporis pulchelli, cultu ipso magis decoro quam viros deceat instructi, rerum omnium copia affluentes, ad delicatores assentatiunculas, & aurium lenocinia compositi, toti sunt mellei, toti byssinis verbis opulenti, austera igitur quælibet fugiunt, grandes illas, & atroces Prophetarum sententias, quibus minæ & terrores intentantur mortalibus, de suis chartis expungunt, raro de morte, & inferis sermones inferunt, vel si quid necessario de ijs dicendum sit, mortem credo (vt olim Ægyptij) facient argenteam, & eius spiculum aureum, gemmisque distinctum, ne si tristius spectrum fuerit, ipsi, qui hæc audiũt, in morbum incidant. Tum inferos etiam vernanti oratione prosequentur, & Phlegetontis cirros igneos more Poetarum ludentes depingent. *Mortis spiculum aureum faciunt delicatioratores.*

Sed omissis his sermonibus, vt qui etiam nimis videantur austeri; si quid apud Ethnicos auctores molle, delicatum, vernans, pictum, effluens, calamistratum: hoc totum sibi deberi putabunt, & consectabuntur quidem fabulas, quæ multum admirationis habeant, & fabulis adtexent verba recens cusa, inter cathedras molliores, & nonnihil etiam vnguentis delibuta: tum verbis adstruent numeros, quibus ne Malthuinus quidem molliores habuit.

Nil tùm opus erit, vt vngues mordeant, aut frontem feriant, cum vox lenissimo tinnitu tota procurret tanquam ad sonum tibiarum, nisi forte interdum aspergantur aliqui affectus ex Ouidij Metamorphosi, & Heroidum Epistolis perquam lamẽtabiles, vbi Ariadne de Thesei perfidia quæratur, & Venus Adonidem lugeat;

lugeat: tùm erit opus delicatissimo quodam linceo, eoque apprime vnguentato, vt sudorem excipiat, qui ex tam delicatis membris in hac orationis palæstra fluxerit.

Non erit hic expectandum vt de pœnitentia dicant, & ieiunio; nam & illi Pœnitentiam odere tanquam furiam ex vetere tragœdia, & ieiunium perhorrescunt, vt olim pueri Manducum. Nec mirum, nam ex eorum sensu vna lachrymula, quæ forte ex alicuius mulierculæ oculis inter præclaros illos affectus stillabit, restinguet omnia inferorum busta. Ieiunio autem quid opus est quo canes exanimantur (inquiunt) & relegant in insulas Hypocritatum?

At cum de vitijs agunt, parum abest, quin Deos faciant, sicut & multa fecit antiquitas, quæ nondum tamen erat ingenio tam sagaci, & perpolito. Quod si meticulosos aliquot adhuc reclamante conscientia terreant, *sint omnia protinus alba*. Et hæresis dicatur zelus, & stoliditas ingenium, & Epicuræa vita, libertas: quid enim facilius est quam personatos inducere in scenam errores? Et si adeo turpia sint, vt colorem non admittunt, certè dicetur esse peccatū naturæ quoddam profluuium, quod totum Christi sanguine abstersum est, nec pietatis nostræ eget instrumento, sic igitur miseri perdunt, & perduntur. *Væ, qui consuunt pulluillos sub omni cubito manus, & faciunt cerualia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.*

Adulatorium concionandi genus reprehenditur.

Ezech. 13.

De facetis, & an facetiæ Christianos oratores deceant.

CAPVT XI.

PRoximum blandis facetorum genus, quod est à Catholici doctoris maiestate perquam alienum, hæreticis tamen admodum familiare. Nam cum ad restinguendos omnes pietatis igniculos, & rerum diuinarum sensum sturpitus de humanis euellendum pectoribus Comiattes sint potentissimæ, hoc primum excogitauit Dæmon, vt per sacrarum ceremoniarum irrisionem, turpesque facetias, ad hæresim spargendam sibi viam communiret, tum eadem iam disseminato errore constanter retineret. Itaque omnes ferme hæreticorum ministri sunt ineptè faceti, & proteruè dicaces, auentque sæpe ludere, & rancidos aliquot iocos spargere, in claues Ecclesiæ, & Petri cathedram, & summi Pontificis crepidam, & indulgentias, & rosaria & habitum religiosorum, & ignem purgatorium, & si quid simile. Eò autem quisque facundior est, quò pluribus his condimentis orationem intingit, quibus si fuerit destitutus, instar est implumis auiculæ.

Facetiæ, ars Comi.

Hæretici faceti.

Alia autem (inquam) est ratio apud doctores Catholicos, qui cum fermè toti sint in graui genere dicendi, & ad sanctioris disciplinæ normam compositi, nullum tam inertibus facetijs locum reliquere. Si qui tamen inueniantur, qui vel quod ita ficti sint à natura, vel quod putent inesse in istis iocis ad mescandos animos plurimùm vrbanitatis, ijs vtantur intemperantiùs, malè sibi malè auditoribus consulunt. Nam ridiculis sæpius adhibitis, tum præsertim si ista è triuijs petita, ad humilē scurrarum vitam pauliſper accedant, omnes quotquot antea fuerint excitati, protinus hebescent pietatis aculei, tum auctoritas, & existimatio dicentis, facilè deperdetur.

Nulline igitur (inquies) sunt apud doctores Ecclesiasticos sales, quibus interdum orationi viror quidam delectationis aspergatur? sunt vero, sed quinam, vsu parci, sententijs in ipso ludo graues, verbis modesti, & qui, non ex risus lasciuia, sed ex nobili quodam ingenio fluere videantur. Exemplum sit istud ex D. Augustino, libro de opere monachorum, vbi grauiter infectatur quosdam monachos crinitos, qui vt desidiosæ vitæ speciosum titulum prætenderent, laborem manuum condemnabant, & cœli auibus iactabant se persimiles, quæ neque *serunt, neque metunt*. Hic in eorum desidiam, & promissos capillos ludens: *An ita (inquit) vacandum est, vt nec consores operentur? an quia Euangelicas volucres imitari se dicūt, quasi depilari timerent, ne volare nō possint.* Deinde eorum rationem exagitans. *Iam illud dici nō potest quàm luctuose ridiculum est, quod rursus inuenerunt ad defensionem crinium suorum. Virum (inquiunt) Apostolus prohibuit habere comam, qui autem se ipsos iam castrauerunt propter regnum cœlorum, iam non sunt viri.* Mox erumpit in exclamationem, *O Dementiam!* & cæt. in quibus iocos magna prorsus grauitate tempetat. Est illud venustum ex emplum, quod affertur ab Aenea Syluio, de concionatore Alberti primi, qui Imperatorem, & Proceres conspicatus oscitanter, vt sue-

Monachi desidiosi exagitantur ab Augustino.

August. Sales.

Æneas Syl. l. 3. com. in Panorm.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pe fit, concionem audientes contenta voce exclamauit. *Quæritur saluarine Principes possint?* & re agitata in vtramque partem, excussoque audientium somno: *Quidni*, ait, *possint? si modo baptismo susceptо in cunis vagientes moriantur.*

De suauis & cultis.

CAPVT XII.

Concionatoris suauis & honesti, cultus character.

VErum si delectationis etiam quæruntur aucupia, non est longè deflectendum ad vitia præsto sunt oratores, & ij ex laudato genere, qui saluberrimis præceptis aspergant iucundum quoddam lenocinium mellitæ orationis. Tales autem sunt, qui appellantur suaues.

Primùm sunt lenissimis moribus præditi, ingenio miti, & tractabili, natura comes, & facundi, erga omnes quantùm possunt benefici, in communi hominum consuetudine faciles, & prudentes, diserti, vultu ipso semper ad serenitatem composito tranquilli, & qui verè philtrum habeat tantò potentius quàtò fuerit dulcius. Ij cum natura propter summam ingenij tranquillitatem ad mansuetiores litteras sint optimè compositi, postquam ad tam felix, & liberale solum culturæ decor accessit, euadunt eloquentes, non quidem ex eorum genere qui frangant pulpita, & multo sudore vestes impluant, sed qui lenissimo tractu semper æquabiles fluant.

Dicunt igitur rationibus bonis, speciosis, & quæ secum illecebræ aculeos habent, non multa solent aggerere, non inconcinnè disparia coagmentare, non cohærentia inepte diuidere: sed vt in delectu rerum sunt splendidi, ita in dispositione prudentes. Verbis porrò sunt admodum teres, mites, candidi, & sine redundantia copiosi, dulcibus quoque figuris mirificè temperati, periodorum anfractu non vasti, sed modica conclusione lenes, spiritu, voce, vultu, oculis, gestu denique moderati, & multum amabiles: & si rem attentius consideres, videbis in eorum oratione castas quasdam veneres, & gratias non quidem violentè accersitas, sed quæ naturæ propensionem consequantur, crebrius efflorescere.

Itaque ad argumenta nobilia, panegyricasque orationes aptissimi sunt, ad insectationes vitiorum controuersas quæstiones congressus, & pugnas, vbi grauius anhelare oporteat, non ita instituti, irascuntur tamen nonnunquam, nam vt apes, & si multum mellis habeant, suum tamen in melle, & floribus retinent aculeum: sed cum natura sint perquàm benigni, si quid durius dicant, aut stomachentur acrius, non sunt ijs præsertim, qui homines norũt ita terribiles, imò videntur ad tempus personam assumpsisse, quæ non potest esse diutuma. Lõgè sunt feliciores in affectibus suauitatis, nam si quid amanter dicendum, si quid mansuetè conquerendum, si quid mitius deplorandum, in hoc regnant, & mentem suauissimè feriunt. Præterea nacti sunt, vt plurimùm magnam rerum opulentiam, & quasi ex auro, atque argento supellectilem oratoriam, quò fit vt orationem egregijs sententijs attollant, venustent similibus, historiarum suauitate perfundant. Ad summum, vt eos tibi vno aspectu subijciã, similes mihi videntur amœnissimo flumini, putà Peneo, qui inter Ossam, & Olympum decurrens, collibus dextra læuaque molliter curuis, per apparatissimas agrorum delicias mollissimis flexibus oberrans labitur. Sic illi purissimo tractu orationis per opulentas eloquentiæ gemmas effluunt, & auditores suos incredibili quadam Suada rapiunt.

Sunt enim in tractatione humani animi perquàm felices, neque existimandum est concionatoribus Catholicis rem esse semper cum fœneratoribus, & hominibus, & ijs qui carceri nautico sunt mancipati, sed occurrunt sæpe homines bene morati, magna vitæ innocentia præditi, & ad satus sapientiæ excipiendos idonei, apud quos iracundi, vehementes, clamosi, austeri, non multum possint, contra suaues eos melius excolant, & cum fructu delectent.

Affectatis.

CAPVT XIII.

SImia quædam est eius virtutis affectatio, sed longe differunt à suauibus molles, & affectati, contra quos à nobis superiori libro copiosius disputatum est. Illi magnas habent orationis diuitias, sed honestas & solidas: hi puerilis quoddam eruditionis choragium. Illi quicquid habent, hoc tanquam propriam hæreditatem possident, fluit enim à felici ingenio, eoque non intemperanter culto: At hos videas vt plurimum in aliquot recentiorum libris

libris volutatos adumbrata leuius eloquentia & adscititijs ornamentis iuuenilius luxuriare. Illi verecundas nacti sunt gratias, & dicunt quidem suauiter, sed cum dignitate copulant suauitatem; hi sunt in ipsa affectatione sine fræno verecundiæ impudentes. Illi dispensant elegantias, & colores, hi sine vllo delectu passim offundunt: Illi dicunt argumentis prudentibus, & splendidis: hi puerilibus, & friuolis. Illi tractum habent orationis cum vi iudicij diffusum, hi per abrupta quocumque ingenij calor tulerit, rapiuntur. Illi seruant orationis decoram castimoniam; hi troporum vsu prutiunt insolentius. Illi figuras temperant, hi obliniunt. Ad summum illorum oratio videtur honesta matrona cum mundo sibi debito: horum meretricias olet pyxides, & vestem refert, quæ parùm deceat pudicam.

racula quæ legerint, & audierint, in vnum fasciculum non sine fructu colligunt: aspergunt etiam aliquando narrationes ex peregrino instrumento, quæ non adeo accurrate cũ Chronologia consentiunt, vt Augustum Cæsarem cum Sybilla, de Christo colloquutum, & templum Pacis ea nocte qua Christus natus est cecidisse, & Romulum de suo imperio consulentem responsum accepisse *duraturum donec virgo pareret.*

Hæc dico non parui quidem faciens hominum pietatem, quam omni scientiæ opulentia longe constat esse maiorem, verùm cum in tam sagacem, & fastidiosam ætatem incidimus, pijs etiam concionatoribus magna prouisione opus est, vt videant quid, aut quomodo dicant, ne si quid perperam, licet sincero animo attulerint, in contemptum ministerij cedat.

De pijs, & simplicibus oratoribus.

CAPVT XIV.

Concionatores pij & simplices.

SVnt & quidam pij, homines animę vt plurimum mitissimæ, & candidissimæ, qui cũ se totos religioni, vitæque asceticæ studiis addixerint, similem quoque animo afferunt orationem. Sunt autem fermè boni, credulj, & ad lachrymas faciles; non habent tam lautum, & copiosum litterarum instrumentum, quas & multi nescire maluerunt, vel si habent, non ostentant. Quærunt enim non alta, docta, aut curiosa, sed humilia, pia, simplicia. Non multum curant quid textus ferat Chaldaicus, aut Missale Mozarabicum, an Symmachi versio cum Aquila consentiat, & an קיקיון *kikaion* apud Ionam cucurbitam, aut hederam significet. Verum toti versantur in religiosis meditationibus de præsepi, infantia, vita, morte Christi, & de venerandis quidem eius cruciatibus tractant sæpiùs, tùm de nouissimis, morte, iudicio, purgatorio, inferis, & beatitudine cœlesti verba lubenter faciunt. Mox hominum peccata, & flagitia deplorant, ad pœnitentiam reuocant, & sui similes cunctos ferè desiderant. Dicunt autem ea non quæ ex varia librorum lectione conquisierunt, sed quæ secum ipsi suat meditati, & si simpliciores quidem fuerint, loquuntur stylo humili, tenui, inornato, & plerumque dissoluto, valde delectantur exemplis, & omnia mi-

De pijs grauibus.

CAPVT XIV.

Concionatores pij & graues.

ALiud est genus piorum concionatorũ, qui prudenter, & robustè sunt pij: nam illud quidem habent cum primis commune, quod curiosa oderint, totique sint in pijs argumentis: verum quia multum habent cum pietate ingenij, ac doctrinæ, & si id minime videri velint, dicunt ardore quidem magno religionis, sed sententijs, viuidis, motu graui, castè, prudenter, circumspectè, & ij quidem ad graues secundi generis proximè accedunt. Est sane hæc pietas optimum omnium instrumentum, nam cum eruditio, eloquentia, industria, & cætera humana præsidia tanquam leues flosculi decidant, nisi de cœlo irrigentur, sola pietas perpetuum obtinet cum Deo commercium, vnde & diuturnior est, & longe quam cætera fructuosior.

De doctis.

CAPVT XV.

Concionatoris Docti charactar.

NOn est ea mihi mẽs doctos illos cõcionatores carpere, qui suaue quoddã doctrinæ temperamentum, cum pietate, prudentia, grauitate condiunt, viros omni ho-

nore præstantes: sed fingo mihi, quod animo liberum est, doctos aliquot sine iusta prudentia, & pietate ad concionandi munus accedere, qui se ingenij, & eruditionis profluuio permittant. Tales ferme erunt, qui à puero bonis litteris instructi, omnium scientiarum curricula sint emensi, & tantam vndique rerum opulentiam congesserunt, vt vix se capiant: Itaque quod didicerunt ex magna fœcundi pectoris abundantia plenius eructant.

Loquentur sæpius Latinè, Græcè, Hebraicè, nonnunquam Arabicè, & Syriacè, varijsq; idiomatibus concionem intingent: putes te Geryonem illum poetarum audire, qui ore triplici diuersos eodem tempore fundat sonos. Habebunt frequenter in ore versiones Theodotionis, Aquilæ, Symmachi, Chaldaicam paraphrasin, & cæteras, quas aut castigabunt, aut conciliabunt. Addent etiam multa ex manuscriptis quæ dicent nondum vulgata typis, aut certè Græcè minime edita, & in hac, vel illa Bibliotheca asseruari, puta Lexicon Cyrilli, Victorem Presbyterum in Diuum Marcum, Balsamonem ad Canones Apostolorum, Breuiarium Adespoton, aut Rabbi Mosen Ben Maimon, qui nuper fuerit ex Oriente asportatus. Sunt autem in examinandis auctoribus accurati, in refellendis acres, in conciliandis prudentes: notant porrò ex qua editione legerint quod afferunt, & quo libro, quo capite, quo versu inueniatur, tum addunt irrepsisse errorem, quem sic ex Græcis codicibus emendari oporteat.

In historijs sunt apprimè versati, & Chronologiam quidem accuratissimè discutiunt, tum frequenter sermonem inferunt de annis Nabupalassaris, & Cyri, irridentque eos, qui dicunt Platonem in Ægypto Hieremiam conuenisse; Cyclos, & Eclipses diligenter inquirunt, & expendunt, an vera sint omnia, quæ Andreas Hierosolymitanus de ratione inueniendi circuli solaris tradiderit: oderunt sensus allegoricos, & exiles ingenij argutias, & ea quæ multum habent floris, litteralem sensum sagacissime perscrutantur, & ex varijs versionibus eruunt, Concilia, & ritus Ecclesiasticos egregiè norunt, tùm hæreticos in ratione controuersiarum potenti sæpè plaga feriunt. Afferent autem nonnunquã similitudines ex omnium artium instrumento delibatas, vt qui penè omnia nouerint, & ex mansuetioribus litteris multa quoque aspergent. Et vt se aliquando plebi accommodent, dicent nonnihil tenerum, & moratum, sed tum videbuntur extra suum elementum peregrinari, nec tam felices habere emissiones. Nã dictione sunt pressi, considerati, enucleati, tono vocis quales solent esse boni anagnostæ, gestu etiam perparco. De ijs queruntur rudiores eos nimis latinè loqui, etiam si tùm Græce fuerint loquuti. Ii autem qui nominati haberi inter doctos volunt, lubenter eorum conciones frequẽtant, aiuntque ita esse concionandum, & si quæ sint ambitiosæ eruditionis fœminæ prædicant se lubenter audire viros doctos, recteque intelligere, licet ne γρῦ quidem, vt ait Comicus, intelligant. Qui tamen prudentiùs iudicant, rectè putant huiusmodi viros multæ, & profundæ lectionis, accuratique iudicij esse in scholis, & scriptis admirabiles, ad concionatorum genus orationis, quæ res tota est popularis, minus aptos.

De semi-doctis.

CAPVT XVI.

Concionatores aliqui semi-docti.

EST aliud prætereà Doctorum genus simulatum, & quasi tectorio inductum. Tales sunt, qui à teneris non iecerunt scientiarum fundamenta per solidum, neq; linguarum se varia cognitione excoluerunt. Itaq; consectantur fermè riuulos, in quibus seclusa teneatur aquila, fontes autem prorsus ignorant. Multi sunt in recentiorum libris, eosque nauiter compilant, maximè si qui locos communes scripserint, & vt sunt sæpè ingenio non infelici, & venusta oris facundia, dum hæc efferunt, dicuntque volubilius, ab ijs, qui minimè intelligunt, putantur multa legisse, nam & antiquos auctores identidem appellant, & quos vix fama compererunt, ita referunt, ac si in eorum libros commentarios edidissent. Verum periculum est aliquando, ne suam inscitiam apud doctos prodant, vt cum primis apicibus delineata apud eos, qui collegerunt, inueniunt auctorum nomina, & *D. Augustum* (ita enim sæpe appellatur Cæsar Augustus) vsurpant pro *sancto Augustino*, & si quis auctor tres tantum libros scripserit, ipsi quartum, aut quintum proferunt, tum si quid ab eo Græcè, aut Hebraicè dictũ, id corruptis verbis pronunciant, & in accentu grauiter titubant, denique cum à Chronologia dicunt maximè dissentanea, & Cæsarium

vererem

veterem cum iunioni confundunt: Germanum sacrarum literarum sensum, non adeo curant, sed multa per accommodationem dicunt.

Amant autem fermè rationes friuolas, quæ multum speciei, parum soliditatis habeant, vt quæ ex Cabalistarum penitiore scrinio sunt petitæ, quæ cum dicantur, oraculis videantur similima. Ad summum vt intrudant leuis alicuius doctrinæ choragium, mirabiles plerumque faciunt excursiones, & dissentanea quæq; copulant.

De curiosis.

CAPVT XVII.

Curiositas ridicula. Quærit. hoc cap. l. 1.

IN vitioso quoq; genere sunt nimis curiosi, qui solent in quæstionibus parum fructuosis plurimum temporis tetere. Quærent igitur an ligno interfectus fuerit Abel, & qua ligni specie, ex qua arbore fuerit excisa Mosis virga miraculorum effectrix. Tum dicent hanc quæstionem antea agitatam ab Antonio Consule vrbis Romæ, & Haccadon huic petitioni ita satisfeciſſe.

Haccados apud Galatin. c. 17. l. 16.

Quod me rogas de virga Mosis tibi notitiam dare, dicam tibi quod de hoc scriptum reperi à Rabbi Simeone filio Iohai in inuestigatione secretorum dicitur. Virga illa qua Moses, & Aaron miracula faciebant in terra Ægypti, & postea in deserto floruit, gemmasque edidit, ab ea arbore excisa est, quam Deus Mosi ostendit in deserto, vt aquæ amaræ dulces fierent. Et hæc arbor excisa fuit ab arbore vitæ, quæ in paradiso sita erat, Angelorum manibus. Quam quidem miserunt Adæ, cum ille misisset Seth ad paradisum filium suum misericordiam Dei imploraturum de suo peccato. Dixeruntq; Angeli, Seth, vt plantaret hanc arborem. Quæ quam primum fructum faceret, misericordiæ Dei in eum descenderent, aperirenturque portæ cœli, quæ obseratæ sunt. Hanc autem arborem seu potius ramum accepit Seth, plantauitque in deserto, quam postea Moses inuenit, & ex ea virgam suam excidit.

Idem. l. 8. c. 5.

Hæc pretiosa fabula cum narratur aures implet admiratione, & obstupescunt qui audiunt, quòd tantum & tam mirabilis historiæ arcanum tamdiu latuerit. Iidem plerumque fortè examinabunt genealogias Iudæorum, & quærent cur Panthet ab Hebræis Dominus noster fuerit nominatus, & verè ne Panthet atauus sanctissimæ Dei Matris fuerit. Tum de persona Christi, & Beatæ Virginis nimis multa expiscabuntur, & scire auebunt quas illa vestes & calceos habuerit, an secum in Bethlemitana peregrinatione bouem & asinum duxerit, aurumne in massa, an nummos aureos à Magis acceperit, quæ quidem, vel certè non dissimilia plerumque ab ijs qui historiam tractant, ex destinata opera quæri obiter, aut si ineptè fuerint dicta, refelli possint. Tamen in concionibus nisi res admodum postulet, hæc argumenta prolixè discutere curiositatis plurimum, parum certè fructus habet. Præterea si viderint auditores prurire rerum curiosarum desiderio, afferent ex historia naturali quicquid erit abditum, & incredibile, agitabunt quæstiones Theologiæ & Philosophiæ, non tam ad doctrinam, quam ad pompam, vagabuntur per omnia terrarum imperia, & si qua minima data fuerit occasio, huius vel illius imperij Principes à primo ad vltimum percensebunt. Tum vt arcana etiam dicant omnibus ignota, *Quinquaginta prudentiæ portas, & triginta duo itinera sapientiæ additis Hebraica nominibus, cum magna ostentatione memoriæ numerabunt.* *Cabal. l. 3.*

De scholastico genere oratorum.

CAPVT XVIII.

SVccedunt deinde scholastici, quod verbum ne quis secus accipiat quam intelligam, nonnihil distinguendum est. Primũ igitur dicti scholastici viri multæ in omni genere literaturæ, & politioris etiã elegantiæ, quod superius ostendisse me recordor, nunc autem nomen remansit penes eos qui Theologiam docent in differendi subtilitate positam, viros doctos, ingeniosos, acres, & omni honore dignos, quorum exquisitissima doctrina in decus, & vtilitatem Ecclesiæ longè lateq; permanauit. Ex eorum schola prodeunt nonnunquam concionatores, qui vel sub ipsa adhuc studiorum incude positi, vel certè calentibus etiam tùm altioris doctrinæ vigore ingenijs, rebus optimis parum prudenter vtuntur.

Afferunt enim ad aures plebeias recondita ex Theologiæ instrumento quæstiones, de

scientia Dei, de prædestinatione, de libero decreto, & cæteras huiusmodi quæstiones, de quibus late, quasi in ipsa schola disserunt. Nam & varietatem sententiarum tum veterum, tum iuniorum explicant, confutant aliena, sua confirmant, exhibent etiam verba scholæ in alieno idiomate peregrina, & horrida, quæ omnia tam fastidii plena sunt, quam fructus vacua. Nam vt grauioris est concionatoris electas ex Theologia quæstiones interpretari, nonnumquam magno sapientiæ, & eloquentiæ mansuetioris condimento: Ita profectò has consectari morosius, vbi neque res, neque auditores postulant, multùm habet vanitatis.

Longe etiam deterius faciunt adolescentes, qui ex Philosophiæ circulis recentes, si forte aliquid quod ad Philosophicam palæstram attineat, inuenerint, in hoc excurrent, & cum per antiperistasin dixerint Catholicorum ardorem inter hæreticas prauitates augeri, tum explicabunt quid sit antiperistasis, & quid de ea veteres Philosophi senserint, & cum agetur in Euangelio de signis in sole & luna; tum erunt siderum meteororum rationes fusius explicandæ: hæc enim leuius delibata, vbi & res ita postulare videtur, habent aliquid gratiæ, & doctrinæ, contra putidius inculcata, non modo non delectant aures auditorum, sed oratorum produnt infantiam.

Nec minus ridiculi essent, qui ad ostentationem Rhetoricæ, notarent inter concionandum quod essent tropi, & figuræ Prophetarũ, crebroque dicerent, hoc esse metaphoram, illud antonomasiam, istud verò streptolyton. Omnino enim si quæ occurrunt concionatori ex varijs scientijs, aut artibus obiter perstringenda, nunquam sunt more scholastici interpretis enucleanda curiosius.

De popularibus.

CAPVT XIX.

Concionatores populares.

COronidem his ideis imponat popularitas, præclara certè virtus dicendi, & maior ad conciliandos animos, quam quisquam putet, est sermonis quædam ad hominum sensus accommodata facilitas, quæ rebus, & verbis, si non instructa curiosius, fluit tamen omnino beatiùs.

Caue autem popularitatem, cum humilitate dictionis confundas: humiliter siquidem loqui rudes possunt, populariter dicere, non nisi naui oratores dici possunt. Proficiscitur enim hæc virtus à fœlicis ingenij fœcunditate, & magna quadam industria cui continuus exercitationis labor quasi cumulus accesserit.

Populares autem eiusmodi ferme sunt. Primùm ingenio illustri, facili, copioso, ad omnes motus flexibili lautum habent scientiæ instrumentum, quod & si minimè (propter hoc genus dicendi populare) videatur imperitis, Tamen si quis propius consideret, facile deprehendet eos magnarum artium seminibus orationem, mentemque perspetsam habere. Prudentes omnino sunt, & morum, studiorum, affectuum, consuetudinumq; humanarum peritissimi, & acri vt plurimum φαντασία, quæ rerum imagines tanto seruet tenacius quanto exceperit fœlicius. Verum supra cæteros industria pollent mirabili, qua & intimos hominum sensus, quos viderint, statim deliabant, & ipsi quasi Protei, non quidem ad calliditatis flexus & illecebras, sed ad hominum salutem procurandam in omnes vertunt formas, *Omnia pene omnibus facti.* Ideirco in regendis hominum animis, quibus nihil est ferè morosius, omnium mihi videntur fœlicissimi. Dicunt argumentis, non tam speciosis, quàm fructuosis, magnum habent rerum delectum, dispositionem aptam, & concinnam, dictionem fœlici quodam profluuio æquabiliter fusam, non grandem & cothurnatam, sed neque humilem, aut strigosam, aut attritam, Præmiantur aptè, narrant dilucidè, præliantur acriter, mouent etiam potentius. In conformatione imaginum, & descriptionum sunt mirifici, quamquam nihil affectant puerilius, in similibus ingenioſi, in ethopeijs & moratis orationibus regnant: Actione sunt non molli & curata, & polita ex schola, sed quæ multum libertatis, & sui iuris habeat. Vocem autem in tam varios flexus, & modulos concidunt, vt non vna loqui persona videatur, præcipuè si quid moratum narrant. Tunc enim videntur soli scenam exhibere varijs colloquijs verborumque velitationibus distinctam, quò fit vt sine fastidio, longe aliter quam cantores audiantur.

Et de Idea quidem satis: nunc si quis à me quærat, quæ dicendi ratio perfectissima sit, ea esse arbitror, quæ à vitijs seiuncta, earum quæ supra commemoratæ sunt virtutum maiorem temperiem habeat. At vero quia operosa res

Idea concinnat.

vnum

vnum præstaré in omnibus, idcirco rarissimum est absolutum omni ex parte nancisci concionatorem.

Nunc talem fuisse Chrysostomum contendemus, & cum duabus maximè rebus vis concionatoris contineatur, virtute, & eloquentia; Diuum nostrum in vtroq; magnum libet ostendere.

Chrysostomi magna mens magnæ eloquentiæ seminarium.

CAPVT XX.

PRimum & maximum magnæ illius eloquentiæ seminarium est magnæ cuiusdam mentis excitata perfectio, quam in S. Chrysostomo fuisse perinsignem dictorum factorumque constantia, splendor, & veritas, clarissimis monumentis testatum posteris reliquere. Certè quamdiu his corporum compagibus tenemur inclusi, mentem cœlestis auræ particulam videre non possumus, ex quo fit, vt qui ex hominum contubernio discedunt, antequam quidpiam effecerint, quo diuinos illos sensus quibus altissima quæque ingenia dicuntur esse reserta, posteris aliqua ratione delibandos traderent, vitam nullis eruditionis, aut virtutis coloribus impressam, tanquam Mathematicorum inanem lineam videantur confecisse.

Animus in hac vita duobus coloribus pingitur.

At verò qui se clarissimarum virtutum nobilissimarumque artium ornamentis locupletarunt; ij profecto iure existimantur, non in aere pinxisse, sed ætatem quasi illustrem tabulam exquisito colorum flore descripsisse, vt mentem ipsam, quam cernere aliter non possumus, in aspectu ponerent. Duo sunt autem præcipui colores, quibus se in hac vita cœlestis pingit animus, virtus, & sapientia, quas in S. Chrysostomo singulares & propè diuinas admiramur.

Chrysostomi pietas, & consociatio cum Deo.

CAPVT XXI.

ATque vt eas quas sacris oratoribus necessarias imprimis virtutes prudentissimi viri iudicarunt, obiter attrectemus, certè suauis cum Deo consociatio apparatissimis cœlestium rerum delibuta voluptatibus, summi illius ætheris instar esse creditur, cuius motu cæterarum virtutum quasi stellarum perpetuæ conuersiones, per fixas honestatis leges gloriosissimè decurrunt.

Fuit autem hæc virtus in Chrysostomo non obscura, cuius animus perpetua rerum diuinarum contemplatione quasi catenis aureis religatus, hærebat origini suæ Deo, & nullum habebat cum terris commercium, nisi quod aut huius mortalitatis necessitas extorquebat, aut regina virtutum factorumq; omnium charitas præcipiebat. Mentem quippe quasi purissimi nitoris speculum nullis rerum humanarum sordibus infuscatum æterno numini prætendebat, vt eius radijs collustratus, quod è cœli duxisset contubernio, hoc cumulata quadam mensura spargeret in terras. Quamobrem eo ipso tempore, ea ætate, qua iuuenes calcato virtutis fœdere præferoces per medias voluptates indomitis permotionibus veluti quadrigis inuehuntur, is vt vitam summarum artium præsidijs, contra vim impotentis adolescentiæ muniret, non se ijs quibus frui poterat delicijs addixit, sed intra monasterij septa conclusus, in hac fragili corporis argilla cœpit Angelorum vitam cœlestesque delicias meditari.

Totus nempe erat in vigilijs, totus in orationibus, totus in maximarum rerum commentatione, hinc illa lux, illa sapientia, ille ardor concionum, illæ lachrymæ, quas vbertim hominum flagitia deplorans effundebat. Præterea quod ad sancti viri pietatem indicandam non mediocriter facit, vt erat in Diuum Paulum ardentissima quadam charitate, eius effigiem in eo ipso loco habebat, vbi sancti corpusculum continuis laboribus atque vigilijs confectum (fuit enim somni inter cæteros parcissimus) quiescere solebat. In hanc ille imaginem, cum Pauli epistolas perlegeret, oculis atque animo defixus, quasi ipsum viuum, atque spirantem intueretur consulebat, alloquebatur, orabat, exosculabatur. Quanti autem orationis studium fecerit, & quo animi ardore in cæteros propagari voluerit, testantur ea quæ posteris reliquit conscripta de orando Deo monumenta.

Act. Apost. homil. 44. D. Pauli imago.

Damasc. orat. 1. de imaginib. Baron. an. 407. 14.

Chry-

Chrysostomi temperantia, & frugalitas.

CAPVT XXII.

ALebat hanc orationem insignis victus frugalitas, quam ille tota vita excoluit, vt quæ grauissimorum studiorum comes esset perpetua, magnumque conferret ad contemplationem adiumentum, sic enim se res habet, vt scripsit S. Nilus, *Sobrij mens, vt stella sereno cœlo fulget dulcius.* Contra qui culinæ nidore, gulæque vaporibus obsessus tenetur animus, quid potest sua natura dignum, quid splendidum commentari? Faciebat hæc cibi parsimonia, vt non lubenter conuiuijs interesset, sed cum leuissimo cibo naturæ satisfecisset necessitati, in suam se iucundissimam illam mentis solitudinem totus abdebat. Quamobrem illi qui eius innocentiam furiosissimis maledictis consciderunt, accusatores inter cætera criminationum capita, illud non omisere. *Quod hospitalitatem deseruit, solus studens comedere.*

Vide Baron. 407 Cassiodorus hoc ipsum stomachi debilitati à plerisque ascriptum commemorat, de quo etiam valetudinis incommodo queritur epist. 6. ad Olympiadem.

Ab ipsis mortis ianuis reuocatus hæc ad te scribo: (Deinde) Hyems enim grauior, quam solebat exorta, grauiorem quoque nobis stomachi hyemem inuexit: nihiloque melius, ac commodius, quam qui mortem obierunt, imo etiam grauius hos duos menses confecit. Hactenus enim lucis huius vsura fruebar, vt malorum quibus vndique afficiebar, sensu afficerer.

Quo autem odio prosequeretur intemperantiam, testantur eius homiliæ contra luxum, ebrietatem, & crapulam acerrimo stylo conscriptæ, quin frequenter monebat. *Gula terminum præfigendum esse, naturæ parcimoniam.*

Homil. 13. ad Philip. Palladius qui eius vitam per dialogum conscripsit, hæc de eius victu inseruit. Ipse solus edebat, vt ex parte noui, ob istiusmodi caussas. Primò quidem ob calorem capitis abstemius erat; nisi quod in æstu, eo quod Diarrhodon appellatur, vtebatur. (Est autem διάῤῥοδον vini species ex rosis compositi) Secundo quoniam infirmitatis cuiusdam gratia, eius ordinem desiderabat, adeo vt sæpius quæ fuerāt parata ingrata viderentur, & quæ non aderant, inquiri oporteret. Deinde plerumque cibi oblitus ad vesperam vsque ieiunabat, partim occupatus Ecclesiasticis curis, partim spiritualibus intelligendis abstractus. Contendebat enim, vt eum nihil sacrarum literarum præteriret.

Tanta autem fuit vitæ puritate, vt ex quo baptismum accepit, nunquam omnino iurarit, aut aliquem iurare compulerit, aut mentitus sit, aut cuipiam maledixerit, aut scurrilia locutus fuerit, aut iocos admiserit. *Ioann. Moschin in prat. Spirit. c. 191.*

Chrysostomi prudentia, & de concionatoribus iudicia.

CAPVT XXIII.

VErum licet permultæ, eæq; splendidæ virtutes nō parùm in eo obtineāt cōmendationis, vna tamen inter cæteras elucet prudentia, cuius præsidio ille, quas instar micantium siderū collucere videmus, omnes honestatis diuitiæ reguntur, instruuntur, & summa quadam suauitate dispensantur. *Homi. 9. in 2. ad Timoth. Hom. 3. in 1. ad Corinth.*

Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Inque suum certis motibus vrget opus.

Quantus autem huius virtutis vigor fuerit in sancto Chrysostomo, testantur & ea, quæ de concionatorum virtutibus non minus magnificè, quàm fructuosè multis in locis inculcat. *Hom. 38. ad pop. & hom. 30. in Acta. Hom. 33. in Corin. Hom. in Psal. 115. Hom. 9. ad popul. Antioch.*

Tria censebat esse sacri oratoris officia præcipua, arguere errantes, obsecrare iustos, increpare sceleratos.

Vitam rectam optimum syllogismum.

Concionatores qui humiliter assentarentur, aut iucunda cuique loquerentur, dicebat esse cytharœdos potius quam concionatores, eosque miseros, infœlices, & proditores appellare non verebatur. *Hom. 87. ad pop. Antioch. Hom. 30. ad pop. ad Gal. 6.*

Sentiebat monendos esse cum charitate errantes, quippe, vt aiebat, Magnus Doctor est charitas. *Hom. 6. ad Eph. 16. ad pop. Antioch.*

Laboriosum esse oportere concionatorem, & sedulum, tanquam Christi Apiculam.

Eundem sciscitari oportere de moribus populi, non ex curiositate, sed ex salutis prouisione. *Hom. 17. ad popul. Antioch.*

Temerarium esse qui se periculis frustra ingereret, cū nulla caussa, aut necessitas postularet, si vero de Dei gloria, pietate, & vtilitate hominum ageretur, tanta facilitate corpus exuendū, dicendi *De formula*

quanta

optima ho. in Psal. 115.

quanta vestimentum, cum in lectum quis se confert.

Hom. 3. ad Tit.

Cauendam sacro Oratori in carpendis vitijs iracundiam, sed quod olim Phinees fecit, iugulandum, & non irascendum. Hoc est, scelera verbi diuini gladio sine vlla vitiosa animi commotione perimenda, ne quis increpationis praetextu suam explere videatur cupiditatem.

Hom. 6. 2. in Tim.

Inter concionandum personas nominatim non esse perstringendas, sanare enim oportet errantes, non efferare.

Hom. 8. in 2. ad Tim.

Maiorem concionis partem moribus rectè impendi.

17. in 1. Corinth.

Tria ad ciuitatis perfectionem esse necessaria, pietatem ciuium, misericordiam in pauperes, nouitatum detestationem.

Ecclesiastici balbutiendum sapè cum populo quo sit fructuosior.

Eundem oportere summa patientia esse praeditum, & tranquillo animo more piscatorum expectare, donec pisces se in vete induant.

Caueat omnino concionator à vanitate, & delicijs duobus scopulis in illo concionum freto vehementer periculosis. Studeat tamen valetudini, quo suo ministerio defungi alacrius possit.

Nec facilem, nec omnino duram aurem habeat ad ea quae deferuntur crimina.

Chrysostomi humilitas.

CAPVT XXIV.

NItebantur autem eximiæ virtutes insignis modestiæ, demissionisq; radicibus, quam à puero vehementer adamauit, nam cum parentes pro suæ nobilitatis splendore eum lauto quodam seruitio stipatum vellent scholas frequentare, totam illam humanarum rerum pompam modestissimus adolescens repudiauit, & vix eò adductus est, vt vno duntaxat famulo vteretur. Cumque magnum illud ingenium quod supra ætatem se efferebat, non possent homines non admirari, crebrisque gratulationibus prosequi, oblatos sibi etiam tum in hoc primo ætatis limine magnos à scholarum moderatoribus honores ferre non poterat; sed grauatè adeo sustinebat, si qui modo comiter abijci non possent, vt eum facilè intelligeres onera, non honores gerere. Quamobrem eo tempore quo de ingenij claritate, præstantissimaq; eloquentia spes omnium maximæ adblandiebantur, se in solitudines proripuit, vt humanam gloriam forti animo calcatam subigeret. Quanto verò hominum conatu ex ea vitæ quam elegerat tranquillitate ad sacerdotia, curasq; Ecclesiasticas sit prouectus, nemo nescit. In amplissima porro dignitate collocatus ita se gessit, vt, *Non sua sagena immolare*, quod vetatur in sacris; sed contentissimo quodam animi ardore in Dei gloriam niti videretur. Itaque plausus & acclamationes oderat, humanas laudes respuebat; Nullum illi acroama durius quã diserti laudatoris oratio, nihil modestis auribus grauius quã assentatio videbatur. Cõtra acerbam exilij ignominiam, angores animi, corporis iam ætate & morbis confecti cruciatus suas existimabat delicias, & hæc quidem magno conscientiæ theatro contentus patientissimè deuorabat, vt nec vellet in publicum si posset affluere constantiæ famam. Nam & in epistola ad Olympiadem ait, se in suis ærumnis volitare, & exultare, quasi ingentes nactus esset diuitias, tum præcipit, vt hæc contineat, nec cuiquam enunciet, imò etiam eorum ora qui hæc narrabunt, comprimat.

Habacuc. 1.16.

Vide ep. 14. ad Olymp.

Eiusdem constantia, & grauitas.

CAPVT XXV.

VErùm, vt cum de rebus ipsius agetetur, nihil erat humilius, sic vbi Dei caussa & religio suadebat, nihil erat altius, nihil constantius. Equidem miror hominem inter hæc aulæ fulgura & corruscationes, inter excussam vim procellarum, inter iactus fulminum, iam ictum, iam fumantem, iam nefarijs illis tædis in sanctissimum caput iniectis ardentem, omnes scelerum machinationes, & omnes imperiorum fastus, veluti ruentis in se cœli pondus ineluctabili quodam vigore spiritus excipere.

Quis enim non susciperet primùm magni illius Ioannis cum Gaina congressum? Venit homo Arianus Cõstantinopolin Arcadij Imperatoris tumens amicitia, magnum aliquid anhelans, adumbrata bellicarum rerum gloria circumfluens, ingenti aulicorum satellitio, & Arianis clientibus quasi canum gregibus vndique succinctus. Et ne quid ad singularem malitiam deesset, quæsitam sceleris potentiam

Vide Theod. l. 5. c. 32. Baronium. 400. 42.

larua quadam sanctitatis, & quietis publicæ velare nititur. Templum Arianis postulat, nutat Imperator, angitur, quo se vertat nescit, paternæ quippe pietatis non pressa ad exigui temporis recordationem, sed ad omnium sæculorum memoriam inusta recurrebant vestigia: Contra vero terrebant potentissimi hominis artes, qui si repulsam ambitioso stomacho minus concoqueret, verendum erat ne summam auctoritatem, quasi arcum intentum in Imperatorem verteret, & res imperij iam concussi, non mediocriter attereret: Accetitur Chrysostomus ille antea contemptus, & pannosus Anachoreta, prodit in medium, congreditur, pugnat, reprimit furorem, frangit audaciam, arrogantissimum hominem quasi puerum virga compescit. Tùm fremente inuidia, exultante nostra religione, fauente cælo, bonis omnibus plaudentibus, hæreticorum petitioni securim injcit, & Ducem numerosomilitum satellitio terribilem, in ea ipsa vrbe, in qua iam sibi pene sedem moliebatur imperij, vagum, contemptum, ejectum, basilicæ atque adeo sacrarum religionum immunem, irrisum, extorrem facit. Tanta est, & tam efficax inermis sacerdotis pro Deo armata constantia

Quid deinde, quomodo flagitiosos primariorum hominum mores, & quomodo effusam cleri licentiam, quomodo funestissimas ex veteri illa immanitate oppressorum *Harpyias*, à quibus tenuis plebeculæ sanguis innocentissimus exsugebatur, fuerit infectatus, quàm acer, quàm velox, quàm animosus illis obstiterit, quis ignorat? Sed quia palmarium obtinet constantiæ, celebris illa cum Augusta concertatio, lubenter cætera prætereo. Coniux Arcadij Eudoxia mulier, & sexu ipso, & supra sexum arrogans, ingenio sæua, ira effræna, auaritia insatiabilis, Imperij præterea auctoritate quasi funestissimo telo in omnes bonos armata.

Zos. l. 5. sam describit.

Socrat. l. 6. c. 16. Zos. l. 8. 20 Baron. ad an. 404. 3.

Primùm Eunuchorum, & mulierc ularum septa famulitio, deinde furiosorum satellitum, & quod miserius est pudendorum Episcoporum seruilibus adiuta ministerijs Chrysostomum aggreditur, nec iam Callitropes vineam, & pauperum prædiola deuorat animo, sed in ipsas aras, & æterni numinis honorem iniuriosa, statuam illam argenteam luctuosissimæ tragœdiæ, & acerbissimorum dolorum fontem, non longè à tremendis Dei altaribus dedicat.

Hic hominum concursus, hic plausus & clamores, hic saltatorum & histrionum spectacula, hic semimortuæ profanæ gentilitatis reliquiæ excitantur. Quid faciat Chrysostomus? assentetur? præmium est assentationi propositum amplissimum sanè sacerdotium: contra si reluctetur, non est tam ignarus rerum atque insolens, vt non videat impotentissimæ mulieris furias omnes esse excipiendas, & aut vitam extorrem subeundam, aut mortem forti animo oppetendam. Sed tacere non poterat, quem humana maior de cælo vis animabat, obsistit, arguit, increpat, Augustam Ecclesiæ aditu prohibet, non illum diadematis fulgor perstrinxit, non satellitum minæ terruerunt, non inflexerunt amicorum lachrymæ, non concursantium aduersus se Episcoporum fremitus infregerunt, non mouerunt iniquissima in insontis caput coniurata toties concilia, non exilia, non solitudines, non arma, non cruciatus, Archiepiscopum de illo altissimo constantiæ gradu deiecere, omnes suo corpore excepit in se coniectas volitantium quasi furiarum faces, omnia vidit, omnia pertulit, omnium telis vnum caput opposuit, vt si posset concitatum in Ecclesiam incendium suo cruore restingueret.

Eiusdem Zelus.

CAPVT XXVI.

ERAT porrò beatissimi viri pectori fax quædam diuini amoris infixa, quæ noctes diesq; nouis ignium succrescens alimentis, suas vndiq; terrarum flammas ventilabat. Amor scilicet ille est, quo tanquam spirabili natura viuunt Angeli, quo sancti inardescunt, quo quicquid est puriorum in terris mentium validissimè saucietur. Atque vt cœlum pro igne solem habet reliquorum moderatorem luminum, fontem lucis, fomitemque ardoris sempiterni. Hic vero mundus inferior nactus est illud elementum aero superius, cuius inter cætera potentissimus est dominatus. Sic is qui à nobis videri non potest, intelligi tamen potest, mentium quidam à concretione corporis secretarum mundus, pro Sole & igne, pro flammis & radijs vnum Amorem sortitus est purum, velocem, ætheream, synceram quandam diuinitatis portionem, cuius beneficio mortales penè in ipsam

Clarius.

Dei

Dei naturam transfunduntur.

Hoc amore deflagrabat Chrysostomus, qui commodatus videbatur, non datus his terris, vt in animos hominum eas quas ipse è cœlo hauserat faces, perpetuo quodam motu spargeret. Quamobrem tamdiu hic arsit, quamdiu vixit, & quoad licuit, instar purissimi sideris creditum sibi orbem lustrauit, dedit obscuris lucem, ægris medicinam, miseris solatium, fastiditis gratiam, omnibus ornamentum, atque naturam.

Et certè mirum est quo pacto vir ille curis animi, corporisque laboribus confectus, hoc sedis triennio tanta gesserit, quanta vix crederet posteritas, nisi incorrupta historiarum fides testaretur.

Fuerunt illi tam breui annorum curriculo, aduersus hæreticos Catholicosque Episcopos, tyrannos, barbaros, ipsam demum Eudoxiam, quæ omnes immanitate superauit, crebra, & formidolosa certamina: Is tamen inter tot rerum asperitates, quæ fortissimi cuiusque animum frangere, atque industriam debilitare potuissent, non modo non elanguit, sed alacrius etiam suorum labiorum cursus incitauit, & quæcumque ab optimo, ac vigilantissimo Episcopo erant expectanda, hæc summa fide, incredibili constantia, fructu etiam copioso suo gregi præstitit. Quanto autem amore hunc diligeret, eiusque saluti prospectum cuperet, testantur etiam illæ voces ex homilia quadragesima quarta in Acta Apostolorum.

Iam (inquit) Dei gratia nobis tertius in hoc munere exactus est annus. Per triduum, vt scitis, sæpè etiam per septem dierum spatium hortamur, monemus, reprehēdimus, increpamus, lachrymas fundimus, quas malo tamen ne quis in deteriorem partem capiat, meæ solitudini quam pulpito credere. Iam eò sum adductus, vt propè mihi de mea salute desperandum sit, quorsum? quia dum me vobis impendo, dum res vestras deploro, dum totus vobis seruio, fit, vt nec mea lugeam, nec planè curem; si vos temperatis, præ lætitia dolores & cruciatus meos non sentio: sin minus, etiam is qui inde redundat dolor, mearum miseriarum sensum obtundit.

ὑμεῖς ἐμοὶ πατέρες, ὑμεῖς ἐμοὶ ζωή.

Et in sermone, antequam iret in exilium, ista sunt ardentissimi affectus. Vos mihi patres, quo pacto possim omnium vestrum oblitisci? Vos mihi vita, vos mihi splendor nominis, vos gloriæ patrimonium. Et ego vestri caussa paratus sum, vt millies macter, nec vllam existimo hinc me exhibere gratiam, quando sic demum debito munere perfungar.

Quantum autem rerum hoc amoris perpetuo deflagrantis ardore gesserit, eius acta declarant.

Huius suasu Arcadius Imperator, cum intellexisset complures suorum, vel in aula militantium, vel magistratibus fungentium, esse hæreticos, & speciem duntaxat prætulisse Catholicorum, eosdem magistratibus pulsos, pecuniaq; multatos penitus repudiauit. Huius opera Scythæ Arianis erroribus irretiti, postquam eum per interpretem verba facientem audiuere, reiectis erroribus in Ecclesiæ Catholicæ sinum confluxere. Huius industria Nomades mitioribus ingenijs imbuti, sanctissimas religiones à viris Apostolicis, quos in illam regionem Chrysostomus delegauit, susceperunt. Huius studio Marcionitarum hæresis nondum in fomite præfocata, sed pestiferas ventilans flammas, Imperatoris edicto compressa est. Huius studio monachi in Phœniciam, non sine diplomatibus Imperatoris ad demolienda idolorum fana, cum operis quibus mercedem Chrysostomus lectissimarum Matronarum sumptibus procurauit, missi sunt. Et ne quid vacaret eius charitas incredibilis, quæ nunquam solet feriari, ipse inter sui exilij acerbissimos sanè dolores, captiuos ex Isauris barbaris redimebat, suisque restituebat sedibus, tum egenti turbæ corrogatis quibus poterat pecunijs humanarum solatia miseriarum suppeditabat.

Marcus Diacon. in actis. Porphyr. Baro. an. 400. Theod. l. 5. c. 30.

Theod. l. 5. c. 29.

Eius ingenium, & facundia.

CAPVT XXVII.

EIus ingenium statim atq; perspectum est, placuit, & digna visa sunt opera, quæ in arce eloquentiæ ponerentur. Isidorus Pelusiota in epistola ad Orphelium, commendat in Chrysostomo linguæ facundiam, sententiarum pulchritudinem, argumentorum densitatem, quæ in ipso etiam adolescente doctissimos viros ait ad stuporem vsque demirator.

Quanti verò Chrysostomi eloquentiam fecerit Libanius, ea tempestate sophistarum omnium maximus, testatur eiusdem epi-

stola ad Ioannem, quæ apud Isidorum quoq; legitur his ferme verbis.

Cùm pulchram illam tuam, & elegantem orationem accepissem, viris quibusdam, qui & ipsi sunt orationum opifices, atque architecti eam legi, quorum nullus omnino fuit, qui non gaudio subsiliret, & acclamaret, & ea omnia faceret, quæ homines admiratione perculsi, & quasi attoniti facere solent. Eo igitur eo nomine vehementer lætor, quod ad forensem operam in qua arte specimen edis ingenij, demonstratiuum quoque dicendi genus adiunxeris. Atque te beatum duco, qui ad hunc modum laudare queas, & item eos qui talem suarum laudum præconem nacti sunt. Patrem scilicet qui imperium dedit, & filios qui acceperunt. Baronius hanc orationem tantopere laudatam à Libanio, scriptam putat à Chrysostomo in laudem Valentiniani senioris, & eius filiorum Gratiani, atque Valentiniani, quo tempore Ioannes annum ferme ætatis vigesimum primum agebat.

Et primæ quidem illæ visæ sunt surgentis veluti ingenij faces, at postquam clarissima indoles cœlestis sapientiæ nobilitata est instrumento, ea dixit, & scripsit quæ cum singulari admiratione memoria sæculorum intuebitur. Quis enim fœcunditatem illam ingenij vehementer non miretur, cum Nicephorum Callistum audiat prædicantem, se mille Chrysostomi libros legisse, & Suidam asserentem eundem tot exarasse volumina, vt percenseri numerus facile non possit.

Anianus ad Orontium Episcopum vixit an. 400. vide Sigebertū.

De eius stylo Anianus videtur præclare iudicasse cum dixit: Chrysostomus illud quasi peculiare custodit, ac proprium, quod cum semper sollicitus sit, semper vigilans, & noxij stuporis inimicus, nusquam tamen eius oratio in pompam eleuatur dicentis, sed tota ad vtilitatem aptatur audientis. Est enim stylus ipse Ecclesiæ auribus accommodatus, priscum illud, sed eruditum dicendi genus exprimens, medius, æqualis, maturus, pudicus, alienus ab omni iniuriæ culpa, pompaque luxuriæ, non squallidus quidem, nec tamen floridus, non impolitus, sed neque nimia subtilitate limatus, non asperitate horridus, nec tamen amœnitate lasciuus, maximam vbique copiam, admirabilemque indicans facultatem, nusquam tamen ambitionem. Eo fit, vt eum magis simplex lector intelligat, & laudet disertus. Denique & S. Basilij admirabilem illam curam loquendi, & plausibilem Antiochi pompam, & sublimem illum Gregorij cothurnum facile intelligas, hac Ioannis mediocritate superata.

Hæc ille appositè quidem & verè, hanc enim dicendi rationem præcipuè consectatus est Chrysostomus, quanquam si propiùs rem considerare velimus, nullum profecto inueniemus genus eloquentiæ, nullam elocutionis virtutem, in qua non sit eximiè versatus, quod lubet aliquot eius exemplis comprobare.

Chrysostomi grauitas in dicendo.

CAPVT XXVIII.

FLumen illud beatæ orationis Chrysostomo semper magis cordi fuit, quam in concionando dicendi genere contorta sententiarum grauitas: neq; tamen omnino hac eloquentiæ forma caruit, sed cum apud Principes viros agendum fuit in ponderosam sententiarum densitatem orationem collegit. Talia sunt quæ contra Cainam fertur ingenti animo dixisse. Errat Caina si amicitiam Imperatoris in tuæ impietatis satellitium conuertis. Non licet Imperatori facere quod petis, non licet ei, qui pietatem colere instituat, contra sanctissimas religiones aliquid moliri. Templum tibi in vrbe dari postulas? En tibi apertum est, ingredere, preces funde, nemo prohibet.

Expressa ex iis quæ Theodor. habet l. 5. c. 31.

Sed alterius es sectæ, (inquis) & æde sacra tibi opus est, in qua cum tuo comitatu rebus diuinis operèris. Quo nomine hoc requiris? Maiora sunt ea scilicet quæ pro imperio militiæ gessisti, quàm quibus tantillum gratiæ denegetur. Tu igitur nihil te præmiorum putas dignum his rebus gestis accepisse? Vnde hæc Ducis dignitas? vnde nomen Consulatus? Nihil dico insultandi caussa, sed tamen modestiæ tuæ est cogitare quis nunc sis, quis olim fueris; quæ antea tibi egestas, quæ nunc rerum omnium abundantia, & vt paucis dicam, quo nunc cultu incedas, & quibus antea vestimentis indutus Istrum traieceris. Si tuorum officiorum meministi, tot vero beneficiorum es oblitus, ingratus es.

Hæc planè sapiunt mentem excelsam, grauissimisque cogitationibus exaggeratam, nec minus habent παῤῥησίας, & grauitatis, quæ apud

apud ipſum Imperatorem dixit contra Arianos.

Metaphr. in vita Chryſ. Baron. an. 400. 89.

Dic (amabo) *Imperator, ſi quis huic pulcherrimæ coronæ, quam geris in capite quoſdam abiectos, & obſcuros lapides inter clariſſimam gemmarum lucem inſeruiſſet, videretur hoc tibi eſſe tolerandum?* Cumque animos hac petitione ſuſpenſos tenuiſſet, ipſumque haberet Auguſtum dictis annuentem; tùm aſſumpſit.

Tu verò non exiſtimas Deum iraſci, ſi in hac ciuitate, in hoc Imperij & gloriæ domicilio, inter hunc ſyncerum bonorum cœtum, tamdiu paterâ correptam, & depoſitam partem reſidere? quo ſane dicto tanta efficacitate in ipſius Imperatoris pectus penetrauit, vt Arianos imprimis nobiles vrbe expelleret.

Maieſtas Eloquentiæ in Chryſoſtomo.

CAPVT XXIX.

Typus de incomprehenſibil. Dei nat. ad popul.

SOlet nonnunquam in argumentis ſpecioſis verſari, & in ijs remiſſa tantiſper contentione ſermonis, quem λόγον ἀγωνιστικὸν vocat pleniùs ſe diffundere. Tales ſunt ſermones de incomprehenſibili Dei natura, in quibus ſe ait cœleſtes choreas duxiſſe, quaſi in floretiſſimi prati amœnitate, ὥσπερ ἐν λειμῶνί τινι τῶν γραφῶν. Nec immeritò, fertur enim, & volat, & longè ſupra populares ſermones erigitur, dum agit de illa συγκαταβάσει, & de natura Angelorum, eorumque cognitione: hæc maximè Dionyſium ſapiunt.

Orat. 2. aduerſ. Iudæos.

Serm. 3. de incomprehenſib. Dei nat.

Εἶδες κἀκεῖ καὶ ἐνταῦθα συγκατάβασιν, ἀλλ' ὅμως, καὶ αὐτὰ ἃ δυνάμεις καλύπτουσιν ἑαυτὰς τοῖς πτέρυξι, δι' οὐδὲν ἕτερον, ἢ διατοῦτο, καί τοιγε θεφώταται, καὶ γνωσικώταται, καὶ καθαρώταται, quâquâ de illa συγκαταβάσει prudenter mens Chryſoſtomi intelligenda eſt, ne quid ſubſit erroris. Sed notè hic interpretandi locus, hæc obiter perſtringimus.

Elucet præterea eius maieſtas in narratione, & hypotypoſi ſplendidarum hiſtoriarum ex biblijs, quales ſunt de miraculis in Ægypto, ſupplicio trium puerorum, & ſimilibus, ſic enim ille oratione, quod nemo lædatur, niſi à ſeipſo, quæ quia Græcè longiora ſunt, Latine ſubijcio.

Διατέμνιζε τὴν φλόγα νεφέλη.

Diſterminabat enim flammam nubes vndique impendens, & omnibus illis populis geſtatoriæ domus inſtar erat. Neq; verò noctu face indigebant, quę tenebras diſcuteret, ſed erat eis columna ignis, fons ſtupendæ lucis in duplicem vſum, tum vt luceret, tum vt iter dirigeret. Neque enim lucida duntaxat erat, verùm etiam omni viæ duce certius infinitum illum populum per ſaxa, & ſolitudines ducebat. Ibāt non terra ſolùm, ſed etiam mari quaſi terrâ. Auſi ſunt tranſcendere fines naturæ; cum ſæuũ pelagus pedibus peragrarent, quaſi per firmam petram iter facerent. Cumque illis ſubſtratum eſſet elementum illud, ſolidam terram, campoſque ſupinos, & agros imitabatur: cum verò hoſtes excepiſſet, tum maris vices exequebatur: Illis quippe fuit vehiculum, hoſtibus ipſorum ſepulchrum, illos ſumma cum facilitate tranſmiſit, hos maxima cum vehementia ſubmerſit. Qui fuerat hactenus ſine lege aquarum impetus, virorum ratione præditorum atque prudentiſſimorum ordinem, & obſequium præ ſe ferebat, cum iam cuſtodis, iam carnificis vicem obtineret, vnoque die contraria repente præſtaret.

Quid commemorem petras, quæ fluuios effuderunt aquarum? quid nubes volucrum, quæ corporum multitudine terram texerunt? Quid miracula patrata in Ægypto? quid prodigia quæ cõtigerunt in ſolitudine? quid trophæa, & incruentas victorias? Tanquam enim choreas ducerent, non bellum gererent, ita aduerſos domuerunt, ac dominos quidem ſuos ſine armis ſuperarunt, qui verò extra Ægyptũ cum ipſis pugnarunt, eos tubis canendo pſallendoque vicerunt: & totum illud ſpectaculum chorea potius erat, quàm bellum, initiatio magis quàm pugna.

Et de fornace Babylonica.

Intract. quod nemo lædit. niſi à ſeipſo.

Quid verò illorum triũ puerorum, dic mihi, virtuti ſuperfuſa tot mala offecerunt? an non adhuc adoleſcentes, & admodum quidem teneri, immatura ætate graue illud ſubiere ſupplicium, & diuturnam captiuitatem, à patria, domo, templo, altari, ſacrificijs, libationibus, ab ipſo quoque Pſalmorum cantu? Non enim illi domo duntaxat eam ob cauſam arcebantur, ſed multa quoque diuini cultus interdicebantur genera. An non barbarorum manibus dediti ſunt, lupis potiùs, quàm hominibus, & quod eſt grauiſſimum, in tã longè diſſitas, ac barbaras abducti terrarum oras, in ſeruitutem grauiſſimam, non magiſtrum habebant, non Prophetam, non Principem? *Non enim eſt*, inquit, *Princeps, neque Propheta,*

Ampliſicatio à perſona. A re, exilij grauitas.

neque dux, neque locus sacrificandi coram te, & inueniendi misericordiam. Quin etiam in domum regiam, tãquam in scopulum, ac præcipitium, & pelagus saxis petrisque sub aqua latentibus refertum, introducti sunt, sine gubernatore, sine proreta, sine nautis, sine velis sæuum illud mare nauigare coacti, atque in aula regia, tanquam in carcere inclusi. Cum enim philosophari nossent diuinitus, rebus humanis, & omni vanitatis fastu supetiores, accessionem malorum, etiam illam commorationem esse existimabant: Si enim foris fuissent, in domo priuata, maioris libertatis spes affulsisset; at verò introducti in illum carcerem (carcere namq; omnem illam splendoris, & magnificentiæ speciem, & præcipitijs scopulisque nihil censebant esse meliorem) continuò grauem difficultatem sustinuere. Rex enim eos suæ illius Sybariticæ impuræque, & prophanæ mensæ iussit esse participes, id quod eis interdictum erat, & morte grauius videbatur: ac soli velut agni in medio tot luporum erant inclusi. Necesse erat aut fame tabescere (imò verò ad mortem rapi) aut prohibitos cibos degustare. Quid ergo faciunt iuuenes, orphani, captiui peregtini, serui illorum qui hæc imperabant? Non existimarunt necessitatem sibi ad defensionem sufficere, neque tyrannidem eius, penes quem summum erat imperium: sed omnia moliuntur, vt peccatum effugiant, omni licet ex parte deserti. Neque enim pecunijs persuadere poterant, vtpotè captiui: non amicitia, & familiaritate, vtpotè peregtini non potentia superare, vtpotè serui: non multitudine vincere, vtpotè tres tantùm.

ἀφώλων γίμων, κ) σκοπέλων — *Periculi magnitudo.*

τῶν σοφιστικῶν ἀνώτεροι πραγμάτων.

συβαριτικῆς.

Suspendit animos.

Plena maiestatis amplificatio.

Accedunt igitur ad Eunuchum, qui eam potestatem obtinebat, eique verbis quod cupiunt, persuadent, hominem timidum, deque salute sua sollicitum, & metu mortis penè exanimatum: *Timeo enim ego*, inquit, *dominum meum Regem, ne quando videat vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentulis coætaneis vestris, & condemnetis caput meum Regi*: Eo timore liberant, vt daret ipsis eam quam petebant gratiam. Ac postquam omne officium fecissent, Deus quoque deinceps fecit suum. Neque enim solius Dei erat præclarum illud facinus in his, quorum gratia mercedem illi erant accepturi, sed exordia proficiscebantur ab illorum animo: quę cùm præstitissent generosum ac fortem, Dei fauorem sibi conciliarũt, & ad finem, quod moliebantur, perduxerunt.

Per subiectionem.

Vides, qui se ipse non lædit, ei neminem alium detrimento esse? Ecce enim nec iuuentus, neque captiuitas, neque orbitas, neq; exilium, nec solitudo, & destitutio eorum, qui ab ipsis starent, nec mãdatum graue, nec magnus mortis timor, qui eunuchi oppresserat animum, nec paupertãs, nec paucitas, non denique quòd in medio barbarorum essent, non quòd hostes haberent dominos, non quòd in ipsius Regis manus essent traditi, neque cognatorum omnium absentia; neque Sacerdotum, & Prophetarum & aliorum, qui curam ipsorum gerebant, alienatio, nec libationum, & sacrificiorum cessatio, neque templi & Psalmorum ereptio, neque quidquam horum eis nocuit; sed tum maiori gloria fuerunt, quam cum ijs rebus in patria sua fruerentur. Hoc primo certamine perfecto, insigni corona redimiti, lege in aliena quoque regione seruata, conculcato tyranni mandato, victo dæmonis terrore, neque vllo illa ex parte damno affecti, quasi domi sederent, & omnibus illis fruerentur, opere ita liberè perfecto, ad alios rursus agones sunt vocati.

Vide nil non quasi seu repentinæ sequitur, quæstionem.

Iterum erant iidem, & certamen priore difficilius ipsis proponebatur, caminus incendebatur, barbaricus aduersus eos exercitus cum Rege instruebatur, velut in acie, tota l'erfica potentia incitabatur, omnia ad vim, ac fraudem, ac vim ipsis afferendam comparabantur, diuersa cautionum genera, variæ suppliciorum formæ, minæ aspectus omni ex parte terribilis, & verba aspectu terribiliora: sed tamen quoniam semetipsi non prodiderunt, nihil vnquam damni acceperunt: qui etiam coronis quam priores fuerant, illustrioribus redimiti sunt. Vinxit enim eos Nabuchodonosor, & in caminum conjecit, non tamen damno, quin potius etiam commodo affecit, & illustriores reddidit. Cumque nec templum (iterum enim *Secundum agon ipsi incep.*

Videsne ut ter eadem dicam) neque altare, non patriam, non commutationem sacerdotes, non Prophetas haberent, in aliena, & barbara regione in medio camini, totiusque illius exercitus, Rege harum rerum authore spectante, splendidum statuerunt trophæum, & insignem reportarunt victoriam, quam omnium sæculorum memoria celebrabit.

reperiunt. Quod in Amphi. caminum facem. est.

* * *

Vehe-

Vehementia Chryſoſtomi.

CAPVT XXX.

Vehementia init. orat. 1. in Iudæ. Fiſt. & funda.

PRæclare omnino Chryſoſtomus oratione 2. aduerſus Iudæos comparat concionatores cum paſtoribus fiſtula ſimul, & funda inſtructis. Itaque quamdiu noxiæ belluę nihil afferunt moleſtiarum ſub ilicem, aut populum ſtrati, fiſtula canunt, ſinuntque oues liberè, & pro ſuo arbitratu paſcere: Verùm ſimul atque ſenſerint alicunde luporum incurſionem imminere, mox abiecta fiſtulâ fundam arripiunt, & omiſſo calamo fuſtibus, & laxis obarmant ſeſe, quoque ſeptis conſiſtentes, magno emiſſo iubilo, ingentique vlulatu vociferantes, frequenter ipſo clamore feram priuſquam irrumpat, abigunt.

Hom. 24. in epiſt. ad Rom.

Hoc ipſe ſæpiſſimè præſtat, modo enim adpiorum ſolatium, & cœleſtis lætitiæ fructum, ſuauiſſimis affluit orationis lenimentis, modo in hominum flagitia, & errores, aculeos potentiſſimos erexit. Plenus eſt iſtis exemplis, nec diu nobis in profluente quærenda eſt aqua, vide quo ſpiritu in adulteros hæc dicat.

Luxuriæ inſectatio. Item adulterij & fornicationis.

A malis conuiuijs malæ vobis libidines, hinc laſciuiæ, hinc vxores contemptæ, hinc ſcorta in pretio, hinc domorum euerſiones, hinc ſeorſum, ac deorſum voluuntur omnia.

(Deinde:)

Puro ac illimi fonte relicto ad cloacarum cœnum curritis: Cœnum quippe ſcorti corpus eſſe nemo negarit, vel te ipſum teſtem aduoco, qui in ijs ſordibus es volutatus, tuã conſcientiam appello. Deinde non erubeſcis flagitium, non impurum te, non fœdiſſimo crimine contaminatum vides, *Mox etiam pugnat acrius.*

Quid ſeminas, quod metere non licet: imo ſi meſſueris multum tibi dedecoris fructus afferet. Nam ſi peperit, tibi dedecus peperit, & puero magnam iniuriam, qui propter te notus, & ignobilis naſcitur. Cui etiam ſi innumeras pecunias reliqueris, adhærebit tamen macula dedecoris tui, & propter te infamis domi, in vrbe infamis, in foro infamis, ſiue ex ſcorto ſit, ſiue ex ancilla futurus eſt. Tibi vero non vides perpetuam quoque inde infamiam creari, quam neq; viuus, neq; mortuus elues, etenim cum ex iſtius impuri corporis vinculis exceſſeris, manebunt tamen poſt te tuæ turpitudinis monumenta.

(Tandem crimen auget à conſequentibus.)

Quid igitur & te, & omnia hoc dedecore afficis, quid ſeminas aruum ſterile, infrugiferum, atque vtinam non ipſum ſuos fructus perimeret. Sed prôh dolor! Sæpe ante generationem cædes, ſcortum non permittis, vt ſcortum tantummodo maneat, ſed ex meretrice facis homicidam. Sic ex ebrietate ſcortatio, ex ſcortatione adulterium, ex adulterio cædes, imo quidpiam cęde immanius, quod quo verbo dicam neſcio, ad enorme facinus, portẽtoſo quodam vocabulo opus eſt. Cædes quod natum eſt occidit, hoc ne naſcatur prohibet. Tu (& quis? & quantus) donum Dei infamia, atque dedecore corrumpis, tu naturæ repugnas legibus, tu generationis promptuarium homicidiorum officin. m facis, & mulierem, quæ ad generationem ſobolis data eſt, ad necis artificium inſtruis. Nam *miſera libidinum victima*, vt amatoribus perpetuo ſit accommodata, & amabilis, & plus interim pecuniæ corrodat, intrepide facinus aggreditur. Et tu in mulierculam culpam reijcies, tua fraus, tuum ſcelus eſt, tu faces, & flammas in tuum caput congeſſiſti.

ἀτοκίαι

Quid dicam ex adulterijs pullulare idololatriam? Multæ ſiquidem vt amentur, incantationes, & libamina, & philtra innumeraque alia machinantur. Mox etiam parantur venena non fornicario vtero, ſed vxori miſeræ, atque innocenti innumeræ ſtruuntur inſidiæ, & Dæmonum inuocationes, & mortuorum incantamenta, & bella quotidiana, & aſſuetæ contentiones, & odium inexpiabile.

Multæ habet in idem arg. hom. 3. de pœnitentia. l. 5. t. 1.

Deinde rem indifferentem etiam mariti ipſi libidinem putant. Hæc oratio planè grauis, plena lacertis, & viribus.

hom. de Dauid & Saule vehementer inuehitur in ſpectacula.

Homilia ſeptima in epiſtolam ad Coloſſenſes acerbè inuehitur in luxum mulierum, quæ ſibi matulas argenteas faciunt, his verbis:

Quid vero mulieres? (pudet quidem, ſed tamen neceſſe eſt dicere) matulas faciunt argenteas, oporteret vos pudere, quæ hæc facitis, Chriſto eſuriente tu ita indulges delicijs, imo vero dementiæ. Quaſnam hæ luent pœnas? Deinde rogas, cur lattones, cur parricidæ, cur mala, cum Diabolus, vos ita agitet, atque diſcerpat?

Nam menſas quidem, & diſcos habere argenteos, ne hoc quidem animo conuenit rectè philoſophanti, ſed totum eſt deliciarum. Immun-

munda autem vasa facere argentea, nunquid est luxus, nunquid insaniæ, vel si quid insania peius est. Scio derideri ab istis delicatis hanc orationem meam, sed dum prosim, nihil curo.

Magnam re vera amentiam, magnum furorem procreant diuitiæ, vellent (opinor) si fas esset, terram esse auream, & parietes aureos fortasse, & cœlum, & aerem ex auro. Quis furor, quæ amentia, quæ febris?

Luxus mulierum carpitur.

Alius perit frigore, qui factus est ad Dei imaginem, & tu matulas argenteas fabricaris. O fastum, & arrogantiam! quid amplius fecisset insanus, scilicet tanti facis excrementa, vt ea argento excipias? Scio vos audientes obtorpescere, sed obtorpescere debent, quæ hæc faciunt, & viri, qui morbis huiusmodi deseruiunt. Est enim hoc intemperantia, & crudelitas, & inhumanitas, & feritas, & petulantia.

Quæ Scyllæ, quæ Chimæra, quis Draco, vel potius, quis Dæmon hoc fecit? Quid prodest Christus? quid prodest fides, cum toleratur aliquis ex gentibus, imo verò non ex gentibus, sed ex Dæmonibus? si caput non est ornandum auro, & margaritis: qui argento vtitur ad tam immundum ministerium, quam assequetur veniam? Non sufficiunt reliqua, quamuis nec illa sunt toleranda: Cathedræ, & scabella ex argento omnia. Atqui hæc quoque sunt amentiæ: sed vbique est fastus superuacaneus, vbique inanis gloria.

Ego vereor, ne ab hac insania longiùs progrediens sexus muliebris monstrorum formã suscipiat. Verisimile est eas cupere, pilos quoque habere aureos. Aut fateamini vos eò, quod dictum est, nihil esse affectos, & excitatos, aut incidisse in concupiscentiam, & nisi pudor retinuisset, non recusauissetis.

Nam si audetis ea, quæ sunt his absurdiora, multo magis existimo eas pilos aureos esse desideraturas, & labra, & supercilia, & auro liquefacto totas illini, si autem non creditis, & existimatis me ridentem dicere, ego narrabo, quod audiui, imò verò nunc quoque est: Rex Persarum barbam habet auream ex lamellis aureis instar pilorum productis, sed iacet tanquam monstrum. Magna tibi laus Christe, qui nos, & sanos fecisti, & istis monstris liberasti.

Persarum Regis barba aurea.

Animaduerte hic epicherematũ densitatem, pugnacis animi calorem, & quasi incussam vim grandinis, aspergit tamen etiam iocis orationem, quæ sunt huic argumento percõmodæ, inde, nec minus acer est, & plus habet γοργότητος.

At homilia de Dauide, & Saule grauiter inuehitur in eos, qui frequentant spectacula.

Non metuis, non expauescis, dum oculis, quibus illic lectũ est, quis est in orchestra spectas, vbi detestandæ adulterij fabulæ aguntur, ijsdem hanc sacram mensam intueris, vbi tremenda peraguntur mysteria? Dum ijsdem auribus audis, & scortum obscœnè loquens, & Prophetam, Apostolumque ad arcana sacrarum litterarum introducentem? Dum eodem corde, & lethalia sumis venena, & hanc hostiam sanctam, ac tremendam?

Austeritas.

CAPVT XXXI.

HAbet quoq; sæpè multum in carpendis vitijs austeritatis, vbi nulla lenimenta adhibet, sed statim vrit, & secat, vt violentum morbum violento remedio opprimat. Tale est illud ex homilia 7. ad Colossenses.

Ecce suadeo, & iubeo, vt & faciei ornamentum, & eiusmodi vasa conteras, & des pauperibus, & nunquam in posterũ insanias. Qui vult resiliat, qui vult accusset, & reprehendat, nullũ patior. Quando sum iudicandus stans ad tribunal Christi, procul vos statis, & quæ à vobis existit gratia, me reddente factorum rationem.

Procul hæc verba. Caue ne discedat, & in hæresin deficiat, est imbecillus, te dimitte, & tei aliquantisper accommoda. Quo vsque? semel, & bis, & ter, non perpetuò. Ecce rursus nuncio, & cum beato Paulo testor, & obtestor, quod si rursus venero, non parcam.

Quæ est hæc mollicies, quæ deliciæ, quæ contumelia. Contumelia enim est non deliciæ. Quæ amentia, quæ insania? Tot pauperes circumsistunt Ecclesiam: & tam multos filios habet Ecclesia, & tam druites, nulli pauperi potest opem ferre. Sed alius quidem esurit, alius verò est ebrius: alius quidem in argento egerit: alius autem ne panem quidem habet, quo vescatur. Quænam hæc tanta insania? quænam hæc tanta feritas? Contra Helluones

luones vero agit, non miti quidem brachio hom. 54. ad popul. Antioch. nunquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus? Quid lautam vermibus mensam apponis? quid maiorem alis saniem? quid fœtidos sudorum fontes reponis? quid ad omnia temetipsum reddis inutilem? Vis oculum acrem ferri? fac corpus robustum. Nescis in lyræ fidibus crassam & immundam, ad suauitatem cantus ineptam esse, contra tensam, intensam esse vocalem, & canoram. Quid animam obruis? quid parietem crassissimis sordibus oblinis? quid fumos, nebulam, & caliginem exhalas?

Et homilia περὶ τοῦ μὴ πρὸς χάριν δημηγορεῖν austerè dixit eos, qui indignè communicant, ijsdem teneri pœnis astrictos, quibus Christi carnifices.

Οἵτε ἀναλίσκοντες τὸ σῶμα δεσποτικὸν, οἵτε ἀκαθάρτῳ διχόμενοι τῇ διανοίᾳ, ὁμοίως ἐμπαροινοῦσι τῷ ἐνδύματι τῷ βασιλικῷ. &c.

Qui Dominicum corpus necârunt, tum qui immunda recipiunt anima, parem iniuriam regio inferunt vestimento. Discîderunt quidem illud in cruce Iudæi: coinquinat autem is, qui immunda susçipit anima: Itaque licet diuersa peccata sint, tamen æqualis est iniuria.

Suauitas Chrysostomi.

CAPVT XXXII.

IAm verò cum hominum cupiditatem liberiùs volitantem fregisset orationis lacertis, atque viribus, vidisletque animos veluti quodam sidere perculsos, de industria mitigabat austeritatem, & abiectâ fundâ sumebat fistulam. Hoc ipse testatur in homilia, quam περὶ τοῦ μὴ πρὸς χάριν δημηγορεῖν, de non concionando ad gratiam scripsit, vbi cum in superiori concione dixisset eos, qui indignè communicassent, easdem pœnas daturos, ac Christi carnifices: Quo sermone cum multos acrius perstrictos, ac obstupefactos cerneret, postmodum ita exorditur.

Ἱκανῶς ὑμῶν οἶμαι, χθὲς ἡψάμεθα περὶ τὴν βαθυτέραν ἐδῶν καμψαι τὴν πλημμ. &c.

Satis opinor vos nuper increpauimus, ac profundiorem plagam inflximus: Itaque necesse est hodie medeamur, ac mitiora quædam medicamenta apponamus. Hic enim optimus est medicinæ modus, vt non modo secentur vlcera, verumetiam obligentur.

Quamobrem cum ablegato hoc ἐγωνιστικῷ genere dicendi, consultò lenit orationem, vt in floridis fieri solet argumentis, mirificas tunc habet rerum, & verborum suauitates.

Præcipuè vero adhibet figuras sententiæ valdè splendidas, & delectabiles, qualis est illa antitheſis de Lazaro, & diuite Helluone. *Lazari, & diuitis comparatio.*

Nam & Lazarus pauper erat, & admodum quidem pauper; paupertati accedebat aduersa valetudo omni paupertate acerbior, quæ paupertatem quoque reddebat grauiorem: aduersæ valetudini solitudo, & penuria eorum, qui astarent, atque ministrarent, quæ cum paupertatem, tum aduersam valetudinem faciebat acerbiorem. Horum namque singula per se quoque molesta sunt, cum verò neque qui ministrent, adsunt, maior fit calamitas, sæuior flamma, dolor acerbior, tempestas atrocior, fluctus vehementiores, caminus ardentior. Quod si quis accuratè circumspiciat, aliud etiam his quartum accedebat, nempe diuitis in vicinia habitantis licentia, & luxus. Sin aliud etiam quintum vis inuenire, flammæ illius fomitem, id quoq; in eo perspicuè videbis. Non enim duntaxat genio indulgebat diues ille, verumetiam ersi iterum, tertiùm, imò verò sæpius in die eum videbat (iuxta vestibulum namque iacebat, spectaculum dirum miserabilis tragœdiæ, qui aspectu solo, vel ferreum pectus poterat emollire) tamen neq; hoc inhumanum illum ad eam paupertatem leuandam permouit: sed ille lautissimam apponebat mensam, crateras habebat diffuso mero coronatas, nitidos coquorum exercitus, parasitos, & adulatores prima luce, & choros canentium, vina infundentium, risus mouentium: omne genus popinarum excogitabat. Obruebatur vino, & crapula, in luxu vestium, mensæ, aliarumque plurium rerum solidos dies agebat; Istum verò, quem graui fame, morbo acerbissimo, obsidione tot vlcerum, solitudine, & malis inde consequentibus in dies singulos premi videbat, ne in animum quidem aliquando admisit. Parasiti, & adulatores nimijs epulis penè disrumpebantur; at iste pauper, *Diuitis mali luxus.*

& adeò pauper, tot malis cinctus, nec micas ex illa mensa obtinuit, etiamsi vehementer optaret; neque horum quicquam eum læsit, non durius est obloquutus, non vocem edidit maledicam: sed vt aurum vehementiori igne magis purgatum splendescit; sic etiam ille tot rerum asperitatibus vexatus omnibus fuit superior, tam plagis, quàm quæ multis nascuntur inde perturbationibus. Si enim omninò pauperes eum diuites vident, tabescunt inuidia, & æmulatione conficiuntur, ac vitam sibi non esse viuendam existimant, idque cum necessarius eis victus, & ministri suppetunt: Iste pauper, & quidem pauper vt nullus alius, nec pauper modò, verumetiam æger, quippe non habebat, qui astaret, vt vllo esset solatio, sed in media vrbe velut in extrema solitudine, fame tabescebat acerbissima, isti omnia tanquam ex fontibus affluere videbat, omni humano subsidio destitutus, canum linguis, ceu perpetua quædam mensa propositus (ita enim omnia eius membra luxata ac dissoluta erant, vt nec illa arcere posset) quam iniquo animo fuisset, nisi valdè generosus, ac sapiens extitisset? Cernis qui se non lædat, etsi ab omnibus lædatur, nihil mali perpeti? repetam enim eandem orationem. Quid namque aduersa valetudo; quid solitudo eorum, qui astarent? quid accessus canum? quid mala diuitis vicinitas? quid magnus luxus, superbia, & arrogantia illius huic nocuerunt? num eum ad sustinenda pro virtute certamina reddiderunt molliorem? quid verò constantiam eius læsit? nihil vsquam; sed eũ etiã magis corroborauit, & infinitarum ei materia coronarum, accessio præmiorum, incrementum mercedis, seges maioris remunerationis extitit illa malorum multitudo, diuitisque crudelitas.

Comparanda descriptio siue antithesis quam habet de eodem argumento Chrysologus ser. 124.

In oratione de ordinat. floridiùs quoque renidet, vt in illa similitudine, cum dicit in pretiosis vnguentis nihil opus esse semper lecythum inuergere; verum etsi quis tantum superficiem attingat summis digitis, circumstantes replet suauitate fragrantiæ, ita & in laudibus, &c. Κὰν ἄκρας τῆς ἐπιφανείας ἅψηται τοῖς δακτύλοις. τόν τε ἀέρα ἀνέχρωσε, καὶ τοὺς παρόντας τῆς εὐωδίας ἐνέπλησεν ἅπαντας.

Chrysostomi pietas.

CAPVT XXXIII.

ERat quidem & naturæ facilitate, & optimarum artium studijs ad has orationis delicias compositus, sed tamen longe malebat in concionibus pia dicere, & salutaria, quam docta, & suauia. Itaque si quid illi ornatius excideret, quod plausum hominum excitaret, vehementer animo angebatur, quod declarat homil. 31. in acta Apostolorum.

Hoc subuertit Ecclesias, quod & vos non quæritis audire sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione quasi citharœdos, & cantores, audientes: Et nos frigidè, ac miserè facimus nostris affectibus obtemperantes, quos repudiare oportebat. *Plausum concionum periculosum.*

Atque idem contingit, ac si pater filium, quem supra modum tenerè amat, videat ægrotum. Tum illi quæcumque oblectant, porrigat, quæ autem vtilia minimè curet. Deinde quando obiurgatur à medicis, rationem reddat, dicens: Quid faciam? flentem puerum ferre nequeo. Miser, & ærumnose, ac proditor, neque enim talem, Patrem dixerim. Et quanto satius fuerat modico temporis interuallo aliquid acerbi perpessum perfectæ sanitati restitui, quam temporariam illam gratiam perpetui doloris fomitem fieri?

Hoc etiam nobis accidit; dum flosculos verborum & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, vt canamus, non vt prosimus: vt simus in admiratione, non vt doceamus, vt oblectemus, non vt compungamus: vt cum plausu, & laudibus discedamus, non vt mores componamus.

Credite mihi, non dicerem alioquin, quoniam quando inter dicendum plausum excito, per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit. Cur enim verum quis non dicat, & distrahor, & diffundor: vbi autem domum redeo, & intelligo plaudentes sine fructu abijsse, & si fructum accipere poterant à plausu, & laudibus perijsse ploro, gemo, & lachrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic afficior, mihique ipsi dico: Quæ sudorum meorum vtilitas, si auditores è verbis meis nihil

nisi fructus perceperunt. Et sæpius quidem cogitaui legem ponere, quæ huiusmodi plausus prohiberet, & suaderet, vt cum silentio audiretis. Sed sustinete oro, & credite mihi, & si placet hanc nunc legem firmabimus, ne quis auditor plaudat quandiu nos loquimur. At si voluerit admirari, admiretur silens, nemo est qui prohibet. Omne autem studium, & alacritas in id collocetur, vt quæ dicuntur, accipiantur. Quare applausistis? de hoc legem pono, vos autem nec audire potestis.

Hæc ille, ex quibus planè apparet, quanto conciones ad pompam, & ostentationem factas odio prosequeretur, tum etiam plausus illos in Ecclesia excitari solitos auersaretur. Nec immeritò subuersionem Ecclesiarum nominat.

Periculum enim erat non mediocre, ne concionator, si plauderetur, intumesceret; sin contra, deiecto animo frangeretur. Itaque vt D. Augustini verbis vtar, sicut auræ linguarum flauerant à pectoribus opinantium, ita ferebatur, vertebatur, torquebatur, obnubilabatur, summum profecto est miseriæ, vbi Præco veritatis, degenerat in mancipium veritatis.

Vanitatis miseria.

Item homilia 19. in acta eos reprehendit, qui volunt noua legi, & dici.

Nouitatis curiositas perstringitur.

Verum quid dicunt plerique? semper (aiunt) eadem leguntur. Hoc vos maximè perdit. Itaque si quidem sciuissetis illa, neque sic oportebat ab illis recedere, quoniam & in theatris semper eadem fiunt; attamen non satiamini. Quænam eadem audes dicere? qui neque Prophetarum nomina scis, & non confunderis dicendo, ideo non audienda quoniam eadem leguntur? Etenim tu confessus es, quod eadem dicuntur. Ego si hoc protulissem, te sic accusassem: Te igitur oportebat ad aliam defensionem confugere, non ad hanc tuam accusationem. Dic oro, tu non admones filium tuum? Si igitur ille dicat, quod eadem semper inculcas: nonne contumeliam esse putas? Tunc non oportebat eadem dicere, quando & illa sciuissemus, & operibus declaremus: imo neque tum superflua lectio.

* * *

Chrysostomi doctrina.

CAPVT XXXIV.

NEmini dubium esse potest, quin Chrysostomus, & ingenio acer, & labore, in studia semper intentus, & à puero ijs excultus disciplinis, quibus ad magnarum artium decora iuuentus informari solet, magnis, tùm profanæ, tum sacræ eruditionis opibus fuerit cumulatus. Raro tamen peregrinam doctrinam promit in concionibus, quod si quas historias Ethnicorum afferat, magno temperamento condire solet, vt cum de mala Socratis vxore loquitur homilia 26. in 1. ad Corinthios, neque Socratem, neque Xantippen nominat, sed grauiter insinuat.

Socratis vxor. t. 5. 261. hom. 42.

Dicitur quidem certè quidam ex philosophis externis cum malam haberet vxorem, & nugatricem, & conuiciatricem, rogantibus, cur eam habere sustineret, dixisse, *vt domi haberet gymnasium, & palæstram Philosophiæ*: Ero enim (inquit) cæteris mitior, si in ea quotidie erudiar, cumque à populo in hanc sententiam esset exclamatum, intulit: Magna voce exclamastis, sed ego valde defleo, cum Græci sint nobis sapientiores: nobis qui iussi sumus Angelos imitari: Imò verò, qui iussi sumus Deum æmulari in ratione mansuetudinis, & homilia tertia aduersus Iudæos, cum varias philosophorum sectas enumerando appellasset Pythagoram, Zenonem, Platonem, Socratem, Diagoram, se excusat, quod ad Iudæorum captum se demiserit, non autem ex sui animi sententia fecerit. οὐ γὰρ ἐξ οἰκείας τοῦτο ποιοῦμαι γνώμης· ἀλλὰ τὴν ἀδυνατίαν τῶν Ἰουδαίων συγκαταβαίνοντες: & se purgat ab exẽplo D. Pauli, qui Athenis dicturus non ex Prophetis, aut Euangelio, sed ab ara gentili sumpsit exordium.

Et Homilia 1. in 1. ad Timoth. Silentium in templis gentium supernè inscriptum, continebat digito os, & labia comprimebat, prætereuntes omnes silentij sic admonens, Hæc de Harpocrate Ægyptiorum intelligenda, non tamen plenius indicauit: & serm. in concubinarios: non moueris, scilicet admirande vir, hæc ἀπάδουσα est ijs, qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Ego autem audiui

Silentij pictura.

quod etiam apud lapides quidam, & statuas passi sunt. Cauet plura dicere, & quæ de fatu s amoribus adolescentum narrantur ab historicis, enarrare.

Vtitur plerumq; vocum Hebraicarum interpretatione, ex qua commodè sensus in suam rem elicit, vt in illo loco Geneseos, cum Cainum, qui perpetuo tremore multatus est, in naid habitasse sacra historia dicat, rectè

Homil. 20. in Genes.

ναΐδ interpretatur σάλον: נוד enim est *mouere*. Et in homilia de mutatione nominum, vocem Edem dicit significare γῆν παρθένον. Quod sumit opinor ab אדמה. Inde iubet responderi Iudæis, quoties petierint *quomodo virgo peperit? Vos verò dicite, quomodo terra virgo tot, & tanta germina profuderit?* At verò in psalmorum enarratione frequenter textum Hebraicum consulit, & explicat, ex quo conijcas illum Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritum fuisse.

In cap. 1. Genes. homil. 4.

Nec ignarus quidem fuit Philosophiæ, quanquam eius de cœlo, & sideribus sententiam multi vellicarunt; cum dicat homil. 4. in Genesin, vnum tantum cœlum esse τίς ἂν οὖν λοιπὸν μετὰ τὴν τοσαύτην διδασκαλίαν ἀνάσχοιπ τῶν ἁπλῶς ἐξ οἰκείας διανοίας φθέγγεσθαι βουλομένων, καὶ ἀπεναντίας τῇ θείᾳ γραφῇ πολλοὺς οὐρανοὺς λέγειν ἐπιχειρούντων. Scio hanc sententiam excusari à D. T. in 1. q. 68. art. 4. quasi hæc à Chrysostomo contra hæreticos quosdam, ac Philosophos dicta sint, qui extra hunc totum sidereum globum, alios sidereos cœlos, & mundos esse tradiderunt. Verum Chrysostomi sententiam sine vllo interpretationum flexu nudè acceptam de vno cœlo liquido, multi quoque doctissimi viri nunc defendunt.

Alij eius in Geneseos interpretatione simplicem quandam dicendi rationem arguunt, quod mirificas illas Origenis θεωρίας non habeat; sed præclarè Chrysostomum ab istis Censoribus vindicat Photius, cum dicet eum, cum ad Mosaicæ narrationis simplicitatem respexisset, maluisse, salutaribus documentis consulere, quàm intempestiuis theorijs præter institutum luxuriare.

Quamobrem eadem de caussa grauioribus Theologicarum rerum quæstionibus abstinet, quanquam sublimem quoque eum in huiusmodi argumentis fuisse libri de incomprehensibili Dei natura declarant. Quod si quædam inibi dixerit, quæ videntur Theologorum sententijs repugnare, vt cum in tertio ait, Deum non videri, sed συγκατάβασιν. minimè mirum est, si in tanta rerum obscuritate, cum nondum tot ingeniorum, & scholarum lumen accessisset, Patribus nonnunquam aliqua minus accurata exciderint: Quanquam scio à grauissimis viris defendi Chrysostomum quasi non negarit, Dei essentiam ab Angelis videri, sed ipse satis clarè his verbis, quid sentiret, aperuit. Καίτοιγε οὐκ αὐτὸ ἄκρατον ἐώρων τὸ φῶς, οὐδὲ αὐτὴν ἀκραιφνῆ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ συγκατάβασις ἦν τὰ ὁρώμενα. Quanquam non ipsam meram videbant lucem: Sed quæ videbant, condescensus erant (inquit de Angelis.) Mox quid sit illa συγκατάβασις, ne quis dubitare possit, explicat: ὅταν μὴ ὡς ἐστὶν ὁ θεὸς φαίνηται, ἀλλ' ὡς δυνάμενος αὐτὸν θεωρεῖν οἷος τέ ἐστιν οὕτως ἑαυτὸν δεικνύη. ἐπιμετρῶν τῇ τῶν ὁρώντων ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπιδείξιν. Quid nomen hoc condescensus significat? Cum Deus non vt est, se ostendit, sed quoad videre is potest, qui aspectum eiusmodi meruit, eatenus ad infirmitatem videntis suam repræsentationem metitur ac temperat, condescendere illum tantisper dicimus, & eiusmodi rem condescensum nominamus. Et ibidem, ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἀθέατός ἐστιν, ὁ θεὸς καὶ ταῦτα συγκαταβάνων. A superis quoque virtutibus quanquam condescendens non conspicitur. Idem asserit Theophylactus in illud Ioannis, *Deum nemo vidit vnquam*, & Theodoretus in dialogo, quod Deus sit immutabilis, sed omnium scholarum vox reclamat.

συγκατάβασις apud Chrysostomum quid?

Popularitas Chrysostomi.

CAPVT XXXV.

CHrysostomi præcipua virtus est admirabilis quædam popularitas sermonis, quam virtutem diximus maximorum oratorũ esse, eamque si modo perfecta fuerit, ex consummata eloquentia, prudentia, dexteritate, & fœlicitate quadam ingenij profluere. Eius autem perfectionis hæc in Chrysostomo sunt indicia: Primùm suæ orationis mensuram auditorum aures ratus, totum se homi-

num

num vtilitati quam familiarissime accommodat. Itaque abstrusas, & subtiles quæstiones de Prædestinatione, Gratia, & libero Arbitrio, vel consulto omittit, vel si quid huiusmodi discutiendum, quam commodissimè ad populi captum facit, in moralem sensum totum ferme se conijcit, & lubenter in istis quæstionibus exspatiatur. *Neminem laedi posse nisi à semetipso, Nolle omnia scire, summam sapientiam esse. Eleemosynam esse artem omnium quæstuosissimam. Melius esse iniuriam pati, quam inferre. Ignominiam esse huius mundi gloriam. Maximum fieri ex miserijs, & calamitatibus lucrum. Mortem esse vita meliorem,* & si quæ sunt similia, hæc arripit argumenta, hæc inculcat, hæc varijs condimentis aspergit, vt vetera videantur nouitatis quadam gratia reflorescere.

Dispositio concionũ Chrysostomi.

Dispositio eius duas ferme partes continet, quarum vna est ἐξηγητικὴ, enarratiua, qua sacrarum literarum sensus germanè, & appositè explicat. Altera est ἠθικὴ, quæ moralem dissertationem complectitur, &, si res exigat, adhibet tertiam παρασκευὴν, qua animi audientium ad doctrinæ latus accipiendos præparantur.

Elocutio autem talis est qualem diximus, non squallida quidem, & strigosa, sed facilis, moderata, pudica, Ecclesiasticis rebus perquam accommodata, non habet sententiarum argutias, non Poetarum sales, non facetias, & iocos disertorum, sed affectum paternæ charitatis, & vim quandam ex abdito ferientem.

Multus est autem in figuris popularibus, quales sunt dialogismi, & percontationes, & suspensiones. Idcirco crebro repetit: *Quidnam hoc rei est? Quorsum autem ista? Libenter interrogarem eos, qui hæc non credunt*, & multa his affinia. Interdum habet aliqua prouerbia non affectata quidem, sed appolita, eaque familiaria, vt in Matth. 84.

Vt, *centum viros vnum pauperum spoliare non posse*: & homil. 24. in acta, ne γρῦ quidem: homil. 21. ad Ephesios, si enim *Ethnici trioboláres quidam viri, & Canes triobolarem amplexi Philosophiam*: & hom. 1. de Lazaro, affert illud quod ait communiter etiam iactari in theatris, Hippodromis, & officinis. *Vnum factum vnum, Duo facta nihil.*

Verum cæteros omnes Ecclesiasticos scriptores similium crebritate, copia, facilitate humani animi tractatione, longe superauit, atque vt pauca ex multis libemus, homil. 42. ad populum Antiochenum, quomodo animæ curam oporteat habere, quum homines vult hortari ad temperantiam canum exemplo, qua arte hoc facit?

Canum exemplum vt amplificatur à D. Chrysostomo.

Si quis (inquit) conuiciando nobis dixerit, *Canes*, dolemus: nobis autem ipsis ipsi contumeliam inferentes non verbo, sed opere: nec tantum impendentes animæ curam, quantam canibus, nihil graue nos pati existimamus. Videtis quantis sint omnia tenebris plena? Quòd canum curam habent, ne plus quàm expedit, impleantur, vt veloces sint, vt venatici, dum fame premuntur, & esurie: se vero non curant ne mergantur in crapulam: Et bruta quidem temperanter agere docent, ipsi vero in brutorum feritatem degenerant.

Homil. 42. ad Pop. Antioch.

Aenigmata loqueris (inquit) & vbi bruta temperanter agunt: An quæso, num tibi videtur opus esse temperantiæ, cum canis famem moderetur, qui postquam venando aliquid ceperit à præsenti se continet esca, & appositam cernens mensam, licet vrgente fame, Dominum expectat?

Reuertemini vosmetipsos, vestros docere ventres ita philosophari: non est vobis excusatio. Cum brutæ animanti tantam inferere Philosophiam possis, multò magis tibimetipsi non poteris? Quod enim hoc humanæ sit curæ, non naturæ, patet; alioquin omnes hoc habere canes oportebat, sitis igitur canibus non inferiores. Vos me cogitis illinc exempla sumere, nam ex cœlestibus quidem oportebat: sed quoniam si dixero, vos dicere soletis eos & magnos esse, & nihil ad vos attinere: propterea dico cœlestium nihil. Nam, & si Paulum commemorauero, statim dicitis eum fuisse Apostolum, propterea Paulum taceo: sin hominem dixero, dicitis hoc illum potuisse, idcirco nec hominem refero, sed bestiam, & bestiam quæ hoc à natura non habeat, ne respondeatis quod istud natura, non industria effecit. Et quod admiratione dignum, voluntate fit non canis propria, sed cura tua: Non quod fatigatus sit, non quod cursu distractus, non quod proprijs cœpit laboribus, computat, sed his omnibus posthabitis, Domini præceptum custodit, & ventre superior efficitur: nec id vlli dubium: expectat enim vt laudetur, expectat vt maiorem mensam assequatur. Dic itaque tibimetipsi: Canis spe futuræ voluptatis præsentem contemnit, tu vero non

vis futurorum bonorum ſpe, præſentia contemnere?

Sed ille quidem nouit, quod ſi intempeſtiuè, & præter quam Domino videtur, illum cibum guſtauerit, & ipſo priuabitur, & dimenſum non accipiet verbera pro cibo ſumpturus. Tu vero nec hoc intelligere potes; & quod ex conſuetudine didicit ille, hoc ex ratione tu non perficis.

Vides vt in iſtis ludis miti vt ſolet popularitate, & cum familiariter quidem dicat, non repit tamen humiliter, ſed non caret oratio ſuis aculeis, ſua vi, ſuis luminibus, ex quibus poſſis Chryſoſtomum agnoſcere. Eſt præterea maximè popularis in depingenda ſuis coloribus ciuili vita, ex quo genere eſt illud quod habet de moleſtijs matrimonij.

Matrimonij arũna. De Virgin. c. 17. to. 62.

Huius figura exemplum, ex eo potiſſimum auctore libuit aſſerrè, vt notaret lector, quam ſagax in inueniendo, quàm denſus in vrgendo, quã fuſus in explicando, quam tota oratione vegetus, acer figuratus. Habet huius quoq; loci inſignẽ tractationem Hugo li. de nuptijs Carnal. c. 2.

Sed enim ſi placet, his omiſſis, quæ à natura matrimonio tributa ſint, neque à quoquam volente, nolente, vitari poſſint, in præſentia perluſtremus. Quænam ea ſunt? dolores partus. Imò verò altius orationem reputamus, quæ matrimonium antecedant, quantum fas eſt, cognoſcamus. Nam accuratè ſoli experti calleat. Adeſt ſponſaliorum tempus: itaque protinus cura anceps atque varia, quem virum habitura ſit, an obſcurum, an infamem, an peruicacem, an fallacem, & arrogantem, an audacem, an zelotypum, an putidum quempiam, an bardum, an improbum, an durum, an imbellem. Hæc enim omnia nuptas conſequi non eſt neceſſe. Quippe cum nondum certum ſit quem ſit ſortitura, ſed adhuc ſpes, & vota pendeant, animus omnia pauet, ac formidat, neque horum quicquam eſt quod non cogitet. Sin dicat aliquis eam expectantem contraria lætari etiam poſſe: ſic habeto non tam nos bonorum ſpem ſolari, quàm malorum metum augere. Nam bona demum cùm certò ſperantur, voluptatem pariunt, mala, vbi vel ſuſpicio ſit, extemplo mentem concitant ac perturbant. Vt enim mancipia de futuris heris incerta, animo quieſcere non poſſunt: ita virginum mens, ex quo facta ſponſio eſt, fluctuantis nauigij ſimilis eſt, parentibus in dies alios retinentibus, alios exigentibus. Nam heri victorem procum, hodie gratia vincit alius, & hunc rurſum exturbat alius. Quin plerumque in ipſo matrimonij tanquam limine, qui ſponſus ſperetur, vacuis manibus diſcedit, puella à parentibus inſperato cuidam tradita. Nec fœminæ ſolùm, ſed viri acerbas curas habent. In hos namque perquirere eſt, in illius quæ aſſiduè intus concluſa teneatur, morem atque formam quo pacto animaduertas? Atque hæc quidem intra ſponſalia. At vbi iam præſto eſt matrimonij tempus, creſcit ſolitudo, ac voluptate maior metus eſt, ne ex eo ipſo veſpere ingrata, multò expectatione deterior videatur. Etenim initio laudatam, poſt contemni ferendum eſt: Cæterum carceribus, vt ſic dicam, cum ſatietas teneat, ea quando vnquam ſuſpici poterit? Neque hic mihi illud commemora. Quid verò ſi fors lepida ſit? nam nec ſic quidem cura hac ſoluta, & libera eſt: Multæ enim corporis venuſtate admodum illuſtres viros ſuos capere nequiuerunt, quin ſe præterirent, alijs longe ſe inferioribus addicti. Iam ea etiam cura expeditâ, alia rurſum moleſtia ſuccedit, in dotis penſione, ſocer quippe quaſi det gratis, haud ſane comiter reddit; tum ſponſus, vt qui totam pecuniam numerari cupiat. cum verecundia exigere cogitur, noua nupta hac patris tergiuerſatione pudefacta, virum quouis improbo debitore magis pertimeſcit, quæ mitto in præſentia. At enim cura hac ſoluta, continuò aut ſterilitatis metus ingruit, aut nimiæ fœcunditatis anxietas: neque horum adhuc quoquam explorato, vtramque in partem iam inde ab initio timetur. Quod ſi breui vterum geſtat, rurſum cum lætitia terror; nihil eſt enim matrimonij bonorum, timore vacuum: terror, inquam, ne abortu incidente, & quod conceptum eſt, intereat, & grauida in extremum diſcrimen veniat. Sin multùm temporis interſit, fœmina hiſcere non audet, quaſi ſit arbitra ipſa pariendi. Porrò autem partus momento impendente, vterum tanto iam tempore affectatum, dolores diſrumpunt ac diuellunt: qui vel ſoli omnem matrimonij voluptatem extinguant. Quin & aliæ deinceps curæ eam ſollicitant. Etenim miſera, & ærumnoſa puella, etſi vehementiſſime his cruciatibus diſtenta, nihilo his minus formidat, ne pro perfecto, & integro, vitioſus atque mutilus infans prodeat, ne pro mare fœmina: Neque enim hæc eas ſollicitudo leuius tum quàm dolores exercet: quæ non modò in quibus noxam committant, ſed etiam in quibus abſint à culpa, in his non minus quàm in illis viros metuans: in eaque tempeſtate ſalutis ſuæ ſtudio omiſſo, ne quid viro accidat ingratum, verentur: iam edito in lucem infante, ac poſt primos ſtatim vagitus, aliæ rurſum curæ excipiunt, incolumitatis atque educationis. Si indole eſt liberali, & ad virtutem

tutem comparata, iterum in metu parentes, ne quid ſiniſtrum patiatur, ne immatura morte obeat, ne in vitium aliquod degeneret. Nam non ſolum ex improbis probi, ſed etiam ex probis improbi ac flagitioſi fiunt. Quorum ſi quid eueniat inuitum, intolerabilius malum eſt, quam ſi hæc ab initio contigiſſent. Sin omnia in eo præclara, fixaque permaneant, num mutationis timor aſſiduè præſto eſt, parentum animos verſans, magnamque voluptatis partẽ eripiens? At nõ omnibus maritis fas eſt liberos habere, itaque mihi aliam rurſum anxietatis cauſam narras. Quare ſi & ſuſceptis liberis ac non ſuſceptis, & probis ac flagitioſis, variis doloribus atque curis continentur, vnde iam porrò ſuauiſſimam coniugum vitam vocabimus? Iam ſi domeſtici concordes vitam exigant: formido erit, ne irruens mors voluptatem diſſipet. Imò verò non formido erit, neque id malum duntaxat metuendum fuerit, ſed omninò neceſſitas erit aliquando euenire. Nemo enim poterit vtrumque extinctum vno die oſtendere. Quod ſi non contingat, quod ſupereſt, neceſſitas erit vel morte acerbiorem vitam ſuſtinere, ſeu diu cum ea conſenuit, ſeu parum. Nam ille quo magis periculum fecit, eo maiorem habet dolorem, longa quippe cõſuetudo intolerabile diſſidium facit: hic priuſquam amorem delibauerit, feruente adhuc deſiderio, ea ſpoliatus, idipſum vehementius luget, atque ex contrarijs cauſſis eadem vterq; miſeria tenetur.

Quid iam dicam quæ interim incidunt moleſtias, diuturnas peregrinationes, angores, & angoribus coniunctos morbos? Quid hoc ad matrimonium (inquit) & quidem certè multæ ſæpè eius cauſa valetudinem contraxerunt. Iniuria enim affectæ, & irritatæ, partim mœrore, grauem febrim concitarunt. Ac quantumuis eo præſente nihil eiuſmodi pãtiantur, ſed facili perpetuò vtantur, peregrè profectionibus in ea mala rurſum coguntur.

Sed hæc omnia miſſa faciamus, nec vllius matrimonium culpemus: at non æquè crimen effugere poſſit.

* * *

Chryſoſtomi quoque ſacrum os poſt mortem loquutum, & eius mortis gloria.

CAPVT XXXVI.

SEd beatum illud os (dices) inter diutinũ exilij moleſtias indigniſſima morte oppreſſum conticuit. O fortunata mors, quę ipſi triumphorum fuit principium! Quod enim, amabo, ſpectaculum toto terrarum orbe ſol vmquam vidit illuſtrius, quàm cum ſanctiſſimi viri corpus ſingulari Theodoſij Imperatoris religione Conſtantinopolim reportatum eſt? ferebatur pretioſiſſimum mundi pignus totius vrbis vel humeris, vel ſtudijs, & tot ei erant ſepulchra, quot hominum pectora, quanquam non ſum vſus verbo, quo debui: neque enim ei vllum vnquam ſepulchrũ fuit, cuius certa fuit ſemper immortalitas. Redibat ab exilio tamquam ex virtutis ſuæ theatro, pene adhuc viuus & ſpirans, nondum enim extinctus videbatur ardor oculorum, nondum attrita frontis grauitas, nondum lingua cœlo altior plane conticuerat. Totus erat etiam in mortuo Chryſoſtomus. Et quæ antea exulem loca ſine lachrymis videre non potuerant, eadem ingenti fœnore lætitiæ videbant triumphantem, quacumque ſacra inferebatur reliquiarum theca, hic inundantium populorũ multitudo, hic incredibiles plauſus mortuo, hic pompæ, hic ſupplicia, hic ſuauiſſimæ carminum modulationes, hic renidentes florum elegantiæ, hic exquiſitiſſimi odores. Interea flammis omnia collucere, quaſi cœlum ſuis diſtinctum ſideribus defluxiſſet in terras. Dies, & noctes non tam ſuis ardere luminibus, quam frequentia cereorum, oppleri vias, omnes vno agmine concurrere, mixtos diuitibus pauperes, iuuenibus ſenes, pueris matronas, non ſexum, non valetudinem retardare quemquam, ægrotos ipſos ad hoc ſpectaculum tanquam ad ſalutis portum deferri, ſatis ſe vixiſſe exiſtimabat, qui huiuſmodi mortuum viderat. At vero poſtquam ad regiæ vrbis muros ventum eſt, Tum proceſſum naues ornatu cultuque apparatiſſimas emica-

emicare, omnes obuiam ſe effundere, ſacrum depoſitum quaſi de cœlo miſſum accipere: Imperatorem ipſum dignitas non tenuit, quem religio incitauit, Patrem ſuum, imò communem, magnæ vrbis Genium, doctorem orbis terrarum, religioſis manibus excepit, & ſuo nauigio intulit. O felix nauigium! non egebat remis quod Dei fauor impellebat, appulit primum ad viduæ Callitropes agrum; agrum inquam illum, quem tanta vocis libertate contra inuidioſam Auguſtæ potentiam defenderat. Stetit illic quaſi Patronus in domo clientulæ, vt & beati cineres hoc odore iuſtitiæ, ſingulariſque conſtantiæ, quam in eodem loco ſacrauerat, frue-rentur. Exinde in vrbem deportatus eſt curru triumphali, qui triumphum adeptus erat tanto pulchriorem, quanto maius eſt ſuperare patientia. Vidiſſes in ipſo aditu muros vrbis exultantes, geſtientes domos, conferros pompis, viros, tecta ipſa laborantia & ridentem ciuitatis faciem, quæ ſe præ lætitia minime capiebat. Stetit Auguſtus, in conſpectu omnium amplexus eſt pheretrum, collachrymauit, orauit, at populus rogabat mortuum, vt relictam ſedem conſcenderet. Mirum, ſoluta lingua eſt, reſponſum dedit, bene precata eſt ſalutem, & pacem quam nouerat, impertiuit, nec enim mortis tenebatur neceſſitate, ex qua omnes liquidiorem vitam hauſerant. Hoc triumphantis eloquentiæ monumento nihil fuit in terris ſpectabilius.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM
COPIOSVS.

Primus Numerus signat Paginam, secundus Columnam.

A.

Aaron. 599.1
Aaron Rex Persarum quale Horologium ad Carolum Magnum Imp. misit. 115.2
Abrahami praclara ad Deum sermocinatio. 335. & seqq.
Absoluti status motus duplex. 631.2
Abundantia Prudentia filia. 112.1
Abyssini suum Regem Bellugiam nominarunt, Iudaos imitati sunt in nominum sacrorum phylacteriis. 172.1
Abyssus quid. 502.2
Abyssus fons. ibid.
Accentus formas operatiuas exhibent ex Zoare, 170.1.2
Achromos caussa quid, 628.1. *in Achate nouem Musa cum Apolline impressa.* 115.2
Achilles Hectore superior, 173.1. *eiusdem aduersus eundem odium quale,* 394.1. *eius ira,* 398.1. *legatio,* 518.1. *item compellatio Vlyssis,* ibid.
ἀκμὴ *quarta virtus grauitatis,* 108.2. ἀκμὴ τοῦ λόγου *quid?* ib.
Accipiter cur Ægyptiis sacer. 485.1
Acumina ex variis auctoribus, 83.1. *acuminum lex & vsus.* 85.1
Accusatio propriè quid? 729.1
Accusatio calida. 637. & 638
Accusatio robusta. ib.
Accusationum prudentia. ib.
Accusator differt à calumniatore. 636.2
Accusatores comparantur cum anseribus & canibus. ib.
Accusatorum sinceritas. 637.1
Accusatoris officium. ib.2
Accusatori cauendum à sanguinaria voluntate expromenda. 638.1
Acrimonia definitio & eius exempla. 111.2
Actio corporis eloquentia, 434.1. *fluens ab anima vt lumen à sole,* ibid. *vsu potius discitur quam præceptis,* ibid. *mollis & curata,* ibid.2. *schola nimis plerumque delicata,* ibid. *nimis curata non ferens solem & puluerem legitimi certaminis,* ibid. *deliciis non est mollienda, idq; illustratur comparatione militum & Athletarum,* 435.1. *rudis & vasta,* ibid.1. *eius cultura,* ib. *palæstræ similis,* ib. *vehemens in Hæterio,* 436.1. *frigida,* ibid.2. *per eam mens emanat in exteriora.* 434.1
Actionis mollis peruersitas, per similitudinem equorum Sybaritarum, 435.1. *eius moderata cultura,* ibid.1. *delicata rigida censura,* ibid. *actioni malæ, & præpostera infensus Antonius.* ibid.
Actio duplex & comparatiua. 631.632
in Actione vocis varietatis commendatio in Gratiano. 431.1
Actuosa & frigida actio. 436.2
Actuosi quales sint. 435.2. *eorum vitia.* 436.2
Acyron siue acyrologia. 294.1
Adagium cum parabola confunditur, 145.2. *eius multa genera,* ibid. *adagia popularia sunt, &* ἱερὰ, ibid. ἱερῶν *definitio ex Synesio,* ibid. *adagiorum scriptores,* 146.1. *quid in his obseruandum,* ibid. *ea magis valent in orationibus ad eruditionem, quam ad stylum,* ibid. *in epistolari stylo maximè vsurpanda.* ibid.
Adalberij res gestæ per eloquentiam, 7 4.1
Adam apud Hebræos quid significet. 171.2
Adamus quomodo nomina rebus imposuit, ibid. *omnis sapientia gloria excellens,* ibid. *nomina quæ imposuit, accommodatè ad rei naturam fuere indita,* ibid. *ex natura nomina rebus indita,* ibid. *nominis Adami prima elementa quatuor mundi partes complectuntur,* ib. & seq.

Adhortatorium quomodo tractandum. 759.1
Adiuncta quid sint, 188. *eorum cum coloribus tabellarum comparatio, ib. hic locus vocatur argumentorum seminarium, ib. adiuncta latissimè patent apud oratores, ib. fœcundissima sunt, ib. sunt septem genera adiunctorum, ib.*
Adiuncta animi & corporis quæ. 188.1
Adiuncta sumpta à locis, 188.2 *adiuncta sani corporis*, 189.1. *adiunctorum ab antecedentibus & consequentibus discrimen.* 189.2
Adiuncta multum ad amplificationem faciunt, 210.1. *non minimum valent ad implendam periodum*, 211.2. *sunt naturalia & fortuita in homine.* 212. & *seq.*
Adiunctio qualis figura. 296.2
Admiratio mater voluptatis. 363.2
Adolescentia periculosa. 689.
Adolescentia deprauati mores, & obscœna ingenia. 123.2. & *seq.*
Adolescentium ingenia licet perquam viuida statim ad seuerius scribendi genus duci non debent. 124.1
Adolescentes suo marte sententiosè loqui non decet, 149.2. *vel plebis à Demade dicti.* 93.1
Adolescentia libidinum tempestatem habet, 602.1.2.
Adonidis horti, 739.1. *item cum loquentia puerili comparati.* 2.2
Adonidis idolum. 9.1.2
Aduersa ex secundis, ex secundis aduersa nascuntur. 143.2
Adulatio castigata. 481.1
Adulator insignis, 174.1. *eius descriptio*, 526.527
Adulatoria oratio. 647.2
Adulatorium concionandi genus reprehenditur, 777.1. *V. Concionatores.*
Adulteria vetita lege apud Persas. 150.2
Aduocatus qui propriè. 618.2
Aduocatus iussu Claudij Imp. in Tyberim præcipitatus. 619.2
Aduocati prohibentur pecuniam capere, 660.1
Aduocati mali & rabulæ castigantur, 619.1.2.
Aduocati perfectio. 619.2
Aduocati indocti. 620.1
Aduocati dotes, ib.1. scientia, ib. de aduocatis Ludouici XII. dictum. ib.
Aduocatorum claritas apud Græcos præcipuè Athenienses. 618.2 & *seq.* 619.1
Ædificiorum Luxus. 489.2
Ægyptij in Labyrintho iura reddunt, 614.2. *eorum leges*, 50.2. *eorum forum*, 614.2. *eorum mos in malorum deprecatione*, 190.2. *anagrammatismi peritissimi*, 185. *pro omni laude diuina ter ὀκτὼ & ἐννέα inclamabant* 215.2
Æmilij Apamensis Philosophi Platonici de sacris Bibliis testimonium. 151.2
Æneas Gazeus. 745.1
Æschines plus habet carnis, quam Demosthenes, minus lacertorum, 19.2. *eius cum Esernino comparatio.* 19.1
Ætatis diuersitas diuersos postulat effectus. 362.1
Æternitas virgo. 708.1
de Æthere ex Aristotele contra Anaxagoram opinio. 175.2
Æthiologia. 294.1
Æthiopum mos. 119.1
Æthopeia eloquentia. 86.2
Ætna tumultuantis æstus causa fabulosa, 158.2
Affectuum descriptiones, 545.2. *affectus humani*, 290.1. *in iis eloquentia effectus*, 358.1.2. *cur eorum vsus frequens & cognitio necessaria, ib.2. vis & præstantia, ib. item definitio, causa, diuisio, ib. cur à Deo dati hominibus, ib sunt cotes virtutum, ib. hominibus necessarij vt auibus penna*, 359.1. *temperies in his maximè seruanda & curanda, ib. eorum nomen & definitio ex variis auctoribus, ib. eorum fons anima sentiens, ib. eorum distinctio, ib. alij sunt ἁβικοὶ, alij παθητικοὶ, ib. eorum immoderatorum effectus, ib. sunt in animos immissi, vt bestiæ in arca Noëmi, ib. eorum impetus cum animorum exundatione, ib. item diuisio, ib. alia ex Aristotele, ib. 2. eorum sedes, instrumenta seu vehicula, ib.*
Affectus Dominiaci, 360.1. *cur insideant cordi, ib.1.2. quinam violentos habeant, ib.1. mali affectus cur dæmonibus mixti, ib. quid spectandum in his qui mouent affectus, ib. 2. cur tanta in his excitandis difficultas, ib. Dei opus est affectus excitare, ib. 2. affectus Domini in hominibus permouendis efficaces, ibid. mouendi ratio prima diuina, ib.*
Affectuum & animorum prima similitudo, 361. *sapientiæ maiestas, ib.2. tertia virtus & sanctitas, ib. quarta auctoritas, ib. quinta ætas*, 362.1. *sexta eloquentiæ vis, ib. affectus mouere velle sine auctoritate periculosum est*, 361.1. *vltima ratio mouendi affectus est habitudo corporis, & constitutio*, 363.1. *quid spectandum in personis quæ sunt mouendæ?* 362.2. *variæ animorum descriptiones ad effectus idoneorum, ib. affectuum radices duæ, vo-

voluptas & dolor, & ratio mouendi, 363.2. ea in iis proponenda quæ ad sensum magis accedunt, 364.1. species oculis oblatæ ad affectum efficaces, ib.1. species externæ nimis apparatæ auditorum non mouent animos, ib.2. quæ res ad motum adhibendæ, 366.1. eius mouendi ratio ab hypotyposi, ib.1. ad eum plurimum valent descriptiones, ib.2. affectuum lenium & violentarum qualitas, 367.1. & eorum vsus, ib. lenium exemplum, 368.2. affectus frigidi & tragici aliquando etiam pueriles, 370.1. affectuum in iracundia exempla, 371.1. in iracundia vehementiores excitantur, ib. immoderati & nugatorij, ib.1.2. graues & magnifici magnam habent pompam, pueriles autem magnum fastidium, 372.1.& 2. languidi & ἀπάλαιστοι, 373.1. affectuum mixtura, ib.2. affectus doloris aptè expressi, 374.1. affectus cum fluctibus & torrente comparatio, ib. 1. & 2. item cum cometis, ib. cum leone. ib.

Affectus matris Hierosolymitanæ se ad filiorum necem accingentis, 375.1. alij ex Iosepho, Euripide, & Seneca expressi, ib.2. quomodo in affectu doloris & iracundiæ lata, & non facetæ vsurpanda sint, 376.1. modus & ratio mouendi affectus, ib.1. captandæ occasiones mouendorum affectuum, ib. tempora in his considerandæ. ib.

Affectus amoris. 378.1 & 2

Affectus fidit diffusa oratione motus. 377.1

Affectuum remissio. 377.2

Affectus amoris. 385.1

Affectus benevolentiæ. 386.1

Adulatorij vitandi, ib. lætitiæ & spei, ib.2. & seq.

Amoris exempla, 385.1. humiles, 389.1. iracundiæ Heroicæ difficiles, 396.1. eorum exempla ex Homero, Euripide, Seneca, Virgilio, 397. 398. eorum varietas & vsus in iracundia, 403.2. iracundiæ graues, 401.1.2. iracundiæ & conquestionis, 408.2. affectus vasti iracundiæ, 411.1. lenes & moderati iræ, ib. iracundiæ in obiurgationibus, ib. in miserationibus & lachrymis, 421.1.2. in affectibus miserationis via simplex affectuum finis quis esse debet. 431.2

Affectus miserationis in morte filiorum, 277.1. doloris, 679.1. deliberatiui generis, 612.2. ad affectum qualis aditus, 433.2. affectus matris in morte fily. 277.2

Affectus validi ad excitandam misericordiam, 730.1

Affectus suaues & magni, 677.2. affectus vulgus pigrum & loquax. 689.

Aganecteſis. 294.1

Agere diuina res est. 469.1

Agesilai prudentissimi Imp. dictum, 147.2. & seq.

Agnetis martyrium affectibus plenum. 368.1

Aggressio. 265.2

Agrippinæ duæ. 175.1

Aiacis ad Achillem oratio. 419.2

Albanorum de Sole, Luna & Cœlo iudicium, 116.1

Albanus lacus. 667.1

Alberti Magni statua. 115.2

Alboini in Cunimundum odium. 394.1

Alces. 564.1

Aleatores infames. 543.1

Aleonoræ querela dolore intemperans. 642.2

Alexander Mammææ officia Ciceronis assiduè legebat. 128.2

Alexander suæ famæ minor, 74.1. eo nascente Dianæ Ephesiæ templum conflagrauit, 66.2. eius inepta cum Isocrate comparatio, 662. definitio procax, 677.1. generositas, 247.2. labores, 678.1. expeditiones, 680.1. res gestæ. 683.

Alexander commodatus mundo. 683.2

Alexander magnus orator. 605.

Alexandri Episcopi Hierosolymitani insignis Bibliotheca. 127.2

Alexandrini derisores. Cur? 116.2

Alexarchi nouatoris locutiones, 62.2. idem Cassandri Regis filius inter Cacozelos. 93.2

Ἀλληγορία. 104.2

Allegoriæ vitiosæ. 758.1

Allegoriæ crebræ doctis displicent, 67.2. earum in sacra Scriptura nimis indagatores sæpe incidunt in frigida, ib. à Patribus prudenter dictæ non sunt ab omnibus imitandæ; earum dulcedo imponit auribus, 73.2. earum vsus & iudicium Demetrij Phalerei. 332.2

Allegoricus stylus cur vitiosus. 73.2

Allegorici, & periphrastici Eunodij styli exempla. 72.2. & seq.

Allienſis dies. 669.1

Alleosis, 294.1. cum antithesi à quibusdam mixta. ib.

Alpheus. 217.1

Alia metuenda. 665.1

Amatores suæ fugæ cruciant Deus & illectans. 456.1

Ambitio, 82.1. & 161.2. Titi Labieni. 399.1

Ambitio, 655.1.2. ambitio & auaritia Rulli exaggerata ex Cicerone, 216.1.2 ambitiosi descriptio. 527.1

Ambitus quinta virtus grauitatis, 108.2. quomodo fiat, ib. eius modi quatuor. ib.

Ambrosius, 14.2. *eius eloquentia*, 745.1. *in obiurgationibus Basilio acrior*, 412.1. *eius grauitas*. 767.1
Amici pauperis generositas. 261.1
Amicitia fidelis exemplum, *ib. amicitia honesta cur temperanda*. 384.2
Ammiani stylus poëticus. 72.1. & 2
Ammianus miles, grauis. 133.2.
Ammonis fons. 578.1
Amoris descriptio, 545.2. *eius definitio ex Plauti Trinummo*, 160.1. *nomen*, 378. *idem cum cœlo comparatus*, *ib. eiusdem definitio*, *ib.* 2. *amor est immortalitatis desiderium*, 379.1. *idem anima remigium*, *ib. amoris nostri ratio*, *ib.* 2. *amorum quinque genera, diuinus, angelicus, intellectualis, animalis, naturalis*, 380.1.2. *amoris diuisio ab Hierotheo*, 4. *ib.* 1. *amor fingitur ab Hesiodo è Chao, & nocte exiliens, & cur, ibid.* 2. *eiusdem diuisio ex D. Thom.* 380.2
Amor amicitia & concupiscentia, *ib. de eo cœleste iudicium*, *ib. alia diuisio ex D. Aug. ib.* 381.1. *turpis amoris vesania*, *ib. impurus amor idolum amoris, ib. impuri amoris descriptio & effectus, ib.* 2. *amoris natalis*. 382.1. *illex eius καλοκἀγαθον*, *ib.* 2. *quomodo circa pulchrum amor fallitur*, *ib. secunda amoris illecebra φῶς νοητὸν, ib. tertia est similitudo*, 383.1. *quarta mutuus amor*, *ib. eius caussa quindecim ex Aristotele*, *ib. effectus & vsus*, 384.1. *amor oratori necessarius*, *ib. quomodo comparandus, ib. nihil vtilius amore ex D. Ambrosio*, *ib. amoris diuini excitandi ratio ex sacris litteris petenda, ib.* 2. *eum res omnes creatæ commendant, ib. amoris remissio, ibid. amoris affectus exempla*, 383.1. *amor amore pellendus*, *ib. amor prauus quomodo euellitur*, *ibid.* & 386. *amor, lætitia & spes quomodo differunt*, 386. & *seqq.*
Amphidiorthosis. 294.1
Amphistidis stupiditas. 115.1
Amplificatio puerilis ab eloquentia alienissima, 20. *amplificationis bona & mala discrimen*, *ib.* & 292. *dicta est anima oratoris*, 201.2. *amplificatio bona instar eximiæ structuræ*, 202.1. *mala instar parietum luto, paleis & calculis malè obductorum*. *ib.*
Amplificationis definitio nimis vaga, 202.2. *alia vera & germana*, *ib. quod est discrimen inter sublimitatem & amplificationem*, *ib. amplificatio est plenitudo non redundans*, *ib. in ea pluribus adiunctis idem est illustrãdum, ibid. item duo genera, ibid. amplificatio insignis ex Demosthene*, 203.2. *alia à comparatione minorum ex Cic.* *ibid.*
Amplificationis fusa & ambitiosa exemplum, 204.1. *eiusdem exempla ex Cicerone*, *ibid.* 1.2. *vtriusque collatio*, 205.2. *vsus*, *ib. otiosa amplificandi ratio*, *ib. pulchra ratio amplificationis*, *ib. alia insignis amplificatio*, *ib. Amplificationes variæ Ciceronis*. *ib.* & 206
Amplificationis aptæ materia quærenda est, 206.2. *eius cum cera comparatio*, *ib. amplificationum sunt capaces res minutæ, nisi fortè in facetiis*, *ib. amplificatio grauis materia grauiter quæsita*, 207.1. *in rebus paruis plus expetit artis*, *ib. præcepta per 10. cap. ex Aphtonio*, *ib.* & *seq. de eadem alia præcepta ex Cicerone*, 208. & *seq. præcepta vtriusque non videntur accuratè satis tradita*, 209.1. & 2. *amplificationis formæ variæ*, 210.1. *totus amplificationis ordo in duobus voluitur*. *ib.*
Amplificatio non ex omni argumento, sicut nec ex omni ligno Mercurius nascitur. 206.2
Amplificationum duodecim modi, 210. & *seq. amplificationes variæ ex Cicerone*, 216. *vsq. ad* 222.
Amplificatio virtutum. 217.1
Amplificandi methodus & exemplum. 210.1
Amplificatio à persona, 789.2. *à re*. *ib.*
Amplificatio maiestatis plena. 790.1
Amplificare omnia puerorum est. 637.1
Amuleta ex Lauro cui vsui apud veteres, 172.1. *fuerunt etiam ex lapillis, ib. alia ex nominibus sacris & characteribus*, 172.2. & *seq.*
Amyntæ insidiæ. 699.
Anaclasis, 294.2. *reflexio siue commutatio dicta ibid.*
Anadiplosis, 295. *eius modi duo*. 327.1
Anæresis. 295.1
Anagrammatismi vsus antiquus, 173.2. *ortus à Iudæorum doctoribus*, *ib. Hebræa lingua hîc fœcunda, ib. eius exempla*. *ib.* & 174.
Analepsis, 295.1. *eadem traductio & antistasis dicta*. *ib.*
Anancæon. *ib.*
Anaphoræ definitio & vsus, 327.1. *exempla*, 354.2.
Anarchia. 601.2.
Anascæue. 295.2.
Anaschyntos quid? 628.1.
Anastrophe. 295.2
Anathemata victoriæ. 477.2.
Anaxagoræ de æthere contra Aristotelem opinio. 175.2.

Anaximenũ calliditas. 5. 1. *primus author extitit extemporaneæ orationis ex Pausania.* 122. 1.
Andabatarum more pugnare quid? 140
Andocides orator simplex ac sine apparatu. 17. 1 *eius consilium.* 361. 2.
Andronicus Imperator D. Paulum supra cæteros Doctores amauit. 128. 2. *in nominis impositione superstitiosus.* 172. 2.
Angeli ex pictoribus descriptio. 309. 1. *nihil habet præter animum. ib.* 2. *Angelorum celeritas. ib. eos pingunt poetæ & pictores. ib. eorum scientia. ib. gratia.* 710. 1. *angeli vasa myrrhea. ib. eorum gloria. ibid. officium & custodia. ibid.*
Aniani de stylo D. Chrysostomi iudicium. 783. 1. *quo tempore vixit. ibid.*
Animæ cum numismate comparatio, animæ dæmoniacis affectibus mancipatæ descriptio & effectus. 360. 1. *sulphuratæ quæ vocantur à Platino.* 361. 1. *animæ triplex motus.* 379. 1. *anima terrena comparata cum spongia.* 387. 1
Animalium laus. 482. 1. *descriptiones aliquot. ibidem.*
Animus in exhortando ratione potius vincendus quam mouendus. 607. 2. *animi in arce dominantis cum Chosrois machina comparatio.* 114. 2. *eius dotes ex platone.* 115. 1. *duæ illius facultates præstantissimæ. ibid. animi sunt species pares virtute & dignitate impares, & cur,* 116. 1. 2. *animus in hac vita duobus coloribus pingitur.* 783. 1. *animis omnium aspersos igniculos fatebatur Plato, sed alijs languidiores, alijs acriores.* 116. 2. *animorum immortalitas.* 611. 2. *quidam sulphurati.* 608. 1. *dehortatio. ibid.* 2. *eius ars. ib.*
Annibalis hortator Polemon. 249. 2
Annulorum vsus. 543. 2.
Antecedentium & consequentium ab adiunctis discrimen. 189. 2. *hi loci sunt proprij dialecticorum. ib.*
Anteros amori terreno contrarius. 381. 2
Antipophora. 393. 2. *eadem Prolepsis & subiectio dicta. ib.*
ΑΝΤΙΚΑΤΗΓΟΡΙΑ *quid?* 631. 1
Anticicerones. 87. & *seq.*
Antigoni regis iudicium de eloquentia. 99. 1.
Antigono Euergetæ nomen fuit. 171. 2
Antigonia vrbs. 580. 1
Antimetabole. 295. 2
Antiochena Synodus damnauit superstitionem Iudæorum in nominibus sacris. 172. 1.
Antipathia & sympathia naturales. 380. 2
Antiphon propter eloquentiam Nestor dictus. 16. 2. *alius fuit ab Antiphone qui* ὀνυροκίτης *dictus est. ib. medicandi doloris animi artem inuenit. ib.* λογεμάγειρος, *siue orationum coquus appellatus.* 171. 2. *eius mors.* 16. 2
Antiphrasis. 295. 2
Antiquitates acuminibus mixtæ habent nescio quid floridæ dictionis. 742
Antiquarij non sunt oratores. 94. 2. *antiquarij styli opinio* 742. *quomodo ab eo cauendum. ib.*
Antiquorum laus. 624. 1
Antisagoge. 295. 2. *affinis est antithesi.* 322. 2. *eius vsus.* 327. 1.
Antistasis. 260. 1
Antistoechon. ib.
Antistrepausa quid? 628. 1
Antistrophe. 296. 1
Antitheta cum comparatione. 218. 1. *eorum vsus in amplificatione pulcher & suauis. ibid.*
Antithetica definitio quid. 621. 2.
Antithesis. 296. 2. *varij modi & vsus* 321. 2.
Antitheton. 296. 2. *eius exemplum.* 356. 1
Antizeugmenon. 296. 2
Antoninus pius appellatus. 171. 2
Antonini Imperatoris dictum. 421. 2
Antonij in funere Cæsaris oratio. 43. 1.
Antonius ex multorum virtutibus perfectissimam veluti vitæ tabulam exprimebat: eius admirabilis grauitas. 767. *lepidum factum* 481. 1.
Antonomasia. 296. 2. *eius definitio.* 322. 2. *non est frequens oratoribus, ibid. eius vsus. ib.*
Ἀπάλαγσις *motus.* 373. 1
Aparetmesis. 290. 2.
Apes innocentissimæ, 482. *apis paruum hominis exemplar. ib.* 2. *animal laboriosum. ib.* 2. *nulla nisi artifex nascitur.* 483. 1. *apum castimonia. ib. industria & sedulitas, ib. seueritas. ib. præsagia. ib. misericordia. ib. opus. earum descriptio.* 552. *transfugarum deploratio.* 333. 1. 2.
Aphorismus. 297. 1
Apthonius Sophista. 130. 2.
Apis Attica Zenophon. 171. 2.
Apithanos quid? 628. 1
Apluda vetus verbũ pro frumenti furfure. 62. 2
Apodicticum quid? 630. 1
Apodoxis, siue Apoplanesis. 297. 1
Apolinaris stylus poeticus. 72 2.
Apollo. 509. 2. *Apollo ἀγυιεὺς cultus pro foribus.* 498. 1.
Apollonij Aladabensis mos. 119. 1
Apollonij Rhetoris dictum. 432. 1

Apollonij iudicium de stylo. 99.2
Apologi cum sale, & grauitate adhibendi, non omnes dicent, 145.2. quomodo vsurpandi, ib.
Apologi confunduntur Aristoteli cum exemplis, 196.1. apologia vsus apud Principes, 638. methodus triplex, ib.2. item dispositio triplex, 639.
Apophasis, siue Ætiologia. 297.
Apophonisma. ib.
Apophthegma Lysippi praclarum. 459.2
Apophthegmata quid sint, & quid differant à sententia, 149.2. vernacula multum habent dignitatis. ib.
Ἀποπλάνησις quid in exordiis? 239.
Aporia, 292.2. eadem ac diaporesis, ib. eius exempla. ib. & 335. & seq. & 354
Aposiopesis siue Reticentia, 297.2. eius vsus triplex. 332.1
Apostasis. 298.
Apostatarum insectatio. 771.1
Apostoli quales, 716.1. eorum vocatio, ib. capita Apostolorum pop. Rom. animos placauere. 364.2
Apostrophe, 298.2. eius vsus in iracundia optimus.
Apostrophe plena affectibus. 700.1
Appius Claudius ingenij lumine præstitit. 13.2
Aprepes quid? 628.
Apri descriptio. 559.
Apsinus Rhetor gratus. 243.2
Apuleius, 133.2. eius Apologia pro se, 87.2. Martichora similis, 93.2. eius puerilis descriptio, 68.1. habet audaces metaphoras, 63.2. vastam atque horridam orationem in metamorphosi hominis in Asinum, 65.2. prauus imitator omnia fere integra ex Luciano expressit, ib. irridet stylum M. Tullij, 88.1. reddit rationem styli sui. ib.2
Aqua in coniecturis adhibita, 632. eius virtutes, 502.2. commendatio, 501.2. aqua Stygis omnia perforat. 500.2
Aqualiculus. 107.1
Aquila descriptio, 549. eius senectus. ib.
Aquitani medulla ferè omnium Galliarũ, 727.2
Aranea descriptio. 553.554
Aranea Thebanorum. 247.2
Avare intra pomœrium. 241.1
Arbores cum ingenio comparata. 124.
Archimedis ingenium, 215.2. sphæra, 158.1. item ex Lactantio. 197.
Archita columba. 115.2
Areopagus, 616 eius pictura. ib.
Arethusa. 257.1
Argumenta qua ad suasionem optima, 605.1. humana ad persuadendum qua robustiora, 606. à religione petita valida sunt, 673. per ignem & aquam, 634.1. remota humana, ib.2. remota diuina. 633.2
Argumentorum grauium 4. species. 104.1
Aria. 298.2
Arianus, 130.1. eiusdem supercilium. ib.
Aristides. ib.2
Aristocratia, 601.2. eius vitia. 687.
Aristoteles Demosthenem non docuit eloquentiam, 9.1.2. auream habet sapientia opulentiam, 16.1. doctus, acer, acutus nervos, & iudicium legentibus confert, 129.2. eius categoria multum ad disserendi rationem attinent, 152.2. placita Platonis de ideis carpit, 1.2. eius de æthere contra Anaxagoram opinio, 175.2. dictum, ib. artem tegendam dicit. 433.2
Arma aurea non vulnerant. 615.2
Arnobij descriptio generosis sensibus sed stylo rudiori. 457.2
Ars tegenda, 433.2. ars suadendi & persuadendi, 605.606.
Arsinoe, 819.1.2. Iunonis viola & olfagiorum, ib.
Ascensio Christi est typus gloria, 714. eius triumphus. ib.
Asiatici molles, cur? 116.2
Asiaticorum vitium de numeris. 285.1
Asinus Pollio intra 4. diem quam filium amiserat declamauit ex Seneca. 111.1
Asoti. 319.2
Aspectus infantis seditionem mitigat. 364.2
Asperitas orationis, 105.1. eius definitio, ib. considerata ratio esse debet, ib.2. non conuenit adolescentibus, ib. in ea Cicero prudens, ib.1. à Demosthene vsurpata, ib. eius figura & adiuncta, ib.2. in concionibus qualis. ib.
Assessores. 614.2
Assumptiui status species quatuor. 632.1
Assumptiua quid? ib.
Assumptiua qualitas quotuplex. ib.
Astabasdas. 441.
Ἀσσύγον pessimum ingenium. 359.1
Astrologia iudiciaria tyrannis. 343.2
Astysmus. 298.2
Asyntacton. ib.
Asyntheton, ib. ornat periodos. ib.
Asystata quomodo dignoscuntur. 627.2
Ἀσυστάτων plura genera. ib.
Asystatorum aliæ species. 628.
Athanasius, 495.1.2. eius pulchra laudatio, ib.2

Atha-

Athanasius, 134.1. *eius ingressus celeberrimus*, 388. *eius grauitas*, 76.2. *item inuocat animam Pauli*, 766.1. *eius generositas in dictis*, *ib.*
Ate Homerica. 416.
Athanatos. 116.2
Athei morte mulctabantur apud Athenienses, 151.1
Athenagora & Iustini in apologia prudentia, 638.2
Athenienses atheos morte mulctabant, 151. *eorum leges*, *ib. inaures*, 246.2. *assentatio castigata*, 481.1. *Atheniensium iudicandi varia ratio.* 615.616.
Atila Leoni Rom. & Lupo Toccassino manus dedit. 417.2
Atlantes. 545.
Ατοκία. 791.2
Atrebatum ornatus. 107.1
Atticè dicere quid? 79.1
Attributa Dei. 707
Attyes duo ab apro interfecti. 175.1
Auaritia, 149.1. *eius descriptio ab adiunctis ex Seneca*, 190.1. *eius amplificatio per affecta & imagines.* 226.227.
Auaritia ferreum imperium. 148.1
Auaritia & ambitio Rulli amplificata ex Cicer. 216.217. *eius descriptio*, 546. *& seq. eius comparatio cum dipsade serpente.* 323.2
Auarus, 149.1. *comparatus suibus & scarabeis*, 226.227. *eius descriptio.* 528.529.
Auctor aliquis præcipuus ad familiarem consuetudinem eligendus. 128.
Auctores sacri habent suam eloquentiam, 721.1. *longè alios superant*, *ib. grauium & similium auctorum discrimen.* 69.1.2
Auctores noui cur sint in fastidio, 128.2. *veteres nouis prælati*, 129.1. *nouorum industria Parmenionis grunnitui comparata*, *ib. veteres non tantùm opinione*, *sed re nouis antecellunt*, *& cur*, *ib. quid singuli ferant virtutis*, *ib.* 2. *& seq*
Audax. 695.
Auditus vis & efficacitas. 365.1
Auernus lacus. 543.1
D. Aug. iudicium, 1 4.2. *versus in concione usurpauit*, 148.2. *eius eloquentia*, 723.2. *eius sententia magnifica*, 149.1 *eius grauitas*, 745.1
Augustus Cacozelorum osor, 94.1. *eius censura circa stylum.* 99.1
Auium descriptio. 549 *& seq.*
Aurium humanarum descriptio, 507.2. *sunt animi lances.* *ib.*
Ausonij Vrbane dictum. 279.2
Auspicia leuiz nõ sunt ab oratore aspernda, 391.2
Austeritas quæ characterem orationis iuuat, 774 1.2.
Austeritatis egressus, & agrestis character, 776.2
Auxesis. 799.1
Αυξησις eadem cum ea quam περιβολὴν appellat Hermogenes. 108.2. *primum genus amplificationis*, 202. *eius exemplum artificiosum*, 212. 2.3.

B.

Babylonicum forum. 247.1
Bacchari quid. 474.1
Bacchidis laus. 427.2
Baculus laureus gestatus contra insidias maleficiorum. 172.1
Baia. 543.1
Baiazetes magnus venator. 464.2
Balena Tinemuthana descriptio, 565.1. *balenarum & orcarum pugna.* *ib.* 2
Ballionis ira. 404.2
Balnea exagitantur. 766.2
Balneas adire promiscuas quàm fœdum. *ib.*
Balthazar cur punitus. 412.
Baptismi excellentia. 718.
Barba in pyxide deposita. 503.1 2
Barba aurea Persarum Regum. 792 1
Barbarismos Datidis melos. 647.
Basilius, 134.1. *de eodem Libanij iudicium*, *ib. eiusdem vrbane dictum in Demosthenem Valentis Legatum*, 279.1. *laus.* 496.1
Beelzebub princeps muscarum. 179.1
Bellica virtus. 464.2
Bellicosus Traianus. *ib.*
Bellugia nominati Abyssini Reges, 172.1. *nominis significatio.* *ib.*
Bellum seditiosis gratum, 654.2 *anceps*, 673. *belli crudelis amplificatio ex Cicer.* 220.2
Benefacere Dei natura. 81.2. 665.1
Benefacti bonorum natura. 670.1
Beneficium vt laudatur, 479.2. *beneficij exaggeratio.* 480.1
Beneficij accepti amplificatio ex Cicer. 218.1
Beneuolentia, 689.2. *vnde petitur in exordijs est oratori necessaria*, 384 1. *beneuolentia affectus*, 386.1.
Beneuolentia captanda adulatorium exemplum. *ib.*
Bernardus, 171.1.2. *doctore Christo professus Rhetor*, *ib.* & 172. *eiusdem contra falsum legatum Anacleti vehementia*, 107.1. *eloquentia*, 724.1
Bibliotheca Eumenis supra ducenta millia voluminum habuit, 127.2. *insignis alia Ptolomæi Philadelphi*, *ib. insigne Hierosolymis institutum* Alexan-

Alexander Episcop. ibid. Bibliotheca aliquot nobiles. 128
Blasius causam dixit versibus. 626.2
Blandi viri descriptio. 529. & seq.
Boetius Severinus. 134. 2. *de eo Scaligeri iudicium.* ibid.
Bombycis descriptio. 554. & seq.
S. Bonifacij res gestæ. 723.2
Bonus nemo gratuito. 653. 2. *boni viri amplificatio ab effectis.* 219.2
Bona vel sunt naturalia vel fortuita. 290.1.2
Bouinator pro tergiuersatore. 63.1.
Bouis vnicornis descriptio. 564.1
Bracca. 652
Brachia. 446.1
Brachygraphia. 299.1
Branchus. 438.2.
Brasilia descriptio. 572.2
Breuitas arguta D. Greg. Nazianzeni. 726
D. Basilij. ibid. D. Chrysostomi. ibid. & 727
Breuitatis præmittendæ exempla in exordijs. 244. *nimia character. ibid.* & 85. 2. *optima lex.* 86.1
Brigantes populi. 655.2.
Bunduica heroina omen. 391.1. *eius descriptio & iracundia motus.* 411
Buteonis pro siccis apologia contra Ciceronem. 91.1.

C.

Cacosystata 628. 2. *cacosystata causa quæ dicta.* ibid.
Cacorelum quid. 65. 2. *eius cum tumido stylo discrimen. ibid, exempla cazozeli ibid.*
Caroli docti antiquarij Apologia pro se contra Ciceronem. 89.2. *cacozelorum ortus.* 93. 2. *ineptæ locutiones.* ibid.
Cacozelia vitium apud Græcos celeberrimum. 125.2. *eius ex Luciano definitio.* ibid.
Κακόζηλον latine reddit malam affectationem Quintilianus. ibid.
Cadmi pulchritudo per partiũ enumerationem 168.1.
Q. Cæcilius Metellus velut quadam prudentiæ officina. 115. 2. *eius filius S. Metellus Capra-rius omnino stupidus.* ibi.
Cades. 427.1
Cælius antipater. 287.1
Carus. 515
Cæsar. 131. 2. *dicendi rationem minimè veteratoriam tenet.* 31.1. *C. Cæsaris nomine insigniti cum Caij prænomine ferro omnes perierunt.* 175
Cæstius castigatus ex filij Ciceronis mandato. 91 *acriter inuehitur in stylum Ciceronis.* ibid.
Caius Gracchus grandis fuit verbis, & sapiens sententijs 27.1. *seruum habuit Erycinum, qui pronunciationis modos fistula formabat, ibidem. tantus orator fuit, vt præ eo cæteri oratores pueri viderentur. ibid. tentauit aliquid primis eloquentiæ Romanæ primordijs in acutis sententijs.* 81.1
Caius Lælius fuit imprimis eloquens. 25.1
Calamitas Quintij aggerata. 118. & seq.
Calamitosi hominis narratio. 430
Calamitosi status amplificatio per antitheta ex D. Greg. Naz. 222. & seq.
Calenda sacris destinata. 632.2.
Caligula velox & calidum ingenium. 117.1
Calix S. Remigij. 710.1
Calliditas blanda. 665.2
Calligonius. 767.1
Callimachus κακόζηλος 381.1.2
Κάλλος in oratione. 109.2
Calpharnij affectus. 386.2
Caluisij memoria hebes. 115.1
Calumnia magnorum odiorum fomes. 394. 2. *morbus muliebris.* 652
Calumniæ descriptio. 520
Calumniatoris descriptio. 536.1
Camelus quid. 558.2
Campani superbi. 116.1
Campaspe siue Pacaste. 246.1
Canathus Fluuius. 937.1.2.
Candaules. 110.1
Candor signum fœlicitatis. 678
Canum exemplum amplificatur à Chrysostom. 797. 2.
Canis frequenter latrantis communis assiduis comparatio. 850. 851. *eius descriptio.* 561. *canes ad fores picti.* 735. *non mordent fedentem.* 702. 1. *canem inter, leonem, & Elephantum prælium.* 561
Cantus quid. 437. 1. *appellatus Caricum vitium ibid. cantus fœdum vitium pronunciationis. ib. 2. in oratione subobscurior esse debet.* 438.2 *eius educatio.* 437.2
Cantionis radix & ortus. ibid.
Cantores in agendo effranes, 437. 1. *non habent vocis varietatem. ibid. remedium aduersus cantum.* 438
Capillorum exhibitio mancipationis symbolum ib. 90. 2. *eorum cura.*
Capitolium. 669.2
Cappadoces mendaces, & cur 116.2
Cappocius senensis totam de morte Christi historiam in suis vnguibus delineauit. 115.2

Caprona quid? 510.1
Captiuitatis miserrima inter piratas praclara amplificatio 222.2
Caput cœpa Perieli 13.1
Capitis nutus, 444.2. demissio quid? 445. caput altum, ibid. caput attollere, ibid. idem est in corpore quod cœlum in elementis, 183.2. tanquam arx inter cætera orbis mœnia, ibid eius dominatus in reliquas corporis partes, ibid. corporis humani descriptio, 505.1.2. dignitas, ibid & seq.
Carceres quid in exordijs? 240.1
Charitatis materia, Offensiones 729.2
Carmina vatum in execrationes, 653.1. carminum consecrandorum mos
Carneades vt clamosus arguitur 436.1
Carnificum crudelitas 713.1
Carolus regius 762.2
Caroli Quinti Imp. symbolum 1470.1
Caroli Zeni oratio 120.1
Carthaginis luxuriantis in Circo descriptio 734
Cassiodorus 133.2
Cassius 265.1
Castitas tuta 634.1
Cataclista vestes de pressorio splendentes 551
Catachresis 299.2
Catera ibid.
Cato senior in dicendo grauis, 24.2. truculentus orator, homo mitis, 560.2. illius authoritas ibid.
Cauillatio quid? 267.1
Causa primaria mens æterna 179
Causa rerum quatuor, 158.2. quæ sunt, 279.2. earum dignitas ibid.
Causa quid sit in genere 180.1. prima causa efficiens Deus, ibid eadem fœcundans sustentat eloquentiam, 181.1. eiusdem genera multa, ib. naturalium causarum vsus apud oratores, 182.2. exempla quæ tractari possunt ab oratoribus, 183.1. earũ vsus oratoribus familiarissimus, 185.1.2. causa in quatuor distincta species tot effectorum creant genera, 186.1. cuique causæ sunt ex effectu, ibid. causæ variæ vario modo tractandæ, 626. earum genera & nomina 629 & seq.
Causæ fluctuantis perorationis 275.2
Causæ iracundiæ 17. ex Aristotele 399.1
Causidici antiquarij fatuitas, 626.2. inepti causidici, ibid. & seq. eorum eloquentia ib.
Causulas splendidè tractare ibid.1
χειροσωνὴν 446.2
Celeritatis in oratione cum suauitate mixtura 112.1
Celes equus 762.2
Cephisodotus thuri similis 290.1
Cerberus 406.2
Cerebri humani descriptio, 505.1.2. eiusdem dignitas ibid.
Ceraris sacrum 661.2
Cerui descriptio 559.2
Ceti descriptio 564.2
Cethegus sunda medulla 24.2
Chamæleontis descriptio 538.1.2
Chaos, 180.1. quid per illud intelligentibus Orpheus & Hesiodus ibid.
Character Vrbanus, 660.2. agrestis, 776.1. adulticatus assentatorius quam periculosus, ibid. 2. popularis Augustini, 759.2. item grauis Concionatoris 764. & seq.
Characterismus 299.1
Charientismus ibid.
Charitas Christi patiens, & fortis, 713.2. eius materia offensiones fuere 729.2
Charybdis 406.2. symbolum voracitatis 547.2
Chiasmus quid? 283.1. χιασὸς 299.2
Chimera 406
Chleuasmus 299.2
Chraspis fluuius ex quo bibit rex Persarũ 502.2
Chriarum & orationum moralium dispositio 237.2
Christiani qui pro Imp. precari soliti, 639.1. libros in vsum doctorum post Apostolorum tempora congesserunt, 127.2. ab ipsis Ecclesia incunabulis Martyrum appellationes filijs imposuerunt ex Theodoreto, 172.1. desides insectatur D. Cyprianus, 363.1. non vtebantur serena ex floribus 518.1
Christus, 711.2. κραδίαν δόχιμα, 708.2. Christus imitatus parentes filiorum mare orbatorum 710.2. in Christi infantia labores exclamatio, 711.2. Christus viator & exul nascitur, 712.1. Christi persona plenissimum maiestatis theatrum, ibid. Christus victor & victima 712.2
Christi contumelia à satellitibus facta, 713.2. Christi compassio cum affectibus pijs, ibidem. Christi charitas patiẽs & fortis, ibidem. 2. resurgentis triumphi, 714.1. Christo admirabilis pulchritudo restituta, ibid. Christe ascendenti quid faciant cœlestia corpora, ibidem. 1. Christus omnium argumentorum seminarium, 710.1. imitatus aucupes industrios, 713.2. sapientia Dei panis Angelorum 711.2. gestatur paruulus, adoratur vt Deus, 711.2. eius pulchritudo, ibidem, oculi, nitidè solis, 712.1. potentia in miraculis, ibidem.

demissio, 711. 1. 2. *incarnatio pulchra similitudine declaratur*, ib. *charitas* (*Vide charitas.*) *eo incarnato Angeli obstupescunt* 710.1

D. *Chrysostomi perspicuitas*, 103. 2. *eiusdem homilias urbi Parisiensi & ipsis imperijs D. Thomas proferebat*, 128. 1. *de eo honorifica iudicium*, 134. 1. *eiusdem amplificationes plus habent fluxus verborum & laxitatis* 225. 1. *teneri affectus*, 386. 1. *motus aculeati & pungenti ira cundia*, 409. 2. *in motibus industria*, 511. 2. *eius magna mens eloquentiæ seminarium*, 781. 1 *pietas & conscientia cum Deo*, ib. *temperantia & frugalitas*, 784. 1. *prudentia & de concionatorium iudicio*, ib. 2. *humilitas*, 785. 1. *constantia & gravitas*, ib. 2. *zelus*, 786 2. *charitas* ibid. *ingenium & facundia*, 787. 2. *maiestas*, 789. 1. 2. *& seq. vehementia*, 791. 1 *austeritas*, 792. *suavitas*, 793. 1 *picias*, 794. 2. *doctrina*, 795. 2. *popularitas*, 796. 2. *sacrum est post mortem loquutum*, 799. 2. *eius mortis gloria*, ibid. *pompa funebris* 800

Cicada descriptio ex Greg. Naz. 726

Cicada Ennomy 246. 1

Cicero culmen eloquentiæ, 31. 2. *confertur cum prato propter varias eloquentiæ virtutes*, 32. 1. *comparatur cum Demosth.* 32. 2. *& seq. usq; ad* 51. 1. *cum Thucidide*. 51. 2. *cum Isocrate*, 56. 2 *cum Sallustio*, 58. 1. *cum Platone*, 53. *& seq. cum Lysia*, 55. 2. *cum Seneca*, 58. 2. *multis nominibus Demosthenem superat*, 82. 2. *& seq. eius oratio comparatur cum Asinio*, ibid 1. *virtutes*, ibid. *& seq. quam verecundus in acuminibus*, 81. 2. *verbositatis insimulatur ab Apuleio*, 88. 2 *eius filius Caßium castigari curat*, 91. 2. *pro eius stylo apologia contra Apulcium*, 92. 2. *& 93. 2. dotius stylus*, ibidem. *de eius ingenio iudicium*, 96. 2. *styli defensio*, 95. 2. *in propriis laudibus nimius*, *Demosthenis postpositus*. 102. 1. *habet ut Platonem in delicijs*, 131. 2. *ex Platone, Isocrate, & Demosthene multas divitias congessit*, 135. 1. *Demosthenem imitatus est felicissimè*. 136. 1. *vomicam habuit exordij* 245. 1. *eius in morte Trebonij motus* 306 2. *eius motus in iracundia* 403. 1. *eiusdem comparatio cum Accipitre*, 205. 2 *versus in Pisonianos*, 287. 1. *eius Philippicæ utilissima & cur* 127. 128. *à præparatione exordium habet cum Demosthene*, 46. 1. *eius imitatio præfertur Demosthenis*, ibidem. *imitatus est Xenophontem*, 139 2. *ejus dicitur oratorem primum & apprimè omni virtutis expoliri offendit* 142. 2 *puer prætorum lectioni erat addictus* 144. 1 *commemorat in 1. Philippica se in Senatu gratum verbum usurpasse, eius rei*, 148 *præceptores amplificationis magis ex Græcorum commentarijs quam ex suo ingenio scripsit*, 207. 1. *dissentit ab Aristotele in numerorum præceptionibus* 287. 1. *confertur cum Prateo propter varias eloquentiæ virtutes* 12. 1

Ciconiarum & cornicum exercitus 195

Cilices mendaces. & cur 110. 2

Cinami consortis descriptio 415. 1

Cincia lex 600. 1

Citharadi piscis cum vano doctrina simulatore comparatio 313. 2

Citharadus Erici Dania regis, 365. 2. *citharadi Vestis*, 510. *descriptio* 518

Civilis eloquentia antiquitas & necessitas, 90. 1 *eiusdem pars* 613. 1

Civitas florens, 427. 1. *diruta deploratio. ibid.*

Claudi bellica exaggeratio 348

Clamosi 436

Claudius 463

Claudij Imperatoris Laus ridicula 459. 1

Claudij Cæsaris ingenij stupor 117. 1

Clavis periodus quid: 283. 1

Clavis aurea in lingua silentium 446. 2

Cleopatræ navigium 543. 1

Clotscon 289. 2

Clemens Alexandrinus studuit in Pantæni schola, 118. 119. *eiusdem comparatio de ignorantibus ingeniosos se simulantibus* 754. 2

Clementis Alexandrini dictum de ebrietate 698 1

Clementia Dei natura 470. 2. *eius laus* 227. 2

maxima 300 1

Clitor fluminis pisces vocales faciens 501. 1

Clitumni fontis descriptio 576

Clotildis factum ad iram excitandam 395

501. 1

Cnidus fluvius 621. 1

Codex 175. 2

Cœlibes quasi cœlites ex Brunio

Cœlum, 718. 1. 2. *appellatur mundi elementum optimum ab Orphæo* 322

Cœnotes 300. 1

Collocatio verborum in periodis observanda, 291. 2. *sex sunt vitia contra collocationem*, ib. *de ea morosum nimis iudicium*, ibid. *de eadē observationes in Ciceronem* 292. 1

Color

Color quid 636
Columba. Vide passeres eius colli descriptio 551
Columnis inscribere nomina 547
Coma nigra laudatur, 509.1. humana descriptio, ibid.
Comma quid sit in periodo 284
Communicationis definitio & vsus 331.1
Comparatio stulta 738.2
Comparatio cum Antithetis 218.1
Comparationes inepta 737.1.738
Comparationes personarum valent ad motum 402.1
Comparatiua ratio legalis 629.2
Compositio, 101. 1. verborum in periodo obseruanda 291.1.2
Compositio siue collocatio. ib. sex sunt vitia contra compositionem ex Cicer. ibid.
Compositio 2 pars elocutionis, 289.1. eius definitio, ibid. officium, ib. vii, ibid. compositionis artifices cum Phrygibus comparati, ibid. ea contempta omnis verborum perit elegantia, ib. eius gratia, ibidem. compositionis tota ratio continetur in periodis ibid.
Conceptio B. Mariæ 715.1
Concessio quid? 331.2. eius definitio, ib. variæ formæ, ibid. exempla, ibid. & 355.1
Concha descriptio 92.1. eiusdem cum stylo puerili comparatio, ibid. item eiusdem descriptio, 568.1. alia descriptio conchæ nauigeræ 568
Conciliatio 609.1. methodus conciliationis, ibid.
Concionator 743.2. concionatoris grauis character 764
Concionatores Catholici quid faciant? 722.2. cōcionatores varij, ib & seq concionatoris egregij laus 736. concionantis errores, 737.2. concionatoris vehementis character, 771.1. concionandi genus adulatorium reprehenditur, 777.1. concionatoris suauis, honesti & culti character, 778.1 affectati. ibid 2 pij & simplicis 779 1. pij & grauis ibid. 2. item putidius docti. ibid concionatores semidocti 780 2. curiosi 781.1. populares 782.1
Concionatores molles & putidi 749. 2. concionatoris sapiētia 754.2. propria doctrina 755.1. labores 751.2. Typus 753 2 cōcionatores leues exagitātur 751.2. austeri, 776.1. assentatorij, ib 2 faceti, 777. suaues 778.1. pij, ib. affectati, ibidem pij graues, 779.2. docti, ibid. scholastici, 781. 2. vani quantum in iudicio Dei sunt reprehendendi 738 739. in profanos imprecatio, ibidem. nimis scholastici non sunt vtiles 781 & seq.
Conciones Græcorum 597.2
Concionum stylus non debet esse mollis & putidus 741.1. concionis conformatio. 757.2. cōcionum forma & character 758. 2. dispositio 760 & seq partes, 761.2. exordia ibid. elocutio 762.2. figuræ quales, ib. descriptiones quales, 763.1. loci graues, 765.1. concionum plausus periculosus 794. 2. dispositio ex Chrysost. 797.1. concionum & chreiarum narrationes quæ? 253. 1. concionum dispositio quintuplex 760. & seq.
Concitationis insigne exemplum, 689.2. ars malitiosa 690.1
Concordia symbolum 146.2
Confirmatio, 265.1. in concionibus qualis 762.1
Confutandi genera multa 263. & seq.
Confutantium fictè similitudo ibid.
Confutatio Sophistarum, 264.1. malitiosa, ib. 2. syncera ibid.
Confutationis quinque modi 263
Confutatio qua vsus Scipio admirabilis, 264.1. in ea non sunt falsa aduersarijs imponenda ib. 2. eius ordo 265.1. exemplum nobile ex Gorgia Leontino, 267. modus per conglobatas rationes, 268. alij confutationis modi, 269. & seq. confutationis exemplum, 275. confutatio in qua lex explicatur ib. 2
Congeries cita & mobilis 329.2
Coniecturalis status quotuplex 630.2 & seq eius tractatio 632.2. sex modi 630.2
Cōiugata quomodo deficiantur à Cicerone. 176. 1. eorum exempla, ib nunquam sola significatione conueniunt 660.1. alia voce solū conueniunt, alia appellatione simul & re. 661.1.2. istud argumenti genus plerumq; est exile, & frigidum, ibid tractatur venustè per hyperbolem, per paronomasium, asteismum & traductionem ibid.
Coniuncta rationalis controuersia & legalis quæ? 629.2
Coniunctio qualis figura 328.1
Coniunctiones in periodis, tanquam aureis catenis vinciunt orationem 293
Conquestionis motus 408.2
Conscientia 699.2
Consequentium & antecedentium ab adiunctis discrimen 189.5
Consiliarius quis? 652.2
Consilium ad Deum referre 480.2
Consilij boni lucrum 650.2. consilium temerarium etiam felix malum est 602.1
Consolationis varietas, 612.1. ars mirifica, ibid. necessitas 711.1

Constantinus beatus, 730.1. eius clementia, ibid.
Constantinus edixit contra obscœnos poetas 117.2. eius nominis primus imperium fundauit, vltimus amisit 175.2. eius nobilitas, 463.1. mansuetudo 730
Constantij impietas exagitatur 106.2
Consuetudo est affabricata natura, 363.1. ea sine veritate vetustas erroris est ibid.
Consuetudinis vis 624.2
Contrariorum dignitas ostenditur illustri exemplo, 190.2. eorum magna vis est & amœnitas 191.1 quatuor sunt genera ibid. contraria aduersa quid sunt ibid. eorum vsus, ibid. contraria à negatione ad affirmationem non valent, ibid. 2. contraria priuantia discrepant ab aduersis, ibid. contraria comparata quid sunt, 192.1. eorum vsus, ibid. contraria contradicentia quid, ibid. contraria repugnantia quid? ibid.
Controuersiarum septem genera, 629.1. controuersia simplex rationalis quæ? ibid. controuersia mixta ex varijs ibid. 2
Controuersiarum genera publica, & quot 630.1
Contumeliam pati generosum 729.730
Conuicia oratoria 654.2
Conuiuiorum luxus descriptio 896.2
Coquus 671.1
Cor affectuum sedes, 359.2. eius descriptio 507.2
Coriolanus 660.2
Cornelius Tacitus 133.1. eius grandia & byssina dicta 62.2. eius censura 101.1
Cornelius senator conuitijs appetitus 398
Cornicum & cicontarum agmen 195
Cornua 267
Corocottæ ars insignis in deliniendo Augusto 418.2
Corona Ctesiphontis, 722.2. corona rosea, 537.2. corona ex floribus Christiani non vtebantur: 538. corona Hypothymias, ibid. corona radiata 460.2
Corpus pulchrum dignum magnum mentis domicilium 464.1. corporis bona mala, 290.1. corporis formæ effictio, 324.1. deformis descriptio, 401.2. humani item in genere, 505.1. 2. in specie. 509.2. &c. eius forma ad probationes facit 633.1
Correctionis variæ species, 332.2. eius præclara exempla ibid.
Corsicus adolescens triginta sex millia neminum fideliter memoria referebat 115.1
Corui Rhetoris insulsa oratio 86.1
Corycius specus 581.1
Cothurnus Tragicus 589.2
Cotta nihil habuit in oratione nisi sincerum, & sanum 29.1
Cretenses mendaces, & cur 116.2
Criminis inusitati amplificatio ex Cicer. 121.1
Critias vocabulis proprijs orationem concinnabat 15.1
Critici, 739.1.2. vide Momus, stylo miscellaneo & antiquario plerumque laborant, 74.2 critici cuiusdam fastus & stylus ibid.
Crocodilus quid? 267.1
Crux ara gloriæ, 713.2. maiestas, ibid. crux puriùs quàm Luna, ibid. crucis definitio ex D. Chrysostomo 161.1
Crucis amplificatio per synonymiam, 162.1. & 2. Dominicæ acerbitas per partium enumerationem 168.1
Crudelitas 394.1. eius imago, 403.1. mulierum castigata, 418.2. noua, 713.2. in seipsum 699.2. eius mater auaritia, pater furor 3.8
Crudelitatis est exigere pœnas à cadaueribus 277.1
Ctesiphon 541.1
Cubitus 446.2
Culicis descriptio. 552. eiusdem cum pulice 554
Cultus Dei vide Deus
Cupido Praxitelis, 510.1, 2. idem appellatus τύραννος θεός, 511.1 cum vespa comparatus, 228.2. idem optimè depictus ab Alexi 381.1
Cupidinis descriptio ex Moscho 160.1
Curiæ Franciæ quam honorificæ 613.1
Curiæ descriptio 648
Curio orator illustris, 26.1. memoria lapsus est, & cur? 120.2. labili admodum memoria ibid.
Curiosi 781.1
Curiosi dicti muscæ 179.1
Curiositas ridicula, 781.1. curiositas ingenij humani amat volitare per omnia 123.2
Cursores 453.1
Q. Curtius acutæ breuitatis summus magister, 82.2. eius acumina varia 83.1
Cybelles sacrorum ritus 189.1
Cygnea cantio 737.1
S. Cyprianus mellitissimus doctor, 727.2. de eo iudicium. 134.1.2. eius grauitas, 766.2. oratio in ardentes balneas, ib. graues habet amplificationes, ib. eius verba vellicant, & multum habet νοργότητος, ibid. oratio non est facta malleo, sed animata, 772.2. item grauis & vehemens oratio ibid.
Cyro solis nomen fuit, 171.2. viri nobilis suasio. 607

Dædali

D.

Dædali simulachra 514.1.2
Dæmones cur malis affectibus immixti 369.1
de Daphnitico templo incenso nænia 372.2
Datis 646.2. eius melos 279.2
Dauidis eloquentia 742.2
Dauidis & Goliath monomachia, 598. & seq.
Dearum iudicij de pulchritudine descriptio ex Apuleio, 511. & seq.
Decalogus legum omnium typus 620.2
Declamatio 452.2. declamationum iudicium, ib. defensio, 453.1. earum agendi ratio, vanitas & miseria, 452.2. vsus 453
Decorum, 112.2. eius vsus 113. & seq.
Deesis 300.2
Defendere vinctum est iudicem arguere 699.1
Defensionis methodus 633.1
Definitio per Synonimiam quid? 154. 1. per descriptionem, ibid. eius dignitas & varia appellationes 156.1. imago & characterismos appellatur, ibid. cum Pausiæ pictoris comparatur, ib. dicta à græcis ὅρος, ibid. 2. soli comparata, ib. quid sit definitio, 157. 1. eius partes duæ, ibidem. definitiones oratoriæ quales sint, ibid. definitionis vitia tria, ib. virtutes, ibid. definitiones Platonis audaces ibid debent esse breues, ibid. 2. quæ sunt perfectæ, ibid. earum vsus in argumentando triplex ibid. definitio per partes duplex, 158.1. per caussas, ib. 2. per materiam & caussam efficientem frequentissima apud oratores ibidem. per effecta definiunt optimi oratores, 159.1. per similitudinem vtilissimæ, ibid & 161. earum vsus ib. definitio per accidentia, 160.1. definitio per negationem 161. 2. amplificetur per Synonymiam, 162.1. eius mixta amplificatio, 163.2. definitionis genus fusum & oratorium ex Cicer. ibid. 2. inualida facillime refellitur, 164.1. quomodo ea vtendum, ibidem. valet ad amplificandam periodum, 293. 2. definitio simplex quid? 631.1.2
Definitio B. Virginis per Synonymiam, 161. 2. eo definiendi genere vsi sunt SS. Patres, ib. 1.
Deformis corporis descriptio 401
Dehortatio. 608.2. eius arte ibid.
Deianira 226.2
Δείνωσις, secunda ratio amplificationis, 202.2. eius exemplum ex Demosth. 203. 1. aliud ex Cicerone, ibid. 2 est crebra in amplificationibus D. Gregorij Nazianzeni, 22.1.2. eius exemplum plenum maiestatis 771.2
Δεινότης quid? 313.1
Deiotarus 633.1
Delectatio comes eloquentiæ, 452. 1. duplex est, 387.1. quomodo paratur à Philologis ibid.
Delectus prima pars dispositionis 235.2
Delectus locorum & figurarum ad amplific. seruientium, 214.2. delectus verborum, 215.2. rerum 236
Deliberatiuo generis laus, 600. eius sex capita 601.1. quinque argumenta, ibid. argumenta in genere 605.1
Delicati descriptio 537.2
Delicta leuia non sunt multum exaggerenda 641.1
Delphinis & pueri descriptio, 566.1. item alia ex Æliano 567.1
Delphinorum & mugilum pugna 567.2
Demades nauticos sales in forum transtulit, 21.1 eius subtile factum 605.2
Demetrius Phalereus Rheter illustris. 7.1. statuas 360. habuit Athenas, 8. 2. suauis videri maluit quam grauis, 22. comptus auctor frigidos sensus κακοζήλους nominat, 125.2. honesta & sublimis oratio, 697. 1. quærimonia grauis, ibidem
Demetrius charus Romanis 695.1
Democratia, 685.2. improbatur 686
Democritus promisit se Darij regis vxorem ad vitam excitaturum 612.1
Demonstrare quid 454
Demosthenes Valentis legatus castigatus à D. Basilio, & cur 279.1
Δημοσθένης συλοικίζει ibid.
Demosthenes ab Aristotele non didicit eloquentiæ præcepta, 9. 1. eunctos Atticos eloquentia superauit, 20.1, eiusdem cum Cicerone comparatio, 32. & seqq. vsque ad 47. fulmini comparatur, 33. 2. eius vitia, 34. 1. eiusdem ἐπιτάφιος λόγος frigidior, 35.1. πάθος suaue, 37.2. laudator sui, 38.2. mordax, 39.2. fastidiosa eius oratio, 40. 2. increpationes, 44. 2. elocutio austera & Thucididæa, 49.1 verba plerumque audacia ib. accentuum nouatio, ibid actio prius infausta, 52.2. idem à stylo scholastico alienus, 70. parcus laudum suarum æstimator, 107. 2. de eo iudicium, 129.2. eiusdem laudatio funebris, 247. satellites, coruscationes, & tonitrua, 358. 1. eius iracundia acris & generosa fulmini cum nube colluctanti comparatur 407.2 insignis eius amplificatio. 200. 2. eius virtutes. 20. de eodem iudicium Clemenis Alexandrini, ibidem. eius oratio mollis 961
Demosthenica figurarum tractatio 344

Demus Leuxidis 247.2
Dentes 445.2
Deploratio apum transfugarum elegan 333.1.2. mortis Eteonei 493. 1. 2. mortis Pulcheriæ 495.1.2
Deprecatio quid 643.2. vbi inutilis 614. 1. eius ars, ib. loco communes, ibid. affectus ibid. graue exemplum, 333.2. aliud cum affectu 334. 1. 2. aliud ex Demosth. 353
Deprecatiua venia quæ 632.2
Derisus 609.1
Descriptio quæ optima 158 2. ea in quatuor partes diuiditur 323.2. mollis 107.1
Descriptiones variæ 324.1. & 362. 2. valent ad excitandos affectus ibid. in concionibus quales 763 1. Smyrnæ vrbis descriptio 366. 1. vrbis euersæ ibid. eius dispositio 485. 2. vide librum 11. ex varijs descriptionibus concinnatum
Despicientia prima iracundiæ causa 399 1
Deus circulus ex Trismegisto & alijs 90.2
Dei prouidentia 104.1. eiusdem definitio per negationem ex Maximo Tyrio 161. 2. nihil appellatur, ibid. eius laus maximè silentio celebratur. ibid. stoicorum de eodem definitio 163. illius nomen semel in anno tantum à summo Pontifice apud Hebræos pronuntiabatur 175. 1. prima causa efficiens Deus 280 1. in amorem transformatus fingitur à Pherecyde, ib. causa causarum cuius primus est vsus 181. 2. eius amplificatio per effectorum enumerationem ex D. Greg. Nazianzen. ib. dictus Deus ab ipsis Ethnicis fatum, prouidentia, natura, ibid. Dei cognitio ex effectis 186. 2. eius bonitas 187. vt Deus in ventis, ita orator ambulat in affectibus 358 1. Dei laudatio 454. in eo laudando duo spectanda ib. Deus laudatur à definitionibus conglobatis ibid. de eo Synesius Greg. Nazianz. & Maximus Tyrius philosophati, ib. & 455. Deus laudatur à cumulo virtutum, quas κατὰ ἐξοχὴν continet ib. Deus omnia 455. laudatur ab adiunctis & effectis ib. laudatur ab imaginibus ib. 2. Deus non est corpus, 456. 1. fons est pulchritudinis, ibid. 2. est expers compositionis 457. supra factum existens 455. rector vniuersi ib. mater dictus ib. tantum surripitur, quantũ percipitur, 456. 1. apex est & finis omnis felicitatis 458. 2. prima causa & laus rerum ibid. 1. vt intelligatur tacendum est ibid.
Deum abyssus operit 457. Deo nomen omne conuenit 458. 1
Dei varia nomina 155. Dei laudationis modus ib. Dei encomium & descriptio 556. 1. manus munificentia ibid. timor & maiestas ibid. 2. definitio ex D. Bernardo 457. ex Arnobio ib. ex Seneca 458. maiestas 650. 2. Deus superbos frangit ibid.
Deus mundo vt lyra intentus 707. 2. Dei nomen quantum ibid. Deus actus purus 708 1. Dei attributa ib. æternitas ib. prouidentia ib. 2. misericordia ibid. scientia ibid. Deus mundos sexcentos potest condere, ibidem. Dei in redemptione nostra adinuentio 710. 2. Deus adorandus non mundus, 773 2. solus immutabilis 678. 1. natura est præstantissima & vtilissima ex Stoicis apud Lactantium 189. 190. rudibus primum hominibus figuras veritatis fuerunt indices præmisit 193 1. Deus, Angeli, &c. corporis expertia quomodo laudari debeant 215. 1. ipse sibi locus & mundus 707. 2. eius maiestas gradientis apud Prophetas ib. oceanus 708. 1. immensitas ibid.
Dextra 447.2
Diabole 300.2
Diacope ibid.
Diæresis ibid.
Diallage 301.1
Diallelon ibid.
Dialogismus ibid.
Dialysis ibid.
Diamiltosis quid? 90.2
Dianæ descriptio 513.2
Dianoea 301.1
Diaphora ibid.
Diaporesis ibid.
Diascene ibid.
Diasyrmus ibid.
Diatyposis ibid.
Diceologia 301.1
Dictio quæ apta ad affectus excitandos 377.1
Dictum festiuum in Dianæ Ephesinæ incendium 66.2
Dictum Bracteatum 410.2
Dictum præclarum de oratoribus ex Iuliano in encomio Eusebiæ 77.2. dictum acutum Scopeliani 247.1
Dictum Ludouici XII de aduocatis 620.1
Didascalici generis tractatio 759.2
Didymus Grammaticus tria millia librorum & quingentos scripsit 115.2
Dies 15 Minerua consecratus 476.2. diei mensis soli sacer, ib. dierum obseruatio ibid.
Diezeugmenon 301.1
Digitus 447.2. digiti linguosi 441.2. humanorum descriptio 508.1 digitis increpare 550

Di-

Dignitas & venustas 463.2. tertia & nobilissima pars elocutionis 293.2. tota consurgit ex figuris ibid.
Dijs proximus quis? 665.2
Dilemma quid? 266.2. Aristotelis ibid. Protagora ibid.
Dilemmaton 302,2
Diluuij descriptio 587
Diminutio pars prudentissima eloquentiæ 228.1. eius artificium non negligendum ibid. eius vsus 229
Dinarchus charactorem habet perspicuum 2.1
Dio Chrysostomus cornu quoddam est amaltheæ, & cur 129.2. Platonem & Domosthenem secutus ibid.
Dio Prusæus Amaltheæ cornu 22.2. Homericis versibus vsus est 140.2. eiusdem laudatio funebris 247.1
Diogenis lepide factum 164.1
Dionysius Sophista Herodoti narrationem Atticam fecit 110.1
Dionysij Pannonum ducis aduersus Gabram & Brannam odium 394.1
Dionysij tyranni in nouandis rebus ineptia 62.1. & 93.2
Dionysius quomodo soluerit citharœdos 100.2
Dionysius Halicarnasseus 130.1
Dionysij Areopagitæ grauitas 768.1. Angelus est loquens è turbine ibid. 2. eius laus 723.1 eloquentia ibidem.
Diorismus. Vide Aphorismus
Dipsadis piscis cum auaritia comparatio 323.2.
Disciplinæ externæ non sunt penitus repudiandæ 739.1
Disciplinarum humaniorum tempus & modus quis esse debeat 747.2
Discordia ciuium auget hostes 655.2
Discordia symbolum 146.2
Disiunctio 328.1
Dispositio & eius excellentia 235.1. prima pars delectus ibid. 2. dispositio triplex & eius exempla 236.1. artificialis triplex. ibid. 2. dispositio in consultatione & iudicijs quæ? 237.1. in laudatione ibidem. dispositio argumentorum ibid. dispositionis partes ibid. chreiarum & orationum moralium dispositio ibid. dispositio concionum quintuplex 760.1. eius primus ordo ferme sine arte ibid. modus qualis ibid. dispositio & ordo in demonstratiuo genere quanti sit momenti 461.1
Dissertatio de optimo genere dicendi 86.2
Distributio 302.22.21. illius præclara exempla ibid. illius varius vsus ibid. distributio prudens factorum & affectuum 354.2. quomodo fit ibid.
Diues & eius descriptio 537.1. diuitum luxus cum pauperũ miseratione comparatus 222.2
Diuitis mali & Lazari comparatio 793.2. eiusdem luxus ibid.
Diuisionis definitio 328.1. eius vis, vsus & exempla ib. triplex est ibid.
Docendi munus fuit dignissimum 7.1. docere. Vide præcepta
Docilitatis partes 244.2
Doctoris grauis character 764.2. Doctores in Ecclesia cunabilis 743.2. Doctores secundi, tertij, quarti & quinti sæculi ib. & seqq. eorũ oratio magnam habet speciem 623.2
Doctrina 736. de ea oraculum 246.2
Doctrina orationi an adhibenda 624.1. eius copia eloquentiæ inimica ib. 2. in ipsis orationibus epidicticis quomodo ea vtendum 142.2. eius vanus simulator cum Citharœdo pisce comparatus 321.2
Doctrinæ peregrinæ vsus 747.2
Dolor quibus moueatur rebus, & sintne præter orationem externæ eius species adhibendæ 374.1. eius motus apte expressi 374.1
Domna Augusta 649.1
Domitius Afer 436.2
Domus descriptio 589
Domuncula Christi nascentis 711.2
Domus regia descriptio 427.1. eiusdẽ ruina ib.
Dorionis egregium dictum 373.1
Draconis Babylõ inter superstitionis initia 90.2
Draconis cor deuorantes belluarum intelligunt 88.2
Draconis indici descriptio 560
Ductus quid 628.2. ductuum quinque modi & eorum exempla ib. ductus post statum inquirendus ibid.
Ducis Megabizium dictum 398.2
Duodecim tabularum liber ediscendus iuris peritis 620.2

E.

EBrietas Dæmon voluntarius 227.2. eius descriptio ex D. Ambr. 159.2. eius stultitia & feritas ibid. amplificatio per congeriẽ 227.1. alia eiusdẽ descriptio per Characterismũ 229.1
Ecbasis 102.2
Ecclesia opus Christi 716.1. triumphus ib. eiusdem patres vehementes 106.2
Echini descriptio 569
Edictũ Constantini cõtra obscœnos poetas 118.1
Edmundus Angerius 276.1
Edmundi humilitas in verbis 78.1. Diuus

Edmundus ferreum latus est appellatus, 171, 2.
Educatio liberalis, excelsæ mentis generositatem inducit, 120. 1. bona debet statim à tenero puoros excipere, 122. 2. qualis fuerit apud Rom. primis temporibus, ibid. qualis postremis, ibid. mollis apud Romanos 123. 2
Educatio, & vitæ consuetudo multum valet ad suscipiendos vel repudiandos affectus 363. 1
Effecta maximum habent cum causis commercium, 186. 2. eorum vsus, ibid in omni genere orationis vtilissimus, ibid plurimum valent ad narrationes & descriptiones 187. 1 ad amplificationes aptissima. ibid. 2. recte tractantur per congeriem vibratam & intercisam ibid. huius argumenti vis, ibidem. his maximè vtũtur oratores in definitionibus, 159. 2. quomodo sunt vsurpandæ, ib. eorum triplex vsus vtilissimus, 186. & seq.
Efficiens maximam habet ansam refutationis, 185. . eius cognitio erudita & fœcunda, ibid.
Effictio, 2. pars descriptionis quomodo definitur, 324. 1. eius exemplum insigne ibid.
Ἐ ἰδωλοπεία Euripidis acris & viua 119, 2
Et apud Hebræos quid significet? 174. 1
Eleazari supplicium ex Iosepho, 367. 1. eius constantia, ibid. morientis verba ibid.
Electra 262. 2
Elegantia quid est? 279. 1. eius duæ partes latinitas & explanatio ibid.
Elegantis viri descriptio 529. & seq.
Ελεπόλεις virtus & sapientia animorum 238. 2
Elephantus pro nutricio pugnat 258, 2
Elephanti descriptio, 557. cum formica comparatio 485
Ελικοειδὴς in se conuolutus quid sit 379, 2
Ellipsis 302. 2
Ellipsa quid? 628. 1
Elocutio 228. 1. 2. eius diuisio, & prima pars Elegantia 279. 1. eiusdem 2. pars compositio 280. & seq. in minutis elocutionis enodandis immorari puerilis est ingenij 278. eiusdem dignitas 293. 2
Eloquenti omnes artes ingenuæ sunt necessariæ 141. 2
Eloquentia non sola natura constat, 1. 1. disciplinarum omnium est regina, ibid. ei scriptorum imperitorum multitudo obest, ibid. eloquentia triplex, diuina, heroica, humana, 1. 2. sensibus magis constat quã verbalis, 2. 1. eandem habet cum mente humana, quã cum Deo mens affinitatẽ, 3. 1. eius dignitas, pulchritudo, vtilitas ib. Deorum inuẽtum antiqui crediderunt ib. 2. Pantarbæ comparatur, ib. ciuilis Imperatori perquam necessaria ibidem. eius laus ex Cor. Tacito, 4. 1. eius vis ad persuadendum ibid. 2. ἐλέπολις à Philone cognominatur, 4. 2. ortus & progressus, 5. 2. eiusdem Apologus lepidus ibidem. eloquentia animæ prudentia, 96. 1. de ea iudicia dissimillima, 60. 1. eloquentia optima quæ placeat auditoribus, 61. 1. adolescentia, ibid. virilis ætas, ibid. occasus, ibid. vera & germana eloquentia, 101. 2. quæ expetenda, & de ea Cicer. & Plutarchi iudicium, ibid. 2. optima quæ 102. 1. eius tria genera, ib. eius virtutes ac formæ, ibid. 2. eius vitium, obscuritas, 103. 1. eloquentia nummis similis, ibid. eius optima figura, 112. 2. eloquentia iuuenum, 113. 1. virorum, ib. Principum, ib. politicorum, ib. 2. Concionatorum, ibid. Philosophorum, ib. Sophistarum, ib. desideratæ ingenij fœlicitatem 117. 1. 2. eius corruptæ causæ, 122. 1. eiusdem pessimum virus delicia & vitia, ibid. eius doctrina tribus rebus potissimũ continetur, præceptis, stylo, & varia eruditione, 123. 2. eloquentia maximè indiget imitatione, 124. 2 cœlestis vis, & dignitas, 133. 2. eloquentiæ effectus in affectibus, 360. 1. ea cum authoritate coniuncta multum valet, 361. 1 item ad excitandos metus apta quæ, ibidem.
Eloquentia apud Dicen contra corruptores suos agit, 86. 2. eloquentia Platonis & Isocratis, 451. 2. ciuilis in duas sectas conscisa, 623. 2. eius necessitas & antiquitas, 599. 1. eloquentia Agamemnonis, 600. 1. Nestoris, ib. Menelai, ibid. Vlyssis, ibid. eius duo brachia. ibid. vigor in republica, ib. quando restringi cœpta, ibid. eius regnum seruire scenæ, 624. 2. cur cedere videatur eruditioni, 625. 2. eloquentia sacra carpitur à Cæcilio, 706. 2. magna tanquam flãmæ alitur. ib. sacræ excellentia, 707. 1 adiumenta, ib. materia, ib. in ea maiestas inuenitur à Christianis oratoribus 621. 2. eloquẽtiã sacram docere, imitari est Christũ, 722. 1. eius effectus, ib. 2. non est comparanda cũ eloquentia oratorũ Rom. ib. 1. humana defenditur, 739. 2. humana bene cũ sacra miscetur 741. 1. carpitur 739. 1. de eius contemptoribus quid dixerit D. Aug. 741. 2. humana Moses & Iobus vsi, 742. 1. quanta abundauerit Dauid ibid. 2. in ea excelluerunt Prophetæ ibid.
Eloquentes ἴρωες nominati, qui & cur? 2. 2
Elysij campi describuntur 579. 1. 2
Emblemata ad orationes illuminandas plurimum habẽt suauitatis 147. 1. quintus fonti-

uentionis, ib. quomodo differant ab hieroglyficis, ib. eorum ortus, ib. in his maxima luserunt ingenia, ib. prima fuerunt clypeorum vexillorumq́, ib. maxime fuerunt in sigillis primis temporibus, ib. omnes peculiare symbolum sibi affectarunt, ib. varia symbola gentium, & Imperatorum ib. 2
Emblema Laconis, 147. 1. de pisce orcyno emblema 196.
Empedoclis cantionum vis 365. 1
Emphasis, 302. 2. eius exemplum 356. 2
Enagonion 302. 1
Encomium formicæ, 483. 2. & seq. encomium putei 501. 2
Energia 302. 2
Ennodius aurum Demosthenis, & ferreum Ciceronis appellat 74. 1
Ennodij stylus poeticus, 72. 2. eiusdem dulces allegoriæ nonnullæ 73. 2
Enthymema, 303. 1. Enthymemata 266. 1
Enumerationis dexteritas 276. 1
Epagoge 303. 1
Epanadiplosis ib.
Epanalepsis, ib. eius à Palinlogia discrimen, ib. definitio & vsus ib. & 327. 2
Epanaphora 304. 1
Epanodus, ib. figura declamationis & eius exemplum. 354.
Epanarthosis 304. 1
Epembole ib.
Epenthymesis ib. 2
Eperisis quid in exordiis 239. 2
Epexegesis 304. 2
Epexergasia ib.
Ephodos quid? 243. 2
Ephorus spondæum & trochæum vitat in oratione 287. 1
Ephrem Syrus 134 1
Epibole, 304. 2. duplex est ib.
Epicedium M. Antonij in laudatione Cæsaris, 364. 2
Epicherema quid? 266. 2. eius nomen. ib.
Epichrisis 304. 2
Επιδεικνύειν quid? 454.
Epidictica quando integro flore perfectionis eminere cœpit, 451. eius ortus, ib. magnus vigor sub Imperatoribus, 452. 2. de epidictico genere iudicium 451. 2
Epidiorthosis 305. 1
Επιείκια 112. 1
Επιμέλεια idem quod κάλλος Latinis pulchritudo, & suauitas styli 111. 1
Epimone 305. 2
Epiphonema ib.
Epiphonema in Dei incarnatione 711. 1
Epiphora, 305. 1. duplex est, ib. quod discrimen habeat ab epibole ib.
Epiplexis, 305. 1. eius definitio, 331. 2. eius exemplum, 346. aliud exemplum breue & mordax, 355.
Epiploce 305. 1
Episcopi dicti moderatores iuuentutis, 493. 1. præceptores nominati ib.
Epistrophe, 305. 2. eius definitio, ib. vsus idem cum anaphora. Epistrophes species artificiosa, ib. eius exemplum 356. 1
Epithalamij partes 474. 1. 477. 2
Epithaphia 479. 1
Epitheton, 305. 2. eius definitio, 322. 2. vsus, ib. 2. tria vitia ib.
Epithrocasmus 305. 2
Epitimesis 306. 1
Epitrechon ib.
Epitrope ib.
Epizeuxis ib.
Equitare 464. 1
Equitatus prima præcepta scripsit Sarmenes, ib.
Equus Celes, 562. 1. equus describitur à Iobo, 742. equi boni & generosi virtutes, 225. eius descriptio, 561. 2. item aliæ duæ, 562. 1. equi Nissæi, ib. equi gemmis onusti 663. 1
Ericus Daniæ rex musica in furorem actus, 365. 1
Eros & anteros 381. 1
Erotema 306. 1
Erroris inductio 306.
Eruditio varia nutrix eloquentiæ, 141. cum Persæa arbore comparatio, 141. 2. eruditio & pietas cum malis germanitatis comparata, 118. 2 & cum palmæ Syagrorum & Phœnicis commercio, ib. si parce adhibeatur, stylum exhilarat, si inferciatur obruit, 123. 2. primus est fons inuentionis, 142. 2. eruditio & eloquentia facultates inter se distinctæ, ib. huic tantum studere in oratione vitiosum est, ib. illius temperies esse debet, ib. ostentatio vbi vitanda, ib. eruditio non debet cogi atque intrudi in orationem, ib. quomodo in ciuili oratione adhibenda, ib. prudenter à Cicerone adhibita, ib. 2. eius vsus in Epidictico genere, ibidem.
Erycinus fistula pronunciandi modos Caio Graccho formabat 27. 1
Esaias diuina eloquentia vigebat 2.
Ethicum genus quid? 630. 1
Ethnici primos omnium inter Deos Solem & Lunam venerati sunt. 175. 2

Ethologia, 306.2. eius præclara exempla ib.
Ethopœia ib.
Etymologia maxime oratori necessaria, 174.1. eius exempla, 175.2. inualida ad persuadendum 176.1. Vrbanitate quadam venustat orationem ib.
Eucharistia, 718.2. eius excellentia, 719.1. materia, ib. longe superat 7. mundi miracula, ib. Eucharistia trophæum amoris, ib. eum Iustiniani mensa comparatur, ib. 2. eius fructus & efficacia, ib. in ea corporis Christi modus, ib. Eucharistia omne bonum 720.
Euche 306.2.
Euclides Megarensis locum similitudinis ab aliis excludebat 192.
Eumenides σεμνοὶ & earum ædes 616.1
Eumenis bibliotheca supra ducenta millia voluminum habuit 127.2
Eunapius 130.2
Eunomij cicada 246.1
Euripidis acris & vehemens εἰδωμοπία, 119.2. eius motus in Medæa, 375.1. iracundiæ motus, 396.2
Eustachij mira vis in dicendo 5.1
Eustachij anagrammatismi 174.1
Exaggeratio 2. ratio amplificationis, 109.2. eius exemplum 346.
Exallage 306.2
Examen styli 305.306
Exartesis 307.1
Excitatio ib.
Exclamatio in Christi infantia labores 711.2
Exclamationis varij modi, 332.2. exclamationes apposite magnis narrationibus subiunctæ sunt valde efficaces, 368.2. aptæ in motu iracundiæ, 371. exclamatio laudata Dionysij Milesij, 333.1.
Exemplum ad persuadendum efficax, 196.2. eius vis, ib. exemplum ex D. Hieronymo, 197.1. eius vsus, ib. definitio ex Cic. ib. exemplorum duo genera ex Aristotele, 196.2. eorum vis ib.
Exercitationis studiosissimi veteres 121.2
Exhortatio blanda, 682.1. ad bellum, 654.1. lenis, 608.1. non debet esse nimis argumentosa, ib. 2. eius anima calor, ib. 2. exhortatio potentissima & exemplum, ib. 1. differt à suasione 607
in Exhortando animus prius ratione vincendus quam mouendus 607.2
Exilij grauitas 789.2
Exordiorum spectaculum 544.1
Exordium in re molesta, 665.1. à spe & fiducia, 655.2. in eo prolixitas fugienda, 238.2. error in exordiis, ib. inutilia vitanda, ib. his prolixis & inutilibus abutentes quales sint? 239.1. exordia Gorgiæ Leontini, & D. Greg. Nazian. concisa, ib. eorum varia genera, ib. exordium necessitatis & pompa, ib. eius diuisio secundum Licymnium, ib. 2. alia diuisio exordiorum 240. & seq.
Exordium ab opinione, 240.2. à purgatione suspicionis exemplum, ib. ab occasione, 241.1. ex abundantia, ib. eius exemplum, ib. ἐξ ἀντυπυπτόντων, ib. 2. ἐξ ἀντυθέσεως, ib. ἐξ ἀκολούθου, ib. ἐκβηρύτητος, ib. ex subdiuisione, ib. eius exemplum, ib. sex exordiorum fontes, 242.1. exordium ab adiunctis, ib. ab expositione finis, ib. ex visceribus rei, ib. ab exemplis, ib. ab inuocatione, ib. ex abrupto, ib. eius modus, ib. 2. quale esse debeat, ib. quo charactere sit scribendum, ib. cæteris partibus recte insuendum, 243.1. exordiorum locos communes habebant antiqui oratores, ib. eorundem habuit volumen Cicero, ib. 1. exordia adscititia, ib. exordia & aditus honesti, ib. 2. eorum communia præcepta, ib. quid considerandum in eis, ib. exordium vnde dictum, ib. eius nominis definitio, ib. eius partes, ib. vitia, 244.1. virtutes, ib. finis, ib. in exordiis quomodo attentio sit concilianda, & eius exempla, ib.
Exornatiuæ floridius tractandæ 758.2
Expeditio, 307.1. secunda pars est diuisionis, 328.2.
Experientia 670.1
Explanatio 2. pars elegantiæ oratori necessaria, 279.2. comparatur vsitatis verbis & propriis, ib. & elocutionis fundamentum, ib. eorum error qui neglecta explanatione ad metaphoras se conuertunt ib.
Explicatio locorum 1. ratio amplificandi perutilis 108.2
Expostulatio quid, 642.1. eius artificium, ib.
Exprobratio Didonis apud Virgilium γραφικὴ, 643.1
Exordia propria quomodo fiant in causis grauibus, & à pompa fucoq; alienis, vt in concionibus, 244.2. in demonstratiuo genere qualia esse debeant, 245.1. exordium à fabula noctuæ, ib. aliud à saltante Hectorem, 246.1. successoris aliud in laudem antecessoris, ib. à cicada Eunomij, ib. aliud in re ampla ab Æmilij dicto, ib. 2. aliud à Marathonia pugna, ib. aliud in laude virtutis à Campaspe, siue Pancaste, ib. aliud ab inauribus Athenien-

nienſium, ib. aliud à tibicinis iudicio, 247.1. aliud à Babylonico foro, ib. aliud à Scopeliani dicto acuto, ib. aliud in laude funebri, & in inuectiua, ib. aliud à Thebanorum araneis, ib. 2. exordia in deliberatiuo genere, ib. eorum varij modi & exempla, ib. in deliberatiuo ſolent eſſe vel ab exemplo, ib. vel ab attentione & promiſſione magnorum commodorum, 248.1. vel à precatione, ib. vel à reprehenſione eorum qui ficte deliberant, ib. aliud à Timotheo tibicine, 249.2. exordia in genere ſuaſorio, 248.1 ab exhortatione ad ridiculos & voluptuarios, 249.1. à virtute deliberantium, ib. à perſona ſuadentis, ib.2. exordia grauia & philoſophica è Graco expreſſa, 248.2. exordia in genere iudiciali, 250.1. alia ab adiunctis accuſatorum, ib.2. iudicium, 251.1. à precatione, ib. exordium ex abrupto & conciſo, ib. per ὀξύμωρα, ib. exordium conciſum & admirabile, ib. aliud à ſimilitudine, 252.1. aliud in laudem pulcherrimæ vrbis aptiſſimum, 498.2. exordiis vti in Areopago non licebat 616.

Exuthentiſmus 307.1

F.

FAbij religio, 666.2. pietas 668.2

Fabula Demoſthenis, 144.2. Plutar. ib.

Fabulæ quomodo vſurpandæ, ib. grauiores perſonas apud populum orantes docent præſertim Æſopicæ, ib. iis vſi Philoſophi & oratores ib.

Facetiæ vtiles oratori, 364.1. an Chriſtianos oratores deceant, 777.1. facetiæ ars Comi. ib.

Faceti hæretici ib.

Facies 446.1

Factum lepidum Antonij 481.1

Facundia Romanorum circa Cic. efflоruit, 123.1 vide Eloquentia.

Fama 677.1

Fatum ſumptum pro natura, ſideribus, & naturali morte, 181.2. pro neceſſitate ineuitabili apud Ethnicos, 182.1. eius definitio ex Boetio & D. Thoma, ib. multiplex acceptio, ib. fatum non ponunt niſi fatui, ib. fata natalitia quid? 541.2

Fato mori 679.1

Fauſtinæ duæ impudiciſſimæ 175.1

Fel creſcit per conſuetudinem iracundiæ, 397.2

Felicitas vera eſt, felicitate dignum videri, 82.1

Felicitas natalium 691.

Fides 665.1

Fiducia nimia nocet 674.

Figmenta in ipſis tragœdiis non placent eruditis, ſed magis rudiori populo 365.1

Figura duplex vna in nominibus, altera in ſententiis, 293.2. eius definitio ib.

Figuræ demonſtratiuæ, 461.1. earum varietas quam rara, ib. mixtura qualis eſſe debeat, 215.2. diuerſitas pro varietate argumentorum vſurpanda, ib. nomine tropi vulgo continentur, 293.2. earundem diſcrimen cum figuris, ib. definito ex Cæcilio Calandite & Melone, ib. nomenclatura figurarum ordine alphabetico, 294. & ſeq. vſque 321. earum vſus & varij ordines, ib. ordo triplex, ib. figuræ primi ordinis quibus in rebus verſantur, ib.2. earum prima ſeries, quas potiſſimum comprehendit, ib. ſecunda ſeries in illuſtri & ſuaui genere dicendi quibus ſcones efformantur, 323. & ſeq. tertia ſeries eſt in repetitione, 327.1. ſeries in ſuaui genere dicendi, & ſtructura periculorum, ib.2. ordinis figuræ ad grauitatem faciunt, 328.2. ad docendum & mouendum vtiles, 330.1. aliæ in velitatione & certamine, ib. earum tertius ordo in affectibus, 332.2. & ſeq. figuræ dicendi tres, 96.2. figuræ imperatoriæ, 105.2. earum exarteſis, 353. item declamatoriæ, ib. aptæ ad motum figuræ, ſi modo ſint ſublimes, 366.2. loci communes præcipuarum figurarum 338. & ſeq.

Figuratus ductus quid? 628.2

Fines bonorum, & malorum ducentæ octoginta octo ſectas habuere 185.1

Finis non negligendus, 682. cognitio vtiliſſima, 184.2. quomodo appellatur à Galeno, ib. finis primus & vltimus hominis cæterorum norma eſſe debet, qui antiquis cognitu fuit difficillimus, ib. eius vitia & virtutes, ib. definitio ex Ariſtotele & D. Auguſt. 185.1. vſus in deliberationibus præcipuus ib.

Finitiuus ſtatus quis & quotuplex 631.1

Fiſtula Gracchi concionatoria 542.1

Flamen Dialis 667.1

Floces pro vini face 62.2

Florus 133.1

Fluminis Alduabis deſcriptio 575.

Fluuij exundantis deſcriptio ib.

Fœmina comparatur cum appetitu 363.1

Fontis deſcriptio, 576. item æſtuoſi, 577.2. fontium commendatio 502.2

Forma quid, & eius epitheta ex Ariſtotele, 185.2 duplex eſt, vna intima, altera ſpecies quædam externa oratoribus frequens, ib. interior eſt

Philosophorum propria, exterior ad hypotyposeon vsum non mediocriter facit, 185. 2. *forma Alexandri*. 464. 1.
Formica, 483. 2. *eius encomium*, *ib. formica Indorum*, 484. 2. *earum religio*, 485. 1. *cum elephanto comparatio*, *ib.*
Formica descriptio ex D. Basilio 626.
Formosi descriptio stylo antiquario ex Eunodio, 76. 2. *alia eiusdem ex Sidonio* 525.
Fortis viri insignia, 670. *fortes qui* 671. 2.
Fortitudo bellica 676. 2.
Fortitudo & constantia concionatori requisita, 754. 1.
Fortuna magno in cultu apud gentes, 182. 1. *quomodo fortunæ nomine oratores vtantur*, *ib.*
Fortunæ bona, 240. *varietas*, 832. *fortuna illustris cladibus obnoxia*, 664. 2. *mutabilis*, 677. 1.
Forum Babylonicum 247. 1.
Forum in Varronis bibliotheca non commutandum, 625. 1. *delicatam orationem an admittat*, 626. 1. *forum Persarum*, 614. 1. *forum curacutis lapidibus strauerit Cato*, 617. 1.
Fora antiquissima. 616. & *seq*.
Fraces quid? 63. 1.
Fragilitas humana, 677. 1.
Franciscus alumnus Symbolum Apostolorum & Euangelium Ioannis in denarioli orbiculo descripsit 115. 2.
Franciscus Dandalus quomodo suam patriam liberauit 364.
Francia cæterarum gentium regina, 155. 1. *ab Honorio III. Pontif. Christi pharetra lectissimis sagittis abundans appellata*, *ib. de ea Gregorij Magni iudicium*. *ib.*
Francorum Reges multis agnominibus vulgo appellati: 171. 2.
Fratrum diuersitas in moribus 294. 1.
Frequentatio, *atque corroboratio rerum*, *& constitutionum tertia ratio amplificationis*, 109. 1.
Frigidum styli genus cum Cacozelo confunditur à Demetrio Phalereo, 66. 1. *frigidum*, *quid proprie*, *ib. quare dictum τὸ ψυκρὸν*, *& vnde*, *quare γεγονὸν*. *& vnde*, *ib. exemplum ex Plutarcho*, *ib.* 2. *aliud ex Longino* *ib.*
Frons 445. 1.
Fronto asserit Senec. aurea secula reform. 132. 2.
Fucus orationis apud graues personas periculosus, 612. 2. *egregie reprehenditur*, 772. 2. *exaggeratur à simili*. *ib.*
Fulmen ominosum, 240. 2. *ferit prægrandia*, 650. *vehementium oratorum*. 774. 1. 2.
Fundamenta quomodo per solidum iacienda in studiis iuris, 621. 2. *prius subdenda*, *vt iuuenes ad magnum decus eloquentiæ efflorescant*, 123. 1.
Furentis & irati comparatio 194. 2.
Furor non tantum poetarum, *sed etiam oratorum est proprius*. 109. 2.

G.

GAlba causam meditans ita incendebatur animo, *vt vis caloris in corpus redundaret*. 109. 2.
Galgalus quomodo suos ad bellum excitat, 390. 2.
Galli docti 624. 2.
Garruli descriptio 534.
Gauij Cossani supplicium efficacissime ad motum descriptum ex Cic. 366. 2.
Generis cognitio oratori perneccessaria. 177. 2. *eius definitio ex Logicis*, *ib. definitio & vis ex oratoribus*, *ib. alia ex Cic.* 178. 1. *generi tanquam pars subiacet species*, *ib. ab eo speciei omnino dependet*, *ib. ad speciem probandam inualidum*, *ad refellendam potentissimum*, *ib. eius malus vsus*, *ib. vsus in probationibus*, 179. 1. *generis demonstratiui forma*, 460. 1. *excellentia*, 454. 1. *illius cum Nilo comparatio*, *ib. argumenta*, 460. 1. *ortus*, 451. 1. *dispositio quintuplex*, *& collocatio*; *generis vsus in initiis dicendi*, 179. 1. *demonstratiua figura*. 461. 1. *ordo & dispositio quanti sit momenti*, *ib. generis demonstratiui præcepta*. 454. 2.
Genus à Lactantio subtiliter pertractatum, 179. 1. *genus scholasticum dicendi siue epidicticum & demonstratiuum*, 451. 452. *demonstratiuum quale esse debeat*, *ib. demonstratiuum magis debet esse fluidum quam argumentosum*. 460. 1
Generis didascalici tractatio 759. 2.
Geneseos verbum. 174. 2.
Genethiaci artificium, 476. 1. *partes & capita genethiaca orationis* *ib.*
Georgij Corcyrorum Episcopi adulatio fœda, 386. 1.
Germanicus seditionem pacat. 610. 2.
Gersonis apologus festiuus. 145. 1.
Gnatonis improbi descriptio 401.
Gesticulationes nimiæ indecoræ. 448. 1.
Gestus nimis creber arguitur, 447. *loquax silentium*, *ib. eius perfectiones*, *ib. loquendi & numerandi per gestus antiquorum ratio*, *ib. &* 447. *gestuum varia significationes*. 445.

Gilda sapiens in correptione. 411.1
Gladiatorum tyrones discunt quotidie scelus. 260.2. eorum pompa, & apparatus, ib. exercitationes duræ. 453.1
Glaucus pugil. 219.2
Glocestrensis nomen ominosum. 175.2
Gloria, 460.1. gloriæ variæ definitio per synonymiam, 163.1. gloriæ crux magna despicientia. 399.1
Γνῶμαι fons inuentionis quid sint? 148.2. earum magna fuit apud antiquos auctoritas, ib. iis à tenero fingi pueros volebant, & cur? ib. antiquissimæ sunt, & quare sic dictæ? 149.1. sunt quædam graues & magnificæ quales Platonis & Philonis de Deo, ib. aliæ sunt acutæ & breues, ib. festiuæ & prouerbiales, ib. earum vsus, ib. sublimes aptæ ad motum. ib.
Gorgias Leontinus Rhetor illustrissimus, 14.1. eius verba translata audacius eius exordium concisum. 239.1
Gorgon animal. 111.1
Gorgonei capitis vis. 701.2
Γοργονόφθαλμοι. 111.1
Γοργότης, 143.1. eius exempla. ib.
Gracculi iuuentus. 149.1.2.
Gradatio, 309.1. bis tantum vsurpata à Demosthene. ib. eius definitio, 329. gradatio rei calamitosæ ex Cic. ib. 2. tota est ad amplificationes facta, ib. frequens fastidium parit, ib. eius vsus. ib.
Græci oratores Homeri imitatores, 144.1. anagrammatismi peritissimi, 174.1. Græci fortes, 649.2. Græcæ literæ, 672.1. eorum bellandi ratio. 648.2
Græcæ, & linguæ Latinæ necessitas. 624.2
Grammaticæ laus. 465.2
Granius cœlibes dici existimat, quasi cœlites, & cur? 175.2
Gratia & venustas instar Iridis. 500.1
Gratiarum actionis capita. 479.2
Gratiani eloquentia. 466.1.
Graues speciosi cum Balænis comparantur, 767.2
Grauitas orationis, 104.1. eius omnes amatores, ib. ea petitur ex mundo & rebus naturalibus, ib. quibus rebus constat, 105. eius methodus, 109.1. maximum habet pondus in oratore, 361.2. grauitatis species quæ maiestas dicitur, 767.2. grauitas Dionysij, 768. vitia ei contraria, ac primum leuitas orationis. ib.2
Grauitas Athanasij in dicendo, 765.2. Cypriani, 766.2. Augustini, 767.1. Ambrosij, ib. Antonij. ib.2
Grauitas εὐκύσει quæ? ib.2
Grauium argumentorum quatuor species, 104.1
Gregorius Nazianzenus, 134.1. idem cum Synesio in acuti styli breuitate præstantissimus, 81.1. eiusdem apologus festiuus, 144.2. amplificatio de Deo ab affectorum enumeratione, 181.2. mirus verborum delectus & grauitas, 222. amplificationes magis ad Δείνωσιν, quam ad Χύσιν verborum compositæ, 223. exordium concisum. 239.
Gregorius Nyssænus. 134.1
Gregorius Thaumaturgus. ib.
Gregorius Magnus. ib.2
Gregorius IX. inuentum ad placandos populi Romani animos. 364.2
Gruum descriptio. 552.
Gulæ amplificatio per congeriem ex D. Chrysostomo, 227.1. item detestatio. 793.1
Gyges, 110.1. eius annulus. 407.2
Gymnasium Theodosianum sex Rhetoribus & viginti Grammaticis imperatoriis sumptibus honestatum. 119.1

H.

Habilitas. 440.2
Haccados. 781.2
Hadriani Imp. versus molles. 68.1
Hæretici faceti. 777.1
Hammonis salutatio. 700.2
Hannibalis hortator Polemon. 249.2
Harmenopuli liber perutilis. 621.2
Harpocrates. 446.2
Haterij actio vehemens, 436.1. Haterium sufflaminandum censebat Augustus, ib. Haterius senator admisso populo solus Romanorum extemporaneam orationem habuit, 122.1
Hebraicæ linguæ studium quam necessarium, 756.2
Hebræis parabolarum vsus familiaris, 195.1. quidquid in eloquentia lectissimum erat, parabolam nominabant, ibid. eodem verbo exprimunt dominari, ac parabolice loqui, ib.2
Hector, 111.1. eius mortui deploratio, 428.1. Patroclo superior, & Achille inferior literis numeralibus. 173.1
Hegesias frigidus. 66.2
Hegesippus, 181.2. eius monodia lamentabilis, 427.1
Helena. 110.2
Helena fax Martis & Veneris, 714.2. dicitur Lycophroni Mæna quinqueuira. 318.2

Helias 616.2
Heliodorus ἐρωτικῶν scriptor 130.2
Helluonis descriptio 545.1
Henrici Magni felicitas admirabilis in dictis extemporaneis 275.2
Hercules Oetheus Senecæ ampullata Tragœdia, 63.2
Hercules rusticellus mulum tollebat humeris, 116.2
Hermenigildi apologia 702.& seq.
Hermogenes natura miraculum præcox, 22.2. eiusdem velox & calidum ingenium in pueritia, quod tandem ætate puerili hebetatum est 117.1. dictus inter pueros senex, inter senes puer ib.
Herodes sophista, illius particula videbantur omnes esse sophistæ, 22.2. eius filius literas addiscere non potest 115.2
Herodis Attici desperatio, 339.1. in Herodem inuectiua, 409.2 eius ferale conuiuium, ib.
Herodianus 130.1
Herodias carpitur 409.2
Herodoti venustissima eloquentia, 12.2. dulcis, fusus, & quasi annus siua salebris iucunditatem aspergit 129.2
Herodoti notum dictum 766.2
Heroica eloquentia quænam est? 2.
Hesiodus vtilissimus poeta habitus est ob crebras sententias 148.2
Heterogenes 309.1
Hexaphoron quid 538.1
Hieroclis & Meneelis vitium 287.2
Hieroglyphica quid, & quare vsurpata apud veteres, 146.1. ius maxime celebres narrantur Ægyptij, ib. Septentrionalibus populis in vsu fuerunt, ib. eorum magnifica commendatio, ib. parce sunt adhibenda, ib. D. Hieronymi aduersus Iouinianum vehementia, 107.1. in Sabinianum ib.
Hieronymus sophista notauit triginta versus in orationibus Isocratis 287.1
Hilaritas 387.1
Hilarius, 106.2. eius contra Constantium Augustum vehementia ib.
Hilarius Cistercienſis 229.2
Hildebertus Cenomanensis 179.1
Himerij affectus cum Quintiliani affectibus comparati 369.2
Hipparchia 267.1
Hipponax, eius irrisi iracundia, 399.1. eiusdem carminum vis ib.
Hircius & Pansa grandes Cic. prætextati, 122.1
Hirundinis descriptio, eius q. nidi à materia & forma ex Ambrosio 184.2.& 552.
Historia primus fons inuentionis, 141.2. eloquentiæ horreum, ib. eius encomium, ib. è fontibus repetenda est, 143.1. historiarum vsus in oratione, ib.2. priuato studio potius legenda, quam ex aliorum collectaneis decerpenda, ib.1. vitia in his recensendis quatuor, ib. historia non intendi, sed influere debet in orationem, ib. est desumenda ex probato auctore, & bona fide recitanda, ib. nota historiæ sunt paucis explananda, & multa per congeriem copulanda, ib.2. quomodo ornanda sint, 144.1. historia narranda optima ratio in re graui, ib. in hist. oratori tractus in tædio sunt 85.
Historia Ecclesiastica cognitio 756.1
Historici plenius scrutari debent causas naturales, quam oratores 187.2
Homerus omnis doctrinæ pater, 102. summus orator, 144.1. in exprimenda tragœdia generosus, 392.1. eius Lita ad insigne delinitionis exemplum composita, 418.2. eius patria incerta.
Homo Dei vmbra, 81.1. tria habet in se spectabilia, corpus, animam, intellectum, 177.1. eius commendatio à figura, & specie corporis, 184.1
Homo à communi vita alienus, 203.2. hominis vani descriptio, 324.2. ex Platone quomodo definitur, 164.1. homo est imago, 192.2. in eo maioris mundi ducta sunt lineamenta, 193.1. eius natura varia & multiplex à Deo est fabricata, 362.& seq. quorsum dicitur hydra, ib. vnde eius varietas profluat, 363. eius descriptio, 421.2. huic cur data lachrymæ, ib. mensura omnium est, 503. hominis calamitosi oratio, 479.1. homo animal immortale in mortali carcere 503.
Homines diuinitatis auidi, 378.2. eorum tria genera, 972.1. homines terræ, ib. cœli, ib. Dei, ib. hominis descriptiones, 504.& seqq. eius prima descriptio ex Seneca, 504.2. homo miraculum miraculorum, 505.2. hominum variæ descriptiones, 509. vsque ad finem lib. xi.
Homocon 309.1
Homœoptoton ib.
Homœosis ib.
Homœoteleuton, ib. Apuleio nimis notum, quemadmodum & antiquis omnibus, 328.1
Honestum, 604.1. honesti ratio quomodo tractanda ib.
Honoris amor, dedecoris metus, 83.1. honor verus ib.

Honores Rhetoribus exhibiti quinam 8.1
Horatij in Menam indignatio 415.1
Horismus 309.2
Horologium Aaronis Persarum Regis ad Karolum Magnum Imp. 115. 116. *aliud cum campanula, & indice in Caroli V. annulo impressum* ib.
Hortatio ad fortitudinem, 673. *militaris ex Xenophonte*, 675. *alia ex Thucidide*, 674. *ex Tacito, hortatio ad rem arduam* 678.
Hortensius memoria singulari, summoq; iudicio fuit 29.1
Horti descriptiones 574.
Hospitalitia iura non violanda 196.
Humana eloquentia quæ, 2.2. *humaniores literæ quomodo vsurpentur à Chrysost.* 795.2
Humbertus quid sua eloquentia fecerit 724.1
Humilitas D. Francisci in verbis, in eius testamento, 78.1. *ab vno Ethnicorum Antisthene habita est pro summo bono*, 471.1. *eius partes*, ib. *eius in verbis exemplum ex Cic.* 77.2. *humilitas tuta*, 663.2. *Humilitas concionatori requisita* 733.1
Humorum descriptio 544.
Hyacinthus 257.1
Hydra, 406.2. *eius capita quinquaginta*, 547.2
Hyemis descriptio 185.
Hieronymus 134.2
Hyperbaton 309.2
Hyperbole ib.
Hyperides acumen & venustatem habet, 27.2
Hypexeresis 309.2
Hypobole ib.
Hypocrisis ib.
Hypomene 310.1
Hypostasis ib.
Hypotyposis rei calamitosæ ex Cicerone, 218.2. *eius exemplæ* 355.1.2
Hypozeuxis 310.
ὑποθολογία ib.

I.

IAcobus Patriarcha rudimentis nobilitauit Melchisedecis sacrificium, 118.2. *eius in ficta morte Iosephi oratio* 430.
Iacobus Petri Aragonum Regis VIII. filius quomodo sic appellatus, 172.2. *Fortunatus postea nuncupatus* ib.
Iaddus Pontifex Alexandrum deliniuit, 417.1
Iani Romæ templa 544.1
Iaspides dicuntur Dioscoridi φυλακτήρια πεφιαπτά 172.1
Ibera mulieres ferrea gerunt monilia 92.1
Iberica herba 280.1
Icon 310.
Iconismatum pulchritudo 323.2
Idea quid? 56.1
Idea concionatoris 782.2
Idea mater, 658.2. *eius simulachrum* 659.2
Idea Virgines ad thronum Dei, 177.1. *earum officium*, ib. *superiores sunt formis*, ib. *sunt verbo ad structuram rerum diuina instrumenta*, ib. *rerum naturæ & species*, ib.2
Idololatriam committit qui de idolis catechizat 738.1
Idolorum prima superstitio 90.1
Ignaui milites quibus nominibus appellantur, 676.2
Ignauia perstringitur 653.2
Ignis & Nili certamen, 377.2. *eiusdem ignis comparatio cum affectibus*, 378.1. *coniecturis adhibitus*
Ignorantia mali oratoris pretiosa supellex, 98.1
Imago prima pars descriptionis quomodo definitur, 323.2. *ad eam referuntur parabolæ*, ib. *eius exempla duo præclara*, ib. *imaginibus mundus plenus est* 192.2
Imagines nobilium
Imitari vitiosa, vitium est comm[illegible] tibus 12[illegible]
Imitanda tria sunt in authoribus, inuentio, dispositio, & elocutio 134.2
quomodo Imitandum 135.1
Imitatio puerorum qualis, 66.1. *authorum cum Luscinia Orphei comparata*, 124.2. *Simia importuna*, 125.1. *cum modico igniculo paulatim succrescente comparata*, 124.2. *in omnibus artibus elucet, sed præsertim in eloquentia*, ib. *cum oraculis Sybillæ comparata*, 125.1. *difficilis est*, ib. *praua dicta* κακοζηλία, ib.2. *Græcis vsitatissima reddit nos similes iis quos imitamur*, 135.1. *Imitationis vitia septem*, 125.2. & *seq. necessitas*, 124.2. *encomium, & vis*, ib. & 125.1. *praua exemplum*, ib. *optima ratio*, 135.1. *imitationis bona, vel mala, cum viro integra, vel afflicta valetudinis ex debilitate stomachi comparatio*, ib. *imitatio Patrum maxime Latinorum, magis in sensibus quam in stylo ponenda est*, 133.2.
Imitator cum peregrino comparatur, 127.2. *imitatores optimi quibus similes, praui simiis similes*, 135.1. *imitator solers Homeri Virg.* ib.

Imi-

imitatores comparati cum Philoxeno Helluone famosissimo, 126.1. imitatores violenti dicti Procustæ, ib. iidem comparati pictoribus prauis, ib.2. pessimi non Neantho & Patroilo, 127.1. infelices cum coruis, 433. de his Pindari dictum ib.
Imperatoris virtus, 228.1. Imperatori qualis eloquentia sit necessaria, 3.2. eius cum oratore comparatio
Imperatores barbari quid olim Ecclesiæ intentabant 716.2
Imperij lex optima, 656.2. sinceritas 460.1
Impostoris descriptio 533.2
Imprecationis exemplum & vsus
Impressio quid in exordijs 239.2
Improbi improbitatis nomen auersantur, 361.2. improbi descriptio, 400. item improbi & potentis, 539. improbi ciuis character 653.2
Inanima vt laudanda 485.2
Inanimorum descriptiones 569.
Inaurium luxus castigatus, 772.2. inaures Atheniensium
Incarnatio Christi 710.1
Incisa propria asperitatis 105.2
Increpationis grauis exemplum 692.2
India descriptio 572.
Indicia ingeniorum natorum ad eloquentiam, 120.1
Indignatio, 414. grauis & generosa, 415.2. in quibus & ques exoriatur 416.1
Indullio Aristoteli quomodo dicta, 197.2. quod habeat discrimen cum parabolis, & exemplis, 198.1. pulcherrima per σύγκρισιν ex Tertulliano, ib. festiua & qua habeat multum τῆς πραγτικῆς ex D. Augustino, ib. multum valet ad persuasionem, ibid. eius insigne exemplum 263.2
Indulgentia parentum in liberos castiganda, 122.2. neruos omnes & corporis & mentis frangit 123.2
Inepti descriptio 535.1
Infantis aspectus seditionem mitigat 364.2
Inferni pœna 721.1
Inflati styli Caroli, & frigidi discrimina 65.2
Ingenium cum agro comparatum 114.
Ingenium diuino furore accensum, 119.2. eius affectus, ib. nati ad eloquentiam quintuplex iudicium, 120.1.2. his nihil est tam mortiferum quam luxuria, 123.1. ingeniorum ante tempus altiora consectantium cum semine celerius emergente comparatio, ib 2. eorum impetus intempestiui sunt perstringendi, ib. cum arboribus comparantur, 124.1. puerilia quomodo informantur, ib. ingenium pessimum ἄεργον, 358.2. oratori cognoscendum, 362.2
Ingeny felicitas eloquentiam iuuat, 1.2. grande ingenium, eloquentiæ grandioris sedes, 9.2. eius encomium, 61.1. definitio, 115.1. vis in quibusdam, ib. pendet ex syderibus, loco, corporis educamento, & bona educatione, 116.1. ingeniorum solertia ex horologijs, 115.2. sub crasso nere nata obtusiora sunt, sub puro & delicato ingeniosiora, 116.1. eorum dissimilitudo manauit ex diuersa variarum gentium educatione, ib. eadem comparata cum corporum dissimilitudine, ib.2. eorum tria genera ex Aristotele, 117.1. institutio qualis esse debeat, ib. ingenium quod maximè esse debeat, ib. ingenij Claudij Cæsaris stupiditas, ib.1. ingenia lenia, pigra, callida, ib. eorum felicitatem eloquentia desiderat 119.1
Ingratis apud Persas litem intendere, fas erat. 330.2
Inimicus non contemnendus 664.2
Initijs malis obsistendum 680.2
Innocentia misera, 423.1. telum potentissimum, 638.1
Innocentium puerorum martyrij egregia descriptio 763.1
Insaniæ genus est amabilissimum suo ingenio indulgere 86.2
Insectatio Magistratuum 735.2
Institutio puerorum, 246.2. ingeniorum qualis esse debeat 117.2
Institutiones Iustiniani 620.2
Insularum fortunatarum descriptio, 569 & seq.
Intentio quid? 627.2
Interpretes scripturæ qui legendi? 716.1 ib.
Interrogatio, 356.1. eius exemplum 348.
Interrogationis vsus
Inuectiua duplex, 640.1. grauis, ib 2. vt differt ab accusatione, ib.1. eius ordo, ib. vsus, 107.2. inuectiua patrum in vitia, 409. eiusdem ab obiurgatione discrimen 640.2
Inuentio primus est fons ex quo fœcundari oportet ingenia, 134.2. eiusdem primus fons est eruditio, 141.2. eius decem fontes, 142.2. vsque ad 152.
Inuidia & insolentia duo malorum fontes, 680. eius descriptio 548.
Iobus, 713. eius eloquentia, ib. vide patientiæ laus.
Ios & Smyrna altera natales, altera mortem Homeri sibi vendicat 175.1
Iosephus antiquitatum Iudaicarum scriptor, 129.2.

Iuniana Proteus Christum Zenone commutat 107.1
Iouis supercilium caruleum. 513.2
Ira, 158.2 eius soboles subitæ, 187.1. in ea vehementiores excitantur affectus, 371.1. ira recondita eius natura, 397. 2. definitio ex D. Aug. ib. ex eorum opinio ibid. per consuetudinem crescit, ib. eius definitio ex Aristotele, ibid. diuisio, 398. 1. cum Energumenorum affectibus comparatur, ibidem. eius causa & qui ad iracundiam proclives, ibid. ira sexennis ex Aristotele ib. 2. alia septemdecim causæ 399.1 iram inflammant obiecta corporis vitia 698.2. edii concitandi & iracundia ratio, 399.2 quomodo à rebus, personis & signis concipiatur iracundia, 400. & seq. de varietate motuum iracundia & eorum vsu ac de vitiosis motibus in genere, 403. 2. eius motus ignaui. ib. eius motibus ioci non miscendi. 404 2. iracundia motus generosi. ibid. graues ex D. Greg. Nazianzeno. ib. eiusdem vasti, leues, & moderati motus, 411.1. eorum natura, 412.2. motus iracundiæ quomodo temperantur. ib. miscentur cum risu mordaci, ib. cum affectu miserationis, 413. 1. ira remissa seu delumbis, 416.1. ira remissoris officium. ib. ira est velut Ate Homerica. ibid. eius effectus quidã, ib. nõ omnis iræ sanari potest. ib. qua ira capaces medelæ. ibid. ad delinitendam iræ aptæ personæ qua? 417.1. eius delinitæ modus & artificium. ib. remedium iræ tempus. ibid 2. deficientia opinio iram commouet, 418.1. item demissio, verecundia, dona, miseria, risus, verbulum opportunè dictum, grauitas verũ, personarũ & temporum ibid 1 & 2 ira in risum conuertenda. ibid. ira descriptio 548 1. eam sequitur misericordia, 701.2. insignia delinitionis exempla. 478.2. & seq.
Irati & furentis comparatio, 194.2. irati descriptio 397.2
Irenæus 744.1
Ironia, 310 2. eius sex species, 311, 2. item alia varia species, 341. 2. eius ampla & festiua exemplum, 322. 1. ironia Catonis atrox 660
Isaus gratia quadam sparsa efflorescit 19.1
Isagoge orationis 761.2
Isaysa quid? 628.1
Isocrates, 311.1. venustas orationis, 328.1 frequens apud Isocratem ibid.
Isocrates orator eloquentissimus, 18.1. indole suis præstantior Lysia, ibid. 3 eiusdem virtutes & vitia, ibid. 2. de eo iudicium, ib. versus habet in orationibus triginta. 287.1. maximam habet in periodis venustatem. 327.2. stylo scholastice laborat, 70.1. eius oratio mollis. 90.2. comparantur cum Cicer, 56 2. eius stylus vitis aurea ibidem oratio ἄφυκτος 57.2
Iudæi legem Dei in membranis descriptam instar amuleti deferebant, 1.2 1. quomodo eas usurpabant, ibid. 2. eorum religio, 701.1. quietis & pacis amatores ibidem
Iudicatio κρινόμενον 627.2
Iudices nummarii pœna, 61.1. 1. iudicis iniqui supplicium ibid. iudices dij appellantur, 61.1. regis apud Persas. ibid. 2. iudicis virtutes, 617. iudices pecunia corrupti, 618. 1. iudices antequam ferrent sententiam, solem testabantur, ibid. 2. iisdem commendantur pura manus, ibid 1.
Iudicialis generis præstantia, 613.1. illius exordia 250.1
Iudicii canenda festinatio, 618.1. iudicii princeps apud Aegyptios, 615.1. iudicium ratio apud eosdem ibid.
Iudicium non ex opinione hominum, sed ex rei præstantia seruandum, 60.1. 2. de iis hominum dissimillima. 61. 1. iudicium de optimo stylo. 96.2. iudicium de epidictico genere. 451.1. iudicium præstat memoria 121.1. 2. qui eo destitutus. est velut Cyclops Homericus, ibid 2. est amussis & norma mentis, & quasi Censor, ib. quod sit optimum, & quod deterrimum, ibid. sine studis & doctrina est gladius in vagina reconditus, cuius acies quotidie hebescit, ib. eius encomium ibid.
Iudicium de Homero, 10.1, 2. Solone, ib. & seq. Pisistrato, 12. Themistocle, Herodoto, ibid. Pericle, Thucidide, ibid. 1, 2. Gorgia 14. Palamede ibid. Critia, Theopompo, Philiste, 15. Platone, Aristotele, 16. Antiphonte, Andocide, Lysia, 17. Isocrate, 18 Isæo, 19. Æschine, ibid. Lycurgo, ibid. Demosthene, Hyperide, 20. Dinarcho, Demade, Xenophonte, 21. Theophrasto, Demetrio Phalereo. 22. Iunio Bruto, Menenio Agrippa, Appio Claudio. 23. Cethego, Catone seniore, 24. Quinto Fabio pictore, Caio Lælio, & P. Africano, 25. Seruio Galba, Curione, Tiberio Graccho, & Caio Carbone, 26. Caio Gracchi, Q Catulo, M. Antonio. 27. M. Crasso, Ser. Sulpitio, 28. Cotta, Sulpitio, Hortensio, M. Crasso iuniore, 29. Pompeio, M. Callidio, Pisone, 30. Licinio Caluo, Caio Iulio Cæsare Crispo Sallustio, Cicerone, 31 Cicerone comparato cum Demosthene, 32. vsque 43

Iudicium Dei extremum, 720.2 in eo quid bona fortunæ proderunt, ibid. quales improbi, 721. qualis gloria bonorum, ibidem. quinam cum Deo iudicabunt, ib, iudicium Dei mansuetudinem excitat 732
Iulianus Cæsar, 131.1. eius epistola tota ex exclamationibus, 333.1. eloquentiæ multum habet scholasticæ palestræ, 71.1. scholastica, ibid. eius mors qualis, 118.1 factum ridiculum, 371, 1. descriptio, 401. in eum inuectiuæ duæ, 485. eius villa descriptio, 580.1. immanis frugalitas 581.1
Iuliæ duæ adulterij damnatæ 175-1
Iulij Cæsaris ambitio, 30.2 magnitudo & bonitas 392.2
Iunius Otho librum scripsit de argutijs 85.2
Iunij moderati de Seneca iudicium 132 2
Iune regina, 667.1. iuga 475.1
Iupiter Tigillus dictus 379.2
Iupiter Persarum Xerxes 91.1
Iupiter Elæus, 246.2. pater 475.1
Iurare per Manes 369 1
Iuris ciuilis, 3. partes, 621 1. iuris fundamenta quomodo per solidum iacienda ibid 2
Iurisconsulti hæretici cauendi 620.2
Iurisperiti qui vmbris similes 41.2
Iurisprudentia sapientiæ seminarium est, & omnis prudentiæ officina, 150. 1. eius ediscendæ ordo, 620.2. scopus ibid.
Iustinianus Imperator, 156.1. eius libri quando editi per Tribonianum, 621.1. eiusdem mensa 181,1
Iustinus 744.1
Iustitiæ cultus apud Persas, 151.1. ars, 469.1. facies aurea. ibid. encomium, ibid. 2. partes & laudationis capita ibid.
Iuuentus 668.1
Iuuenum memoria promptior, & fidelior 120.1

L.

Labeo & eius honorifica commendatio 622.1
Labia 445.2
Labor, virorum munditiæ 671.1
Labyrinthus AEgyptiorum forum 614
Lacedæmonij colebant Deos armati 151.1. eorum commune votum ibid. eorum leges, ib. cœnæ, 101.2. mos, 360.2. magnifaciebãt probitatem, ibid Lacedæmonijs reges bini 692 2
Laches 544 1
Laconis emblema 147.1
Lacones ex Plutarcho nominem bonum fieri publicis literis sanxerunt 118.1
Lachrymæ suaues, 385. 2. in affectibus, 421. 1. varia earum genera, ib. 2. lachrymæ auditorum sunt laudes oratoris ib. cur data homini, ibid duo genera, cœlestes & humanæ, ib. cœlestium nomina, ib definitio, ib. quare aliqui lachrymas fundere non possunt ibid. earum causæ, 21.2. lachrymæ fictæ, ibid eorum vis, ibid. qui proclives ad lachrymas, 422.2. lachrymæ Dei
Lactantius 134.2
Lætitia, amor, & spes quomodo differunt, 386.2. lætitia vis, 387. 1. lætitia & voluptas quomodo comparentur, ibidem. in eius motibus ridicula temperanda ibid. vsus in re oratoria, ibid. affectus ad pompas, ibidem. eius excitandæ ratio pulcherrima, 387. cœlestis affectus 389
Lamentatio in morte filij ex Quintiliano, 369 2 item alia insignis, 371. Aristidis & Libanij lamentationes ibid. 2
Λαμπρότης tertia virtus grauitatis, 107 2 quomodo fit ibid.
Laodiceæ ornatus 107,1
Lapides terminales, 156. 2. lapides argentei in Areopago 656.1
Lares argentei 131.1
Latinitas sermonis, prima pars elegantiæ plurimum obseruanda, 279.1. ea neglecta multi in errores impinxerunt ibid.
Laudanda sunt ea duntaxat quæ solidam habent gloriam, 107.2. quomodo laudandum 403.1
Laudatio mixta initijs accommodata, 462. 2. funebris. 478.2. Dei, 454. sancti Athanasij insignis. 495. laudationis Dei modus 455 laudationes prudenter instituendæ. 458. in laudationibus ementitæ superiectiones fugiendæ, ibidem. & 459. putoi laudationis artificium. Traiani laudationis artificium 500
Laudatorum genus puerile 459
Laus ridicula Claudij Imperatoris ibid.
Laus personæ, quinq; capitibus decurrẽs, 462.1. generis siue nobilitatis, 463. 1. pulchritudinis, ibidem. 2. agilitatis 464. 1. agilitatis in venando. ibidem. agilitatis siue strenuitatis in re militari & campestri exercitatione, ib 2. & à varijs artibus, & scientijs 465.2. Rhetoris, ibid. Poetæ, 466.2. Philosophi ibid. Medici, 467.2 Mathematici. ibidem. Musici, ibidem. 2. Theologi, ibid. 2 pietatis, 468. 1. prudentiæ, ibidem. 2. actionum & laboris in tuenda rep. 469.1. iustitiæ, ib fortitudinis, ibid. 2. temperantiæ, 470. 1. Clementiæ,

tia, ibid 2. liberalitatis, 471. 1. humilitatis, ibid. 1. vrbis, 472. 2. regu, 473. 2. matrimonij laus & fructus, 474. 1. & 475. nuptiarũ, ibid 1. Gratiani, 480. puerorum, 481. 2. Valentiniani pueri, ibidem. animalium, 482. 1. musca, ib. apum, ibid. 2 formicarum, 483. 2. rerum, 485. Vrbis quibus decurrat capitibus 48[illegible]. 2. Romæ, ibid scientiarum & virtutum, 490. 2. sapientiæ, 491. 1. eruditionis & scientiæ. ibidem. eximiarum personarum laus difficilis, 764. formæ & dignitatis Imperatoriæ, 228. 1 hominis, 107. 2 laus propria quomodo ab oratore vsurpanda, 107. 108. in laudibus turpe illud credere, quæ nec ille de quo narrantur agnoscat, 459. 2. in laude pulchritudinis quid cauendum, 463. 2. vt laudandus situs. 487. 1. laus acroama iucundum militibus, 676. 2. laus mũdi, 486. 1. laus Deo silentium 161. 2

Laus eloquentiæ ex Corn Tacito, 4. imperij regionis vrbis, 486. 2. munitionum, 487. 2 hominum multitudinis, ib. alimentorum, ib. ædificiorum, ibid. templorum, 488. 1. theatrorum, ibid. 2. fororum, ib. aquæductuum, 489. 1 pontium, ibid. priuatorum ædificiorum ib. 2. villarum, 490. 1. fontium, ibid fluminum, ibid. montium, ibid. Agrorum, ibidem. laus à corpore 484. 1 ab ingenio ibid.

Lazari & diuitis comparatio 795. 2

Lectio bonorum authorum optimum contra inflatos remedium, 65. 1. Variorum à Seneca condemnatur, 127. 1. comparata cum cibo & crebra remediorum mutatione, ib. 2. per eam varia ingenia infirma confunduntur, 128. 2. lectionis variæ pueri non capaces ibid.

Legatio ad Achillem 419. 2

Legationes & Magistratus Rhetoribus mandati 8. 2

Legatus contra sanctum Thomam Cantuariensem ad Alexandrum tertium Pontificem missus [illegible], 279. 2. eius oratio apud Pontif. Maximum ibid.

Lemnia mulieres 650. 2

Lenitas 107. 2

Lentitudo quid? 70. 2

Leonis facetum dictum 364. 1

Leonis descriptio 556. 1

Leontinus Gorgias dicendi magister 14. 1

Leonum & vrsæ congressus 257. 2

Leporis descriptio 565. 1

Leptologia 311. 1

Lex nulla satis commoda omnibus, 658. 2. lex nulla vbi nulla cupiditas, 659. 1. & 660. 1. lex Cincia, ibid. 1. leges pro tempore mutabiles, 661. 1. Oppia, 657. 2. Licinia, 650. 1. leges de purpura, 661. 2. leges in ciuitate cum monte in corporibus hominum comparatæ 50. 1. authores variarum legum, ibid. legum dignitas, ibid. omnium legum est inanis censura, nisi diuinæ legis imaginem gerat. ibid. quædam apud Ethnicos salutares ibid. 2. quomodo vsurpandæ, ibid. lex inuentum & donum numinis 104. 2

Lexiphanis apud Lucianum verborum sordes 62. 2

Libanius docendi munus præfecturæ prætulit. 6. 2. [illegible] prædicẽdi munere recusauit, 8. 2. inter aui sui sophistas florentissimus, 131. 1. eius de D. Basilio iudicium, 134. 1. parenthyrsus à D. Chrysostomo perstrictus. 68. 2 errores in affectibus, 371. 2. item nænia de incendio Daphnitici templi 372

Liber magnus magnum malum ex Callimache 14. 1

Liberi 655

Libertas definitur per negationem 161. 2

Libido Sassiæ amplificata ex Cicerone 217. 1

Libri permulti ad multiplicem eruditionem necessarij 128. 1. eorundem cum syderibus comparatio, ib. cum sortis ex varijs floribus collatis vndique, ibid. cum pictorum tabulis ibid. eorum multitudo animum distrahit, 127. 2. inter doctos cura & studium ibidem eorum congeriem accumularunt Christiani, post tẽpora Apostolorum in vsum doctorum, ibidem. ab auctoribus commendantur, 183. 1. libri Digestorum 621. 1

Licentia, 331. 1. eius definitio & exempla ib.

Licinius Caluus exquisitè dicebat 31. 1

Licinij nepotis frigidum dictum 86. 1

Lictores manus legum 81. 1

Lilij descriptio 584. eiusdẽ Persici descriptio, ib.

Lilium dictum [illegible], Suse 104. 1. eius encomium ab omnibus locis, ibid. & seq. definitio, ibid descriptio, ibid, lilium Francorum in signo, 155. 1. de eius ortu fabula, ibid. eius oleum ad morborum remedia salutare ibid.

Lilia oratio quomodo appellatur à Dionysio Halicarnassæo 154. 2

Lingua, 46. 2. linguæ effectuum amplificatio, 78. 1. linguæ puerorum quomodo efformandæ 124. 1

Linguæ Hebraicæ studium apprime necessarium, 756.2. de ea iudicium, ib. græcæ studiũ 757.1
Liptote 11.1
Lita Iouis filiæ, 416.2. litæ Homeri ad insigne definitionis exemplum compositæ 418.2
Litis calamitas 6.0
Litera corporeas rerum creatarum partes designant, & cur 170.1. numeralium superstitio, 172.1. supputatio, 173.2. manifesta earum contradictio ibid.
Literarum studium 493.1
Liuiana historia ab hexametro versu habet initium 287.1
Locus praeclarus D. Aug. in commendationem similium 193
Loci communes non sunt semper terendi, 178.2. loci idem sunt Rhetoribus, quod Grammaticis litera, 25.2. ex ijs rationes & argumenta coalescunt, ib. cui sunt vsui, ib. sunt adolescẽtibus inculcandi, ib. eorum qui locos negligunt error, ib. quomodo ijs vtendum, ibid. locus est argumentorum sedes, ib. qui sunt interni, qui externi, ibid. quomodo ex omnibus locis decerpenda sint argumenta, 154.1. cum segetibus comparati, 156.1. loci quomodo producendi in amplificationẽ, 214.2. locorũ mixtura qualis esse debeat, 215.2. locorum cognatio, 216.1. loci concionum graues, 765.1. locorum extrauagantium exemplum, 178.2. loci in quo dicitur dignitas, 247.1. eiusdem vilitas, & molestia, ib. locorum communium varia supellex 230. & seq.
Loci Theologici, 758.1. communes 757.2
Longini de sacris codicibus & Moyse testimonium, 152.1. eius censura 99
Longodadeli rationes pro eloquentia 746.1
Loquentia puerilis est eloquentiæ simia 2.2
Loqui aurum 537.1
Lotus Homerica 501.1
Lucere & ardere perfectum 208.1
Lucianus, 1.0.1. eius Sesipolia 75.2
Lucianus in Lexiphane quid de stylo, sensibus & verbis inflato sentiat, 64.2. ab eodem inflatis remedium procuratum, 65.1. eius metamorphosis cõcinna hominis in Asinum 65.2
Lucilius stans pede in vno trecentos versus componebat 291.2
Li Crassi vrbanitas 364.1
Lucta descriptio 5.8
Luctus in morte Christi 713.1
Lucullus Xerxes rogatus appellatus est 171.2
Luctus sit deposita purpura, 662.1. luctus Dei, 612.1
Ludi inertes & noxij tollendi 125.1
Ludouici XIII. amor, & studium erga literas 120.1
Ludouici XII. de Aduocatis dictum 620.2
S. Ludouici insignes victoriæ 118.2
Ludus de optimo genere dicendi 86.2
Lunæ deliquium Niciæ ominosum 392.2
Luna ab Asino epota ibid.
Luscinia, 247.1. eius descriptio, 5.1. encomium per 10 quæstiones peritas ex subiectis 152.2
Luscinia appellata à Lycophrone Sirenes ibid.
Lustratio 697.2
Luxuria insectatio, & adulterij, 791.1. detestatio 767.1
Luxus amplificatio per adiuncta ex Cicer. 219.2. luxus diuitum cum miseria pauperum cõtaratus ex D. Gregorio Nazianzeno, 222.2. diuitum cum nuditate pauperum comparatus, ibid. circa apparatum conuiuiorum, 224. luxus mulierum egregiè carpitur 792.1
Luxuries opum 82.1
Lycij in funeribus vestem muliebrem gerunt, 611.2
Lycurgus orator erat non ex Rhetorum officina, sed ex Platonis schola 19.2
Lysias fons potius est vel fonticulus quam flumen, 17.2. idem siccus & ieiunus, 79.2. comparatur cum Cicerone 55.2. & seq.
Architæ columbæ similis 56.2
Lyton. 311.1

M.

Machabæorum mors ex D. Ambrosio, 367.2. eorum matris constantia, ib. eorum triplex ignis, 425.1. eorum matris certamen internum, ibid. eorum mater filiorum martyrio constanter adstans describitur, ibid. item eius ad nos adhortatio 426.1
Magistratus mali grauiter nocent 651
Magistratuum insectatio 735.2
Magistri dicendi quinam primi fuerint 14.1
Magna quæque damnis obnoxia 664.2
Maiestas, 455. maiestas latini sermonis 621.2
Maiorum gloria calcar virtutis 6.6
Mala germanitatis quæ? 118.2. cum eruditione & pietate comparata ibid.
Mali punici descriptio
Malum in bonum conuertere 190.1
Mallones dicuntur capilli 9.2
Manes 277.2
Malmus Sura 436.1
Mansuetudo trophæis splendida, 730.1. mansuetudo Constantini, ib. eiusdem commendatio 31.1

Man-

Mansuetudinis causa memoria iudicij 732.1
Manus pro armis à natura data? 701.1
Manus, 446.7. loquaces, 441. lauare manus, 447.1. manum imponere, ibid. manuũ in actione dignitas, ib. 2. manuum humanarum descriptio 508.1.450
Marathonia pugna 246.2
Marcus Aurelius Antoninus 470.1
M. Antonius stylum habuit excelsè figuratum, 28.1. eius miserabile epicedium in laudatione I. Cæsaris 364.2
M. Crassus grauitatem habebat cum vrbanitate coniunctam ibid.
M. Crassus iunior melius artem parandæ pecuniæ nouerat quam eloquentia 30.1
M. Callidus inter multos oratores prope singularis ibid.
M. Scauri breuis & grauis oratio 361.2
Maria Petri Aragonum Regis VII. vxor prius sterilis quomodo peperit 172.2
Maria vbi dicta nostra Domina, 649. princeps faciorum, 715.1. aduentus desideratus, 714.2. educatio, 715.2. natiuitas, ibid. decor. 715.2. os 715. virtutes, ibid. excellentia, ibid. modestia, ibid. laus corporis, ibidem. in eandem Panegyris, ibid. eius definitio per Synonymiam, 162.2. eius nomen an expressum ab Isaia, 769.1. quantum ceteras matronas dotibus superarit 715
Maritorum vxoriorum seruitus 659.1
Mars communis 675
Marsyæ descriptio 518
Martelli de Abderamo gloriosa victoria 118.1
Martialis musca 179.1
Martichoræ similis Apuleius, 93.2 confutat cacozelos, 94.1. eius descriptio, 559.2. eiusdem locus eximius de Deo 455
Martyres 716.2. eorum tormenta, 717.1. vita, ib. ad Martyres gratulatio ibid, 2
Martyrum constantia ibid. 1
Martyrum tormenta describuntur 717
Materia & forma 180.1.2. ea est materia, ex qua res fiunt, ibidem, 1 quomodo appellata ab Aristotele, ib. materia quotuplex ex Physicis, ib. 2. prima materia quid est, & quomodo dicta à Synesio, ib. 2. materia remota quid sit, ib. materia permanens, ibid. transiens materia, ibid. huius argumenti vsus, ib. materiæ vsus in manufactis, ib. mirabilis materia mensæ. 18. materiæ negatio facit ad laudem, ibid. à materia artes & scientiæ vulgo commendatæ ibid.
Materiæ delectus 757.2
Matris Hierosolymitanæ affectus se ad [illegible] filioli accingentis 375.1
Matrimonium, 474.1. matrimonij honesti laus & fructus 475
Matrimonij ærumnæ, fusè & doctè à Chrysost. descriptæ 798
Mauricius Dux Saxoniæ elector, 173.2. à Phoca superatur ibid.
Medea Euripidis & Senecæ miranda in motuum varietate 375
Medici, 605.1 sana esse corpora conijciunt ab adiunctis 188.2
Meiosis, 311.2. eius exemplum 345
Μειρακιωδοις condemnatio 100
Melancholiæ descriptio 520
Melchisedecis sacrarium magna in veneratione apud Iudæos, 118.2. idem Iacobus Patriarcha rudimentis nobilitauit ibid,
Melanthij dictum acutum 100.2
Melitus tantum ad quinque potest numerare 115.1
Meleager 518
Melet 498.1
Membrum prima pars periodi, 284.1. eius definitio, ibid. quando appellatur σκοινοτενὲς, ibidem
Memnonis descriptio 518
Menecles & Hierocles 287.2
Menenij oratoris calliditas 23
Mensa Iustiniani Imperat. 181.1
Memoria horreum mentis, 110.2. thesaurus exquisitissima rerum opulentia refertus, ib. memoria vis & fœcunditas ad eloquentiã necessaria, ib. quietes & tranquillos animos comitatur, 121.1. eadẽ dicta stultos κτῆμα, ib. memoria insignes, ib. inquibusdã insignis memoria, in aliis tardior, ib. ea sine iudicio, est apotheca sine vino, horreum sine frumento, ibid. 2. in iuuenibus quare prõptior & fidelior, ib. 1. quare in senibus obtusior, ib. est oculus in occipitio ibid. 1 eius encomium 120.2
Mens senilis in corpore iuuenili, 493.1. mens Origenis à teneris discẽdi studio tenebatur, 119.2. æterna omnem speciem habet pulchritudinis, & rebus creatis affusa est ex ipso Porphyrio 179.2 & seq.
Mentis generosa acrimonia 773.1
Mercurii Trismegisti commentum de variis ingeniis 116.2
Meretrix 330.1
Merismus, 311.2. eius præclara exempla, ib. eius definitio, ibid. vsus ibid.
Metabasis, 311.2 duplex est ibid.

Metam circumflectere 544.1
Metamosa 311.2. & seq.
Metaphora, 12.1. metaphoram necessitas genuit, delectatio iucunditasque celebrauit, 22.1. illius definitio, ibid. eius vsus moderatè adhibendus, ib. non debet semper conuerti, ibid. ea tutior quæ fit per similitudinem ib. ea optima quæ tribuit sensum rebus inanimis, ibid. debet rem augere, ib. tenuis & magnifica exempla, ibid. eius magistra consuetudo sermonis, ib. poetica fugienda, ib. metaphorarum lex & censura 93.2
Metastasis 312.1
Metathesis 312.2
Metellus Caprarius omnino stupidus, 116.1. Scipionis in eum conuicium ib.
Meticulosi qui: 391.1.2
Metonymia 312.2
Metus, 391.1 dirus satelles, ib. eius vsus, ibid. apud quæ ingenia excitetur, ib. 2. eius triplex genus, ib. 2. excitandi metus industria, ib. quid differat metus à veneratione, 392. ad metum plurimum valent portenta ib.
Mezozeugma 312
Militum ærumnosorum status, 683. 1. obsequia ib.
Milium tornare qui dicantur 77.2
Milui Iouis sacra non tangunt 513.2
Mimosis 312.2
Minantis frequentius cum cane assiduè latrante comparatio 392.1.2
Minari nimium non oportet ibidem
Minerua Phidia cum homine comparatio 193.1
Minutius felix 134.2
Miserationes & lachrymæ in affectibus, 402.2. miserationũ industria, ib. 1 qui ad miserationes inepti, ibidem quæ miserationes concitare solent, ib. 2. miserationis concitatio per Characterismum, 423. 2. miserationis concitatio duplici via initur, ibid. miseratio per contentionem fortunarum efficax, 426 per imaginis repræsentationem, & in ea Sophoclis dexteritas, 428. item per sermocinationem, 429.1. miserationis serij motus 431
Misericordia quanti facienda, 498. 1. nulla est vbi flagitiorum deformitas præualet ibid. illius fundamentum, 422.2. vide miseratio
Miseria pauperum cum luxu diuitum comparatio, 222. 2. miseriarum amplificatio per Antitheta, ibid. 1. miseriarum vita breuis descriptio per synathroismum ex D. Chrysostomo, 226 miseriæ imago, 277.2
Mites personæ obiurgationi minime apta 641.1
Mithridates duarum & viginti gentium quæ habet in dictione linguas percallet 115.1
Mitio 544.1
Mixtus ductus quid? 628. 2. mixti exemplum, 629.1 mixtum genus causarum quid? 630.1
Moderatio in illustri fortuna amabilis 657.1
Modestia Traiani 460.2
Modus Philogorum varius & suauis, 461.2. & seq.
Modus in argutijs tenendis 852.2
Modi amplificationum varii, 210.211.212. & seq.
Mæcenatis mollis oratio ex Seneca, 67. 2. eius μυροβρεχεῖς 99.1. & seq.
Mollis & delicati descriptio, 537.2. mollium habitus 538
Mollities virorum 538
Momus 739.2
Monachi desidiosi insectantur ab Augustino, 777. 2. item monachi prolixo capillo, ibidem
Monachi impiis nominibus appellati ab Ethnico quodam 393.1
Monarchia, 601.2. politiarum optima, 687. monarchiæ & regni differentia 601.2
Monoceretis descriptio 560
Monomeres quid? 628.1
Montis descriptio 575.1
Monumenta fluxa & caduca 460.2
Morbus Bellerophonteus 393.1
Morbus muliebris calumnia 652
Mores iuuenum, virorum, & senum, 602.603. nobilium, 603.2. plebis ib.
Moriuntur omnia 610.1
Mors viri magnanimi præclarissimè expressa, 334.2. aliud præclarum exemplum, ib. 336. mors beata, 437. mortis contemptus 665.2
Mortis spiculum aureum faciunt delicati oratores 776.2. & seq.
Mortuorum deplorandorum modus 427.1
Moses eloquens & de eo Longini iudicium 2.1
Motus generosos quid enerues 404.2
Motus ex Iosepho, Euripede, & Senec. expressi, 375.2, motus non debent videri accersiti, 370. 2. festiua narratio de motibus comparatis, ib. an & quomodo comparandi motus, 377.1. motus vt corrumpitur, ibid. quæ argumenta requirantur in motibus, ibid. in motibus crebra sententia, ib. affectus sedit diffusa oratione, ib. quæ ad motus apta dictio, ibid. motus temperandi, ib. in ijs præcedere debet rationes, ib. magni motus sæpe silẽtio tegẽdi, ib 2. motus etiã in alijs partib. orationis vsurpãdi, ibid.

ibid 1. motuum vemissio. ibid. eorum cum ingre Chaldaeorum comparatio, 378. 1. quomodo aduersariorum motus frangendi, ibid. 1. motus sui contrarios expellunter. ibid motus animæ triplex, 379. 2 circularis Angelorum quid est ib quid sit rectus ibidem. ratio nostri motus ab motus amoris, ibid. motus in incudia & dolaria, 39 . & seq. in motibus puerile vitium, 372. 2. motus irascibilis, 405. 1. motus apud rusticos, 411. 1. motus an oratori sint apparandi, 432. in motibus poetica & sophistica ratio ab oratione diuersa 433
Moyses cur legationem formidet 589
Moyses heliopolitanus 639. 1. 2
Mucius distillantem in faculo nudis ossibus dextram spectauit 118. 1
Mulbergi nomina ominosa existimant 173. 2
Muliebris mundi descriptio 715. 1
Muliebris venustas, 522. & seq ornatus 525
Mulier expers authoritatis, 9. 2. argumentum ingens, 62. 2. indomitum animal, 158. 1. mulieres ad iram deliniendam aptæ 417. 1. eas domi licentius dominari non licet, 657. 1. earum cultus, 758. 1. mulierum antiquarũ frugalitas. ib. 2. ambitio, 759. 1. luxus, 660. 1. defensio. ibid. 2. earum cultus veiles, ibid facta illustria liberalitas in Remp, 661. 1. mulieres parum momenti, 662. 1. earum affectus 663. 1
Mundus, 160. 1. idem ex duabus viginti literis constatus ex Zoaro, 170. 1. corruptibilis ex Lactantio, 150. 2. est scena plena imaginibus, 192. 1. est mundi canticum ex D. August. 201. 1. mundus ab ornatu dictus, 94. 2. eius fabrica. 703. 2. sexcentos potest cõdere Deus. ib. mũdus & res naturales afferunt grauitatem orationi, 10 . eius descriptio 486. 1. 570
Musa cum humana lacte nutriri non possent, nutricem habuerunt Mnemosynem cuius opera sunt educata: 520. 2
Musa Rhetorum audax oratio 86. 1
Musca in clypeo incisa, 97. 1. musca Martialis 179. 1
Muscarij quid sunt? ibid
Musica Ecclesiarum qualis? 747. 1
Musica laus, 261. 1 & 365. 2 musica apud multos adhibetur in bello ibid. eius vis, & efficacitas. ib musica suam quadam tyrannis, ib. item non frustra quorundam precibus admixta. ibid 2. & effectus mirabilis ibid.
Mussare est cunctari 602. 1
Mysticismus 312. 1
Myrmerides quadrigam eburneam musca alis, 1. nauim auicula penna intexuit 1132
Mysteria quid

N.

NAtiuus sensibus & verbis inflatus 64. 2
Narcissi descriptio 519
Nares elemantia symbolum, 445. 2. earum varia affectiones ibid.
Nares blasa 438. 2
Narrationis diuisio, distinctio, & vsus, 252. 2. narratio causa & qua pertinet ad causam. ib. eius octo species ib. narrationes concionum & Choreiarũ quæ? 253. 1. narrationum vsus in Christis Concion Genere iudic, &c. ib. narrationis vitia octo. ibidem. eius prolixitas inerti fluuio similis, ib eius virtutes ib. 2 eius probabilitas ex rebus quindecim petita, ibid eius quarta virtus suauitas in decem partes diuisa, 255. 2. eiusdem typus. 257. 1. historica, poetica, & Philologica typus suauis. ib. 2. de leonibus & vrsa narratio, ib. alia de elephanto pro nutricio pugnante, 258. 2. typus poetica stylo sublimi & magnifico, 259 2. narratio de pauperis filio pro diuite pugnante, 260. 2. narrationes rerum magnarum etiam nuda manent, 366. 1 narratio de Caio Cannio. 262. 1. & de morte Socratis. ib narratio D. Ambr. de S. Agnete motus efficax, 361. 1. narratio festiua de motibus comparatis 376. 2
Narses vt Longobardos in bellum impulit 647
Nativitas B. Maria 215. 1
Natura quid facias ad sui conditoris famulatũ, 712. 2. natura humana calamitas ante Incarnationem 710. 1
Natura quæ lenibus ortus principijs effudit paulatim ad amœnissimum florem elegantiæ perducit, 124. 1 fiat per ordinem, 235. natura viribus eloquentiæ iuuatur. natura dona diuitiæ obstat ut quàm arte facta. 73. 2. natura in puero tanquam in speculis cernitur, 119. 1 natura diuino furore accensa διὰ θεοῦ ἔρως. ib. 2
Nauis descriptio, 500. nauis elegans, 543. 1. naues in pompa delatæ 497
Naumachiæ descriptio, 592. 1. naumachiam in piscina aliud, aliud in Hellesponto committere 79. 2
Nauis huis cum imitatoribus pessimus comparatus 187. 1
Necessarium facile & iucundum 604. 2
Necessitas, 19. 2. necessitas fortes facit, 656. 1 inuicta ibid.
Negotialis status quid? 638. 2
Neptuni campus 429. 2

Nerei charites 580.2
Neroni Neroenis nomen fuit 171.2
Nicetas 427.1
Nihil tam vtile quam diligi 384
Nilus γρυσορόας, 454. Nili & ignis certamen, 377
2. Nili descriptio 515
Nusai equi 562
Nobiles honore digni, 463. 1. eorum moderatio
652. imagines 670.1
Nobilitas quid? 463
Nobilitas vera, 670.2. nobilitas virtus 672.1
Noctua prudentia 249.2
Noema 312.2
Nomina vtrum, sunt naturæ cœlestis, 170.1 sunt
à natura ex Platone, ib. sunt à siderib. ex Zoa-
re, ib. nominum religio & ambitio, 171.2. no-
mina martyrum Christianis imposita, 172.2.
ex omnibus sacris fiebant amuleta, ibid. ijs
quomodo vsi sunt Iudæi, ibid. superstitiones
multæ in nominibus, 172. & 173. 1. nominum
pueris indendorum ritus, ib. superstitiosa fides
in nominibus numeralibus, 173. 2. nomina
quæ numeris eminerent, præstantiora existi-
mabant, ib. nominum fabulis consensus 175.1.
de nominum ominibus iudicium, ib. nomina
ἀπενθήτων in tota Perside non sunt inuenta
612.1
Nonnius insani tumoris arguitur 64.1
Nonni interpres ποτὸν pro πάτον, pro pauimēto
potum dixit ibid.
Notatio magis est Grammaticorum quam Rhe-
torum, 176.1. eius vsus & exempla ib. 2
Nouitas fastidijs obnoxia, 624.1. eius curiositas
perstringitur 795.2
Numæ leges 151.1
Numerianus Cari Imperatoris filius eloquentiæ
nomine dedicatam habuit statuam nobili ti-
tulo insignitam 8.2
Numerorum ortus, 261.1. primū à Thrasyma-
cho inuenti & Gorgia, ib. 2. eorum progressus
ib. ij in exornatiua oratione vtilissimi, 262.1.
numeri quomodo discendi, 287. 1. vitia quæ
ijs obrepunt, ibid. quid in his in genere obser-
uandum, ibid. 2. numeri pro varietate oratio-
nis mutandi, ib. numeri & numerosi discri-
men ib. 2
Numidæ effrænes 464.1
Numismatis cum anima comparatio 183.2
Nuptialis orationis partes 474.1
Nuptiarum affectus species quædam immor-
talitatis, ib. fructus, ibidem, ærumnæ, 758. 1.
lusus. 675.1

O.

OBiurgationis exemplum 348.1. aliud grave
& serium, 349.2. item recentium, 350. eius
vsus apud generosos animos 411.1
Obiurgationis inuectiua discrimen, 641. obiur-
gationi apti qui? ibid. eius methodus ibid. eius
aptum initium, ibid. & 2. in obiurgationibus
personarum varietas notanda, ibid. obiurga-
tionis exemplum ibidem, ars ibid.
Obliquus ductus quid? 628.2
Obliqui ductus exemplum ibid.
Obscuritas multum nocet orationi, 103.1. eadem
vitium summæ eloquentiæ ibid.
Obseruationes in Ciceronem de collocatione &
ordine verborum, 291. 2. obseruationes in
manibus curiosæ 448.2
Occasio dialogi 737.1
Occasionis descriptio 515
Ochlocratia 601.2
Occupatio in paralepsi 312.2
Ocelli descriptio 583.2
Oculi 445.1
Oculi hoc sunt in homine quod Sol & Luna in
cœlo, 184.1. eorum descriptio, 506. 1. duo in
carne sidera ibid.
Oculi augent dolorem, 227.1. sunt accurata ani-
mæ simulachra, 445.1. eorum variæ affectio-
nes ibid.
Odium oratori nocet, 384.1. eius definitio & dis-
crimen ab ira, 393.1. eius quatuor genera, ib.
2. odij melancholici origo, ibid. odium Time-
nis, ibid. odium ferinum, 394.1. eius indicia,
ib. item quibus inest, ibid. odium humanum
ibid. 2. naturale, ib. odij causæ & fomenta, ira,
detractio, incommodum ibid. fomes calum-
niæ, ibid. odia meticulosis adhærent, ibid. qui
ad odium proni, 395.1. odium calore acuitur,
ibid. odij concitatio & remissio, ibid. odium
quomodo excitetur, ib. eius remissio, ibidem. 7.
ad odij remissionem remedium optimum, 396.
quæ ad odium commune excitent, & pudo-
rem afferant, 407. odium quomodo conci-
tandum in vitia, 414. ex D. Chrysostomo ex-
emplum ib.
Oeneus. 256
Olibanus comes 605.1
Oligarchia 601.2
Olympij nomen Pericli censetur detrahendum
240.2
Omen Pundiuicæ heroinæ 391.1
Omaticon. 312.2
Onagri fœminæ nænia ad marem fœtum suum
spirantis ex Oppiano 681

Onema-

Onomatopœia 312.2
Ονὸς εἰς προverbium 144.2
Opera ab epificibus commendantur 183.1
Oraculum de doctrina 246.2
Oratio sedata gravis persona quasi ex Sacrario prodire videtur 146.2. orationis funebris ortus 478.2 ritus antiquus ib. ars 479.1, oratio funebris Thucydidis. orationis funebris ex Aristide exemplum. 491
Oratio Xerxis de bello Græcis inferendo 645. & seq oratio Mardonii sua sponte 647. oratio ad latera, ibid. oratio Artabani dissuasoria 649. oratio Sandauncidis. 652. oratio Philippi in Senatu. 653 oratio Gilgnei 655 oratio Marci Valerii 656. Marci Catonis 657. Naharzanis. 663 Marci Furii 654. oratio vulneris 711.2. gravis. 771.2 instãs & vibrata. ib. oratio Cypriani de discipl. Virginum non scripta mollo sed animata. 772.1 gravis & vehemens oratio Marii ad Quirites. 869 & seq.
P. Valerii Publicolæ. 672.2 Xerxis. 673. Archidami ibid. Xenophontis super re militari 675. Agricolæ 676. Darii ibid. Alexandri ad 00. milites. 678. Germanici. 679. Alexandri. ibid. & quæ vide isto libro 13. & 14 in principio.
Orationis iudicium à quibus petendum. 60. talis oratio qualis vita. 61.1. eius magnitudine exilia attollenda 70.1. qualis debent esse orationis brevitas 84.1. oratio optima præsti similima debet esse. ex Dion. Halicarnassens. 71.2 orationes magna non ferunt præsupta brevitatē. 84. orationis ornatus 95.1. orationis perspicuitas cum luce comparatur, 102.2. eius gravitas, 104.1. eius asperitas 105.1. eius vehemētia. 106. eius cum forma comparatio, 111. oratio mortua 112.1. Gratia iuvenilis, 113.1. oratio primùm quæstionis cognitionē desiderat 140. omnia Rhetorum præcepta continet. ibid. ea sine eruditione quid sit 141 oratio extemporanea habuit Anaxamen inventorē, 222.1 causa fuit Horatius Senator Romanus, & Themistius Euphrades, cuius exordium gratis affluit ibid. idem de Præsesio ibid. Utrum dotata esse debeant oratio. 141.2. orationes prolixa fugienda. 81.1. orationis partes non semper iuxta scholam. 237.1. oratio pedes numerosos scrupulosius observantes non requirit 278 orationi numerosa præstantia eleganti similitudine illustrata, 261.2. oratio duplex vincta & soluta, 282.2. oratio sedata gravis persona quasi ex sacrario prodire videtur, 436
Oratores non sunt Philosophi inferiores. 9.1. eorum nomen honestissimum, 6. symbola, 9. Orator unus idem omnibus esse potest. 60.1. sæpe felicior, quam sapientior, ibid. 2. oratores postis similes. 72.1 oratores decem acutis & brevib. sententiis insignes, 802. oratoris tractus in historia tædio sunt, 84.2. oratoris prima pars prudentia, 96.1. eius tituli ibid. eius pretiosa supellex ignorantia. ibid. eius vestitus & vox. ibid. eius tumultuaria dispositio, ib.2. eius in historiis ineptiæ. ib. oratores debent timuari apes non Ξ. ὄνος, 100. & seq. orator debet esse simul locuples pauper 101.1. oratores magnis sibi locis historiarum communes texuerunt, 141.1. iidem poeta perutiles, 144.1 fabulis utuntur, ib oratoris cum cœco comparatio, 152.2. in definitionibus solent oratores multas causas ad amplificationem commemorare. non possunt simul multa & opportuna dicere 178.2. iis familiare est in Deum omnium quæ geruntur in vita causas refundere. 181.2. allegant sæpe inter causas fatum & fortunam. ibid & seq. oratores Christiani non debent fati, & fortunæ mentionem facere. 182.1 quomodo oratores fortunæ nomine vtantur. ibid. quomodo causis naturalibus vti debeant. ib.2 in civilibus causis quomodo debeāt causas assignare. ib oratores magni quādo floruerunt, 600.1. eorum factio multum nocuit reip. ib 2. oratores Christiani inveniunt in eloquētia sacra materiā exercitorum, locos communes habebant antiquitus 243.1
Orator ambulat in affectibus ut Deus in ventis, 358.1. oratores veteres non erant numerosi, 287.1. qui vult movere, debet indutere eosdem motus, 361.1 oratores debent esse graves ib.2. idem plus vno verbo quàm obscuri longissimis orationibus efficiunt. ibid. orator prudens debet observare varios auditorum animos, quos vult movere. 362.2. quomodo sint ab oratore animi auditorum dignoscendi. ib orator quomodo se gerere debeat apud doctos & politicos viros, 363.1. quomodo item apud rusticos. ib. oratorum sine auctoritate cum fulminibus vibratis è pulvi comparatio, 367.2. orator natura sua languidus debet abstinere ab excitatione motuum, 373.1 orator vehemens debet in affectibus se continere. ib modesti oratoris efficium. ib. non sunt ab oratoribus levia auspicia asserenda. 391.1. orator debet pericula subiicere. 39
Oratoris prudentia in motibus, 403, 2. oratori quid considerandum in miserationibus, 431.1; huic nænia & lachryma fugienda. ibid. oratori resolvere affectus parerga, 799. 2. oratore

imperiti cum imperitis pictoribus comparantur. ibid oratores sicci qui. 770. vt sicci differant à grauibus primi generis, ib. 2. gratos in quo admirabiles, ib. grauium oratorum philtrum imperitum. ib. oratores delicati & affectorij aureum sacium mortis spiritum. 776. 2. oratoris officium 436. 1. 2

Orbis terrarū quid erat ante incarnationē 710. 1

Orcarum & balnearum pugna? 565. 2

Orcigalea 407

Orcini piscis ars 604. 1

Ordo 238. 1

Ordo in demonstratiuo genere quanti sit momenti. 461. 1. nisi gratijs aspergatur plerumque scholaris & nimis languidus ibid.

Oresis deploratio 428. 2

Orientales parabola rationum ab Hebrais ita acceptam ita consectatis sunt, vt omnia effevant per parabolas 195. 2

Origo 398. 2

Origo nominum maxe orationibus obseruanda 174. 2

Ornatus muliebris descriptio 525

Orpheus 516

Os. 445 2 eius affectiones & significata ibid.

Os S. Chrysostomi post mortem loquutum 799

Otiosi dicti musca 179. 1

Otium vini hominis sepultura 737

Oxymoron, 312. 2 est Antitheti cōtrarium. 326. 1. quemodo differat ab Antitheti. ib. illius vsus, 325. dicta à Cicerone contentio, 326. 2. eius exempla ibid.

P.

Pædariodis pro puerilibus contra Ciceron. apologia 92

Palamedes crimen proditionis diluit 267. 2

Palindromia 313. 1

Palinlogia ibid.

Palma oratoribus destinata 8. 1

Palma Indica descriptio 582. & 583

Pancarpia venationis descriptio 597. 2

Pancaste sine Campaspe 246. 2

Pandecta, 628. 1. earum interpres. & à quibus verborum & rerum intelligentia compendiaria via discuntur 622. 1

Panegyris fastigium, 473. 1. panegyris quid? ibid. illius inuentores, 472. panegyrica orationis methodus 471

Paneglia Virgilij licet ex Homero expressa, tamen Homerica præstant. 135. 1. vtriusque collatio ib.

Pantani schola Alexandriæ? 119. 1

Panthera descriptio 557. 2

Papilionis descriptio, 92. 1. eiusdem cum scyla comparatio ibid.

Parabola quid est. 195. 1 fit à forma ad formam, ibid. cum adagijs confunditur, 145. 2. quare multa in sacris literis traduntur in parabolis, ibid. per totum mundi vniuersitatem latissimè diffusa. 195. 2. placuit antiquis, & præsertim Hebræis, ibid lectissimum quoque in Eloquentia Hebræi parabolam dicebant. ibid. Salomon suum librum prouerbiorum sic inscripsit, tanquam à nobilissima parte, ibid. eius diuisio in 4. partes. 195. 2. parabola ducta longius, & collecta acutius in imaginem symbolema efformatum, 196. 1. parabola maximè illustratur apologia, ibid. alia de vulpe & Erinaceo, ibid. 2. parabola oratori vtilissima, vt qua persuadeant simul & delectent ibid.

Paradiastole 313. 1

Paradigma ibid.

Paradisi terrestris descriptio 571

Paradoxon ibid.

Paralepsis, 313. 1. eius exemplum 556. 1

Paraphora 314. 1

Parasiopesis ibid.

Parasiti dicti musca 179. 1

Parcere, 730. 2. magna est merces apud Deum 731. 1

Paregmenon 314. 1

Parembole ibid.

Parentes barbarè appellantur cognati & affines 410. 1. parentum indulgentia in liberos castigandos, 122. 2. cura 261. 2

Parenthesis 314. 1

Parenthyrsum quid ex Theodoro Rhetore apud Longinum, 69. 1. quemodo differat à stylo puerili ibid. parenthyrsum Libanij, D. Chrysost. perstrictum, ibid. 2. Aristidis ib.

Parenthyrsi character & exemplum ibid.

Parison 314. 2

Parmenionis grunnitus cum nouorum industria comparatus 129. 1

Parodia 314. 2

Paromœon 315. 1

Paremelegia ibid.

Paronomasia ibid.

Paronymia ibid. 2.

de Parrhasio pictore historia ex Plinio, 65. 2. in causa Parrasij brues & acuta sunt 83. 2

Parrhesia, 315. 2. eiusdem exemplum 332

Partium enumeratio sermonis economia 165. 1

manu-

maxime est oratori adiumento. ib. eius definitio. 104.2. earum diuersitas. 105.1 essentialis partium enumeratio valida est & optima, ib alia est intrinseca rebus ibid alia quæ accidentia complectitur ibid. diuisio partium enumerationis ibid 2 illius modus primus, ibid modus secundus, 106. 1. modus tertius, ib. 2. vitia huius loci. 107. partium enumerationis vsus longe latèque diffusus ib 2 eo argumento tanquam fundamento plerumque nituntur orationes ibid. est telum contra aduersarios promptissimum, ibid. illius robur, ibid.

Partium enumeratis figuris illustratur. 68. 2 tractatur per anaphoram, 109. 1. per distributionem ib per subiectionem ibid per congeriem, ib 2 ea vtilis ad periodum amplificandam, ib requirit memoriam ibid quæ in hoc argumentationis genere maxime animaduertenda ibid partes duabus modis intelligibiles apud Cic. ib earum diuersitas 165 1

Parua non contemnenda 680 2

Parui 4 7 1

Paruuli in aqua suffocati descriptio 588

Passeres in tutela Veneris 513 2

Passio Christi 712.2

Pathoticum genus quid 630.1

Pathopœa 815.2

Pati quid? 468.2

Patientia 1 7.2

Patientia laus 713.1

Patris moribundi ad filios grauis oratio 429. 2.

Patres Ecclesiæ cũ Rhetoribus decertant 725.2 Patres latini epidictici generis opulentiã explicant, 27.2. eorum eloquentia. 7 3. 2. patrum sanctorum cum imperatoribus lingua decertat. 7 4 patrum magis sensus, maximè latinorum quidam verba imitanda 153.2

Patres viuunt in filijs 6 7

Patria religio 666 amor 667.2

Patrimonij Charybdis 93.1

Patroclus cum pessimis imitatoribus comparatus. 12 .1 fuit Hectore inferior ex literis numeralibus 173.1

Patronorum scientia. 620 grauium stylus 627.1

Paulus Æmylius 229

D. Paulus 743 1 à Niceta Acolythus nuncupatur, 2. . idem Aratis testimonium in concione de Deo Athenis vsurpauit. 148. sui laudator quomodo, 108. 1. eius imago, 743. 2. Platone dicitur 743.1

Pauonis descriptio argutia ex Greg. Naz. 726

Pauo gloriam assultat ibid.

Pauo theatrum sibi gestabile, & cœlum in cauda constituit. 45.2 eius descriptio, 55. item ex Tertulliano ibidem

Pauperis filius pro diuite pugnat 551

Pauperum miseria cum diuitum luxu comparata ex D. Gregor. Nazianz. 22. 2. pauperes iuuandi à iudicibus 618.1

Paupertas sancta professio 664.2

Parsimonia ducis prudentis factum 101 2

Pedes 417.2

Pedes periodi, 28 .1 pedum numerus & mixtura in periodo ex Cicer. ib pedes qui probantur in principijs. modo & fine 28 1. pedum numeris morosius studentes sunt sæpe ἀκατάσκευοι 286.2

Pœna Dei 382.2

πρεπωδὴς quinta virtus grauitatis 108. 2 eadem cum ea quam ἀξίωσιν Longinus nominat, ibid. quomodo fit 109.1

Periodes ἀστραπὰς fulmẽ dicitur ferre in lingua. 32 1 primus in foro adhibuit doctrinam, ib dictus Olympius à fulmine eloquentiæ, 172. id nomen censetur et detrahendum 252

periculi magnitudo 790.1

perigraphe quid 291.2

periodi ad exornationem orationem vtiles, 262 1. earum exempla, ib. vnde ductæ, ib. 2. definitio ex Rhetorea. Aristotelis, Cornificis, ibid. quomodo Cic. ducta. ib in his quid cauendũ, ib earum diuisio 283 1 periodus clausis quid? ib de ea exemplum ib 2 in periodorum genera ib & seq

periodi partes duæ. 282.2 periodus multiplex est. 284. 1. eius pedes qui? ibid vsus periodi. 87.2 eius mensura. 288.2 frequentes periodi nauseam pariunt auditoribus, ibid. periodi mensura optima est quatuor membrorum. ibid 2 periodi minoris & maximæ censura, 289 1 periodi nomina 283 periodus sententia accedit vt vestis corpori, 289 1. periodi leges, ibid 2 longiores in graui genere sunt vitandæ. ib d periodi implendæ artificium. ibid 2. id artificium multum confert ad eloquentiam. ibid periodus quinque modis amplificatur & de his exempla ibid periodus Ciceronis illustris 290 2 eius venustanda modus duplex. 91 1 periodus vna & sit ex de e stu & compositura verborum ibi periodis vsitissima commoditates 293.2

periphrasis 3 6.1

Perissologia ibid.
Persiuri capite multabatur apud Egyptios 150
Permissa in epitrope 306.1
Perorationes impetu quodam mentis fluebant Ciceroni, 109.2. venustari solent per synathroeismum, 226. per orationis momentum, 275.2. eiusdem fluctuantis causa, ibidem. eius locus, 276. partes ibid. precepta, ib.2. peroratio miserabilis pro filio, 277. peroratio flebilis per apostrophen ib.2
Pironij illustrissimi Cardinalis stylus & eloquentia 74.2
Persa orientem solem salutant, 744.2. fere omnes otiosi & curiosi 6.1. eorum leges, 150.2. eorum cœna, ib.2. eorum reges quomodo venentur 543.1
Persea arbor 141.2
Persecutionis horribilis facies 766.1
Persis 646
Personarum acceptio fugienda 618.1
Perspicuitas, 440.2. perspicuitas orationis cum luce comparatur, 102.2. perspicuitas D. Chrysostomi ibid. 2. ad persuadendum auctoritas & amor, efficacissima 606
Petri Aragonum Regis VII. in imponendo filio nomine superstitio 172.2
Phaetontis casus in gemma, 115.2. eiusdem descriptio 276.2
Phalera 670.2
Phalera iudicium ex bellis & remedium contra inflatos 65.1
Phidias in una Minerua crepida multum studij impendit 122.1
Philagri oratoris audacia ridicula 98.2
Philadelphi insignis bibliotheca supra septuaginta volumina habuit 127
Philo 174.2
Philistus sophista perstringitur 435.2
Philistio 542.1
Philocratis industria 418.1
Philoctetes ob morbum despectus 398.2
Philonis praclarum figmentum 483.2
Philo Platonis amulus in sensibus verbis amplitudinem atque admirabilitatem legentibus largitur, 12.2. eius sententia magnifica, 149.1. eius allegoria nimis frequentes 67.1
Philosophia aus 227.2. & seq.
Philostratus 130.2
Physiognomici sana esse corpora coniciunt ab adunctis 183.2
Phœnicis ad Achillem verba 419.2
Phœnicis auus descriptio 549.1
Photius apud D. Paulum notat insipientem non esse oratorem suavum laudum præconem 108.1
Phrenesicos descriptio 548
Phya 241.2
Phylacteria cui usui apud veteres, 172.1. fiebant ex characteribus & nominibus sacris ibid.
Pictor quidam negat tantum expressus pingere 116.1. picturum tabulæ cum librorum varietate comparatæ, 123.1. pictores antiqui 157.2
Pictura ad movendos affectus adhibita 365.1
Pierius, & de eo iudicium 146.2
Pietas Traiani 460.2
Pietas & eruditio cū malis germanitatis comparata, 118.2 & cū palma Syagrorum, & hæmicis commercio, ib. pietatis partes, & munera 468.1
Pipinus bis Alpes penetrauit, 318.1. Arnulphum Regem Langobardorū, & Gaiffrū pasauit ib.
Pisces cicures 499.2
Pisces dicti Nerei Charites, 580.2. piscium descriptiones 564.2. & seq.
Pisistratus Solonis amulus sed varso eloquentiæ genere, 12. eius limata brauitas, 80.2. eius dicendi vis potius vi cetur conficta, quàm primo eloquentiæ ortu iam nata ibid.
Piso fortè plus æquo à Cic. laudatus 302
Pitheus rex & Rhetor, 6. 1. eiusdem egregium monumentum ibid.
Plaga frigida descriptio, 573.1. & seq. item torrida ibid 2.
Plato diuinus dicendi, sentiendique magister, 15. & seq. eiusdem cum Cicerone comparatio, 53.1. quinque in eo virtutes eloquentiæ, ib. vitia quædam illius, 54.2. idem non linguæ solum, sed etiam virtutis animique magister dictis legentium affert maiestatem, 29.2. fabulas usus est, 144.2. eius sanctitas magnifica, 147.2 & seqq. quomodo desinit hemine, 164.1. eius placita carpuntur ab Aristotele 177.2
Plato perludens naturas rerum, & species intelligit, 177. eiusdem de ideis verus sensus, ibid. eius dictum, ib. eius metaphora quales, 327.1. eius graues antonomasiæ, ibid. 2. mollis oratio 99.2
Platonis in ore Suadæ, ac Periclis labris sessitauit 15.2
Plautus concionum periculosus 794.2
Plebis vir adolescens ex Demade 93.1
Plecton 316.1
Pleonasmus ibid.
Plethyticon ibid.
Plinius maior 152.1
Plinius iunior 133.1
Ploce 316
Plutar-

Plutarchus, 129. 2. eiusdem fabula, 144. 2. eiusdem festiuè dictum, 66. 2. eius censura 100
Pneuma periodus quid? 283. 1
Poesis quid? 466
Poesis oratori necessaria, 71. 2. cur ibid.
Poeta prius legendi quàm oratores, 144. 1. iidem oratoribus vtiles ibid. poeta magnos spiritus suggerunt 641. 2
Polemon, 246. 1. hortator Annibalis 249. 2
Polio Asinius intra quartum diem quam filiam amiserat, declamauit ex sen. 122. 1
πολιτικὸς λόγος 113. 1
Poloni cuiusdam ira, & desperatio 399. 1
Polycriti lacus 709. 1
Polyphemi erga Vlyssem beneficium 417. 2
Polyptoton, 316. 2. varia eius species ibid.
Polypi descriptio 568. 2
Polysintheton, 317. 1. grauitatem affert orationi ibid.
Pomerium sacrum 241. 1
Pompa gladiatoria 260. 2
Pompa Alexandrinorum in ingressu Athanasii 389. 1
Pompeius ad omnia summa natus, 30. 1. eius bonorum hasta subiectorum amplificatio 220. 2
Pompeianus in stylo ineptissimus 93. 2
Pompili natantis descriptio 369. 1
Pontis in Rheno descriptio 575. 2
Populus θηρίον πολυκέφαλον, 603. 2
Populi mores, 686. stultitia lunam ab asino epotam existimantes 393. 1
Portia vitam carbone extorsit 118. 1
Portij latronis breuitas in amplis orationibus vitiosa 84. 2
Porta Hebraeorum 599
Portenta plurimum valent ad terrores
Porus Metidu fluuius, 112. 1. idem Consilij filius 382. 1
Potentia nimia inuidiosa 686
Potestas moderanda 662. 1
Praeceptores, 493. 1. Episcopi nominati, ibid. 2. eorum honos in erudienda iuuentute, 722. 1. quaerendi sunt, non fautores vitiorum, fabularumq; narratores 123. 1
Praelium inter Canem, leonem & Elephantum, 561
Praelij descriptio 592
Praesepis descriptio & domuncula 711. 2
Praestat sicum dicere quàm fingere 459
Praetextati grandes Cic. Hircius & Pansa 122. 1
Praxitelis cupido, 510. eius industria 591
Prehensatio & pugna pro mundo 658. 1
Principis vita, censura est 82. 2
Principes viri maledictis non irritandi 640. 1
Priscorum verborum exempla, 62. 2. πρόχειρον Basilij, Constantini & Leonis 621
Praeoresius Constanti Imperatori gratissimus fuit 9. 1. viua fuit Mercurij imago, 22. 2. ex tempore de proposita quaestione dixisse fertur, 122. 1. eiusdem insignis memoria ib.
Proaeresio populus Rom imaginem cum nobilissima inscriptione dedicauit 8. 2
Procatalepsis 317. 1
Procatasceue ibid.
Prodiasaphesis ibid.
Prodiorthosis ibid. 2
Praemium quid? 243. 2
Prolepsis, 317. 2. eius definitio ibid. eius varia genera, 330. 1. & exempla 345
Prolixitas in oratione vitanda, 110. est adolescentibus & doctis, sed illis confusis plerumque & morosis familiaris, ib. eiusdem fastigium, ib. etiam in commentarijs fugienda, 178. 2. in narratione inerti fluuio similis 253. 1
Pronunciatio mollis, 100. 2. ea in concionibus qualis, 763. commoda, 466. 1. pronunciationis exilis fugienda siccitas, 438. 1. eius vitia ibid. 2. virtus & puritas, 440. 1. eius varietas virtus mirificè grata ib. 2
Propheta eloquentes 742. 2
Propositio orationis & confirmatio generationis implet vicem narrationis 762. 1 253. 1
Prosapodosis, 317. 2. fit duobus modis 318
Prosopon ib. 2
Prosopopaia, 318. eius definitio & exemplum praeclarum, ibid. eius vsus in iracundia optimus, 356. 2. presopopaia per incisa in affectibus 357
Prostaxis 318. 2
Protagoras & Euathus 267
Protagoras de Deo, an sit, necne, non putat inquirendum 118. 1
Prosynapanthesis 318. 1
Proteus Aegyptius miraculum Homeriorum typus perfecta eloquentia 32. 1
Protimesis 318. 2
Protome ibid.
Protozeugma ibid.
Protrope 319. 1
Prouerbialium sententiarum exempla 119. 1. 2
Prudentia prima pars oratoris, 96. 1. abundantia mater, 112. 1. in formicis 483. 2. in illius comitatu octo diligenter notanda, 468. 2. eius partes ibid.

Prudentia in confutationibus seruanda, 264.1.2
Prudentia & integritas in multis legibus antiquorum 150.2
Prupergasia 319.1
Pseudorhetores à Romanis damnati 7.2
Psittaci descriptio 510
Psaphonis aues 98.1
Ptolomaei insignis bibliotheca, 127. 2. eiusdem anagrammatismus 174.1
Publius Africanus Lalio fuit in dicendo secundus 2[illegible].1
Pudor 460.2
Pueri laus 369.1
Pueri quibus capitibus laudantur, 81. 2 puer animal quauis fera intractabilius ex Platone, 602.1 pueri à tenero bene fingendi 1.2. lectionis variae non sunt capaces, 128 1. pueris vtilissima vnius Ciceronis lectio, ibid 2 pueri muscarum abactores in conuiuio, 179. 1 pueri laus 36[illegible] 1 pueri ad deliniendam iram apti 417.1 de trio pueris amplificatio, 7[illegible]9 2. puerorum institutio ad eloquentiam 246
Puerilium inuentionum nugae 68
Pueritiae recordatio suauis 475.2
Pulcheria tenera columba 423.1
Pulchritudo quid sit in oratione 110 1. duplex est, ib. fuit sophistarum propria, 2. eius dignitas & artificium ib. huic finitima est historia ibid. eius exempla ibid.
Pulchritudinis laus, 463. 2 in laude pulchritudinis quid cauendum ib. 2 pulchritudo sine gratia hamus sine esca 98.2
Pulchrum & bonum, 382. 2. triplex pulchrum ib quomodo circa pulchrum amor fallitur ib. pulchra citò occidunt 684.1.
Pulicis descriptio 552
Puluinar 668.2
Punita literis affixa quid significent ex Zoare, 170. 2 in ea apud Hebraeos vocalium instar obtinent ibid.
Purgatio quid 6[illegible]6 1
Puritas, 440. 1 sacerdotum in celebrando 718.2 puritas animi quantum confert ad studia orationum capessenda 122.2
Purpura triplex 563.1. regnum purpura, 6[illegible]6 2. purpura cubiculum Imperatoris, 6[illegible]3 1 vsus, 661.2 est illustris fortunae nota, 663.1 leges de ea ibid.
Purpurati quid 661
Putei encomium 500. & seq.
Pysina 319.1
Pythagorae metempsychosis 745.1
Pytheus Rhetoricam primus docuit 10.1

Q.

Quaestio 627.2
Quaestio in oratione primum cognoscenda, 1[illegible]0. quaestio duplex quaestiones 634 1. quaestionis ignari tribus vitijs obnoxij 140.1.2
Quercus Iouis sacra 473.1
Querela Ciceronis plena grauitatis 642.2
Querela Alconarae dolore intemperans ib.2
Querimoniae graues 649.1. querimoniae non debent esse maliciosae 642.1
Quintilianus, [illegible]. eiusdem vis in concipiendis rerum imaginibus, 20.1 conductus publica mercede, primum ex Hispania Romae Rhetoricam docuit, 19 . eiusdem de Caecilio iudicium illius de Seneca parum aequum iudicium 1 2.1. eius affectus cum Himerij affectibus comparati 3[illegible]9.1
Quintilianus à Cicerone dissentit in numeris, 2[illegible]7 1. eius in concitatione miserationis modestia 423.2
Quintus Catulus incorrupti sermonis laude commendatus 27.2

R.

Rabiei descriptio 548
Rabinorum sensus frigidi 67.1
Rabula furacis ex Sidonio descriptio 83.1
item ex Ammiano 539 & seq.
Rami applicatio ad nares quid significet 445.2
Rapacitatis amplificatio per subiectionem ex Cic. 220.1
Rationes Longodadali pro eloquentia 746.1.
Ratiocinatio in Aopphan, 297 1.1 eius definitio & insigne exemplum 329 2 & seq. in concionibus aptissima, 330 1. ratiocinatio figura in perspicuitate percommoda, 103. 2. & seq.
Ratiocinatio & inductio 265.2
Rationalis quid 629 rationes status quot ib.
Rationis infirmatio quid? 628
Recessus qualis 430.1
Recordari 7[illegible]6.1
Reflexio siue commutatio qualis figura 29[illegible].2
Rege patres & pastores, 470.2 Regis laus 473. 2. regibus iudicium rerum datum 7[illegible]0 2. reges Persarum διοπόται, 64[illegible]. eorum clementia, 689 2. reges primi iudices 611.2
Regum Franciae in iure dicendo vis ibid.
Reges Romani iudices 617
Regia domus descriptio, 427. 1. eiusdem ruina, ibid.
Regionum descriptiones 572. & seq.

Regio-

Religio fertilis 727
Regina cœli 659
Regula Tichonij à D. Aug. explicata 756.1
Rei absoluti sacra faciebant Plutoni 616.1
Reorum comitatus 618.2
Relato quid 635.2
Relatiui status tractatio ibid.
Religionis vu 667.2
Religiosi 717.2
Remedium aduersus cantum 437
S. Remigij gesta circa Clodouæum Regem, 723.2 quantum ipse Francia profuerit ib.
Repugnan ia. 192.1. ad refellendos conuincendosque aduersarios potentissima ibid.
Res non verbis, sed verba rebus subijcienda, 126. 2. res citare ab ouo vsque ad mala. 140.2. res fermè omnes ex quatuor causis conflatæ sunt, 180.1. quomodo corporales laudantur 215.1
Rerum humanarum mutabilitas, 77.1. rerum singularium certa non potest esse cognitio ibid. 1
Respublica duæ, 601 2. respublica magna qua ib. eiusdem Prosopopeia ex Caristo ibid.
Resurrectio Christi 714
Resurgentis Christi triumphus, 714.1. in resurrectione Christi anima corpus resumit ib. in resurrectione reddita corpori Christi pristina pulchritudo 946.1
Reuerentia quomodo imminuatur 392.1
Rhetor verbosus comparatur cum circularibus, 228.2. aliquis vsurpauit alicua voce reminisce. 279.2. Rhetores morosius numero studentes sunt sæpe ἀκκισμῶν 286.2
Rhetores quinam dicti. 7.2. eorum nemen clarissimum ibid. 2. Principes Consiliarij. & Duces populi erant ibid Causidici ibidem. falsi damnati, ibid. ad sacra Scriptura interpretes, ibid. earum symbola & honores 81 palma, ib. eorũ omnia præcepta ad orationẽ spectãt 140.1
Rhetorica pœnitique, 5.2 eius etymologia, 6.2. Rhetorices schola annexum tribunal iudicis, ibidem, 1. à Ioue mittitur in terras, 5.2. eius picturam Lucianus effingit 81
Rhetorica quid 465.1
Ridicula in motibus lætitiæ temperanda, 363.2. seq.
Ritus nominum indendorum 172.2
Annæus Robertus in exordijs proprijs sumendis excellens 244.2
Romani ciues munũi, 669. 2. eorum duodecim tabulæ, 151.1. iudices, 617 1. Romanorum sanus deminutus, 655. 1. doctoris Græci pe-
nuria sub Claudio Imperatore Massiliam libros miserant, 119. 1. eorum facundia circa Ciceronem efflorsit, 123.1. eorundem in nominibus ambitio & superstitio, horum magnitudo per congeriem expressa, eorum duodecim tabulæ 150.2
Romanus luxus perstringitur 650.2
Rosa quomodo a Sappho appellata 154.
Rosa descriptio 584.
Rubrica purpurea quid? 91.1
Rucellinus refutatur cum cæteris Nominalibus, 171.1. rerum cognitionem nominum cognitione contineri asserebat ibid.
in Refugium B. Hieronymi inuectiua 409.2
Rulli auaritia & ambitio amplificata ex Cicerone 210.1. & seq.
Rumorum confictoris descriptio 531.2
Rupis descriptio 582.1
Rusticellus Hercules mulum suum tollebat humeris 116.2
Rustcus filium suum pugilem animat, 249.2 item rustici descriptio 531.2

S.

Sabbatosis 639.1
Sacra & eorum festum 649
Sacerdotij potestas admirabilis 7.2
Sacerdotes mali carpuntur 415.1
Sacerdotum excellentia, 718 eorum vis miraculosa ibid. 2
Sacerdotum puritas. vide puritas. quid faciant proferendo verba sacra 719
Sacerdotes mouent Reges ad reuerentiam 721.2
Sacramentorum maiestas 718
Sæculi tertij Doctores 744.1
Sæculi quinti 745.1
Sagina gladiatoria 260.2
Salacia Dea 512.2
Salomon aureum Prouerbiorum librum cur sic inscripsit 195.1
Salpicta pro tubis 63.1
Saltatorum descriptio 596.2
Salus leuiori damno empta 195.1
Sallustius 131.2. mirandus magis quàm imitandus 31.2. eius nerueſa breuitas 81.1
Salustianus, 732.2. eius mirifica dicendi vis & acrimonia, ibid & seq
Salutatio Vlyssis ad Achillem 419.1
Salutatio, 480 2 salutationis partes ibid. 2
Samij similes infantibus dicuntur 200.1
Sanitatis iudicia 188.2
Sanctitas lucrum est 701
Sanctorum stylus plerumque ferreus, mens aurea 731.1

Sanctorum Patrum nupera concertatio 725.2
Saporis Eustathij eloquantia delinitur 5.1
Sarabara quid? 91.1
Sarcasmus 319
Sarmenes eques primus precepta scribit de equitatu 464.1
Sartago pro varietate stili à Persio usurpata 61.1
Sassia libido amplificata 217.1. & seq.
Scenici ludi 506.1. eorum descriptio ib.
Schesis 319.2
Scholasticum genus oratorium 781.2
Scholastici veri 722.1
Scholastico vitio laborat Isocrates 70.2
Scipionis Africani auctoritas admirabilis 264.2
Scipionis in L. Caprarium consilium 115.1
Scopelianus. 294.1. eiusdem dictum acutum 247.1
Sceptus in Iurisprudentia 620.2
Scorpionis descriptio 553
σκαπτόμενοι quid? 136.2
σκῶρ ἄνωθεν ab AEgyptijs ter decantatum, cur & ad quid 215.1
Scriptores cur plerumque tumorem magis quam humilitatem sectentur 77.1
Scriptura sacra dignitas. 131.2. eiusdem miracula ex D. Cypriano. ibid. eius usus quibus reprimus ibid.
Scripturæ duplex sensus 758.1
Scurrilitas fugienda 101.1
Scylla 406
Scynifes quid? 67.2. cum Dialecticis comparantur ibid.
Scythi descriptio, item Sclopi 590.591
Scytha Nomades. 649.2. Scytarum insignia. 664.1. symbola ibid.2
Scytha parabolis usi 195
Sedecia quarimonia. 424. idem filies posteriorum alloquens singitur 429
Seditio mitigata aspectu infantis. 364.2. seditionis pacatio res difficillima 609.1
Seditiosi quales 653.2
Segeti descriptio 582.1
Selenite lapide mulieres instar phylacterij vsas notat Dioscorides 172.1
σεμνότης 104.1
Senatus & populi Rom. flagitiosi mores descripti 542.1.
Senis centenarij descriptio per partium enumerationem 169.1. senis reuersi à captiuitate filium insepultum, & cæcam vxorem deplorantis amplificatio per adiunctа 221. fines ad delimendam iram apti. 417.1. & seq.
Seneca cum Ciceron comparatur. 58.2. & seq. eruditum in genera acutissime dicendi praestantissimus 83.1. duo nominum millia semel audita refert fideliter. 215.1. librorum vsellum. 128.1. parum ingenio non humanis. 132.2. eius defensio contra Quintilianum. ibid. affectus. 374.2. item iracundia motus 397.2. eius mortuus suprema oratio 431.1
Senectus 495.2
Senes mortem quotidie expectant 721.2
Sensus egregij & veheres 773.2
Sententiæ. vide Verum
Sententiarum delectus 649
Sententiæ breues quando vigere cœperunt. 80.1. sententiæ breues & acutæ in cauſa pilleris Parrhasij 83.2. in motibus crebræ 377.1
Sepulchrum illustrium virorum totus mundus 492
Sepultura. 277.1. eius apud Atheniensis commendatio
Sermocinatio matris filium à monastice instituto reuocantis 728.1. exemplum, ibidem
Sermocinatio orationem effingit. 334.1. exemplum superbi & auari. ibid. aliud exemplum, ibidem. Sermocinationis grauis exemplum, 335. & seq. ad motum aptæ sermocinationes, 356. item cum hypotypoſi coniunctæ multum valent 367.1. sermocinatio parunlorum appositè facta D. Cypriani 771.1
Serterum ex varijs floribus conserterum cum librorum varietate comparatio 128.2
Seruituti maxima calamitas 635.1.2
Seruius Galba ingenium habuit in dicendo vrbanissimum. 26.1
Seruius Sulpitius maluit iurisperitorum esse primus quàm oratorum secundus 23.2
Sibilis explodere 544.1
Sicci oratores qui? 770.1. vide Orator.
Sidonius Apollinaris. 133.2. stylus eius posterior. 722.2. eiusdem stylus cum Ciceroniano comparatus, 741.1. idem Cic. loquacitatis insimulat ibid.
Silentium grauis viri oratione sæpè efficacius. 795
607 silentij pictura 513.2
Siluani lauacrum 196.1
Simia elegans parabola
Simile 747.2. simile à Mandragora 748.1.

Simi-

militudo eloquentiæ cũ moneta, 60.2. & seq. dialecticæ cum cynife. 67.2. pictura cum metaphoris, 73. musicæ cum Critico 75.1. & seq. Minerua Phidiæ cum homine. 173.1. allegoriæ cum pelui aut speculo radium excipiente ibid.2. eiusdem cum vitro in quo succina pollucent iucundius, ibid. fidei cum oculo, 194.1. furentis & irati, ibid. similitudo late vagatur per omnes mundi partes, 173. 1.2. similitudinis definitio. ibid. 2. similitudinis vtilitas maxima contra Euclidem, 172.2. eius commendatio ex D. Aug. 173.1. ea apud dialecticos imbecillior, quam apud oratores. ibid. 2. ea est similis affectio rerum, ib. non est æqualitas, ibid. in similitudine sufficit adiunctarum saltem rerum comparatio, ibid. non modo similia in qualitate consistunt, sed etiam in cæteris categorijs, ibid. similitudinis diuisio, ibid. simplex & composita, ibid. elegans & opulenta similitudinis species, ibid. similitudo per συγκρισιν ornatissima, ibid. 2. eius exemplũ tauri apud Arnobiũ, ib. in ea adiuncta articulatim aut permixtim dicere perinde est, ibid. eius diuisio in tres partes 105.1. similitudo ex rebus pene paribus, ibid. similitudinis variæ tractatio, 200.1. similitudines prouerbiales quædam & acutæ ibid.

Similium luxuries vitanda 198

Similia auditoribus accommodanda 199.1. hyperbolica vitiosa, ib. nõ sunt admittenda minuta ad ampla quædam significanda, ib. 2. cauendum à scurrilibus & sordidis, ib. 2, in diuinis prophanarum historiarum, & maximè fabularum similia declinanda 200

Simonidi puellæ quomodo inditum nomen, 172. 2. anno octauo nubere coacta sterilis facta est ibid.

Simulatoris descriptio 532.2

Simulatores & versuti semel detecti nihil persuadent 606.2

Sirenes Rhetoribus attributæ 8.2

Sisamnis iniqui iudicis supplicium 614

Sistrophe 320.2

σειρῆνα κ̃ χάριν M. Antonio tribuit Plutarchus, 28.1

Smyrna & Ios, 175.1. eiusdem descriptio, 366.1. & seq eius euersa lamentatio ex Aristide, ib. laus 497

Societas Iesu quid fecerit in Christo congregandis hominibus 724.2

Socratis vxor 795.2

Sol vmbra Dei. 707.2. auctor bonorum, 472.2. à iudicibus inuocatus 618,1.2

Sol & luna habiti inter Deos 1.2

Solymæ pulchritudo

Solitudinis torridæ descriptio 581.2

Solonis in dicendo grauitas, 10.2. insigne factum ad bellum excitandum, 11 sententiæ illustres, ib. 2 oratio ad Crœsum, ib. eiusdem cum Pisistrato comparatio 121

Solutum 319

Sophistæ quinam dicti 7.1. sophista nobilis maiores periodos quatuor hexametris circumscribit 239.1

Sophoclis dexteritas in miseratione per repræsentationem imaginis 428.1

Sorites, 267. Hipparchiæ ibid.

Spartanus labori assuetus 363.1

Spartani canes 541.1

Species generi subiacet, 178.1. pendet omnino à suo genere, ib species oculis oblatæ ad motum efficaces, 364.1 species externæ nimis apparatæ auditorum non mouent animos, ibid. 2.

Spectaculi luctuosi amplificatio 220.2

Specula ἑτεροχημα quæ? 649 eorum luxus 513.1

Spelunca descriptio 581

Spes, lætitia & amor quomodo differunt, 86 2. & seq eius affectus, ib. iucũdissima est spei persuasio, 390. 2. quid inducat ad sperandum 390 2. eius exempla ibid & seq.

Sphæra Archimedis 1 8.1

Sphinges eloquentiæ symbolum fuere 8.1

Spiridion, 86. 1. Spiridionis cacozelia insignis, 66.1

Spiritus sanctus centrum Patris & Filij 709.1

Splendor tertia virtus grauitatis 107.2

Statuariæ artis inuentio à Thuscis profecta, 156.1

Status quid? 635

Status qualitatis tractatio 635.2. status quomodo inuestigandus 627.2

Statum genera & species, 630. 2. status coniecturalis, ib. eius variæ species, & eorum exempla, ib. status finitiuus & eius quinq; species, 631.1. status qualitatis & eius duplex species absoluta & assumptiua ib 2. absoluta sit 2. modis, ib. status assumptiui quatuor partes siue species 632.1. 847.1. statuum tractatio in specie, & singulorum exempla 632.2. & seq. status coniecturalis 2 partes ibid. status finitiuus & eius tractatio 635.1

Stellarum multitudo cum varietate librorum comparata 128.1

Stentoris valentissima vox. 98.1

Stoicorum de Diis opinio 164.1

Stratagema eloquentiæ 5
Stratonices capilli cum hyacinthinis floribus ineptè comparati 199.2
Stratonices vetulæ, & caluæ capilli vocantur hyacintij 419.2
Streptolyton 319.2
Stultitia gratuita periculosa 452.2
Stultorum aeris phantasia parit memoriã 121.1
Stupidi descriptio 535.2
Stylus puerilis qualis, & quomodo appellati à Longino, 67.2. eius exempla 68. eius origo, & iudicium. ibid. styli scholastici typus, 70. stylus poeticus, 71.2. oratori pernecessarius, cur? ib. & 72.1. stylus allegoricus & periphrasticus 73. styli miscellanei & antiquarij character 74.2. inquinatissimi exemplum, 75.2. styli puerilis & miseri calumnia vindicatur. 74.2. stylus epistolaris ad compellendos viros amplissimos deterrimus 75.1. stylus prouerbialis 76.1 antiquarij styli formosa descriptio, 76.1. quid de eo sentiendum, & quomodo cauendum ibid.2
Stylus humilis & rudis 76.2. eo pauci laborant. 77. quomodo fit, ib. humilis styli exemplum. ibid stylus fluctuans & dissolutus. 78.1. eius definitio, ib exemplum. 2. character, ibid. eius corrigendi ratio 78.2
Stylus siccus & exanguis, 78.2. quid sit. ib. in eos qui cum sicci sint, Atticos se dicunt, 79.1 eius exemplum. ib styli acuta breuitas sententiaque abrupta & suspiciosa. 80.1. eius ortus & progressus ib. styli acuti & prærupti discrimen. 81.2. acuti & breuis ex Plinio laudata exempla ibid. styli abrupti & frigidè acuti annare 84.1. eius exempla 85.2. stylus puerilis comparatus cum Papilione. 92.1. & cum Concha ib. de optimo stylo iudiciũ. 96. styli tria genera ib. stylus quis optimus. 97.1. stylus quomodo cuique argumento accommodandus ibid. de stylo iudicia. 99.1. styli tumidi condemnatio. ibid. stylus obscurus vitiosus. 103.1. stylus γοργὸς qualis 11. stylus volans & ludibundus. 235.2. styli examen 236.1
Stylus inflatus quid? 62.1. eius triplex genus ib. eiusdem in verbis nouis exempla ibid in priscis exempla ibid. 2 in translatis verbis. 63.1. eiusdem in duriter translatis sectatores ib stylus inflatus in sensibus. ibid 2. eius exempla, 64.2. Luciani de eo stylo iudiciũ & remedia. 65.1. Phauorini de eodem stylo iudicium ib 1
Stylus cacozelus. 65.2, eiusdem cum inflato, & frigido discrimen, ibid. exempla cacozeli. ibid. stylus inflatus in rebus grauibus ad Luciani Sosipolin remittendus, vt eijciatur vomitorio, 75.2. stylum antiquarium cur sequantur nonnulli, ibid stylus doctus & antiquarius quorsum oblectat 76.1
Stylus frigidus, 66.1. eius definitio, ibid eius appellatio, ibid 2. cur γορνεῖον, cur ψυχρὸν dicatur ib. eiusdem cum inflato, & cacozelo discrimen, & exempla, ibid.
Styli bonitas non opinione duntaxat hominum metienda, 60.1. eius varietas, & origo varietatis 61.1. styli Romani processus, ibid. 1. eiusdem vitia tria ex Longino, frigidum, puerile, insanum. ib. 2. styli tumidi cum ranis comparatio. ibid 2 in quod desinit ibid styli tumor vnde dictus, 62.1. eius definitio & exempla, ibid.
Stygis aqua omnia perforat 600.2
Suada Platonis in ore, ac Periclis labris sessitauit 15.2
Suadendi & persuadendi ars 606
Suasio Cyri nobilis, 607.2, eius forma & modus, ib. 1. artificiosa exemplum 606.2
Suasor optimus quis? 65.2
Suauitatis in oratione cum celeritate mixtura, 112.2. eius methodus. ib. quibus rebus constet, 111.2. eius exempla 112.2
Subiecta quid sint? 152.2. de ijs decem formari possunt quæstiones ibid.
Subiectio in Prolepsi & Procatalepsi, 319.2. subiectionis argutissima species, 330.2. eius exemplum, 3 6.1. aliud exemplum 354.1
Sublimitas quomodo differt ab amplificatione 202.2
Substillum pro dubio aere 63.1
Subtilitas non ibi est, vbi nihil est præter subtilitatem ex Seneca 85.2
Succina per vitrum pellucent iucundius 173.1
Sudor hæreditas fortium 671
Suetonius Senecam dicit omnibus placuisse, sed Caligulæ displicuisse 132.1
Sulpitius grandis & tragicus orator 29
Superbi sermocinatio, 334.1. descriptio 527.2
Supercilia penitus abrasa malitiæ & crudelitatis iudicia, 188.2. supercilium ibais caruleum 513.2
Superiectiones ementitæ in laudationibus vitandæ. 459.1. sunt propria puerorum ib.
Superstitio antiquorum 476
Supplicij atrocis amplificatio per hypotyposin, 224.2
Suspiria 438.2
Suspiria iræ scholæ 18[illegible]

Suspen-

Sustentatio in paradoxo 310.1. eius definitio 330. 2. eius praclara exempla ibid. ea iuuat transitiones. 331. eius exemplum 338.1
Sylleps 320.1
Symbolum mancipationis capillorum exhibitio 90.1
Symbola Rhetorum varia 8
Symbola prima fuerunt vexillorum, clypeorumque 177.1 symbola imperatoria ibid.
Sympathia & antipathia naturales 380.2
Synathroismus, 320. 2. & seq. eius definitio & vsus. 349. 1. in perorationibus frequens 344
Synchoresis 320.2
Syncrisis ibid.
Synchisis ibid.
Synecdoche ibid.
Synesius 134.1 idem & Gregor Nazian. in acuta styli grauitate praestantissimi 81.1. appellat primam materiam mundi facem
Synecdoche 320.2
Synonymia 320.2. & 323.1. qua vitanda ibid. 2 quomodo vsurpanda
Syri cupidi, & auari, & cur? 116.2
Syseenasis 319.2. & seq.

E.

Tabula 12 Romanorum 150
Tapanta 695.1
Tapinosis 321
Taprobana descriptio 573.1
Tacianus 744.1
Tauri descriptio 561.2
Tauri querimonia apud Iouem contra crudelitatem ex Arnobio 194.2
Tautologia 321.1
ταυτολογία 454.1
Telamones 545.1
Temenus 541.1
Temeritas 677 & seq.
Tempestas 707.1. eius descriptio apud Virgilium 586.1. alia apud Lucan. 126. & seq.
Templum Capitolinum 488. 1. Diana Ephesia ibid. templa Roma, ibid templi structura 740.1
Templi descriptio. 589
Templorum ornatus qualis? 747
Tempus oportunum expectandum 630.1
Terminalis lapis 156.1
Terminus 668.1
Tergiuersum religio notabilis 356.2
Terra motus descriptio 586.2
Tertullianus, 744 eius stylus quis? 63.1. eiusdem verba horrida, ib translata audacius. 5. 2. eiusdem stylus poeticus 2 1. eiusdem stylus prouerbialis. 76.1. de eo iudicium
Tesserarii qui 548.2
Testes 638.2
Testimonia veterum sextus fons inuentionis, 147.2. plurimum habent in oratione dignitatis ibid. est in rerum confirmationibus telum frequens & plerumque amonitatum. ibid sunt sumenda à probatis authoribus, ib veterum testimonia magna sunt apud nos auctoritatis ib. 2. sunt in locis communes aigerenda, ib, quemodo sunt vsurpanda, 148.1. vtrum ea suo idiomate, & mentis oratioui adiexenda sint, ibid. 1. quando atteri possunt ibid in concionibus verborum farragines fugienda, ibid testimonia Latina iis fugienda, qui Gallicè dicunt, & praesertim Graecorum Latina reddita. ib. 2 metrica pauca adhibenda ib.
Testimonia SS. Patrum cum industria proferenda 758.2
Thamur 90.2
Theagenis & Charielea amor subitus, 361 eiusdem Charicleam velut mortuam deflentis affectus 370.2
θεῖος λόγος quid sit? 122.1
Theatrum vita humana quis liber & de eo iudicium 143.2
Thebanorum aranea 247.2
Thematum varietas 757.2
Themistii Euphradis oratio extemporanea cuius exordium gratiis affluit 122.1
Themistius 130.2
Themistoclis ingenium ad oratoris decora natum. 121. eius graues sententia ib.
Theodoretus 134.1
Theodosius mortuum Chrysostomum reuocat 750
Theodolphus vi Musica à vinculis liberatus 263.2
Theognis arcum appellat Iphram sine fidibus 312
Theologi grauis character 174
Theophrastus dictione fa undissima fuit, 221. eius dictum, 294. 2. eius descriptio vani hominis 324
Theopompus Isocratis discipulus. 15. 1. aduersus Longini censuram defenditur ib.
Theophylus stylo acuto, & breuibus sententiis delectatus, 80.2. eius exempla ib.

Thermæ Mammeæ 543.2
D. Thomas Græcè redditus, 625.1. *eum in doctum virum euasurum asserit, qui vno libro tantùm vtatur*, 127.2. *quanti fecerit libros, ibid.*
D. Thomæ & Senecæ de librorum munere sententiæ quomodo intelligendæ sunt, 127.2. *homilias D. Chrysostomi vrbi Parisiensi & ipsis imperijs anteponebat* 128.1
Thracum de sole, Luna, cœlo, &c. iudicium 116.1
Threni Nicetæ Choniatis 427.1
Thucidides vt genere, ita & dictione sublimis, 13.1. *varia à varijs eius elogia ib.* 2. *idem adhuc puer Herodoti historijs illachrymauit*, 119.2. *idem densus & breuis semper instans sibi orationis luxuriem referat*, 129.1. *maximam laudem meritus est apud veteres ex sententijs*, 148.2 *eius præcipuæ virtutes*, 51.2. *vitia* 52.2
Thucididis, & Herodoti historia pulchra poesis dicta à Dione Halicarnassensi, & quomodo, 71.2
Thyrsus quid? 69.1
Tiberius in verbis religiosus 94.1
Tiberius in senatu noluit ἔμβλημα *vsurpare*, 148.1.
Tiberius Gracchus acutus in dicendo 26.2
Tibicinis iudicium 247.1
Tigridis fluuij restagnantis descriptio 289.1
Tigridis animalis descriptio 557.2
Timæi audax imitatio 63.2
Timantis tabulæ 253.2
Timonis odium 393.2
Thimotheus tibicem 247.2
Timothei Imperatoris imago, 182.1 *in Timotheum facetum dictum* 373.1
Titi Labieni ambitio 399.1
Titulorum speciosorum auiditas 171.2
Titus Liuius Lacteum orationis flumen fundit 131.2
Toli caput 609.2
Tonitrua cum tubarum clangoribus non aptè comparata 529.2
Tonsus elegantia. 199.2
Tormentorum varia genera 717.1
Traductio & antistasis qualis figura 295.1
Traductio 341.1
Tragicis vocabulis vtendum in tragicis calamitatibus 701.2
Traiani ingressus ad imperium, 460. *eius laudes à bonis corporis & animi* *ibid.*
Traianus optimus est appellatus, 171.2. *eius modestiæ*, 460.2. *pudor, ibid. pietas, ibid. Traianus bellicosus* 465.1
Transitio & Ratiocinatio figuræ ad perspicuitatem commodæ 103.2
Trebonij mors affectibus plena ex Cicerone 366.2.
Treuirorum luxuria impendente bello 734.1
Triboniani & cæterorum in iurisprudentia illustranda opera 621.1
Trimalcio lautissimus homo 530.2
Trinitas personarum in Deo 708.2
Tritones 521.1
Tristes & queruli odiosi 642.1
Triumphi descriptio 598
Troiam à Græcis non fuisse euersam 248.2
Troporum cum figuris discrimen ex Alexandro Rhetore 294.1
Tumor in corpore quid? 62
Timor orationis definitur à Longino *ibid.*
Tumidæ poetæ ignoti character *ibid.*
Tunica patagiata auro clauata 551.1
Turcæ adolescentis mira in membrorum conuersione agilitas 116.2
Turpitudinis imago 403.1
Tithonij regulæ à D. Aug. explicatæ 756.1
Typus incomprehensib. Dei ex D. Chrysostomo 789.1
Tyrannis 601.2
Tyrannis Astrologiæ iudiciariæ 543 *& seq.*

V.

Valetudo bona quæ 101.2
Valerius maximus 133.1
Vanitatis miseria 795.3
Vana cum sacris non miscenda 731.732
Varietas delectationis mater in omnibus prudenter obseruanda, 343.2. *commendatur à Dion. Longino* *ib.*
Varij sucromensis verbosa & inanis oratio 201.2 *& seq.*
Varro dictus inepto nomine Porcus literarum, 171.2. *idem librorum Helluo, vir incomparabilis eruditionis*, 175.1. *suæ linguæ studio omnes etymologias amator ad latinos fontes reuocare* *ibid.*
Vastare 729.1
Vatum carmina in comminatione 651.1
Vehementes, 771.1 *eorum fulmina* *ib.*
Vehementia orationis & eius definitio, 106.1. *eius exempla ex Cic. Demosthene & alijs, ibid. ea vsi insignes Ecclesiæ patres. ibid.* 2. *eius vsus* 107.2 *ea non affectat periodos* *ibid.*
Velleius apud Cicer. 164.1
Venatio, 464. *delicata*, 543.1. *eius descriptio ex Philostrato*, 591. *commendatio* 464.2

Vena-

Venatores 464.2
Veneratio quid differt à metu 392.1
Veneris pompa 512.2. & seq.
Venia dilata quid timidis afferat? 711
Venter Βαρὺ φορτίον ἢ ἀρχ ἐκακκον 224.1
Venti boni sunt 187.2
Venustatis muliebris descriptio, 22. & seq. *ornatus* 525
Ver plebis adolescentes ex Demade, 91. & seq.
Ver regina tempestatum, 725.2. *vtile agricolis ibid.*
Veru descriptio 584
Verborum delectus ad suauitatem, 112.1. *delectus compositio*, 101.1. *verba sunt naturæ imagines* 321.2
Verbum diuinum forma formarum est, 183.2. *verba in amplificatione ponendæ quæ?* 103.1. *ex Cic. verba nummis similia, ibid. in oratione qualia verba ibid. verbum opportunè dictum magnam vim habet* 399.1
Verborum iuris interpretes qui? 622.1. *intelligentia* 621.2
Verbuli opportunè dicti magna vis 418
Verecundia 493
Veritas per imagines & symbola collucens magis delectat, 147.1. *veritatis lata lex apud Persas*, 150.2. *veritas laudationum*. 459.1. *veritas gestata à summo Iudæorum sacerdote*, 618.1. *veritatis imago à iudice collo appensa fertur* 615.1
Vermis Indici descriptio 554.1
Verrij sincerum de eloquentia iudicium 625.1
Versus ad caussas male adhibiti 926.2
Vertigo & circulus in sacris 90.2
Vestalis de saxo præcipitata non læditur 634.1
Vestis, citharædorum 510
Vestis muliebris per ignominiam data, 611.2. *vestium pressoria* 551.1
Vestium vsus. 746.2 *vestis criminis pœna ibid.*
Veterum de similitudine animorum opinio 361.1
Victoria implumis. 605.1 *eius anathemata*, 497.2. *illius omen captabant ex literis numerabilibus* 173.1
Vigor quarta virtus grauitatis, 108.1. *eius definitio ex Hermogene, & eius exempla ibid.*
Villa antiquario stylo descripta à Sidonio 76.1
S. Vincentij eloquentia quid fecerit 724.2
Vinolentos non admittunt magna consilia 698.1
Vinum latex Nectaris. 580.2. *eius temperantia serium opus aggressuris* 69.2
Violæ martiæ descriptio 583.2
Vipera in succino sepulta 228.2
Virgilius solers imitator Homeri. 125.2 *eius metus iracundiæ* 397.1
Virgiliani versus ab Eusebio Græcè facti 625.1
Virginis descriptio. 411,2. *item lapsa. ibid.*
B. Virginis elegantia 711
Vir excellens. 736. *viri laus ob animæ dotes & corporis, ibid. viri potentes cum nube & fulgure comparantur*. 20. *viri grauis & constantis laus*. 765.1. *viri boni amplificatio ab effectis* 219.2. *magnanimi mors præclarissime expressa* 534.2
Virtus 671.1
Virtus bellica. 464.2. *eius ornatus*. 440.2. *eius definitio per inductionem* 225.1. *virtus & sapientia animorum* ἐλεπόλεις, 238.1. *virtus sola hominem facit*. 265.2
Virtutis descriptio ex Philostrato 526
Vis eloquentiæ admirabilis 4.2
Vitæ odium non est viri fortis 665.2
Vita omnis supplicium. 611. *eius miseriæ, ibid. breuitas* 494
Vitia corporis obiecta iram inflammant. 398.2
Vitio carere non est satis 79.1
Vitia contraria grauitati 768.2
Vitia imitationis quot, & quænam. 125. & seq.
Vitis descriptio 582.1
Viuendum moribus antiquis, loquendum verbis præsentibus 65.1
Vltio quomodo excitetur 395.1
Vlyssis ad Achillem salutatio 419.1
Vnguentum in lenticula 626.1
Vnio hypostatica vectis est. 71.1
Volumnæ ad Coriolanum oratio ex Plut. 419.2 *item ex Liuio, & Dionysio Halicarnassæo* 418.2. *in eadem materia comparantur tres magni artifices* 421.1
Voluptas 672.1 *nimia fastidium parit* 321.2
Voluptas & lætitia quomodo comparetur 363.2. *item est filia admirationis ibid.*
Voluptates sensuum quales 387.1
Voluptates diuturniores phantasiæ quàm sensuum ibid. voluptates mentis omnium maximæ ibid.
Voluptas eadem ratione in omnibus excitatur ibid.
Voluptatis recordatio in miseriis grauis. 260.2. *eius descriptio*. 526. *voluptatibus lux mentis extinguitur* 721.2
Votieni de declamationibus iudicium 452
Vox nigra quæ? 439.1. *eius vitia. ibid. & virtutes*. 430.2. & seq. *varietas in actione commendatur*

datur in Gratiano 441.1
Vrbes à fundatoribus commendantur. 183. vrbis direptionis descriptio per partium enumerationem ex Seneca 108.2
Vrbis laudationis exemplum. 497. 497. 2. elegantissima typus. ibid. pulcherrima cum aurea veste comparatio ibid. vrbis egregia ornamenta ibid.
Vrbium & prouinciarum cura Rhetoribus demandata 91
Vri 564.2
Vrna iudiciorum 616.2
Vrsa & leonum congressus 257.2
Vsus annulorum 54.2
Vsitas. 149.1. & 604.2. eius duæ partes ibid.
Vulcani instrumenta fronte monentur 502.1
Vulpis piscantis descriptio 564
Vulpis & Erinacei elegans parabola 196.2
Vultures animata sepulchra ex Gorgia Leontino 93.2. & seq.
Vulsus 446.1. & seq.

X.

Xenophanis scitum dictum 379.1
Xenophon dictus Apis Attica, 171.2. dixit magnificè metaphora vndare exercitum 32.1
Xenophon à Cassio Longino vt putidus arguitur. 63.1. Xenophontis inaffectata iucunditas lepore & gratijs legentium animos perfundit, 129.2. eius aemporica metaphora, 322.1. eius metaphoræ quales ibid.

Z.

Zabidus 639.1
Zeugma 321.1
Zeuxis pictor. 128.1. eiusdem domus 247.2
Zoilis opinio de nominibus. 170.1. eiusdem inepitia. ibid. 2. eiusdem opinio confutatur. ib. & seq.

Coll. Soc. Jesu Paderborna.

FINIS

Licentia R.P. Prouincialis in Prouincia Rhenana.

CVm Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus & singulis Typographis ac Bibliopolis ac alijs quamcumq; librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterq; inhibeatur, ne quisquã vllos libros à nostris Patribus editos, vel in posterum edendos intra Sacri Romani imperij regnorum & dominiorũ suæ Cæs. Maiestatis hæreditariorum fines simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam, citra iudicium ac testimonium supradictorũ Patrum audeat vel præsumat, cõcedo ego HERMANNVS BAVINCK *Societatis* IESV *per Rheni prouinciam Præpositus Prouincialis* Ioanni Kinckio Bibliopolæ Colonienſi *facultatem excudendi* Nicolai Caussini Tricassini, Societatis IESV Presbyteri, De eloquentia Sacra & Humana, Lib. XVI. *In cuius rei fidem hoc ei testimonium propria manu subscriptum dare voluimus. Coloniæ 6. Martij Anno* 1626.

Hermannus Bauinck.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN